PROMPTUARIUM THEOLOGICUM MORALE, SECUNDÙM JUS COMMUNE, &...

Bento Pereyra

PROMPTUARIUM THEOLOGICUM MORALE;

SECUNDUM JUS COMMUNE LUSITANUM.

SEU ALIO NOMINE EXPLICATIUS.

SUMMA

EX UNIVERSA THEOLOGIA MORALI, continens quinquaginta Tractatus:

COMPOSITA STYLO BREVI, AC DILUCIDO, NON SOLUM SECUNDUM JUS commune, Pontificium, & Imperiale, sed etiam secundùm jus peculiare Lusitanum, tam civile Ordinationum Regiarum, quàm canonicum constitutionum Episcopalium hujus Regni, item Bullarum peculiarium Summi Pontificis ad Lusitanos (in quo fortassis nova, & unica est post innumeras in lucem editas.) Et collecta tum ex authoribus, qui sunt fontes doctrinæ moralis, & ex illis qui sunt rivuli, quales omnes recentiores illorum sequaces: tum ex diuturna observatione casuum noviter accidentium, quos Author per spatium triginta annorum professor S. Theologiæ consultus, & consulens deprehendit.

AUTHORE

DOCTORE BENEDICTO PEREYRA SOCIETATIS IESU, PORTUGALLENSI BORBANO: IN Eborensi Academia olim Primario S. Theologiæ Professore: apud supremum S. Inquisitionis Tribunal Censorio Qualificatore: & jam emerito per continuatum tricennium & ultra docendi S. Theologiam speculativam, & moralem.

PARS POSTERIOR

CONSTANS EX VIGINTI QUINQUE TRACTATIBUS, QUI ADDITI Tractatibus prioris partis, complent numerum quinquagenum.

VLYSSIPONE. *Superiorum permissu.*
Typis, & Sumptibus. Antonij Craesbeeck á Mello, Serenissimi Principis Typographi. Anno Domini. M.DC.LXXVI.

AD
MARIAM
EMPER VIRGINEM DEI MATREM

SI hactenus, ò Virgo ſapientiſſima meos libros in lucem edendos tibi conſecrabam, id mihi indubitanter perſuadens, mentis partus, & ſapientiæ monumenta non poſſe alibi, quàm in te, *Quæ Sedes ſapientiæ es*, firmius conſiſtere: nec poſſe aliunde quàm a te, quæ es *Turris Davidica ex qua mille pendent clypei*, protectionem afflagitare, perſiſto adhuc in ſententia, & eo promptior tibi conſecro *Promptuarium Theologicum*, quo evidentiùs illud peculiari jure tuum eſſe ſcio, ut a te patrocinium exigat tutelare.

[H]anc mihi dudum injectam mentem tria præcipuè impellunt. Imprimis hoc meum opus The-[olog]icum eſt, & video, ò Magna Mater, inter te ac Theologos magnam intercedere ſimilitudinē, [qu]a tibi chariores eſſe debent; ut illis auxiliū & favorē libentiùs impendas. Nam ſicut diceris [The]otocos id eſt concipiens & pariens Deum, ita Theologus ſic appellatur, quaſi de Deo habens [ser]monem, quem mente concipit, & ore parit: eſt enim Verbum Dei ſemen quod jacitur in terram [hum]ani cordis, ubi gignitur, ut erumpens per os quodammodo pariatur. Et tu Virgo feliciſſima, [non] qualitercunque Deum peperiſti; ſed Deum, qui eſt ſermo Dei, ſeu ſermo Deus, Verbū Deus. [D]einde, quia Unigenitus tuus ſermo Dei, & ſermo Deus ſemper aſſiſtit quaſi fauturus, & auxi-[lium] allaturus loquentibus, vel ſermonem habentibus de Deo; *Ubi ſunt duo vel tres congregati in [nomi]ne meo, ibi ſum in medio eorum.* Matth. 18. Tu igitur ab eſſe nequis illis, quibus adeſt filius tuus [...] matris ſuæ individuus comes eſt. Hac de cauſa jam olim ab ipſa naſcentis orbis molitione [The]ologis aderas, quibus ſimul aderat præſenti numine tuus, & Æterni parētis Unigenitus. The-[olog]i enim in ſphæris cœleſtibus adumbrantur: nam loquentes de Deo, ipſius enarrant gloriam: [...] idem *Cœli enarrant gloriam Dei.* Pſal. 18. Theologi inſuper nempe cœli: *Verbo Domini firma-[ti su]nt*. Pſal. 32. & ideo quando Verbum Dei unigenitus tuus, firmandis cœlis, ſcilicet Theo-[logis] adumbratis navabat operam, te prædicas illius coadjutricem. *Quando præparabat cœlos, ade-[ram]*. Prov. 8. tam prompta in juvando, ut priùs juveris, quàm extiteris.

[T]andem, quia Theologi inter omnes Sapientes, ò Mater Sapientiſſima, de te benè merentur. [Sunt] enim præcipui qui te contra hæreticos, & omnes è Tartareis faucibus erumpentes beſtias, [defe]ndunt: ſunt tuæ admirabilis maternitatis, tuæ & intaminatæ Virginitatis, acerrimi propugna-[tores]. Par igitur eſt, ut parem illis defenſionem reponas. Nonne theologi ſunt, qui te elucidant, & [quib]is pro tali elucidatione æternam vitam polliceris? *Qui elucidant me vitam æternam habebunt.* [Eccl]eſ. 24. Ergo pro illa, quam in hac vita tibi impendunt lucem, umbram protectionis tuæ illis [impe]nde, ut poſtea in altera vita, lucem, quam promittis, conferas immortalem.

[Se]d quid ego ſic apud te ratiocinor, quaſi dubius de patrocinio quod ſoles præſtare theologis, & [...] meo theologico Promptuario præſtandum? Præterita me de futuris erudiunt, ut ſperem, & [theol]ogi ipſo ſacro eloquio poſſunt fieri certiores, ut maternæ protectionis ſpe firmenter.

[C]ompertum ſatis eſt ſtellas, eſſe theologorum vivum atque expreſſum hierogliphycum: nam theo-

theologi sermonem habentes de Deo, & cum verò sole, Deum laudant, de quibus proinde Deus ad Iobum servum suum: *Ubi eras cum me lauderent astra matutina?* Iob. 38. sicut enim stellæ ex solis consortio lucem hauriunt, sic theologi sermonem habētes de Deo & cum Deo, ipsius splēdore rutilant instar Moysis, cujus facies ex consortio sermonis Domini fulgebat. Fuere igitur theologi rectè expressi illis septem stellis, quas Christus manu gerebat. Apoc. 2. ut denotaret septem theologos Episcopos, sicut & duodecim stellis, quibus Virgo Mater coronabatur. Apoc. 12. signās duodecim Apostolos; primos illos, ac summos theologos priores septem stellæ omnipotenti Dei manu firmabantur, & tamen ex illis una cecidit. *Memor esto unde excideris* Apoc. 2. Posteriores duodecim capite Deiparæ erant nixæ, & ideo nulla ex illis ruinam traxit.

In Thabore tres Apostoli, inter quos erat Ioannes, ad vocem Æterni Parentis coram Christo ceciderunt; *Et audientes discipuli ceciderunt in faciem.* Matth. 17. At Ioannes idem in Calvario, ubi maior ingruerat terror, vel subita ac tenebrosa caligine, vel terræ se moventis succussibus, stetit impavidus, quia nempe erat ante Mariam, recens susceptus in illius filialem protectionem. *Mulier ecce filius tuus.* Ioann. 19. Denique ipsemet Ioannes eo tempore quo in cælestium arcanorum visionibus morabatur, ante conspectum Christi se potentem & magnificum ostendentis cecidit; *Et cum vidissem cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus.* Apoc. 7. at non cecidit ante conspectū Virginis, se illi in cœlo tanquam signum magnum exhibentis. Apoc. 12. Quia licèt interdum coram Iesu quis cadat, tamen coram Maria nemo cadit: hoc solum nomen *Maria* prolatum, satis est ut à quocunque formidante timorem omnem prorsus excutiat: addo, ab ipsamet Virgine olim excussisse. Cum enim Virgo ad primos quondam Angeli salutantis affatus expaveret, Angelus ipsam solo producto Mariæ nomine, omni depulso metu confirmavit. *Ne timeas Maria.* Luc. 1.

Cur igitur, ò Maria Mater, meus hic theologicus liber dubitabit prodire in lucem veritus lividorum tenebras, & detractorum mordaces linguas, si prodeat in lucem firmatus tuo nomine, hoc tuo magno nomine *Maria?* Certè liber meus omni liber metu erit, utpote theologicus, & ego similiter theologus, cum jamdudum tibi consecratus talem modò librum consecrem. Si regius vates quando olim agebat theologum, sua omnia opera dicabat Deo. *Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.* Psal. 44. Eructans verbum bonum, proindeque theologus sermonem habens de Deo ipsi protecturo, sua opera consultò dedicabat: consultiùs (ni fallor) ego cum ago theologum, mea omnia opera theologica dedico Deiparæ, illi nempe Reginæ, cui ipsemet Rex Deus devotus & consecratus satis apertum documentum præbuit velle illi devoveri, & consecrari omnia; ex quo arguitur voluisse tutelarem suæ Matris protectionem certiorem, & firmiorem esse.

Accipe igitur, ò Magna Mater, librum de Deo Unigenito tuo, ut sicut hunc liberum tuum in lucem editum fovisti, ita illum librum meum foveas, ut securus in lucem edi, lectoris cujuscunque in oculis versari, atque ejusdem evolvi manibus non formidet.

Servus tuus inter omnes minimus.

BENEDICTUS PEREYRA.

ANDIDO, ET STUDIOSO
LECTORI.

UM jam, studiose Lector, Promptuarium juridicum typis datum in vulgus proderem, non sine jurisprudentium utilitate & plausu, injurius forem Theologis, qui de me utpote suæ facultatis professore graviter, & justè expostularent, nisi eorum etiam commodo deserviens, Promptuarium Theologicum meis diu lucubrationibus elaboratum, in lucem ederem.

At poterit quis de Theologorum agmine mihi succensere, meum istud ledignatus, quasi ego plus pro alienis, quàm pro domesticis insudaverim, scilicet plus stu- laboris conferens in Promptuario juridico, quam in Theologico: cum offeram jurispruden- pus æquè necessarium ac novum, de quo concinnando, & edendo nullus unquam etiam ex ogitaverit; & modò offeram Theologis opus valde triviale, nempe Theologiam moralem lam in compendium, quod illis fastidio potius, quàm voluptati erit. Nam super tot summis ogicis jam usque ad satietatem editis, ita nauseat quilibet, etiam sciendi avidus, ut repu- fficillimum eas omnes percensere, nedum perlegere. Quid igitur (ait meus iste exprobator) ologorum emolumentum professor Theologus egisti, cum actum egeris, seu incassum labo- ?

le precor, zelotes, & stomachum parumper remitte, ne furore obcæcatus feras sententiam causa, & me graviter objurges non auditum. A te stomachoso a te provoco: pacatum: a te ad te peritum mei operis. Fateor innumeras esse Theologicas summas hactenus in lucem e- ter quas nonnullæ valde excellũt, & brevitate qua cõprehendunt, & perspicuitate qua ex- , & maturitate qua decidunt: audeo tamen meam hanc summam inter illas omnes appellare specifica quasi differentia ab omnibus discriminatam. Sic enim in ea Theologiam moralẽ juri Communi (Canonico & Civili, ut etiam juri nostro Lusitano tam scripto, quam con- inario) quod procul abest omnibus alijs) quantum mihi licuit, per summum studium, rem attemperaverim. In quo quantum mihi debeant Theologi Lusitani, diuturno usu, & lectione deprehendent.

hæc: mea hæc summa apud exteros, suam etiam utilem novitatem exhibebit in multis , quos in nullo invenient authore, & mihi per triginta annos in resolvendis versato avida nvestigatio, & frequens interrogantium consuetudo aperuit. Addo ipsa etiam vetera, & ultos trita posse nonnullam meo operi laudem, & studioso lectori utilitatem afferre, qua- multis dispersa in hoc unico libro collecta invenientur.

ndem prudens Lector, animadverte eam esse laudabilem novitatem, quæ vetustati cõ- , ita ut ex vetustate pullulet authoritas, & ex novitate jucunditas. Ille enim author qui e conjungit, Evangelicis documentis obtemperat, & cælestis scriptor evadit, ex Christi

Servatoris oraculo. Ideo (*inquit Dominus*) Omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est patri familias, qui profert de thesauro suo nova & vetera. *Matth.* 13. *Scribam illum doctum, seu scriptorem in cælo collocat, qui de sapientiæ suæ thesauro nova simul, & vetera producit.*

Illud te vellem monitum: si aliquid desideres de dubijs litterarijs moralibus, consule meam Academiam, seu Rempublicam litterariam: Si de resolutionibus secundum jus Lusitanum, consule meum Promptuarium, quod est Regnicolarum compendium. Si hæsites in vocibus, ac modis loquendi, consule meum Elucidarium.

Habes igitur in hoc Promptuario Theologico, quod in duas partes dividitur, & quinquaginta tractatibus absolvitur, quidquid mei ingenij debilitas assequi, & mea industria ac studium colligere potuit. Si quod in hac triticea segete erumpat lolium: si in vasta sylva pullulent sentes, tu perspicacis ingenij tui falce amputa, dummodo authori innocuo conniveas in defectibus.

Vale.

INDEX

TRACTATVVM, SECTIONVM, ET QUÆSTIONUM, QUÆ IN HAC POSTERIORI PARTE Continentur.

TRACTATUS XXVII.

De observatione festorum. n.92.

TRACTATUS XXVIII.

De decimis, primitiis & oblationibus. n.122.

TRACTATUS XXIX.

De immunitate Ecclesiastica quoad reverentiam debitam locis, personis ac bonis Ecclesiæ. n.166.

Quæst.

TRACTATUS XXXI.

De voto.

SECTIO I.

De essentia voti & ejus multiplicitate.

SECTIO II.

SECTIO III.

SECTIO IV.

SECTIO V.

SECTIO VI.

TRACTATUS XXXII.

De nonnullis vitijs religioni cõtrarijs. n.514.

SECTIO I.

SECTIO II.

SECTIO III.

SECTIO IV.

SECTIO V.

II. Qua-

TRACTATUS XXXIII.

De Simonia. n.585.

SECTIO I.

De essentia ac multiplicitate Simoniæ, & requisitis ad eandem constituendam. n.585.

SECTIO II.

De materia Simoniæ. n.600.

SECTIO III.

De punitione, & restitutione, quibus Simoniaci obnoxij sunt. n.653.

TRACTATUS XXXIV.

De nonnullis virtutibus moralibus, & vitijs oppositis. n.672.

SECTIO I.

De virtutibus justitiæ annexis in quibus est debitum legale: & vitijs oppositis. n.673.

SECTIO II.

De virtutibus, in quibus est debitum morale, & vitijs oppositis. n.682.

SECTIO III.

De fortitudine, virtutibusque ipsi annexis, & vitijs oppositis. n.701.

SECTIO IV.

De temperantia, ejusque partibus & vitijs oppositis. n.714.

TRACTATUS XXXV.
De jejunio naturali,& Ecclesiastico.

SECTIO I.
De jejunio naturali. n.736.

SECTIO II.
De jejunio Ecclesiastico quoad essentiam, & requisita ut observetur.

SECTIO III.
De obligatione, quam inducit jejunium Ecclesiasticum. n.766.

SECTIO IV.
De causis excusantibus a jejunio Ecclesiastico. n.777.

TRACTATUS XXXVI.
De luxuria,& peccatis ex concupiscentia carnis provenientibus. n.795.

SECTIO I.
De fornicatione simpl. i. concubinatu & annexis intra eandem speciem. n.795.

SECTIO II.
De peccatis luxuriæ habentibus circumstantias contra alias virtutes. n.812.

SECTIO III.
De peccatis luxuriæ contra naturam. n.833.

TRACTATUS XXXVII.
De Sacramentis in genere: de Baptismo,& confirmatione. n.857.

SECTIO I.
De Sacramentis in genere.

XIII. Quid

III. Utrùm

TRACTATUS XXXXI.

De Bulla Cruciatæ.

SECTIO I.

Quid sit Bulla, & Bulla Cruciata: qualiter interpretanda: quo tempore sumenda: quibus prosit, & sub quibus conditionibus? n.1374.

SECTIO II.

De commodis spiritualibus, ac privilegijs Cruciatæ circa interdictum & cibos vetitos.

SECTIO III.

De facultate eligendi confessarium per Bullam, & de potestate confessarij per illam electi.

SECTIO IV.

De commissario Bullæ, & ipsius facultatibus.

SECTIO V.

De compositione.

TRACTATUS XXXXII.

De Sacramento ordinis & extremæ unctionis.

SECTIO I.

De ordinis essentia multiplicitate, effectu, officio.

SECTIO II.

De ordinis ministro & subjecto, ejusque ætate, scientia, & probitate.

SECTIO III.

De patrimonio ordinandorū, & temporibus ordinationis.

SECTIO IV.

De Sacramento extremæ unctionis.

TRACTATUS XXXXIII.

De Sponsalibus.

SECTIO I.

De natura Sponsalium.

III. Quibus

§§ 2 Quæst.

APPROBATIONES.

EGo Hieronymus Claramontius Societatis Jesv Visitator utriusque Provinciæ in Lusitania, potestate ad id mihi facta a Reverendo admodum P. nostro Goswino Nikel, facultatem concedo, ut opus inscriptum Promptuarium Theologicum resolutionum moralium, à P. B. Benedicto Pereyra Societatis Jesv compositum, & ejusdem Societatis gravium, doctorumque hominum judicio approbatum typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Ulyss. 6. Martij anno 1661.

Hieronymus Claramontius.

VIdi hunc librum, [cujus titulus est: ultimi quindecim tractatus posterioris Partis Summæ Theologiæ Moralis] compositum a Patre Benedicto Pereyra Doctore Societatis Jesv, ac Sancti Officij Qualificatore: nihil in eo inveni, aut Fidei Catholicæ repugnans, aut bonis moribus contradicens, imo est opus suo Authore dignum utpote doctrina & eruditione insigne, brevitate, & claritate insigni tum, ideoque typis excudendum censeo. In Conventu Sancti Francisci Civitatis Ulyssiponensis, die 10. Maij anno. 1671.

Fr. Antonius à D. Thomas Lector Primarius.

LIbrum istum vidi cujus titulus est: [ultimi quindecim Tractatus Summæ Tæeologiæ Moralis posterioris partis] Author Doctore Patre Benedicto Pereyra ex Societate Jesv, & Sancti officij Qualificatore; nihil continet quod aut offendat puritatem fidei, aut bonos mores. In Conventu Sancti Dominici Ulyssiponensi die 20. Septembris 1671.

Fr. Paulo Feo.

VIstas as informaçoens podese imprimir este livro ultimi quindecim tractatus posterioris partis Summæ Theologiæ Moralis, Authore o P. Doctor Bento Pereyra, & impresso tornará para se conferir, & se dar licença para correr, & sem ella naõ correrà. Lisboa 22. de Septembro de 1671.

Fr. Pedro de Magalhaẽs. *Alexandre da Sylva.*

POdese Imprimir. Lisboa em Cabido Sede Vacante 9. de Março de 1671.

Peixoto. *Godinho.*

DE mandato Serenissimi Principis, librum cui titulus est: Promptuarium Theologicum morale secundum jus cõmune, & Lusitanum. Ea diligencia, qua potui, perlegi. Autore M. Benedicto Pereyra Societatis Jesv Portuguallensi Borbano, Eborensis Academiæ olim primario S. Theologiæ professore, Apud Supremum S. Inquisitionis Tribunal, Censoreo Calificatore, &c. Nihil in eo reperi S. Romanæ Ecclesiæ fidei contrarium, aut offensivum. Quin potiùs multis Quæstionibus dignissimus est, quod Typis excudatur ad communem omnium Christianorum utilitatem, & instructionem. In Conventu Deiparæ de Jesv 15. Maij anno Domini 1671.

Fr. Georgius à Conceptione
M. Commissarius Provincialis.

QUE se possa Imprimir vistas as licenças do S. Officio, & Ordinario, & despois de impresso tornarà a esta Mesa para se conferir, & taixar, & sem isso naõ correrà. Lisboa 29. de Majo de 1671.

Monteyro. *Magalhaẽs de Menezes.* *Miranda.* *Carneiro.* *Roxas.*

VIsto estar conformẽ com original pode correr este livro. Lisboa 16. de Outubro de 676.

Manoel de Magalhaẽs de Meneses. *Manoel Pimentel de Sousa.*
Manoel de Moura Manoel. *Frey Valerio de S. Raymundo.*

TAyxão este livro em mil, & duzentos reis em papel. Lisboa 14. de Outubro 676.

O Marquez Mordomo mór P.
Magalhaẽs de Menezes. *Miranda.* *Carneiro.* *Roxas.*

TRACTATUS XXVI.

DE CULTU ERGA DEUM PER Orationem, horas canonicas, adorationem, & sacrificium.

SECTIO I.

De devotione, & oratione in communi.

QUÆSTIO I.

Quid sit religio, devotio, & oratio; & hæc qualiter necessaria?

1 CUM in hoc tractatu & nonnullis sequentibus agendum nobis sit de cultu, quem Deo exhibemus, & in illo tanquam in peculiari materia versetur religio, natura, seu essentia religionis, expedieda imprimis est. Religionem igitur definiunt Theologi cum *S.Th.2.2.q.81.a.1.* in hunc modum: *Est virtus moralis, quæ Deo tanquam omnium creatori, & Domino debitum cultum, & honorem exhibet.* Dicitur *virtus*, quia honestati & rationi valde consonũ est præstare Deo cultum debitum. *Religio quid sit.*

Dicitur *virtus moralis*, quia est pars potestativa justitiæ, utpote ad alterũ, nempe Deum, cui per debitum cultum jus suũ reddit. Non dicitur virtus theologica, quia non attingit immediaté Deũ, sed cultum ipsum exhibẽdum, sive internum, sive externum, & omnis virtus theologica, qualis fides, spes, & charitas Deum immediaté attingit tanquam objectum materiale propter objectum formale, quod est perfectio aliqua divina: nam fides Deum credit propter divinam veritatem, spes Deum sperat propter rationem summi boni nostri: charitas Deum amat proter divinam bonitatẽ in se ipsa amabilem: proindeq; Deum omnes tres attingunt immediaté. *Theologica virtus quæ.*

Dubium est, an religio, qua Deum colimus sit specie diversa ab illa virtute, qua sanctos ut tales colimus? Negat *Marsilius in 3.q.8.a. .in fine, & Lessius* hanc opinionem judicat probabilem *l b.2.cap. 36.n.16.* Affirmandum tamen est cũ *S.Thom, S.Bonav.* & alijs, quos citat ac sequitur *Suar.l.3.de habitu relig.c.5.n.4.* Patet, nam diversitas specifica virtutũ sumitur ex diversa ratione formali, ob quam tendunt ad materiale objectum: hic autem intervenit diversa ratio formalis: nam Deus colitur ob excellentiam increatam, sancti ob excellentiam creatã, quæ in illis est.

2 Quod attinet ad devotionem, sciendum est illũ vocari devotũ, qui se alteri devovet, hoc est addicit, ut serviat. Unde juxta *S.Th.q.82.a.1.* Devotio est actus voluntatis hominis offerentis se ipsum Deo ad ei serviendum: & fit dupliciter, 1. proposito, vel desiderio, 2. voto vel juramento: & hic posterior modus Deo gratior est, & magis proprius utpote ex rigoroso vinculo deviciẽte. *Devotio quid sit.*

Solet appellari devotio quædam sensibilis lætitia ex dicta oblatione pullulans: sed hæc proprié devotio non est, sed devotionis, seu oblationis illius effectus. Certé devotio spectat ad virtutem religionis tanquã illius materia, cũ sit signũ quo protestamur excellentiam Dei, cui tanquam excellenti subjicimur & devovemur.

Ut intelligamus quid sit Oratio, varié exponitur a SS.Patribus. Iuxta S. Aug.serm.230.de tẽpere dicitur *Ascensio animæ de terrestribus ad cælestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium.* Iuxta Damasc.l.3.de fide orth.c.24. *Oratio est ascensio mẽtis in Deum, sive ascendens in Deum petitio.* Iuxta S. Basilium orat.in Iulitam marty. *Oratio est boni cujusdam petitio, quæ a pijs ad Deum effunditur.* Ex quibus apud Theologos definitur cum *S.Thom.a.1.& 8.* in hunc modum: *Oratio est desiderij coram Deo explicatio, ut aliquid ab ipso impetremus.* *Oratio quid, & quo tuplex.*

3 Quotuplex autem sit Oratio, declaratur ab Azorio duplici divisione. Prior fit in mentalem & vocalem. *Mentalis* sola mente perficitur, nempe internum animi votum, affectum, & desiderium exprimit absq; ullo externo signo. *Vocalis* est quæ vocibus internos volũtatis affectus exprimit. Posterior fit in privatam & publicam. Privata est illa, quam privatus quilibet pro se, vel alio privato fundit. *Publica* est quæ totius Ecclesiæ nomine pro communi populi salute per publicos ministros, & plurimùm in loco publico funditur.

Dubium est, an oratio sit necessaria, & quãdo? Constat de fide contra nostri temporis hæreticos orationem esse valde honestam & utilem, utpote in sacris litteris multùm commendatam. Nam Christus Dominus *Vigilate & orate.* Matth. 26. S. Paulus. *Sine intermissione orate* 1. Thessal. 5. S. Iacobus, *Orate pro invicem ut salvemini.* cap. 5. *Orationis necessitas.*

Quærimus an sit necessaria necessitate præcepti? Sententia affirmativa, quæ vera est, sumitur ex verbis Christi *Oportet orare* Luc. 18. Deinde ratione, quia oratio quandoq; requiritur vel ad conservandam gratiam, sine qua illam perderemus succumbentes gravi tentationi, vel ad gratiam de novo acquirendam per legitimam pœnitentiam, ergo quandoq; urget præceptum de oratione

4 Maior difficultas est, quando sit necessaria? Cum enim præceptum sit affirmativũ, non obligat pro semper, sed diversis tẽporibus, seu opportunitatibus. *Valent.2.disp.6.q.2.p.3.Suar.l.1.de orat. cult.& Lessius l.2.de just.c.37.dub.3.* existimant tẽpus hujus obligationis definiendum esse prudentis arbitrio: & de illorum sententia *Palaus p.2.tract. 7.disp.2.punct.8.n.3.* credit dilationem integri mensis gravem esse. Quia morale periculum est in tali *Oratio quando obliget.*

ſpatio ſuccūbendi tentationi gravi ob defectum auxilij efficacis, quod oratione impetrandū eſſet.

Præterea ſolent. AA. aſſignare eventus, & opportunitates in quibus dicunt vigere talem obligationem. 1. quando urget graviſſima tentatio: & certé tunc teneberis ad orationē, ſi intelligas illam tibi eſſe neceſſariam, ut impetres a Deo auxilium efficax. 2. quando aggrederis opus aliquod arduum: & hoc ſimiliter temperandum eſt neceſſitate proxime explicata. 3. cum te diſponis ad obtinēdam primam gratiam Sacramento, vel contritione. Hoc tamen teſte *Suar lib. 1. de orat. cap. ult. n. 17.* regulariter a vero abeſt, quia ad recuperādam divinam gratiam ſufficit Dei auxilium ordinariū.

4 Quando proximus eſt in periculo graviter peccandi, a quo non niſi per tuam orationem averti poteſt; qui caſus raro continget: & tunc quidem ſi certó vel ſaltem probabiliter intelligas tuam illi profuturā orationem, ad eam ex charitate teneris. *Sylveſter v. Outro. q. 8.* duos addit caſus, alterum, quando homo incipit ratione uti: alterū quando adeſt Sacro. Vtrumque tamen rejicit, & bene impugnat. *Palam. citatus. n. 4. & 5.*

QVÆSTIO II.

Quidnam in oratione ſit petendum. & a quibus?

Oratione quid petēdum.

5 Conveniunt cū *S. Thoma. 2. 2. q. 83. a. 6. Valent. d. 6. q. 2. pun. 4.* poſt mediū. & *Leſſius. li. 2. c. 37. dub. 4. n. 21.* Licitum, & honeſtum eſſe beatitudinem ſupernaturalem, gratiam, charitatē, cæteraſque virtutes a Deo poſtulare abſoluté, conditionaliter veró alia bona ſive ſpiritualia, ſive corporalia, prout nempe ad obtinenda ſupernaturalia, & æterna poſſunt conducere.

Dixi (conditionaliter) quia bona temporalia, qualia ſunt cujuslibet artis peritia, ingenium perſpicax, divitiæ, honores, vita longa, bona valetudo, & ſimilia, cum plerumque noceant animæ ex malitia hominis, ſanum conſilium eſt quód a Deo abſoluté non petantur.

Bona temporalia etiam a Deo petenda.

Quærimus, an peccet qui dicta bona temporalia petit abſoiute, non appoſita illa, quam expoſuimus, conditione? Bene negat *Suar. l. 1. de orat. c. 17. n. 7.* aſſerens nullum eſſe peccatum petere abſoluté illa bona, etiam in abundantia, v. g. divitias, & honores. Quia abuſus periculum, quod in hujuſmodi rebus datur, non eſt proximum, & morale, ut quis a tali petitione obſtinere teneatur. Accedit certū omninó eſſe poſtulari poſſe abſoluté, & abſque ulla cōditione quæcunque Chriſtus Dominus Matt. 6. in oratione Dominica petenda docuit. At inter alia petuntur abſoluté bona tēporalia: nam quarta petio eſt panis quotidiani: dicimus enim ad Deum patrem: *Panem noſtrū quotidianum da nobis hodie*, ubi nomine panis, intelligunt interpretes bona omnia neceſſaria ad tēporalem vitam conſervandam.

Non immoror in oratione dominica per partes ſeorſim explicanda: quia illam præter ſanctos Doctores *Auguſt. l. 2. de ſerm. Domini in monte c. 4. Niſſ. hom. 2. Chryſoſt. homil. 14. & S. Thom. 2. 2. q. 83.* copioſé expoſuerunt *Valent. diſp. 6. q. 2. pun. 1. Leſſius l. 2. c. 73. dub. 4. & Suar. l. 3. de orat. c. 8.*

6 Circa alteram quæſtionis partem, a quibus nempe orandum, & petendum ſit, omiſſo errore hæreticorum aſſerentium nullum alium præter Deum invocandum eſſe, quem laté refellit *Bellarm. l. 1. de cultu Sanct. c. 15.* veritas de fide eſt Deū eſſe invocandum ut bonorū omniū authorē primū, ſanctos veró ut interceſſores apud ipſum, vel ut ex facta ſibi a Deo poteſtate aliqua bona nobis impendant. Ita *Suar. l. 1. de orat. c. 9. & 10. & Leſſius l. 2. c. 37. dub. 6.* Conſtat prior pars, cum Deus ſit fons, & cauſa bonorum omnium, a quo proinde omnia pendent. Poſterior definitur a Trident. Seſſ. 25. de venerat. Sanct. & probatur ratione, quia ſancti ſunt amici, & familares Deo, quibus proinde Deus favet, & eorum interceſſionibus annuūt ut ex S. Pagina in multis locis innoteſcit; ergo illorum interceſſio a nobis in oratione rationabiliter, & honeſtè petitur. *Oratio ad quos fundenda.*

Difficultas maior eſt, an poſſimus nos comēndare animabus Purgatorij; & orare ad ipſas? In negativam ſentētiam, quæ quidem probalior eſt, inclinant *Suar. l. 1. de orat. c. 10. n. 25. Valēt. 2. 2. diſp. 6. q. 2. pun. 7. & Azor 1. p. l. 9. c. 30. q. 4.* Ex *Navar. de orat. cap. 1. n. 22. & Sylv v. orat.* Quia cum non ſit certum ipſas in Purgatorio pro nobis intercedere, vel noſtras cognoſcere orationes, videretur otioſum, preces ad ipſas fundere. *Purgatorij animæ an orandæ.*

Quia tamen probabile eſt illas pro nobis orare, & cognoſcere noſtras preces per Angelos ſuos vel noſtros cuſtodes, probabile etiam eſt nos poſſe abſque peccato illas invocare noſtris orationibus, ut citans alios tenet *Bonac. diſp. 1. de bonis canon. q. 1. pun. 1. in fine.* Nec diſſentit *Suarius citatus.*

QUÆSTIO III.

Qui poſſint orare, & pro quibus.

Circa priorem quæſtionis partem, certum eſt 1. Chriſtum dominum etiam in vita immortali pro hominibus orare, juxta illud ejuſdem. *Ego rogabo Patrē, & alium paraclitum dabit vobis. Ioan. 14.* Et juxta Apoſt. *Semper vivens ad interpellandum pro vobis.* Ad Heb. 7. Ratio eſt, nam Chriſtus quà homo, inferior eſt Patre, & ſpiritu ſancto; ergo illis perſonis poteſt ſe ſubmittere, ut ad illas fundat preces. Eſt enim oratio actus religionis, proindeque inferioris ad ſuperiorem. Ex quo manifeſté deducitur nullam perſonam divinam quà talem poſſe orare, cum nulla ſuperiorem habeat. *Oratio a quibus fieri poteſt.*

7 Certum eſt 2 omnes homines viatores ſive juſtos, ſive injuſtos dummodó fideles ſint, poſſe orare. Nam juſti orare poſſunt pro ſe ipſis, & alijs juſtis, ut in juſtitia conſerventur: injuſti pro ſe ut a peccato reſipiſcant. Dixi (dummodò fideles ſint) Quia nos loquimur de oratione, quæ eſt ſupernaturalis religionis actus, qui proinde ſine fide haberi nequit: juxta illud Apoſtoli: *Quomodò invocabunt in quē nō crediderunt?* Ad Rom 10.

Certum eſt 3. Angelos beatos, & animas hominum in cælo exiſtentes orare pro nobis, & orando noſtras Deo offerre orationes, eaſque iterum atque iterum præſentare, cum ſciant id

Deo

Deo acceptissimum esse. Certum est 4. apud S. Thom.q.83.a.11.& Suar. l.1. cit.c.11. posse beatos orare pro se in ijs quæ spectant ad beatitudinem accidētalē secus in ijs quæ pertinēt ad essentialē. Ratio est, quia possunt petere quæ nondum possident, qualis est pars beatitudinis accidentalis, v.g. impletio numeri prædestinatorum, vel glorificatio corporum: cum vero petitio sit rei non possessæ, & omnis essentialis beatitudo jam a beatis possideatur, fit, ut peti nequeat. Certum est.5. nō posse damnatos veram facere orationē. Nam fide carent, & pium affectum habere nequeunt, ex summo odio, quo Deum insectantur Possunt tamen aliquid a Deo petere naturali petitione, sicut petiit Diabolus ab illo, ut permitteret tentare Iobum. Iob. 1. & 2.

8 Cum deinde constet animas Purgatorij orare pro se petentes a Deo, ut excitet fideles, quó satisfaciant pro ipsis, sola est difficultas an possint pro nobis orare? Negat comūnis opinio, quam tenent *Alens.4.p.q.91.mem.4.& Navarr in Enchir.de orat. in porrel.n. 26 & 29.* ex eo quod illæ animæ ignorent nostras necessitates, & sint potius in statu satispatiendi, quam impetrandi.

Nihilominus satis probabilis est affirmativa sententia, quam tuentur *Valent 2.2.d.6.q. 2.pun. 6.& Bellarm.lib.2.de Purgat.c.15.* quibus adhærent *Lessius l.2 c.37.dub 5.n. 3.& Suar.l.1 de orat.c.11. n.16.* Ratio est, quia tales animæ sunt in charitate Dei ex qua nos diligunt: neque status in quo sūt neque pœnæ, quas sustinent, illam impediunt ab oratione pro nobis facienda.

Oratio pro quibus facienda. 9 Circa alteram quæstionis partem de ijs pro quibus orandum est, constat.1.ex *Apost.1. Timoth. 2.* orandum esse pro omnibus viatoribus, tam fidelibus quam infidelibus, tam amicis quàm inimicis. Constat 2. salubre esse pro animabus Purgatorij orare, ut a peccatis solvantur, & a durissimo illo carcere ad cælum evolent. Constat 3 ex definitione Innocentij *3.c.cum Martha, de celebrat.Missar.* non posse orationem fundi pro damnatis utpote a beatitudine omninó exclusis, & obstinatis in odio Dei.

Constat 4. pro beatis non esse ita orandum, ut petatur conservatio beatitudinis illorum: quia illi sciunt beatitudinem sibi debitam, & a Deo concessam, proindeque infallibiliter non auferendam. At posse orari pro aliqua accidentali gloria, quæ illis adveniat, vel ex prædestinatorum multitudine, vel ex corporū glorificatione, vel ex laudatione facta in cælo ob pœnitētiam peccatoris, tenent *Bellar.l.2.de purg.c.18 & Suar.l.1.de orat.cap.14.n 4.*

Oratio pro omnibus obligatio. 10 Difficultas est, quomodò intelligēdum, & observandum sit id quod commendat Apostolus, *Obsecro fieri orationes pro omnibus hominibus.* 1. Timoth.2 Et rationem subdit, quia Christus pro omnibus mortuus ést. Videtur obstare 1. quia in collectione omnium sunt multi reprobi, pro quibus ut a beatitudine exclusis orare non licet. 2. quia sæpe orat quis honesté pro amicis tantum, vel pro consanguineis, vel pro se ipso; ergo non semper tenetur orare pro omnibus. Respondemus verba Apostoli vel esse intelligenda de oratione cōmuni, quam offerte Ecclesia pro omnibus, a qua non licet aliquem ex hominibus viatoribus excludere: vel si intelligantur de oratione privata, non esse accipienda collectivé, ita ut semper debeat quis orare simul pro omnibus: cum sciamus Christum orasse aliquando pro solo Petro, & Stephanum pro solis inimicis; sed esse accipienda divisivé, ut modò pro his, modò pro illis oretur. Certe in hoc consentiunt *Suarez, Valentia, & Lessius* citati dati in nobis obligationem orandi pro quolibet proximo etiam inimico, quoties ille nostra oratione extremè vel graviter indiget, & nos probabiliter credimus nostram illi profuturam esse orationem.

QUÆSTIO IV.

Quomodò orandum sit: seu quibus circunstantijs & conditionibus ut impetrentur petita.

Sicut ad infallibilem impetrationem, quæ est verus effectus orationis legitimæ requiruntur certæ conditiones a nobis infra exponendæ, ita ad legitimam orationem postulantur certæ circunstantiæ, quas jam exponimus. *Orationis vera circunstātia.*

1 Circunstantia est voluntas orandi formalis vel saltem virtualis, seu implicita. Cum enim oratio sit actus humanus, supponit necessarió voluntatē, quæ liberè ad ipsam terminetur. Vnde qui legit breviarium sola voluntate studendi non orat, sed studet.

11 2 Circunstantia est attentio: nam oratio est locutio, est ascensio mentis in Deum, & est cultus latriæ, ex quo triplici capite exigit attentionem, quæ in oratione vocali tripliciter haberi potest. 1 ad verba. 2. ad illorum sensum. 3. ad Deum: & quælibet ex his tribus attentionibus sufficit ad orationem, ut docent *Valen.disp. 6.q.2.p.9. & Suar.l.3.de orat.c.4.n.8.*

3 Circunstantia est pietas, ut ex hac oratio evadat cultus religionis. Consistit hujusmodi pietas in eo quod propter finem honestum honesta a Deo petantur. Sunt hujusmodi tres circunstantiæ omninó necessariæ, ut oratio sit h[illegible]ctuosa. Nam orationis legitimæ fructus triplex est, scilicet meritum, satisfactio, & impetratio, hic tamē ultimus peculiaris, & proprius orationis fructus est, & si adsunt omnes requisitæ conditiones, infallibilis. *Orationis fructus.*

Cum verò impetratio, si habeat omnes conditiones, sit infallibilis, juxta Christi verba, *Petite, & accipietis.* Math.7. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Ioan.16. quærimus quænam sint hujusmodi conditiones? *S.Thomas*, quem cōmuniter Theologi sequuntur, 2.2.q.83.a. 15. recenset quatuor, Prima est, ut petat necessaria, vel utilia ad salutem. Hanc omnes meritó recipiunt: quia petere inutilia ad salutem est contra voluntatem Dei, & peccatum. Suar.l.1.de orat.c. 23.n.5. meritó non audet arguere peccati gravis illum qui petit indifferentia nullo apposito fine honesto. *Impetratio infallibilis*

12 Secunda conditio est ut oratio sit pia, hoc

pe per fidem, spem, & charitatem. De fide, & spe, constat ex illo Domini: *Si habueritis fidem, & non hæsitaveritis dicetis monti*, &c. Matth. 21. & ex illo Iacobi. 1. Postulet autem in fide nihil hæsitans. De charitate satis patet ex illo. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis.* Joan. 15. At non videtur ad hujusmodi infallibilitatem omnino requiri charitas, ita ut existẽtes in peccato excludantur: quia verba Christi utpote generalia illos comprehẽdunt, præsertim illa: *Omnis qui petit accipit, & qui quærit invenit.* Matth. 7. Semper tamen peccatori abesse debet actualis voluntas manendi in peccato, & dari aliqualis a peccato exeundi.

Tertia conditio est, ut in orando detur perseverantia, & satis constat ex *Luca* 18. *& Apost. ad Rom. 12. & 1. Thessal. 5.* Solet enim Deus quandoq; nõ statim annuere postulantibus, ut in his crescat desiderium, & beneficium pluris fiat. Illud pro comperto habet *Suar. l. 1. de orat. c. 26 n. 3.* Si spirituale est quod petitur, semper petitionem bonũ aliquem sortiri effectum. Nam si non concedatur res postulata, datur tamen quod petenti magis prodest. v. g. si petat a se amoveri tentationem, & id non impetrat: tamen obtinet vel victoriam, vel diminutionem tentationis, vel alijs gravioribus non urgeri.

Quarta conditio est, ut quis oret pro se ipso; & sanè congruit doctrinæ *S. Aug. in Ioann. tract.* 102. Nihilominus præter citatos authores, juxta *Toletum in Ioan. c. 16 annot.* 30 Satis probabile est ex defectu hujus conditionis non deficere infallibilitatem impetrationis. Nam verba S. Paginæ citata, & alia quæ poterant citari, sunt valde generalia, & non limitantur ad orationem pro solo orante faciendam. Deinde ad mutuam charitatem magis provocabimur, si intelligamus posse nos æquè pro alijs ac pro nobis postulata obtinere.

13 Rogabis 1. an datis omnibus requisitis in orationem, concedet petitum Deus ex justitia, an ex fidelitate? *Ioan. Medina tract. de orat.* asserit concedere ex justitia. Asserendum tamen est cũ *Valen. & Suar.* citatis concedere ex sola fidelitate. Quia illa petitio solum postulatur ut conditio ad effectum, & non tanquam opus recompensandum.

Rogabis 2. an oratio quæ offertur pro multis æquè prosit singulis, ac si pro singulis offerretur? Negandum est cũ *Medina cod. de orat. q. 1. Navarr. de orat. c. 20. n. 48. Azor. tt. 1. l. 9. q. 7. & alijs.* Quia impetratio licet fundetur in largitate, & misericordia Dei infinita, tamen fundatur etiam in congruitate ipsius petitionis magis vel minùs ferventis: & petitio pluribus applicata, non æquè congruit singulis, ac si pro singulis fieret. Nam singuli in petione cõmuni, confuse, in petitione particulari expressé attinguntur.

Merceeiras. Rogabis 3. sitne aliquid in jure Lusitano spectans ad vocales preces, seu orationem vocalem? Solum inveni in *Ordin. li. 1. t. 62. n. 6.* hæc verba. *E onde ouver obrigação de aver merceeiras* (loquitur ordinatio ad Provisores) *verão se ha as que a instituição declara, & se são bem providas. E quando vagar alguma merceria, a pessoa que tever carrego de a apresentar, a fará dentro de hum mes & não o fazendo, o provedor as proverá per si.* Est autem *merceria* seu *merceeira* quædam mercenaria precatura, sic dicta a mercede pro qua conducti precatores, vel precatrices tenentur ad preces vocales pro aliquibus fundendas, & solent ferme per testatores institui.

14 Circa quod certum est tales precatores vel precatrices teneri ex justicia preces illas a testatoribus seu institutoribus mandatas recitare. Nam ibi intervenit pactum conducti, & locati, quod inducit obligationem justitiæ inter daturũ mercedem, & præstiturum opus. Dubium esse potest, quomodó excusetur ratio simoniæ, cum ibi videamus ex una parte temporale pretium, & ex altera opus spirituale, nempe orationem piam? Respondetur excusari ea ratione qua stipendium quod datur celebranti Missam, vel recitanti Horas canonicas in choro. Quia in nullo ex dictis casibus confertur pretium pro ipso opere sancto, sed pro labore qui in illo impenditur: juxta illud. *Dignus est operarius mercede sua. Luca* 10.

Horæ canonicæ privatim recitandæ.

SECTIO II.

Quæ personæ teneantur privatim recitare horas canonicas?

QVÆSTIO I.

An & quomodó teneantur clerici recitare officium divinum?

HOc *pensum* sic dictum quasi tributum pendendum, alio nomine appellatur *Officium divinum* quasi antonomastice divinum, quia nullũ aliud potest congruentius pro honore, & laude divinitatis exerceri. Alio etiam nomine dicitur. *Horæ canonicæ*, quia juxta canonicas sanctiones certis horis recitari debet. Apud *Navar. de hor. can. cap. 7. n. 1.* sic definitur: Est oratio publica sub certo numero. 6. psalmorũ, lectionum, & aliorum hujusmodi a sanctis patribus ad laudem Dei ordinata, & per septem congruentes horas distributa.

15 Inquirimus an clerici teneantur ad hoc pensum solvendum, seu officium divinum recitãdum? Teneri, & quidem sub gravi culpa clericos in sacris constitutos, quales sunt Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, vera, & receptissima sententia est, quam aliqui intendunt probare ex *c. Presbyter, de celebrat. Miss. & c. dolentes, eod. tit.* *Clerici obligati ad officiũ divinum.*

Sed cum ex his textibus non convincatur, rectiùs docent *Suar l. 4. de orat. c. 16. n. 9. Azor. 1. p. l. 10. c. 5. q. 1. & Navar. de horis can. c. 7. a n. 2.* talem obligationem solum probari ex consuetudine legitimé præscripta. Procedit resolutio de suscipiente liberé ordinem sacrum: si enim coactè suscipiat, non tenetur, nisi postea uti velit tali ordine. Ita *Sanch. de matr. l. 7. d. 29. n. 7. & 9.* Idem affirmat de ordinato ante pubertatem. *disp. 30. n. 10. & a n. 12.*

Idem

Idem credo de clerico tam soluto quam conjugato: etiam si compelleretur justè per Pontificē sacerdos fieri; quanvis in nullo authore id expressum invenerim. Denique clericos in sacris etiam excōmunicatos, suspensos, irregulares, vel degradatos teneri, reste cum multis affirmat *Fragos. p. 2. de hor. can. §. 4. n. 3*

16 Quid de clericis in minoribus? Neque ad horas canonicas, neque ad officium B. Virginis, neque ad Psalmos, & canticum graduum esse obligatos, rectè affirmant *Lessius l. 2. c. 37. dub. 9. n. 46. & Vasq. de benef. c. 4. §. 1. dub. 2.* Difficultas est, an Episcopus possit ijs clericis suæ diœcesis talem injungere obligationem? Negant obsolutè *Lessius l. 2. c. 37. n. 46. & Soto l. 10. de just. q. 5. a. 3.* qui bus adhærent *Azor l. 10. c. 5. q. 4 & Suar. l. 4. de orat. c. 16. in fine* si resolutio procedat de officio racitando in perpetuum: affirmant tamen de officio bis, vel ter recitando.

Nihilominùs affirmant absoluté posse illis talem obligationem perpetuam injungi ab Episcopo, *Navar. de hor. can. c. 7. Bonacina disp. 1. de hor. can. q. 2. p. 3. n. 2. & Palaus de hor. can. disp. 2. p. 1. §. 1 n. 4.* qui addit. n. 5. nullibi de facto tale præceptum esse; & addit cum *Soto. l. 10. q. 3. a. 3 & Valen. disp. 6. q. 2. p. 10 §. 2.* quando Episcopus aliquos psalmos vel letanias injungit recitandos ordinandis, nolle eos obligare sub peccato gravi, sed ex quadam decentia, & honestate.

Ordinatorum clericorū obligatio.

QUÆSTIO II.

An & quomodo teneantur beneficiati ad horas canonicas?

Omnes habentes beneficium sive curatum, sive simplex teneri ad officij divini recitationem, habetur ex *Cōcil. Lateran. sub Leone X. sess. 9. de reform. Curiæ §. statuimus* & ex motu *Pij. V.* qui est 138. edito anno. 1572. 12. Kalen. Octob. At sicut diximus de ordinato, procedit de habente beneficium sponte, & non coactè: si enim beneficium coactus accepit, non tenetur, nisi velit stipendio frui: quia tunc censetur remittere coactionē. Adde obligationem illam recitandi esse adeo personalem, ut illi non satisfaciat beneficiatus, si per alium recitet. Nam Alexander. 7. anno. 1665. dānavit hanc propositionem. *Habens capellaniam Collativam aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.*

Beneficiati ad officium divinum.

17 Rogabis 1. quæ dicantur beneficia ad effectum subeundæ talis obligationis? Certum est dici beneficia Episcopatum, Rectoriam, canonicatum, Dignitatem, præposituram, & similia. In dubium veniunt Prastimonia, capellaniæ. vicariæ, Pensiones, & coadiutoria. Dico 1. quanvis præstimonia, & cōmendæ proprié beneficia non sint, tamen veniunt beneficij nomine, ut inducant talem obligationem. Ita *Vasq. de benef. cap. 4. §. 1. dub. 3. & Suar. de hor. can. c. 22. n. 10.* & 15. De præstimonijs constat ex constitutione Pij. V. manifestis verbis illa comprehendentis. De commendis patet, & intelligitur de illis quæ factæ sunt in utilitatem commendatarij: nam sicut hic percipit fructus, ita debet subire onera. Secus est de cōmēdis factis in utilitatem ecclesiæ: nam de illarum fructibus cōmendatarius non disponit. Vide *Garciam de benef. p. 3. c. 1. n 106.*

Præstimonia, & cōmendæ.

Dico. 2. quanvis ad effectum obligationis ut recitetur officium divinum, sit beneficium capellania collativa, quæ scilicet Episcopi authoritate erecta ab ipso confertur, tamen beneficium non est pensio, neque coadiutoria, & probabiliter neque Vicaria beneficij uniti alicui religioni, aut ecclesiæ parochialis vacantis. Hæc omnia varijs citatis authoribus tradit *Palaus de orat. disp. 2. §. 2. a n. 3.* Cōstat de capellania: habet enim omnes cōditiones, seu qualitates postulatas ad beneficium. Deinde pensio non est beneficium, cum non detur propter officium ecclesiasticum.

Capellania collativa.

Pensionarius ad officium divinum.

At pensionarius ex bulla. Pij. V. tenetur recitare officium B. Virginis, si habeat pensionem tanquam clericus, scilicet initiatus saltem prima tonsura: secus si habeat titulo seculari, nempe sub onere aperiendi fores, vel gubernandi horologium, vel quia de ecclesia benemeritus. Imo si postquam accepit titulo clericali, & nondum habens ordines sacros fiat miles ordinis militaris cum indulto retinendi pensionem, obligationi recitandi satisfaciet, si recitet orationes Dominicas, & Angelicas ex præscripto sui ordinis. Ita *Palaus cit. n. 6.*

Quid quando pensio fuit uni reservata tanquā capiti in utilitatem alterius: quis ex illis tenetur ad officium. B. Virginis? Dicunt aliqui utrūque. *Filliu. tr. 42. c. 9. n. 17.* credit teneri illum in cujus capite ponitur. Sed *Frag. p. 2. l. 10. di. 22. §. 4. n. 24.* asserit teneri illum qui pensionis comodo fruitur. Utraque opinio probabilis est.

18 Constat de coadjutoria, & vicaria, quia coadjutor non est beneficiatus, cum solum post mortem proprietarij beneficium obtineat: deinde vicarius ille solum est beneficiati substitutus, sicut ille qui a proprietario, ob ejus impedimentum nominetur: ergo neque coadiutor, neque ille vicarius tenetur ad officium divinum.

Rogabis 2. an beneficiatus deobligetur ab officio divino recitando, quando beneficium est valde tenue? Cōstat ex *Suar. l. 4. c. 19. n. 6.* quando fructus nulli sunt, nulla esse obligationē, quia tūc nullum datur beneficium. Si vero fructus sint ita tenues, ut non sufficiant ad bonam partem moderatæ clerici sustentationis, illum esse omhinò de obligatum tenent *Dominicus Sotus. l. 10. de just. q. 5. a 3.* cui absolutè aadhærent *Petrus Ledesma 2. to. sum. tract. 9. c. 4. cond. 6. diff. 4. Rodr. to. 1. sum. cap. 140. n. 3. Vega. 1. p. c. 128. casu. 13.* Quod credit probabile *Lessius. l. 2. de just. c. 34. n. 169.* de beneficio. non attingente quindecim nummos aureos singulis annis. Consentit *Vasq. de ben ex c. 4. §. 1. dub. 5. in fin.* si beneficium habet alia onera ob quæ dari possit.

Beneficiū tenue ad obligationē officij recitandi.

Nihilominus opposita opinio asserens beneficium exiguos fructus habens obligare ad recitādum officium divinum diebus singulis, defenditur

tur à *Suario lib.4.c. 21.n.3.Gracia de benef.3.p.c.1.n 39.& Bonacin.disp.1.de hor.can.q.2.pun.4.n.17.* a quibus citantur varij, & omnino tenenda est. Patet, quia ex *Concil.Later.& Bulla Pij V.* tale onus annexum est beneficio absque ulla distinctione pinguis & tenuis: sed habens tenues fructus est verũ beneficium; ergo obligat.

Si petas a me quid judicem de probabilitate opinionis Dominici Soti omninó de obligantis,respondeo mihi non esse probabilem,saltem in varijs casibus.1.si tenue illud beneficium habeat annexum aliquid, v.g.Missas,& assistentiam in choro, quod si exequaris per te ipsum, obtinebis saltem tertiam partem suæ moderatæ sustentationis. 2. si tale beneficium nullum aliud onus habeat,præter recitationem officij divini.3.si beneficiatus ille habeat plura beneficia tenuia,ex quibus magna ex parte sustentatur,licet quod libet sit insufficiens.

Beneficiatus nullos percipiens fructus. 19 Rogabis 3. an sit obligatus recitare propter beneficium,qui nullos omninò actu fructus percipit? Respondeo varios esse casus in quibus, procul dubio,talis beneficiatus obligatur.1.si culpa sua fructus non percipit, ut quia excõmunicatus,suspensus,vel absens.Cõsentiunt *Vasq.de benef.c.4 §.1.dub.6.n.25.& Suar.lib.4.de hor.can.cap.20. n.12.* Obligatur 2. si pro aliquo tẽpore non percipiat fructus copiosos, percepturus tamen si in choro velit assistere,vel aliud munus talis beneficij exercere.

Obligatur 3. si de præsenti nihil percipiat, at in posterum se speret percepturum. Obligatur 4. si ex resignatione beneficium accipiat cum onere satisfaciendi ejus muneri & præstãdi fructus omnes in pensionem resignantis. At si accipiat solũ beneficij titulũ,pensionario veró relinquantur beneficij fructus,& administratio: rectè docet *Garcia* multos citans *3.p.cap.1.a n.55.* illum non teneri,sed pensionarium.

Quid si beneficium nullam postulet administrationem,ut præstimonium? Obligabitur resignatarius, si ex resignatione accepit beneficium, cujus fructus suo consensu fuere reservati resignanti.Quia virtualiter donavit illos fructus,quos recipere posset. At si fructus reservati fuere ex prædecessoris sui consensu,deobligabitur. Quia non possidet beneficium,sed titulum illius: cum jus percipiendi fructus non possideat.Ita multi apud *Bonac.d.1.q.2.p.4 n.21.*

Quid si per injuriam a percipiendis fructibus impediatur, neq;habeat spem sibi aliquando esse restituendos? Non esse obligatum recitare, benè docent *Lessius lib.2.c.34 n.168. & allegans* varios *Garcia 3.p.cap.1.n.45.* Quia nemo ad officium obligari potest,nisi ob acceptum,vel accipiendum stipendium. Quid si non obstante *Tridentino sess. 24.de refor.cap.14.& Pio V.prohibente,* vigiat in aliqua ecclesia consuetudo,qua caveatur ut primo vel secundo anno possessionis beneficij beneficiatus nullos fructus, distributiones, vel emolumenta recipiat, sed applicentur fabricæ,vel alteri pio operi,obligabitur ne pro illo tempore ad recitandum? Quamvis probabiliter negetur talis obligatio,tamen probabilius affirmatur,ut docent *Suar.li 4.de hor.can.cap.20.n 6.& 14. Azor l.b.10. c.4 q 4 & Bonac.disp.1.de hor.can.q.2.p.4.n.23.* Ratio est, nam qui suscipit beneficium, censetur velle illius obligationẽ statim subeundam, si nõ præsenti emolumento,saltem spe futuri.

20 Rogabis 4.an teneatur recitare qui habet solum titulum beneficij cum spe possessionis, & fructus,vel requiratur pacifica possessio? Omissis varijs sententijs, Dico 1. Tenebitur recitare, si stetit per ipsum ne obtineret possessionem. Ita *Suar.l.4.c.19.a n.7.& Garcia de benef.p.3. cap.1.n.85.* Quia æquum non est, ut illius culpa beneficium debito obsequio careat. *Possessio benefic. ad recitationem.*

Dico 2.Esto litigiosam beneficij possessionem habeat,si administrat beneficium sperans certus moraliter sibi esse applicãdos fructus servitio debitos,tenetur recitare:secus si moralis illa certitudo deficeret.Ita *Lessius c.34.n.173.& Bonac.* citans multos *d.1.de hor.can.q.1.p.4.n. 26.* Quia par est ut subeat onus qui morali certitudine sperat cõmodum:secus,si ita non speret.

Dico 3.Habens titulum beneficij, si lite, vel alia de causa sibi involuntaria impediatur capere possessionem,non tenetur recitare.Ita *Suar. Garcia,& Bonac.citati.* Ratio est, quia nõ benè cohæret cum onere certo stipendium incertum.

Rogabis 5. an satisfaciat unica recitatione in die,qui habet plura beneficia,quotum quod libet obligat ad recitandũ? Rectè affirmant multis citatis *Suar.lib.4.c.18.a n.1.& Bonacina d.1.q. 2.pun. 4.n.27.* Quia sicut Ecclesia quando duo festa eodem die concurrunt, non intendit obligare ad duplicem Missam audiendam,ita conferens aliud beneficium jam habenti non intendit multiplicare obligationem,sed eam novo titulo imponere. Secus accidit Capellano habenti multas capellanias:illis enim unica Missa non satisfacit. Quia in capellano respicitur utilitas defunctorum, in beneficiato utilitas ipsius.

21 Quidnè?habens beneficium,& pensionem simul,satisfacit obligationi,quam habet pensionarius recitandi officium B. Virginis, si solum recitet divinum ?Bene affirmat *Suar.l.4 c. 22.a n. 6.* quia obligatio recitandi officium B. V.solũdatur sub conditione quod non recitet canonicũ. Ilud notabis cum *Salas 1.2.tr.13. d.p.3.sect.2.n. 17. & Bonac.d.1.de hor.can.q.2.p.4.n.27.* obligatum ex duplici beneficio ad unum officium, si illud omittat, cõmittere unum solũ peccatum, sed gravius. Quia sub varijs illis titulis præcipitur eadem res,& sub unica ratione,scilicet recitatio in laudem Dei.

Rogabis ultimò,an impediens injustè alium a possessione beneficij teneatur pro illo recitare officium? Affirmant *Suar.l.4.c.19.n.10.& Bonac. d.1. q.2.p.4 n.28.* Quia per injuriam debito obsequio Ecclesiam privat.Negandum tamen probabilius est cum *Garc.p.3.c.1.n.120.* quem sequitur *Palaus d.2.p.1 §.2. n 30.* Quia beneficiatus juxta probabilem sententiam non tenetur ex justitia recitare,sed ex solo Ecclesiæ præcepto:aliter qui impediret

diret injustè alium die festo ab auditione sacri, teneretur pro illo sacrum audire. Prædictus igitur solum tenebitur cessare a lite injusta, vel dimittere beneficium, si injustè illud habeat.

QUÆSTIO III.

An religiosi obligentur ad recitationem divini officij?

Religiosorum obligatio ad officium divinum. Constat esse de obligatos religiosos qui sunt equites militares: deinde illos qui sunt religionis ex suo statuto non addictæ choro: similiter omnes conversos, qui sunt ad temporalia munia destinati: tandem novitios, ut pote religiosi nomine in oneribus non comprehensos. Quæstio solum est de religiosis choro deputatis; & hos omnes teneri ad officium divinum sive in choro sive privatim, quando choro adesse nequeunt, recitandum: non quidem ex aliquo jure scripto, sed ex consuetudine legitimè præscripta, docent cum vera, & cōmuni sententia *Vasq. de benef. c. 4. §. 1. dub. 11. Suar. to 2. de rel. l. 4. c. 17. n. 6 & Bonac. d. 1. de hor. can. q. 2. p. 2. a n. 1.* Et procedit tam de viris quàm de monialibus professis.

Officij recitandi obligatio in religiosis. 22 Dubium est 1. an talis consuetudo inducat gravem obligationem? Negant aliqui authores. Nam *Medina in instruct. c. 19.* inclinat in opinionem negativam, quam probabilem dicit *Saa V. horæ can. n. 1. in Complutensi editione. Aragon. 2. 2. q. 83. a. 11. dub. 4.* putat non peccare lethaliter religiosum qui bis vel ter privatim divinum officium omitteret. Laxius opinatur *Caietan. in sum. V. horæ can.* affirmans talem consuetudinem non videri ita receptam, ut obliget sub præcepto. Dicēdum tamen est cum reliquis doctoribus talem consuetudinem inducere obligationem gravem, ita ut peccet mortaliter semel omittens talem recitationem. Nam consuetudo illa obligat religiosos, sicut præceptum clericos in sacris. Vide *Dianam p. 2. tr. 12. resol. 17.*

Dubium est 2. an religiosus dispensatus a Papa ut vivat extra claustrum, eximatur a prædicta obligatione? Negat *Suar lib. 4. de hor. can. cap. 17. n. 8.* quem sequitur *Palaus citatus § 3. n. 4.* Distinguendum tamen est cum cōmuni sententia apud *Sotū de just. l. 10. q. 5. a. 3. & Bonac. d. 1. q. 2. n. 4* itaut si dispensatio sit in perpetuum, ab obligatione eximatur: secus si pro tempore limitato. Nam dispensātus ut extra claustrum perpetuò vivat, a choro omninò liberatur, proindeq; etiam a chori deputatione. Igitur liberatur ab obligatione privatim recitandi, quæ loco obligationis ad chorum succedit. Unde tenebitur privatim recitare religiosus, qui a perpetua chori assistentia, sed non a claustro eximatur.

Religiosi extra claustrū tenentur ad officiū divinum. 23 Dubium est 3. an prædictæ obligationi subjaceant religiosi fugitivi, ejecti, vel ad triremes damnati? De omnibus his negat *Bonac. d. 1. q. 2. p. 2. n. 6.* quasi degentibus extra statum choro deputatum. *Sanch. l. 8. Matr. d. 8. n. 11 & Lessius* id admittunt de ejecto, & ad triremes damnato, non de fugitivo, quasi huic, & non illis liberum sit ad claustrum redire. Affirmandum tamen est de omnibus, cum *Suario l. 4. c. 17. n. 9.* Quia religiosus extra monasterium non dicitur esse extra statum religiosum: aliter quicunque iter faciens, vel peregrinus sic esset. Accedit quia prædicti non debent ex sua iniquitate exemptionem illam, & cōmodum reportare.

SECTIO III.

Quod officium debeat recitari, quomodò, quo tempore, quo ordine, quo loco, quo habitu, & situ corporis.

QUÆSTIO I.

Quod nam officium teneantur recitare supradictæ personæ, nempe clerici beneficiati, & religiosi?

Officiū quale recitandum. QUanvis *Angelus V. Horæ n. 12.* asseruerit ordinatos ad titulum patrimonij posse recitare officium juxta formam, quæ illis magis placuerit, quia nulli Ecclesiæ addicti sunt: hoc tamen male assertum est, utpote repugnans Bullis Pij V. & Clementis 8. ex quibus omnes tenentur recitare juxta formulam Breviarij Romani ejusdem Pij V. & Clem. 8. ijs duntaxat exceptis, qui spectant ad diœceses, vel religiones, in quibus est antiquior recitandi modus ex institutione, vel consuetudine approbata, quæ ducentos annos excedat. Hoc tanquam certum docent cum multis *Suar. l. 4. c. 23. n. 4. Lessius c. 37. n. 75. Reginal. l. 18. n. 168. & Bonac. d. 1. de hor. can. q 3. p. 2. n 4.*

24 Nota exceptos potuisse, non privata authoritate, sed ex consensu Episcopi, vel si religiosi exempti sunt, ex consensu sui Prælati, & totius capituli, scilicet maioris partis, admittere Breviarium Pij V. & Clementis 8. excluso suo vetustiori, itaut semel admittentes, ad pristinū redire nequiverint.

An Episcopus possit statuere ut clerici suæ diœcesis recitent officium alicujus sancti extra Calendarium, & rubricas breviarij? *Tamburinus l. 2. Decal. c. 5. § 2. n. 5.* negat id posse constitutione perpetua, affirmat posse una, vel altera vice. Idem ait procedere de prælatis regularibus respectu suorum subditorum. At nec Episcopus, nec tales prælati absq; approbatione Pontificis possunt instituere officium pro aliquo sancto, vel festivitate. *Obligatio recitandi tale officium.*

Apud *Quintanaduenbas tra. 8. sing. 7. n. 3. & Tambor. l. 1. dec. c. 5. §. 3. n. 31.* capellanus Monialium potest se conformare in recitatione cum ipsis Monialibus in officijs peculiaribus talis religionis. Addit *Quitanad. tr. 8. sin. 8. n. 2.* idem procedere de clerico sæculari habente beneficium in Ecclesia regularium.

An clerici tertiarij possint recitare officium illorum ordinum, quorum sunt tertiarij; Respōdet *Quintan. tr. 8. sing. 18.* posse, si habitum a Pontificibus assignatum, qui est distinctivus ab alijs sæcularium deferant. Ita ex privilegio Pauli 3.

An clerici confratres Carmelitarum discalceatorum qui tantum deferunt scapulare, & faciunt

unt quæ in bullis Pontificijs assignantur, possint recitare de omnibus festis, & sanctis ordinis, eo modo quo recitant fratres, & moniales ejusdem ordinis. Negat *Quintan .tr.8. singul.* 18.eo quód non appareat tale privilegium. Affirmat tamen *Fr. Anton. a Spiritu Sancto in suo direct.tr.*3. *disp.*3.§.2.*n*67.dicens dari privilegium collatum a Gregor.13.

Obligatio recitandi tale officium. Rogabis 1.an præceptum dictum obliget sub culpa gravi recitare juxta Breviarium Romanum singulis diebus. Negant *Reginal. in prax.lib.*19. *n.*171.*& Navar.c.*19. *n.* 217. dicentes non esse lethale omittere uno vel altero die recitando juxta aliud Breviarium. Affirmandum tamen est cum omnibus infra citandis,ex ratione manifesta,quia ex subiecta materia & intentione Pontificum illa obligatio est gravis; ergo graviter obligat singulis diebus.

Rogabis 2.an qui cum suo antiquo, & peculiari Breviario māserunt,possint aliquando privatim recitare juxta Breviarium Romanum? Affirmant *Caietan.V.Hor.*§.2.*& Sà V.Hora to.n.*6.quod reputant probabile *Lessius c.*37.*n.*74.*& Suar.l.*4.*c.* 23.*n.*9.*fine*,quasi illi solum teneantur suo peculiari Breviario uti in choro. Negandum tamen probabilius est cum *Valen. d.*6.*q.* 2.*p.*1.§.3.*Gracia de benef.p.*3.*c.*1.*n.*155.*Suario & Lessio* citatis. Quia Bulla Pij V.nihil de illis exemptis disponit, sed eos relinquit dispositioni juris cōmunis: jus autē commune *c.de his, & c.placuit.*12.*dist.*præcipit ut omnes recitent suæ ecclesiæ officium.

25 Rogabis 3.an beneficiatus qui tenetur ad Romanum officium,si Mediolani cōmoretur,recitare teneatur juxta Ambrosianum ibi receptū? Respondetur negativé. Quia si talis Mediolani existat transeunter,uti non potest Ambrosiano, utpote solum concesso domiciliarijs: si verò ita moretur ut fiat quasi domiciliarius, potest uti quo maluerit, vel Romano, vel Ambrosiano: Romano,quia ex Mediolanensi habitatione,non desinit esse beneficiatus Romanus. Ambrosiano, quia per illam habitationem censetur clericus talis diœcesis. Quid si beneficiatus Mediolanensis Romam pergat: quonam ibi utetur Breviario, Romano, an Ambrosiano? Constat posse uti Romano: & credit probabilius *Palaus d.*2.*p.*2.*n.*6. Romano uti obligatum esse. Quia privilegium utendi Ambrosiano solum intelligitur, & practicatur de clericis Mediolanensibus intra diœcesim existentibus.

Episcopus quid possit circa officium divinum. Rogabis 4.an possit Episcopus, quando juxta Romanum recitatur de feria,vel aliquo sancto, præcipere ut omnis clerus suæ diœcesis celebret,& recitet de alio? Rectè existimat *Palaus citatus n.* 10. & 12.posse,si talis sanctus sit illius diœcesis patronus, vel naturalis,vel ibi notabiles illius reliquiæ sint.Hoc enim est consonum Constitutioni Gregorianæ concedenti ut de tali sancto officium recitari possit:non posse tamen de alio sancto id in perpetuum statuere,sed tantum de canonizato,una;vel alia vice, si urgens causa occurrat, & Pontifex adiri nequeat.

26 Rogabis 5. An detur obligatio recitandi officium Virginis,Defunctorum,Psalmos pœnitentiales,& graduales?R.cum *Bonacina* varios referente *d.*1.*q.*3.*p.*1.*n.* 22. utentes Breviario Pij V. non teneri extra chorum prædicta recitare,quia sic explicatur in Bulla:alios verò sui loci observare debere consuetudinem. Excipitur dies cōmemorationis defunctorum,in quo officium illorū dicendum est,sicut & Letaniæ tempore Rogationum,& die S.Marci,ab ijs qui non intersunt processionibus.Sunt enim partis officij illius diei.Oppositum tenet *Carolus Macig.c.*29.*n.*18. & indicat *Vasq.de benef.c.*4.§.1.*a.*2.*dub.*1.*fin.* ubi citat alios. *Officium B.Virginis,& defunctorū in præcepto.* *Letania quando recitādo.*

Rogabis 6.sit ne peccatum addere vel diminuere aliquid de officio canonico? Videtur non esse peccatum addere aliquid concomitanter ad maiorem solemnitatem,sicut addi solet cantus ad organum,vel aliud musicum instrumentum. Si veró addatur,vel diminuatur aliquid etiam minimum tanquam pars divini officij, peccatum est saltem veniale,ut docent *Suar.l.*4.*de hor.can.c.* 15. *& Filliuc tract.*23.*c.*6.*q.*11.recté docentes mortale esse minimum addere, vel detrahere animo ut in perpetuum sic duret. Quia illa perpetuitas gravis est,accedente usurpatione jurisdictionis,& introductione novi ritus.Nota impleri præceptū recitandi quanvis detur notabilis additio: secus si detur notabilis minutio. *Introductio novi ritus.*

27 Rogabis 7.quid dicendum,si quis officiū canonicum recitet lingua aliqua non Latina? *Bell.* Recté docet *l.*2.*de verbo Dei c.*15.*& Suar.to.*2.*relig.c.* 7.*n.* 8. præcepto satisfieri quoad substātiam, quia hæc non tam ex idiomate tali vel tali,quám ex sensu,& dispositione orationis constat: peccat tamen graviter si fiat aliquoties, vel publicé. Nam qui recitet sic aliquoties privatim, videbitur parvi pendere generalem morem Ecclesiæ qui publicé vel semel,populo occasionem scandali,& erroris præbebit.

Officium pro officio in recitatione. Rogabis 8.an qui die quo de sancto recitandū est, recitat de feria,vel,& contra,satisfaciat præcepto?Satisfieri precepto quo ad substantiam, & solum dari peccatum veniale, tradunt *Silvest.V. hora can.q.* 2.*& Sà V.eod.n.*12.*quod* probabile credunt *Less.l.*2.*c.*37.*n.*77.*& Vasq.de benef c.*4. §.1.*dub.* 2.Oppositum tamen tenendum est cum *Suar.to.* 2.*relig.l.*4.*c.*11.*n.*6.*Regnal.praxi l.*18.*n.*177.*Filiuc. tr.*23.*c.*8.*q.*4.*n.*186.*& Bonacin. d.*1. *de hor.can.q.*3.*p.* 2.*n.* 17.qui multos citant.Suadetur, quia præceptum non solum est in genere recitandi juxta formam Pij V.sed etiam in specie recitandi tale de sancto, & tale de feria:proin deque non facit rem præceptam qui sic non recitat. Accedit novissimé *Cordeirus de parocho p.*1.*tract.* 8.*q.*9.*n.* 8. ubi affert decretum Urbani 8.per quod (ut credit) tollitur omnis probabilitas partis contrariæ,nisi talis mutatio fieret bona fide per inadvertentiam. Quia tunc existimet durare adhuc talem probabilitatem,ita ut talis mutans non teneatur repetere ea quæ spectant ad proprium officium. Quod etiam (ait) est de mente Suarij citati cap. 23.n.12.& 13.Dicit enim ibi si officium sit pe- *Mutatio unius officij.*

ne

ne æquale in quantitete, etiam si mutatio fiat ex levi occasione, non esse culpam gravem: item si ex inadvertentia culpabili fiat mutatio, non teneri quem matutinum repetere. Alexan 7. anno 1665. damnavit hanc propositioné: In die *Palmarum recitans officium Paschale satisfacit præcepto.*

QVÆSTIO II.

Quomodo recitari debeat divinum officium?

28 MOdus recitandi officium cōveniens ac præceptus, habetur *c. Dolentes, de celebrat. Missar.* ubi in virtute S. obedientiæ, & sub pœna suspensionis Innocentius 3. præcipit omnibus obligatis ad recitandū, ut officium divinum nocturnum ac diurnum celebrent studiosé simul, & devotè. Quaré explicatio adverbiorum *studiosè, & devotè* præstabit decisionem quæstioni divisæ in duas partes.

Quoad priorem partem *studiosè*, pro recitatione stdiosa tria postulant Doctores, 1. ne omittantur verba. 2. ne mutilentur. 3. ne ωmitatantur. Nam deficiente quolibet, ex his, non studiosé, sed negligenter recitabitur. Omittere verba accidit frequenter, quando in versiculo, omissis verbis intermedijs, priora ultimis junguntur, & tūc, procul dubio, juxta quantitatem omissionis, peccatum erit grave aut leve. Nam tunc omittuntur aliqua, & quæ proferuntur, sine omissis nullum sensum faciunt, proindeque etiam omissa censentur. *Lessius tamen lib. 2. c. 37. dub. 10. n. 56.* propter inadvertentiam, balbutiem, & consuetudinem credit excusari aliquando, sed raró.

Verborū omissio in recitatione.

Addit bené *Diana p. 4. tr. 3. resol. 68. ex Homobono Vol 2. p. 5. resp. 210.* dubium an omiserit Psalmum aliquem non teneri ad repetitioné, si conjectet probabiliter illud dixisse, quia nempe habuit voluntatem recitandi, & meminit se horam incepisse, & librum tenuisse. Imó, si sit scrupulosus, ei debet injungere confessarius ne repetat.

29 Mutilare & truncare verba, quod fit syllabas abscindendo, & absorbendo, si sensus verborum retineatur, non est contra substantiam officij, ut tenet *Fillrucius c 7. n. 242.* Idem procedit de canente ita celeriter, & abscindentes yllabas, ut audientes nequeant verba percipere. Unde, *Lessius citatus* putat peccare solum venialiter qui sic voluntarié recitat, & nullo modo qui involūtarié aqui escit *Suar. l. 4. c. 25. n. 6.* At si per mutilationē perdatur sensus, & significatio idem est dicendum quod nuper diximus de omissione.

Mutilatio in recitatione.

Interruptio officij extra chorū sine causa, esi peccatum lethale credatur a *Medina de orat. q. 6. Navarro c. 16. n. 75. & Azorio p. 1. l. 10. c. 8. q.* nisi fiat animo rependi, at probabilius est nec lethale esse, neq; ex illa dari gravem oblig tionem repetendi. Imo *Palaus disp. 2. p. 3.* cum *Lessio l. 2. c. 37. n. 57. & Bonacina disp. 1. de hor. can. q. 3. p. 2. §. 1. n. 27.* sentit excusari a peccato, qui ex aliqua causa justa separet Psalmos a lectionibus, vel unumPsalmū ab alio. Nam quilibet Psalmus, in 6. & versus quilibet suam distinctam ab alio significationem vendicat. Vide quæ de interruptione satis ample, & benigne dicunt Pellizar. tr. 5. cap. 8. n. 79. & Tabur. lib. 2. dec. cap. 5. §. 6. n. 11.

Interruptio in recitatione.

Dubium est 1. an recitans, ut præcepto satisfaciat, sic proferre debeat, ut verba audiantur? Quāvis *Bonacina de hor. can. d. 1. q. 3. pun 1. §. 1. n. 23.* dicat sufficere motum labiorum, quamvis nec ipse recitans se ipsum audiat: hoc tamen mihi non probatur. Verba enim quæ audiri nequeunt, non videntur verba, sed motus quidam in gutture, seu inter dentes facti, qui inchoant, sed non absolvunt verba. Dicendum igitur est cum *Suario l. 4. de hor. can. c. 7. n. 6. & Fulluciio tract. 23. c. 3. n. 117.* eum qui solus recitat, ita distincté, & clare debere proferre, ut se ipsum audire possit, nisi aliquod impedimentum detur. Si veró recitet cum socio, ita debet proferre ut audiat socius, atque adeo si uterque est obligatus, nō satisfaciet nisi ex mutua prolatione detur mutua auditio.

Auditiō in recitāte.

Recitandi cū socio.

30 Dubinm est 2. quando recitas cum socio quæ proferre debeas: & an satisfacias, si ita festinus recites, ut jam incipias proferre quæ tibi competunt, quando ille postrema sui versiculi verba proferr? Respondeo ad primum cum *Suario lib. 4. c. 25. n. 5. & Bonac. citato q. 3. §. 1. n. 11.* te esse obligatū recitare alternatim versus Psalmorum: non sic reliqua. Nam si socius recitet omnia responsoria, antiphonas, capitula, orationes, & lectiones, & tu attendas, satisfacies.

Respondeo ad secundum cū *Toleto l. 2. c. 13. n. 9. & Reginaldo l. 18. tr. 2. n. 146.* te recitantem non satisfacere, quia non potest attendere ad verba alia diversa, quando tua profers: aliter satisfaceres, si eodem tempore quo socius suum versiculum profert, tibi competentem proferres. Illud satis probabiliter defendit Portel V. Horæ n. 8. te recitantem cum socio habente privilegium recitandi anticipatè, vel cum Breviario brevi, satisfacere. Nam quod privilegium disponit in uno correlativo, ad alterum extendi debet.

Quoad posteriorem partem de adverbio illo *devote* conveniunt interpretes ad *c. Dolentes* cit. ad devotam recitationem postulari intentionem, & attentionem. Ad intentionem sufficit virtualis voluntas faciendi rem præceptam, quam voluntatem censeris habere, quando more solito Breviarium ad recitandum assumis, ut recté docent *Suar. l. 3. de orat. c. 3. n. 6. & Lessius l. 2. c. 37. n. 71.* Addo te satisfacere quamvis habeas intentionem nō, sati faciendi. Peccesne, an non in tali intentione? diximus *tra 7. de legib. n. 179.*

Intentiō cū atētiō ad recitandū.

31 Pro officio devoté recitando ea necessarió exigitur attentio, quæ sufficit orationi, & supra a nobis exposita est n. 11. Cum veró ut quis satisfaciat præcepto recitandi, sufficiat quód vel attendat ad verba, vel ad sensum, vel ad solum Deū præsentem, saltem generali intentione Deum laudandi, & colendi, & hanc intentionem possit habere occupatus rebus nonnullis exterioribus, quæ

Attentio in recitādo.

quæ nõ multum distrahunt mentem, v.g. lavãdo manus, vel se vestibus induẽdo, sit ut *Sotus de just. l.10.q.5.a.5. Vasq. de benef. c.4.§.1.a.2.dub.5. & Bonac d.1.q.3.p.2.n.12.§.2.* rectè dicant sic recitantem satisfacere.

Attentio prædicta duplex est, altera actualis, & datur quando mens actu occupatur circa objectum: altera virtualis, & habetur, quando mens incipit occupari in principio actionis, sed postea involuntarié distrahitur. Conveniunt omnes ad satisfaciendum recitationi sufficere attentionem virtualem: & nullo modo satisfacere illum, qui recitat cum voluntaria distractione externa, v.g. ridendo, & confabulando cum alijs, vel alia faciendo quæ sunt incompatibilia cum attentione. Quia hic nullo modo orat: secus ille qui virtualiter attendit.

Distractio recitãtis. Difficultas est an satisfaciat, qui recitat habens volũtarié distractionem solum internam, proindeque carens omni attentione interna, etiam virtuali? Negandum est cum *Suar. to.2. Rel. l.4.c.26.n.3. Vasq. in 2.p.to.2.disp.160.n.30 Salas de legib. d.9. sec.9.n.24 Fragozo p.2.l.10.d.22.§.3.n.7. & Diana p.2.to.12 resol.2.* ubi pro hac parte citat triginta septem authores. Ratio est manifesta, quia Pontifex in *c. Dolentes* ad impletionem hujus præcepti sicut exigit studiositatem, ita & devotionem: devotio autem est actus internus, ut pote voluntatis, ut constat ex dictis supra. n. 2.

32 Cum veró opposita sententia affirmativa, absoluté defendatur a *Sylv. V. hora n.17. Medina cod. de orat. q.14. Durando, Angelo. S. Antonino, Rosella, Paludano.* quos ex recentioribus sequuntur *Ægidius, Belanus de sacram. in 3.p.q.83.a.6.n.291. & Io. Valerus in differentijs utriusq; fori V. Horæ can. diff. 1.* Illamque absoluté judicent probabilem *Lessius l. c.37.n.63. fine Henriq. l.9.c.25.n.5.n. glos. lit. P. Victorellus in sum. Toleti l.2.c.13. Layman in Theol. mor. l.4.tr.1.c.5.n.10.* & innuat *Fragos. citatus n.7.* negare non possunt eam habere probabilitatem saltem extrinsecam ex authoritate.

QUÆSTIO III.

Quo tempore, ordine, loco, habitu, & situ corporis sit recitandum?

Tempus ad recitandũ. Ex *cap. Dolentes, de celebr. Missar.* Bulla Pij V. & consuetudine recepta, satis perspicuum est obligatos ad divinum officium, teneri illud recitare totum singulis diebus: proindeque totum intra ambitum uniuscujusque diei, qui incipit a media nocte antecedentis diei, & finitur media nocte sequentis. Quacunque hora talis diei recites horas diurnas, vel nocturnas, substantiam præcepti implebis. At si absque causa prævenias anticipando, vel differas postponendo, ut Completorium mane, Primam vespere recites, erit peccatũ veniale, non autem mortale: quia pro officio privato non videtur materia gravis. *Anticipatio, & postpositio divini officij.* Ita *Suar l.4.c.27.n.8.* Ubi dicit, si fiat postpositio moderata, etiam sine causa nullam esse culpam: si fiet extraordinaria, esse solum venialem.

33 Ex recepta consuetudine nec veniale est recitare Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam tribus horis post solis ortum, sicut Vesperas, & completorium secunda hora post meridiem. Similiter absque ullo peccato poteris recitare crastinum Matutinam cum Laudibus statim post hodiernas Vesperas, & Completorium, quæ in Cathedralibus Solent absolvi hora quarta post meridiem: juxta *Filliuc. tr.23.c.8.n.275.* imò hora tertia cum dimidia, juxta *Lessium l.2. Iust. c.37.a.n.78.* & expressius *Bonacinam d.1. de hor. can. q.3.p.3. fine*, qui dicit tribus horis post hodiernum meridiem posse recitari crastinum Matutinam, in quo consentit *Gavantus sect. 1. casu. 5. tit. 6.n.6.* Intra tertiam, & quartam horam pomeridianam recitari posse docet *Suar. l.4. de hor. can. c.26.n.14.* ubi addit hoc posse fieri tam hyeme, quam æstate. *Matutinũ quo tempore recitandũ.*

Diana p.4.tr.4.res.9. existimat probabilem opinionem *Sanchez in opusc. to.2. l.7.c.2.dub.37.n.4.* asserentis posse recitari hora secunda post meridiem Unde non judicat reum peccati mortalis illum qui in Quadragesima, in qua vesperæ dicũtur ante prandium, Matutinũ statim post prãdiũ. vide *Leandrum tr.6.d.13. & alios* recentiores qui pro sua benignitate videtur loqui nimis laxé.

34 Notat 1. *Sanch.* citatus *dub.35.n.5.* sine ulla culpa veniali posse recitari parum ante, vel parum post horam destinatam choro: ubi credit cum quodam Magistro docto illud parum ante, vel parum post, esse horam dimidiam, aut tres quadrantes, & ad summum unicam horam.

Notat 2. *dub.36.n.3.* esse causam justam, ut vitetur omnis culpa, si scholasticus differat Horas in vespertinum tempus, eo quód matutinum studio aptius quám vespertinum est. De quo nos latius in nostra *Academia n.1599. & 1600.*

Rogabis 1. pro omni scrupulo, & metu culpæ vitando, quod nam sit tempus pro recitandis singulis Horis definitum. Respondeo cum authore *Summæ Dianæ*, qui ex suo *V. Hora can. n.46.* sic habet: Matutinum dici debet ab occasu solis usque ad auroram, Laudes vel unâ cum Matutino, vel seorsim illucescente jam die: Prima, oriente sole: Tertia aliquanto post: Sexta adulto jam die: Nona prope prandium. Vesperæ, post prandium: Completorium prope noctem. Vide *Fragosum p.2.l.10.d.22.§.1.r.9.* qui alio modo tempus præfinit. *Horæ canonicæ quo tempore recitandæ.*

35 Rogabis 2. qualiter teneatur recitare clericus, beneficiatus, & religiosus ea die, qua suscepit sacros ordines vel beneficium, vel fecit professionem? Bené respondet *Palaus . pun.4.n.3.* ex *Suario l.4.c.27.n.8. & Bonacina d.1.q.2.p.5.n.9.* tales non teneri ad integrum officium, sed ab illa parte, a qua incepit obligatio. Unde qui accepit ordines, vel beneficium, vel professionem hora undecima ante meridiem non tenetur recitare Matutinum illius diei, neq; Primam, neque Tertiam, sed ad summum Sextam, & sequentes. Quia (inquit) ab illa hora undecima incepit obligatio: & nullus obligatur ad recitandas horas cum illarum postpositione, nisi suo tempore obligatus esset illas recitare. Qui eadem die ante sus- *Officij divini obligatio ea die qua quis ordinatus.*

susceptum ordinem, officium recitavit, non satisfecit. Quia nō datur satisfactio obligationis, ubi obligatio nulla est.

Ordo offic. recitandi. Circa ordinem qui consistit inter officia, ut officium unius diei praecedat officium diei sequentis: inter horas, ut Matutinum cum Laudibus praecedat Primam, haec Tertiam, & sic de reliquis: inter partes cujuslibet horae, ut Psalmi, lectiones, & antiphonae recitentur eo ordine quo in Breviario ponuntur: *Vasq. de benef. c. 4. §. 1. a. 2. dub. 4. n. 66.* asserit peccare mortaliter, qui talem ordinem invertit, v. g. recitando Primam ante Matutinum.

At dicendum omninò est eum qui sine ulla causa invertit ordinem inter officia, ut si dicat Matutinum sequentis diei ante quam dicat vesperas diei praesentis: vel inter Horas, ut si reciter Tertiam ante Primam, solum peccare venialiter: & nullam esse culpam, si adsit causa rationabilis, ut quia invitatur ab amico ad Tertiam, non recitata Prima. Quia transgressio illa est in materia levi, & haec manet licita ex causa. Ita cū multis *Suar. l. 4. c. 24. n. 4. & Bonacina d. 1. q. 3 p. 4.*

36 Major dubitatio est si invertatur ordo in eadem Hora, ut si in Matutino recitentur priùs lectiones quàm Psalmi, similiter priùs capitula, & preces quam Psalmi. Haec enim videtur gravis transgressio ex ablatione formae consistentis in ordine praescripto ab Ecclesia. Dicendum tamen est cum authoribus citatis solum esse peccatum veniale, si talis inversio fiat sine contemptu, & gravi scandalo. Quia partes cujuslibet Horae habent significationem seorsim completam, pro qua non pendent inter se.

Missa ante Matutinū recitatū. Rogabis, an sit peccatum mortale dicere Missam Matutino nondum recitato? Affirmabant antiqui Canonistae, quasi contra talem inversionem daretur grave praeceptum Pij V. in rubricis Missalis. Negandum tamen omninò est cum *Suar. cit. l. 4. c. 24. n. 6. Lessio l. 2. c. 27. n. 81. Vasq. de benef. c. 4. §. 1. a. 2. dub. 3. n. 65. & Bonacina* multos referente *d. 1. q. 3. p. 4. n. 11*. Quia de hoc *Rubricae quomodo obligant.* nullum extat praeceptum, saltem grave. Accedit quod rubricae (ut notat *Palaus d. 2. p. 4. n. 6.* non semper continent praeceptum, sed aliquando consilium. Ex quo innuit nec veniale esse dicere Missam, non recitato Matutino. Quomodò obligēt rubricae, vide Suar. to. 3. in 3. p. disp. 82. sec. 1

Locus ad recitandum. 37 Ex dictis satis constat qualis sit dies Ecclesiasticus intra quem praecepto recitandi satisfieri potest. Unde Papa Alexan. 7. anno 166. rectè damnavit hanc propositionem *Unico officio potest quis satisfacere duplici praecepto pro die praesenti, & crastino.*

Denique circa locum, corporis habitum, & situm nihil peculiare in jure statutum est: sed solum in Concil. Basil sess. 21. generaliter dicitur: *Ac tali in loco, unde a devotione non retrahantur*. Quare, cum Ecclesiastico jure nihil peculiare decretum sit quoad locum, vel quoad habitum, & situm corporis, nempe quòd recitetur flexis genibus, stādo, quiescendo, ambulando, domi, aut campo, ea decentia in his omnibus servanda est, quam naturalis ratio postulat. Ita Suar. l. 4. de hor. can. c. 27. n. 1. & 2. & Bonacina citatus pun. 6. ubi addit Sedere, cum standum est, vel stare cum flectēdum est ex praescripto rubricae, nullū esse peccatum: quia id in rubrica non videtur praecipi, sed consuli causa maioris devotionis.

Quid si fiat recitatio in locis immundis, vel distractioni expositis? *Resp. Palaus n. 7.* esse peccatū ad minimum veniale ex irreverentia. Hoc fateor, sed existimo posse tolli, & vitari omne peccatum, & irreverentiam, data causa rationabili: sicut ex opposito dicunt authores communiter de copula matrimoniali quae habetur in loco sacro.

38 Quid si recites Horas canonicas dum venter exoneratur? Respondet *Sotus l. 10. de just. q. 5. a. 4. fine* id non carere culpa. Meliùs resolvit Sanches id licere si aliae circumstantiae concurrant. Probat, quia potest quis ibi mente orare; ergo, & voce. Item potest alias orationes vocales recitare ad elevandum mentem in Deum, & divertendum a cogitationibus immundis, ut optimè docent *Navar. c. Quando c. 5. art. 8. & Iosephus Angles floribus quaest. Theolog. mater. de orat. fol. 329.* ergo & Horas canonicas.

SECTIO IIII.

Quanta sit obligatio praecipuè in clericis recitandi Horas canonicas: & sub quibus poenis.

QVÆSTIO I.

Quanta sit obligatio ad recitandum.

QUando sect. 2. egimus de personis obligatis ad officium divinum, statuimus quales clerici, quales beneficiati, & quales religiosi teneantur illud recitare. Modò inquirimus quantitatem obligationis, nempe sub quanta obligatione teneantur? Cum constet obligationem recitandi officium divinum esse gravem, & ideo communiter reprobetur *Aragon.* qui in 2. 2. *q. 83. art. 12.* affirmat omissionem integri officij unius vel duorum dierum in anno esse levem, tota difficultas est decidere quaenam sit pars notabilis officij, ut ejus omissio mortalis sit, & quae parva, cujus omissio sit venialis. *Officij divini omissio in qua quantitate mortalis est.*

39 Sit resolutio ex *Suario l. 4. de hor. can. c. 25. n. 15. & 16.* Quaecunque ex septem horis etiam minima est pars notabilis, v. g. Tertia, vel Completorium. Dicunt aliqui esse etiam partem sufficientem ad mortale, notabilem respectivè in qualibet hora, nempe tertiam partem. Sed non videtur, (inquit bene *Suar. cit.*) gravitas hujus materiae petenda ex quantitate partis aliquotae, seu arithmeticae, nempe quae sit pars tertia vel quarta alicujus horae, sed ex quantitate absoluta ejus partis quae omittitur, considerata etiam ejus dignitate, & deformitate, quae officio divino affertur. Unde si unica hora coalescat ex Matutino, & Laudibus, quarta ejus pars sufficiet ad mortale,

tale, cum videatur non sufficere dimidia pars Cõpletorij. Absolute autem sufficiet illa quantitas quæ adæquet unam horam etiam minimam.

Ab hac resolutione Doctoris eximij non recedit *Palaus de hor. can. d. 2. pun. 5. n. 1.* existimans quamlibet horam parvam, aut illi æquivalens esse partem notabilem. & non aliud. Pro quo citat *Lessium l. 2. c. 37. n. 52. & Bonacinam disp. 1. q. 5. p. 1. n. 2.* Ratio est, quia totum, & integrum officium coalescens ex septem horis cadit sub unicum præceptum, cujus unica materia est: hoc autem posito, levis materia censetur quæ non attingit quantitatem horæ parvæ, cum partem duodecimam materiæ præceptæ non attingat.

His resolutis judico acquiescendum, & non *Marchino de sacr. Ord. trat. 2. p. 6. diff. 3. n. 5.* asserenti intergram parvam horam non esse quantitatem notabilem respectu totius officij, quod integra præcepti materia est: neque *Caramueli in Regul. 5. disp. 111. n. 1408.* arbitranti octavam officij divini partem esse materiam gravem, levem autem quid quid est minus octava parte.

Omissio notabilis in recitatione publica. 40 Illud recté observat *Suar. citatus c. 13. n. 3.* dari diversitatem inter publicam, & privatam recitationem: nam in publica, unà cum quantitate omissæ partis, quam in uno Psalmo credit notabilem esse, ponderanda etiam est gravitas ejus, & publica deformitas, quæ indé nascitur. Unde ibi gravius est omittere versum *Deus in adjutorium* quàm alicujus Psalmi quatuor versus. Deinde gravius est omittere canticum *Magnificat* quám quenuis longissimum Psalmum. Sicut in Missa gravius est omittere unum verbum ex Canone, quàm integram orationem extra illum.

Hæc omnia cum *Merolla to. 1. disp. 2. c. 4. dub. 7. diff. 3. n. 127.* tradit *Diana p. 5. tr. 5. resol. 26. § . Notandum est*, & sibi videtur contrarius prout *p. 2. tr. 12. resol. 41.* fine docuerat cum Bonacina, eam partem, quæ excusat a mortali in recitatione Horarum privata, excusare in publica.

Ex dictis sequitur esse gravem materiam, quæ sufficit ad lethale, omittere vesperas in sabbatho sancto, quid quid negent *Pelizarius tr. 5. c. 8. q. 3. & Tambur. l. 2. de cel. c. 5. §. 2. n. 11.* qui n. 14. dicit esse probabile non dari præceptum sub mortali recitandi officium defunctorum in die cõmemorationis omnium defunctorum.

Rogabis 1. utrùm omittere omnes Horas unius diei sit unum peccatum, an septem pro numero Horarum? R. cum Vasquio de benef. c. 4. §. 1. a. 2. dub. 5. n. 7. Suario cit. c. 25. n. 18. & Bonacina disp. 1. q. 5. p. 1. n. 8. omittentem integrum officium cõmittere unicum peccatum, sed gravius, quàm si unicam umitteret Horam. Sicut gravius peccaret omitens Missam integram quàm si notabilem partem omitteret. Quod verò illa omissio officij integri unicum sit peccatum, satis probatur ex unico præcepto quo iniungitur *c. Dolentes* cit.

41 Rogabis 2. utrùm obligatus recitare officium ex ratione triplici, nempe ordinis, beneficij, & religionis, cõmittat unium simplex peccatum, vel unum cum tribus circunstantijs in confessione declarandis, vel triplex peccatum? *Palaus d. 2. p. 5. n. 3.* citans *Henriq. l. 5. paenit. c. 5. n. 6. & Garciam de benef. 3. p. c. 1. n. 14. & 125.* existimat cõmitti unum simplex peccatum sine circunstantijs mutantibus speciem, quasi tam per clericum, religiosum, & beneficiatum violetur unica virtus religionis. *Sanch. de Matr. l. 9. disp. 15. n. 6.* sub finem, & *Bonacina d. 1. de hor. can. q. 5. p. 1. n. 4.* cũ alijs relatis dicunt in clerico sacrorum ordinum simul beneficiato esse duo peccata specie distincta, cum violetur duplex virtus specie diversa, nempe religio ad quam tenetur ex clericatu, & justitia, ad quam tenetur ex beneficio: siquidem beneficium illi collatum fuit propter officium.

Hæc posterior opinio ut valde probabilis mihi placet, dumodó addamus in tali clerico simul beneficiato esse unum peccatum cum duplici circunstantia mutante speciem, proindeque in confessione declaranda, in clerico tamen religioso esse unum simplex peccatum. Quia in hoc religioso unica offenditur virtus, nempe religio, in illo beneficiato duplex virtus, scilicet religio, & justitia per eandem actionem.

QUÆSTIO II.

Sub quibus pœnis teneatur beneficiatus recitare officium canonicum, & pensionarius officium Virginis? *Beneficiatorum non recitantium pœna.*

NOn quærimus de clerico neque de religioso non beneficiatis, & non pensionarij. Quia hi omittentes dicta officia soli culpæ, & nulli pœnæ ecclesiasticæ subjecent. Sola est quæstio de beneficiatis, & pensionarijs ut pote recipientibus fructus ecclesiasticos sub onere recitãdi.

42 Circa beneficiatos omittentes: eos nullam aliam ipso jure subire pœnam præter restitutionem fructuum perceptorum, bené observavit *Suar. cit. l. 4. cap. 29. n. 1.* ex *Concil. Later. sub. Leone. X. sess. 9. §. statuimus.* Quod decretum confirmavit, declaravit, innovavit, & auxit *Pius V. in sua Constit.* quæ incipit *ex proximo.* & data 12. *kalend. Octobris* 1571. Ubi imponitur pœna restitutionis fructus beneficiatis non recitantibus post sex primos menses ab adepto beneficio.

Nota illos beneficiatos omittentes, teneri in conscientia restituere tales fructus ante ullam sẽtentiam judicis. Hoc enim est adeo certum, ut Alexander 7. damnet propositionem oppositam, quæ est hæc *Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis nõ recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis, eo quod sit pœna.*

Restitutio beneficiati non recitantis. Dubium est 1. an beneficiatus non recitans primo illo semestri teneatur ad restitutionem? Affirmant graves authores, quos sequuntur *Palaum. 2. 2. disp. 6. q. 2. p. 10. §. 8. Azor 1. p. l. 10. c. 14. & Vasq. 1. 2. disp. 160. n. 32.* qui dicunt teneri non quidem jure ecclesiastico, sed jure naturali, cum acceperint fructus illos propter officium *Suarius cit. n. 11. & 12.* ita hanc opinionem tenet, ut dicat necessarium non esse quód restitutio fiat in bonis

nis temporalibus, cum in spiritualibus fieri possit ut si beneficiatus post alios sex menses recitando suppleat quod omisit. Imo potest satisfacere per alias preces arbitrio prudentis, v.g. per integrum rotarium, vel per Missam tot diebus repetitam pro illa intentione.

Nihilominus judico probabilius cum *Lessio l.2. c.34. n.129. Vasquio* sibi contrario *de benef. c. 4. §.1. art.1. dub.8. & Bonacina d.1. q.5. p.2. n.9.* beneficiatum illo primo semestri nulli esse restitutioni obnoxium ob omissam recitationem. Quia solum teneretur jure naturali ex pacto, si v.g. Ecclesia illi concederet fructus sub conditione recitandi: sed non concessit sub illa conditione, nisi post primũ semestre; ergo antea tales fructus non debet.

43 Dubium est 2. qualiter, seu quos fructus teneatur restituere beneficiatus culpabiliter omittens recitationem post illud semestre? Respondeo teneri restituere pro rata fructus, quos post illud semestre percepit. Qualiter in particulari restitutio omissioni correspondere debeat, verbis perspicuis declarat Pontifex. *Statuimus* (inquit) *ut qui horas omnes beneficij, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent si quotidie dividerentur: qui verò Matutinum, tantum dimidiam qui caeteras omnes horas, aliam dimidiam: qui harum singulas, sextam partem fructuum ejus diei amittant.*

Dixi (culpabiliter) quia si beneficiatus omittens excusetur a culpa ob aliquam causam, etiam excusabitur a restitutione, ut docent *Suar. l. 4. c. 30. n.17. Lessius l.2. c. 34. n. 181. & Bonacina d.1. de hor. can. q.5. p.2. n.4.* Dixi (post illud semestre) quia non tenetur restituere fructus quos primo illo semestri percepit, etiam si postea omittat recitare Ita *Filliuc. trac.23. c. 10. q.3. n. 310.* Ex dictis petet non esse probabile, quod *Filliuc. cit. q.8. cum Angelo, & Aragonio* credit probabile, scilicet omittentem culpabiliter horas canonicas uno vel altero die, ad nullam teneri restitutionem.

Adverte dicta procedere aequé de omittente, & de recitante absque ulla attentione. Nam paria sunt non recitare, & sine ulla attentione recitare, ut rectè docent *Azor. 1. p. l. 10. c.11. q.5. & Bonac. cit. p. 2. n.17.* quamvis oppositum teneant *Tolet. l.2. c.12. dicto 4. Medina, Henriq.* & probabile dicat *Lessius citatus.*

Fructus restituendi a beneficiato non recitante.

44 Dubium est 3. quid dicendum sit de omittente partem alicujus horae? *Suar. l.4. cit. c.30. a. n.9. & Tolet. l.2. c.12. n.6.* omittentem partem notabilem alicujus horae excusant a restitutione, si fructus sint leves. Oppositum judico probabilius cum *Garcia p.3. de benef. c.1. n.27. & Bonac. d.1. q.5. p.2. n.13.* Nam qui omittit partem notabilem horae, censetur absolutè horam omittere, sicut omittere Missam qui partẽ illius notabilẽ omittit.

Unde ex eo quod omittens partem levem alicujus horae non censeatur horam omittere, nulli restitutioni obnoxius manet, ut benè docent *Reginal. l.30. n.44. & Filliuc. tr.23. c.10. q.7.* Difficultas maior est an teneatur restituere qui in singulis horis ita partem levem omittit, ut tota haec omissio videatur notabilis respectu totius officij? *Palaus disp.2. de hor. can. p.7. n.6.* credit satis probabilem sententiam negativam, pro qua citat *Molinam de distrib. 2. p. q.3. n.22. & Filliuc. tr.23. c.10. q. 3.* Quia si dantur diversa praecepta circa diversas horas, nullum ex illis violatur graviter per omissiones leves: si datur unicum praeceptum circa totum officium, adhuc est virtualiter multiplex, & restitutionis obligatio annexa singulis horis. Illorum authoritati, & rationi acquiesco.

45 Dubium est 4. utrùm quicunque beneficiatus omittens recitationem teneatur restituere omnes omninò fructus correspondentes diebus, quibus non recitavit, sive beneficium habeat solũ onus recitationis, sive habeat alia etiam onera annexa? Affirmativa sententia, quam docent *Azor 1. p. l.10. c.14. q.5. Suar. l.4. c.30. a. n.6. & Reginal. l.30. n.46.* probabilior, & tutior est. Quia *Pius V.* eodem modo loquitur de beneficijs curatis, & non curatis, & beneficiatis omittentibus imponit onus per illa verba quae retulimus num.43.

Nihilominus graves authores limitant resolutionem de fructibus integré restituendis eo modo quo diximus, ad solum beneficiatum, qui nullum aliud subit onus praeter recitationem. Quia Pontifex dixit omittentem recitare, obligatum esse restituere fructus correspondentes diebus omissionis. Unde *Lessius c.34. n.173. Bonacina d.1. q.5. p.3. n.2. & Palaus citat. n.9.* satis probabiliter id tenent, & ideo asserunt Episcopum vel Parocum solum teneri ad quintam partem restituendam, Canonicum ad quartam, alios capellanos, & beneficiatos ad tertiam.

46 Illud existimo tanquam certum cum *Palao cit. pun.7. n.9.* beneficiatum, cujus beneficium nullum onus annexum habet praeter recitationem, si recitare omittat, teneri omnes integros fructus restituere. Unde non judico probabile quod affirmat *Henriq. in summa l.13. c.13. §.2.* beneficiatum simplicem, cui praeter recitationem, nullum onus annexum est, posse aliquos retinere fructus ratione obligationis quam habet deferendi habitum, & tonsuram. Hoc enim credo satis aliunde compensari immunitate ecclesiastica, & clericali honore. Unum moneo ex citatis authoribus beneficiatum omittentem teneri restituere ante ullam judicis sententiam. Nam juxta Pontificem, omittens non facit fructus suos.

Dubium est 5. Cuinam facienda sit restitutio ex omissione recitationis? Respondetur cum *Suario l.4. hor. can. c.30. a n.18. & Bonacina ibi disp. 1. q.5. p.4. a n.1.* talem restitutionem debere fieri fabricae benefi ij, vel pauperibus. Sic enim expressé jubetur in supracitatis *constit.* Unde beneficiatus optionem habet, expendendi in fabricam beneficij, vel in pauperes. Si igitur elegerit fabricam, potest domum beneficij reparare, agros colere, & praestare alia cedentia in utilitatem ejusdem ecclesiae, non veró alterius. Si elegerit pauperes, erogare poterit in quoscunque, sive in loco beneficij sint, sive extra. Pontifex enim non limitat, sicut limitavit fabricam. Nomine pauperum veniunt quaelibet opera pia redundantia

Restitutio non recitantis cui facienda.

dantia in utilitatem pauperũ, imò, & suffragia pro animabus Purgatorij. Dicta obligatio impleri nequit per eleemosynas, si quas antea fecit de fructibus sui beneficij. Quia Papa Alexander 7. anno 1665. damnavit hanc propositionem: *Restitutio fructuũ ob omissionem horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea beneficiatus de fructibus sui beneficij fecerit.*

47 Notabis 1. cum Suario citato n. 21. & Bonacina n. 8, beneficiatum, qui verè pauper sit, posse sibi fructus illos applicare, dumodò hac fiducia non omittat recitationem: nec fructus illi ex consuetudine, vel speciali statuto sint applicati certo alicui pio operi. Notabis 2. talem beneficiatum non posse facere compositionem super fructus sic amissos, quando viget statutum, vel consuetudo ut certo alicui pio operi applicentur.

Notabis 3 cum *Garcia de benef. p.3.c.1.n.35.& Torre tract. de hor. can. controv. 10.d.6.* contra multos authores, quos citant, distributiones quotidianas, & grossæ fructus, quos Canonici amittunt, ob omissam recitationem privatam, non esse applicanda alijs Canonicis, aut mensæ capitulari, sicut applicantur ob non residentiam. Nam canonicus residens, & non recitans, & si ratione residentiæ lucretur quotidianas distributiones, ob non recitationem illas perdit.

Excõmunicato beneficiati non recitantis. Notabis 4. cum *Vasq. de benef. c.4.§.1.dub.8.n.45. & Bonacina d.1 de hor. can q.5.p.2. fine.* præter hactenùs explicatam pœnam amissionis fructuum, posse beneficiatum horas omittentem post semestre, excõmunicari, suspendi, & beneficio privari, si intra quindecim dies, postquam fuerit monitus, bis saltem non recitaverit.

Pensionarij si non recitent. 48 Circa pensionarios non recitantes officiũ parvum B. Virginis, rectè ex *Constitutione Pij V.* tradunt *Petrus Navarra l.2. de restit. c.1.n. 199. & Suar. citat. c.30. in fine,* eos peccare lethaliter si non recitent post obtentam pensionem, & semestri transacto teneri restituere integros fructus perceptos. Quia nulla ratio illos ab integra restitutione excusat.

Difficultas est, an talis pensionarius non recitans, possit a beneficiato pensionem accipere? Ratio dubitandi pro parte negativa est, quia juxta multos Doctores beneficiatus non tenetur pensionẽ tradere pensionario excõmunicato, utpote incapaci illius: at pensionarius non recitans etiam incapax est, & fructus pensionis suos non facit. Affirmandum tamen est cum *Suario cit. c.* 30. in fine. Quia pensionarius ille non peccat accipiens pensionem non sibi retinendam, sed fabricæ beneficij, vel pauperibus applicandam: sicut non peccat ipse beneficiatus non recitans, quando accipit sui beneficij fructus. Unde beneficiatus non potest denegare pensionem suo pensionario non recitanti.

SECTIO V.

De causis quæ excusant a recitatione divini officij.

QUÆSTIO I.

Quænam, & quotuplex sit causa a tali recitatione excusans?

Multæ sunt causæ excusantes a recitatione: omnes tamen revocari possunt ad tria capita. Primum caput est impotentia, & hæc simpliciter excusat juxta regulam *l. Impossibilium ff. de reg. jur.* Impotentia solet oriri 1. ex naturali oblivione, quæ si inculpabilis sit, excusat. Qui expertus est se oblivisci, tenetur (inquit *Bonacina d.1.q.6. p.3.n.9.*) adhibere aliquod excitamentum, quo recordetur obligationis. *Causæ excusantes a recitatione.*

49 Quid si dubitas, an recitaveris? Teneris recitare, nisi probabili aliqua ratione dubium deponas. Quia possidet præceptum. Quid si certus es te recitasse, sed dubitas an omiseris aliquem psalmum vel antiphonam? Potes dubium deponere: quia omissum non præsumitur, quod naturali ordine, & sequela recitatur. *Dubius de recitatione.*

2 Ex ignorantia, quæ si sit jũris inculpabilis excusat: si sit facti quia nescis recitare, vix potest evenire inculpabiliter: quia cum recipis beneficium, vel sacrum ordinem, debes te agnoscere dispositum sicut per alia, ita per scientiam recitandi, ut tuæ obligationi satisfacias.

3 Ex infirmitate, quæ si reddat simpliciter impotentem, excusat. Unde cæcus vel mutus excusatur: quia ad recitationem necessaria est visio, & locutio: non ita surdus, quia ad privatam recitationem, non requiritur sui ipsius auditio. Quid de tertiana, & quartana? si illis laborans ex recitatione capiat grave nocumentum, excusatur: si leve, tenetur, & sic de alijs. 4. ex carentia breviarij: est enim hoc medium recitationi necessarium. *Cæcus mutus, & surdus ad recitandum.*

50 Secundum caput est suborta repente necessaria occupatio, quæ simul cum recitatione stare nequit, & omitti, vel in aliud tempus differri non potest sine gravi tui, vel proximi detrimento in vita, honore, vel fortunis. Ex hoc capite excusantur concionatores, & confessores, qui si recitarent, cogerentur omittere, vel differre cõciones, & confessiones cum gravi nota, & scandalo. Item oppositores, qui pro oppositione ad cathedram, vel ostentatione ad illam, nequeunt pro dignitate legere, si recitent. *Recitatio omittẽda ex occupatione.*

Tertium caput est dispensatio. Hanc posse validè conferri a Pontifice, indubitatum est. Episcopus dispensare non potest. Quia inferior dispensare nequit in lege superioris, nisi jure vel consuetudine id ei permittatur: & non apparet jus vel consuetudo quibus Episcopo talis dispensatio permissa sit. At si dubitetur de recitationis obligatione, cui clericus, vel beneficiatus subjaceat, Episcopus sententiam ferre poterit. Hæc ex *Suar. cit. c.28.n.38. & Bonac d.1.q.1.p.2.n.5. qui n.9.* addit *Dispensatio in recitatione officij.*

Præ-

Prælatos regulares, quibus dispensandi in legibus, & consuetudinibus religionis facultas cōmissa est, posse cum suis subditis in hac parte dispensare, si causa subsit.

Degradatus clericus ad recitādū.

51 Quid de excōmunicatis, suspensis, interdictis, irregularibus, & degradatis: possunt ne allegare impedimentum spirituale ut excusentur? Priores quatuor relatos non excusari indubitatum est. De solis degradatis ita dubitavit Sà v. hor. can. n. 2. *edition. Complut.* ut inclinaret ad excusationem. Nam degradatio tollit a clerico omnem functionem clericalem, cum deponat ab officio, & beneficio, & omni clericali privilegio. At reliqui Doctores, quorum præcipui sunt *Suar. l. 4. de hor. can. c. 28. & Vasq. de benef. c. 4. §. 1. a. 1. dub. 12.* conveniunt in asserenda tali obligatione, ne degradatus ex sua culpa lucrum reportet.

QUÆSTIO II.

Pro nonnullis circa prædicta dubitationibus expediendis.

Impotentia ad totū an liberet a parte.

1 Dubitatio est, an impotens ad recitandū totum officium, teneatur ejus partem recitare? Negant aliqui absolute apud authores statim citandos. Quia præceptum est unum circa totum officium, & ideo impleri nequit in sola parte: sicut præceptum unum de jejunio non potest impleri in sola parte diei, præceptum unum de Missa non impletur in parte Missæ.

Affirmant alij absoluté cum *Suar. l. 4. c. 28. a n. 22. Valent. d. 6. q. 2. p. 10. §. 7. & Garcia 3. p. de benef. c. 1. n. 226.* Quia materia hujus præcepti dividua est, & habens partes inter se non connexas. Neq; enim Prima dependet a Tertia, neque Tertia a Matutino. Qui ergo non potest totum recitare, tenetur ad partem.

52 Arbitror loquendum esse cū distinctione, & asserendum cum *Azorio l. 10. c. 13. q. 2. & 5. Lessio l. 2. c. 37. n. 54. & Raphaele de la Torre controu. 7. de hor. can. n. 6.* potentem recitare maiorem officij partem, teneri ad illam recitandam: secùs verò si possit solam minorem recitare. Ratio est, quia maior pars trahit ad se minorem, ita ut cessante obligatione maioris, cesset obligatio minoris, nō & contra: cum minor ad se maiorem non trahat. Unde placet *Ioan. Sanch. disp. 15. select. n. 2.* cui favet *Suar. l. 4. cit. c. 28. n. 10. & 20.* non obligari ad recitandam eam horam, qui partem notabilem debet omittere: v.g. non teneri ad Matutinum, qui impotens est ad lectiones.

Ægrotus ad recitādum.

2 Dubitatio est, quid debeat facere dubius an possit recitare maiorem partem officij, absque notabili salutis dispendio? Standum erit judicio medici, cui tanquam in arte perito credendum. Quid si medicus dubitet an graviter sit nocitura talis recitatio? *Suar. c. 28. n. 21.* inclinat ad asserendam obligationem: quia in dubio possidet præceptum.

Mihi videtur oppositum, & talem obligationem negandam. Quia tunc periculum gravis dānì certum est, quo stante cessat præceptum, cujus obligatio in tali casu esset nimis rigorosa, & aliena a suavitate Ecclesiæ. Ita *Bonac. d. 1. q. 6. p. 1. n. 4. & Palaus de hor. can. disp. 2. p. 6. n. 10.*

53. 3 Dubitatio est, an tenearis recitare mane, si scias te vespere impediendum a recitatione? Negat *Sà in editione. Complut. V. Hora n. 1.* Quia solum obligaris ad recitandum Horas suo cuique tempore determinato, ita ut anticipatio fiat ex privilegio, ad quod nō obligaris. Hæc opinio in editione Romana meritó expuncta est. Nam teneris tunc anticipaté satisfacere, ut rectè cum *Suario c. 28. & 36. & multis alijs tradit Bonac. d. 1. hor. can. q. 6. p. 2. n. 2.* Nam præceptum recitandi non solum obligat pro illis partibus diei, quibus Horæ correspondent, sed pro toto die integro.

4 Dubitatio est, an qui caret visu, vel breviario, & fideli memoria tenet maiorem partem officij, v.g. Laudes, & sequentes minores horas, teneatur ad illas memoriter recitandas? De tali obligatione dubitat *Sotus l. 10. de just. q. 5. a. 3. p. 2.* Dicendum tamen omninò est teneri. Ita *Azor 1. p. l. 10. c. 13. q. 5. & Bonac. cit. q. 6. p. 2. n. 9.* Quia cessante impedimento per illam memoriam, præceptum expeditum urget.

Cæcus ad recitādū.

5 Dubitatio est, an impotens recitare solus, & potens recitare cum socio, teneatur illum adhibere? Negat absolute *Ioan. Sanch. in select. disp. 15. n. 2.* Quia est privilegium, quo nemo tenetur uti. Distiguit *Lessius l. 2. c. 37. n. 54.* ut si solitus sit socium adhibere, teneatur: secus, si non sit solitus. Mihi placent *Reginal praxi l. 18. n. 183. iunc Suar. li. 4. c. 28. a. n. 13. & Bonac. cit. q. 6. p. 2. n. 8.* asserentes absoluté talem obligatum esse recitare cum socio, si facilé habere potest. Ratio est, quia semper præceptum obligat quando facile impleri potest. Unde benè *Suar. & Bonac. cit.* limitant 1. ut non teneatur, si sit surdus, imò si sit surdaster, qui non audit, nisi magnam vociferationem. Limitant 2. ut non teneatur, si solum possit habere socium pro stipendio. Cum verò satisfaciat præcepto qui recitat cum socio, quæri potest an satisfaciat qui recitat cum laico cum fæmina, cum excōmunicato, cum insano, cum Angelo bono, vel cum Angelo malò? Nullum ex his casibus inveni in aliquo authore. Dico tamen 1. satisfacere si recitet cum laico, cum fæmina vel cum excōmunicato. Ratio est, quia hæc omnia sunt subjecta humana seu libera, & capacia orationis, ut nempe orando comunicent cum orante: quod non tollit peccatum cōmunicandi cum excōmunicato. Deinde non requiritur quod socius teneatur præcepto ad recitandum.

Socius in recitatione.

Dico 2. non satisfacere, si recitet cum insano, vel cum Angelo malo: secùs si cum Angelo bono. Ratio est, quia tam insanus quàm dæmon sunt subjecta incapacia orandi, seu elevandi mentem in Deum: secus de Angelo bono. Hic enim potest orare, ut diximus sect. 1. q. 3. n. 7. At non satisfacit qui recitat totum unum psalmum, & audit totum alium a socio. Vide *Dian. p. 11 tr. 1. resol. 5.*

Horæ canonicæ publicè recitandæ in choro.

SECTIO VI.

Quænam personæ, & quali obligatione teneantur publicè recitare divinum officiũ in choro.

QUÆSTIO I.

An detur præceptum publicè recitandi, & illo teneantur clerici ac religiosi?

DAri in Ecclesia præceptum de officio divino publicè recitando, rectè tradunt *Fillucius to.2.tract.23.c.4.q.4.& Bonacina disp.2.de hor.can.q.1.p.1.* Sumitur ex *c.ultimo 92.dist.& ex c. 1.de celebr.Missar.* Hujus præcepti congruentia juxta *S. Thom.Opusc.19.c.5.* in eo consistit, quòd Ecclesia per institutionem officij divini non solum intẽdit promovere devotionem ecclesiasticorum, sed etiam totum Christianum populum ad devotionem provocare.

Recitationis publicæ obligatio.

Unde spectato rigore juris, quod manifesté deducitur ex *Clement.1.de celebrat.Missar.& c.1.eod.tit.* extat grave præceptum, ut singulis diebus recitetur publicè officium divinum in omnibus Ecclesijs Cathedralibus, collegiatis regularibus, & parochialibus. Verùm consuetudo legitimé præscripta iam temperavit juris illius rigorẽ in multis Ecclesijs præsertim collegiatis, & parochialibus, ut nempe solum fiat diebus Dominicis, item festis, vel alijs solemnioribus. Imó juxta text. *in c. Sancta Romana 92. dist. ubi* Glos. in quibusdam religiosis ordinibus iam ab initio suæ institutionis receptum est, ut non detur publica recitatio in choro, eo quod gravioribus alijs Ecclesiæ ministerijs occupentur.

Chori, & publicæ recitationis obligatio in quibus.

55 Illud notandum, in Ecclesijs ubi viget consuetudo recitandi publicé horas canonicas, teneri sub gravi culpa prælatos adhibere curam, ne unquam publica illa recitatio omittatur. Nam ad communitatis superiores pertinet curare, ut mandentur executioni, obligationes communitatis. Notat veró *Suar.l.4.de hor.can.c.10.n.8. juncto num.15.& 18.* si desit prælatus tali obligationi, eam ad particulares descendere.

Quod attinet ad obligationem publicé recitandi, an detur in clericis? Cum constet hujusmodi munus spectare ad ecclesiasticas personas, imó ex deputatione clericorum extendi ad laicos (non enim officium psallendi in choro postulat ordinem clericalem) tamen clerici ex præcisa ratione clericatus non obligantur publicé recitare, ut ex citatis textibus docent *Navar.de orat.c.4 & Valent.2.2.disp.6.q.2.p.10.§.6.* Anveró clericus si beneficiatus, & parochus sit, teneatur, infra dicemus.

Religiosus ad recitando in choro.

Quod attinet ad religiosos, nullum in particulari, per se loquendo, obligari sub gravi culpa officium recitare in choro, bené docet *Suar.l.4.cit.c.10.n.16.& cum* varijs citatis *Bonacina disp.1.q.1.p.1.n.9.* Ratio est, quia nullum apparet jus scriptũ, vel consuetudinarium, item nullum salarium, vel stipendium ex quo talem obligationem subeant. Quod si per aliquod statutum infligatur pœna nõ recitantibus in choro, erit lex mere pœnalis, quæ solum obligat ad sustinendam pœnalitatem ex transgressione non culpabili.

Moniales an obligatæ ad chorũ.

56 Ex quibus rectè infertur Moniales a fortiori non esse graviter obligatas ad chorum sub culpa, sed solum sub aliqua pœna subeundæ. Quare dicimus prælatos regulares, quanvis obligentur providere ne desit choro publica recitatio, tamen præciso scandalo, non plus obligari quám subditos, choro interesse, & publicé recitare.

QUÆSTIO II.

Utrúm, & qua obligatione teneantur beneficiati, parochi, & præbendati ad publicam recitationem?

Parochi ad publicam recitationẽ.

EX præcisa ratione beneficij neminem obligari ad publicam recitationem, certum est. Nam habentes beneficium simplex, veré beneficiati sunt, & non tenentur. Maior est difficultas de parochis. Et certé antiquo, & scripto jure spectato, tenentur singulis diebus publicè recitare. Sumitur ex *c.finali 92.dist.ex c. 1.de celeb. Missar.& Clem.1.eod.tit.*

At si spectetur consuetudo (ut videre est apud *Suar.l.4.cit.c.10.n.4. Filliuc. tract.23.c. 4. q.6.n.131. & Bonac.cit.disp.1.q.3.p.5.n.12.*) plurimi parochi, & in parochialibus ecclesijs beneficiati ab onere recitandi publicé officium divinum liberantur. Imprimis, quia in quibusdam ecclesijs parochialibus ob tenues redditus beneficij, nunquam recitantur publicé horæ canonicæ: deinde in alijs non recitantur singulis diebus, sed ad summum diebus Dominicis, & festis, & tunc non omnes horæ, sed solum vesperæ. Igitur illarum parochi, & beneficiati non obligantur recitare publicè divinum officium.

Quoties veró viget consuetudo recitandi illud publicé in ecclesijs, parochus præcipué obligatus est, nisi impediatur causa legitima, qua data, alium sibi debet substituere. Quælibet rationabilis causa sufficit, ut parochus excusetur dicere per se ipsum, uno præcipue vel altero die.

Præbendati, & canonici ad publicã recitatiõnẽ.

57 Quod attinet ad præbendatos, seu canonicos Cathedralium, & collegiatarum ecclesiarum, quibus conceduntur distributiones ob assistentiam in choro, tenentur sub gravi culpa ibi recitare officium, juxta cujuslibet ecclesiæ legitimam consuetudinem. Ita citatis *Angelo, Hostiensis, Sylvestro, & Turrecremata Suar.l. 4.cit.c. 10.n. 17.* Quia cum recipiant distributiones ob officium in choro recitandum, ex justitia ad id tenentur.

Dixi (juxta cujuslibet ecclesiæ consuetudinem) quia sunt aliæ ecclesiæ, in quibus singulis diebus totum officium publicè canitur: aliæ in quibus singulis diebus recitatur solis Dominicis, & diebus festis. Unde præbendati juxta banc consuetudinem obligantur, quia sub hac obli-

Assistentia in choro præbendatorum. obligatione stipendium accipiant.

58 Quanta veró sit præbendatorum obligatio ut choro assistat, & non absint, paucis expediamus. Im primis constat peccare mortaliter, si ob eorum absentiam factam sine causa legitima divinum officium omittatur in choro, vel non celebretur debita solemnitate. Item habere obligationem restituendi, si sine causa absentes sint, & usurpent distributiones assistentibus, & legitimè impeditis concessas.

Dubium est, an præbendatus quando cedit distributionibus, & ob ejus absentiam nec officium divinum omittitur, nec minûs decenter recitatur, peccet mortaliter? Negant *Sylvest. V. hora q. 2. Reginal. l. 18 praxis n. 176. &* cum multis *Barb. de potest. Epis. p. 3. all. 53. n. 181. fine*. Quia præbendatus solum obligatus est choro propter distributiones; ergo si illis cedat, exuit obligationem. Deinde quia ille si absit capitulis, non peccat graviter; ergo neque si absit choro. Affirmandum tamen est probabiliûs cum *Suar. l. 4. c. 10. n. 17. Vasq. de benef. c. 4. a. 2. dub. 1. n. 182. & Bonacina disp. 2. de hor. can. q. 1. p. 2. n. 1.* si talis absit multis diebus. Ratio est quia non tenetur ob solas distributiones, sed etiam ob beneficium, & ideo onus assistendi imponitur illi sub pæna excommunicationis: & suspensionis ferendæ, ut habetur ex *c. relatis 91. dist.* & *c. Dolentes, de celebrat. Missar.*

Dixi (si absit multis diebus) quia non erit culpa gravis apud *Vasq. cit. dub. 1. n. 182.* si absit in anno, uno vel altero die: & juxta Bonacinam, tribus vel quatuor diebus. Quod non reputat improbabile *Suar. l. 4. c. 13. n. 8. fine.* Ex dictis satis patet minorem culpam esse defectum assistentiæ in capitulis, quàm in choro. In Ulyssipo. cathedrali in *Constit. novis l. 3. tit. 5. §. 4.* ut Canonici, & beneficiati lucrentur fructus, statuitur ut statim a principio ad sint officijs divinis, & Missæ, & non egrediantur ante hujus et illorum finē, sine facultate Præsidis, vel designatoris. Ibi declaratur quod per principium horarum intelligitur usque ad *Gloria Patri* primi Psalmi, & per principium Missa usq; ad initium Epistolæ.

QUÆSTIO III.

Utrùm præbendati seu Canonici possint chori obligationi satisfacere sola assistentia, quin cantent, & recitent?

59 Constat 1. quoties divinū officiū omittendum est, vel in consueta solemnitate minuendum, nisi canonici psallant, teneri canonicos psallere, nec satisfacere, si solum assistant. Ita cum multis *Bonacina d. 1. de hor. can.* Quia canonicis primo ac per se incumbit officia divina celebrare. *Canonicorum assistentia sine recitatione.*

Constat 2. canonicos omnes per se loquendo teneri in choro recitare horas canonicas juxta suarum ecclesiarum usum, itaut ipsi recitent per se, & non per alios. Est enim talis obligatio personalis, quæ proinde in alios non transfertur. *Ita Lessius l. 2. c. 34. n. 184. & Suar. lib. 4. cit. cap. 12. a. n. 8.*

Sola est dubitatio circa id quod quæritur, de praxi, quæ jam datur, & quæ dari potest. Dico 1. Canonicus non tenetur canere, sed sufficit, si choro assistat, quoties celebratur officium divinū cantu, quem vocant figuratum. Quia licét hic cantus sit summé honestus, tamen necessarius non est. Sic de facto obtinuit praxis. Ita *Lessius l. 2. c. 34. n. 185. & Bonac. d. 2. de hor. q. 1. p. 3. n. 4.*

60 Dico 2. Per fundationem ecclesiæ, statutum, consuetudinem, & privilegium fieri potest, ne canonici in choro teneantur canere, sed satisfaciant, si ministris alijs canentibus assistant: & hæc est in omnibus fere ecclesiæ Hispaniæ cathedralibus recepta consuetudo Ita *Garcia de benef. p. 3. c. 2. n. 518. Azor p. 1. l. 10. c. 11. q. 5. & Suar. cit. l. 4. c. 12. a n. 11.*

Quāvis enim hæc cōsuetudo repugnet *c. fin. 92. dist.* tamen sustinenda est, cum nec reprobetur a Tridentino, nec juri naturali adversetur. Addit *Bonac. d. 2. de hor. can. q. 1. p. 5.* posse consuetudine, statuto, vel privilegio obtineri, ut absens canonicus satisfaciat, & distributiones lucretur, si in choro alium sibi substituat.

SECTIO VII.

Quomodó, quo ordine, tempore, loco, & corporis situ divinum officium publicè recitari debeat: & sub qua pæna.

QVÆSTIO I.

Quo modò præbendati obligentur choro assistere, & recitare, ut lucrentur distributiones? *Assistentia in choro qualis esse debeat.*

Quæstio procedit tum de præbendatis solum obligatis ad assistentiam, tum de obligatis etiam ad canendum. Si loquamur de prioribus *Garcia de benef p. 3. c. 2. n. 514.* varios citans affirmat tales præbendatos lucrari distributiones qualiter cunque assistant, etiam si non attendant, & cū alijs confabulentur, modò postea privatim recitent. Quia verē assistunt, & si indebité.

Favet *Suar. cit l. 4. c. 14. n. 12. & 13.* Si beneficiarius (inquit) voluntarie distrahatur in choro per horam vel partem notabilem sine animo iterum recitandi peccabit mortaliter. Si autem cum proposito iterum recitandi, quanvis valde probabile sit, etiam peccare mortaliter, sine onere tamen restituendi distributiones: nihil ominus, si non prodeat in actiones exteriores impedientes chori attentionem, non facile damnanda est culpa illa ut lethalis. *Distributiones quomodo lucrandæ.*

61 Nihilominus probabilius est, quod tradūt cum multis *Azor p. 1. l. 10. c. 11. q. 5. Barb. de pot. Episc. p. 2. all. 53. n. 132. & Bonacina d. 1. q. 3 p. 2. §. 1. n. 19. & 21* scilicet canonicum corporaliter assistētem, & ita voluntarie distractum, vel scribat, vel fabuletur, vel dormiat, nullo modo lucrari distributiones. Quia talis assistentia nec humana, nec divinis officijs honoraria est.

Si loquamur de posterioribus, illis nēpe qui tenētur canere, non satisfaciunt submissa voce recitan-

citantes, imò quàndo canunt, tenentur attendere ad ea quæ alter chorus canit. Dubitatur an tales præbendati submissa, vel nulla voce suam partem recitantes, sed solum attendentes ad partē, quam chorus alter recitat, mediam distributionum partem lucrētur? Affirmant *Cenedo. collect.* 15. *ad* 6. *n*. 6. *Suar. l*. 4. *c*. 12. *n*. 18. *& cum Varijs Bonac. d*. 1. *q*. 3. *p*. 2. §. 1. *n*. 17. quia Pontifex solum negat omnes distributiones illis qui nullam partem publicè recitant, illi autem videntur recitare illam chori alterius canentis, cui attendunt.

Cantus in choro ad distributiones.

62 At *Palau de orati. publ. disp*. 3. *p*. 4. *n*. 5. sentit oppositum asserens prædictos nullas omninò distributiones lucrari. Probat, quia tales nullo modo, nec etiam quoad partem, publicè recitant, siquidem nullo modo communicant cum alijs canentibus, sicut canentes non nisi cum alternatim canentibus communicāt: distributiones autem destinatæ non sunt nisi publicè recitantibus. Utraque opinio est probabilis, Sed ego in posteriorem inclino.

Addo ex dictis probabiliter colligi non satisfacere præcepto recitandi qui ex una parte dicit summissa voce, & solum audit sequentem versum, quem cantat altera pars. Quia non cōmunicat cum illa parte, nisi cantet suam.

Ille qui suam partem canit, & nequit percipere partem, quam alter chorus canit, integras distributiones lucratur, dumodò privatim suppleat quæ non percepit. Ita *Suar. cit. c*. 30. *n*. 15. Qui *l*. 4. *c*. 14. *n*. 15. rectè monuerat versus, qui organo, seu musico instrumento dicuntur, deberi ab aliquo pronunciari: aliter canonicos non satisfacere recitationi, nisi eosdem audiant, vel pronunciēt.

Addit *Bonacina disp*. 1. *de hor. can. q*. 3. *p*. 2. *n*. 13. si dum alij recitant, tu interfis choro præbendo thus, vel transferendo libros ex officio vel superioris mandato, satisfacere obligationi assistentiæ in choro, debere tamen postea privatim recitare, si ob illa munera a recitatione tuæ partis, & ab attentione alterius impediaris. Quid de canonicis pænitentiarijs, Decano, & alijs, qui dum celebrantur divina officia, confessiones audiunt, vel ad alia ex officio divertuntur? Benè ex Trid. sess. 22. cap. 3. de reform, docet *Bonac. cit. n*. 14. quanvis non satisfaciant privatæ recitationi, satisfacere tamen obligationi assistendi in choro, cui reputentur ut præsentes. Quid si præbendatus dum choro rite assistit ita somno gravatus est, ut quanvis ipse quantum potest, resistat, tamē neque ad verba, neque ad ministerium attendit? Tamborinus lib. 2. decal. cap. 5. §. 4. n. 21. benè respondet talem præcepto non satisfacere, si quidem re ipsa non recitavit: unde debet privatim officitum repetere: facere tamen suas distributiones: siquidē fecit quod potuit, ut recitaret: & sicut graviter morbo impeditus facit distributiones suas, ita graviter impeditus somno,

QUÆSTIO II.

Quo ordine tempore, loco, corporis situ, & habitu publicè sit recitandum?

63 Quod attinet ad ordinem, & tempus pro recitatione publica statutum, debere utrunque sub gravi præcepto observari rectè docent *Suar. l*. 4. *c*. 11. *n*. 7. *& Filliucius tract*. 23. *c*. 6. *q*. 2. quanvis id videatur rigorosum *Bonacina disp*. 1. *q*. 3. *p*. 4. *n*. 5. Unde præbendati tenentur recitare tempore præscripto: primò Matutinum, & laudes, deinde Primam, postea Tertiam, & sic de reliquis, ita ut peccent lethaliter, si hunc ordinem invertant, aut notabiliter anteponant, vel postponant absque gravi, & publica causa. Nam grave est violare uniformitatem illam quæ Ecclesiæ specialem decorem confert, ex qua violatione gravis fidelium offensa generatur.

Recitationis publicæ ordo, & tēpus.

Quod attinet ad locum, corporis situm, & habitum: locus esse debet ecclesia, nisi aliud suadeat gravis necessitas, vel legitima consuetudo. De corporis situ, & habitu: an scilicet canonicus ad lucrandas distributiones sedere debeat in proprio stallo, & ferre tales vel tales vestes, nihil a jure præscriptum est. Quod si alicubi vigeat legitima consuetudo, ne distributiones lucretur, nisi sedeat tali vel tali loco, his vel illis vestibus indutus, cōsuetudine illa standum est. Sic *Bonacina citatus, &* plures referens *Garcia p*. 3. *c*. 2. *n*. 357.

64 QUÆSTIO III.

Sub qua pæna teneantur præbendati choro assistere?

Duplex pæna reperitur in jure contra præbendatos, qui publicæ recitationi in choro desunt. Prior est distributionum privatio, quam statuit Bonifacius VIII. in *c. unico, de clericis non residentibus in* 6. & confirmavit Trident. sess. 24. cap. 12. de reform. Nam distributiones solis choro assistentibus conferuntur.

Pæna contra non assistentes choro.

Hæc pæna incurritur ante ullam judicis sententiam, ut expressè tenent *Moneta* 3. *p. q*. 7. *n*. 71. *& Bonacina disp*. 2. *de hor. can. q*. 7. *p*. 2. *n*. 2. Siquidē eo ipso quod illi præbendati illigitimè a choro absint, redduntur a Pontifice incapaces, ut acquirant, & faciant suas illas distributiones, quas soli interessentes acquirunt.

Posterior pæna imponitur a *Trident. dicta. sess*. 24. *cap*. 12. *de reform. ut* si præbendati ultra tempus sibi permissum, abfuerint: pro primo anno, & prima vice priventur dimidia parte fructuū, quos residēdo, & interessendo divinis fuerint lucrati. Quod si in eandem relabantur negligentiam, priventur omnibus fructibus, crescente verò contumacia, spolientur beneficio. Hæc pæna non ipso jure lata est, sed inferenda per judicē, ut benè observat *Gar. de benef. p*. 3. *c*. 2. *n*. 152.

65 Utrùm prædicti absentes a choro soluere teneantur Annatam, Quindenium, Charitativum, decimam ac pensionem, quæ debebant solvere, si choro assistentes compararent distributiones? Item quibus accrescant distributiones, & fructus, quos amittit præbendatus a choro absens? Quæstiones sunt ad materiam de bene-

ficijs

ficijs spectantes. Interim videatur *Palàus de orat. publ.disp.3.pun.7.& 8.* ubi breviter, ac dilucide eas resolvit.

SECTIO VIII.

De causis excusantibus præbendatum a choro, ut possit absens lucrari distributiones.

QUÆSTIO I.

Qualiter se habeat infirmitas ad excusandum?

Distributiones quando lucrandæ ab absente.

BOnifacius.8 in *c.unico de clericis non resident.in 6.* tres generales assignat causas, quæ a prædicta assistetia excusant, nempe infirmitatem, justam, & rationabilem corporis necessitatem, & evidentē Ecclesiæ utilitatem. Hac præsenti quæstione exponimus infirmitatem, reliquas causas exponituri in sequentibus.

Infirmitas qualis ut excusset a choro.

Conveniunt Thelogi, & Juristæ apud *Vasq.de benef.c.4.§.3.dub.3.n.224.Barbosam de potest Ep.p. 3. all.53.n.166. & Bonac. d.2.q.5.p. 1.* infirmitatem gravem sufficere, ut quis ebsens a choro lucretur non solum fructus beneficij, sed etiam quotidianas distributiones: levem veró non sufficere.

Quæ gravis, & levis infirmitas sit, si extrajudicialiter res agatur, prudentis viri, aut periti medici arbitrio relinquitur, Si veró judicialiter, prælatus, aut judex arbitrabitur, adhibito medicorum consilio. Ille tamen morbus levis, qui temetur fieri gravis ex accessu ad chorum, excusat. Ita *Bonac.citatus n.3.qui n. 7.* addit talem morbum excusare quanvis illum præbendatus sua culpa cōtraxerit.

66 Limitatur 1. communis resolutio ab authoribus, quos citant ac sequuntur *Azor 2.p.l. 7. c. 7.Vasq.de benef.c.4.§.3.n.225.& Barb.de pot. Episc p. 3.all.53.n.167.* Ut infirmitas liberet præbendatum ab onere assistendi ad lucrandas distributiones, quando ante infirmitatem solebat choro interesse: secus si non solebat. Hanc tamen limitationem rejicit *Bonacina disp.2.de hor.can.q.5.p.1.n.12.* & quidem probabiliter.

Limitatur 2.a *Vasq.cit. n.225.& Gutier l.1.can. quæst.c.1.n. 189.* ut non procedat de præbendato qui infirmatur extra locum residentiæ: quia tunc infirmitas non est causa absentiæ a choro. Hæc limitatio vera est si ille absque legitima causa a loco beneficij abest. Nam si ex causa legitima absens sit, & infirmetur, distributiones lucrabitur, nisi obstet consuetudo. Ex quo rectè inferunt *Moneta, Barbosa & Bonac.na citati*, si præbendatus tempore vacationis se alió transferat, & ibi ita infirmetur ut postea venire nequeat ad residendum, lucrati distributiones.

QUÆSTIO II.

Qualiter se habeat justa necessitas corporis ad excusandū?

Corporis necessitas excusat a choro.

COnveniunt authores apud *Monetam p. 2. de distrib.q.6.n.8. Barb de pot.Ep.p.3.all.53. Bonacinam.d.2.q.5.p.2.n.4.& Fragosum de regim.p.1.l. 10. disp.13.* tunc dari justam, & rationabilem corporis necessitatem, quæ excuset ab assistentia chori, quando ex hujusmodi assistentia impedet grave damnum vitæ, hon ris, vel fortunarum.

67 Unde varij sunt casus, in quibus præbendatus a choro legitimé abest, eique debentur distributiones. 1. si judicio medicorum immineagrave dettimentum sanitatis egredienti e dot mo, & choro assistentiut sæpe accidit valetudinarijs, & ijs qui sumunt plarmacum præservativum. 2. si de consilio medicorum se conferat in balnea, vel in salubrem locum causa acquirendæ sanitatis. 3. si alio se conferat causa reficiendi vires morbo debilitatas. Addit *Bonc.p. 2. n.4, & 5.* si lassatus cantu aliquandiu a choro discedat, ut quantum fert necessitas, se recreet.

4 Si choro assistere commodé nō possit, v.g. senectutis impedimento, quod regulariter septuagenarijs inest, illudque prudens medicus arbitrabitur, 5. a choro absit timore pestis in tali loco grassātis, dūmodò si sit parochus, alium sufficiēté sibi substituat. 6. si propter assistētiam chori nequeat vitare grave damnum inferendum ab inimico, præsertim si urbe illa bellum sæviat. 7. si detineatur ne alios peste inficiat, eo quód veniat a loco non sano: item si quacumque alia via, quam nequeat vincere, detineatur.

Quid de conjecto in carcerem, vel pulso in exilium? Si tali impedimēto causam non dedit, etiam legitimè a judice condemnatus distributiones lucrabitur: secus si causam dedit, quanvis judex absque indicijs sufficientibus condemnaverit. Nec obstat quòd dans culpabiliter causam morbo lucretur: quia morbus ille est effectus culpæ, non pœnæ: secus incarceratio, vel exilium.

68 Quid de excommunicato, ratione excommunicationis non assistente? Si injuste sit excōmunicatus, & non assistit timore gravi oris nocumenti, lucratur, ut tradit *Vasq.de benef.c. 4. §.3. dub.4.n.230 Garcia p.7.c.13.a n.116.& Bonac.d.2. de hor.can.q.5.p 2.§.2.n.3.* Debet tamen procurare absolutionem, si commodé possit. Si justé sit excommunicatus, & ob id choro desit, distributiones nō lucrabitur. At si paratus sit satisfacere, & petat absolutionē, & hæc denegetur lucrabitur. Quia injusté denegatur absolutio pœnitenti, & hic tanquam injusté excommunicatus reputabitur. Addunt multi authores, hoc etiam procedere quandiu ille non est in mora petendæ absolutionis, & præstandæ satisfactionis. Huic tamen asserto meritò repugnat *Suar. de censur.d. 13. n.4.* Quia per ipsum stat quominus non possit divinis assistere, quanvis per ipsum non stet quominus impedimentū removeatur.

Excōmunicatus choro nō assistens ad distributiones.

Quid si justé excommunicatus choro intersit? Bené asserunt *Avila de censur. p.2.c.6.disp.6.dub.1. Navarra de restitut.l.2.c.2.n. 43.& Vasq.de benef. c. 4.n.229.* ipso jure privatum non esse fructibus, & distributionibus, quanvis ob peccatum privari debeat; & procedere tam de tolerato quám de vitando: quid quid dicat *Bonac. disp 2. de excom.q 2.p.4.§.n.2.* de vitando nō procedere, quasi vitandus non acquirat distributionem. De suspē-

so,& interdicto idem cum proportione dicendum est quod de excommunicato.

69 Quid de eo qui beneficio privatus est? Si ita privatus sit,ut adhuc illud retineat quousq; sententia declaratoria proferatur, interim lucratur distributiones,& fructus. Secus si jam nullo modo retineat. Quod applicandum est depositioni, & degradationi: cum utraque sit in perpetuum privatio. Vide hæc fusiùs apud *Palaum de orat.publ.disp.3.p.9.§.2.*

Utilitas ecclesiæ excusat, a choro.

QUÆSTIO III.

Qualis esse debeat utilitas Ecclesiæ, ut excuset a choro?

Certum est sufficientem causam esse,ut præbendatus absens lucretur fructus, & distributiones,evidentem,& gravem utilitatem propriæ ecclesiæ, quando ille locum beneficij non egreditur:& in hac resolutione omnes cõsentire.

Dixi (evidentem)quia utilitas dubia non sufficit,nisi detur statutum pro illa, vel legitima cõsuetudo. Dixi (gravem)quia levis non sufficit, ut liberet a gravi obligatione assistendi divinis officijs.Dixi (propriæ ecclesiæ) quia non sufficit utilitas alienæ.Aliter præbendatus ille stipendium exigeret ab aliena,& non a propria. Secus, si sit utilitas Ecclesiæ universalis.Quia sub utilitate cõmuni particularis continetur.

Dixi(quando locum beneficij non egreditur (Quia communis sententia apud *Covarr. 3. var.c. 3.n.8.& Gutierr.can. quæst.li. 1.c. 1. an.* 144. affirmat præbendatum illum debere existere in loco beneficij, ut lucretur distributiones. At probabilius judico cum *Palao prox.citato.* §.3. n.2. ad lucrandas distributiones non requiri existentiam in loco beneficij,si absentia ab illo cedat notabiliter in propriæ ecclesiæ utilitatem, ut frequenter accidit.

70 Rogabis, unde dignosci possit quód absentia cedet in evidentem utilitatem propriæ ecclesiæ? Respondeo nullam posse assignari certiorem regulam,quam judicium virorum,qui timorati,& litterati sunt, & sine hæsitatione affirmẽt, dari gravem ecclesiæ illius utilitatem. Unde regulariter standum erit pro resolutione Capituli talis ecclesiæ,quando eligit,& mittit præbendarum. Hæc regula optima est, sed valde generalis, proindeque oportet descendere ad privatos casus in quibus apparet necessaria utilitas ut absens lucretur distributiones.

Causæ sufficien tes ad absentiam præhendatis a choro.

Igitur lucrabitur 1. qui mittatur a suo Episcopo ad invisenda ejus nomine Apostolorum limina,vel illum comitetur in eadem causa. Duo tamen observanda sunt,alterum quód Episcopus non potest duos mittere, nisi unum tantum, ut pote sufficientem: alterum quód mittat parochũ, hic non possit ultra bimestre per Episcopum in negotio occupari, etiam substituto apposito. Ita *Garcia de benef.p.3.c.2.n.4.& n.*349.350.

2 Si a capitulo tãquam theologus,canonista, vel Ecclesiæ procurator mittatur ad generale,vel provinciale concilium. Ita *Moneta de distrib.p.2.q. 11.n.*91. 3.si a Capitulo mittatur tanquam legatus ad Pontificem,vel Principem, ut pro aliquo eventu felici gratuletur, quando has fieri legationes mos est. *Bonacina d.2.de bor.can.q.5.p. 3.n.12.* 4. qui designatur a Capitulo ad exigendas rationes redditauum,& bonorum Ecclesiæ, in quibus detineatur divinorum officiorum tempore, etiam si alio posset exigere.

Distributiones qualiter ab absente lucrãdæ.

71 5.qui mittitur a Capitulo ad exercendũ jurisdictionem aliquam suæ Ecclesiæ annexam. 6.qui habet præbendam, cui animarum cura incumbit,& absit pro ea exercenda.7.si visitet Ecclesiam.8.si absit,ut Capituli vel Ecclesiæ suæ jura defendat.9.si absit,pro defẽdẽdis juribus sui beneficij: secus si absit ob defensiónem juris proprij ad beneficium adversus alterum.10. si sit obses datus ab Ecclesia, vel captus aut detentus repræsaliarum causa. Hæc omnia uberiùs,& minutiùs explicata,authoribusque firmata traduntur a *Palao de oratione disp.3.pun.9.§.3.*

Dubium est 1. an fructus, & distribùtiones lucretur, qui in evidentem utilitatem Ecclesiæ tempore divinorum officiorum occupatur negotijs,quæ tempore alio poterat rectẽ expedire? Negat *Moneta p.2.de distrib.q.5.n.*43. Quia tunc negotia non præbent impedimentum assistentiæ in choro, cum possint in aliud tempus differri. Affirmandum tamen est cum *Bonacina disp. 2. de bor.can. q.5. p.3.n.*16.Quia ille revera pro illo tempore occupatur in evidentem utilitatem Ecclesiæ,& hæc ex benignitate non præsumitur velle ut ille cum suo incommodo differat negotia in aliud tempus.

Dubium est 2. an ille, cui commissum fuit negotium expediendum mane, & tunc expedivit suum, vespere autem negotium Ecclesiæ, lucretur distributiones, & quales, Matutinas an vespertinas? *Moneta cit.q.5.n.*44. credit talẽ nullas lucrari: non Matutinas, quia tunc Ecclesiæ negotium non peregit: non vespertinas, quia tunc contra voluntatem prælati abfuit. Mitius opinatur *Palaus citatus n.*15.nempe lucrari solum vespertinas,utpote correspondentes tẽpori, quo in Ecclesiæ negotio occupatus fuit.

72 Dubium est 3. Qui pro negotijs Ecclesiæ legitimé absens est,quanto tempore lucretur fructus, & distributiones? Respondeo nullum esse certum tempus jure definitum. Unde juxta *l.si cui in provincia,& l.qui mittuntur* §.*fin. ff. ex quibus causis maior.Sfortius Oddo de rest.in integ. 1.p.q.27. a.3.& Bonac.disp.2.de bor.can.q.5.p.3.n.*19. dicunt solum generaliter posse affirmari, illum lucrari distributiones, toto tempore, quod in eundo, & redeundo ad locum negotij, & in ejusdem expeditione consumptit: non verò tempore alio, quod interim elapsum est, nisi forte tunc ille ægrotaret,vel alio impedimento detineretur, quo divinis assistere non posset.

QUÆSTIO IIII.

Assistentia in choro quibus

Qui nam sint alij casus in quibus præbendatus a choro excusatus lucretur distributiones?

1 Casus est,an assistentia in capitulo excuset ab assistentia in choro? Pro desione no-

casibus excusetur. nota 1. Canonicum quenlibet teneri sub gravi culpa inesse capitulis quæ fiunt in favorem Ecclesiæ: secus si fiant in damnum, nisi forte ad illud impediendum, Nota 2. talem obligationem cessare tempore recreationis. Quia tunc etiam cessat prima assistendi divinis officijs. Nota 3. Capitula illa fieri non posse tempore quo celebratur officium, ac præcipué Missa maior: nisi aliqua evidens, & pro tunc urgens necessitas detur. *Capitulũ canonicorũ.*

His notatis, fit decisio. Assistentia in capitulo regulariter non excusat ab assistentia in choro. Patet, quia illa non cedit in Ecclesiæ utilitatem, sed potiùs in detrimentum, ut pote in diminutionem cultus divini. Dixi (regulariter) quia si tempore divinorum officiorum fiat Capitulum ex gravi necessitate urgente, tunc præbendatus excusabitur tanquam legitimé impeditus.

Confessionũ auditio, ex cusãs a choro. 73 2 casus est, an auditio confessionum excuset ab assistentia in choro? Constat ex *Trident. sess.* 24. *c.* 8. *de reform.* Canonicum pænitentiarum, quandiu audit confessiones reputari choro præsentem, ut fructus ac distributiones lucretur. Idẽ est de tempore, quo in Ecclesia paratus confessiones audire expectat pænitentes, vel cùm illis loquitur de rebus spectantibus ad confessionem. Utrumque intelligitur sive extra illam, quando processiones habentur. Oppositum dicendum est, si pænitentiarius auditis, & peractis jam confessionibus, tempore divinorum in confessionario privatim officium recitet, vel sacrum faciat, vel confabuletur. Hæc ex decreto 5. Congregationis tradunt *Garcia de benef. p.* 5. *c.* 4. *n.* 124. *& Bonac. cit. p.* 3. *§.* 5.

Quid de alijs canonicis tempore divinorum confessiones audientibus? Si ex devotione sua solum audiant, a choro non erunt excusati, proindeque amittent distributiones: si verò ex designatione vel mandato prælati audiant, v.g. loco pænitentiarij ob illius absentiam, vel pænitentiario adjutores ob multitudinem pænitentium, lucrabuntur, ac si choro præsentes essent. Vide *Monetam pro hac parte de distr. p.* 2. *q.* 11. *n.* 68.

Canonicus Magistralis quando a choro excusatus. 3 Casus est de magistrali, & lectorali canonico. Constat ex *cap. unico de cleric. non resid. in* 6. eum lucrari distributiones, quando in propria Ecclesia concionatur, aut legit. Ex concessione Gregorij XIII. & Sacræ Congregationis declaratione, integro illo die, quo concionem, aut lectionem habuit, choro præsens reputatur. Ex quo recté inferunt *Garcia* 3. *p. benef. c.* 2. *n.* 119. *& Barb.* 3. *p. de pot. Episc. all.* 56. *n.* 8. talem non reputari præsentem matutinis horis, quæ juxta morem aliquarum Ecclesiarum recitantur in vespere diei antecedentis. Quia non sunt horæ illius diei, in quo ille concionatus fuit, vel legit, sed sequentis.

74 In nonnullis Ecclesijs viget mos, ut octo diebus antecedentibus concionem, ille concionator habeatur pro præsenti. At *Garcia p.* 3. *benef. c.* 2. *n.* 125. quem sequitur, & citat *Palaus disp.* 3. *de Orat. pun.* 9. *§.* 6. *n.* 2. credit talem morem posse extendi ad lucrandos fructus præbendæ, non tamẽ quotidianas distributiones, nisi forte in ipsis tota præbenda consisteret. An verò sit deducenda pro assistentibus tertia pars? Affirmant *Bonacina cit. disp.* 2. *q.* 5. *p.* 3. *§.* 6. *& Garcia n.* 351.

4 Casus est, de Vicario Episcopi, ejus familiari, examinatore synodali, & visitatore diœcesis: quid a choro absentes lucrentur? Authores a nobis citati ex varijs textibus, & decisionibus rectè affirmant, & probant lucrari fructus præbendæ non veró quotidianas distributiones Canonicum Vicarium Episcopi, duos canonicos ab Episcopo sibi assumptos in familiares, Canonicos ab Episcopo constitutos visitatores hospitalium, & Ecclesiarum diœcesis, Vicarios foraneos administratores locorum, & examinatores beneficiorũ. Nomine Episcopi venit quicunque habens jurisdictionem Episcopalem. *Familiares Episcopi, & Papæ ad absentiam chori.*

5 Casus est de familiaribus Pontificis: quid acquirant excusati a choro? Sumitur ex *cap. cum dilectus, de cler. non resid* Canonicos, & præbendatos omnes, qui Pontifici serviunt, excusari ab assistentia chori, ut possint fructus præbendæ acquirere. At distributiones quotidianas non acquirunt, nisi qui speciali privilegio gaudent, quales sunt 1. Auditores Romanæ Rotæ. 2. Inquisitores, & fiscales hæreticæ pravitatis. 3. Collectores generales Cameræ Apostolicæ, subcollectores, Advocati, Procuratores, Fiscales, & Notarij in causa spoliorum, & jurium profatæ Cameræ. An & quomodo hoc privilegium extendatur ad alios: vide *Palaum* §. 8.

75 6 Casus est de docentibus, & studentibus: an excusentur a choro, & quid lucrentur? Constat ex *cap. fin. de Magistri* excusari, & lucrari fructus in absentia eos qui Theologiam, vel jus canonicum publicé docent in aliqua Academia, aut studio generali, & qui eisdem facultatibus incũbunt studentes. Gaudent verò hoc privilegio docentes, etiam si sint parochi. Ita *Palaus citatus* §. 9. *qui n.* 9. addit ut probabile gaudere etiam hoc privilegio eos qui dant operam juri civili. Egent tamen post Trident. & Constitutionem Pij 4. licentia Ordinarij. At cum probabilius sit post Tridentinum non posse Parochos absque facultate Pontificis abesse, ut studeant: quod decisum testatur Gonzales reg. 8. cancel. glos. 6. n. 249. & Garcia de benef. p. 3. c. 2. n. 83 quod certè in judicando, & consulendo servari debet, tamẽ probabile satis est posse Ordinarium concedere talem licentiam parocho volenti studere, ut multis citatis authoribus laté probat *Palaus de orat. pub. disp.* 3. *p.* 9. *§.* 9. *a. n.* 8. *Studiosi absentes a choro & beneficio.* *Parochus absens causa studiis ex licentia ordinarij.*

Quid si beneficium ex solis distributionibus quotidianis constet, lucrabitur ne illas legitimè absens causa studij? Negat *Bonacina disp.* 2. *q.* 5. *p.* 3. *§.* 9. Dicendum tamen est illas lucrari, dempta tertia parte. Quia aliter inutile esset privilegiũ. Et sic declaratum a S. Congregatione testantur *Barb. p.* 3. *all.* 56. *n.* 19. *& Garcia de benef. p.* 3. *c.* 2. *n.* 116.

76 7 Casus est, si detur privilegium, ut præbendatus a choro excusetur. Constat posse dari tale privilegium a Pontifice. Nam assistentia chori *Distributionũ duplex genus.*

ri jure humano inducta est, atque adeo Pontificis subjacet potestati. Quid tunc, dato illo privilegio lucrabitur præbendatus absens omnes distributiones? Pro resolutione supponendum est alias esse distributiones, quæ ex fructibus beneficij separantur, ut dentur solis choro interessentibus, alias, quæ leguntur a fidelibus pro iisdem.

Unde Pontificis privilegio dato ex causa legitima poterit lucrari utrasque distributiones, privilegio dato sine causa, solum priores, & nõ posteriores. Quia Pontifex non nisi data legitima causa potest dispensare in ultimis voluntatibus.

Quòd Episcopus non possit tale privilegium concedere, nisi ad breve tempus, & ex rationabili causa, rectè cum *Zerola in praxi Episc. 1. p. V. privatio §. 4. dicto 2. & Zecho de rep. eccles. tit. de benef. n. 9.* tradit *Palaus de orat. disp. 3. p. 9. §. 10.* ubi multa infert, & probat.

Statutũ contra assistentiam chori.

8 Casus est de statuto: an statuto Ecclesiæ, possit quis excusatus ab assistentia ultra bimestre lucrari fructus, & distributiones? Sit resolutio: si statutum factum sit a fundatore Ecclesiæ ita licitum, & validum erit, ut vim habeat excusandi a choro ad effectum lucrandi fructus, & distributiones. Ita cum multis *Bonacina d. 2. de bor. can. q. 5. p. 5. & Barb. de pot. Episc. p. 1. glos. 17. tit. 1. n. 25. & & 26.* Nam sacri canones multum favent fundationibus Ecclesiarũ, ne ab illis fideles retrahant.

Unde si a Capitulo, vel Episcopo de capituli consensu fiat tale statutum, invalidum erit. Quia inferior nequit prævalere contrà superiorem: & *Trident. sess. 24. c. 12. de reform.* statuit ut tribus tantum mensibus vacẽt præbendati, in quo trimestri fructus lucrentur, non distributiones. Cumq; ibidem decernat ut omnes per se, & non per substitutos munus obeant, fit ut etiam invalidum censeatur statutum, si quod in aliqua Ecclesia ab Episcopo factum detur, ut canonici servire possint per substitutos, vel alternatim unus pro alio. Ita *Rota Rom. apud Farin. decis. 659. n. 3.*

Consuetudo excusans a residentia.

77 9. Casus est de consuetudine: an hæc ita possit excusare a residentia, ut præbẽdatus lucretur distributiones? Constat omnem consuetudinem, quæ ultra tres menses absentiam a choro permittebat, eisque cõcedebat distributiones, sublatam omnino esse per Tridentinũ proximé citatum. Imó aliqui ex declarationibus Cardinaliũ id extendunt ad immemorialem.

At quid quid sit de consuetudine ante Tridẽtinum, si post illud consuetudo legitimé introducatur lucrandi distributiones temporé recreationis, aut alio quo quis legitimé a residentia excusetur: item ad maiorem vacationem, quám ultra tres menses, valida erit, ut cum multis docent *Garcia p. 3. de benef. c. 2. n. 348. Bonac. disp. 2. de hor. can. q. 5. p. 6. n. 4. & Palaus de orat. disp. 3. p. 9. §. 12. n 1 a n. 3.* laté discurrit per varias consuetudines quæ dari possunt, vel dantur in nonnullis ecclesijs. Idem tamen n. 21. recté notat dicta procedere de distributionibus, quæ ex beneficijs sunt deductæ: non autem de illis quæ ex voluntate testatorum donantur. Hæ enim debentur ex jure naturali, contra quod nulla consuetudo præscribit.

Donatio, & remissio distributionum.

10 Casus est de lucratione absentium ex aliorum donatione, remissione, vel transactione: an dari possit? Præmittenda est explicatio, & distinctio inter donationem, remissionem, transactionem, & collusionem. Donatio fit illorum quæ in meo dominio sunt. Remissio fit illorum, quæ mihi debentur, & jus habeo ad habenda. Transactio est compositio super debito dubio, & incerto. Collusio est debitorum mutua remissio, seu condonatio.

Dicimus igitur præbendatum posse retinere amissas distributiones, quas jam alij canonici possident, si eas illi donent: secùs si illas sibi applicãdas præbendato remittant: quilibet autem super distributiones sibi sut dubio debitas transigere potest. Ita authores cõmuniter apud *Garciam p. 3. benef. c. 2. Bonac. cit. d. 2. q. 5. p. 7. & Barb. de pot. Ep. p. 3. all. 53. n. 140.* Patet, quia Trident. non prohibet donationem, neque transactionem, sed remissionem, etiam quæ in collusione intervenit. Procedit de distributionibus tam amissis quam amittendis. Unde nec Capitulum potest ex aliorum consensu illas jam collectas ante quam dividantur, tibi donare. Quia non est dominus, sed dispensator. Qui voluerit exacté scire quid quid ad distributiones attinet, legat *Bapt. Fragos. de regim. p. 2. lib. 10. d. 23.*

78 SECTIO IX.
De adoratione, & sacrificio.

QUÆSTIO I.
Quid sit adoratio, & quotuplex: & qua ratione cadat in Christum, Angelos, & homines?

Adoratio quid.

Apud Theologos ex *Damasceno Orat. 1. de imag. & orat. 3.* Adoratio sic definitur: *Est submissio, & recognitio excellentiæ personæ adoratæ ex affectu illam sic recognoscendi:* Unde patet adorationem esse cultum, non qualemcunque, sed solum qui proficiscatur ex afectu se submittendi alteri, itaut adorans recognoscat tanquam superiorem rem adoratam. Quanvis enim omnis adoratio sit cultus, at non omnis cultus est adoratio: nam honorare, colere, & venerari possumus æqualem, & inferiorem, non tamen possumus adorare nisi superiorem.

Adoratio quotuplex.

Cum igitur adoratio respiciat superioris excellẽtiam: & hæc in genere sit duplex, altera increata altera creata, etiam in genere duplex erit adoratio. Unde Theologi adorationẽ quæ terminatur ad Deum, vocant *Latriam*, quæ terminatur ad Sanctos, *Duliam*. Et quia inter omnes creatas excellentias, eminentissima est, B. Virginis, ideo ejusdem adorationem appellant *Hyperduliam.*

79 Utraque explicata adoratio subdivitur in absolutam, & respectivam: absoluta est, qua quis se alteri submittit, ob excellentiam illius. Unde solis rebus intellectualibus competit, utpote capacibus virtutis, sanctitatis, dominij &c. Respectiva

tiva est quæ fit alteri non ob excellentiam in eo residentem sed ob respectum, quem habet ad aliud, & ratione cujus judicatur honore dignus: & hæc potest competere rebus inanimatibus, v. g. imaginibus, in ordine ad personas. Sic *Vasq. de adorat. d. 3. c. 3. & Suar. to. 3. in 3. p. d. 51. s. 2.*

Adoratio erga Christũ. Pro altera quæstionis parte, de fide est Christũ Deum, & hominem esse adorandum perfectissima latria, qua adoratur tota Trinitas, & quælibet Trinitatis persona. Sic fuit Christus adoratus a Magis. *Matth. 2.* ab illuminato cæco *Ioan. 9.* & ab Apostolo Thoma *Ioan. 20.* Quid de Christi humanitate Verbo unita? Concors omnium Catholicorum sententia est esse adorandam latria. Quia licet non sit Deus, vere dicitur continere Deum, cui intrinsecè unita est, sicut S. Eucharistiæ Sacramentum, cum non sit Deus, quia tamen Deum continet, a *Tridentino sess. 13. c. 5. & can. 6.* præcipitur adorari latria.

Quanvis enim humanitas Christi ex apprehentione gratiæ, charitatis, & reliquarũ virtutũ, possit terminare inferiorem adorationem, at decens non est (ut benè notat *Vasq. de adorat. l. 1. disp. 4.*) quód illam terminet. Nam qui multis titulis honorari potest, v. g. Regis, Ducis, & Comitis, indecenter honorabitur titulo comitis prætermisso titulo Regis.

80 Quod attinet ad Angelos, & homines, de fide est, ut sumitur ex concilijs *Niceno 2. Act. 1. 2. 6. & Tridentino sess. 25. de invocat. Sanct.* posse adorari omnes beatos sive Angelos, sive homines, & Sanctos homines etiam in hac vita degentes. *Adoratio erga sanctos.* Neque obstat S. pagina Deut. 6. & Math. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, & illud Apostoli ad Rom. 1. & 1. ad Timoth. 1. *Soli Deo honor, & gloria.* Nam sacra Pagina intelligitur de adoratione latria, qua excellentiam increatam recognoscimus, non de dulia, & hyperdulia qua veneramur creatam scilicet in Sanctis, & in B. Virgine.

Rogabis, qua certitudine tibi debeat constare aliquem esse Sanctum, & Dei amicum, ut possis illum adorare? Bené respondent *Bellar. l. 1. de Sanctis cap. 1. Sanch. in Decal. l. 2. cap. 43. n. 3. & Suar. tom. 1. in 3. p. disp. 52. sect. 3.* cultu publico non posse adorari nisi illum cujus Sanctitas proponitur ab Ecclesia vel canonizatione, vel beatificatione, vel generali approbatione, quæ illis æquipolleat: ut tamen cultu privato aliquem colas, sufficere, si tibi prudenter persuadeas illum sanctum esse. Ex quo recte infert Palaus de adorat. disp. 1. pun. 3. n. 8. tibi licere (modò scandalum absit) virum, quem Sanctum credis, & si neque canonizatum nec beatificatum, colere deosculando pedes, deprecando, ejus depictam imaginem in cubiculo appensam adorando, diem mortis ut festivam servando & vigiliam jejunando: at tibi non licere altare erigere, sacrificium in ejus honorem offere, in letanijs etiam privatim dictis nominare, ejus imaginem in alteri etiam privato, vel Ecclesia collocare, nisi forte ad solũ ornatum, & non cultum. Quia in casibus prioribus cultus privatus, in posterioribus cultus publicus datur. Vide *Barb. de pot. Episc. p. 3. all. 105. n. 36.*

QVÆSTIO II.

Qua ratione liceat imagines adorare: templa, & altaria erigere?

81 Contra nostri téporis hæreticos catholica doctrina est, quam laté exornant *Suar. in 3. p. q. 25. disp. 54. & Bellarm. in disp. fidei cathol controv. 7. l. 2* Sanctissimum esse usum sacrarum imaginum, ipsasque adorandas, & venerandas. Sic statuit *Trid. sess. 25. c. 2.*

Dubium est 1. quænam debeatur adoratio imagini Dei, & Sanctorum? Bené respondent *Vasq. l. 2. de adorat. disp. 8. c. 3. & Lessius l. 2. c. 36. n. 19.* eandem adorationem, quæ debetur personis repræsentatis deberi imaginibus repræsentantibus, diverso tamen modo: nam Deo, & sanctis adoratio debetur ut personis per se dignis adoratione: imaginibus veró non debetur ob excellentiam, quam in se habeant, sed quia referuntur ad Deum, & sanctos, quos repræsentant. Unde cũ totalis ratio adorandi imaginem, sit excellentia repræsentata, eadem adoratione, qua adoratur repræsentatum, adoranda est. Igitur bené infert *Vasq. l. 3. de ador. d. 4. c. 2.* non solu imagines, & nomina Christi adorari latria, sed etiam ejus præputium, & sanguinem in terris relictum, sed etiam illum qui vel ab Eucharistia, vel ab aliqua Christi imagine vulnerata miraculosé defluxit. *Imagines qualiter adorandæ.*

Dubium est 2. an si dæmon appareat sub imagine crucifixi sit adorãdus? Cõstat nõ posse licité adorari adubitãte, an sit dæmon: posse veró a judicante probabiliter veram Dei apparentiam esse. Ita *Vasq. l. 3 de ador. d. 1. cap. 5. & Bonacina disp. 3. q. 1. p. 1. n. 5.* Cum veró sæpe contingat deceptio in his apparitionibus, monet *Azor. 1. p. l. 9. c. 9. q. 11.* sic repræsentatum non esse adorandum absoluté sed sub expressa conditione, Si tu Christus es.

82 Dubium est 3. an res inanimatæ, quæ Christum tetigerunt, ut Crux, clavi, lancea, & spinæ debeant adorari latria, sicut ejus imago? Affirmandum est cum *S. Thoma. 3. p. q. 25. a. 4. & Vasq. de adorat. lib. 3. disp. 1. cap. 2.* Quia sicut imagini debetur cultus ratione repræsentationis, ita prædictis rebus ratione contactus. Et idem cum proportione dicendum est de rebus inanimatis quæ sanctos tetigerunt. *Crux, & clavi Christi adorandi.*

Dixi (de rebus inanimatis) quia talis cultus haberi nequit sine magna indecentia rebus animatis, v. g. asinæ, quæ portavit Christum, & manibus quæ illum in passione tetigerunt: ne videantur honorari propter aliquam ipsarum excellentiam. Unde rectè infertur non esse adorandos vermes in quos corpora sanctorum resolvũtur, sicut adorãtur cineres.

Dubium est 4. an quælibet Crux, & quælibet instrumenta, quæ similitudinem habent cum cruce Christi, & alijs passionis instrumentis, digna sint adoratione? Sit resolutio: si talis crux, & instrumenta accipiantur præcisé prout repræsentant crucem, & instrumenta passionis, adoratione

ne non sunt digna: secus si facta sint ad repræsentandum Christum patientem. Prior pars traditur a *S. Thoma 3. p. q. 25. a. 4. & Azorio p. 1. lib. 9. c. 6. q.* Posterior a *Suar. 3. p. q. 25. disp. 56. sec. 2. & Bonacina disp. 3. de ador. q. 1. p. 3. n. 8.* Patet utraque, nam res inanimata solum est digna cultu, quatenus immediaté conjungitur cum animata, quæ cultu digna est: & dicta instrumenta non priori, sed posteriori modo cum Christo immediaté conjunguntur.

Templa altaria, & vota in honore sanctorum.

83 Quod attinet ad templorum, & altarium erectionem, pro sanctis honorandis, quæ solent fideles erigere, sicut & ipsis sua vota fundere, breviter dicimus ex mente *Azorij 1. p. l. 9. c. 10. q. 8. & Lessij lib. 2. c. 40. n. 27.* ab initio Ecclesiæ nascentis templa, & altaria Deo dicari, in sanctorum honorem, & venerationem. Est enim Deo acceptum, ceditque in magnum Sanctorum honorem, quòd ob eorum respectum, Deo templa, & altaria excitemus, ibique Deo sacrificia offeramus. Item quód vota Sanctis fundamus: non quód vota ipsis directé fiant, sed quia fiunt Deo in honorem sanctorum, quos cupimus habere testes nostræ promissionis, & patronos, ut a Deo nobis impetrent.

QUÆSTIO III.

Qualis esse debeat sanctarum reliquiarum cultus, & adoratio?

Reliquiæ adorandæ.

Veras sanctorum reliquias, quales sunt ipsorum partes, v. g. carnes, ossa, dentes, ungues capilli, & res aliæ quæ vel ipsos in vita, vel post mortem tetigerunt, aut aliquo modo ad eosdem, specialiter pertinuerunt, sacro honore colendas & adorandas esse, definitum est a varijs concilijs, sed præcipué a *Tridentino sess. 25. c. 5.* ut videre est apud *Bellarm. lib. 1. de Sanctis cap. 1. Suar. in 3. p. t. 1. d. 55. & Vasq. de adorat. lib. 3. disp. 3.* Adoratio quæ debetur reliquijs eadem est, quæ debetur personis, quarum reliquiæ sunt.

84 Notat bené *Sanch. lib. 2. Decal. cap. 43.* ut talis adoratio impendatur privatim, debere moraliter constare quód veræ sanctorum reliquiæ sint, & satis esse, si eas vir probus, & religiosus tradidit: si tamen cultu publico impendatur, debere esse prius a Pontifice, vel Episcopo approbatas, juxta *Trident. sess. 25. c. 2.* Qualis modus in approbatione sit observandus per Episcopum, vide apud *Palaum de adorat. disp. 1. pun. 6. a. n. 5.*

Dubiũ est 1. an cuilibet liceat sanctas reliquias portare? Bené respondent *Suar. tom. 1. in 3. p. disp. 55. in fine Sanch. l. 2. Dec. cap. 40. n. 27. & Bonacina. disp. 3. de adorat. q. 1. p. 4. n. 7.* licere dummodò pié, religiosé, & decenter portentur. Nam talis portatio cedit in honorem Sanctorum, & nullibi prohibetur.

Dixi) si pié, religiosé, & docenter portentur (quia) ut bené notat *Azor 1. p. lib. 9. c. 8. q. 12.* in fine (si probabile adsit periculum, ut aliqua fœditate, vel turpi tactu violentur, illicita erit talis portatio. Quid si portans illas furetur, fornicetur, aut aliud committat scelus, hoc induet specialem malitiam in confessione necessarió detegendam? Affirmat *Philiarch. de offic. Sacerd. tom 1. p. 2. lib. 3. c. 9.* Negandum tamen est cum *Sanch. lib. 2. Dec. c. 40 n. 18. & Bonacina. q. 3. d. 1. p 4. n. 7.* nisi in commissione dicti peccati illas proculcares, vel nimis irreverenter tractares. Quia peccare cum reliquijs licét contineat indecentiam, hæc non est ita notabilis, ut in confessione aperiri debeat.

Crux cũ reliquijs adorãda.

Dubium est 2. An liceat crucem, in qua sunt reliquiæ neque a Pontifice, neque ab Episcopo approbatæ, in altari collocatam próponere adorandam populo? Negat *Bonacina disp. 3. de ador. q. 1. p. 4. a. 6.* quasi tunc tales reliquæ adorandæ proponantur. Affirmat tamen, & quidem probabiliùs, *Sanch. lib. 2. Dec. c. 43. n. 17.* Quia ibi sola crux per se proponitur adoranda cultu publico: quód si aliqui vellent adorare ipsas reliquias, id erit per accidens, & ad cultum privatum spectabit.

85 Dubium est 3. An si cum reliquijs approbatis misceantur non approbatæ, liceat eas adorandas proponere populo? Affirmabit aliquis, ex eo quod liceat aquæ benedictæ miscere non benedictam, & oleo consecrato miscere non consecratum, ut totum hoc inserviat sacris usibus *cap. quod in dubijs, de consec. Eccles.* Negandum tamen est cum Sanch. cit. n. 12. & Bonac. cit. n. 5. Quia datur periculum ut adorentur reliquæ hominis damnati. In liquoribus veró ejusdem rationis propter intimam conjunctionem ea prærogativa est, ut ex multis fiat unum, & totum consecratum. Quia juxta citatum cap. dignius trahit ad se minús dignum.

Reliquiæ an extrahendæ, & exportãdæ.

Dubium est 4. an peccet qui sanctas reliquas extrahit ex capsulis, ubi reconditæ sunt, ut ostendat populo? Bené respondet affirmativè *Sanch. cit. lib. 2. c 43. n. 21.* Addit *Palaus de ador. d. 1. p. 6. n. 13.* peccatum esse forte grave, si reliquiæ antiquæ sunt: quia ita prohibetur ab Innocentio III. in *cap. cum ex eo de reliq. & venerat. sanct.* redditur ibi ratio, ne populus adorationem detrahat, putans non esse reliquias illas Sancti, cum ita consumptæ sint. *Azor p. 1. lib. 9. c. 8. q 7. in fine* dicit reliquias in ecclesia reconditas non esse exportandas ad ægrotos sine justa causa. Ex quibus infert *Palaus citatus,* si interveniat justa, & gravis causa, & cesset detractionis periculũ, nullum esse peccatum.

86 Dubium est 5. an liceat sanctas reliquias transferre ex uno loco ad alium? *Moguntinense cõcilium 1. c. 51.* & refertur in *cap. corpora sanctorum, de consecrat. dist. 1.* statuit non posse extrahi sine consilio Principis, vel Episcopi diœcesani, sanctæque synodi licentia. Excipitur casus in quo urgeat necessitas belli, incendij, periculi rapinæ, vel similes. Tunc enim authoritas præsidis provinciæ sufficit, ut ex *l. 1. c. de reliq. & sumptibus funer.* docet Gloss. d. c. *corpora v. Principis.* Nomine Principis Gloss. intelligit Pontificem alij intelligunt Regem vel Imperatorem, si illarum Ecclesiarum, ubi requiescunt corpora, patronus sit

Ex

Ex qua ratione Concilium postulavit consilium Principis, licentiam verò Episcopi, vel Synodi. Addit *Palaus n.* 14. non videri improbabile quod tradit Azor p. 1. l. 9. c. 8. q. 9. textum citatū locum habere solum in eo qui furtim reliquias efferret, & aliò deportat: non autem in eo qui facultate, vel cōsensu ejus Ecclesiastici præfecti, cui locus sacer unà cū ipsis reliquijs commissus est id facit.

Quid si reliquiæ sint solum alicubi depositæ, & non traditæ perpetuo tumulo? Rectè docet *Sanch. multis citatis l. 2. Decal. c.* 43. *n.* 25. posse absque alicujus authoritate transferri ex uno in alium locum, ut ibi decentiùs collocentur.

Dubium est 6. an liceat laicis Sacras reliquias tangere, item in processionibus gestare? Affirmativam sententiam quoad utranque dubij partem cum *Sanch. l. 2. Dec. c.* 43. *n.* 26 *& alijs* bene sequitur *Palaus de ador. d.* 1. *p.* 6. *n.* 15. dūmodo tactus ille & portatio pie ac devotè fiat. Ratio est, quia nec ille tactus, nec portatio alicubi reperitur prohibitus. Unde quando S. Greg. l. 3. Epist. 3. ad Cōstantium dixit in totius occidentis partibus intolerabile atque sacrilegum esse Santorum corpora tangere: locutus fuit de illis temporibus, in quibus nec sacerdotibus licebat sacras reliquias, & loco ubi erant conditæ, extrahere. Deinde tex. in *c. non licet d.* 1. 23. *dist.* ubi dicitur, Non liceat cuilibet ex lectoribus Sacra altaris vasa portare: ubi *Glos.* addit in processionibus, non intelligitur de vasis continentibus reliquias, sed de calice, & patena, ut exponit Sanch. citatus.

Reliquiarum tactus, & portatio.

87 Dubium est 7. an liceat accendere cereos ad Sanctorum sepulchra, imagines, & reliquias? Vera est affirmativa resolutio ex *S. Patribus Aug. l.* 8. *de civit. c. ult. Gregor. l.* 3. *dial. c.* 24. & alijs, si accensio illa fiat ob fines religiosos, & honestos. Unde non obstat *Concil. Elibertinum can.* 34. prohibens cereos per diem incendi in cœmeteris. Quia solū prohibet id fieri ex gentilica superstitione, ut exponit *Azor p.* 1 *l* 9. 3.

Dubium est 8. an ob sacras reliquias habendas, aut videndas pecunia dari, vel recipi possit? Rectè cum *Philiarco de officio Sacerd. to.* 1. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 9. & alijs docet *Sanch. citatus n.* 22. manifestam Simoniam esse dare vel recipere peccuniam ad reliquias habendas, aut videndas: at non simoniam, sed potiùs religionem, si pecunia detur pro impedienda irreverentia quæ reliquijs fieri potest, si apud infidales existant.

Reliquiarū vēdit.

Quid si nullo inito pacto exponantur reliquæ Sanctorum videndæ, & tangendæ ob finem congerendi copiosas eleemosynas? *Navar. c.* 17. *n.* 169. *& Azor l.* 9. *c.* 8. *q.* 7. cum varijs dicunt esse peccatum lethale, si id fiat ex præcipua quæstus intentione. Nam in *Trident. sess.* 25. *c.* 2. expresse dicitur. In reliquiarum veneratione omnis turpis quæstus elimine tur. Probabilius tamen *Sanch. l.* 2. *Rec. c.* 43. *n.* 2. Affirmat in tali ostensione non cōmitti grave peccatum. Quia sic proponens solum intendit fideles ad pinguiores eleemosynas excitare, non verò obligare. In Triden. autem, & alijs textibus pro turpi quæstu intelligendus est venalis.

88 Dubium est 9. an qui furatur reliquias, cōmittat furtum sacrilegum? Rectè affirmant cum multis. *Azor p.* 1. *l.* 9. *c.* 8 *q.* 9. *Sanch. l.* 2. *c.* 43. *n.* 25. *& Bonac. de ador. d.* 3. *q.* 1. *p.* 4. *n.* 8. Quia ibi datur contrectatio rei alienæ sacræ invito domino Excusabitur tamen qui illas surripuerit ab infidelibus, ut pote injustè possidentibus, qui illis non præbent Sacrum honorem, & si quem præbent, politicus est.

Furtum reliquiarum.

Est ne pœna decreta contra prædictos fures? Nulla reperitur in jure communi. *Gregor. XIII. in* constitutione quæ incipit *Pontificia* excommunicatione reservata afficit eos qui sine facultate Pōtificis in provinciam Mediolanensem Sacras reliquias asportaverit, qui ab una Ecclesia in aliam transtulerit, qui aliquam earum particulam dederit, vel acceperit. *Barb p.* 3. *alleg.* 50. *n* 158. affirmat dari ex communicationem Pontificiam contra alios qui absque Pōtificis facultate extrahunt reliquias ex Romanis cœmeterijs, aliive sacris locis, ut aliò transferant. Notat benè *Azor p.* 1. *l.* 9. *c.* 8. *q.* 10. facultate Pontificis ex tractas posse donari, & quò libuerit, transferri.

Dubium est 10. quinam debeatur cultus formis cereis, quas vocamus Agnos Dei, ex figura Agni ipsis impressa? Certum est deberi illis eundem cultum qui debetur alijs rebus Sacris Deum repræsentantibus. 1. quia sunt Dei imagines, 2. quia in Dei cultū, & fidelium juvamen ritu solemnissimo a Pontifice destinantur.

Agnus Dei.

Unde *Gregor. XIII.* sua constitutione, quæ incipit *Omni certe studio*, tulit excommunicationem ipso facto, non tamen sibi reservatam contra eos qui Agnos Dei a Pontifice consecratos pinxerint, infecirint illisve aurum, colorem, aut aliud superinduxerint, pingi aut miniari fecerint, quovis prætextu, vel causa.

Unde Agni jam depicti, vel illuminati retineri possunt quia prohibetur sola actio pingendi, & non retinendi. Item sub prædicta pœna, & peccato Simoniæ nemo potest illos vendere, vel retinere ad vendendum pluris quàm valet materia. Vide Bonac. d. 3. de 1. præc. Decal. q. 1. p. 4. n. 12.

89 Quid de tangentibus Sacros Agnos Dei? Licitum est initiatis ordinibus etiam minoribus, & sola prima tonsura tangere Sacros Agnos Dei; id tamen non licet laicis, sicut nec corporalia, vasa Sacra & a fortiori sanctum Chrisma tangere. Id enim sumunt Doctores ex *c. Sacratas* 23. *dist.* Notant verò *Azor p.* 1. *l.* 9. *c.* 9. *q.* 3. *& Sanch. l.* 2. *Rec. c.* 43 *n.* 27. non esse culpam gravem, quia videtur materia levis. Addit *Sanch.* ibidem se credere jam hodie nullam esse culpam etiam si Agnus Dei a fœmina tangatur reverenter. Quia sic jam usus obtinuit.

Tactus rerum sacrarum.

Dubium est 11. An liceat res Sacras convertere in usus profanos? Idem hoc loco valet res Sacra atque divino cultui dicata, qualia sunt vasa, vestes, & similia. Si loquamur de rebus Sacris, in quibus adhuc benedictio, vel consecratio retinetur,

Vasa sacra, & vestes sacræ in usu profano.

netur, certissimum est non posse absque sacrilegio usibus profanis inservire, ut constat ex *c. quæ semel 19. q. 3.* & *cap. quæsti sum 17. q. ult.*

Si loquamur de rebus sacris, quæ jam amiserunt benedictionem, vel consecrationem, quia fracta vel lacerata sunt, qualis fractus calix, lacerata vestis, adhuc *Azor p. 1. lib. 9. c. 9. q. 7.* existimat non licere illas convetere in usus profanos. Nam *c. ligna de consec. dist. 1.* statuitur quòd ligna Ecclesiæ dirutæ non destinentur ad alios usus nisi ad aliam Ecclesiam, vel ad profectum monasterij. Et *c. Altaris de cõsecrat. dist. 1.* præcipitur quod altaris palla cathedra, candelabrum, & velum, si reddantur inutilia ex vetustate, incendio dentur, & cineres in baptisterium inferantur. Quod etiam dicendũ est de imaginibus sacris jam vetustate consũptis.

90 Nihilominus *Palaus de Ador. d. 1. p. 6. n. 25.* credit probabile, secluso scandalo, nullum, vel levissimum peccatũ esse fracta vasa, & ruptas vestes applicare ad usus non sacros. Quia prædictæ res amissa benedictione, & consecratione nec benedictæ, nec consecratæ manent; ergo laicis usibus possunt inservire. Utraq; sententia mihi placet, si ita concilietur, ut prior intelligatur secundùm decentiam, posterior secundum totum rigorem.

Profana applicata usui sacro. Dubium est 12. an liceat vestes, vasa, & alia hujusmodi profanis usibus dicata, ad usus sacros applicare? Benè respondent affirmativè *Suar. de Euchar. disp. 81. sec. 7. vers. sed quæres, & Bonac de adorat. q. 1. pun. 4.* in fine, si ab Episcopo, vel habente ad id authoritatem priùs consecrentur, vel benedicantur. Nam etiam Idolorum templa in Dei, & sanctorum basilicas converti solent.

QUÆSTIO IV.

Quid & quotuplex sit Sacrificium: & an in præcepto?

Sacrificiũ quid sitat. EX *S. Thoma 2. 2 q. 85. a. 3.* rectè *Valent. disp. 6. q. 4. p. 1. & Lessius l. 2. c. 38. dub. 2. n. 19.* definiunt Sacrificium in hunc modum. *Est actio, qua res aliqua sensibilis per suimutationem a legitimo ministro offertur Deo in recognitionem ejus supremi dominij, & nostræ subjectionis.* Particula (actio) adjuncta alia (offertur Deo) est loco generis: nam per utranque designatur oblatio, quæ latiùs patet quám Sacrificium: quanvis enim omne Sacrificium sit oblatio, non & contra omnis oblatio est Sacrificium. *Oblatio quid.* Idcirco additur particula illa (per sui mutationem) nam sacrificare apud Græcos est mactare, seu occidere: quia in Sacrificio res mutatur de viva in mortuam ad testandum Deum vitæ, & mortis authorem. Unde soli Deo hujusmodi oblatio fieri potest. Ponitur (a legitimo ministro) Quia cũ Sacrificium sit cultus externus publicus, a legitimo, & publico ministro fieri debet.

91 Quod attinet ad multiplicitatem, constat *Sacrificiũ quotuplex.* *Genes. 4. 14. Levit. 1.* & multis alijs locis Sacrificium in lege naturæ, & veteri fuisse multiplex, at in lege gratiæ fatentur omnes Catholici, & sumitur ex *Apost. ad Hebr. 7. & Triden. sess. 22. c. 2.* esse unicum. Quia per institutionem Sacrificij Eucharistiæ, quod solum in lege nova est, omnia vetera cessarunt tanquam illius umbra, & figuræ. Cum enim Eucharisticũ Sacrificiũ habeat virtutem infinitam ad Deũ laudandũ, per peccata offensum placandũ, & ab eo impetrandum, quodlibet aliud superfluũ foret.

Denique Sacrificiũ olim fuisse, & modo esse sub præcepto, facilé suadetur, nam & præcipuo fine Sacrificium fuit institutum, ut fiat in reognitionem supremi dominij Dei, & nostræ ad ipsum subjectionis: sed naturali jure tenetur creatura rationalis Deum ut supremum Dominũ recognoscere, seque illi subjicere; ergo per Sacrificiũ debet creatura rationalis visibilis testari depẽdentiam quam a suo creatore habet, & consequẽter illius supremũ dominiũ. Quali Sacrificio id fieri oporteat, natura inditũ non est. Unde Deus in lege naturæ Sacrificia peculiari instinctu, in lege veteri, & nova peculiari mandato designavit.

TRACTATUS XXVII.

De observatione festorum.

92 SECTIO I.

De præcepto observandi dies festos.

QUÆSTIO I.

An sit, & quale sit præceptum observandi dies festos, & ex quo jure latum?

Festa observandi præceptũ. VRia in hac quæstione proponũtur expedienda. 1. est, an in lege veteri datũ fuerit, & modò in lege nova detur præceptum de observatione festorũ? Indubitatum est fuisse præceptum in lege veteri de observando sabbato, ut habetur *Exod. 12. & Levit. 23.* quo homines obligarentur, cultum Deo exhibere, eique referre gratias propter accepta beneficia, præsertim ob beneficium creationis, & liberationis populi Hebræi a dura servitute Pharaonis. Ita *Azor to. 1. l. 1. c. 2. q. 2. & Fagund. in quincal. l. 1. c. 1. n. 3.*

In lege tamen gratiæ ad colendam memoriam beneficij redemptionis, quod longé maius est quám liberatio a servitute Pharaonis, Sancta Ecclesia ex clusa festivitate Sabbati *c. pervenit. de cõsec. dist. 3.* præcepit observandam diem Dominicam *cap. pronunciandum, de consec. dist. 3.* ne videretur convenire cum Iudæis, & quia populus Christianus sperat habiturus requiem, quãdo in æternam vitam cum Christo revivifcet.

2 Expediendum est, quale nam sit præceptũ observandi festa? Rectè affirmat *Suar. to. 1. de relig. l. 2. c. 1.* tertium Decalogi præceptũ apud Hebræos

os

os partim morale, seu naturale fuisse, & partim cæremoniale, scilicet morale quatenus absolutè præcipiebat cultum Dei externum pro acceptis beneficijs, & consequenter tempus aliquod in quo cultus ille exhiberetur: cæremoniale, tum quoad significationem beneficij creationis, tum quoad multa alia quæ ille refert a n.8.ad.10.

93 Dubitatur, an in lege gratiæ dies Dominica sit observanda præcepto divino, an solo Ecclesiastico? *Sylvest.V.dominica q.1. §.7.* esse observandam præcepto divinò assignavit. Nam fuit satis conveniens quod Christus Dominus in lege gratiæ, quod erat de jure naturæ circa tempus colēdi Deum, ad Dominicam diem determinaverit.

Nihilominus *Suar cit.at.cap.4.n.8. Fagund.l.1.c.2.n.3.& Bonacin.disp.5.de 3.Dens prec.in prin.* docent esse observandam humano jure, seu præcepto. Ratio est, quia Theologi cōmuni consensu docent nullum aliud divinum præceptum fuisse latum a Christo domino, præter fidei, & Sacramentorum præcepta, alia verò quæ pro temporum varietate recipere possunt mutationem, Ecclesiæ suæ tradenda reliquisse.

3 Expediendum est, quo fine latum fuerit præceptum de observatione festorum. Si loquamur absolutè nullo determinato festo: præcipimur festos dies observare 1.ut vacantes a servilibus operibus, orationi liberiùs ac devotiùs instemus. 2.ut sanctorum facta recolentes provocemur ad ipsorum imitationem. 3.ut ardeamus desiderio illius æternæ quietis, in qua est juge festum, & jugis cantus alleluia.

94 Si loquamur in specie, Dominica dies fuit instituta, ut recordaremur beneficiorum, quæ Deus illa die nobis contulit. Nam eadem lucem produxit, Manna Israelitis impendit: eadem Verbum caro factum in lucem prodijt, quod a Magis adoratum, & in Iordane a Joanne baptizatū, & a mortuis surrexit, & Apostolis Spiritum Sanctum donavit: Ob quas causas Sexta Synodus generalis cap.8. decrevit quòd dies Dominica tanta religione coleretur, ut præter orationes & Missarum solemnia, & ea quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fieret. Festos alios dies, quales Nativitatis, Transfigurationis, Resurrectionis, Pentecostes instituit Ecclesia ad recolendam memoriam talis vel talis beneficij. Alios B. Mariæ Virgini, alios martyribus, confessoribus Virginibus dicavit, ut de eorum gloria voluptatem captantes ipsorum deprecaremur patrocinium.

Dominica dies, & festa alia.

QUÆSTIO II.

Quinam possint festos dies instituere?

Citra omne dubium est posse Pontificem dies festos instituere pro tota Ecclesia, item Concilium generale ex approbatione Pontificis. Nam ad supremum pastorem peculiariter spectat cultum divinum promovere, & fideles ad Christum per viam cælestem ducere. Solum est difficultas duplex circa potestatem Episcopalem, & Regalem.

95 Prior difficultas est, an & quomodò possit Episcopus pro sua diœcesi dies festos instituere, & designare? Ex *cap.conquestus, de ferijs,* & *cap. nouit dist.12.* resolvūt benè *Azor to.2.c.26.q.4.S.ā-cb.l.2.Dec.to.1.cap.43.n.9.Suar.l.2.de diebus festis cap.11.n.4.& & Fagun.in Quinc.lib.1.c.3.n.3.* & habetur in *Const.Archiep.Vlyssip.l.2.tit.2.decreto 1.* posse Episcopos in suis diœcesibus cum clero, & populo dies festos designare in honorem sanctorū, dummodo tales sancti sint a Pontifice approbati, seu in sanctorum numerum relati.

Episcopus circa dies festos instituendos

Ponitur hujusmodi limitatio de approbatione sanctorum per Pontificem. Quia Alexander 3. in *cap.1.de reliq & venerat.Sanct.* prohibuit celebrari solemniter sanctum, qui ut talis non sit declaratus, & approbatus a Romano Pontifice. Unde contra *Caßanaum in catal.p.3.consid.48.& Panorm.c.1.de consec.dist.3.* asserentes posse Episcopum in sua diœcesi facere quem voluerit colipro Sancto, rectè docuit oppositum *Fragos. de reg.p.2.lib.8. disp.19.§.7.n.3.*

Canonizatio per solum Pontificem.

Dubium est 1. an pro sancto beatificato, & nō canonizato possit Episcopus instituere festum diem? Ratio pro parte negativa est, quia Pontifex sanctum aliquem beatificans solum permittit alicui regno, vel provinciæ Sacrificium offerri horasve canonicas recitari in illius venerationem. Affirmandum tamen est cum *Suar.to.1.de relig.lib.2.de dieb.fest.c.11.n.5.& Fagund.cit.l.1.c.3.14.& 15.* Ratio est, quia eo ipso quo Pontifex permittit Sacrificium Missæ celebrari ab aliqua persona in honorem alicujus Sancti, sicut permittit beatificans, proponit universæ Ecclesiæ talem sanctum adorandum, & colendum, atque adeo tacitè permittit ut colatur quolibet alio cultu inferiori: est enim Sacrificium Missæ cultus publicus omniū maximus.

Beatificatio sancti quid importet.

Unde sicut permittit quòd Sanctus beatificatus in Catalogum Sanctorum referatur, in publicis Ecclesiæ precibus invocetur: templa, & altaria in ejus honorem excitentur, horæ canonicæ recitentur, ejus imago ornetur diademate, & collocetur in altari, ejusque reliquiæ devotè serventur, & colantur, ita etiam permittit quod de & festa instituantur.

Canonizatio, & beatificatio.

Nec per hoc inter canonizationem, & beatificationem tollitur omnidò discrimen, quod est accindentale consistens in maiori, & minori solemnitate: nam per beatificationem quibusdam solum personis permittitur officium, & Missa Sancti beatificati juxta rubricas Breviarij, & Missalis, & non omnibus diebus, sed solum aliquibus: at per canonizationem omnibus permitti, & quandoque mandari solet. Quid sit canonizatio, & in quo differat a beatificatione, vide Elucid. n. 2015 Qua certitudine tenendum sit canonizatū, & beatificatum esse in cælo, & frui visione beata, apud citatos authores invenietur.

96 Dubium est 2. an postuletur cleri, & populi consensus, ut possit Episcopus dies festos instituere? Dico 1. attento jure communi, Episcopus non potest statuere in sua diœcesi festos dies perpetuos, nisi accedat cleri, & populi con-

 sensus,

sensus. Ita *Azor.p.2.l.1.cap.26.q.2. Barb.de pot Episc p.3.alleg.105.n.30.& Fagund.in quinc.l.1. c.3. n. 10.* Ratio est, quia licet clerus, & populus non instituant festum, tamen Episcopus ex jure non habet instituendi potestatem nisi sub illa conditione, quód talis accedet consensus, qui proinde habet se per modum formæ. Dixi (festos dies perpetuos) quia absque tali consensu, pro una vel altera vice decernere potest.

Dico 2. Attenta consuetudine, quæ jam hodie in omnibus fere partibus viget, Episcopus potest instituere dies festos absque populi consensu. Ita præter citatos authores *Cassan. in catal.glor. parte 3.consid.48. Marc. Anton.Genuensf.in praxi Neapolit.c.51.& Fragosf.p.2.disp.19.§.7.n.2.* Nam mos obtinuit, ut minimé vocato, & requisito populo Episcopus ex solius cleri, seu Capituli consensu, & non citra illum, dies festos institueret.

Festi dies an possint a Rege institui. 97 Posterior difficultas est, an Rex, & Princeps sæcularis habeat potestatem instituendi dies festos, & obligandi subditos sub culpa, & pœna illos observare? Posse laicos magistratus statuere pœnas contra violantes festa indicta ab ordinario, bené ex *cap. in religioso* de consec. dist. tradit *Frag.p.2.disp.19.§.7.n.7.* Circa dies non festos, *Saa V.festum n.1.Sylvest.V.Bonacina n.2.& Sayrus in clavi l.7.cap.3.n.17.* quanvis fateantur non posse Principem sæcularem cogere subditos ad audiendam Missam die non festo, asserunt tamen posse illos cogere ad abstinendum a servilibus operibus. Quia hoc est quid indifferens, ut evadat temporale, vel spirituale.

Hæc resolutio vera est, si sano modo intelligatur, ut nempe possit secularis Princeps in certis ac statutis diebus in signū lætitiæ, v.g. quia ipse natus fuit tali die, vel præclaram aliquam comparavit victoriam, præcipere feriationem politicam. At non potest instituere dies festos de quibus nobis sermo est, non solum quoad auditionem sacri, sed etiam quoad cessationem ab opere servili. Nam cessatio quæ ab Ecclesia præcipitur est religiosa, & externus Dei cultus. Iuxta illud *Memento quod diem Sabbati sanctifices.* Ita cum multis *Barb.p.3.de pot. Episc. all.105. n.38.& Bonacina disp.3.de 3.decalogi præcepto q.unica p.1.n.5.*

Poterant hoc loco multæ decidi quæstiones: an sola consuetudine, & quali festi dies instituantur? Quæ personæ ad illorum observationem obligentur? an forenses, & peregrini, an pueri, an amentes, an ebrij? Sed de his omnibus jam egimus tractatu de legitibus, in priori parte n. 185. 188.n.278.

98 QUÆSTIO III.

Sitne affirmativum vel negativum hoc præceptum: & quænam in illo sit parvitas materiæ?

Observatio festorū quale præceptū. PRæceptū observandi dies festos duo cōtinet, alterū audire Missam alterū cessare ab opere servili. Quoad priorē partē, cōstat esse affirmativū: siquidem præcipit cultū positivū. Quoad posteriorem, maior dubitatio est, quam ex *Azorio to.2.lib.1.c.1.& Suar.to.1.de relig.l.2.de festis c.1.n.7.* possumus decidere cū distinctione, scilicet cessationem ab opere servili terminare præceptū formaliter positivum, materialiter veró negativum. Ratio est, quia sanctificatio sonat quid positivū saltem moraliter, & illa præcipitur Exodi 20. *Memento quod diem Sabbati sanctifices.* cum veró talis sanctificatio non mandetur executioni nisi per negationem positivæ ac physicæ actionis, ideo materialiter ex hac parte præceptum negativum est.

Circa alteram quæstionis partem de quantitate materiæ sufficientis ad culpam gravem, non est nobis modò sermo de præcepto audiendi Missam cū illum simus habituri, quando egerimus de Sacrificio Missæ. Quæstio solum nobis est de præcepto prohibente opera servilia. Supponendum igitur est cessationem ab opere servili debere incipere a principio diei festi, & durare usq; ad finem. Cum veró hic dies pro diversitate regionum diversimodé computetur, ut habetur *c p. quoniam, de Ferij,* constat in Hispania, Gallia, & Italia computari a media nocte usque ad mediam noctem, & continere 24. horas.

99 Est ergo difficultas, quantum tempus laboris servilis intra talem diem sufficiat ad peccatum mortale. Aliqui inter Doctores Canonistas nimis laté loquuntur, opinantes requiri, ut sit gravis materia, tertiam partem diei in servili labore cōsumendam. Aliqui inter Theologos, quales *Azor.p 2.lib.1.c.28.q.5.& Bonacina disp.5. de tertii præcep. Decal.q.unica p.3. n. 2.* Arcté loquuntur asserentes sufficere unam horam laboris servilis ad peccatum mortale. Non multum discrepat *Fagund.in quinc.l.1.c.14.n.2.* ubi dicit peccare lethaliter qui supra horam addat quadrantem. *Materia gravis quæ in observatione festorū.*

Media via incedendum nobis est, & cum *Suar. cita.c.31.n.2.* id relinquat arbitrio prudentis, credit tamen esse materiam modicam unam integram horam, cum una hora sit pars vigesima quarta unius diei: in quo consentit *Sanches. lib. 1.Decal.cap.4.n.18.* Existimo igitur spatium duarum horarum, quæ sine necessitate consumantur in opere servili, esse materiam gravem, proindeque sufficientem ad peccatum mortale. Ita expressé Palaus de obser.fest.disp.2.pun.3.n.4. ubi addit se non vidisse Doctorem classicū, qui latius tempus concederet.

At si loquamur de judicialibus, & forensibus quæ speciali jure vetantur, gravitas materiæ non ex quantitate temporis consumpti, sed ex quantitate operis desumenda est. Quanvis enim vēditio rei parvi momenti, ut v.g. vendere calceos, & res alias hujusmodi prætertim facta agricolis die festo concurrentibus jam ex consuetudine non sit grave peccatum, tamen si res vendita sit magni momenti, & venditio aliqua solemnitate fiat, etiam brevi tempore, lethalis esset: & a fortiori actus judicialis, cui etiam accedet specialis deformitas ex nullitate actus ipsius.

SEC-

SECTIO II.
Quæ præcipiantur, & prohibeantur die festo.

QUÆSTIO I.
Quænam actiones die festo sint exercendæ ex præcepto affirmativo.

100 DAri præceptũ non quidẽ divinũ, sed Ecclesiasticũ obligans ad audiendam Missam integram in diebus festis, sumitur ex *cap. Missas de consecrat dist.* 1. Quanvis enim hoc decretum sit Concilij Agathensis provincialis, tamen illud acceptavit Ecclesia universa. Accedit quod continetur sufficienter in 6. synodo cap. 8. ubi dicitur esse licentiam iter agendi die Dominica, *dummodo Missa non omittatur.* *Missæ auditio diebus festis.*

Hoc præceptum obligat ex genere suo sub mortali, etiam secluso contemptu. Ratio est, quia spectat ad virtutem religionis, estque in materia satis gravi, nempe Sacrificio Missæ. Tempus ut impleatur, est totum illud, quo Missa celebrari solet, etiam statim post mediam noctem, ita ut si auditio Missæ differatur usque ad ultimam horam diei, in qua Missæ copia inveniri protest, pro illa hora tanquam ultimo termino obligationis præceptum urgeat. Unde *Suar. l. 2. de diebus festis c.* 15. *n.* 10. *&* 11. affirmat contra *Sanch l.* 3. *Matr. d.* 18. *n.* 21. si ab oppido quo dies festus est, quis recesserit ad locum, ubi festum non observatur, teneri pro tempore etiam brevi sed opportuno ante discessum, audire sacrum.

101 Difficultas est an præter auditionem Missæ in die festo dentur aliæ positivæ actiones, quæ pro Sanctificando tali die præcipiantur? Sit resolutio, quam ut certam ex *Suario* citato tradit *Palaus de obser. fest. disp.* 2. *pun.* 4. *n.* 1. Ex vi præcepti observationis festorum nnlla alia actio præter Missæ auditionem exercenda est. Patet, quia neq; scriptura aliqua, neque traditione, neque consuetudine legitimè præscripta talis obligatio constat.

Infertur 1. non esse obligationem sumendi sacram Eucharistiam die festo, etiam Dominico, imo nec ipso die Paschalis: Quia licèt in *cap. omnis utriusque sexus, de pænit, & remiss.* præcipiatur communio die Paschatis, hoc non fit ex vi præcepti servandi festa, sed ex præcepto divino communicandi, quod determinavit Ecclesia ad illud tẽpus. Imo illud non obligat pro illo determinato die, cum possit octo diebus antecedentibus, & alijs octo subsequentibus impleri juxta decretum Eugenij 4. & ex consuetudine in tota Hispania, qualibet die quadragesimali, ut ait *Suar. de Euch. disp.* 90. *sect.* 2.

Infertur 2. non dari obligationem in die festo recitandi aliquam, vel aliquas orationes. Nam quando in 6. *synodo generali cap.* 8. datur facultas iter agendi, & additur dummodò non omittatur Missa, & orationes, intelligitur de orationibus, quæ in Missa recitantur per Sacerdotem, & non de alijs quæ ab audiẽtibus debeant recitari: solis enim per Sacerdotem recitatis debent auditores attendere.

Infertur 3. cum *Suar. cit. cap.* 16. *n.* 6. *Graffis* 1. *p. decis. l.* 2. *cap.* 14 *n.* 8. *& Bonac. disp.* 5. *de* 3. *Eccl. præc. q. unica p.* 2. *n.* 27. per se & ex vi observationis festorum nullam dari in fidelibus obligationem audiendi concionem diebus festis. Quia nullibi talis obligatio reperitur. Unde non placet Hermanus in Medulla lib. 3. tract. 3. cap. 1. dub. 3. ubi innuit sub veniali teneri fideles ex vi illius præcepti audire concionem. Dixi ex vi observationis festorum (quia aliunde, quatenus unusquisque tenetur discere necessaria ad salutem, poterunt sub lethali teneri ad audiendas conciones, quæ solis diebus festis habeantur. Et in hoc sensu dixit *Trull. l.* 1. *c.* 1. *d.* 4. *n.* 12. pro implenda hac obligatione concionem etiam Missæ præferendam esse. *Concio in diebus festis.*

102 Infertur 4. neminem teneri diebus festis facere aliquam oblationẽ Deo in Ecclesia. Nam textus in *cap. omnis Christianus, de consec. dist.* 1. ubi dicitur, omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre, & *Concil. Fribur. c.* 35. in quo dicitur: Diebus Dominicis, & Sanctorum festis ad Missas cuilibet Christiano cum oblationibus est currendum. Non debent intelligi de præcepto, sed de consilio. *Oblatio in diebus festis.*

Infertur 5. cum *S. Thom.* 2. 2. *q.* 1. 2. 2. *a.* 4. *& Bonac. citat. q. unica p.* 2. contra *Scotum* 3. *dist.* 27. *a.* 1. *& Tabienam V. charitas n.* 20. ex præcepto observandi dies festos non insurgere obligationem diligendi Deum, eliciendo circa illum actum charitatis, vel exercendo erga proximos. Quia talis obligatio sine fundamento festis diebus addicitur. Nõ enim rectè sumitúr ex tempore sacratiori, sed ex tempore, in quo necessitas urgentior occurrit. Ex quibus ultimò inferendum non dari in festis diebus obligationem contritionis eliciendæ, cum sine illa stare possit cultus Dei per auditionem Missæ, & cessationem a servilibus. *Charitatis opus diebus festis.*

QUÆSTIO II.
Quænam opera servilia festis diebus prohibeantur?

COnstat ex *cap. licet, de ferijs* prohibitum esse diebus festis opus servile, nẽpe illud quod juxta *S. Thomam* 2. 2. *q.* 122. *a.* 4. commoditati corporis inservit, & a servis regulariter fieri solet, ut vestes conficere, cibos præparare terram, colere. Unde patet distinctio inter servile, & liberale opus: nam liberale proximé, & immediaté refertur ad instruendam mentem, quale est loqui, legere, docere: at servile proximé, & immediaté cedit in utilitatem corporis. *Opera servilia quæ.*

103 Apposui in expositione operis servilis hanc particulam (& a servis regulariter fier solet) quia sunt nounulla opera quæ inserviunt commoditati corporis, & solent exerceri tam a servis quàm a nobilibus, qualia sunt v. g. scribere, piscari, venari, aucupari, præliari, iter facere, de quibus dubitari potest, an prohibeantur diebus festis. Illa omnia expediemus, expeditis dubijs sequentibus.

1 Dubium est an scribere, & transcribere sint opera servilia, proindeque illo præcepto vetita? Communis opinio est inter Summistas, quos citat *Scribere transcribere die festo.*

tat ac sequitur Azor p. 2. l. 1. cap. 27. q. 4. actiones scribendi, & transcribendi esse serviles, si fiant mercedis gratia. Nam Azor distinguit duo genera scribendi, aliud liberale, quando quis scribit, ut memoriam excolat, & conservet: aliud servile, quando scribit vel transcribit ut habeat lucrum, & quaestum.

Dicendum tamen est cum Suar. to. 1. Rel. l. 2. c. 24. & 25 Sayro in clavi l. 7. c. 2. n. 13. Ludov. Lope p. 1. Instruct. l. 1. c. 14. §. 8. Fagun. in quinc. l. 1. c. 11. n. 3. & 4. & Bonac. citato q. unica p. 2. n. 25. actiones scribendi etiam si fiant gratia mercedis, non esse serviles, sed liberales. Patet, nam quaecunque vera scriptura est permanens locutio, ac proinde ex se & propria natura ordinatur ad proprios conceptus manifestandos; ergo semper est opus liberale. Quod veró fiat ex mercede, evadet opus mercenarium, & non gratiosum: semper tamen erit liberale, & non servile.

104 Objices, Transcriptio est quoddam genus impressionis: nam sicut typographus attendit ad originale, ut illud imprimat, ita transcriptor attendit ad illud, ut transcribat; sed actio imprimendi est mechanica, & servilis; ergo & actio transcribendi. R. esse discrimen inter transcriptionem, & impressionem: nam transcriptio fit directé, & immediate ex intentione illustrandi mentem: at impressio quanvis ad id remote, & ultimate dirigatur; tamen immediate fit ob commoditatem corporis, scilicet ut illud liberet a labore multiplicis transcriptionis: deinde exercetur per actiones serviles; de quibus laté in mea Acad. m. num 1136. Nihilominus Diana p. 4. tr. 4. res. 6. citans Ho. nobonum de bonis vol. 1. par. 2. resp. 34. & La man lib. 4. tr. 7. cap. 2. n. 3. quanvis non excuset imprimentem, excusat tamen ordinantem charateres. Inclinat Busemb. l. 3. tract. 3. c. 1. dub. 1. n. 6. vide Tamburinum lib. 4. decal. c. 3. §. 2. n. 6. & 7.

Typographorum opus.

Pictura in sit opus servile.

2 Dubiū st, an sit servilis, & prohibita diebus festis actio pingendi? Negantem partem tenent varij authores. Nam Sylvest. V. Dominica q. 5. Tabiena Angel. R. fest. & Armil. quos refert, & sequitur Azor p. 2. l. 1. c. 27. q. 6. dicunt non peccare eos qui diebus festis pingunt gratia discendi, seu animum reficiendi. Med. l. 1. Instruct. cap. 14. §. 8. Ludov. Lopez, in suo Instruct. 1. p. cap. 52. & Sayrus in clavi l. 7. c. 2. n. 16. affirmant non esse opus servile pingere die festo etiam ratione lucri, & mercedis. Et hoc probabile judicat Sá V. festum n. 5. vide Tamborin. l. 4. decal. cap. 3. §. 1.

Dicendum tamen est cum communi, & vera sententia actionem pingendi de se servilem esse. Ita cum multis Suar. to. 1. rel. lib. 2. c. 26. n. 4. Fagund. in quinc. lib. 1. cap. 11. n. 10. & Bonac. disp. 5. de 3. Decal. prae. q. unica p. 2. n. 25. Ratio est, quia actio pingendi per se & immediaté nō ordinatur ad illustrādam mentem, sed solum ad artefactam imaginem assimilandam rei verae. Quod veró ex hujusmodi assimilatione excitetur mens ad cognitionem rei repraesentatae, remotae, & per accidens est.

Venatio, & piscatio die festo.

105 3 Dubium est, an venatio, aucupatio, & piscatio die festo prohibeantur tanquam servilia? Sylvest. Tabiena. & Armil. quos citat Azor p. 2. l. 1. c. 27. q. 7. dicunt hujusmodi actiones esse serviles, si fiant ob lucrum vel quaestum. At ipse Azor citato loco cum Navarro summ. cap. 13 n. 11. §. sexto Med. l. 1. Instruct. cap. 12. §. 8. Sá V. Jejunium n 5. & Lem. cima citato disp. 5. q. un. p. 2. n. 25. dicunt venari, aucupari, & piscari, esse actiones per se non serviles, & ideo licere.

Dico tamen cum Suar. citato cap. 28. n. 3. Fagund. lib. 1. c. 11. n. 17. & Toleto l. 1. c. 24. venationem, piscationem, & similes esse actiones de se serviles. Quia immediaté diriguntur ad commoditatem, & utilitatem corporis: tamen ex consuetudine licere venari, & piscari in flumine: non ita piscari in mari, nisi urgente necessitate.

4 Dubium est, an diebus festis liceat praeliari? Valent. 2. 2. disp. 3. q. 16 p. 5. §. tertio Sa V. bellum n. 15. a Caietan. 2. 2. q. 40. art. 4. quibus annuit Bona c. disp. 2. de restit, q. ult. sect. 1. p. 12. §. 4. fine existimant praeliari non esse opus servile, proindeque non peccare lethaliter qui praeliantur die festo, etiam sine necessitate. Nam est actio aeque communis servis, & principibus.

Praeliari, & digladiari die festo.

106 Probabilius tamen sentiunt Suar. l. 2. de festis c. 28. n. 8. & Fagun. in quinc. l. 1. cap. 11. n. 2. praeliari esse opus servile, cum sit actio quae magno labore circa bonum, & effectus corporis omninò exercetur: at ratione necessitatis fere semper excusari. Nam in defensivo datur necessitas defendendi vitam, & fortunas: in offensivo datur opportunitas comparandi victoriam. Et ex hac necessitate excusantur qui die festo muniunt urbes, arces, & oppida fossa, vallo, & aggeribus. Addit Suar. etiam tempore pacis solere fieri diebus festis quasdam exercitationes militares, quarum usus licet tum ex consuetudine, tum ex morali necessitate. Denique receptum est quòd festis diebus juvenes artem gladiatoriam discant.

Munitiones, & vallatio nes die festo.

Iter facere die festo.

5 Dubium est, utrúm iter agere sit opus servile, proindeque festis diebus prohibitum? Esse opus servile, sed viatores excusari consuetudine, asserunt Abulensis Exod. 12. q. 25. Sotus l. 2. de just. q. 4. a. 4. § tertium genus, & Caiet. 2. 2. q. 122. a. 4. Rectiús docent Navarr. cap. 13. n. 6. Azor. p. 2. l. 1. cap. 27. q. 8. & Suar. de festis l. 2. c. 27. n. 1. non esse opus servile, sive pedibus, sive equo fiat, proindeque licere die festo. Patet quia non est opus peculiare servorum sed quasi naturale ordinatum ad corporis vegetationem, & conservationem.

Muliones die festo.

Unde licitum est muliomibus iter agere dummodò non deferant bestias onustas, vel plaustra onusta, proindeq; requirentia opus servile onerandi, & exonerandi. Tunc enim solum excusabuntur vel ex necessitate, vel ex parvitate materiae, vel si bona fide inchoarunt iter ante diem festum. Quando deferuntur homines in lectica, vel curru, licitum est facere omnia opera necessaria ad illos juvandos.

Quid de agitationibus corporis, quae fiunt agitando choreas, & tripudia? Quid de exercitio musicae tam voce quám instrumentis? Hae omnes actiones (ut docet Suar. citat c. 27. n. 5. & 6.) nec

Choreae, & cantus die festo.

sunt serviles, nec prohibitæ die festo. Patet, quia cantus est quidam actus sermocinationis mentē excitans: tripudiatio ordinatur ad levamen corporis, & oblectationem mentis, proindeque serviles actiones non sunt, sed omnibus communes.

Servi Mauri in die festo. Quid de computatione, & solutione mercedis, quam cū operarijs faciunt magistri diebus festis? *Marchantius resol. past. ad Decal. p. 1. c. 3. q. 5.* negat id licere. Rectius tamen affirmat *Diana p. 5. tract. 13. res. 83.* Quia locutio, recognitio scripturarum, & numeratio pecuniæ non sunt servilia. An liceat domino fideli opera servilia præcipere servo infideli, v. g. Mauro in diebus festis? Negat *Ant. Ferd. in instruc. p. 3. mand. 3. n. 16.* Rectius affirmat *Diana p. 5. tr. 14. res. 7.* ex *Laymano lib. 1. tr. 4. c. 5. n. 3.* asserēte perpetuo amentibus imponi posse opera servilia die festo. Quia hi nō tenentur ad Ecclesiastica præcepta, sicut infideles.

QUÆSTIO III.

Quæ actiones liberales die festo liceant, & quæ prohibeantur?

Liberales actiones die festo.

107 Triplici resolutione hæc quæstio expeditur? 1. resolutio. Omnis liberalis actio die festo licita est, nisi expresso jure prohibeatur. Ita ex *S. Thoma 2. 2. q. 122. a. 4. Azor. to. 2. l. 1. cap. 27. q. 11. Suar. to. 1. de relig. l. 2. c. 30. n. 9. & Bonac. dis. p. 5. de 3. Dial. prac. q. unica p. 2. n. 7.* Patet, quia ex vi festi juxta Sacram paginam solum opus servile prohibitum est.

Infertur 1. cum citatis authóribus die festo licitum esse Doctori legere, concionari, consilia, & responsa dare, judicemque informare de justitia partium sive verbo, sive scripto. Infertur 2. cum *Maranta 6. p. de ordine judiciali tit. de actorū edit. n. 39. & Fagund. in Quinc. lib. 1. c. 13. n. 14.* omnes actus jurisdictionis voluntariæ licere, & valide fieri diebus festis, v. g. a censuris obsolvere, dispensationes, & privilegia impendere, contractus celebrare, testamenta cōficere, ad officia civitatis elegere, tutores constituere, servos signare, filios emancipare, adoptare, manumittere.

2 Resolutio. Inter omnes liberales actiones solum prohibentur duæ die festo per expressum jus, scilicet mercatus, & placitum, seu judicium forense. Ita citati authores ex *cap. 1. & ultimo, de feriis, & ex tribus capitibus 15. quæst. 4.* Ratio talis prohibitionis fuit, ut dissentiones, & jurgia vitentur, similiterque distractiones, & inquietudines ab illis actionibus ortæ quæ diem sacrum pertubare solent.

108 Infertur 1. sub nomine mercatus venire prohibendas publicas nundinas, quæ statutis temporibus fiunt: item omnem emptionem, vēditionem, locationem, & permutationem. At magna ex parte jam consuetudine hæc prohibitio derogata est, cum videamus die festo nundinas celebrari, bona defunctorum publica voce præconis vendi, necessaria cibo, & potui fieri venalia. Quæ innuitur, & temperarantur in *Constitut. Archiepisc. Ulyssip. l. 2. tit. 2. decreto. 2. §. 2* ubi declaratur quod in partibus in quibus solent

Mercatus prohibitio.

fieri generales nundinæ diebus festis, non exerceantur opera servilia occasione illarum, & non incipiat mercatus nisi post Missam auditam. Itē præcipitur ut nemo diebus festis habeat suas tabernas apertas, & patentes, sed in illis solū parvum ostiolum apertum, per quod post Missam quam vocant die in parochijs, & post elevatam hostiam in cathedrali possint edulia necessaria vendere.

Infertur 2. sub nomine placiti, seu judicialis strepitus prohibiti tres speciales actiones contineri, scilicet citationem partis, formationē processus, seu cognitionē causæ, & sententiam. Nam ex his tribus coalescit judicium.

3 Resolutio. Tres proximæ actiones sub placito contentæ non solum festis diebus prohibētur, sed ita annullantur, ut nec ex consensu partium validæ esse possint. Ita expressē *c. ult. de ferijs.* Unde est discrimen inter mercatum, & judicium: quia mercatus prohibetur, & non irritatur: judicium prohibetur, & irritatur. At si dies festi, seu feriati sint non in honorem Dei, sed in utilitatem hominum, actus judiciales in illis ex partiū consensu liciti, & validi esse possunt. Vide *Fagun. l. 1. c. 12. n. 11:*

Placitum irritatio.

109 Rogabis, an Episcopus in sua diœcesi possit sub excommunicatione prohibere die festo ea quæ licita sunt? Bené ex *Navarro respondet* negativē *Sā V. festum n. 4.* & ex utroque *Fragosus de regim. p. 2. disp. 19. §. 7. n. 10.* qui rectè addit idem procedere de operantibus die festo causā necessitatis, vel pietatis, ut si vetaret sub pœna excōmunicationis opera servilia facta ex illis causis. Esset enim sententia nulla, utpote continens errorem intolerabilem contra expressum jus *cap. final. de ferijs.*

QUÆSTIO IIII.

Qua ratione prohibeantur die festo citatio, processus, & sententia?

Citatio die festo.

Exposuimus tres placiti, seu judicij partes valde genericē: juvat illas seorsim, & enucleatius expedire. Prima pars judicij est citatio, quæ sub se continet mandatum judicis de citando reum, & ipsius mandati executionem. Quælibet si fiat die festo illicita, & nulla est, ut sumitur ex *c. conquestus, de ferij.* Nam citatio quoad utranq; illam partē est actus jurisdictionis contentiosæ. Unde quanvis mandatum fieret die profesto, si executio fiat die festo, nulla erit, ut pote facta nomine judicis, & citationis pars. Cum verò per illam invalidam intimationem non expiret mandatum, poterit iterum fieri die pro festo, & valebit. Ita *Suar. l. 2. de festis c. 30. n. 4.*

110 Quid si mandatum expedietur, & intimetur die profesto, at mandatum sit, ut reus die festo compareat? Erit illicitum, & nullum, ut pote adversum juri, quod vetat die festo processum facere, & citatus ad nihil aliud comparet. Quid si judex dicat in mandato ut comparear intra decem dies, & decimus festus sit? Aliqui apud Marantam 6. par. de ordin. judic. Rub. *Recte compiitur citatio. n. 120.* negant valere tale mandatum. Rectius

tiùs affirmant *Suar.l.2 de festis. cap.30.n.3. & Fagund.cit.cap.13.n.5.& 9.* Quia mandatum est de tempore licitè apparendi, quatenus præcipit judex ne prorogetur apparitio ultra decem dies. Secus si mandatum foret ut appareret decimo die, ita ut excluderet alios.

Citationis intimatio. Quid si reus citetur loco, ubi est dies festi, & talis dies nõ observetur in loco judicis? Benè respondet *Bonac.disp 3 de 3 præc.decal.q.unic. p. 2.n.20.* talem intimationem illicitam, & nullam esse. Quia citationis executio metienda nõ est juxta regulas loci judicij, cum ibi non fiat, sed juxta regulas loci, ubi pars citata resi let. Sicut enim mandatũ & sententia spectant locũ judicis, quia a judice in tali loco fiunt, ita citatio respicit locũ, & ejus conditiones, ubi reus existit, quia ibi fit.

Testium examinatio die festo. Secunda pars judicij est examinatio testiũ, & comprehendit sub se duas actiones, alteram juramẽti interpositionẽ, quæ procul dubio illicita & invalida est die festo, utpote spectans ad strepitũ judicialem; alteram testium depositionem, de qua opinatur *Az. r.to.2.lib.1.c. 27.q. 14.* cum *Maranta Glosst.Ioan.And.* & alijs non prohiberi die festo, si juramentum die profesto suscipiatur. Oppositũ tamen, quod docent *Suar.to. 2.relig. lib. 2. de festis c.30.n.16.& Fagun.l.1.quinc.c.13.n.16.* probabilius est. Nam in *cap.conquestus.de ferys* præcipitur litem omninò quiescere: at per depositionem firmatur processus, & bis continuatur.

111 Proximam resolutionem *Suar.cit.cap.30. n.80.& Regnal.l.14.prax.n 47.* rectè ampliant, ut examinatio testium, illicita, & nulla sit non solũ in causa temporali, sed etiam in spirituali. Quid de oblatione libelli contra partem jam citatam? *Libelli oblatio die festo.* Licitè, & validè fieri in diebus feriatis ob gratiam vindemiarum, & messium rectè tradit ex *l. miles ff. de adult. Maranta 6 p.de ord. judic.tit. de libell. n. n.19.* At in diebus feriatis in honorem Dei, affirmant aliqui fieri non posse nisi urgente necessitate. Probabilius tamen credit posse licitè, & validè fieri, varijs citatis *Fagun.citat. l.1.c.13.n.21.* cui subscribit *Palaus de observ fest.d.un p.7.n.9.* Quia libelli oblatio actus judicialis non est.

Sententia lata die festo. Tertia pars judicij est sententia, quam die festo illicitè, & invalidè ferri, certum est ex *cap. ult. de ferijs.* & procedit de sententia tam in causa criminali quàm civili, tam in temporali quàm in spirituali. At sententia quæ ibi prohibetur, & annullatur est illa lata inter partes, quæ causæ cognitionem, & strepitum judicialem postulat: quæ enim id non requirit, neque prohibetur, neque irritatur, ut docent citati authores.

Rogabis 1. an illicita, & invalida sit sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti lata die festo? Affirmat Antonius Butrio *in cap. ult. de ferys* ductus ex *l. ult. c. de ferijs*, ubi præcipitur quòd omnis vox judicis diebus feriatis sileat. Rectiùs negant *Suar.cit.c.30.n.9.& Bonacina de 3. præc. Decal.d.5.q.unica p.2.n.12.* Quia tales sententiæ non requirunt causæ cognitionem: sed sunt præcepta, quæ pœnam imponunt non tam ut delicta puniant, quàm ut medicinæ a delictis sanet.

112 Rogabis 2. an sententiæ sive criminalis, sive civilis executio possit fieri die festo? Affirmat *Panorm.c.ult.de judic.n.22.* quasi talis executio post judicem officio suo functum actus judicialis nõ sit. *Executio sententiæ die festo.* Dicendum tamen cum *Suar. cit. c.30.n.11. & Bonac.cit.disp.5.p.2.n.12.* illicitam, & invalidam esse. Quia strepitus judicialis terminus, & complementum est.

Rogabis 3. an liceat, & valeat appellatio die festo? *Appellatio die festo.* Quamvis dubitent *Suar.cit.c.30.n. 13. Reginal,l.15.prax n.45.& Palaus de obser.fest.d.un p. 7. n.14.* affirmandum tamen est cum communi opinione, quàm approbant *Fagun.l.1.quinc.cap. 13. n.24.& Bonac.d.5.de 3.præc.Dec.q.un p.2.n.13.* Quia appellatio non est actus judicialis, cum non a judice, sed a parte proveniat. Deinde fit in propriam defensionem, quæ naturali jure competit.

Rogabis 4. an sententiæ arbitratoris, & arbitri licitè, & validè ferantur die festo? *Arbitri, & arbitratoris sententia.* Certum est licere, & valere sententiam arbitratoris. Quia non est in rigore sententia, sed quædam amicabilis cõpositio, & pacis fœdus inter dissidentes. At sententia arbitri neque licita, neque valida est die festo, ut docent *Suar.cit.p.30.n.15.& Fagun.citat.cap. 13.n.26.* Nam talis sententia fertur servato juris ordine, & causæ cognitione præmissa. Partes tamen possunt die festo in judicem arbitrum consentire. Talis enim consensus actus judicialis non est, sed mutuus contractus.

113 Dicta de judicio limitari debent, nisi fiant ex urgente necessitate, vel suadente pietate: nam si altera ex ijs conditionibus adsit, citatio, processus, & sententia die festo lata licebunt, & valebunt, ut exprimitur *cap.ult.de ferys.* Hæc lentiùs exponunt citati authores.

QUÆSTIO V.

Utrùm die festo quodcumque juramentum prohibitum sit; & specialiter prohibitum quodlibet peccatum lethale? *Iuramentum die festo.*

Circa priorem quæstionis partem de juramento, Panorm *c.1.de ferys n. 8.* & expressius cap.ult.n.18. existimat die festo omne juramentum tam judiciale quàm extrajudiciale prohiberi, excepto juramento pro pace, quod cap. 1. excipitur. Ex opposito *Caetan.2.2.q.523 a.4.* affirmat factam prohibitionem in *c. 1.de ferys* esse intelligendam de solis juramentis judicialibus. Quia semper interpretatio facienda est juxta subjectam materiam, quæ ibi de judiciis erat.

Inter has sententias extremè contrarias via media tutior incedit *Suar.l.2.de festis cap. 30.n.17.* quem sequitur *Fagund.citatus.l.1.c.13.n.29.* asserẽtes prohiberi omnia juramenta judicialia, & solum aliqua extrajudicialia, nempe ea quibus firmantur contractus, & conventiones sub nomine mercatus prohibiti. Suadetur, quia textus citatus æquè mercatum, & judicium prohibet, & statim subdit prohibitionem juramenti; ergo intelligendus est de juramento respiciente judiciũ, & mercatum. Notant benè citati authores juramentum licitè præstari quoties judicium, & dictus

tus contratus festo die celebrari potest.

Peccat. die festo. 114 Circa posteriorem quæstionis partem, peccatum lethale esse specialiter prohibitum die festo, proindeque induere circunstantiam in cõfessione aperiendam, affirmant, alijs relatis. *Corduba in quæstion. lib. 1. quæst. 6. & Ioan. Medina cod. de orat. quæst. 10. & 19.* Fundantur authoritate *S. Thomæ 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3.* ubi dicit opera servilia, & peccata contrariari observantiæ sabbati. & *c. 1. de ferijs* ubi dicitur, *Omnes dies Dominicos decernimus cum omni veneratione observari, & ab omni illicito opere abstinere.*

Oppositum tamen defendimus cum communi sententia, quam tenent *Azor p. 2. l. 1. cs 28. q. 10. Suar. l. 2. de festis c. 18. n. 3. & Bonacina de 3. prac. decal. disp. 5. q. unica p. 2.* asserentes peccatum die festo nõ esse specialiter prohibitum, neque necessariò cum hac circunstantia confitendum. Quia peccatum de se non est opus servile, prout tale opus die festo prohibetur: aliter etiam peccatum mentale opus servile foret. Quæ contra afferuntur ex authoritate, non probant præceptum, sed solum cõsilium, ut quis a peccato immunis melius sanctificet dies festos,

SECTIO III.

Quinam sint dies festi, & quænam excusationes ab eorum observãtia.

QUÆSTIO I.

Quinam sint dies ex præcepto festi pro tota Ecclesia, & pro Archiepiscopatu Ulyssiponensi?

Festi dies qui sint in Ecclesia. QUi fuerint pro tota Ecclesia dies festi, sive ex præcepto scripto, sive ex consuetudine ante Constitutionem Urbani VIII. qui festorum dierum numerum restrinxit, erudite varijs citatis textibus, & authoribus recenset *Palaus tract. 9. disp. 2. de observat. fest. pun. 1. n. 6.* & fusiús *Suar. c. 1. de relig. lib. 2. a cap. 3. usque ad caput 10.* apud quos videri possunt.

115 Cum veró jam hodie facta prædicta restrictione; ex antiquis non nulli festi dies sublati, & aliqui recenter instituti sint, quos oportet deinceps observari, non possumus aliquid certius proponere quàm ipsissima verba, quibus Urbanus VIII. sua Constit. anni 1642. Idibus Septembris, Incipit. *Universa* dies festos in posterum observãdos proponit.

Apostolica (inquit) authoritate decernimus, & declaramus, infra scriptos duntaxat dies pro festis ex præcepto colendos esse, quos nempe, vel ab initio veneranda sacravit antiquitas, vel universalis Ecclesiæ probavit consuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur, Dominicos scilicet dies totius anni, Nativitatis. Domini nostri Jesv Christi, Circuncisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis cum duabus sequentibus ferijs, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus ferijs, Sanctissimæ Trinitatis, solemnitatis Corporis Christi, & Inventionis S. Crucis, nec non festivitatum Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Ioannis Baptistæ, Sanctorum Petri, & Pauli S. Andreæ, S. Jacobi, S. Thomæ, Ss. Philippi, & Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, Ss. Simonis, & Judæ, & S. Mathiæ, Christi Domini Apostolorum: item S. Stephani Protomartyris, Ss. Innocentium, S. Laurentij martyris, S. Silvestri Papæ, & Confessoris, S. Josephi etiam cõfessoris, & S. Annæ, Deiparæ respectivè sponsi, & generatricis, solemnitatis omnium Sãctorum, atque unius ex principalioribus Patronis in quocunque Regno, sive Provincia, & alterius pariter principalioris in quacunque civitate, oppido, vel pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari cõtigerit.

116 His verbis satis perspicué exponit Pontifex quos velit dies festos tantum in Ecclesia observari. Verbis deinde sequentibus multum cõmendat Ordinarijs ne postea multiplicét dies festos, quanvis ab illis nõ auferat instituendi potestaté. Cũ veró jusserit in quocunq; Regno observari dié Patroni principalioris, Lusitania retinuit solemnitatem Conceptionis Deiparæ, quam jandiu Patronam habet, & experta est.

Festa peculia inter Ulyssiponẽses. Rogabis, quinam sint dies peculiares, quos præter cõmunes hactenûs numeratos, Archiepiscopatus Ulyssiponensis præcipit observandos?

In suis Constitut. lib. 2. tit. 2. decreto 1. inter festa mobilia proponit in quadragesimæ maiori hebdomada tempus quintæ feriæ, quam vocant Cænæ Domini, ab illo puncto quo Eucharistia exponitur, usque ad sextam feriam sequentem, quandiu matutinum, durat officium. Inter immobilia, festum S. Antonij 13. Junij, Festum S. Irenæ 20. Octobris in toto Scalabitano oppido, & suo Archidiaconatu, & festum Expectationis Deiparæ 18. Decembris. Jubet insuper ut in singulis parochijs observentur festa principalia, quæ dicunt Oragos. Denique præcipit omnibus, prælatis tam secularibus quàm regularibus sub pœnis suo arbitrio relictis, ut nullus alios proponat dies festos suis subditis observandos.

QUÆSTIO II.

Qualiter excuset ab observãdo die festo religio, & pietas?

Causæ excusantes a die festo. CUm sint variæ causæ excusantes, commodé revocari possunt ad quatuor capita, scilicet religionem, pietatem, necessitatem, & dispensationem. Agemus modò de duabus prioribus, reservatis ad quæstionem sequentem posterioribus. Quod attinet ad religionem, notandum est, causa religionis peragi solere actiones triplicis generis, nempe alias quæ per se divino cultui inserviunt, alias quæ ad divinum cultum præparant, alias quæ per accidens, & remoté ad cultum divinum conferunt. Quód liceant actiones primi generis, quales sunt v.g. crucem deferre, cymbala, & organa pulsare, instrumentisque uti musicis, Doctores consentiunt. Pro alijs.

Religio excusant actiones serviles. 117 Dico 1. Actiones secundi generis, quæ scilicet præparant divinum cultum, quales sunt

coquere panes azimos, quos vocamus hostias, verrere templum, tapetibus illius parietes ornare, facere in templo tabulatum pro aliqua solemnitate, vias publicas mundare ad processionem, quando sine legitima causa fiant die festo, culpam venialem non excedunt. Ita *Azor p.2.l.1.c.28.q.5.Suar.l.2.de fest.c.21.n.11.& Bonac.disp.3.de 3.prac.dec.q.uni p.3.n.6.* Patet, quia hujusmodi actiones propter conjunctionē cū divino cultu reputantur levis materia. Nō auderem extendere hoc ad aurificem qui conficit calices, & cruces, neque ad sartorē qui conficit vestimenta sacra. Quia hæc præparatio ad divinū cultū remota est. Dixi (quādo sine legitima causa fiunt) quia si causa rationabilis intercedat, nulla omninò culpa erit.

Dico 2. Actiones tertij generis, quæ nempè cōducunt remoté ad cultum divinum, quales sunt agros Ecclesiæ colere, lapides ad illius ædificium portare, illam construere, si fiant abque justa causa, omninó illicita sunt. Ita præter citatos authores *Reginal.in praxi l.19.n.48.* Nam hæc omnia opera habentur sicut cætera servilia, & non ex se, sed ex sola relatione operantis ad cultum divinum feruntur. Secus erit si Ecclesia graviter indigeat his subsidijs, vel Episcopus ob pietatem concedat facultatem laborandi.

Pietas ex cusans a servilibus. Quod attinet ad pietatem, quanvis *Sá V. Festū n.6.* dicat excusari laborantes die festo pro loco pio, & publico, intelligendus est, si locus pius, & publicus tali labore graviter indigeat, vel Prælatus dispenset. Nam communis, & vera sententia est apud *Navarr.cap.13.n.4. Emman. Roter. in summa c.121.n.1.& Bonac. citatum pun.3.n.7.* non excusari qui laborant die festo, ut faveant loco pūblico, & pio, v.g. congerendo lapides, & ligna, sternendo vias publicas gratis pro viatoribus. Aliter liceret laborare die festo, ut quis comparatam mèrcedē pauperibus erogaret, seu faceret communes eleemosynas.

QUÆSTIO III.

Qualiter excusent ab observando die festo necessitas, & dispensatio?

118 Circa priorem quæstionis partem, quæ procedit de necessitate tam privata quām aliena, certum est apud Theologos, duce *S. Thoma 2.2.q.122.a.4.ad4.* necessitatem excusare a die festo observando. Quia Ecclesia, utpote mater non intendit obligare cum tanto incommodo fideles. Unde diebus festis licitum est parare cibum, potum, & omnia necessaria ad sustentationem corporalem pro illis diebus. Ita *Suar. l.2.de festis c.11.n.4. Azor p.2.l.1.c.27.q.2.& c.18.q.4. Rodrig summa c.121.n.4. Tolet. l.4. sum.c. 25.n.3. Fagund.in quinc.l.1.c.14.n.7.& Bonac.de 3.prac.decal. q.unica p.3.n.9.* Qui authores addunt parantes requisita ad cibū, & potum excusari, quanvis illa superflua sint, & delectationi potiús, quam sustentationi deserviant. Quia jam hoc annuente benignitate Ecclesiæ consuetudine introductum est.

Necessitas ex cusans ab observatione festi.

Quare die festo licet parare, & conficere epulas exquisitas, licet colligere fructus ut saniores, & integriores sint. Licet excoriare animalia, si cibus ex illis evaderet insuavis dilata excoriatione in alium diē. Licet coquere panē, si plures cōcurrant festivitates, & timeatur quòd panis coctus non sufficiat, vel reddatur non satis aptus. Licet attendere ad molendinum quod aqua aut vento agitatur, & etiam data aliqua necessitate, ad pistrinum, vulgo atafona, quod gravem laborem continet.

Servilia qua licēt ex necessitate.

119 Ex quibus infertur 1. excusari chirurgos, & pharmacopolas, qui parant medicinas die festo sanitati ægrotorum necessarias. Ita Suar.c.21.n.7.& Bonac.n.10. Infertur 2. excusari agricolas, qui ut tueantur segetes, laborāt metu pluriæ, vel alterius incommoditatis: similiter qui purgant triticum ob venti commoditatem, item colligentes triticum, ne pereat. Ita citati authores rectè notant tempore messis ant vindemiarum regulariter dari periculum temporis adversi, & consequenter sufficientem causam laborandi, saltem cum dispensatione.

Infertur 3. excusari qui non possunt sufficienter se, suamque familiam alere, nisi die festo laborent. Tria tamen servare debent, scilicet priùs audire Missam, vitare scandalum, laborantes secretó, & non laborare ultra id quod necessarium est. Ita *Suar.citat.c.32.n.2.& Fagun.cit.cap.14.n.7.* Infertur 4. excusari regulariter filios, servos, famulos, & personas omnes subjectas quæ laborare compelluntur a suo superiore. Quia fere semper vel ibi intervenit dubium de necessitate, vel periculū de damno. Ita *Suar.n.4.& Fagun.n.12.* Notant tamen id procedere ne cogantur laborare in contemptū festi. Quia tunc perferenda mors potiùs est, quám mandata impia exequi.

Filij & servi laborantes.

Infertur 5. excusari illos, qui coquunt tegulas, lateres, vitrum, aliasque exercent actiones, quæ sine gravi damno omitti nequeunt, & differri in profestū diem. Ita præter citatos, *Navar.c.13.n.7. & Bonac.de 3.prac.dec.d.5.q.un.p.3.n.13.*

Infertur 6. excusari laborantes ob necessitatem publicam, v.g. qui reficiunt vias publicas, fontes, & partes, quæ opera sine gravi damno differri nequeunt: similiter remigantes, iter facientes mulis onustis quando id exigit gravis necessitas. *Suar. Azor. & Fagund.* id extendunt ad laborantes occasione alicujus publicæ lætitiæ, v.g. si parent vestes, struant tabulata, portent arma, fabricent instrumenta, quando tempore profesto nequeunt præveniri. Ex quo infero posse confici vestes atratas, aut similes ne ex illarum defectu cogantur aliqui domi manere, & omittere sacrum diebus festis.

120 Infertur 7. excusari piscantes quoddam genus pisciūt qui solent certo tempore apparere, & statim disparere, quales thynni, aleciæ; Sardæ, & similes Nam amissio hujus capturæ grave damnum creditur. Unde *c. licèt, de ferijs* hæc piscatio conceditur, exceptis festis maioribus Natalis Domini, Epiphaniæ Paschæ, Ascensionis, & Pentecostes. Aliqui hoc extendunt ad necessita-

sitatem, ne lucrum aliquod notabile amittatur, quasi amissio magni lucri sit grave damnum. Rejicienda tamen est hujusmodi extensio. Quia observans festa, & lucrum non acquirens, minimè gravatur: secus inquit *Suar. c.33.n.9.* si ea quæ jam habet, cogeretur amittere, vel ob amissionem lucri gravem necessitatem subire, ut subirent non piscantes illud genus piscium certo illo tempore.

Infertur 8. excusari laborantē pro vitādo peccato, quod timet probabiliter, dato otio, eventurū. Ita Sà in utraque editione. *V. Festum* n.6. si enim corporalis necessitas, a fortiori spiritualis excusat. Credit tamē *Pal. de obs. fest. disp. un. pun. 10. n. 3.* opus servile rarò esse necessariū mediū ut periculū peccati vitetur, cū æquè vitari possit scriptura, oratione lectione, aliave honesta recreatione. Notant benè *Suar. c. 23. n. 3. & 4. Regin praxi l. 19. n. 50.* prædictas religionis, pietatis ac necessitatis causas ut excusent laborantē die festo, debere esse certas & indubitatas. Quia cū præceptū observationis certū sit, certa esse debet causa excusationis.

Dispensatio in observatione festorum. 121 Circa posteriorē quæstionis partē, de dispensatione, prænotandū est obligationē observādi dies festos tolli per dispēsationē, hoc discrimine, quod in ordine ad dispensantē qui diem festū instituit, nullā pro valore postulet causam, secus in ordine ad dispensantē inferiorē. Unde Sūmus Pontifex in festis omnibus tanquā supremus, Episcopus veró vel ejus Vicarius in solis Synodalibus absque legitima causa validè dispensare potest secùs in festis de jure cōmuni: in his enim requiritur causa ad validā Episcopi dispensationē.

Sufficiens causa ut Ordinarius in his dispenset, prudentis relinquitur arbitrio; modó si est concedenda dispēsatio generaliter, postuletur causa cōmunis: si verò aliquibus solū personis, sufficiat causa peculiaris: & utraque ad pietatē vel necessitatē reducenda. v. g. potest Episcopus dispensare ut tali vel tali die laboretur pro opere aliquo promovendo: item cū privata persona dispensare ut vitet aliquod detrimentū, quod licèt adeo grave non sit, ut absque dispensatione excuset, præbet tamen legitimam dispensandi causam. *Episcopus ad dispēsandum.*

Nomine Episcopi ad hunc affectū, bené docét *Azor p. 2. l. 1. c. 28. q. 5. & Fagūd. l. 1. ... c. 14. n. 28.* venire omnes jurisdictionē quasi Episcopalē habentes, v.g. Capitulū Sede vacante, Abbates exēptos, Prælatos religionū in ordine ad suos subditos. De parocho, præter duos citatos, asserūt Suar. c. 33. n. 2, & Bonac. p. 3. in fine, ex recepta consuetudine gaudere hac dispēsandi potestate, quoties adiri nequit Episcopus, ne fideles remedio destituantur. Constitut. Archiep. Ulyssip. l. 2. decr. 2. §. 1. decernūt circa fructus colligendos, ut quādo immineat periculū jacturæ, nisi festis diebus colligantur, petatur facultas a Provisore, vel Vicario Generali, & in horū defectu a Parochis. Quód si tam repentina urgeat necessitas, ut nec Parochus adiri possit, colligantur. *Parochus ad dispensandum.*

TRACTATUS XXVIII.

De decimis, primitijs, & oblationibus.

SECTIO I.

Quid sit decima, quotuplex sit decima, & quale jus ut soluatur.

decima quid.

QUÆSTIO I.

Quod, & quotuplex sit decima, & quàm convenienter instituta?

122 APud *Suarium to. 1. de relig. tract. 2. l. 1. cap. 9. Azorium p. 1. Instit. moral. l. 7. cap. 34. q. 1. Lessium de just. lib. 2. c. 39. dub. 1. Fagun. de quinque prec. tract. ult. l. 1. c. 1. & Bonacinam disp. ul. t. de precep. Ecclesiæ quæst. F. p. 1.* Decima propterea sic dicitur, quia nihil aliud est, quàm ex enumeratis fructibus decima illa pars, quæ ministris Ecclesiæ applicatur.

Decima quotuplex. Quotuplex autem sit Decima, facile innotescet ex differentia fructuum, de quibus soluitur: est enim triplex. Nam alij fructus sunt prædiales, quia proveniunt ex prædio, & sic prima decima vocatur prædialis, quia soluitur ex fructibus agrorū, arborū, piscinarū, molendinorū, ædiū, & similiū. Alij fructus sunt personales, quia ex persona, & ejus industria nascuntur, & sic secūda decima appellatur personalis, quia debetur ex fructibus, qui proficiscuntur ab industria personæ, ut a negotiatione, mercatura, venatione, piscatu, ludo, bello, & similibus. Alij denique sunt mixti, qui partim a persona, partim a rebus ipsis habentur, ut sunt fructus animaliū, lana, lac, caseus, butirū, & similes, qui tū ex pascuis, tum ex animalibus, interveniente industria hominū proveniūt: & sic tertia decima appellatur mixta, quia soluitur ex fructibus mixtis.

123 Quód Ecclesia justé & convenienter instituerit solutionē fructuū quoad talē quotā, credit *Suar. t. 1. relig. tr. 2. l. 1. c. 1.* esse de fide. Constat ex consensu universalis Ecclesiæ, quæ in moribus ac præsertim in re tam gravi errare nequit. Accedit congruētia 1. ex imitatione legis veteris scriptæ, in qua decima solvebatur: & congruū fuit ne fideles legis gratiæ, se Deo præberent minùs gratos & liberales, quàm fideles legis scriptæ. 2. ex necessitate ministrorum, & pauperū, in quos illa quota distribuitur.

QUÆSTIO II.

Quonam precepto, seu jure debeantur decime, naturali, divino, an humano?

præceptū de decimis. APud *Covarr. l. 1. Var. c. 17. n. 3. & Suar. l. 1. c. 9. n. 6.* certū est tempore legis scriptæ decimas prædiales & mixtas nempe ex fructibus terræ & animaliū, deberi jure divino, ut constat ex *Levit. c.*

27.& Exod.c.22.& 23. De personalibus non apparet caput ex quo deberentur. Tempore legis gratiæ decimas prædiales deberi jure divino per Christum dominũ lato, nõ ita personales affirmát Rebuff.tr.de dec.q.1.n.9.& Andr.Hisp de dec.§.2. Sumũt ex c.tua nobis, c.Parochian.de dec.Cap.dec.c.ult.16.q.1. & cap.maior.c. quicunq, q.7.

Decimæ jure Ecclesiastico debentur.

Dicendũ tamen est cũ Navar.c.21.n.28. Les.l.2. c.39.dub.1 Gutier.l.2.canon.qq.c.21.n.8. alet.22.disp. 6.q.5.p.1.Suar.l.1.c.10.n.3. & Bon.de 5.prac.disp.ult. q.un.p.1.n.3. ministris Ecclesiæ jure divino & naturali deberi sustentationẽ, decimas veró solo jure ecclesiastico. Patet 1. pars, quia operarijs jure naturali & divino debetur merces, ut aiatur: & ministri Ecclesiæ sunt fideliũ operarij. 2. pars suadetur, quia licét recta ratio dictet conferẽdam esse ministris sustentationẽ, at non determinat modũ conferendi, nec certam summam conferendã, ut potiùs decima, quàm sexta, aut septima pars fructuum illis tribuatur: ergo solo jure Ecclesiastico pars fructuum decima statuitur.

124 Quod verò decima prout talis fructuũ quota, debeatur jure Ecclesiastico, constat ex textibus citatis pro prima sententia, & alijs qui videri possunt toto tit.de decimis, & in Decreto 16.q. 1. Unde Trident.sess.25.c.12. mandat excommunicari eos qui subtrahunt, aut impediunt decimas, & ne absolvantur ab hoc crimine, nisi plena sequuta restitutione. Quod explicat Navar.c. 21. n.32. de ijs qui possunt restituere ante imminentẽ mortẽ, vel Eucharistiam ex præcepto sumendam. Tales enim nisi prius restituant decimas debitas absolvi nequeunt.

QVÆSTIO III.

Utrùm Ecclesia habeat jus seu dominium in decimam, ante quam separetur a cumulo?

Jus Ecclesiæ in decimas non solutas.

SUnt in hac quæstione duæ sententiæ oppositæ. Prior negat Ecclesiam habere dominium in decimam partem fructuum, antequam separentur a cumulo. Ita Rebuff.tract.de decimis q.3.n.16. Moneta tra.de decimis c.8.n.35. Senensis consil. 74. & Bonac.de 5.Eccles.prac.q.5.p.1.fine. Probant, quia decimæ vocantur tributa, & tributis æqui parantur c.tua nobis de decimis.& c.decimæ 16.q.1. Princeps autem non habet dominiũ in tributa antequam solvantur.

Posterior ex opposito affirmat dato illo præcepto solvendi decimas, Ecclesiam habere directum dominium in illam partem decimam fructuum, ante quam separetur, utaut debitor non solvens sit possessor rei alienæ. Ita Panormit. in c. tua nobis de decimis n.11. ubi citat plures. Fundatur, quia (ut habetur c.pastoralis, de decimis) Ecclesia potestatem habet vindicandi illam fructuum decimam partem, ubicunque repererit non esse decimatos, etiam si prædij dominus illos omnes vẽdidisset.

Dominiũ Ecclesiæ in decimis.

125 Utranque sententiam sic propositam nõ admitto, nisi explicatam, & conciliatam duplici asserto. Dico 1. antequam illa decima pars fructuum ab acervo separetur, Ecclesia non habet in illam dominium, seu jus directum plenum. In hoc consentiunt authores utriusque sententiæ. Patet, quia ad jus seu dominium plenum, requiritur quòd dominus absque alterius consensu possit uti, & disponere de re aliqua certa: & quandiu partes illius acervi sunt permixtæ, Ecclesia de nulla illarũ partiũ certa potest disponere: cum non detur maior ratio de una quàm de alijs.

Dico 2. E o modo, quo usufructuarius, cui in legato decima pars fructuum alicujus hæreditatis relicta fuit, habet jus in tali decima, Ecclesia habet jus in sua decima ante quam ab acervo separetur. Ita Lessius l.2. just.c.39 dub.3.n.15. & Suar. to.1.de relig.trac.2.l.1.c.36.n.8. Vocatur autem tale dominium utile, & jus in re. Probatur, nam sicut dominus fundi nequit in præjudicium usufructuarij fructus alienare, imo ipse usufructuarius recuperare potest ubicunque invenerit, ita Ecclesia recuperare potest fructus sibi debitos, quanvis non inveniat eos jam in potestate parochiani, sed alterius qui bona fide illos possidet. cap. tua nobis.& c.Pastoralis, de decimis.

Restitutio decimarum.

Colligitur 1. Parochianũ habere dominiũ directũ omnium fructum, quos proinde ab injusto possessore recuperare potest, Ecclesiam vero habere solũ jus utile in decimam partẽ, quam proinde solam vindicare potest. Unde possessor iniquus tenetur restituere omnes fructus parochiano, & non Ecclesiæ decimam partẽ, nisi cõstaret de domini negligentia. Ita Suar.cit.n.11.

126 Dubiũ est, utrùm iniquo raptore nõ restituente fructus, teneatur parochianus restituere Ecclesiæ illorum decimam? Conveniũt omnes, si ille fuit in mora solvendi decimam, teneri ratione injustæ acceptionis. Si verò non fuit in mora, adhuc Palaus de decim.disp.un p.2.n.6. existimat teneri, nõ quidẽ ratione injustæ acceptionis, neq; rei acceptæ, sed ex debito, sicut tenetur mutuatarius ex mutuo, & mercator ad vectigal ex raptis mercibus. At mihi placet Fagũd.de 5.Eccl.prac.l.1.c.6.n.9. negás talẽ obligationẽ. Quia illud debitũ, seu obligatio solvendi decimam potius est in ipsis fructibus, quám in parochiano, proindeque ipsis pereuntibus sine illius culpa, perit etiam obligatio.

Colligitur 2. ementem bona fide fructus indecimatos, teneri cũ sciat, reddere Ecclesiæ, posse tamen agere de dato pretio contra venditorẽ. Colligitur 3. tunc Ecclesiam jus habere contra venditorẽ, quòd non decimaverit, & contra emptorẽ, quòd indecimatos acceperit. Colligitur 4. tã impedientẽ a venatione & piscatione, quã cõburẽtem segetem, item dominũ nolentẽ colligere fructus, itaut pereant, nõ teneri de decima. Quia Ecclesiæ solũ debetur decima de fructibus collectis & nõ de colligẽdis. Potest tamẽ Ecclesia parochianũ cõpellere, ut fructus tẽpore opportuno colligat, & agrum per se, vel per aliũ exerceat: quód si noluerit, potest ipsa colonũ statuere. Ita Suar.l.1.c. 36.n.21. Colligitur 5. peccatũ nõ solvẽdi decimas vel esse duplex, vel cõtinere duplicẽ malitiã, alteram cõtra justitiã, ex qua debẽtur Ecclesiæ, alterã cõtra religionẽ, ex qua debentur Deo in supremi dominij recognitionem.

SEC-

SECTIO II.

Ex quibus rebus, qualiter, & sub quibus pœnis decima solvi debeat.

QUÆSTIO I.

Ex quibus rebus, & qualiter solvenda sit decima personalis?

Personalis decima ex quibus debeatur.

127 EST decima personalis illa quæ solvitur ex rebus propria industria personæ acquisitis. Nam in *c. ex transmissa, de decimis* ait Pontifex. Fidelis homo ex omnibus quæ licetè potest acquirere, decimas erogare tenetur. Circa quam resolutionem, cum de multis in particulari dubitari possit, a nobis expediendæ sunt dubitationes sequentes.

Dubitatio 1. an debeatur decima personalis ex bonis adventitijs, donatione, hæreditate, legato? Affirmat Sylvester V. *decima a* 10. quasi Pontifex jubeat solvi ex omnibus rebus licite acquisitis. Negandum tamen omnino est cum *Valent tit.* 3. *disp.* 6. *q.* 5. *p.* 3. *Suar l. b.* 1. *c.* 31. *n.* 6. *& Bonac. de* 5. *Eccles. prec. disp. ult. q.* 5. *p.* 3. *n.* 2. Patet, quia talia bona non sunt fructus personæ, cum ex actione, industria, & labore personali non comparentur.

Dubitatio 2. qualiter teneatur ad decimas artifex ex suo artificio, negotiator ex suo negotio, miles; & advocatus ex suo officio? Videntur non teneri. Sunt enim quæ acquiruntur stipendia laborum, & sicut qui justo pretio vendit domum, non tenetur ad decimam, quia non plus acquirit quàm conferat: ita qui suos labores justo stipendio vendit.

Decima ex industria licita.

Dicendum tamen est cum *Suar. cit. c.* 31. *n.* 3. *c.* 32. *n.* 1. *Fagun. de* 5. *Eccl. prec. l.* 1. *c.* 2. *n.* 10. *& alijs* quanvis justa sint stipendia, esse tamen fructus personales, ex quibus proinde debentur decimæ. Sicut enim ex locatione domus debetur decima, ita, ex locatione personalis industriæ, & laboris. Notabis tamen deberi decimam ex fructibus tui laboris, si fructus sint res mobiles, secus si immobiles.

128 Dubitatio 3. an debeatur decima ex rebus injusté comparatis? Cōstat non deberi quādo res injusté comparata, injusté etiam retinetur, & manet obnoxia restitutioni. Talis enim res nō censetur acquisita, *c. ex transmissa, de decimis.* Unde quæ ex tritico furtivo seminato in alieno agro debentur, nō ad personales, sed ad prædiales spectant. Ex acquisitis illicité, quæ restitutioni non manent obnoxia, qualia per Assassinios vel meretrices cōparata, debentur decimæ. Quia sunt veré & firmiter lucrata. Obstare tamen poterit scandalū peccati publici. Quia tunc Ecclesia remittit, ne videatur peccatū approbare. Ita *Azor c.* 35. *q.* 1. *a n.* 7. *Suar. cit. l.* 1. *c.* 32. *a n.* 8. *& Bonac. de dec. p.* 3. *n.* 2.

Decima ex industria illicita.

Dubitatio 4. quando solvendæ sunt personales decimæ? *Azor l.* 7. *c.* 35. *q.* 9. *fine*, *& Sa V. decima n.* 1. recté docent non deberi decimas personales nisi ad finem anni, & in quibusdam terris ad finem vitæ. Ex quo fit ut liberetur a solvēda decima personali qui omne lucrū acquisitū ex negotiatione, militia, ludove intra annū perdidit. *Suar. l.* 1. *c.* 37. *n.* 3. asserit cōputationem anni fieri eb. re secūdùm communem cursum, vel assignari mutua conventione.

Expensæ de ducendæ in quibus decimis.

Dubitatio 5. an ex prædicta acquisitione lucri sint expensæ deducendæ? Bené respondent affirmativé *Suar. l.* 1. *de decimis c.* 33. *n.* . *& Fagun. de* 5. *præcep. quinc. l.* 1. *c.* 2. *n.* 18. Sic enim suum præceptū declaravit Ecclesia *c. Pastoralis, de decimis* ubi retractat quod de frutibus personalibus dixerat *c. non est*, eod. tit. scilicet statuens neque in prædialibus neque in personalibus, expensas esse deducendas. Disparitas ob quam deducantur in personalibus, & non in prædialibus, videtur esse: quia in fructibus terræ, omnia quæ ex terra nascuntur, fructus appellantur: at in personalibus non reputatur lucrum, & fructus hominis, nisi id quod remanet deductis expensis.

129 Nomine expensarum quid veniat ... exponunt citati authores, nempe esse computāda omnia illa, quæ ad negotiandum, & lucrandū expenduntur, aliás non expendenda. Rogabis, an deduci possint, quas facit negotiator ipse in sua, & servorum sustentatione? Affirmat absoluté *Rebuff. trac. de decim. q.* 11. *n.* 4. *&* 6. Cautiùs tamen respondet *Suar. cit. n.* 6. alios esse sumptus, qui etiam sine exercitio talis artis, necessarij sunt, alios qui propter artem accerescunt sumptibus per se necessarijs ad propriam sustentationem. Quare (inquit) expensæ non in prioribus, sed in posterioribus sūptibus consumptæ deducentur.

Locus pro decimis solvēdis.

Dubitatio 6. quo in loco solvendæ sint personales decimæ? Bené Doctores ex *c. ad Apostolicæ. de decim. & c.* 2. *de sepultur. in* 6. *& c. ult. de par. ch.* resolvūt tales decimas esse solvēdas Ecclesiæ parochia li, nēpe in loco, ubi quis habet domiciliū, & sacraméta suscipit. Quod si plura habeat domicilia æquè principalia, debet solvere dividēdo decimas. Si habeat duo domicilia, aliud principale, & aliud accessoriū, debet solvere ubi habet principale, etiā si extra illud habitet maiori parte anni. Quid si nullibi habeat domiciliū utpote vagus? Solvat ubi maiori parte habitat.

Dicta procedunt attento jure cōmuni, quod jam (ut testantur citati authores) in omni fere regione per consuetudinē legitimé præscriptā abrogatū est. Quare semper consuetudo attendi debet, ut sciatur, vigeantne, an non vigeant alicubi, decimæ personales. In Lusitania solū in usu sunt illæ decimæ personales, quas vocant *conhecenças* & hæc solum in urbibus & oppidis populosis solvi solent, non in parochijs curalibus, juxta taxam præscriptam a Constitutionibus diœcesis. Vide *Fag.* 5. *prec. Eccl. l.* 1. *c.* 3. *n.* 9.

QUÆSTIO II.

Ex quibus rebus, & qualiter decimæ prædicales, & mixta solvi debeant?

Prædiales & mixta decimæ ex quibus.

130 CUM decimæ mixtæ imitentur naturā prædialium, quæ dixerimus de prædialibus, extenduntur ad mixtas utpote sub illis cōprehensas. Certū imprimis est quod docet S. *Tho.*

2.2.*q.*87.*a.*2.deberi has decimas ex omnibus fructibus & proventibus rerũ mobiliũ & immobiliũ. Sumitur ex *c. tua nobis, c. nõ est, c. nũ ios, & alijs de decimis*, & ex varijs capitibus in Decr. 16.q. 1. & 7. Itẽ ex ratione, nam decima solvitur Deo in recognitionẽ supremi dominij, & Deus omniũ fructuũ productor, author, & Dominus est.

Ut ad peculiares fructus, in quibus nõnulla est difficultas, & juris dispositio accedamus, deducitur 1. cũ *Azor. l. 7. c. 35. q. 9. & Suar. c. 34. n. 2.* decimam deberi non solũ ex tritico, sed etiã ex palea. Quia palea cõputatur inter fructus, ut sumitur ex *L. adeo §. cũ quis ff. de acquir. rerũ domin.* Unde si post triturã decimetur triticũ, palea etiã decimabitur.

Fructus decimandi.

Deducitur 2. solvendã esse ex omnibus fructibus arborũ, ex oleribus minutis, & leguminibus, & ex omni blado: est autẽ bladũ quidquid in area trituratur. Excipiũtur olera minuta, quæ ex hortis colliguntur nõ ad lucrũ, sed ad voluptatẽ, & cõmoditatẽ familiæ. Deducitur 3. solvendã esse ex provẽtibus molendinorum, ex locatione domus, furni, piscinæ, prati, & similiũ. Itẽ si herba in fasciculos collecta vendatur, si arbores nemorũ scindantur. Si veró nõ locetur pratum, neque ex eo herba colligatur, sed ibi pascant sua animalia, nõ teneris ad decimam.

131 Deducitur 4. solvendam esse de animalibus, & de fructibus ab illis nascentibus, quales sũt caseus, lac, butyrum &c. & in apibus, de melle & cera. *C. quicunq; 16. q. 7.* De ipsis veró examinibus, quæ denuo prodeunt, non debetur decima juxta *Azorium l. 7. c. 34. n. 4. & Palaum disp. un. de decimis pun. 7. n. 1.* Sunt enim animalia sylvestria, quæ personali industriæ tribui debent. Unde *Suar. c. 34. n. 3.* ait non solvi decimam de genitura animalium sylvestrium, nisi quando capiuntur, & interficiuntur. At in *Constit. A. chi. p. Ulyssip. l. 2. tit. 4. §. 4.* expressé decernitur ex decem apum examinibus solvendum esse decimum.

Deducitur 5. in locatione stagni ad piscandum & nemoris circundati ad venandũ, teneri locatorem ex animalibus captis, hoc discrimine (inquit Suar.) quód locator solvat prædialem, at piscator & venator personalem. Unde hic computare debet pretium datũ pro locatione, & expẽsas factas in capiendis feris.

Deducitur 6. cum *Suar. c. 38. a n. 12. & Palao cit. n. 3.* si ex pecunia & fructibus non decimatis ematur prædium, ex illius fructibus deberi Ecclesiæ decimam solo titulo decimationis, & non ex alio, quód scilicet fuerit emptum pecunia & fructibus nõ decimatis, quasi ex hoc capite prædiũ illud spectet ad Ecclesiam. Nam ager emptus (inquit *Covarr. l. 3. var. 4. 3. n. 6.*) furtiva pecunia, non pertinet ad eum, cujus est pecunia.

QUÆSTIO III.

Qua ratione, & quo in loco prædiales, & mixtæ decimæ solvi debeant?

Decimas solvendi ratio & modus.

132 Circa priorem quæstionis partem de modo & ratione solvendi prædiales decimas, Dico 1. solvendæ sunt ex prædictis omnibus fructibus integris, ante quam ullæ computentur expensæ, & pensio vel tributum aliquod deducatur. Ita *Suar c. 35. n. 4. & 5. Lessius de decimis c. 39. dub. 3. n. 16 & Bonac. de 5. Eccles. præc. q. 5. p. 3. in fine ex c. cum non sit. & c. tua nobis, de decimis.* Patet, quia decimæ solvuntur Deo in recognitionẽ divini dominij quod antecedit jura omnia, seque extendit ad fructus omnes.

Dico 2. Peccat graviter & sacrilegé qui ex acervo continente fructus meliores & deteriores, solvit in decimam deteriores. Quia sicut non tenetur meliores eligere, ita non potest deteriores dare: sed ex utrisque bona fide debet tribuere. Illud notandum est quód sive colatur ager per dominum, sive per colonos & mercenarios, ita deberi decimam ex integris fructibus, ut illa soluta neque dominus neque colonos aut mercenarios teneatur ex re sibi proveniente decimam solvere.

Dico 3. Ubi primũ fructus collecti fuerint, statim decima solvenda est. Habetur expressé in *c. cũ hominis, de decimis.* Quód veró procedat de fructibus perceptis, quanvis perfecté collecti non sint, sumitur ex *l. si ejus ff. de rei vindicat.* in qua dicũtur fructus percepti, ubi primum terra continere eos desierit, v.g. si uvæ vel olææ præcisæ fuerint, quã vis nondũ vinũ, aut oleum expressum fuerit.

Tempus decimandi.

133 Unde (inquit *Suar. c. 37. n. 6.*) in animalibus decimandi sunt fœtus statim post partũ, lana post tonsionẽ, & lac in caseo & butyro juxta cõsuetudinẽ. His acquiescit *Palaus de decim. disp. un. pun. 8. n. 4.* discrepat tamen in tempore decimationis fœtuum, quatenus asserit non esse decimandos, nisi postquam sine matre vivere possint. Quia antea sunt inutiles.

Illud observat *Suar. citatus*, & sequitur *Bonac. disp. ult. de præc. Eccles. q. un. pun. 4. n. 2.* decimam dandam esse Ecclesiæ, etiam non petitam, & sine mora. Nam unusquisque tenetur reddere alteri quod suum est, etiam illo non petente. Unde ut quis peccet non solvendo decimam, non exigitur petitio, exigitur tamẽ ut puniatur in foro externo.

Circa posteriorem quæstionis partem, distinguendum est inter locum in quo decima solvi debeat, & locum cui solvenda est. Nam si sermo sit de loco ubi decima solvi debet, existimat *Suar. n. 7. & 8.* cui adhærent recentiores citati, non teneri fideles suis sumptibus deferre decimas: sed satis esse monere parochum tẽpore debito, & interim non recondere fructus indecimatos in horreum. Quód si clerici admoniti deferre noluerint vel negligentes sint, potest dominus vel omnes fructus recondere, vel decimam in area relinquere, si id permittat consuetudo, quæ ut vim habeat in decimis, sufficit, si decem annis viguerit. Vide *Lessiũ l. 2. c. 6. dub. 14. n. 46.*

Locus in quo decima solvenda.

134 Si sermo sit de loco, seu parochia, cui decima solvenda est, jure communi decima prædialis solvi debet Ecclesiæ parochiali, in cujus jurisdictione prædium situm est, etiam si parochianus alibi degat, & Sacramenta recipiat. Habetur expressé *cap. ult. de restit. spoliat. in 6.*

Locus cui debetur decima.

Ma-

Maius est dubium de mixtis, quæ proveniunt ex fructibus animalium. Resolvunt tamen authores communiter; decimam illorum solvendam esse, ubi animalia pascunt, ubi accubant, & dormiunt, quanvis dominus alibi commoretur, & habitet. Unde si hyeme in una parochia pascũt, æstate in alia in alia vere accubãt, dividẽdæ sũt decimæ, & nulla pars solvenda parochiæ, ubi dominus residet. Ita *Azor l.7.c.35.q.15.& Suar.cit.c 21.* ubi notat non deberi decimam parochijs, per quas greges transeunt.

Quid si animalia pascant in una parochia, in alia veró accubent, fixamque habeant causam? *S. Thom.2.2.q.87.a.3.ad 2. Alen.3 p.5.51.mem.4.a.4. & Fagun.prec.5.Eccl.l.1.c.5.n.10.* affirmat decimam integram solvendam esse parochiæ, ubi pascunt. Nam ex fructibus prædiorũ fætus provenit. *Rebuff.trac.de deci.q.6.n.16.Suar.cit.c.21.n.10.& Palaus de decim.disp.un.pun.8.n.8.* existimant esse dividendam, ita ut maior pars solvatur parochiæ, ubi pascunt. Quia tam pastus quàm cubitus & requies animalibus necessarius est, quantis magis ex pastu vegetentur & fæcundentur. Utrunque probabile est, sed consuetudine & episcopatuum constitutionibus standum. Videantur *Ulyssiponenses lı.2.tit.4.§.5.*

135 Rogabis 1. obiter, quantum esse debeat tempus consuetudinis ad hoc ut una parochia præscribat contra aliam, etiam illa in qua dominus prædij & gregis habitat? Respondeo postulari tempus quadraginta. Ita difinitum videtur in *cap.a videntibus, de privil.c.ad aures, de præscrip.& cap. 1.de præscript.in 6.* Hoc laté & optimé probat *Molina tract.2.de just.disp.72.& 75.*

Præscriptio decimarum.

Rogabis 2. Cuinam Ecclesiæ solvẽdæ sint decimæ ex fructibus novalium? Novale est ager qui nunquam antea seminatus, fructus denuó producit. *c.quid.per novale, de verb.signif.* Respondeo ex *cap.quoniam de decimis* si novale non existat in alicujus Ecclesiæ parochialis territorio, pertinere illius decimas ad Episcopum, si veró existat intra limites alicujus parochialis Ecclesiæ, ad ipsam pertinere. Quid si decimæ talis parochiæ sint applicatæ alteri Ecclesiæ parochiali verbis generalibus, & ita indefinitis, ut non exprimant novalia? Rectè judicat *Covarr.l.1.Var.c.17.n.13.* pertinere ad Ecclesiam, in qua prædium situm est. Quia privilegium illud est odiosum, utpote contra jus cõmune, ac proinde stricte interpretãdũ.

Novalia ad decimas.

QUÆSTIO IV.

Sub quibus pænis teneantur fideles solvere decimas?

136 Quadruplex in jure fertur excommunicatio pro solvendis decimis contra non solventes, & contra impedientes ne alij solvãt. Prima excommunicatio habetur *c. statuimus 16.q.1:* ubi præcipitur ut omnes solvant integras decimas ijs quibus debentur, alioquin excommunicationi subjiciuntur. Hanc pænam *Trid. sess. 25.c.12.de reform.* confirmat his verbis *Qui decimas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur. Neque ab hoc crimine, nisi plena restitutione sequuta absolvantur.*

Pæna nõ solventium decimas.

Hæc excommunicatio quæ jure communi est ferendã, fertur ipso facto in *Constit. Archiep. Ulyssip. l.2.tit.4.§.1.* Observabis tamen cum *Sanch.l.2.Decal. c.20 n.19.fine.& Bonacina disp.ult.in 5.Eccl.prec.q.5. pun.7.* non esse negandam absolutionem impotẽti solvere, qui tamen promittit, & jurat se soluturũ, cũ possit. Addunt *Navarr.c.21.n.32.& Azor.t. 1.l.7.c.37.q.9.* nõ esse item negandam ei, cui obligatio solvendi decimam, a parte cõpetente remissa est.

Absolutio quando danda nõ solvẽti decimas.

Secunda excõmunicatio fertur *in Clem.religiosi de decim.* contra religiosos. 1. si absq; justo titulo sibi decimas aut primitias, Ecclesiis debitas usurpẽt. 2. si prohibeant servis suis decimas solvere ex gregibus & rebus suis. 3. si ipsi ex rebus emptis, & de quibus decimæ debentur Ecclesijs, nõ solverint. 4. si nõ permiserint servis & colonis decimas solvere ex terris, quas ipsi eis colendas tradũt. Notandũ est cũ *Suar. & Tolet.* in explicatione hujus *Clem.* nõ comprehendi religiosos, quando decimæ nõ Ecclesijs, sed personis privatis debentur: itẽ solũ cõprehendi religiosos carentes beneficio & administratione. Nam qui beneficium, vel administrationẽ habent, ipso jure suspenduntur.

137 Tertia excõmunicatio habetur in *Clem. cupientes, de pænis* ubi ipso jure excõmunicantur omnes cujuscunq; ordinis regulares, qui vel concionando, vel aliter aliqua tractãt, ex quibus movẽtur auditores, ut decimas debitas nõ solvãt. Additur quarta excõmunicatio contra religiosos qui pœnitentes scienter nõ obligant decimas solvere, & postea cũ possint, non emendãt factũ, imò audent publicé concionãdo dicere, nõ habere obligationẽ. Unde Toletus requirit omnes dictas actiones, ut incurratur.

Decimas impedientes religiosi.

Fertur deniq; in Bulla cœnæ clausula 17. excõmunicatio contra exigentes, usurpantes, occupãtes, sequestrantes decimas, redditus & proventus beneficiorũ, & contra præbentes ad ea auxilium, quando (exponit Suar.) id faciunt, quasi sibi deberẽntur.

Rogabis, an incurrãt excõmunicationẽ magistratus, qui ut succurrãt populo in gravi necessitate, decimas beneficiorũ sequestrãt? Respõdet *Pal. citat.punt.14.n.3.* ex *Lege regia 1.t.25.l.5.nova collect.* ubi *Matienzo glos.1. & 8.* eos incurrere, nisi prius tentaverint populo succurrere, authoritate Ecclesiastici judicis. Quia dum Ecclesiasticus judex negligens nõ est, laicus non potest capere illas decimas. Quod si ille negligens fuerit, poterit laicus judex ponere in sequestro quæ clericis necessaria non fuerint.

Sequestratio decimarum.

SECTIO III.

Quibus personis decimæ solvendi sint: & quæ tale jus possidere, & præscribere possint.

QUÆSTIO I.

Quibus personis decimæ jure cõmuni debeantur.

138 Decimæ ex sua primæva institutione (ut testatur *Suar.l.1.de dec.c.28.*) debẽtur

Decimæ quibus debentur. tur clero ad ipsius sustentationem, & divini cultus ministerium. Habetur *cap. pervenit. cap. omnes basilicæ 16. q. 7.* Unde a principio facta fuit divisio diœcesum, & uniuscujusque diœcesis decimæ ad illius clerum ita spectabant, ut eas Episcopus cum debita proportione distribuerit. Nam *c. 1. causa 16. q. 7.* sic Gregorius statuit: *Decimas sub manu Episcopi fore censemus, ut ille qui cateris præest, omnibus justè distribuat.*

Postquam diœceses in parochias divisæ fuerūt, decimæ uniuscujusque parochiæ spectant ad clerum in illa ministrantem ex officio divina, & nō ad solum parochum: quanvis per parochum sint distribuendæ juxta consuetudinem, vel Episcoporum ordinationes. Clerus quoad hunc effectum comprehendit solum Episcopum, & inferiores clericos: non verò superiores prælatos, ut Papam, Primates, Patriarchas, & Archiepiscopos. Unde decimæ non debentur solis parochis, sed etiam alijs ministris altaris, qui titulo alicujus beneficij ex decimis instituti tenentur altari, & choro inservire. Ita *Suar. cit. c. 28. a. n. 6.* Qui toto *capite 29.* facit sequentes illationes.

139 Infert 1. decimas principaliter deberi Episcopis utpote habentibus principaliter ex officio curam animarum. Unde ex unaquaque parochia illi debetur quarta pars: si autem ille sit alicujus immediatus parochus, totum: similiter ex prædijs, quæ intra diœcesim in nulla parochia continentur. Infert 2. Post Episcopos decimas deberi parochis Unde jure antiquo, si in Ecclesia nō fuerint alia beneficia instituta ex decimis, spectabit ad parochum quarta pars prædialium, præter personales, & oblationes, & alia commoda: ille verò tenebitur alere ministros necessarios. *Episcopo quæ decimæ debeantur.*

Infert 3. Ecclesiarum cathedralium capitulis, & eorum membris, seu clericis præbendatis deberi proprijssimè decimas suæ Ecclesiæ eo modo & proportione, quo eorum mensis ac beneficijs sunt applicatæ. Et quidē debentur prædictis ex justitia & religione, etiam si divites & mali fuerint. Infert 4. neque clericis simplicibus, neque religiosis ex præcisa ratione status competere jus decimarum. Quid quid sit de privilegio ob alium titulum.

Difficultas est, an parocho vel beneficiatis debeantur decimæ a populo, si alijs v.g. pēsionarijs sint applicatæ per Pontificem, & pensionarius nō reliquit parocho vel beneficiatis sufficiens stipendium ad sustentationem. Negativam sententiam ex *Covarr. l. 1. Var. c. 17. n. 3. Lessio l. 2. c. 39. n. 17. & Suario cap. 15. n. 10.* rectè sequitur *Palaus disp. unica de decim. pun. 10. a. n. 4.* Probat, quia populus pro exhibito sibi ministerio solum tenetur unas decimas tribuere, & non duplicatas. Ergo postquam semel tribuit, non tenetur augere stipendium parochi vel beneficiati, quod culpa pensionarij, vel alterius insufficiens est.

140 Ex quo sequitur, si parochiani solverunt integras decimas parocho habenti vicarium, non teneri augere stipendium tenue vicario, ne videatur gratis servire. Quia tunc augere tale stipendium, ad parochum, & non ad populum spectat. Unde si parochus, vel beneficiatus qui non intervit beneficio per se, sed per vicarium, ei non tribuat sufficientem sustentationem, poterunt parochiani decimas denegare beneficiato, ut vicario, seu vicecurato conferatur debita sustentatio. Ita *Palaus n. 5. & 6.*

QVÆSTIO II.

Quænam personæ possint jus decimarum præscribere, & quæ illud possidere, & quæ dare laicis possidendum?

Præscriptio decimarum. Circa primam quæstionis partem, supponēdum est eas solum personas, quæ possunt possidere jus spirituale decimarum, quales sunt solæ ecclesiasticæ, posse tale jus præscribere. Dixi (jus spirituale) quia jus temporale, de quo infra dicemus, etiam personæ laicæ possidere possunt.

Supponendum 2. jure communi neque religiosis, neque clericis decimas deberi, nisi habeant beneficium ecclesiasticum; at ex privilegio sæpe decimas religiosis applicari, & aliquando cum onere exercendi aliquod spirituale ministerium.

Dico 2. Monasterium potest comparare jus decimarum alicujus ecclesiæ eam præscribendo, & ejusdem onera in se transferendo. Ita *Suar. l. 1. de decim. c. 30. n. 7.* Patet, quia ecclesia est fundamentum decimarum, & illa monasterio præscribi potest. Hoc rectè ad clericos simplices extendunt *Rebuf. de dec. q. 13. n. 63. & Gutier. trac. de decim. c. 21. n. 6.* Cum sint capaces ex *cap. ad aures, de præscrip.* Ad quam præscriptionem sufficit cum titulo colorato, & bona fide triennalis possessio, dumodò Simonia non intervenerit, ut tenet *Palaus disp. un. pun. 10. n. 2. ex reg. Cancel. 33.*

141 Dico 2. Religiosi & quicunque clerici possunt præscribere jus exigendi decimas ratione privilegij præsumpti, si adsit bona fides, & possessio per tempus sufficiens. In foro externo ita adesse præsumitur, quoties a tempore immemoriali decimæ exiguntur. Ita citati authores, inter quos *Suarius n. 8.* addit secluso titulo privilegij decimam non posse justè exegi a nō laborāte. *Religiosi ut exigāt decimas.*

Circa secundam quæstionis partem, cum ex dictis satis constet posse ecclesiasticas personas jus decimarum possidere, sola dubitatio super est de laicis, quam duplici resolutione dissolvam. *Possessio juris decimarū.*

Dico 1. Laicus neq; jus spirituale percipiendi decimas possidere neq; præscribere illud potest. Habetur *c. quamvis, & c. prohibemus, de decimis. & c. decimas 16. q. 7.* Patet quia jus illud spirituale habetur ratione alicujus officij, seu ministerij ecclesiastici spiritualis cujus laicus incapax est.

Dico 2. laici possunt possidere jus temporale decimarum, ratione alicujus temporalis ministerij, sibi applicatarum: ut si Ecclesia laicis decimas vendat, locet, aut donet pro obsequijs factis, vel faciendis. Ita *Azor l. 7. c. 36. q. 11. Lessius c. 6. dub. 10. & c. 39. n. 19. Covarr. c. 17 n. 5. & Suar. tr. 2. l. 1. c. 27. n. 4.* Ratio est, quia laici sunt capaces exigendi, & possidendi decimas dicto titulo & jure. *Præscriptio decimarū in laicis.*

142 Unde laici possunt consuetudine acquirere tale jus, illudque præscribere præscriptione im-

Praescriptio decimarũ in laicis.

immemoriali, quæ æquiparatur privilegio, & in persona capaci vim privilegij habet. *cap. super quibusdam, de verbor. signif.* Ut veró præscriptio legitima sit (ait Suar. cit. c. 27. n. 4.) posito quòd titulus non adsit, debet adesse fama & op nio simul cũ immemoriali possessione ex aliquo titulo legitimo illas possidere. Addit *Pal. cit pun. 9. n. 3.* ex sola immemoriali possessione colligi sufficienter justo titulo possidere.

Alienatio decimarũ.

Circa tertiam quæstionis partem, videndum est quinam possint conferre laicis jus illud temporale percipiendi decimas? Bene ex *Suar. cit. c. 25.* respõdet *Palau cit. n. 4.* potuisse olim beneficiatũ propria authoritate suas decimas locare, aut vendere ad breve tempus, *c. 2. de locato.* Per breve tempus aliqui intelligunt decennium, & alij vitam hominis, quasi talis alienatio ad vitam fieri posset. Quod probabile reputat Azor l. 7. c. 36. q. 14.

At, ubi recepta est Extrav. Pij. 2. quæ incipit *Ambitiosæ de rebus Eccles. non alienand.* nulla conductio vel locatio, etiam Episcopi authoritate, fieri potest, quæ triennium excedat. Hæc tamen limitatio (ut rectè notat *Suar. cit. c. 25. n. 10.*) non extenditur ad decimas, quæ conferuntur laicis in stipendium pro obsequio Ecclesiæ præstito. Itẽ non extenditur ad Episcopum dantem laicis ad tẽpus vel ad vitam, jus exigẽdi decimas pro magno aliquo obsequio Ecclesiæ præstito, quale esset si suis impensis Ecclesiæ servirent, vel eam a tyranno defenderent. Talis enim remuneratio nullibi prohibita reperitur.

Feudum ex decimis.

143 Difficultas est, an decimæ possint conferri laicis, in feudum? Cõstat posse hoc fieri authoritate Sũmi Pontificis. Dubitatur de prælatis, seu Episcopis inferioribus. Ut veró expediatur dubiũ, distinguendũ est tempus ante Conciliũ Lateranẽse sub Alex. 3. & post illud: seu potiùs ante Urban. 2. qui annis 84. præcessit tale Concilium. Item distinguendum est concessione vel in feudum perpetuum, vel ad tempus, vel ad vitam.

Dico 1. communis sententia est concessionẽ temporalem posse fieri ad Episcopo ex justa causa propter magnum obsequium Ecclesiæ præstitum. Ratio est quia hoc non invenitur Episcopo prohibitum. Dico 2. Olim tempore ante Urbanum 2. potuerunt Episcopi dare laicis ex causa justa fructus decimarum in feudum perpetuum. Unde si quos dederunt adhuc recipi possunt tuta conscientia. Ratio est, quia ante illud tempus non dabatur prohibitio: & Episcopus in suo Episcopatu potest quidquid Pontifex in tota Ecclesia, nisi prohibeatur.

Dico 3. post illud tempus omnes concessiones factæ laicis in feudum perpetuum decimarum sine Pontificis authoritate sunt illicitæ & irritæ. Ita habet decretum editum ab Urbano 2. in *Concilio Tridentino anno* 1096. Feudum igitur perpetuum ex decimis ab antiquo licité retentum potest hodie transferri in legitimos successores: si autem extinguatur linea, potest ultimus possessor, dum adhuc vivit, illud transferre de consensu Episcopi: An eo mortuo possit Episcopus decimas illas ex causa justa in feudum dare? Negat satis probabilis sententia. Quia hoc esset novum feudum erigere, quod Episcopis prohibitum est. Affirmat tamen probabilior, ex c. 1. *de feudis* ubi Innocentius 3. id declaravit. Hæc laté *Suar. cit. cap. 26.* & *Palau cit. p. 9.* quæ nos misimus in compendiũ.

SECTIO IIII.

Quæ personæ teneantur decimas solvere: & quæ a decimis solvendis eximantur.

QUÆSTIO I.

Quæ persona decimas solvere teneantur?

Decimas solvere qui teneantur.

PRocedit de personis tam laicis quam Ecclesiasticis. Ut incipiamus a laicis, utpote facilioribus, constat ex *c. ex transmissa, de decimis,* omnes laicos cujus cumque status & conditionis, modó baptizati sint, teneri ad decimas Dixi (baptizati sint) quia ad hujusmodi contrahendam obligationem utpote ex præcepto ecclesiastico, requiritur baptismus. Unde non tenentur Iudæi, neque Mauri, neque gentiles, imò neque cathecumeni filij non baptizatorum: secùs de cathecumenis, qui sunt filij baptizatorum. Ex *c. De terris, & cap. quando, de usuris,* non rectè probatur. Judæos teneri præcepto decimarum. Nam ibi supponitur Ecclesiæ jus esse acquisitum in tali fundo, quoad talem pensionem, & cogi Iudæos ad eam solvendam ne lædatur Ecclesia. Ita *Suar. de decim. cap. 16. 2. & 6.*

Notandum tamen est Ecclesiam, & ejus Principes potuisse exigere tributum decimarum, vel aliud ab infidelibus, ut alerentur ministri necessarij qui eos fidem docerent. Nam ex præcepto naturali & divino tenentur fidem recipere, & cõsequenter sustẽtare ministros, quibus in fide instruantur. Ecclesia tamẽ numquam utitur hac potestate, sed gratis remittit, & a baptizatis sustentationem exigit. Ita *Suar. cit. n. 11. & Palau pun. 11. n. 1.*

Ecclesiastici ad solvẽdas decimas.

145 Rogabis an fideles pauperes teneantur decimas solvere? Certum est pauperem existentem in extrema necessitate, ita de obligari a solvendis decimis. & ita extingui debitum, ut postea fructus ditior non teneatur ex illo. Si pauper solum sit in gravi necessitate, quia nempe caret necessarijs ad congruam sustentationem personæ & familiæ, existimat Suar. citatus n. 17. non teneri pro tũc decimam solvere, quamvis teneatur postea factus ditior illam restituere. At *Palau cit. n. 2.* credit talẽ egentem ita manere liberum per extinctionem debiti, ut postea factus ditior non teneatur restituere. Quia parochiano graviter egenti tenetur parochus de acceptis decimis succurrere.

Quod attinet ad ecclesiasticos, citati authores absoluté tradunt clericos & religiosos teneri decimas solvere. idque desumunt ex *c. 2. de decim.* ubi dicitur clericos illos, qui a clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debere. Nam ratio in qua fundatur debitum decimarum

marum est acceptio Sacramentorum: & omnis clericus non parochus tenetur Sacramenta recipere a proprio parocho, & hic illi Sacraméta ministrare. Bona tamen ex quibus debet tales decimas, non sunt quæ habet titulo spirituali, seu clericali, sed quæ possidet titulo patrimonij, legati, aut donationis.

Parochi & Episcopi ad solvendas decimas.

146 Quid de parocho, Episcopo, & Summo Pontifice? Rectè docent *Suar. cit. c. 17. a. n. 8. Rebuff. tuc. de decim. q. 5. n. 5. & Less. l. 2. c. 39. n. 28.* illos omnes esse exemptos a debito solvendi decimas, si loquamur de debito personali, scilicet cadente in ipsorũ personas: secus de debito reali, quod datur ratione rei possessæ, quæ portat secum tale onus. Quia jus non imposuit talibus personis, etiam ex redditibus temporalibus onus decimarum: si tamen prædia quæ illis obveniunt more laico, onus reale habeant v. g. solvendi decimas Ecclesiæ in qua sita sunt, ab illo non eximentur.

Prædiũ Ecclesiæ ad decimas.

Maior difficultas est, quando non parocho, sed Ecclesiæ relinquitur prædium, ut fiat quasi patrimonium talis Ecclesiæ, an tunc debeantur ex illo decimæ Ecclesiæ illi in qua situm est, & cui antea solvebat? *Suarius cit. n. 29. & 31.* cum *Soto, Caietano. Aragon. & alijs* quibus favet *S. Thom. 2. 2. q. 87. a. 4. ad 1.* judicat probabile ex prædijs donatis Ecclesiæ in sustentationem ministrorum illius, non deberi decimas illi Ecclesiæ, in qua sita sunt. Probat ex *c. quæst. 16. q. 1.* Et placet mihi Nec repugnat *Palaus cit. pun. 11. n. 7.* qui licet dicat textũ in quo fundatur, neque esse Pontificis, neque Cõcilij generalis approbati, affirmat tamen consuetudine satis approbatum esse.

QUÆSTIO II.

Quæ personæ a solvendis decimis eximantur?

Religiosi ad decimas.

147 Sicut solus Pontifex onus solvendi decimas potest imponere, ita solus a tali onere potest eximere. Unde quod cunque privilegium non solvendi, vel per expressam concessionem, vel per legitimam præscriptionem habitum, ab illo dimanat. Cum veró certum sit religiosos jure communi esse exemptos a solvendis decimis personalibus, & prædialibus de prædijs quæ excolunt proprijs impensis, ut exprimitur *c. Ex parte 1. de decim.* quamvis *c. dilecti* limitetur concessio ad prædia propria, itaut non intelligatur de cõductitijs, etiam si excolantur proprijs sumptibus, habent tamen extra jus cõmune varia privilegia, quæ unusquisque examinare debet, & nos ex cõmuni doctrina expedire dubia sequentia.

1 Dubium est, an quando religiosi habent privilegium per hæc verba (*Ne decimas solvant ex prædijs quæ habent*) intelligatur nõ solum de novalibus, quæ noviter excolunt, sed etiam de prædijs quæ jam possident? Respondeo intelligi de utrisq nisi ex illis decimæ antiquiori privilegio debeantur tertiæ personæ. Quia tunc opus est verbis antiquius privilegium sufficienter derogantibus. Ita *Azor l. 7. q. 6. Covarr. l. 1. c. 17. n. 14. & Suar. cit. c. 19. n. 3. fin.*

2 Dubium est, an privilegium verbis supredictis concessum comprehendat solum prædia acquisita, an extendatur ad acquirenda? Bené respondent *Azor cit. q. 6. & Suar. n. 7.* ex *c. quia circa 22. de privil.* & *cap. nuper, de decim.* tale privilegium cõprehendere tam prædia acquisita quàm acquirenda. Nam tale privilegium conceditur per verba indefinita, quæ præsentia, & futura significãt.

Privilegium nõ solvẽdi decimas.

148 Neque obstat 1. *cap. si quis laicus, c. Ecclesia, & c. quicunque 16. q. 1.* rem cum suo onere transire, quia id debet intelligi, quando sola persona est privilegiata, secus quando eius bonis confertur tale privilegium, quod onus tollat. Neque obstat 2. quod privilegium comparatum præscriptione non se extendat ad prædia acquirenda. Quia præscriptio requirit possessionem, quæ in solis acquisitis da tur.

3 Dubium est, an privilegium datum sub illis verbis, *Non solvant decimas de suis agris*, vel *Non solvant decimas suorum laborum*, idest agrorum, comprehendat agros conductos, vel in emphyteusim acceptos? Affirmat *Azor. l. 7. q. 6. §. 3.* de prædijs conductitijs: quia hæc habentur, licet nõ ut propria. *Suar. cit. c. 19. n. 11.* licét solum facta mentione de prædijs conductis, affirmet probabiliter de in emphyteusim acceptis, tamẽn oppositum judicat probabilius. Et huic modo libenter subscribo. Quia domus conducta non dicitur mea, nec ego dicor habere talem domnm.

Coloni religiosorum ad decimas.

4 Dubium est, an conducentes prædia religiosorum liberentur a debito decimarum ratione privilegij concessi religiosis? Certum est non liberari jure communi. Nam *c. licet, de decimis* religiosi solum eximuntur a solutione decimarum, de illis rebus quas proprijs manibus excolunt. Si veró loquamur de privilegio continente verba supradicta, communior, & verior sententia est conducentes prædia religiosorum liberari a debito decimarum. Ita *Palaus de decim. disp. un. pun. 12. n. 10.* Patet quia privilegium reale eximit ab onere decimarum illorum prædiorum, quæ per alios coluntur: quod veró illud sit privilegium reale, cõstat ex verbis Pontificis: dicit enim, *Eximimus religiosos, & eorum prædia a decimis solvendis*. Dicitur privilegiũ illud reale non absoluté, sed respectivé ad religiosos. Quia solum inhæret prædijs quandiu sunt sub dominio religiosorum. Si enim alienentur, non ferent secum tale privilegium.

Privilegij decimarũ amissio.

149 5 Dubium est, qua ratione amitti possit privilegium non solvendi decimas? Respondeo posse amitti ratione, seu modo duplici. 1. si ex privilegio enormis læsio Ecclesiæ fiat. Tunc enim si id constet evidenter priviligiato, uti nequit privilegio. At non poterit cogi ad decimas solvendas, nisi authoritate judicis, ad quem causæ decimarum pertinent. 2. facta renunciatione vel expressa, vel tacita. Cum veró expressa fieri nequeat, quia privilegium fuit concessum in favorem publicum religionis, renunciatio tacita nunquam præsumi potest sufficiens ad derogationem privilegij, sed tantum quæ sufficiat, ut contra religionem priviligiatam Ecclesia præscribat. Ita *Palaus pun. 13.*

SEC-

SECTIO V.
Quomodò quis liberari possit a solvendis decimis: & Ecclesia recuperare non solutas?

QUÆSTIO I.
Quinam possint mutare dispensatione, vel abrogatione legem de solvendis decimis?

Decimarũ legis mutatio per Episcopũ.

TOta hæc quæstio, duobus expeditis, expedietur. 1. expediendum est, an Episcopi, & reliqui prælati, qui subjacent Summo Pontifici, legem decimarum possint mutare dispensatione, derogatione, aut alio quovis modo? Videtur affirmandum, quia *Tridentinum sess. 21 de reform. cap. 4.5.& 7.* facit potestatem Episcopis ut decimas uni, vel alteri loco applicent, beneficia uniant, & unita dissolvant juxta populi numerositatem & novos assignent clericos, quibus conferantur decimæ pro sui ministerij qualitate; ergo possunt mutare legem decimarum.

150 Negandum tamen est cũ *Rebuffo quæst. 5. de decim. n. 32. Suar. l. 1. c. 15. fine & Fagun. de 5. Eccl. præc. l. 2. c. 4. n. 6.* posse Episcopos, vel alios prælatos legem decimarum jure communi stabilitam mutare dispẽsando, abrogando, vel alio modo. Quia lex decimarum est lex superioris, & illa mutatio cederet in præjudicium tertij, nempe parochi vel Ecclesiæ. Id quod Episcopi faciunt juxta Tridentinum, non est dispensatio, vel relaxatio juris communis, sed debita decimarum administratio, quam exercent tanquam legati sedis Apostolicæ.

Abrogatio legis decimarũ per Pontificem.

2 Expediendum est, quid possit Summus Põtifex circa mutationem legis decimarum? Conveniunt Doctores, & expressè tenent *Azor. l. 7. c. 37. q. 6. Lessius l. 2. c. 39. dub. 5. & Suar. l. 1. c. 14.* Sũmum Pontificem sua potestate absoluta posse quem libet eximere a solvenda decima, imò universas sibi applicare decimas, & Ecclesiæ ministris congruam tribuere sustentationem. Quia sic solum abrogat legem ecclesiasticam a se latam, & non immutat jus divinũ naturale, quod præcipit ut debita ministris sustentatio conferatur. Optimè tamen dicit *Suar. n. 10.* credibile esse nõ permissurum Spiritum S. ut Pontificem hac potestate absoluta, ut ex toto decimas abroget: quia cederet in magnum Ecclesiastici status præjudicium, sicut si tolleret Ecclesiæ cæremonias, & ritus communes.

151 Illud certum est posse Pontificem decimas uni Ecclesiæ applicare, prout sibi libuerit. Quia fuerunt, & conservantur semper applicatæ dependenter a voluntate Pontificis. Unde parochiales illæ Ecclesiæ, a quibus authoritate Pontificis decimæ fuerunt sejunctæ, & quibusdam religiosis ordinibus applicatæ, non possunt justè queri, & allegare injuriam. Denique quamvis Põtifex talem legem utpote suam immutans absq; justa causa, validè immutet, sed non licitè: tamen nunquam præsumendus est moveri ad immutãdum absque legitima causa, præcipuè quãdo motu proprio immutat.

QUÆSTIO II.
An consuetudo a debito decimarũ possit aliquem eximere?

Consuetudo cõtra legẽ decimarum.

POsse communitatem aliquam, & illius ratione privatas personas a debito decimarum eximi, vi consuetudinis, dummodò conferatur ministris sufficiens sustentatio, communis & vera sententia est, quam de decimis sivè personalibus, sive prædialibus sive mixtis, tradunt *Gutier. l. 2. can. q. c. 20. n. 64. Covarr. l. 1. c. 17. n. 8. Lessius l. 2. & 39. n. 29. Suar. l. 1. c. 12. n. 7. & Fag. de 5. præc. l. 3. c. 1.* Ratio est, quia sicut principis privilegio plures communitates sunt exemptæ a solvendis decimis, ita cõsuetudine inducente privilegium, vel abrogante legem aliæ possunt eximi.

Dixi (dummodò conferatur ministris sufficiẽs sustantatio) quia cum hæc debeatur jure naturali, hoc nulla consuetudo valet abolere. Observandũ tamen est 1. non quacumque consuetudine præscribi exemptionem a solvendis decimis, sed illa tantum in qua concurrant omnes conditiones requisitæ ad præscribendum contra legẽ, de quibus egimus tract. 4. sect. 11.

152 Observandum 2. dictam consuetudinẽ debere esse rationabilem, seu rationi consonam, & talem censeri, si nec divino, nec naturali juri adversetur, vel de qua fieri possit lex, vel dari privilegium. Nam consuetudo vim legis habet: atque adeo honestatem habere debet. Ita *Sanch. de matr. l. 7. disp. 4. n. 14.* qui rectè notat in dubio an sit rationabilis, seu honesta, præsumere debere posteros, qui eam non introduxerunt, esse honestam.

Observandum 3. quanvis multi dicant consuetudinem, quæ legitimè præscribat adversus decimarum solutionem, debere esse immemorialem, si absit titulus, tamen probabilius est sufficere tẽpus 40. annorum sine titulo. Ita *Covar. li. 1. Var. c. 17. n. 8. & Less. l. 3. c. 39. n. 26.* Nam aliud est præscriptio, & aliud consuetudo: illa enim titulum requirit, præcipuè quando jus resistit: secus consuetudo, quæ legem abrogare potest. Imo non requirit bonam fidem, sicut eam requirit præscriptio: nam mala fide introduci potest, & sæpe ita contra legem introducitur.

Observandum 4. nullam posse unquam in hac materia dari consuetudinem, quæ ita polleat, ut Pontifex illam non possit abrogare, & legem denuo condere. Ita *Suar. l. 1. c. 12. n. 21. & Lessius l. 1. c. 39. n. 25.* Quia Summi Pontificis potestas, cũ sit de jure divino, nulla unquam vi humana diminui, aut infringi valet.

QUÆSTIO III.
Utrùm a solvendis decimis possit eximere aliquem præscriptio, compositio, vel remissio?

Præscriptio decimarũ.

153 CIrca primam quæstionis partem de præscriptione, notandum est 1. præscriptionem quæ appellatur usucapio, apud *Modestinum l. 3. ff. de usu cap.* esse acquisitionem dominij per continuationem temporis lege definiti, quæ non

non solum circa mobilia, sed etiam immobilia versatur. Habetur *l. unica c. de usu c.*

Notandum 2. ad legitimam præscriptionem requiri quatuor conditiones, scilicet possessioné, titulum, bonam fidem, & continuationem horū omnium toto tempore ad præscribendum necessario. Absque possessione quæ habeatur nomine proprio, non quidem naturali, sed civili, nūquam præscribitur. Titulus esse debet verus, naturalis, vel saltem præsumptus. Bona fides perseverare debet toto tempore requisito ad præscribēdum Sed de his omnibus ea brevitate, quam profitemur, jam egimus tract. 7. sec. 5. Videatur *Molina, qui tract. fusissime to. 1. de Iust. a disp. 62.*

Tempus ad præscritionē decimarum. Sit igitur nostræ quæstionis resolutio. Præscriptione liberari quis potest a debito decimarū, si adsint prædictæ conditiones, & quæ exprimūtur in *c. 1. de præsc. in 6.* serventur. Ita *Covar. l. 1. Var. c. 17. n 7. Gutierr l. 2. canon 9 ? c. 21. n. 65. Mol. disp. 71. Sua. l. 1. c. 13. n. 1. & Lessius l. 2. c. 39. n. 26.* qui rectè monent ex *c. auditis de præsc. & cap. 3. de cōsu t. in 6.* tempus postulatum in hac materia ad præscribendum esse 40. annos cum titulo, & sine titulo tempus quod hominum memoriam excedat. Ratio est, quia si titulus non ostenditur, jus præscriptioni resistit: nam præsumit malam fidē, nisi immemoriale tempus elapsum sit.

154 Ex dictis optimé infert Suar. cit. c. 12. n. 15. consuetudinem & præscriptionem obtinere vim non solum circa substantiam decimarum, sed a fortiori circa illarum circunstantias, nempe ut solvantur hoc vel illo tempore, hac vel illa mensura, huic vel illi Ecclesiæ, ex his vel illis rebus, deferátur ad Ecclesiam, vel solvátur in area.

Compositio & transactio in decimis. Circa secundam quæstionis partem de compositione, trāsactione, cōmutatione, aut aliò pacto simili, dicendum est cum *Rebuf. tr. de decimis. q. 13 n. 16:* Panormit. in *c. cum hoc, de decim. & Fagun. de 5. præc. Decal. l. 3 c. 2.* hujusmodi pacta obtinere vim eximendi a solvendis decimis, & transferēdi obligationem ab una in aliam Ecclesiam, & mutandas solutionis circunstantias, ut nēpe decimæ ex his bonis, in hac quantitate, hoc tempore, & hoc loco solvantur.

Hujusmodi autem compositiones, & transactiones sufficienti authoritate niti debent, qualis scilicet est Pontificis, si inter clericos & laicos facienda est cōpositio de futuris decimis in perpetuum, aut in longum tempus. Nam tunc intervenit alienatio de bonis Ecclesiæ immobilibus.

155 At si compositio inter unam, & aliam facienda est, sufficit Episcopi authoritas, ut citati authores docent, & probant ex tex *c. ex multiplici, de decimis.* Si verò compositio facienda sit super solos fructus, quos Ecclesiæ, rector percipere debet, tunc absque ulla superioris authoritate validè & licité fieri potest pro vita rectoris transigentis: Quia tunc non bona Ecclesiæ, sed propria alienat, ut resolvitur *c. veniens, de transact.* Ex quo facilé deducitur fieri posse a quolibet particulari cōpositioné de decimis jam debitis pro alijs fructibus: sicut eas ex rationabili causa remittere. Vide *Palaum de decim. disp. un. punc. 5.*

QUÆSTIO IV.

Quomodo Ecclesia decimas non solutas recuperare possit?

Decimarū recuperatio ab Ecclesia. Agendū nobis est de modo, quo Ecclesia potest, ac debet non solutas decimas recuperare, & de judice, coram quo potest agere ad recuperandum. Quod attinet ad prius, sit 1. resolutio. Modus licitus, imo debitus pro recuperandis decimis est excōmunicatio, quam cōmendat *Trid. sess. 25. c. 12. de reform.* Hæc tamen ferenda non est, si obstet publicum scandalum, & ex tali cautione timeantur maiora mala. Tunc enim Ecclesia prudenter dissimulabit: nec censebitur (inquit *Suar. li. 1. c. 38. a. n. 3.*) alienare bona immobilia, sed solum ex causa remittere quosdam redditus.

156 2 Resolutio. Ecclesia potest decimas nō solutas recuperare a b injustis detentoribus, non solum actione personali, sed & reali, ac per rei vēdicationem. Nam supra n. 125. diximus Ecclesiam habere dominiū utile in decimas, antequam a cumulo separentur. Addo probabile esse quod defendunt Feder. Senen. cons. 81. & Hostien. in *c. Pastoralis de decim. n. 5.* posse agere adversus illas personas, quibus prædia donata, legata, aut vendita fuerunt, ut solvant decimas antiquas illorum prædiorum. Nam illa prædia videntur esse per modum hypothecæ obligata ad solvendas decimas quascunque, sicut bona mariti sunt hypothecata pro dote uxoris. *c. ex litteris, de pignor.*

Nihilominus probabilius est oppositū, quod ex *Suar. lib. 1. c. 38. n. 11.* tradunt *Fagun. de decim. lib. 3. c. 6. n. 2. & Palaus de decim. disp. un pun. 15. n. 3.* nempe prædia vendita seu donata non esse obligata per modum hypothecæ generalis, vel particularis ad solvendas decimas quorumcunque fructuum illius domini, cujus erant prædia; imò neq; ad solvendas decimas illorum fructuum, qui nati fuerunt ex ijsdem prædijs. Ratio est quia non apparet principiū talis hypothecationis: si quidē neq; ex fidelium voluntate, neq; ex aliqua lege constat.

157 Quod attinet ad posterius, de judice cujus authoritate decimæ recuperandæ sunt, certum est parochum (ut tradit *Rebuf. de decim. 9. 9. n. 20.*) non posse decimas sibi non solutas per vim recuperare. Caret enim forensi jurisdictione activa & punitivâ in foro externo. *Iudex pro recuperandis decimis.* Difficultas est coram quo judice, laicone, an ecclesiastico agendum sit ad recuperationem? Benè respondent *Covar. pract. c. 35. n. 2. Azor l. 7. c. 6. q. 3. Suar. l. 4. de immun. Eccl. c. 33. & Fagun. 5. præ. l. 3. c. 5.* cum distinctione, scilicet, si decimarum causa sit facti & non juris: & quód non agitur an debeatur decima, sed an decima soluta vel non soluta sit, posse Ecclesiam tam coram Ecclesiastico, quám coram laico judice debitorem suum laicum, non clericum convenire. Quia illa causa mixti fori est: si autē causa sit juris, quia nempe tractatur de jure, quo decimæ debentur, solum coram Ecclesiastico judice agere posse.

Quid

Quid si agitetur causa de decimis, quæ per Pōtificem alicui laico ejusque successoribus in feudū perpetuum concessæ fuerūt, sicut illæ vulgo *tertiæ* dictæ, quas Pontifex Regibus Hispaniæ concessit? *Gutierr. pract. quæst. l b.1.q.14.n.4. & Covarr. pract quæst.c.35.n...Vers.* 3. dicunt talem causam debere agitari coram sæculari judice. quia per cōcessionem perpetuam laicis, desijt esse spiritualis, & facta fuit temporalis: quod quidem probabile est: secus, quando concessio ad tempus facta esset, quasi, tunc res non exuerit illam spiritualitatem.

Rogabis 1. an laici a quibus exiguntur decimæ non solitæ, possint se defendere coram judice laico? Affirmant citati *Covar. vers.4. & Gutierr. n.5.* & id multis pragmaticis regni Castellæ esse stabilitum testatur *Ioan. Garcia de expens. & melior. c.9.n.* 95. Nobis videtur distinguere: nam si Ecclesiæ exigat decimas a laicis, eo quód dicat illos non habere privilegium, tunc probabile est, posse illos adire judicem sæcularem pro defensione. Quia est causa de facto. Si veró exigat decimas, eo quòd dicat privilegium non esse validum, aut præscriptionem non legitimam, tunc solo judicio Ecclesiastico standum est: cū moveatur causa de jure. Ita *Palaus citatus n.7.*

158 Rogabis 2. coram quo judice conveniendus sit decimarum conductor, si non solvat conductionis pretium? *Fagund. de Eccles. prac. l.3. c.5.n.11.* affirmat posse conveniri tam coram laico, quàm coram Ecclesiastico judice. Quia quæstio facti & non iuris est. Rectius *Covar. pract. quæst. c.35.n.2. vers.5.* affirmat necessarió coram solo judice laico conveniendū esse. Quia talis causa neq; de jure, neque de facto Ecclesiastica est: siquidem nec vertitur super jus decimandi, neque super decimas solvendas ab ijs qui illas debent, sed super solum implendum contractum conductionis. At si in celebratione talis contractus conductor se submisit judici Ecclesiastico; coram illo conveniri poterit. Ita citati authores. De judice in causa decimarum, quando decimæ fuerunt concessæ Regibus, aut dynastis per Sedem Apostolicam: vide *Fragosum p. 1. l.2. disp.4.§.4. mem. 7. a n.*360.

Conductor decimarū.

SECTIO VI.

De primitijs, & oblationibus.

QUÆSTIO I.

Quid sint primitiæ, & qua ratione debitæ?

Circa primam quæstionis partem, de essentia & quidditate primitiarū sciendū est in usu fuisse primitias apud veteres Romanos, qui scribit *Plin. l.18. c.2.*) nō gustabāt novas fruges, atque vina, donec sacerdotes primitias habuissēt Deinde in lege veteri cecidisse primitias sub præceptum constat, *Ex d.13. Num.18. Malach.3.* & expressius *Deut.26.* ubi solvere primitias jubentur Hebræi: *Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo.*

Primitiæ quid sint.

159 Sunt autem Primitiæ primi fructus ex agro suscepti, qui Deo offeruntur. Unde juxta *Suar. to.1. de relig. trac.2 l.1.c.8.* nominantur & intelliguntur non ordine dignitatis, ut debeant esse optimi fructus, sed ordine temporis, ut debeant esse illi, qui primó colliguntur. Notat *Lessius l.2.c.39.n.30.* primitias distingui a decimis, quia illæ sunt primi fructus, decimæ sunt pars decima fructuum. Deinde quia primitiæ immediaté offeruntur Deo in gratiarum actionem pro frugibus terræ, mediaté veró & secundarió cedunt in usum ministrorum: decimæ proximé & immediaté dantur sacerdotibus in stipendium sustentationis, ob ministerium spirituale.

Circa secundam quæstionis partem de ratione qua primitiæ debentur, certum est dari præceptum Ecclesiasticum de solvendis primitijs, quod satis apparet, & Doctores ostendunt in *c.1. de decimis, c. qui 13. quæst.2 c. revertimini 16. quæst.1. & c. decimas 16. quæst.7.*

Præceptū de primitijs.

Sola dubitatio est an consuetudine tale præceptum abrogari possit, & de facto abrogatum sit? *Rebuff. tract. de decim. q.1.n.21 & Andreas Hispan. tract. de decim. q.8.* affirmant præceptum solvendi primitias nulla consuetudine abrogari posse: eo quòd talis consuetudo & abrogatio adversetur gratitudini & honori, qui Deo debetur.

160 Nihilominus communis, & omninò tenenda est sententia, quam tradunt *Sylvest. V. decim. q.1 ad finem Innocent. ad c.1. de decimis & Suar. tract. 2. de relig. l.1.c.8.n.16.* consuetudine primitiarum quantitatem & qualitaté determinari, imó præceptum solvendi primitias abrogari posse. Suadetur, nam lex primitiarum tum quoad circunstātias, tum quoad substantiam humana & Ecclesiastica est: nam sustentatio ministrorum, honor Dei, & exhibitio gratitudinis, quæ sunt de jure naturali divino, alijs vijs possunt fieri: consuetudo verò habet vim abrogādi omnem legem humanam, etiam Ecclesiasticam.

Consuetudo in primitijs

Imò de facto primitiarum legem in omni fere regione esse consuetudine abolitam, testantur *Lessius l.2.c.39 n 31. & Azor to.1.l. 7.c.38. q.* 3. qui addens, ubi (inquit) hujusmodi lex extat, minimé primitiæ solvuntur, nisi à clericis petantur. Cavēt *Constitut. Archiep. Ulyssip. l.2.ti.4. decreto* 9. ubi quanvis declaretur esse præceptum Ecclesiasticum de solvendis primitijs, atque adeo observandum, additur, nisi obstet consuetudo in contrarium legitimé præscripta.

QUÆSTIO II.

Qua ratione fideles teneantur ad oblationes?

Sciendum imprimis est quid sit oblatio: & quidem si consulamus Canonistas, *Petrum de Anchar. cons.48. Roman. cons.344. & Tuschum to.5. lit. O. concl.11.n.4.* Oblationes sunt eleemosynæ quæ offeruntur curatis Ecclesiæ, vel ipsi Ecclesiæ pro Missis, orationibus, vel pro mera eleemosyna. Quanvis *Anchar. cons.429.* dicat esse discrimen inter oblationem, & eleemosynam: quia hæc secretò fit, oblatio autem fit publicé. Certé receptum consuetudine est, ut oblationes specialiter dicantur, quæ altari, cū res divina peragitur, ab ijs qui

Oblatio quid sit.

Missæ intersunt, offeruntur.

161 Apud Theologos teste S. *Thoma 2.2.q. 86.a.1.& Azorio.to.1.l.7.c.28.q.* 8. Oblatio dicitur quid quid a pijs fidelibus Deo offertur sive sit res mobilis, sive immobilis, vel testamento legetur, vel aliter conferatur. *c. qui oblationes. c clerici* 13.*q.*2. Quod enim homini datur, donatio dicitur: at donatio facta Deo & Ecclesiæ in jure oblatio appellari solet.

Notat bené *Azor cit.q.9.* differre oblationem a Decima, primitijs, & Sacrificio: a Decima, quia hæc solvitur tanquam clericorum commodum, alimentum, merces laboris, & obsequium debitum Deo, ut supremo rerum omnium domino: at oblatio dicitur quid quid ad divinum cultum usum Dei & Ecclesiæ datur: a primitijs, quia hæ sunt primi fructus Deo oblati: at oblatio generaliter dicitur quid quid Deo offertur: a Sacrificio, quia hoc est res quæ priùs sacratur, & deinde Deo oblata immutatur, at oblatio est, cum res, quæ Deo offertur, salva & integra manet. Consule nostrum Elucidarium n.1351.

Oblationis debitum. Quod attinet ad obligationem, seu debitum oblationis, nullum præceptum illius apparet in jure. Quamvis enim in *c. statuimus* 16.*q.*1. *c. præter hoc* 31.*c, omnis Christian. de consecrat. dist.*1.*c. de his, & c. antiquos* 10.*q.*.. videatur contineri præceptum de faciendis oblationibus, tamen non continetur. Nam Doctores, *D Thom.2.2.q.86.a.1 Antonin.p.3. ti 12.c.11. Azor cit.c.7.q.11.& Suar. to.1. rel. tract. 2.l.1.c.5.n.2.* interpretantur citatos textus, quando oblationes debentur vel ratione promissionis, vel ratione legati, aut præcisæ indigentiæ Ecclesiæ.

162 Cum vero certum sit deberi oblationes, quæ proveniunt ex legato, voto, seu promissione; est dubitatio an debeantur, si illis indigeat Ecclesia ad sui reparationem, vel ministrorum sustentationem. Bené respondent negativé *Suar. cit.a.n.7.* quẽ sequitur *Palaus cit.pun.17 n.* 2. Quia si parochiani solverant primitias & decimas sufficientes ad proprij parochi & Episcopi sustentationem, ad nihil amplius tenentur: item si ex paupertate non potuerunt decimas sufficientes solvere. Tunc enim utatur Episcopus remedijs, quæ tradit *Concil. Trid sess.21.c.7.& 8. de reform. & sess.24.c.3. de reform.* & quando hæc non fuerint sufficientia, consulat S. Pontificem. *Ecclesiæ reparatio.*

Quid si loquamur de consuetudine continuata per tempus sufficiens ad præscribendum? *Sotus l 9.q.6.a.1.& Angel.V. oblationes n.* 1. putant consuetudinem oblationis nõ obligare. Quia ut per consuetudinem inducatur lex, debet consuetudo incipere & continuari non ex spontanea liberalitate, ex qua incepere oblationes, sed ex obligatione, itaut fideles vellent ab initio se obligare ad offerendum. *Oblationũ consuetudo, & præscriptio.*

163 Communior tamen est sententia, quam defendunt *Azor cit. Covar.l.1. Var.c.17.n.3. Gutier. can. quæst.l 1.c.21. Suar.c.5. Lessius l.2.c.39.n.34. & Fagund. de 5. Eccl præc.l.4.c.1.n.7.* asserentes talem consuetudinem, elapso tempore requisito ad præscribendum, obligare fideles, non solum quando incepta fuit sponte, & continuata animo subeundi obligationem, sed etiam quando incepta fuit et continuata absq; animo contrahendi obligationem. Fundatur præcipué in *c. Ad. Apost licam, de Simonia.* ubi dicit Pontifex, *Pravam exactionem fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari.* Nam per hæc verba quæ erant spontaneæ consuetudines, jam cadunt sub præceptum.

At si cũ *Innocent. ad c. cit,* illud interpretemur, quòd præcipiuntur consuetudines observari eo modo, quo sunt introductæ, ita ut nec immutẽtur, nec varientur, sentio cũ *Palao citato punc.17.n.* 4. hanc secundam sententiam esse solũ probabiliorem probabilitate extrinseca, scilicet ob authoritatem Doctorũ, non veró intrinseca probabilitate rationis.

Illud bené notat *Palaus n.6.* sicut consuetudine potest introduci obligatio in laicis solvendi oblationes clericis, ita posse introduci in clericis ut solvant aliqua dona laicis per modũ oblationis, quibus ad devotionẽ excitentur. Sic videmus quód monachi S. Augustini die S. Nicolai Tolentini quæ est 10. Septembris dividunt populo placẽtulas, vulgò dicimus *bolinhos de S. Nicolao.*

Tandem observat citatus *author n.* 7. nullam pœnam ipso jure esse impositam non solventibus oblationes, quæ consuetudine debẽtur, sed solum committi arbitrio Episcopi, qui debet procurare ut solvantur. Negantes veró oblationes debitas ex donatione, vel testamento, præcipiuntur excommunicari. *c si quis irascitur* 13.*q.*2. *in fine & c. qui oblationes et* 1.13.*q.*2.

QUÆSTIO III.

Quas oblationes, & a quibus personis non possit recipere Ecclesia?

164 Cum in jure sint prohibitæ non nullæ oblationes tum ratione rerum oblatarum, tum ratione personarum offerentium, de utriusque brevis nobis sermo erit. Quod attinet ad prius, de prohibitis ratione rerum oblatarum, certum est non posse clericos recipere in publico vel in secreto oblationes factas de rebus alienis. Sumitur ex *c. quia in omnibus, de usuris,* ubi oblationes factæ ab usurarijs manifestis prohibẽtur, quasi fiant de rebus alienis, seu per usuram comparatis. Habetur etiam *c. super eo de raptoribus,* ubi cavetur ne ullus clericus assistat sepulturæ, nec accipiat oblationes eorum, qui cum Ecclesias deprædaverint, nondum satisfecerint. Ratio est, nam qui tales acciperet oblationes de re aliena, furti ejusdem particeps fieret. *Oblationes prohibitæ quæ.*

Quod attinet ad posterius de personis offerẽtibus, non posse clericos recipere oblationes a nõ baptizatis, a judæis, ab hæreticis, ab excommunicatis vitandis, definitum est in *can.73. Concilij Laodicens* ubi loquitur non tam de oblationibus quæ fiunt ad Missam, quám de illis quæ ob gratitudinem, vel amicitiam fieri solent inter amicos. Et certe quanvis videatur materia levis peccati accipere extra Missam oblationes quæ fiunt amicitiæ causa, tamen gravis culpa erit illas accipere,

si fiant in Missa.

165 Idem procedit de oblationibus factis per quencunque peccatorem publicum, ex quarum acceptatione gigneretur grave scandalum. Unde *S.Thom communiter receptus 2.2.q.36.a.3.* docet non licere accipere oblationes factas a publica meretrice, ne Ecclesia videatur ejus peccato favere. Intelligitur tamen de offerente, si in peccato persistat: nam a resipiscente de bonis juste possessis, licet inhoneste acquisitis oblationes fieri possunt, & acceptari ab Ecclesia.

Imo loquendo per se & generaliter de quolibet alio peccatore publico, non sequitur scandalum, neque prohibetur in jure receptio oblationum, quas fecerit, nisi in quibusdam casibus, quos numerant, & exponunt *Azor l.7.c.37.q.17.& Suar. tr.2.de rel.l.1.c.6.* Primus habetur *c. oblationes 90. dist.* ubi prohibentur recipi oblationes dissidentium fratrum, & dona eorum, qui opprimunt pauperes. Secundus in *c.Minor 17.q.4.* juxta quod videtur prohiberi acceptio oblationum, quas faciunt illi qui criminosos ex Ecclesia vi extrahūt. Tertius est in *c.de viro.1 29.q.2.* ubi inter alias pœnas imponitur hominibus qui res sacras profanant, ut per annum intrantes Ecclesiam sint sine oblatione.

Quartus ponitur in *c.latorem 33.q.2.* ubi injungitur pro pœna matricidæ, ut per septem annos abstineat ob oblatione Quintus reperitur in *c.eos quos, de consecrat.dist.4.* ubi qui rebaptizantur ex industria, prohibentur duobus annis omnimodas oblationes offerre. Notat denique Suar.l.1.c.6.n.10.& 12.circa prædictos casus, intelligendam esse prohibitionem de oblatione facta in Ecclesia ad altare per se, vel per diaconum, sive talis oblatio spontanea, sive obligatoria sit. At si extra Missam fiant oblationes, docet posse recipi, si sint spontaneæ, & exigi, si sint obligatoriæ.

TRACTATUS XXVIIII.

De immunitate Ecclesiastica quoad reverentiam debitam locis, personis, ac bonis Ecclesiæ.

SECTIO I.

De actionibus quæ specialiter prohibentur fieri in locis sacris.

QUÆSTIO I.

Quibus actionibus, & quomodò locus sacer pollatur, seu violetur?

Pollutio seu violatio loci sacri.

166 PRO violatione, seu pollutione loci sacri tria nobis in hac quæstione expedienda sunt, nempe qui dicatur locus sacer ad hunc effectum. quibus actionibus, & quomodò violetur, seu polluatur, itaut reconciliatione indigeat. Quod attinet ad primum, observandum est cum *Sanch.l.9.de Matr.disp.15.n. 23.* non omnia loca, quæ gaudent immunitate Ecclesiæ, ut sunt omnia templorum, monasteriorum, & xenodochij esse loca sacra ad hunc effectum, ut violari possint. Quænam autem hujusmodi sint, exponam per sequentes resolutiones.

Ecclesiæ nomine quid veniat.

Dico 1. Nomine loci sacri quoad prædictum effectum, venit sola Ecclesia consecrata, aut benedicta. Ita cum multis *Sanch.citatus n.24. Basil. de Leon l.10.Matr.c.10.n.3. & Suar.to. 3. de Euchar. disp.81.sect.4.* Patet, quia ante consecrationem, aut benedictionem, locus sacer non est. Quód verò nomine Ecclesiæ ad hūc effectū intelligatur spatium intra templum, quod ad ipsius tēpli interius corpus, a tecto interiori usque ad pavimentum, & a summa ara usque ad parietē oppositum, definiunt citati authores. Unde capellæ intra Ecclesiam comprehendūtur, utpote efficientes cum illa unū corpus.

Ex resolutione posita infertur 1. nec violari Ecclesiam, nec esse sacrilegium, si supra Ecclesiæ tectum, vel extra parietes habeatur copula, vel occidatur homo. Si autē hæc fiant extra parietes, & ibi sit cæmeterium, hoc violabitur. Infertur 2. locum sub Ecclesia constructum, ut si ibi cella, vel caverna sit, non esse sacrum quoad hunc effectum, nisi deputetur ad sepulturam fidelium. Infertur 3. Habita copulā, vel occiso homine in porta Ecclesiæ, hanc pollui, si id contingat intra limen, clausuramque, scilicet intra lineam, quam attingunt valuæ: secus, si extra limen & clausuram.

Confessionaria sunt partes templi.

167 Infertur 4. nomine Ecclesiæ non venire cameras Ecclesiæ ad hærētes, nec turrim cymbalorum, nec tribunas, nec sacristiam: at venire cornijas, chorum, & confessionaria, si hæc omninó intra Ecclesiam sint. Nam si illa pars in quia est confessarius ducto pariete, fenestellaque cratitia dividatur ab illa in qua mulieres per tēplum accedentes confitentur, pars muliorum, & non pars confessarij ad Ecclesiam pertinebit. Ita Sanch.l.9. Matr.disp.15.a.n.33.

Dissidet a *Sanch. Basilius Pon.& l.10. de Matr.c.10.n.3.* existimans integras illas cellulas, in quibus sunt confessionaria, etiam ex parte mulierum, item tribunas, ex quibus Principes sacrum audiunt non venire nomine Ecclesiæ, quia cum illa unum non componunt. Sed certe (inquit *Palaus t.11.disp.1.pun.1.n.2.*) si intra parietes Ecclesiæ & cocavum illius omnes hæ cellulæ insint, ut fere semper fit, vera & communis sententia docet loca sacra esse, itaut delicta ibidem cōmissa Ecclesiam violent.

Dico

1 Dico 2. Ecclesia benedicta ab Episcopo, exceptis ipsius nominis aedificari venit Ecclesiae nomine ut per effusionem seminis, vel sanguinis violari possit. Ita *Sanch. cit. n. 36.* Quia jam benedicta & ad divina legitimè deputata est. Dico 3. Ecclesia authoritate superioris destructa non venit nomine Ecclesiae, proindeque neque effusione sanguinis polluitur. In hoc cum *Sanch. cit. n. 37. concordat Suar. to. 3. in 3 p. d. 81. sect. 4.*

Benedictio Ecclesiae.

168 Dico 4. Si laxetur Ecclesia parte aliqua sibi addita, vel capella, licét ea non benedicatur, Ecclesiae nominè comprehenditur. Sumitur ex *l. quae religiosi. ff. de rei ven.* ubi dicitur quae religiosis adhaerent, religiosa esse. Si contingat Ecclesiam alicujus monasterij, vel hospitalis neque ab Episcopo consecratam, neque benedictam fuisse, si tamen ab ipso fuit deputata ad divina publicé celebranda, locus sacer est, quia illa deputatio benedictioni aequi pollet. Ita *Azor t. 3. l. 3. c. 31. q. 4. Basil. l. 10. cit. c. 10. n. 5. & Sanch. d. 15. n. 39.*

Ecclesia deputatio per Episcopum.

Ex hac doctrina infertur Oratoria strictè accepta, qualia sunt hospitalium, eremitoriorum, & alia in domibus privatis, quae privata authoritate absque Episcopi licentia eriguntur, nomine Ecclesiae non venire. Possunt enim ad nutum fundatoris redire ad usus profanos. At Ecclesiae xenodochiorum, & eremitoriorum, quanvis non sint consecratae & benedictae, si tamen Episcopi authoritate erectae, & ad divinum cultum destinatae sint, veniunt nomine Ecclesiae. Quid si dubitetur de ea Episcopi authoritate? Respondetur eam non praesumi, quanvis oratorium dicatur de nomine alicujus divi, in eo sit cymbalum, vel celebretur de licentia Episcopi: praesumi verò si cymbalum, supra tectum publicé pulsetur, vel si publicé celebretur, omnibus indifferenter ad divina admissis. Ita *Sanch. cit. n. 39.*

Oratoria an sint loca sacra.

169 Quid de oratorijs privatis, in quibus celebratur Missa per privilegium & breve Pontificis, cognitione & approbatione Episcopi praecedente, ad quod tamen non admittuntur indifferenter omnes personae: est ne locus sacer ad illum effectum, ut violari possit? Quanvis in nullo authore hunc casum invenerim expressum, tamen ex communi doctrina arguo resolutionẽ negativam. Quia hujusmodi oratoria authoritate privata possunt reduci ad usus profanos, ad quos locus sacer sola Episcopi authoritate reduci potest. Dicitur enim locus sacer ille quem Episcopus deputat ad usum sacrum: & aliud est approbatio Episcopi ad usum celebrandi, aliud deputatio ad talẽ usum. Et idem procedit de sacellis inter dormitoria regularium. Vide quae dicemus n. 186.

Sacer locus qui.

Dico 5. Caemeterium ab Episcopo benedictum reputatur locus sacer, ut effusione seminis vel sanguinis pollui valeat. Idẽ procedit de claustris religiosorum, & quibuscunque a lijs locis, qui divinis officijs, vel sepeliendis defunctis ab Episcopo deputentur: non ita reliqua monachorum habitacula, & officinae, & si Ecclesiastica immunitate gaudeant. Quanvis attento jure civili *l. 2. c. de relig. & sump. fun.* quilibet locus fiebat religiosus, si in eo consentiente domino fidelis sepeliebatur: at secus est de jure canonico. Vide *Sanch. citatum disp. 15. n. 42. 43.*

Caemeterium.

Quod attinet ad secundum, quibus actionibus locus sacer violetur, breviter dicendum est cum citatis authoribus, praesertim *Suario to. 3. n 3. p. disp. 81. sect. 4. & Palao tr. 11. disp. 1. pun. 1. & Fag. prae. 1. l. 3. c. 14.* sex actionibus pollui, seu violari. 1. violatur per homicidium voluntarium & injuriosum. *c. Proposuisti, de consecrat.* Unde non violatur per homicidium casuale, nec per factum ex amentia, aut propria defensione: imò nec per illud cujus causa injuriosa, v.g. vulnus illatum fuit extra Ecclesiam, & mors sequuta in Ecclesia nec per solam percussionem injuriosam mortiferam in Ecclesia sine effusione sanguinis, donec homo moriatur. Tunc enim post mortem sequutam in Ecclesia, haec violabitur: secus, si sequatur extra Ecclesiam. Ita cum *Suar. cit. Praepositus 3. p. q. 83. a. 3. dub. 2. n. 152. & Reginal. to. 2. l. 29. c. 9. sec. 5. n. 18.* ubi docet non violari, Si quis vino consecrando venenum immisceat, ex quo sacerdos postea extra Ecclesiam moriatur. Quidquid repugnet *Fagun. n 13.*

Violatio Ecclesiae per quid.

Homicidium in Ecclesia.

170 2 Violatur per voluntariam, & injuriosam sanguinis effusionem. *c. si Ecclesia, de consec. Eccles.* Unde non violatur per casualem, naturalẽ, medicinalem, factam joco, aut in propriam defẽsionem. Si vulnus grave sit, & in Ecclesia inflictum, violatur Ecclesia, etiam si extra illam sanguis effundatur, vel intra illam vase receptus pavimentum non attingat. Item si sanguinis effusor extra Ecclesiam sit, & lapide, vel sagitta percutiat existentem in illa. Secus e contra, si existens in Ecclesia percutiat, vel ferat sententiam sanguinis in eum qui extra Ecclesiam est.

Sanguis effusus in Ecclesia.

De effusione proprij sanguinis est eadem ratio, quae de effusione alieni: unde solum injuriosa violat. Si percussio fuerit levis, vel contingat sine peccato mortali, non violat, etiam si sequatur magna effusio sanguinis. Per alapam, vel aliam tunsionem graviter injuriosam non violatur Ecclesia, si in ea non sequatur effusio sanguinis. Addit *Marchinus de ord. tr. 3 p. 3. c. 11. n. 11.* cõtra *Sylvium in 3. p. q. 83. a. 3.* non sufficere copiam sanguinis profluentem e naribus etiam per tunsionem graviter injuriosam. Quia nasus facilis est ad emittendum sanguinem. *Henriq. l 9. c. 27. n. 5.* contra varios postulat quod sanguis effluat ab homine vivo. Quia cadaver homo non est.

3 Polluitur Ecclesia per martyrium, per necẽ quam sibi quis infertet, item per sententiae alioqui justae exequutionem, v.g. si in Ecclesia delinquens suspendatur, vel juguletur. Est enim hujusmodi actio nimis injuriosa loco sacro. Ita ex *Suario. & citatis Fag de 2. Eccl. praec. l. 4. c. 4. n. 17.*

Martyriũ in Ecclesia.

4 Violatur Ecclesia per seminis humani effusionem, quae sit voluntaria & in quãtitate, intra Ecclesiam, quocunque illicito tactu, vel coitu, per quancunque personam, etiam infidelem fiat. Unde nec in voluntaria, nec unius vel alterius

rius guttæ effusio polluit.

171 Quid de cõjugali copula? Affirmant illa pollui *Graffis.decis.c.48.n.26. Toletus l.5.c.8.n.14. Valent.to.4.disp.10.gener.q 6.p.2.§.7.* & multi alij. Negant illa Ecclesiam pollui *Vasq. 1.2.disp.98 n. 6.Sa V.Ecclesia n.14.& Basil.de Leon* alios referens *l.10.de Matr.c.10.n.11.* Media via incedendum est cum *Suario de Sacrif.Missæ disp.81.sect.4.& Palao cit.disp.1 pun.1.n.1* itaut dicamus quando conjuges ex justa causa coguntur in Ecclesia morari per longum tempus, quo moraliter timetur incontinentia, non violatur Ecclesia per copulam: secus si absque legitima causa ibi copulentur. Nam illa copula licita est, hæc illicita, & Ecclesiæ injuriosa. Quod procedit etiam si alter conjux in Ecclesia solus per longum tempus manere cogatur. Vide dicenda n.1699.

Excõmunicatus, & infidelis sepultus. 5 Polluitur, seu violatur Ecclesia, si in ea sepeliatur denunciatus excommunicatus, aut clerici manifestus percussor. Nam post Concilium Constantiense tales vitandi sunt. *c.cod sulvist de consec.ecclef.* Addit *Suar citatus* nõ violari (ut quidam volunt) si ab Episcopo excommunicato consecretur, vel benedicatur. 6. violatur quando aliquis paganus, seu infidelis in ea sepelitur, aut sepultus jacet, etiam si sit puer ante baptismum sepultus in se: nam sepultus mortuus in matre prægnante sepulta non violat. Dixi (mortuus] quia si inquẽ sepeliatur adhuc vivus, Ecclesia violabitur ratione homicidij: ut patet a simili in aborsu. Ita *Suar. citatus* vide *Bonac. de Matr. disp. 4.p.* .24.

172 Quod attinet ad tertium, quomodó scilicet violetur Ecclesia, seu qualis modus postuletur in dictis actionibus, ut violent, conveniunt citati authores debere supra dictas actiones publicé fieri, seu publicas esse vel per confessionem rei in judicio, vel per evidentiam facti. Nam seclusa tali publicatione locus pollutus nõ manet. *c.significasti, de adulter.* Quia cum Ecclesiæ consecratio & benedictio publica sit, delicto publico tolli debet.

Rogabis 1. an dictæ actiones, quibus Ecclesia polluitur sint sacrilegia, si occulté fiant? Negant *Vasq. 12.disp.9.n.6. Belanus de sacram.q.83.a.3.dub. 1. Toler.l.5.sum.c.8. & Basil. de Leon.l.10 de Matr.c. 10.n.5.* Quia in tantum sunt sacrilegia in quantũ *Sacrilegia quæ peccate in Ecclesia.* sunt injuriosæ Ecclesiæ, quam violant: at occultæ non violant. Affirmandum tamen est cum *Suar.to.1.de relig l 3.c.2.n.7.& Samb.l.9.Matr. disp. 11.n.11* Ratio est, quia tales actiones etiam occultæ sunt injuriosæ Ecclesiæ, & illam polluunt veluti in habitu, debent tamen publicari, ut actu reddatur polluta.

Maior est difficultas, an seclusa omninó prohibitione Ecclesiastica, peccata occidẽdi effũdẽdi sãguinẽ, vel semẽ in Ecclesia habeant rationẽ sacrilegij? Affirmant *Suar.to.1.relig.c.7.a.n.6.* subdit tamen hanc sacrilegij malitiam competere peccatis externis non internis: & addit non omnia externa lethalia esse in ratione sacrilegij, sed illa tantũ quæ habent specialem deformitatem cum loco sacro, ex qua gignunt grave scandalum. Quæ omnia prudentis arbitrio committit.

173 Nihilominus *Palaus tract.11.disp.1.pun.1. n.7.citatis Navar. Sanch. Vasq. Valen. Azor.* & alijs existimat secluso jure positivo, nullum peccatũ commissum in Ecclesia habere peculiarem malitiam sacrilegij, nisi illud solum, quo locus sacer contemnitur, & profanatur. Quia non illud, sed hoc tantum opponitur consecrationi & benedictioni. Utraque sententia probabilis est.

Rogabis 2. quomodò communicetur violatio, seu pollutio inter Ecclesiam & cæmeterium? Id optimé decidit *Suar.de sacris.Missæ disp. 81.sect.* 4. Casus numerati (inquit) locum habent in Ecclesijs non solum consecratis, sed etiam benedictis nec solum in Ecclesijs, sed cæmeterijs, utpote accessorijs, si contingua sint: unde violata Ecclesia violatur cæmeterium contiguum, non é cõtra. Si duo sint cæmeteria etiam solo pariete interrecto divisa, & si habeant communem portam, ut fiat transitus ab uno ad aliud, uno violato nõ violatur aliud. Quando fit pollutio in toto spatio portæ communis utrique cæmeterio, utrunque polluitur: si in altera solum parte polluitur cæmeterium ei contiguum. *Cæmeterij & Ecclesiæ violatio communicata.*

QUÆSTIO II.

An specialem malitiam induat furtum commissum in loco sacro & quæ illius pœna?

Furtum in loco sacro. DUpliciter hujusmodi furtum committi potest. 1. si quis furetur rem sacram de loco sacro. 2. si rem non sacram de loco sacro furetur. Circa utrumque modum jus civile & canonicum diversimodé procedunt. Nam jus civile solum admittit actionem sacrilegij quando quis furatur sacrum de loco sacro. *l. Divi verus ff. ad leg. Iul. peculatus:* at jus canonicum, cui in hac parte stamus, sacrilegium dicit nõ solum fit si quis sacrum de loco sacro furetur, sed etiam si non sacrum de sacro, & addit si sacrum de loco non sacro. *c.quis quis 17.q.4.* Vide *Menochium de arbitr. l.2. casu 389.a.n.10.*

174 Certé quando res nõ sacra committitur Ecclesiæ in depositum, vel custodiam, qui illam surripiat, committet sacrilegium. Nam Ecclesia, vel potiús Deus qui Ecclesiæ præest, in sui tutelam suscipit. Si veró Ecclesiæ non committatur prædicto modò, sed ibi contingenter existat, affirmat *Fagund.de prec. Eccl.2.l.4.c.4. n. 9.* non esse sacrilegium, & bene probabile id dicit *Lessius l.2. c.45.n.14.* At probabilius judico cum *Palao citat. n.3.* & alijs citatis sacrilegium esse. Quia textus in *c. Quis quis* absoluté definit esse sacrilegium non sacrum de sacro furari, nec limitat ad depositum; ergo nec nos limitare debemus. *Sacrilegũ furtũ.*

Quænam autem sit pœna infligenda furantibus in loco sacro, duplex in genere occurrit, scilicet lata & ferenda. Si loquamur de lata ipso jure, aliqui putant fures sacrilegos esse ipso jure excommunicatos in *c.canon.12.q.3.c. Omnes Ecclesiæ 17.q.4.&c. Quis quis 17.q.4.* At rectiús oppositum tenent *Suar.to.5.de censuris d.22.sect.2.n.6. Azor p.1.* *Excommunicatio furis sacrilegi.*

G lib.

Rb.9.c.27.q.13.& Bonac.disp.3. de 1.Dei.prac.q.6. pun.un n 1.

Verùm si fur sacrilegus sit simul effractor Ecclesiæ bene affirmant citati authores, quibus additur *Graffis 1 p.l.2.c.18.n.12.& Sayrus l. 3.c. 29.n. 14.* incurrere excommunicationem ipso jure, ex *c.conquesti de sentent. excommun.* Requiritur tamen ut talis excommunicatio ipso jure incurratur, tũ fractio Ecclesiæ tum ipsius spoliatio, ita ut qualibet deficiente, vel existente levi, cesset excõmunicatio.

Sacrilegij pœna.

175 Si loquamur de pœna ferẽda, Doctores communiter ex *l.4.§.mandatis autem ff.ad leg. Jul. Peculatus, Clarus pract.§.sacrilegium n.4. Menoch.l.2. de arbitr. casu 389.a n.2. Farinac.de furtis p. 7.q.172. a n.11.* existimant talem pœnam esse debere arbitrariam pro ratione furti, qualitate personarum, habita ratione tẽporis, ætatis, & sexus, ut mitiùs, vel severiùs infligatur. Certè (inquit *Menoch.a n.4. & Farinac n.25.*) sacrilegium, ubi surripitur res sacra de loco sacro, pœna capitali plectitur, nisi levitas furti, & ætas minor furantis pœnam minuant. Scimus nonnullos sacrilegos ad bestias damnatos, alios vivos exustos, alios suspendiũ passos.

QUÆSTIO III.

Utrùm forenses actiones fieri prohibeantur in locis sacris?

Judicia sæcularia in loco sacro.

CErtum est prohiberi judicibus sæcularibus exercere forenses actiones in loco sacro, v.g. in Ecclesia, aut ejus cæmeterio. Habetur *c.docet. de immunit. Ecclesiar. in* 6. ubi Gregor. X. sic ait. *Omnis in Ecclesijs sæcularium judiciorum strepitus conquiescat. Nulla inibi causa per laicos maxime criminalis agitetur: sint loca eadem a laicorum cognitionibus aliena.* Quod veró hujusmodi prohibitio gravis sit, & ejusdem transgressio sine gravi culpa fieri nequeat, rectè deducit *Suar. to.1. de relig.l.3.c.4.a.n. 12.* ex eo quód textus decernat dictos processus irritos, & specialiter sententias prolatas eisdem locis carere robore firmitatis.

176 Rogabis 1. an liceat sæcularibus judicibus facere summariam informationem in Ecclesia, vel cæmeterio circa confugientes ad tales sacros locos? Rectè negat *Navarr. de orat. hor. can. c.5.n.40.* Quia licet talis summaria informatio nõ sit actus perfectus, utpote carens citatione partis, est tamen inchoatus, & ejusdem rationis cum alijs, proindeque sub eandem prohibitionem cadit. Quod intelligitur seclusa necessitate: nam data necessitate licité & validé fieri potest.

Rogabis 2. an sint aliquæ actiones similes forensibus, quas judices sæculares possint in locis sacris exercere? Respondetur affirmativé cum *Suario to.1.de relig.l.3.de reveren.debita locis sacris c.4.n. 13.* Quia lex non debet extendi ultra proprietatem verborum. Unde non prohibetur exercitium jurisdictionis voluntariæ sæcularis, qualis est dispẽsatio, præsentatio, electio. Item collatio Doctoratus etiam in Academia laica, quia non est actus jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ. De qua nos latiùs in *nostra Academia n. 857.*

Rogabis 3. an judices Ecclesiastici prohibeantur in locis sacris exercere judicia formando processus, & proferendo sententias? Respondetur negativé cum *Navarro c.25. de hor. canon n.36.& Palao tract.11.disp.un.pun.3.n.3.* Sumitur ex *c.decet, de immun. Ecclesiast.* cum enim ibi Pontifex solum id prohibeat judicibus sæcularibus, videtur tacite excipere Ecclesiasticos. Nam causæ, quas tractant judices Ecclesiastici præsumuntur concernere pietatem, & ideo non habent deformitatem cum loco sacro. Denique (ut notat Glos. ad c. citat.) talis exceptio cedit in favorem, qui fit Ecclesiæ ministris.

QUÆSTIO IIII.

Quænam aliæ actiones in loco sacro fieri prohibeantur?

Sacro loco fieri prohibita.

177 IN *c.decet, de immunit. Eccles. in* 6. vituperantur nonnullæ tanquam indecentes loco sacro, quas nos breviter examinabimus, & addemus alias. Sed inquirendum prius est, an citatus textus veram & rigorosam contineat prohibitionem. Negant *Sylv.v.Immunitas q.2. n.5. Angelus V eod.n.5.& Navarr.de hor.canon.c.5.n.42.* Probant, quia verba textus non indicant præceptũ, sed quandam instructionem pro maiori decẽtia. *Cessent* inquit *confabulationes, cessent turpia, cessent negotiationes cessent parlamenta.*

Affirmandum tamen est cum *Glos.in citatum c. & Suar.to.1.de relig.l.3.c.6.n.3.* Ratio est, nam citatus textus injungit Ordinarijs ut subditos authoritate hujus canonis ad prædicta observanda compellant. subjungit enim, *ut ordinarij suadendo suadeant & interdicta compescant*, ubi evidenter supponit esse interdicta & prohibita quæ in illo recensentur. Exponamus breviter ibi prohibita.

1 Prohibetur seditio, conclamatio, & impetus. Nam hæc tria valde dedecent loca sacra, divina officia perturbant, & grave gignunt scandalũ; præsertim seditio, quæ si extra Ecclesiam habet gravitatem, in Ecclesia induit sacrilegium. Si verò nomine conclamationis, & impetus, cum *Navarro cap.5 de orat.n.25.* intelligas tripudia, choreas & repræsentationes, solum procedit de inhonestis & scandalosis, non de honestis & pijs. Et idem judicat *Sanch to.1 consil.c.8.d.24.n.23.* de repræsentatione sacra. Quanvis oppositum teneat *Gavantus in Enchi.v.repræsen.n.1.*

Seditio & conclamatio in loco sacro.

178 2 Prohibentur universitatum & societatum concilia, conciones, & publica parlamenta: sed non intelligitur prohibitio quando agetur de rebus ad pietatem, & communem pacem spectantibus: intelligitur ergo quando agetur de meré politicis & profanis. At si ibi fiant concilia meré politica ob aliquam commoditatem, non excedét culpam levem, secluso contemptu, scandalo, & gravi perturbatione divinorum. Ita *Suar. cit.c.4.n.16.& c.6.n.5.*

3 Prohibentur colloquia non solum fœda sed etiam vana, & quælibet confabulationes. Circa quæ notat *Palaus de rever.disp.1.pun.4.n.3.* si fuerint in se peccata mortalia, ratione prohibitionis in loco sacro manere sacrilegia. Addit non prohiberi honestas confabulationes, si extra tempus divinorum

Colloquia & confabulationes in loco sacro.

Vinorum

vinorum fiant. Sic Suar. c. 6. n. 6.

Negotiationes & nundinae sacro loco vetitae. 4 Prohibentur negotiationes, præsertim nundinarum, & consequenter omnis contractus emptionis & venditionis qui respiciat usum politicum. At hujusmodi prohibitio non videtur importare culpam gravem, nisi detur expositio ad pluriés contrahendum vociferatione, contradictione, & tumultu. Quia tunc præbetur ansa fraudibus, & divinorum perturbationi. Quid si vendantur inservientia pietati, v.g. candelæ? Recte ait *Navarr. c. 5. de orat n. 36.* non excusari a peccato, si fiat venditio permanenter, & mensa ad id apposita: Excusat tamen clericos vendentes, si hoc præcipue fine vendant, ut devotorum satisfaciant pietati. Hæc tamen excusatio firma non est.

179 Quid de vendētibus ad portam tēpli, in porticu, & cæmeterio? Bené respondent *Navarr. citato n. 36. Suar de Euchar. disp. 81. sect. 8. vers. secundo. & Fag. 2. p. de præcep. l. 4. c. 4. n. 10.* prædictorum *Cæmeterium ad venditionem.* venditionem ibi licere, si fiat sine strepitu verborum, & contentione pretij. Quia cessat prohibitionis ratio nempe profanatio loci sacri, & divinorum perturbatio. Subscribit *Palaus disp. 1. de rever. loci sacri pun. 4. n. 4.* Addit tamen grave peccatum committi quoties Ecclesia ad venditionem ex instituto eligitur.

Contractus in tēplo vetiti. 5 Prohibetur fori cujuscunque tumultus. Per quæ verba *Navarr. c. 5. de orat. n. 46.* intelligit omnē contractū emptionis & vēditionis. Cū enim textus prohibuisset omnem negotiationē, præcipué nundinarum, subdit *ac foro cujuscunq; tumultū*, quasi prohibitioné extendens dicat, cesset tumultus qui in foro contrahendo solet excitari.

Rogabis, an hujusmodi contractus sint prohibiti celebrati ab Ecclesiasticis in locis sacris? Bené respondet cum *Navarr. c. 5. de orat. n. 37. Palaus citatus n. 5.* si loquamur de contractibus profanis, esse prohibitos Ecclesiasticis: secùs si de contractibus Ecclesiasticis, seu spectantibus ad Ecclesiam. Ratio partis utriusque est, quia Ecclesiastici obligantur strictiùs quàm seculares exhibere tēplis reverentiam, quæ violatur ab Ecclesiasticis per contractus profanos, non vero per pios, ac religiosos, seu Ecclesiasticos.

Illud recté observant *Sylvest. V. Immunitas 1. n. 3. & 4. Panormit. ad c. decet. n. 6. & 7. & Suar. to. 1. de relig. l. 3. c. 4. n. 18.* dictos contractus in Ecclesijs a quibus cunque sive laicis, sive Ecclesiasticis esse validos. Quia in citato *c. decet*, quanvis detur prohibitio, nulla adjungitur irritatio prædictorum contractuum, sed solum irritantur processus & sententiæ judicum sæcularium.

180 *6. cap. relinqui, de custodia Ecclesiastica* prohibetur ne in Ecclesijs admittantur custodienda supellectilia tam laicorum quám clericorum, nisi detur urgens necessitas, v.g. incēdium aut hostilis in cursus. Ait enim ibi Innocentius 3. *Relinqui nolumus incorrectum quod quidam clerici Ecclesijs sic exponunt supellectilibus proprijs, & etiam alienis, ut potius domus laicæ, quám Dei basilicæ videantur.* Ad quem textum *Suar cit. cap. 6. init. notat 1.* prohibitionem fieri de sola Ecclesia strictè accepta: unde nec de sacristia, & alijs locis annexis. Notat 2. regulariter in præcepti hujusmodi transgressione non committi peccatum lethale, nisi tantus fiat excessus, ut Ecclesia notabiliter impediatur, vel fædetur.

Supellectilia laica in tēplo.

Ventris exoneratio in Ecclesia. Numeratis prohibitionibus ut adjiciamus ultimam, dubitabis an sit peccatum lethale & sacrilegium, si non ex Ecclesiastica, saltem naturali prohibitione exercere in Ecclesia actiones naturales, sed immundas, qualis est ventrem, aut vesicam exonerare? Videtur negare *Basilius de Leon lib. 10. Matr. c. 10. n. 10.* ubi ait actum conjugalem in Ecclesia sine necessitate, & exonerare ventrem causa levandæ naturæ, non esse sacrilegium, præsumi tamen esse, sicuti præsumeretur hæreticus, qui in imaginem spueret, quanvis id sine hæresi evenire possit.

Rectiús tamen *Palaus de rever. de situ locis sacris disp. 1. p. 1. n. 8.* affirmat exonerare ventrem in loco sacro sine necessitate (quod ego intelligo de nimis urgenti) esse sacrilegium, & idem intelligi debet de exoneratione vesicæ. Ratio est, nam qui talia agit sacrum locum re ipsa vilipendit: siquidem eum acsi esset vile bestiarum stabulum pertractat. Ex quo possumus deducere grave peccatum esse advertenter & sine causa mingere ad sacram imaginē, vel crucem depictam: quia eam non minùs irreverenter tractat, quàm si spueret, vel pedibus conculcaret.

SECTIO II.

De immunitate ne extrahantur a locis sacris delinquentes, qui ad illos confugerunt.

QUÆSTIO I.

An & quale sit jus, quo Ecclesia defendit confugientes ad locum sacrum?

181 Constat inter authores, ut videre est apud *Anast. Germ. de sacror. immun. l. 3. c. 16. Ioan. Gutier. pract. quæst. civil. lib q. 5. & Bodacinam disp. 3. de primo decal. præc. q. 7.* jure canonico ac civili firmatum esse gravissimam fieri loco sacro irreverentiam, si illuc confugientes vi aut fraude extrahantur. In jure canonico satis exprimitur *c. frater cap. minor c. reum. c. definit, & alijs 17. q. 4.* Et in Triden. sess. 25. cap. 20. In jure civili, toto titulo *Cod. de his qui ad Ecclesias confugiunt.* sed peculiariter *l. 2.* ubi hæc verba, *Sancimus nemini licere ad sacrosanctas Ecclesias confugientes abducere.* *Immunitas ne extrahantur ab Ecclesijs delinquentes.*

Difficultas est an hæc immunitas sit etiam de jure naturali, & divino? Recté negant *Covar. li. 2. Var. c. 20. n. 1. Ambrosinus de immun. c. 1. n. 3. Ludov. Peguer. de prax. enim. c. 26. n. 1. & Suar. to. 1. relig. l. 3. c. 8. n. 9.* Nam jus naturale absoluté non dictat esse iniquum abstrahere a loco sacro delinquentē, ut justa pæna afficiatur: si enim hoc dictaret in aliquibus delictis, dictaret in omnibus: & constat non dictare in omnibus, cū multa excipiat Ecclesia. Deinde non datur jus divinum, quia in le-

gegratiæ nullum datur præceptum positivum divinum præter ea quæ spectant ad Sacramentorum administrationē, & receptionem. Accedit, quia talis immunitas pro diversitate temporum mutari solet.

182 Rogabis 1. quando jus canonicum & civile discordant, juxta quod facienda sit interpretatio circa immunitatem? *Alciat. de præsump. reg. 3. præs. 33. n. 5. Addition. ad Angel. de malef. V. quod fama publica n. 99.* & alij apud *Decianum cons. 80. n. 3. l. 3.* dicunt extra loca Ecclesiæ in tertis imperij jus civile attendendum esse. Dicendum tamen est cum *Farinacio in append. de immunit. c. 2. n. 28. Alex. cons. 145. n. 2. & Ludov. Peguer. pract. enim. c. 26. n. 6.* ubilibet jus canonicum in facienda tali interpretatione servandum esse. Nam hæc materia Ecclesiastica est, in qua jus civile nullam habet jurisdictionem, nisi ad juris canonici dispositionem fovēdam. Notat bené *Decian. tract. crimin. l. 6. c. 25. n. 6.* si aliquod super interpretatione juris canonici suboriatur dubium, illam tenendam esse interpretationem, quæ cum jure civili cohæreat. Nam jura juribus convenire debent.

Interpretatio immunitatis Ecclesiasticæ.

Rogabis 2. an hujusmodi immunitas sit laté interpretanda? Negant *Covar. l. 2. c. 20. n. 4. & Decian. tract. crim. l. 6. c. 25. n. 14.* Quia talis immunitas est odiosa, utpote derogans juri communi. Affirmandum tamen est cum *Marco Antonio pract. Archiep. c. 22. n. 2. Martan. Itali. de immun. Eccl. l. 1. t. 2. § un. n. 1.* esse laté interpretandam. Tum quia est causa pia, & Ecclesiæ favorabilis: tum quia est privilegium per modum legis in jure communi insertum, & nemini in particulari præjudicat.

183 Rogabis 3. an tolli vel diminui consuetudine possit prædicta immunitas? Cum ex dictis constet hanc immunitatem solo jure Ecclesiastico fuisse introductam, manifestum est posse diminui, & tolli consuetudine legitimé præscripta, sicut quæcunque humana lex. An de facto sit jam diminuta? Affirmant *Covar. l. 2. Var. c. 20. n. 5. Abbas in c. inter alia, de Immun. Eccl. n. 13. & Oldradus cons. 54. n. 2.* Cauté tamen in hac materia arbitror loquendum. Nam *Trid. citatum supra n. 181.* sustulit omnes antecedentes consuetudines etiam præscriptas legitimé contra Immunitatem Ecclesiasticām: proindeque videndum est an post Tridentinum aliqua consuetudo sit legitimé stabilita? in dubio autem, cum sit facti, non præsumetur. Ita *Farin in append. de immun. c. 2. n. 18. & pluribus citatis q. 28. n. 18.*

Præscriptio contra immunitatem.

QUÆSTIO II.

Quænam sint loca sacra, quibus debeatur hac immunitas?

Sacra loca immunitate gaudentia.

Compertum est inter authores ex *c. Ecclesiæ, de immun. Eccl.* omnes Ecclesias authoritate Episcopi erectas gaudere hac immunitate. Duplicem tamen postulant aliqui conditionem, alteram, ut in ea servetur S. Eucharistia. Ita *Covar. l. 2. Var. c. 20. n. 4.* alteram, ut in ea divina celebrentur. Ita *Decian. tract. crim. l. 6. c. 24. n. 24.* Neutra tamen requiritur, ut meliùs resolvit *Farinac. in praxi crim. q. 28. n. 34. & de immun. Eccl. c. 17. n. 258.* Ratio est, quia in *c. Eccl.* non petuntur dictæ conditiones, sed pro adæquáta talis immunitatis causa assignatur, quód Ecclesia destinata sit per Episcopum ad divina.

184 Difficultas est recensere omnia loca sacra, quæ comprehenduntur Ecclesiæ nomine, ad effectum hujus immunitatis. Id ut præstemus, comprehenditur 1. Ecclesia non perfecté constructa, sed a puncto quo cæpit ædificari, etiam si ædificium sistat. Ita *Abbas ad c. 1. ecclesia, de immun. Eccles. n. 5. & Farinac. in append. de immun. c. 17. n. 261.* Quia ab eo pūcto dicitur locus dicatus obsequijs divinis.

2 Ecclesia interdicta, imó, & polluta. Ita *Suar. l. 3. de veren. debita locis sacris c. 9. n. 6. & Bonac. disp. 3. de 1. decal. prac. q. 7. §. 1. n. 3.* Quia neque interdictio, neque pollutio aufert loci sanctitatem. 3. Ecclesia diruta, seu destructa. Quia non desinit esse sacra saltem ratione loci, in quo ædificata fuerat. *l. ade sacra ff de contrah. empt.* Quod intellige dummodo authoritate prælati destructa non sit, vel sit destructa cum spe reædificationis. Nam (teste *Sanch. l. 9. d. 15. n. 37.*) si destructa sit authoritate superioris, vel sine spe reædificationis locus sacer esse desinit, & fit profanus amittens immunitatem.

Ecclesia quando desit esse locus sacer.

4 Comprehenditur Ecclesia non solum quoad internum ejus ambitum, sed etiam quoad externum, itaut contineat totam ejus fabricam, nēpe capellas, parietes, tectum, cellulas adhærentes, turres, & similia, ut immunitate gaudeant. Nam hoc privilegium utpote favorabile extenditur, sicut effectus pollutionis ut pænalis & odiosus restringitur. Ita *Suar. to. 1. relig. l. 3. c. 9. a n. 6. & Bonac. de 1. decal. prac. disp. 3. q. 7. § 2. n. 5.* Ex quo sequitur immunitate gaudere confugientem ad Ecclesiæ portas, vel tectum, vel scalas.

185 5 Comprehenditur Ecclesiæ atrium, claustrum, porticus, ambitus, dormitorium. Quia hæc omnia vel sunt de Ecclesiæ fabrica, vel Ecclesiæ annexa. *c. si quis in atrio, c. frater, 17. q. 4.* Nomine confinium intelliguntur pro Ecclesia cathedrali, seu maiori 40. passus per circuitum ejus, pro minori Ecclesia 30. Passus enumerari debent ab ostio Ecclesiæ, seu muro, ut tenet Farinac. appēd. cap. 18. n. 285. & n. 286. ubi alijs citatis probat quemlibet passum continere quinque pedes, & quenlibet pedem quindecim digitos.

Passus 30 ad immunitatem.

Observabis tamen circuitum Ecclesiæ debere esse liberum tum a vijs publicis, tum a domibus privatorum: quia neque tales viæ, neque tales domus censentur esse in circuitu Ecclesiæ, ut immunitate gaudeant. Ita *Decian. cons. 80. n. 28. l. 3. & Tuschus V. Immunitas n. 59. n. 21.* Unde citati anthores ex *cap. quisquis 17. q. 4.* limitant nostram bonam comprehensionem, ut procedat in Ecclesijs quæ sunt extra murorum ambitum, & non in Ecclesijs contentis intra populi muros. Limitant deinde ut procedat in eo, qui jam ad Ecclesiam confugit, ex illaque progreditur per 30. vel 40. passus: secus de eo, quem Ecclesia non recepit. Imò gravissimi authores cum *Suar. l. 3. cit. cap. 9. n. 8. Covar. l. 2. var. c. 20. n. 5. & Farinac. de carcer. q. 28. n.*

12. existimant jus illud commune de passibus cōtraria jam consuetudine abrogatum esse.

Cæmeterium & hospitale ad immunitatem.

7 Comprehenditur cæmeterium Ecclesiæ *c. fin. de immun. Eccl.* & intelligitur tum de contiguo Ecclesiæ, tum de separato. Ita *Germon. de sacr. immun. l. 3. n. 31. Marian. Ital. de immun. Eccl. l. 1. c. 4. §. 7. n. 28. & Farin. cit. c. 17. n. 264.* 8. Comprehenditur hospitale, dūmodò sit Episcopi authoritate erectum, & cum altari ad celebrandum. Sumitur ex *c. ad hæc, de religios. dom. Decian. l. 6. c. 25. n. 18. Suar. l. 3. cit. c. 9. n. 9.*

Conventus & oratoriū ad immunitatem.

186 9 Comprehenditur domus, seu convētus religiosorum quoad totum illud quod septū est, atque adeo claustrum, dormitorium, hortus, & similia. Exprimitur *l. pateant. c. de his qui ad Eccl. confug.* sumiturque ex *c. si quis contumax 17. q. 4. Sāch. l. 9. disp. 15. n. 42.*

10 Comprehenditur oratorium, si authoritate Episcopi fuerit erectum: secus, si privata authoritate. Ita plurimis citatis *Covar. l. 2. Var. cap. 20. n. 4. Sanch. n. 39. & Suar. c. 9. n. 10.* Probatur, nam locus sacer ille tantum dicitur qui ad divina per Episcopū deputatus est, atque adeo ad usus profanos privata authoritate reduci nequit: at oratorium privata authoritate erectum ad usus profanos authoritate privata reduci potest, etiam si in illo de licentia Episcopi Missa celebretur. Vide quæ diximus n. 169.

Episcopi domus.

11 Comprehenditur domus, seu palatium Episcopi. Habetur expressè *c. Id constituimus 17. q. 4.* Ibi. *Ab Ecclesiæ atrijs, vel domo Episcopi reos abstrahere omnino non liceat. Decian. tr. crim l. 6. c. 25. n. 14. & Bonac. disp. 3. de immun. q. 7. §. 2. n. 8.* limitant hanc comprehensionem, ut intelligatur, quando domus Episcopi est intra 40. passus per circuitum Ecclesiæ cathedralis. At probabilius est non admittere talem limitationem, siquidem textus absoluté & sine ulla limitatione loquitur: & quidem certū, si domus Episcopi sacellum habeat, sicut regulariter habere solet.

187 12 Videntur comprehendi domus Eminent. Cardinalium degentiū tam in Urbe, quam extra. Ita *Navarr. sum. c. 25 n. 18. Decian. cit. l. 6. c. 25. n. 15.* qui id privilegium asserunt non ex jure, sed ex consuetudine ob similitudinem domorum Episcopalium illo gaudentium. At si talis consuetudo aliquando viguit, sublata est constitutionibus Greg. XIII. & Sixti V. ut testatur *Farin. de carcer. q. 28. n. 48.*

13 Comprehenditur tabernaculum Eucharistiæ, eam continens, imó sacerdos portans, ad quem reus confugit. Quanvis enim hoc privilegium ex jure non constet, tamen consuetudine legitima meritó instroductum fuisse recté docent *Covar. 2. Var. c. 20. n. 6. Suar. to. 1. relig. lib. 3. c. 9. n. 10. & Bonac. disp. 3. de 1. decal. prac. q. 7. §. 2. n. 11.* Sienim hæc immunitas collata fuit Ecclesiæ ob reverentiam Eucharistiæ, cur ipsi non potius debeatur? Vide plures referentem Farinac. de carcer. q. 28. n. 11.

Tradunt denique Ioan. Andr. *c. Eccles. de immunit. Eccles. Petrus Greg. Syntagm. juris l. 33. c. 21. Hostien. Anchar. &* alij, extendi privilegium hactenùs dictum ad statuas Principum, quæ securitatem præstant delinquentibus ad ipsas confugientibus *l. unica c. de his qui ad statuas confugiunt. ff. l. capitalium §. ad statuas Aut penult.* Hæc tamen immunitas non Ecclesiastica, seu laica est, & meré politica, quæ aliquando viguit, sed modò consuetudine abolita est, ut testantur *Decin. l. 6. c. 2. n. 5. & Farinac. in append. de immunit. c. 17. n. 278.*

QUÆSTIO III.

Quanam personæ hac immunitate fruantur?

188 Certum est ex *c. inter alia, de immunit. Eccl. c. frater c. minor, c. si quis contumax 17. q. 4.* hoc immunitatis privilegium competere omnibus Christianis baptizatis, sive sint liberi, sive servi, sive nobiles sive ignobiles, tam juvenes quàm senes, nullo facto conditionis, & ætatis discrimine, ut recté probat *Gutier pract. quæst. civil. l. 3. q. 1. n. 7.* Quia Deus ut sua domo nos tueatur, acceptor personatum non est. *Immunitate quæ personæ gaudent.*

Dubium est 1. an quilibet infidelis etiam Judæus, vel Mahometanus gaudeat hujusmodi immunitate? Negant multi, *Covar. 2. Var. c. 20. n. 11. Decian. tract. crimin. l. 6. c. 26. n. 2. & Farinac. de carcer. q. 28. n. 63.* Affirmant *Sylvest. v. Immunitas 3. n. 2. Tabul. commun. contra commun. q. 269. Tabiena V. Immunitas n. 7. & Marian. Ital. de immunit. l. 1. cap. 3. §. 1.* Utramque partem possumus conciliare cum *Farinacio in append. de immunit. c. 5. n. 83. & Suario. tom. 1. de relig. l. 3. c. 10. n. 11.* si dicamus gaudere immunitate infidelem cōfugientem si velit fidelis fieri: secus si nolit, aut simulet se velle. Ratio utriusque partis est, quia videtur consonū, quòd Ecclesiá faveat illis qui sibi servire appetunt: secus si renuant, aut se velle simulent.

Difficultas est intelligere quando talis infidelis serió velit converti, & quandò simulet se velle. *Suar. & Farinac.* locis citatis recté ad id dignoscendum eam regulam præscribunt, ut si talis ante cōmissum delictum, & timorem judicis conceptum, dederit signa conversionis, debeat præsumi serió & ex animo petere: si veró solū post delictum patratum confugiens ad Ecclesiam petat baptismū, præsumatur ficté petere. Et hanc præsumptionem esse juris & de jure, cōtra quam nulla admittitur probatio, affirmat *Palaus de revere. debita loc. sac. d. spun. pun. 7. n. 8.*

189 Dubium est 2. an hæreticus, si excipias crimen hæresis, gaudeat hac immunitate in alijs criminibus? Negant *Ambros. de immun. c. 8. n. 9. & Decian. tract. crim. l. 6. c. 26. n. 4.* Quia hæreticus est hostis & proditor Ecclesiæ, proindeque indignus tali beneficio. Affirmandum tamen est cum *Suar. cit. c. 10. n. 13 & Bonac. disp. 3. de 1. decal. pr. c. q. 7. §. 3.* Ratio est, quia non apparet textus qui personam hæretici ob quodcunque crimen excludat ab immunitate: & quanvis ille sit indignus, Ecclesia tamen pia & benigna non excludit. *Hæretici immunitas.*

Dubium est 3. Utrùm tam interdictus ab ingressu Ecclesiæ, quam excommunicatus gaudeat immunitate Ecclesiæ? De utroque negat *Felinus c. ad nobis, de except. n. 5.* Quia non debet Ecclesia admittere

admittere quem vel per interdictum excludit, vel per excommunicationem a participatione fidelium removet. Affirmandum tamen de utroque est cum *Suar.to.1.de relig.l.3.c.10.n.4.& Bonac.in de 1.decal.prae.disp.3.q.7.§.3.n.8.& 9.* Ratio est, quia neque interdictum, neque excommunicatio habet pro effectu privare immunitate Ecclesiastica: & Ecclesia aliunde tales personas non excludit a suo illo privilegio.

Banniti ad immunitatē Ecclesiæ. 190 Dubium est 4. an gaudeant immunitate banniti & condemnati, si ad Ecclesiam confugiant? Certum est non gaudere, si plenis probationibus condemnati sint ob delictum exceptum. At si sint condemnati solis indicijs, & non ex cōcludentibus probationibus, v.g. ob contumaciam potiùs quàm ob delictum, dicendum est cum *Farinac.de carcer.q.28 n.47.& in appen.immun.c.2. a n.42.* gaudere. Quia hujusmodi delinquens tunc non intendit fovere inobedientiam, sed vitare cōdemnationem. Vide *Gamam decis.179.n.2.*

Dubium est 5. an reclusi in carcere, si eo fracto ad Ecclesiam confugiant, immunitate potiantur? Negat *Petrus Gregor.syntagm. juris l.33.c.22.n.2.vers.Non effractores.* Affirmandum tamen omninò est cum *Covar.2 var.c.20.n.13.Farinac.cit.q.28.n.41.Tuscho v.Ecclesia concl.10.n.20.& Suar.l.3. de rever.c.11.n.18.& 19.* Ratio est, quia immunitatis privilegium conceditur omnibus confugientibus ad Ecclesiam, preter casus exceptus exceptus autē nō est fractis vinculis ad Ecclesiam cōfugere.

Quid de eo, quem birroarij, seu satellites vinctum, seu præhensum ducerent per locum sacrū? Huic non prodesse loci immunitatem, rectè docent citati authores. Quia non ipse ad sacrum locum liber confugit ne capiatur, sed jam captus, seu vinctus per illum ducitur. Unde delinquens qui ligatis manibus & pedibus jumento sedens ducitur in carcerem, quanvis in terram desiliat intra atrium Ecclesiæ, non gaudet ejus immunitate Ita *Gama decis.141.n.1.* Quia semper mansit vinctus: & solus liber dicitur ad sacrum cōfugere.

191 Ex dictis sequitur 1. gaudere immunitate qui a ministris justitiæ captus, & ab eorum manibus elapsus in sacrum locum se recepit. Quia jam liber ad Ecclesiam confugit. Adde quanvis per vim eriperetur, vel si cum ferret tales ministros. Ita *Tusch.cit.concl.10.n.21.30.& Farinac.to append.c.15.n.196.* Sequitur 2. idem procedere de eo qui ad capitale supplicium ductus se eripiens ad sacrum locum confugit. Adde ex *Farinac. n. 200 & Fag.2.prac.Eccl.l.4.c.4.n.58.* idem esse de eo qui fide data custodi, & præstito juramento redeundi non redijt, sed ad Ecclesiam confugit.

Clerici an immunitatē loci sacri. Dubium est 6. An clerici gaudeant hac immunitate Ecclesiastica? Constat gaudere, si loquamur absolutè de clericis respectu judicium sæcularium. Si verò loquamur de clericis qui sunt beneficiati, vel in maioribus ordinibus constituti, respectu suorum judicum, in criminibus non exceptis, est duplex sententia, altera negantium ipsos gaudere. Ita *Sylvest.v.immunitas n.7.Nav.c.25.n.22.Suar.l.3.c.10.n.5.Bonac.disp.3.de 1.decal.prae.q.7.§.3.n.7.* cum alijs. Probant, quia immunitas Ecclesiæ non debet sibi præjudicare minuendo potestatem Ecclesiasticam, ut delinquentes puniantur.

Altera affirmantium gaudere. Ita *Cov. 2. var.c.20.n.16.Gutier.quæst.pract.civil.q.3.n.1. Decian. tract. crim.l.6.c.26.n.1.& Tuschus pract.v.Ecclesia concl.9.n.17.* Probant, quia jura loquentia de immunitate loquuntur generaliter, & absque ulla limitatione; ergo extenduntur ad clericos delinquentes. Utramque opinionem, si jus scriptum attendatur, judico probabilem: attenta verò consuetudine probabiliorem existimo priorem. Nam *Gutier.loco citato* testatur quòd judices Ecclesiastici passim absque ullo scrupulo clericos delinquentes ab Ecclesia extrahunt.

Servorum immunitas. 192 Dubium est 7. an servus gaudeat immunitate per respectum ad dominum punire volētem, si confugiat ad Ecclesiam? Jure canonico in *c.inter alia §.si verò servus, de immun. Eccles.* & jure civili *l.præsenti §.fin.c.de his qui ad Eccles.confug.* statuitur, ut postquam de immunitate sua dominus ejus clericis juramentum præstiterit, ad servitium domini sui redire compellatur, etiam invitus: alioqui poterit occupari a domino. Quæ procedunt quando delictum servi parvum aut nullum sit. Nam si grave fuerit, rectè *docent Azor 2.p.l.9.c.9.q.9.Farinac.in append.de immunit.c.4.n.76. Gutier. pract.quæst.civil.q.1.n.1.& 18.& Suar.cit.l.3.c.10.n.2.* non sufficere regulariter juramentum: sed maiorem aliam requiri securitatem. Quod si hanc dominus noluerit præstare, compellendus erit servum vendere, ut tradit *Decian.l.6.c.26.n.9.& alij relati a Farinac.cit.c.4.n.69.*

SECTIO III.

De causis, seu casibus in quibus servatur immunitas confugientibus ad locos sacros.

QUÆSTIO I.

An in causa civili debeatur immunitas?

Immunitas in causa civili. SEnsus quæstionis est, an si debitor qui solvendo non est, & timens conijci in carcerem, ad Ecclesiam confugiat, in tali causa civili, gaudeat immunitate? Videtur negandum, quia jus Ecclesiasticum *c.inter alia.c.id constituimus, c.si quis contumax.c.si quis inventus c.frater, & alijs* solum confert immunitatem delinquentibus & reis, non autem debitoribus, proindeque in causis criminalibus, & non incivilibus. Accedit, quia immunitas præstita debitoribus vergeret in damnum creditorum, & Ecclesia non intendit favorem unius cum detrimento alterius.

193 Affirmandum tamen est cum *Ambrosino de Immun.c.13.n.1.Deciano tract.crim.l.6.c.28.n.34. Anast.Germ.de sacr.immun.l.2.c.16.n.5.Suar.l.3.cit.c.11.n.3 & Bonac.disp.3.q.7 de immun.§.4.n.1.* Ratio est, quia licèt hujusmodi immunitas in solo jure civili exprimatur *l.præsenti c.de his qui ad Eccl.conf.& l.altum* eod.tit. tamen Ecclesia canonizat has

leges

leges *c. inter alia* & *Trid. sess. 25. c. 20.* ubi approbat leges civiles, quæ Ecclesiarum immunitati a se statutæ non præjudicant, sed potiùs favent, eamque augent.

Hanc resolutionem aliqui limitant 1. in debitore suspecto de fuga: dicunt enim judici tradendum esse, ut creditor reddatur securus. Hæc tamē limitatio meritò displicet *Suario cit. c. 11. n. 3. Farinatio in appen. de immun. c. 3. n. 60.* Quia privilegium illud continet omnes, quos non excludit: at suspectum de fuga non excludit. Limitant 2. in debitore tributorum, quem ab Ecclesia posse extrahi affirmant *Petr. Greg. syntag. juris li. 33. c. 22. n. 2. Archan. c. inter alia n. 6. & ibi Butrio n. 13.* Bené tamen displicet limitatio *Farinacio, Bonacinæ, & Suario citatis* propter rationem proximé inculcatam.

Limitant 3. *Covar. 2. var. c. 20. n. 14. Decian. lib. 6. c. 28. n. 34. Farinac. de carcer. q. 28. n. 33. Ioan. Gutierr. pract. quæst. civil. l. 3. q. 1. n. 4.* in negotiatoribus fallitis, seu decoctoribus. Nam hi sunt hostes reipublicæ, & quasi publici latrones. Hæc tamen limitatio nullo modo sustinenda est, proindeque meritò rejicitur a *Navarro c. 25. n. 19. Bonacina cit. q. 7. §. 4. Martino Ital. de immun. l. 1. c. 5.* Quia falliti non sunt hostes reipublicæ, nec publici latrones, nisi fortè impropriè, pœnæ autem non debent extēdi ad impropria, nec ad similia.

Falliti & decoctores ad immunitatem.

QUÆSTIO II.

In quibus causis criminalibus debeatur immunitas?

194 Cum in jure canonico *c. inter alia de immunit.* decisum, & expressum sit in omnibus quantumcunque gravibus casibus, exceptis qui a jure exprimuntur, debitam esse immunitatem, noster erit labor numerare, & explicare illos, quos expressè jus excipit: Dispersos in varijs textibus collegit *Greg. 14. in sua constitutione* nonnullis adjectis in hunc modum: *Ad unam* (inquit) *tantum formam reducimus & moderamus, ut laicis ad Ecclesias, locaque sacra confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidijs aggrediuntur, vel depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsijs Ecclesijs earūque cæmeterijs committere non verentur: aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut assassinij, vel hæresis, aut læsæ majestatis reis in personam ipsius met Principis immunitas Ecclesiastica non suffragetur.* Ut hos numeratos casus seorsim expediamus,

Excipitur 1. *publicus latro*: ille dicitur latro qui violenter aggreditur, & spoliat: publicus qui palam & publicé furatur, aut per insidias in via publica, aut per violentiam in privatis domibus: & quodlibet ex his (ut bené notat *Ambrosin. de immun. c. 2. n. 3.*) sufficit ad constituendum publicum latrocinium. Exigitur tamen quod non semel, sed bis vel ter dicto modo furetur: nomen enim latronis, sicut & grassatoris viarum, vulgo *Salteador*, frequentiam dicit. Rectè tamen monet Decian. *l. 6. c. 18. n. 2.* non sufficere præsumptionem, sed requiri probationem, ut publicus latro immunitate privetur.

Latro publicus ad immunitatem.

195 Sequitur planè ex dictis furem simplicem gaudere immunitate. Quia non excipitur, sed solus latro publicus. An verò ex consuetudine excipiatur? Affirmant *Covar. 2. var. c. 20. n. 16. & Suario l. 3. c. 11. a n. 4.* Negandum tamen est cum *Farinacio in appen. de immun. Tuschio V. Ecclesia con. 10. n. 23. & Bonac. disp. 3. in 1. decal. præc. q. 7. §. 4. n. 5.* Quia Gregor. 14. *sua constit.* abstulit omnem antecedentem consuetudinem, & post illum non est elapsum tempus sufficiens ut introduceretur.

Excipitur 2. *Nocturnus agrorum depopulator*: & ille est qui nocte segetes agrorum, aut fructus vineatum destruit, ibi se abscondendo, vel alio modo eos depopulando. Ad quod non requiritur fieri publicè, sed solum constare de facto. Unde diurnus agrorum depopulator non excipitur. Quanvis enim Gregor. sua constit. absolutè dicat *depopulatores agrorum* quin adjungat nocturni, tamen intelligendus est secundùm jus cōmune *c. inter alia*, ubi ponitur dictio *nocturni*, per quam tacitè excluduntur diurni.

Depopulator agrorum.

Excipitur 3. *Viarum grassator*, & ille dicitur, qui cum impetu graditur, ut viatores spoliet, vulneret, vel occidat. Ut tamen excipiatur, debet grassari in vijs publicis, & itineribus frequentatis: secus si alibi. Ita *Farinac. in append. de immun. c. 12. n. 165. & Ambros. de immun. c. 3. n. 5.* contra *Hostien. Andream*, & alios asserentes excipi omnes, qui ubilibet per insidias aggrediuntur.

Grassator viarum.

196 Excipitur 4. *committens homicidium vel mutilationem membrorum in Ecclesia, aut ejus cæmeterijs.* Ratio exceptionis est, quia sicut in jure *c. qui in Ecclesiarum c. frustra de usuris & l. auxilium §. in delictis ff. de minor.* habetur, *Legis auxilium frustra invocat qui agens contemnit* Ita æquum est quod Ecclesiæ auxilium frustra imploret qui Ecclesiam, in ea occidendo, vel mutilando contemnit. Qui in Ecclesia vulnerat, si ex vulnere non sequatur mors, immunitate gaudet. Quia vulnus nec homicidium, nec mutilatio est. Iuxta *Farinac. de carcer. q. 28. n. 248.* a prædictis in Ecclesia auferenda sunt arma non per judicem laicum, sed per Ecclesiasticum.

Decisor in Ecclesia.

Excipitur 5. *qui proditoriè occidit proximum suum.* Ille dicitur occidere proditoriè, qui incautum, & nihil tale præcaventem occidit, vulgò dicimus *a traiçam, aleyvosamente* de quo *Anton. Gom. 3. var. c. 3. de homicidio n. 5.* & nos late in Elucidario n. 898. Unde infertur 1. cum *Suario cit. l. 3. c. 11. n. 12.* occisum veneno, censeri proditoriè occisum. Infertur 2. cum *Farinacio l. 2. consil. cons. 168. n. 65.* si præcedat promissio facta inimico, de eo non offendendo, & eum occidas, proditoriè occidisse. Nam per illam promissionē fuit illi sublata omnis præcavendi occasio.

Proditoriè occidere.

Excipitur 6. *assassinij reus.* Ductum est nomen ab Assasinis, scilicet infidelibus certæ nationis qui ex mandato sui Principis alios occidebant, teste *Covar. 2. var. c. 20. n. 10.* Unde per translationem dicitur Assasinus, qui pecunia, aliove pretio conductus aliquem incautum occidit. Et hic secundùm omne jus excluditur ab immunitate. Item, & si proditoriè non occidat, sed accepto pretio,

Assasinus ad immunitatē.

precio, attenta constitutione Gregoriana.

Maius est dubium, si nō attendatur talis cōstitutio. Illud mihi videtur sic decidendum: quanvis spectato juris rigore sit probabilius, seclusa Gregorij constitutione, reum assasinij non esse privatum immunitate, nisi proditorie occidat, tamen ex recepta consuetudine privatum esse, recté docent *Farinac. de carcer. q.* 18. *n.* 16. *Suar. l.* 3. *c.* 11. *n.* 13 *& Bonac. cit. disp.* 3. *q.* 7. *de immun.* §. 4. *n.* 18.

197 Excipitur 7. *reus hæresis*: & meritó, nam hoc crimen pessimum est, & ex se totius Ecclesiæ Dei destructivum. Ex quo fit, ut non solum verus hæreticus, sed etiam omnis hæreticorum fautor, & auxiliator immunitate privetur, ut bené docent *Farinac. de immun. c.* 13. *n.* 175. *& Bonac. disp.* 3. *cit. q.* 7. §. 4. *n.* 21. Talis enim incurrit suspicionem hæresis, quæ cum indigeat examine, suspectus de hæresi, ex recepta consuetudine, extrahi potest ab Ecclesia, ut examini subjiciatur.

Læsa majestatis reus ad immunitatem. Excipitur 8. *reus læsæ majestatis in personam ipsiusmet Principis.* Hic enim licét attento jure communi, juxta *Bosium tit. de captura n.* 3. *& Gutierr. pract. quæst. civil. l.* 4. *q.* 4. *n.* 3. non excipiatur, tamen per Gregorij 14. constitutionem expressé excipitur. Ex illo verbo (in personam) recté colligit *Farinac. de immun. c.* 14. *n.* 190. *&* 192. non privari immunitate reos læsæ majestatis in statum Principis, aut ejus consanguineos, vel consiliarios. Idem cit. cap. n. 188. nomine Principis recté intelligit supremum, seu nemini in temporalibus subjectū, qualis est Pontifex. Imperator, Rex Lusitaniæ, & similes. Notat veró Palaus cum multis citatis disp. un. de rever. debita locis sacris pun. 9. n. 43. debere intelligi Principem respectu offendentis, ita ut ratione originis, vel domicilij offendens illi subjiciatur.

QUÆSTIO III.

Qui nam ex numeratis casibus contineant difficultates expedundas?

198 Circa tres casus ex numeratis, nempe circa occidentem, aut mutilantem in Ecclesia, circa occidentem proditorié, & circa occidētem ex precio, supersunt quædam difficultates a nobis breviter decidendæ.

Occidens in Ecclesia sub spe immunitatis. Quod attinet ad primum de occidente aut mutilante in Ecclesia, 1. difficultas est, an hujusmodi homicida, aut mutilans solum privetur immunitate, quando sub illius spe in Ecclesia occidit, vel mutilavit? Affirmant *Gutierr pract. quæst. civil. l.* 3. *q.* 1. *a n.* 3. *Azor p.* 2. *l.* 9. *c.* 9. *sub q.* 9. *Tuscinus verbo Ecclesia concl.* 11. *n.* 13. *Azeved. l.* 1. *tit.* 2. *leg.* 3. *n.* 14. *& Farinac. appen. de immun. c.* 16. *n.* 238. Quia Pōtifex in *c. Inter alia* assignat pro causa denegandæ immunitatis prædictis, quód delinquant in Ecclesia spe defensionis ab illa obtinendæ.

Negandum tamen est cum *Navarr. c.* 25. *n.* 20. *Decian. l.* 6. *c.* 28. *n.* 5. *Farinac. de carcer. q.* 28. *n.* 54. *Suar. cit. l.* 3. *c.* 11. *n.* 6. *& Bonac. disp.* 3. *q.* 7. *de immun.* §. 4. *n.* 7. Ratio est, quia licét Pontifex apponat pro causa suæ constitutionis spem illam immunitatis, aliam etiam assignat, scilicet *cum autem in eo, in quo deliquit puniri quis debeat*: deinde pronunciat generaliter omnes homicidas & mutilatores in Ecclesia, ejus immunitatis privatos. Accedit convenire in hoc utriusque partis authores, peccantem in Ecclesia semper præsumi peccasse sub spe illius immunitatis.

Immunitas occidentis in Ecclesia. 199. 2 Difficultas est, an privetur immunitate qui existens in Ecclesia occidit sclopo, aliove instrumento existentem extra Ecclesiam? Negant *Fagund. 2. prac. Ecclesiæ l.* 4. *c.* 4. *n.* 17. *Bonac. disp.* 3. *q.* 7. *de immun.* §. 4. *n.* 8. Quia vere in Ecclesia non occidit. Affirmandum tamen est cum *Navarr. c.* 25. *n.* 21. *Covarr.* 2. *var. c.* 20. *n.* 15. *Farinac. de carcer. q.* 28. *n.* 61. *Suar. l.* 3. *c.* 11. *n.* 6. *& Bobad. l.* 3. *polit. c.* 14. *n.* 6. Nam quis veré & proprié dicitur occidere in eo loco, in quo ponit causam necessariam occisionis: talis autem in Ecclesia ponit hujusmodi causam. Idem esset si existentem in Ecclesia lethaliter vulnerasset, quanvis vulneratus extra Ecclesiam moreretur.

Homicidia facta in Ecclesia. Quid si existens extra Ecclesiam in Ecclesia occidat? *Villagut. de extens. legum c. fin. n.* 50. negat talem carere immunitate. Fundatur ratione nuper inculcata, quód homicidium ibi dicatur commissum, ubi causa necessaria illius posita fuit. Oppositum tamen affirmandum est cum *Farinac. de carcer. q* 28. *n.* 61. *Covar.* 2. *var. c* 20. *n.* 15. *& Suar. l.* 3. *c.* 11. *n.* 7. Ratio est, quia in delictis potiùs attenditur illorum executio & perfectio quàm initium. Secus dicendum, si uterque scilicet vulnerans & vulneratus extitisset extra Ecclesiam, & vulneratus se contulisset in Ecclesiam ibi moriturus. Tunc enim vulnerans non esset causa mortis in Ecclesia.

200 3 Difficultas est an privetur immunitate mandans aliquem occidi in Ecclesia, sive mandatum detur in Ecclesia, sive extra? Affirmant plures, quos refert. *Farinac. in appen. de immun. c.* 16. *n.* 229. *& Decian. l.* 6. *c.* 28. *n.* 7. Negandum tamen est cum *Bonac. disp.* 3. *q.* 7. *de immun.* §. 4. *n.* 9. Quia nemo privatur immunitate, nisi in casibus exceptis: at excipitur solus occidens physice, & nō occidens moraliter, qualis mandans, vel consulens.

Quid si vi aut dolo extraxisti ab Ecclesia, & extractum occidisti? Te privari immunitate affirmant *Farin in appen. de immun. cap.* 16. *n.* 232. *& Azor p.* 2. *l.* 9 *c.* 9. *q.* 14. Oppositum tamen rectiús docet *Palaus de rever. deb. locis sacris disp. un pun.* 9. *n.* 18. Quia non dedisti in Ecclesia causam occisionis necessariam, cum postea liberé occideris.

Mutilatio facta in Ecclesia. Rogabis, quæ mutilatio facta in Ecclesia sufficiat ad privandum immunitate? Bené respondent *Farinac. cit. n.* 249. *Bonnac. cit.* §. 4. *n.* 8. *& Marian. Ital. de immun. l.* 1. *c.* 5. §. 3. *n.* 8. requiri abscissionē membri, nec sufficere vulnerare debilitando. Unde debet esse membrum, scilicet illud cujus officio corpus movetur, & juvatur, quales sunt manus, pedes, oculi, nares lingua, mamillæ, mandibulæ: at dentes, & digiti non sunt membrum, sed partes membri.

4 Difficultas est an privetur immunitate qui prope Ecclesiam occidit, vel mutilat? Affirmāt absoluté

absolutè *Gig. de crim. læsæ majest. Rub. qualiter q. 10. n. 7. Covarr. 2. var. c. 20. n. 15. ver. 26. & Bobad. polit. lib. 2. c. 14. n. 26.* Cum distinctione loquuntur *Decian. Trac crim. l. 6. c. 28. n. 5. Gutierr. pract. quæst. civil. l. 3. q. 1. n. 15.* asserentes privari, si ex proposito occidat, vel mutilet prope Ecclesiam: secus, si casu exsubitanea rixa.

201 Mihi tamen videtur probabilius immunitate gaudere talem occisorem vel mutilatorem quomodocunque extra Ecclesiam, ejusque cæmeterium delinquat. Ita *Suar. l. 3. c. 11. n. 9. & Bonac. disp. 3. q. 7. de immun. §. 4. n. 13.* Probatur, quia in jure excipitur ab immunitate homicidium vel mutilatio facta in Ecclesia, & non facta extra illam: quæ autem fiunt prope, nō in illa, sed extra illam fiunt. Fateor consuetudine posse introduci, ut etiam prope facta excipiantur: sed nō constat de tali consuetudine introducta.

5 Difficultas est, utrùm homicida, vel mutilans in Ecclesia privetur immunitate quoad alia delicta, sive comissa antea, sive post? *Tuschus v. Ecclesia n. 11. Decian. l. 6. c. 28. n. 9. & Beelus decis. 110. n. 10.* affirmant, si ille pro delicto commisso in Ecclesia nondum punitus est, secus, si jam punitus. Dicendum tamen arbitror cum *Covar. 2. var. c. 20. n. 15. ver. 24.* ubi varios citat, talem solum privari immunitate ob homicidium vel mutilationem facta in Ecclesia, & non ob alia delicta, quæ excepta non sunt. Quia pœnæ non debent extendi, sed potiùs restringi.

Iudex delicti cōmissi in Ecclesia.

202 6 Difficultas est, ad quem judicem spectet punire delictum commissum in Ecclesia? Rectè expediunt hanc difficultatem *Farinac. in appen. de immun. cap. ult. n. 364. Gutier. pract. quæst. l. 3. q. 1. n. 13. & Salzedo pract. c. im. c. 87. n. 1.* in hunc modum: Si delictum est Ecclesiasticum, vel a clerico commissum, solus judex Ecclesiasticus illud punire potest. Si delictum sæculare est, & commissum a laico, cum sit mixti fori, datur locus præventioni ut vel sæcularis, vel Ecclesiasticus judex puniat. At si delinquens aufugerit, neque citatus cōparverit, uterque judex procedere potest, sæcularis ad condemnandum reum in pœnis debitis delicto, Ecclesiasticus ad eas, quas de jure potest apponere. Tunc enim non datur præventio utpote delinquentis possessionem requirens.

Occidens per insidias.

Quod attinet ad secundum casum de occidente proditoriè, 1. difficultas est, an privetur immunitate qui inimicum dormientem, vel alio modo incautum occidit per insidias? Affirmant *Bobad. polit. l. 2. c. 14. n. 34. M. noch. de arbit. casu 461. n. 27. Covar. 2. var. c. 20. n. 7. & alij.* Quasi proditoriè occidat, qui per industriam & insidias occidit.

Existimo tamen probabilius, stante inimicitia non privari immunitate qui inimicum per insidias occidit. Ita *Amon. Gomer var. resol. § de homici io c. 3. n. 5. Ambrosin. c. 6. n. 3. & Suar. cit. l. 3. c. 11. n. 12.* Ratio est, quia non quæcunque insidiæ privant immunitate, sed illæ tantum quæ proditionem constituunt: at stante inimicitia insidiæ proditionem non constituunt siquidem inimicus semper habet fundamentum, ut sibi caveat: atque adeo sibi imputare debet, si incautus necetur.

Occisio per industriam.

203 2 Difficultas est, an privetur immunitate qui occidit per industriam, hoc est data opera, & animo deliberato, sed non per insidias? Affirmant plures, quos sequitur *Clarus pract. q. 30. ver. Punctus est referunt Decian. l. 6. c. 28. n. 15. & Farinac. de carcer. q. 28. n. 23.* Negandum tamen est cum *Covarr. citato, & Suario citato c. 11. n. 13.* Patet, quia constitutio Gregorij 14. qui ad illam omne jus aliud reduxit, solum excipit ab immunitate homicidium proditorium, quale non est factum ex industria. An & quale peccatum sit occidere brutū sæviter? Vide in priori parte n. 660.

3 Difficultas est, an privetur immunitate, qui per industriam vulneravit proximum animo occidendi, licèt mors non sequatur? Affirmant *B er. decis. 109. Petrus a Placha epit. delict. c. 21. &* hanc esse communem opinionem testantur *Azeved. l. 1. tit. 2. leg. 3. n. 9. & Bobad. l. 2. polit. c. 14. n. 34.* Negandum tamen est cum *Deciano trac. crim. lib. 6. c. 28. n. 17. Suario l. 3. c. 11. n. 14. & Bonac. disp. 3. q. 7. de immun §. 4. n. 16.* & certè ex constitutione Gregorij res caret dubitatione. Nam ibi solum excipitur qui proximum proditoriè occiderit.

4 Difficultas est, an careat immunitate qui proditoriè occidit infidelem? Negant *Ambrosin. de immun. cap. 7. n. 12. & Bonac. disp. 3. de 1. prac. decal. q. 7. de immun. §. 4. n. 16.* Probant, quia infidelis neque in fide, neque in sacramentis nobiscum communicat. Affirmandum tamen est cum *Farin. de immun. cap. 8. n. 120. & Marian. Ital. de immun. l. 1. c. 5. § 4. n. 20.* Ratio est, nam pœna illa carendi immunitate imponitur omni interficienti proditoriè proximum suum, & omnis infidelis, quandiu in hac vita degit, verè proximus noster est.

Assasiniū privans immunitate.

204 Quod attinet ad tertium & ultimum casum, de committente assasinium, seu occidente ex pretio, 1. difficultas est, an sufficiat ad verum assasiniū, quod nō defendit Ecclesia, pretiū promissum, & non acceptum? Benè affirmant *Mascar. de prob. l. 1. concl. 138. & Farinac. de homic. q. 123. n. 36.* dummodò promissio fuerit acceptata, quia ut sic receptæ pecuniæ æqui valet. Nomine pretij, seu pecuniæ, (ut docet *Gutier. pract. quæst. civil. l. 3. q. 7. n. 20.*) intelligitur omnis res pretio æstimabilis, v. g. si promittatur ficatio fœmina in uxorem imò licèt res sit vilis, aut pecunia parva, dummodò interveniat pactum. At non erit assasiniū si detur pretiū non pro ipsa occisione, sed pro expensis itineris. Item, si nulla antecedente promissione occidas, vel occidere facias motus spe comparandi litem; vel complacendi amico. *Vide Palaum de rever. deb. loc. sacr. disp. un. p. 9. n. 34.*

Homicidium factum pro pretio.

2 Difficultas est, an privetur immunitatè, qui pretio conductus occidit infidelem? Affirmant *Decian. trac. crim. l. 6. c. 28. n. 18 & Marian. Ital. de Iber. Eccles. l. 1. c. 5. §. 4. n. 20.* Quia infidelis etiam est noster proximus. Negandum tamen est cum *Covar. 2. var c. 20. n. 10. Ambrosin. de immun. c. 7. n. 12. & Mascar de prob. l. 1. concl. 137. n. 13.* Nam in *cap. 1. de homicid. in 6.* ad assasiniū expressè requiritur quod occidatur Christianus: cujus nomine (ut

 credo)

credo) venit etiam hæreticus. Secus est de occidēte proditoriè, quia hunc ex textu solum requiritur proximus occidendus. In dubio sit ne occisus Christianus an paganus? Christianus præsumi debet, si reperiatur in Christianorum territorio, ubi infideles non permittuntur habitare.

205 3 Difficultas est, an committat assasinium qui accepto pretio occidit inimicum? Bené respondent *Covar. 2. var. c. 20. n. 9. & Bonac. disp. 3. q. 7. de immun. §. 4. n. 18.* committi assasinium, si occisus erat solum inimicus mandantis, & non exequentis: secus, si erat inimicus utriusque, vel homicidiū patratum est coram mandante. Quia solum incautus atque adeo proditorié occiditur in primo eventu, & non in secundo. Hæc tamen procedunt secundùm jus commune, a quo requiritur proditio ad assasinium, & non secundùm constitutionem Gregorij proditionem non requirentis. De quo supra n. 196.

4 Difficultas est, an privetur immunitate, qui accepit pretium ut vulneraret, & non ut occideret? Negandum est cum *Farinacio de homic. q. 123. n. 139. Vulpel. cons. 143. n. 1 & Deciano tr. crim. lib. 9. c. 30. n. 41.* Quia assasinium solum committitur per veram occisionem, & non per solam vulnerationē. Unde rectè inferunt *Hier. Zeval l. com. contra comm q. 540. n. 5. & Massar. de prob. con 138. n. 2.* non esse in rigore juris assasinum, qui accepit pretium ad occidendum, & solum vulneravit.

206 5 Difficultas est, an mandans aliquem occidere sub promissione pecuniæ, committat assasinium, & privetur immunitate, si mors non sequatur? Rectè affirmant *Decian l. 6. c. 28. n. 18. & Farinac. de immun. c. 8. n. 128.* Probat, quia ad incurrendas pœnas *c. 1. homic. in 6.* sufficit mandatum effectu non secuto: pœnæ autem non incurruntur nisi propter assasinium. Addit Farin de homic. q. 123. n. 79. & 82. talem mandantem non evitare pœnas, etiam si ante secutum effectum revocaverit mandatum.

Defendēs assasinū 6 Difficultas est, an privetur immunitate tam receptans, quam defendens & occultans assasinū? Respondeo affirmativé cum *Farinacio de homic. quæst. 123. a n. 29.* Sumitur ex *c. Pro humani, de homicidio in 6.* ubi afficiuntur ijsdem pœnis, quibus assasini, eorum receptatores, defensores, & occultatores; signum est ergo assasinij reos esse. Illud rectè notat *Farinac. n. 34.* sic auxiliantes debere cognoscere eos, quibus auxilium præstant, assasinos esse, & illis ut talibus auxilium præstare: secùs pœnas evadent.

QUÆSTIO IIII.

Sintne alij casus in quibus denegetur immunitas?

Ex hactenus dictis videtur patere nullos alios esse casus, in quibus delinquentes priventur Ecclesiæ immunitate, tum quia in *cap. Inter alia de immun. Eccles.* omnibus quomodolibet delinquentibus conceditur immunitas, præterquam in casibus exceptis, & Gregor 14. reducens sua illa constitutione jura omnia in unam formam, ab immunitate excipit illos duntaxat casus, quos seorsim exposuimus.

207 Supersunt tamen expedienda non nulla. 1. expediendum est, an ratione consuetudinis sint alij præter numeratos casus, in quibus home non servetur immunitas? Dari consuetudinem de facto, juxta quam sæcularis judex a locis sacris extrahit delinquentes plures quàm numeratos, testantur *Clarus in pract. §. fin. q. 30. Oldrad. cons. 54. n. 2. & Suar. l. 3. c. 11.* *Consuetudo pro solenda immunitate.*

Nihilominus Palaus. tit. disp. un. pun. x. n. 2. negat post constitutionem Gregorij abrogantis omnes anteactas consuetudines, introductam fuisse postea legitimam consuetudinem. Illud scio ex *Surdo tr. 3. cons. 354. n. 2. & Menoch. cons. 37. n. 2.* alleganti consuetudinem immunitati contrariam credendum non esse, nisi probet ex *l. in bello §. facta ff. de capt. & postlim. rever.*

2 Expediendum est, an excipiantur casus alij ex identitate, vel maioritate rationis? Videtur affirmare *Decian. tract. crim. l. 6. c. 28. n. 20.* quatenus docet ex identitate rationis extendi constitutionem etiam pœnalem. Accedit id videri necessariū in nostro casu, ne crescat licentia sceleratorum spe securitatis ex immunitate. Negandum tamen est cum *Gutier. pract. quæst. l. 3. c. 4. n. 12. Franc. Leon. in thesaur. fori Eccles. c. 13. & Suar. l. 3. c. 11. n. 15. & 17.* Ratio est, quia si ob identitatem, vel maioritatem rationis alij casus præter numeratos exciperentur, procul dubio tolleretur regula stabilita per *c. inter alia*, & Gregorium 14. cum nihil stabile ac firmū constitutum foret.

208. 3 Expediendum est, an delinquenti in crimine excepto, v. g. homicidio proditorio, immunitas prosit quoad crimen non exceptum, v. g. adulterium? Quæstio procedit quando judex non intendit punire tale homicidium: quia si illud intendat punire, & ideo extrahat a loco sacro homicidam, procul dubio poterit punire ob adulterium, & alia non excepta: quia tunc non censetur extrahere ob hæc crimina, sed jam justè extractum punit. Vide *Gamam decis. 52. & 364. n. 2. & Emman. Barb. ad Ord. libro 2 tit. 5. n. 18.* At si intendat solum punire crimina non excepta, & si videatur alicui posse extrahi delinquentem, utpote absoluté immunitate privatum, at probabilius judicant *Farinac. de carcer. q 28 n. 67. & Bonacina disp. 2. q. 7. de immun. §. 4. n. 23.* nequaquam posse. Ratio est, nam constitutio excipiens ab immunitate certos casus, illos excipit, ut puniantur, & ut delinquentes propter illos ab Ecclesia extrahantur, & non propter alios; ergo qui non fuit extractus ob punitionem criminis excepti, nequit puniri ob alia.

Ex dictis infertur 1. contra *Beriuin decis. 109. Decian. trac. crim. l. 6. c. 28. n. 20. Burrionem. Angel. & alios* gaudere immunitate raptores virginum, & adulteros. Infertur 2. contra *Marian. Ital. tract. de immun. l. 1. cap. 5. § 3.* gaudere immunitate Sodomitas, quantunvis abominabiles, & infandos. Infertur 3. contra *Gutier. pract. quæst. l. 3. q. 1. n. 33. & Petrum Greg. syntagm juris c. 22. n. 2.* gaudere immunitate falsarios.

Infertur

209 Infertur 4. gaudere immunitate perjurũ, & falsum testem, quamvis suo falso testimonio causa fuerit ut aliquis capite plecteretur. Quid quid in oppositum dicat *Marian. Ital. de immun. l. 1. cap. 5. §. 4.* Quia solũ privatur immunitate occidens proditorié physicé, & non occidens moraliter. Infertur 5. gaudere immunitate incendiarios, etiam si æquiparentur agrorum depopulatoribus. Ita *Farinac. in appen. de immun. cap. 6. n. 105.* contra graves authores.

Infertur 6. contra *Decian. l. 6 c. 25. n. 7. & c. 26. n. 9.* gaudere immunitate judices, & alios ministros, qui violenter & injuste extrahunt a loco sacro confugientes.

Infertur 7. gaudere immunitate fabricantes monetam falsam. Ita *Gutier. pract. quæst. civil. l. 3. q. 4. & Farinac. in appen. de immun. c. 6. n. 91.* Quamvis enim committunt crimen læsæ majestatis, est in statum, & non in personam Principis.

SECTIO IIII.

De effectibus, quos habet immunitas ne extrahantur confugientes a loco sacro.

QUÆSTIO I.

Quot sint, & quales hujusmodi effectus?

Immunitatis Ecclesiæ effectus. EXpositurus in subsequentibus quæstionibus non nulla spectantia ad effectus prædictæ immunitatis, in præsenti eos numerabo & exponam summatim. Primus & præcipuus est ut delinquens ad locum sacrum confugiens extrahi nequeat invitus, & invita Ecclesia. Ita ex *c. inter alia de immun. & l. 2. c. de his qui ad Eccl. confug.* Decian. *l. 6. c. 26. n. 11. Suar. l. 3 c. 12. n. 5. & Bonac. disp. 3. q 7. de immun. §. 5.* qui recté notant exeuntem liberé a loco sacro, capi posse.

210 Dixi (liberé) quia si necessitate compulsus v.g. exeat ab Ecclesia ad exonerandum ventrem, statim reversurus: item si ab aliquo extractus fuerit, a judice capi nequit: Idem est si per metum injuste illatum ab Ecclesia fugiat. Ita *Farin. in appen. de immun. c. 2. n. 55.* Quid si blanditijs, & verbis dolosis illectus exeat? Capi potest, ut docent *Suar. l. 3. c. 18. n. 2. & Bonac. de 3. q. 7. de immun. §. 2. ver. 6.* Quia tunc non exit violenter. Si veró judex promisit immunitatem punitionis, & sub hac promissione exit immunis erit a punitione, ac si in Ecclesia existeret, ut docent Navar c. 25. n. 22. & Azor p. 1. l. 9. c. 9. q. 11.

Dixi (invita Ecclesia) ut innuerem posse extrahi de licentia Ecclesiæ: quod in casibus exceptis manifestum est. Quid in casibus non exceptis? Potest ne prælatus dare facultatem judici, ut ab Ecclesia extrahat delinquentem? *Suar. l. 3. c. 13. n. 3. ex c. Id constituimus 17. q. 4.* affirmat posse prælatum concedere talem facultatẽ judici, accepto ab illo juramento de omni pœnarum securitate. At quidquid sit de jure communi, attenta constitutione Gregoriana, probabilius judicat *Palau disp. unica pun. 11. n. 5.* non posse prælatum judici tradere delinquentem invitum extra casus exceptos. Ut enim illum tradat in casibus non exceptis debet concurrere tam delinquentis quam Ecclesiæ consensus.

211 2 Effectus est, ne dum in Ecclesia reus existit, ad mortem aliamve pœnam damnetur, sed quandiu ibi manet, ab omni pœnarum genere sit securus. At juxta *c. Inter alia* reus nõ est impune dimittendus, sed puniendus non corporali, sed pecuniaria pœna, non per judicem secularem, sed per Ecclesiasticum, si reus nolit ab Ecclesia exire, vel sæculari judici consignari. Unde post casum sic judicatum, & pœnam illatam iterum judicari non potest.

Affirmant veró *Farinac. de carcer q. 28. n. 78.* ex *Claro lib. 5. pract. §. fin. q. 3.* nec dissentit *Palaus cit. n. 11.* consuetudine receptum esse, ut cum reus confugit ad Ecclesiam in casibus non exceptis, sæcularis judex eum inquirit, & citari facit, & si nõ comparet, tanquam in absentem proferat sententiam, quam tamen ob immunitatem, nequit mandare executioni. Vide *Alvarum Valasc. consult. 81* qui disputat, an qui confugit ad Ecclesiam possit in ea citari, ut se defendat a causa criminali. *Iudicium & sententia circa confugientem ad Ecclesiam.*

3 Effectus est, ne delinquens nectetur vinculis in Ecclesia. Ita *Tusch. V. Ecclesia conc. 10. n. 12. Suar. l. 3 c. 12. n. 2.* Quamvis autem *Clarus pract. §. fin. q. 30. & Farin. de carcer q. 28. n. 10.* dicant posse ligari, aut alia via custodiri, dum ab Ordinario examinatur causa, an immunitate gaudeat? rectius id negant *Suar. cit. c. 12. n. 2. & Fag. 1. quincal præc. 2. lib. 4. n. 55.* Quia reus in Ecclesia est extra territoriũ & jurisdictionem judicis sæcularis. Addit tamen Suar. n. 4. posse judicem sæcularem extra terminos sacros apponere custodes, ut si forte delinquens terminos sacros egrediatur, capi possit. *Ligatio delinquentis in ecclesia.*

212 4 Effectus est, ne subtrahantur, seu impediantur necessaria confugienti ad Ecclesiam, v.g. alimenta, vestitus. Nam hoc esset indirecté illum extrahere. Addunt *Decian. l. 6. c. 29. n. 3. Azor. 2. p. l. 9. c. 9. q. 13. & Farinac. in appen. de immun. cap. 19 n. 299.* ex *l. præsenti c. de his qui ad Eccl. conf.* quando delinquens ad sacrum locum confugiens, nõ habeat unde alí possit, neque de proprio, neque de consanguineis & amicis, ab Ecclesia alendum esse, sicut reliqui pauperes aluntur.

5 Effectus est, ne auferantur bona delinquẽtis, quæ ipse secum tulit in Ecclesiam, & nemini obesse possunt. Sumitur ex *c. definivit 17 q. 4.* Ita *Suar. cit. c. 12. n. 4. & Bonac. d. 3. q. 7. de immun. §. 5. vers. tertius esse* Dixi, bona delinquentis quia si aliorum sint, aut alijs obligata, poterunt a judice competenti auferri. Dixi (nemini obesse possunt) quia si apta fuerint ad nocendum alijs, qualia arma prohibita, ab illo tolli poterunt, ut occasio nocendi & peccandi tollatur.

213 6 Effectus est, ut si delinquens extrahatur ab Ecclesia extra casus exceptos, debeat ante omnia Ecclesiæ restitui. Habetur *c. Inter. 17. q. 4.* Unde bené asserunt *Marian. Ital. de immun. l. 1. c. 6. §. 2. n. 41. & Farinac. in appen. de immun. c. 2. n. 49.* talẽ *Restitutio delinquentis facta Ecclesiæ.*

extractum non esse detinendum ob alia crimina etiam si judex tribuat securitatem præstito juramento, neque esse detinendum, ut probetur deliquisse in criminibus exceptis. Semper enim pro Ecclesia spoliata procedit regula, *Spoliatus ante omnia est restituendus*. Dixi (Ecclesiæ restitui) quia opus non est restitui eidem materiali Ecclesiæ; cum sufficiat restitui eidem, vel alteri cuicunque Ecclesiæ, item Episcopo, vel ejus Vicario.

7 Effectus est, quod si delinquens extra casus exceptos, a judice laico extrahatur, nulla sit talis extractio, & consequenter nulli omnes actus judiciales circa delinquentem postea facti: deinde judex teneatur illi de omni damno ex tali extractione subsequuto. Ita ex constitut. Gregorij *Suar. l. 3. c. 13. n. 15. Farinac. de carcer. q. 28. n. 5. & Bonac. q. 7. de immun. §. 6. n. 1. &* 2. An oppositum habeat probabilitatem ex *S. Thom. 2. 2. q. 99. a. 2. ad* 3. videatur *Palaus de rever. loc. sacr. disp. un. pun. 11. n. 14.*

Resistentia facta per Ecclesiam. 8 Effectus est, ut tum a delinquente, tum ab Ecclesia proportionaliter resisti possit judici extrahenti delinquentem a loco sacro ultra casus permissos. Nam utrique fit injuria, & vim vi repellere licet. Dixi proportionaliter, quia delinquens potest resistere armis, & alia qualibet vi: Ecclesia primó armis spiritualibus percensures, secundò claudendo ostia. Nam illi regulariter nō licet resistere more castrorum, & bellantium: ne sequantur graviora mala, & scandala. Ita *Bobad. in pol. l. 2. c. 5. & Fagund. prac. Eccl. 2. l. 4. c. 4. n. 59.*

QUÆSTIO II.

Quam subeant pœnam qui a loco sacro indebitè extrahunt delinquentem?

Sacrilegi extractores. 214 CUM hujusmodi extractio gravissimū sacrilegium sit, & culpam læsæ majestatis contineat, tum quia Dei domum profanat, tum quia S. Pontificis jurisdictionem usurpat, æquum fuit ut juris civilis & canonici pœnis coërceretur. Nam jure civili *l. præsenti C. de his qui ad Eccles. confug.* capitali supplicio plectitur. Verùm hujusmodi pœna non videtur usu recepta, ut testantur *Decian l. 6. c. 18. n. 4. Suar. l. 3. cit. c. 13. n. 6. & Bonac. cit. q. 7. §. 6. n. 5.* Probant, quia juri canonico & non civili standum est, in hoc crimine judicādo & puniendo.

Pœna in extractores a loco sacro. Jure canonico (ut tradit *Host. in summa de immun. n. 14.*) dictus sacrilegus pœna pecuniaria triginta librarum examinati argenti, & quandoque nonagentorum solidorum puniri debent. Poterit tamen judicis arbitrio, attenta delicti qualitate, & delinquentis conditione minui ex *c. si quis contumax* 17. *q.* 4. Et quanvis *Decian. l. 6. c. 28. n. 4. &* alij dixerint hanc pœnam contrario usu abiitam esse meritó eos improbat Tusch. v. Ecclesia con. 8. n. 11.

Excōmunicatio contra extractores a loco sacro. Præter dictam pœnam, & publicam injungēdam pœnitentiam, *c. sicut antiquitus, c. frater, c. definivit. & alijs* 17. *q.* 4. prout illis adjuncta fuit constitutio Gregorij 14. extractor ille sacrilegus punitur excommunicatione ipso facto. Sic enim declaratum fuit a *Clem. 8. & Paulo 5. & Sacra Congregatione*, ut asserunt *Farin. in append. de immun. cap. 20. n. 313. Marcus Itali de immun. Eccl. l. 1. c. 6. §. 2. n. 29. & Bonac. d. 3. q. 7. de immun. §. 6. n. 5.*

215 Rogabis 1. an dictus sacrilegus incurrat illas pœnas effectu non secuto, sed solum attentato, scilicet quia fecit vim attentando extrahere, sed non extraxit? Respondeo affirmativè cum *Deciano trac. crim. l. 6. c. 27. n. 5. Farin. de carcer. q. 28. n. 4. & Menoch. de arbitr. casu* 350. *n.* 68. ubi enumerat plures, in quibus punitur conatus, effectu non sequuto. Semper tamen attentatio pervenire debet ad actum proximum extractionis, v.g. si dedisti mandatum, & mandatarius illud acceptavit: si tentasti Ecclesiam clausam reserare, & nequivisti.

Rogabis 2. quisnam a prædicta excommunicatione possit absolvere? *Farinacius in append. de immun. c. 20. n.* 315. existimat solum Pontificem posse absolvere, & id fuisse declaratum a sacra congregatione concilij anno 1617. mense Decemb. idem testatur. At probabilius judicant *M. Anton. Genvens. in sua pract. cap. 22. n. 3. & Bonac. disp. 3. q. 7. de immun. §. 6. n* 8. posse ordinarium, & de illius facultate confessarium quemlibet ab hac excommunicatione absolvere. Quia nullibi invenitur reservata Pontifici; ergo ex texto *in c. nuper, de senten. excom.* ordinario conceditur.

QUÆSTIO III.

Utrùm & quomodò confugientes ad Ecclesiam tradi debeant sæculari judici, ut puniantur?

Traditio confugientis ad Ecclesiam. TRadendos esse laicos confugientes ad Ecclesiam judici sæculari in casibus exceptis, quando a sæculari curia fuerint requisiti, certum omninó est, ut expressé cavetur a Gregorio 14. Dubium est, an in casibus non exceptis Prælatus debeat eos consignare prædicto judici, accepto priùs ab eo juramēto de securitate pœnæ corporalis? Affirmant *Azor p. 2. l. 9. c. 9. q. 10. & Suar. l. 3. c. 13. post. n. 3.* Sed videtur loqui attento *c. definivit* 17. *q.* 4. Nam attenta constitutione Gregorij 14. dicendum omninó est cum *Farinacio in appen. de immun. cap. ultr. n.* 344. nullo modo tradi posse. Quia juxta illam solum in casibus exceptis extractio permittitur, & in casibus non exceptis omninó negatur.

216 Quod attinet ad modum traditionis, traditio facienda est de mandato Episcopi, aut ejus officialis per aliquam Ecclesiasticam personam ab illo deputatam, omni appellatione remota, præcedente tamen cognitione facta per Episcopum, seu ab eo deputatum, an delinquens tradendus commiserit casum exceptum. Quod si occurrat casus in loco exempto, aut nullius diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem devolvitur talis cognitio, itaut illam habere nequeant, & traditionem facere prælati Episcopo inferiores.

Quid si Episcopus, & ejus officiales requisiti culpabiliter recusent tradere delinquentem? Tūc judices laici habita reverentia Ecclesiæ, & locis sacris, poterunt, minori quo fieri poterit scandalo & tumultu, extrahere delinquentem, & reponete

re in carcere Ecclesiastico, & nullo modo in laico, donec per Episcopum, vel ejus superiorem cognoscatur eum immunitate non gaudere. Ita ex constitutione Gregoriana *Farinac. Marc. Itali. Ambrosin. Bonacina*, quos citat & sequitur *Palaus disp. un. pun. 13. n. 4. qui n. 6.* rectè notat id procedere, quando judex laicus certus est quod casus sit exceptus: secus in dubio.

Cognitio de delictis. Qualiter autem debeat fieri per Episcopum dicta cognitio, rectè docent *Ambrosin. de immun. c. 11. n. 4. Marius Ital. c. 6. §. 1. n. 80. & Bonac. disp. 3. q. 7. de immun. §. 7. ad fin.* non sufficere ad ferendum judicium præsumptiones & probabiles conjecturas, sed requiri concludentem probationem. Ratio est quia delinquens habet jus ne extrahatur nisi in casibus exceptis, & Ecclesia habet jus illum tuendi; ergo dum non constat prælato casum esse exceptum, jus illud utriusque violat, delinquentem tradendo.

Processus laici judicis. 217 Rogabis 1. utrùm ad prædictam cognitionem teneatur Ecclesiasticus judex stare processui facto per laicum judicem? Respondeo negativè cum *Bonacina disp. 3. q. 7. de immun. §. 7. n. 3. & Farinac. l. 1. consil. concec. 76. a. n. 1.* Ratio est, quia acta instructoria unius judicij non probant in alio, nisi fiant inter easdem personas, in ijsdem causis, & ad eundem effectum *c. inter dilectos §. in omnibus, de fide instrum.* Judicium autem Ecclesiasticum de immunitate, respicit diversas personas, & in eis diversam causam. Illud notandum est, si laicus processus fuerit formatus ante quàm reus ad Ecclesiam confugiat, posse Episcopum sine suspicione latentis doli illum videre, & testes illos apud se examinare, ut reum laico judici remittat.

Rogabis 2. an in hujusmodi cognitione Episcopus debeat citare reum & Ecclesiam? Constat ex *l. de unoquoque ff. de re judicata* Ecclesiam esse citandam, vel ejus nomine promotorem fiscalem, cui competit jura Ecclesiæ defendere. Majus est dubium, an debeat citare reum? Negat *Remigius Gon. tract. de immun. Eccles. 2. quæst. n. 3.* Rectiùs affirmat *Farinac. consil. 168. a n. 48.* Nam semper ille citandus est, de cujus præjudicio directè agitur: & sic ille reus postulatus a judice laico. Addit *Farin. n. 61. & 62.* si delinquens sponte compareat nō citatus, & petat audiri, omninò audiendum esse, & interim posse se opponere sententiæ ordinarij declarantis immunitatem illi non competere.

218 Rogabis 3. qualiter Episcopus debeat procedere? Dico 1 nec requiritur libelli exhibitio, nec litis contestatio. Quia non agitur ad pœnam delicti, sed ad cognitionem qualitatis illius: item quia agitur nullo interveniente accusatore, sed ex officio: denique quia agitur summariè & extra juris ordinem: in quibus juxta *Menoch. de arbitr. q. 18.* nec libellus, nec litis cōstetatio exigitur. Dico 2. Episcopus debet concedere tam Ecclesiæ quàm confugienti ad illam dilationes, ut jura sua defendant. Hoc enim est de jure naturali. Dico 3. Factus processus debet publicari: ne Ecclesiæ & delinquenti tollatur defensio, & potestas allegandi in sui juris favorem. Vide *Farin. conf. 168. n. 64.*

SECTIO V.
De immunitate quoad reverentiam debitam Ecclesiasticis personis.

QUÆSTIO I.
Quonam jure clerici: & quinam clerici a potestate laica sint exempti?

Exemptio clericorū. CUM debeatur clericis immunitas, indemnitas, & securitas tum a qualibet injuriosa percussione, tum a qualibet jurisdictione, seu potestate laica, agemus de priori illa immunitate, quæ dicitur privilegium canonis tract. 48. modo hanc posteriorem, quæ spectat ad privilegium fori, aggredimur expediendam.

219 Circa primam quæstionis partem de jure quo clerici a laicorum potestate sunt exempti, imprimis fide tenendum est clericos a potestate laicali exemptos esse, ut habetur *cap. at si cle ici. c. cap. non ab homine & c. qualiter, de judic.* Difficultas est, quonam jure competat talis exemptio? Certè si loquamur de causis spiritualibus, nempe fide, sacrificium, sacramentum, divinum cultum, & salutem animarum respicientibus, consentiunt authores, *Farinac. lib. praxis tit. 1. q. 8. n. 2. Covar. pract. quæst. c. 31. n. 2. Molina to. 1. disp. 31. concl. 2. & Suar. de defen. fide l. 4. de immun. Eccles. c. 2.* clericos a jurisdictione laicorum jure divino exemptos esse. Probant ex eo quód Christus Petro, ejusque successoribus commendaverit suam Ecclesiam illis verbis *Pasce oves meas.*

Immunitas de jure Pontificio. Si loquamur de causis temporalibus, scilicet punitione criminum, solutione tributorum, & obligatione legum civilium, *Clarus pract. l. 5. §. fin. q. 35. Zened. collect. 37. Bellar. l. 1. de clericis c. 28. prop. 5.* & latiùs *to. 2. d. speciali in fine* dicunt clericos etiam in temporalibus esse jure divino exemptos ex illo *Nolite tangere Christos meos. Psalm. 104. & ex illo Matth. 17.* ubi Christus indicavit se & Petrum esse liberos a tributo Cæsaris.

Nihilominus probabilius est exemptionem clericorum in causis temporalibus, licét habeat fundamentum in jure divino, tamen a jure humano Pontificio immediaté emanere. Ita *Covar. pract. quæst. c. 31. n. 2. Molina de just. to. 1. disp. 31. concl. 3.* alij quos affert *Suar. l. 4. de immun. Eccl. c. 8. n. 2.* Probatur, nam si talis immunitas esset de jure divino, comprehenderet omnes clericos, ita ut nullus omninó sine illa daretur: nec illa per Pontificem privari posset sed de facto illam nō habent omnes clerici, ut patet in ijs qui minoribus ordinibus initiati sunt, & beneficium nō habent juxta *Triden. sess. 3. c. 6. de refor.* ergo non est de jure divino.

220 Cum veró exemptio clericorum fundetur Dei ordinatione, esto modus exemptionis Pontifici fuerit commissus, sequitur 1. nulla potestate regia, vel imperatoria exemptionem talē a Pon-

a Pontifice concessam tolli posse. Quia nulla potestas laica Pontificiæ valet prævalere. Sequitur 2. neque ipsum Pontificem posse illam integré abrogare, quamvis pro varietate temporum & occasionum illam restringere & ampliare possit. Ita *Farinac. l. 1. tit. de inquisit. quæst. 8. n. 4. & Suar. de immun. toto c. 30.*

Rogabis, an Summus Pontifex ita sit jure divino exemptus, ut Christus dominus illum immediaté exemerit ab omni temporali laicorum Principum potestate? Respondeo affirmativé cũ *Molin. disp. 31. concl. 4. & Suario in defens. fide l. 4. de immun. Eccl. c. 4. 5. 6. & 7.* Constat tum ex illo Matth. 17. ubi Petrum a solutione tributorum exemptum declaravit: tum ex suprema potestate, quam obtinet Pontifex in omnes temporales Principes ut illis imperet, prout id suæ Ecclesiæ necessarium judicaverit.

Fori privilegium in quibus clericis. Circa alteram quæstionis partem, qui veniant nomine clericorum, ut tali immunitate, seu fori privilegio gaudeant? Quamvis attento jure communi *c. 2. de foro compet.* omnis clericus, etiam sola prima tonsura initiatus gaudeat fori privilegio, tamen post *Trident sess. 23. c. 6. de reform.* non gaudeat clericus in minoribus constitutus nisi, beneficium Ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum, & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat, vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores suscipiendos versetur. Ratio ob quam Tridentinum postulavit hæc omnia in solo clerico minoris ordinis, est quia solus ille, & non clericus maioris ordinis potest clericatum deserere.

Beneficiũ quale ad privilegiũ fori. 221 Nomine beneficij requisiti ad prædictũ effectum intelligitur omne jus perpetuum percipiendi fructus, & si de facto non percipiantur. Unde ad hunc effectum sunt beneficia patrimonium in titulum, capellania collativa, & coadjutoria canonicatus, quam Pontifex assignavit. Vide *Garciam de benef. 1. p. c. 6. n. 37. Salzedo in pract. c. 61. & Barb. sum. de potest. Episc. 2. p. alleg. 12.*

Dubium est 1. an pensio ad dictum effectum veniat nomine beneficij? Negant *Garcia de benef. 1. p. c. 5. n. 70. Gonzal. reg. 8. cancellar. glos. 5. §. 5. n. 6. Flamin. de resign. l. 1. q. 11. n. 70.* Affirmandum tamen est cum *Barbosa de pot. Episcop. 2. p. alleg. 12. n. 8. Roterico to. 1. Sum. c. 155. n. 11. Salzedo in pract. c. 62. n. 10.* Ratio est quia pensio data in titulum appellari potest jus perpetuum percipiendi fructus, siquidé tota pensionarij vita durat.

Dubium est 2. an clericus ille debeat habere beneficij possessionem, vel sufficiat solus titulus? Sufficere titulum negant *Menochius cons. 150. n. 6. Tusch. lit. B. concl. 78. n. 8. Mascar. de probat. concl. 302. n. 16. & Clarus in §. fin. q. 36. n. 21.* Probant quia sine possessione non datur firmum jus. Affirmandum tamen est cum *Flamin. de resig. l. 7. q. 1. n. 47. Covarr. l. 3. Var. c. 16. Melleo in repert. ver. obtinere dicitur & Zenedo pract. & canon. quæst. l. 1. q. 4. n. 22.* Ratio est, quia ante ullam possessionem sola beneficij collatio iterum jus in beneficium confert, ita ut per illam quis beneficiatus appelletur.

222 Dubium est 3. an beneficiatus qui est constitutus in minoribus debeat habitũ & tonsuram deferre, ut fori privilegio gaudeat? Bené negant *Garcia de benef. p. 2. c. 2. n. 4. Gonzal. reg. 8. Cancell glos. 5. §. 5. & multos referens Barb. de potest. Episc. alleg. 12. n. 6.* Quia Trident. dicta sess. 23. cap. 6. unum e duobus postulat: ponit enim dictionem (aut) quæ disjunctiva est. Si veró clericus ille beneficio Ecclesiastico careat, debet ut fruatur fori privilegio habitum & tonsuram deferre, & de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ inservire, aut de ejus licentia in clericorum seminario, vel schola, aliquave universitate, quasi in via ad suscipiendum sacros ordines versari.

Pro quorum explicatione observandum est 1. debere utrunque conjungi, & habitum & tonsuram, itaut non sufficiat unum sine alio: quia requiruntur per vocem copulativam. Modus auté portandi, debet esse frequens & continuus, ita tamen ut si casu aliquo clericus induat vestes laicas, non amittat privilegium. Ita *Sanch. l. 7. d. 46. n. 8 & Suar. l. 4. c. 27. n. 12.* Observandum est 2. servitium illud de mandato Episcopi impendendum alicui Ecclesiæ, debere esse frequens, ita ut non sufficiat bis vel ter inservire: item de præsenti. Non enim sufficit servisse, si jam non serviat: item in spiritualibus, v. g. in exercitio sui ordinis. *Fori privilegiũ in clericis quid requirat.*

223 Observandum est 3. non omninó requiri quòd inserviat eidem Ecclesiæ ab Episcopo assignatæ, sed satis esse quód alteri inserviat. Sic enim declaratum fuisse a Sacra Congregatione, testatur *Barb in remiss. concil. vers. utrũm clericus.* Postulatur tamen Episcopi mandatum expressum, ita ut non sufficiat implicitum in susceptione ordinum. Ita *Menoch. de præsum. l. 6. q. 76. n. 41.* An veró sit omninó requisita licentia Episcopi ad studendum in aliqua Academia, itaut sine illa clericus deferens habitum & tonsuram non gaudeat tali privilegio? Affirmant communiter Iuristæ: nos verò negamus in nostra Academia n. 391.

Observandum est 4. clericum in minoribus constitutum, si sit conjugatus, ut gaudeat privilegio fori, debere ex præscripto Tridentini sess. 23. cap 6. servare decr. tum Bonifacij 8. in *c. 1. de cler. conjug. in 6* ubi statuit hos gaudere privilegio fori in criminalibus, dummodò servent has conditiones, scilicet clericalem habitum & tonsuram deferant, & alicujus Ecclesiæ ministerio sint ab Episcopo deputati, & insuper cum virgine contraxerint. Qualibet igitur ex his conditionibus deficiente, dicto privilegio carent. Vide explicationem harum conditionum apud *Sanch. de matr. lib. 7. q. 46. August. Barb. de pot. Episc. p. 2. all. 12. Suar. de immun. lib. 4. c. 28. & Palaum de immun. disput. un. punt. 2. n 9.* *Clericus conjugatus privilegiũ fori.*

224 Rogabis, utrũm quoad hunc effectum gaudendi privilegio fori veniant nomine clericorum aliqui, qui nullis ordinibus initiati sunt? Affirmativa resolutio, quam erudité varijs citatis authoribus explicat Palaus citatus n. 10. est omninò certa, juxta quam clericorum nomine veniunt *Fori privilegiũ in religiosis.*

niunt 1. religiosi tam viri quàm fœminæ, etiam conversi, vulgo decimus *leyges* & sunt qui in religione approbata emittunt professionem trium votorum. 2. novitij in religione approbata: quia in favorabilibus veniunt nomine religiosorum. 3. familiares religionis, vulgo *oblati* qui se & sua in servitium religionis transtulerunt. 4. Rectores xenodochiorum, quæ authoritate Episcopi sunt erecta.

Religiosi ad privilegium fori.

5 Fratres tertij ordinis S. Francisci in communitate viventes: secus si habitent privatim in domibus proprijs: quanvis hos etiam gaudere, multis citatis defendant *Tuschus lit. E concl. 470. & Emanuel. Roter to. 2. quæst. l. reg. q. 65. a. 4.* 6. Milites ordinis Christi, S. Joannis, S. Jacobi, S. Benedicti, & similium ordinum. 7. Eremitæ si vivant in communitate religionis approbatæ: secus si extra illam suo nullius obedientia. 8. pœnitentes, si forèt in usu: sed jam in usu non sunt solemnes pœnitētiæ nisi illæ, quas delinquentibus S. Inquisitio injungit. 9. famuli Episcoporum, qui propriè famuli & servi sint, non mercede conducti. Vide *Farinac. in p axi q. 8. n. 46.* Volunt aliqui a clericis conjugatis illud extendere ad uxores. Sed oppositū tenendū est, juxta *Sanch. l. 7. Matr. disp. 47. n. 3. & 4.*

QUÆSTIO II.

Quænam supersint expedienda difficultates circà prædicta de privilegio fori?

Habitus reassumptio ad privilegium.

225 1 Difficultas est, an clericus constitutus in minoribus sive solutus, sive conjugatus, habitum clericalem dimittens, si postea reassumat, gaudeat fori privilegio? Negant *Arend an. de exequen. mand. Regum l. 1. cap. 22. num. 15.* Afflict. l. 1. constit. Rub. 3. n. 12. & juxta Ioan. Andr. *c. Ioannes, de cleric. conjugatis* q. 4. n. 19. Doctores paduæ communiter consentiunt. Affirmandū tamen est cum *Petro Barb. l. filia 35. n. 33. ff. solut. matr. Sanch. l. 7. Matr. d. 46. n. 19. & Suar. l. 4. de immun. c. 27. n. 18.* Ratio est quia ille dimittens habitum non deliquit, ut in pœnam fieret inhabilis ad privilegium: deinde per illam dimissionem non renunciavit privilegio: imo si vellet renunciare, non posset; ergo gaudebit, si reassumat habitum.

2 Difficultas est, an dicti clerici non deferentes habitum longo tempore, ob cujus causam privilegio censentur privari, si interim committant delictum & illo commisso, reassumant habitum, gaudeant privilegio in tali delicto? Videtur negare *Sanch l. 7. Matr. d. 46. n. 4. & 10.* Affirmandum tamen est cum *Suario de defens. fidei lib. 4. de immun. c. 15. n. 16. Covar. pract. quæst. c. 31 n. 7. & Barb. de pot. Ep. sc. p. alleg. 12. n. 28.* Ratio est quia illis clericis deferentibus habitum conceditur privilegium, quin fiat limitatio ut habitum deferant tempore delicti.

226 Quid si post dimissionem habitus, tempore quo illo carent, a judice laico capiantur, vel citentur, & post captionem vel citationem reassumant habitum? Carere privilegio bené resolvunt *Barb. cit. all. 12. n. 29. & Farinac. in praxi q. 8. n. 66. & 110.* Nam commune inter authores est ut cesset clericale privilegium; quoties in fraudem sæcularis jurisdictionis fit assumptio clericatus, beneficij, habitus & tonsuræ: & tunc præsumitur illa assumptio facta in fraudem, quasi facta tanquam medium vitandæ illius jurisdictionis, & se tuendi dicto privilegio, non veró animo perseveranti in tali habitu.

Clericatus assumptus in fraudem.

Observat *Farinac. l. 1. tit. de Inquisit. q. 8. n. 107.* statum clericalem assumptum in fraudem, relinquere clericum in delictis antea commissis subditum jurisdictioni sæculari quoad judicium delicti, & punitionem pecuniariam, seu in bonis delinquentis, non veró quoad judicium personæ, seu punitionem illius. Quia hæc punitio indecens foret, non illa.

Negotiatio clericorum.

227 3 Difficultas est, an clerici negotiationi & mercaturæ se immiscentes fruantur clericali illo privilegio? Si loquamur de clericis conjugatis, probabilius est frui, imó nec per sententiam posse privari fori privilegio, si non committant excessum. Quia ab eorum statu aliena non est decens quædam & moderata negotiatio. Ita *Barb. cit. p. 2. all. 12. n. 30, Sanch. de matr. lib. 7. d. 46. n. 26. & Suar. lib. 4. de immun. cap. 28. n. 9.*

Si loquamur de clericis non conjugatis, quibus negotiatio est prohibita *c. fin. de vita & honest. cler.* utpote cedens in status clericalis opprobrium, ac proinde non debeant frui privilegio illius status, quem offendunt, ut bené multis relatis affirmant *Sanch. citatus n. 25.* tamen quia non constat de pœna privationis ipso facto, eam nō subibunt, ut notat *Suar. n. 20.* nisi per sententiam.

Arma portata à clerico.

4 Difficultas est, an clerici in minoribus priventur clericali privilegio, si portent arma? Affirmant *Clarus lib. 5. praxis § fin. q. 36. n. 11. & Sanch. l. 7. Matr. d. 46. n. 26.* fine quibus videtur subscribere *Suar. de immun. l. 4. c. 28. n. 5.* Quasi delatio armorum faciat ne clericus appareat ille, qui clericus est.

Videtur negare *Azor p. 1. lib. 3. cap. ult. q. fin.* ubi ait delationem armorum non repugnare huic privilegio, si aliás habitus clericalis retineatur. Hæc sententia mihi placet, præcipué quia videtur interpretari, & ad se trahere priores authores, ut nempe velint talem clericum privilegio carere; quando per delationem armorum potiús sæcularem quàm clericalem habitum videtur deferre. Quia tunc deficit habitus, conditio requisita.

Iudex qui circa privilegium fori.

228 5 Difficultas est, quis sit legitimus judex pro decidendo dubio, an fori privilegio gaudeat clericus? Adverte aliud esse dubium facti, aliud dubiū juris. Dubium facti est circa factū an quis habeat qualitates postulatas, v. g. clericatum, beneficium, habitum, tonsuram. Dubium juris est circa jus, v. g. quando dubitatur, an pensionarius veniat nomine beneficiati, ut fori privilegio gaudeat. Certum omninò est, ex *cap. qui filij sint legitimi, & cap. tuam. de ordine cogn.* quando est dubium juris, pertinere illius decisionem ad judicem Ecclesiasticum. Quia tunc tota causa Ecclesiastica & spiritualis est.

Circa dubium facti, affirmant *Guido Papa decis.*

138.*& conf.110.n.2.Ioan. Gallus q.38. & Clarus q.* 36.illius cognitionem spectare ad judicem sæcularem, quasi sit de re temporali & contingenti. Ex parte videntur consentire *Scaccia de judicijs lib. 1.c. 11.n.89.& Farinac.q.8.n.34.* prout asserunt posse sæcularem judicem de clericatu delinquentis cognoscere, non ut declaret illum gaudere vel non gaudere privilegio, sed ut judici Ecclesiastico remittat, si facta summaria informatione clericum esse deprehenderit.

Nihilominus tenendum est cum *Covarr.cap. 33.n.1.Steph.Gratiano discep. forem. cap.190.a n. 13. & Barb.de pot.Ep.p.2.all.12.n.33 ex c.si judex laicus, de sentent excommun.in 6.& cap. 1 de clericis conjug. in 6.* totam illam cognitionem judici Ecclesiastico competere. Quia licet quæstio seu dubium sit de facto, est tamen de quodam facto spirituali, scilicet ordinis. Notat bene *Barb.n.34.ex cit.cap.* ut judex Ecclesiasticus habeat hujusmodi cognitionem, debere citare sæcularem judicem, & ejus fiscalem, utpote quorum interest.

QUÆSTIO III.

In quibus causis Ecclesiasticæ personæ gaudeant fori privilegio?

229 LOquimur de omnibus clericis tam solutis quàm conjugatis, & de personis omnibus, quæ ad hunc effectum veniunt nomine clericorum, quas numeravimus supra n. 220. Certum est 1. omnes clericos solutos, qui conditiones a Tridentino præscriptas servant, gaudere privilegio fori tam in civilibus quàm in criminalibus: item exemptione a tributis.

Clerici conjugati ad privilegia. Certum est 2. clericos conjugatos qui servant conditiones ab eodem concilio signatas gaudere tantum privilegio canonis & fori, in cæteris autẽ reputari laicos, pro indeque manere obnoxios gabellis, exactionibus, impositionibus, alijsque publicis muneribus. Vide *Azor lib.13.c.ult.q.fin Sanch.lib. 7.Matr.d.46.n.16.Lamberton.de jure patron.l. 2. p.1. q.7.a 1.n.4.& Flamin de resig.l.4.q.2.n.100.*

Difficultas est, an clerici conjugati gaudeant fori privilegio tam in criminalibus, quàm in civilibus? Affirmant *Lapus. Franceus, & Angelus* apud *Farinacium in praxi q.8.n.37.* Fundantur in *cap.unico, de clericis conjug in 6.* ubi dicitur eos a judice laico nec civiliter nec criminaliter posse judicari.

Dicendum tamen est cum *Covarr pract.quæst.c. 31.n.6.Farinac. tit.de inquisit. q.8.n.7.Sanch.l.7. Matr.d.46.n.21.& Barb.de pot. Episc.p.2 all.12.n.25.* illos solum esse exemptos in causis criminalibus, & non in civilibus. Illud ex *c.unico*, quo nituntur adversarij, ita intelligendum est, ut in delictis, seu causis criminalibus nec civiliter procedatur contra illos coram judice sæculari: secus in civilibus.

230 Rogabis, an in causis civilibus possit judex sæcularis pro sententiæ executione clericum conjugatum capere, incarcerare, & pœnis impositis, ut sententiæ obediat compellere? Negant *Farinac in praxi q. 8.n.7. Zeballos pract. quæst.593.n. unico,* & alij apud *Sanchez cit.disp.46.n.23.* Quasi id sit in criminalibus procedere, & punire.

Affirmandum tamen est cum *Sanch.citato Gutier.de juram.1.p.c.17.n.12.Covarr pract. c.p.31.n.7. & Montalvo l.25.post.princ.tit.9 part.1.* Ratio est, quia judex sæcularis in illa compulsione non usurpat jurisdictionem indebitam, sed utitur propria, nempe adhibens necessarium medium, ut causa civilis obtineat consummationem. *Judex sæcularis erga clericos conjugatos.*

QUÆSTIO IIII.

Qualis sit exemptio clericorum in causis criminalibus?

CUM dixerimus generaliter omnes clericos, etiam in minoribus constitutos, & conjugatos, qui Tridentini conditiones servant, esse a jurisdictione laica exemptos in causis criminalibus, quærimus modò an aliquæ criminales causæ excipiantur a generali regula? Nam possunt venire in consideratione scelera gravissima, qualia conspiratio in Episcopum, perjurium, homicidium, falsa moneta, crimen læsæ majestatis, & similia. *Crimina gravissima in clericum.*

231 Nihilominus asserendum est cum *Scaccia de judic.lib.1.cap.11.n.58.Suar.l.4.de immun.c.11. a n.9.& Covarr.pract.quæst.c.31.n.2.* excepto crimine assasinij nullum clericum in sacris, & in minoribus beneficiatum, vel habitum clericalem & tonsuram deferentem, servatis alijs Tridentini conditionibus, posse pro aliquo crimine etiam atrocissimo judicari & puniri per judicem laicũ, nisi prius a judice Ecclesiastico fuerit illi remissus. Sumitur a *cap.cum non ab homine, de jud c.* Unde rectè cum multis probat *Frag.p.1.l.2.Episc.4.n. 347.* non posse clericum falsò testificantem coram judice laico ab eo puniri, sed remittendum esse ad judicem Ecclesiasticum. *Punitio clerici per laicum.*

Dixi (excepto crimine assasinij) nam hoc excipitur ex *cap. 1. de homicidio in 6.* Est enim assasinus a toto populo diffidatus, & jam morti traditus. Debet tamen declarari talis per judicem Ecclesiasticum. Nec expectatur incorrigibilitas, sed eo ipso quo clericus declaratur assasinus, manet jurisditionis sæcularis, ut cum varijs tradit *Farinac.de inquisit.q.8.n.84.* Solent quatuor alia crimina excipi, nempe hæresis, crimen falsi in litteris Apostolicis, conspiratio in Episcopum, & delictum enorme bis aut ter repetitum. Sed in his omnibus, spectato jure, cernitur incorrigibilitas. *Assasinus clericus.*

Cum igitur ob nullum crimen, excepto assasinio, tradendus sit clericus judici sæculari, nisi fuerit incorrigibilis, dubium est 1. quando talis clericus censeatur incorrigibilis? Respondeo juxta *cap. cum non ab homine, de judic.* censeri incorrigibilem, si moneatur ter. 1. sub depositione. 2. sub excommunicatione. 3. sub anathemate. At ex consuetudine sufficit, si ter moneatur sub excommunicatione, & adhuc contumax perseveret. Inter excommunicationem maiorem, & anathema solũ intervenit discrimen accidentale, nempe quod anathema soleat denunciari verbis quibusdam terrorem incutientibus. Vide nostrum Elucidarium n.1732. *Incorrigibilitas clerici.*

232 Dubium est 2. sufficiat ne declaratio incorrigibilitatis, an requiratur depositio & degradatio *Degradatio.*

datio clerici delinquentis, ut subdatur laico judici puniendus Si servetur forma *cap. cum non ab homine, de judicijs*, dicunt authores communiter sufficere declarationem. At rectiùs *Farinac. q. 8. n. 58.* distinguens, id solum admittit in clericis minoribus: secùs in ijs qui sunt in sacris: semper enim hi antequàm puniendi tradantur judici sæculari, degradari solent, nisi atrocitas criminis, vel celeritas punitionis aliud postulet.

Monitio. Dubium est 3. qualis esse debeat monitio, ut censeri possit incorrigibilis? Respondeo cum *Covarr. pract. quæst. c. 31. n. 1. & Farinac. cit. q. 8. n. 6.* debere clericum illum ter moneri personaliter, itaut nō sufficiat generalis monitio: item esse interpolandam monitionem aliquorum dierum spatio, nisi in synodo facta fuerit.

Clerici reconventio coram laico. Ex dictis satis constat judicem laicum nullam habere jurisdictionem directam in clericum delinquentem, ante quàm per Ecclesiam denudetur clericali privilegio. Circa jurisdictionem indirectam, si quam habet, supersunt nō nullæ difficultates expediendæ. 1. difficultas est, an clericus qui accusavit coram judice laico calumniosè aliquem laicum de delicto, possit coram eodem judice de calumnia reconveniri? Respondeo cum *Covarr. pract quæst. cap. 18. Claro pract. q. 38. & Farinacio cit. q. 8. n. 26.* posse judicem illum laicum admittere reconventionem pro defendendo innocente, declinanda calumnia, & repellendo calumniatore: quia aliter veritatem nequibit explorare: at non posse illam admittere ad puniendum clericum, etiam in pecunia. Hæc resolutio non dissonat a jure *Lusitano lib. 2. ord. tit. 1. §. juxta Fragos. p. 1. l. 2. disp. 4. n. 350.*

Clericus quando subdendus judici laico. 233 2. Difficultas est, a quonam judice, laico an Ecclesiastico puniendi sunt clericus & laicus, quando uterque commisit unum & idem delictum? Constat tunc non posse clericum a judice laico puniri. Solum est dubium, an laicus sit tunc puniendus a judice Ecclesiastico, per quem clericus puniri debet? Affirmant graves authores apud *Bosium tit. de foro compet. n. 116. Menoch. de arbitr. lib. 2. caso 371. n. 13. & Scaccian de judic. l. 1. c. 11. n. 24.* Ratio est quia in causa una & individua, quale est unum & individuum delictum, oportet unicum esse judicem; sed non erit laicus, ut constat; ergo erit Ecclesiasticus.

Dicendum tamen est cum *Covar. cit. c. 34. n. 1. Antonio Gomez. epu. delict. c. 10. n. 6. Savill. consf. 232. l. 2. & Farinac. l. 1. tit. 1. de inquisit. q. 8. n. 151.* in dicto eventu laicum esse puniendum a judice laico, & clericum a judice Ecclesiastico. Ratio est, quia licét illud delictum veluti physicé & materialiter unicum sit, at moraliter dividuum & multiplex est pro ratione personarum; ergo pro ratione suæ multiplicitatis & dividuitatis quilibet delinquens subdetur suo competenti judici. Hæc resolutio est conformis juri Lusitano ad *Ordin. lib. 2. tit. 1. § 24. &* illam eruditè prosequitur *Fragos. p. 1. regim. lib. 2. disp. 4. § 4. mem. 6.*

3 Difficultas est an possit recurri ad judicem laicum pro punitione clerici delinquentis, quando judex Ecclesiasticus in puniendo negligens est? Videtur affirmandum, desumpto argumento a *cap. licet ex suscepto, de foro comp.* juxta quod negligentibus judicibus laicis, recurritur ad Ecclesiasticos, nempe Episcopum & Pontificem. Negativa tamen resolutio omninò certa est. Nam est disparitas quòd laici possint recurrere ad judicem Ecclesiasticum, non & contra Ecclesiastici ad judicem laicum: quia jurisdictio Ecclesiastica non subijcitur laicæ, sed hæc potiùs Ecclesiasticæ.

234 4 Difficultas est, utrùm aliquando clericus, a judice laico capi, & incarcerari possit? Certa omninó est resolutio negativa, si laicus judex procedat per se ex propria authoritate. Nam captio & incarceratio est actus jurisdictionis, quam in clericum nullus laicus potest exercere. At, si procedat authoritate Ecclesiæ expressa, aut præsumpta, sunt aliqui casus, in quibus id licitum est, & numerantur a *Palao de rever. debita Eccles. disp. un. pun. 6. n. 14.* Primus est, si de mandato judicis Ecclesiastici capiatur. 2. si laicus statim post delictum capiat clericum ad effectum, ut illum præsentet Ecclesiastico judici. 3. si capiat pro solutione debiti civilis, ut illum suo judici remittat. 4. capi potest, si alia via impediri nequeat delictum in damnum tertij committendum. 5. si fuerit inventus in flagranti delicto, ut judici proprio tradatur. 6. quando clericus est privilegio clericali denudatus, & sæculari foro remissus. *Clerici captio & carceratio per laicum.*

Sunt tamen in prædictis casibus observandæ nonnullæ conditiones, ut licité fiat captio clerici per laicum ex præsumpta facultate Ecclesiastici prælati. 1. est ut clerici delictum vel civile debitum sit notorium. 2. ut clericus sit suspectus de fuga. 3. ut prælatus Ecclesiasticus consuli nō possit. 4. ut non retineatur ultra tempus præcisum, & omninó necessarium. Deinde si retinendus sit pro debito civili, ut non sit impotens ad solvendum. Videatur *Palaus* proximé citatus. *Tortura clericorū.*

335. 5 Difficultas, an clerici, vel monachi possint de mandato Episcopi, vel superioris regularis torqueri per laicū? Negant *Gigas in tract. de crim. læsa majest. lib. 2. quæst. 28. n. 6. & Carrer. in pract. tract. 2. de tortura n. 29.* quibus accedit Si[illegible] Scacc. in tract. de judic. caus. civil. & hæret. lib. 1. cap. 10. ubi excipit duos casus, alterum, quando clericus sit assassinus, alterum, quando minister laicus non torqueret clericum, sed tantum ligaret ad torturam. Addit *Simanch. tit. 65. n. 47.* si clerici non inveniantur qui sciant, aut velint torquere.

Quid de monacho? Bené affirmant *Aldrete l. 1. cap. 17. n. 20. & Rotericus de qq. regul. quæst 19. a. 8. to. 2.* monachum non debere torqueri more laicorum, itaut torqueatur in equuleo & manibus post terga revinctis sursum, deorsumve extendatur: sed esse torquendum modo servari solito in sua religione per religiosum ministrum. Vide *Fragosum p. 1. l. 5. disp. 12. n. 82.* *Monachi tortura.*

✠

QUÆSTIO V.

Qualis sit exemptio clericorum in causis civilibus?

Exemptio clericorũ in civilibus.

CErtissimum omninó est, & satis expressum in jure canonico *cap. placuit 11. q. 1. cap. si deli gentes, & cap. Seculares de foro compet. & cap. si judex laicus de senten. excom. in 6.* omnes clericos solutos tam in sacris quám in minoribus constitutos, si servent præscriptas a Tridentino conditiones, esse exemptos a laicali jurisdictione in causis civilibus. Consistit autem hujusmodi exemptio in eo quód nullus clericus ad laicum judicium trahi possit, non verò in eo quód clericus laicum ad judicium Ecclesiasticum possit trahere. Habetur *cap. experientia. & cap. si quis quæst. 11. q. 1.* propter illud ab omnibus receptum principium, *Actorē sequi* debere forum rei, ne reus cogatur subire duplex malum, nempe provocationem, & alienũ, seu extraneum judicium.

236 Ab hac generali regula excipiunt 1. nonnulli, quos referunt *Farinac. tit. de inquisit. q. 8. n. 21. & Tiraq. de retract. lignag. §. 31. gloss. 1. n. 81.* ut clericus trahi possit ad tribunal laicum, si causa agatur, non personali actione contra illum, sed reali contra ejus bona: quasi tunc non clericus, sed bona illius trahantur. Hoc tamen bené reprobant *Scacc a de judicijs cap. 11. n. 30. & Suar. lib. 4. de immun. cap. 14. n. 11.* Quia non solum persona clerici, sed etiam ejus bona exempta sunt. *cap. quamquam. de censibus in 6.*

Feudatarius clericus.

Excipiunt 2. Clarus §. *feudum.* q. 90. & *Menoch. de retinen. possess. rem. 3. n. 396.* causam feudalem, in qua sive causa agatur de proprietate, sive de possessione feudi, clericus debet conveniri coram domino feudi, etiam laico. Hæc exceptio vera est: notant verò *Farinac. tit. q. 8. n. 22. & Villalob. in commun. opin. v. clericus n. 74.* si causa agatur de reparatione feudi, aut satisfactione domino feudi præstanda, tunc clericum feudatarium coram suo Ecclesiastico judice conveniendum esse.

Excipiunt 3. *Ioan. Andreas in cap. ult. de judic,* & alij quando causa possessoria est: quia tunc omninó temporalis est, & jurisdictioni temporali subjecta. Hæc tàmen exceptio meritó improbatur a *Covarr. pract. quæst. cap. 35. n. 1. & Menochio de recup. possess. rem. 15. n. 223.* Quia licet illa causa sit temporalis, spectat ad clericum exemptum in sua persona & suis bonis.

237 Excipiunt 4. & bené *Gutierr. l. 1. pract. q. 10. n. 1 & Suar. l. 4. de immun. cap. 14. n. 13.* si causa sit de bonis regalibus: nam hæc semper censentur data sub ea conditione, ut illorum controversia decidatur coram sæculari judice, etiam si possideantur a clericis. Idem procedit, si possessio aliqua relinquatur Ecclesiæ, vel clericis sub ea conditione, ut coram laico judice illius causæ decidantur.

Bona regalia in clerico.

Excipiunt 5. & bené *Balaus in l. testamenta C. de testam. & Farinac cit. q. 8. n. 87.* si clericus citetur ad com parendum coram judice sæculari, non absoluté, sed si sua putaverit interesse. Si enim hac citatione facta compareat, & nullam opponat declinatoriam, tenebitur stare judicio sæculari, & ejus sententiæ. Quia tunc non reus necessarius, sed actor voluntarius censetur.

Excipiunt 6. aliqui, ut coram sæculari judice clericus possit conveniri, si conveniatur nomine alterius, qui laicus sit, v. g. si hæres sit alicujus laici, & ratione acceptæ hæreditatis conveniatur. Hic tamen casus (ut bene tradunt *Scaccia lib. 1. de judic. cap. 11. n. 23. & Farin. q. 8. n. 46. ampliat. 17.*) solum admittitur, quando lis contestata fuerit cum persona defuncta, coram judice laico: secús quando contestata non fuit. Quia per litis contestationem firmata fuit in judice laico jurisdictio in talem causam, non secus. Vide *Frago. am p. 1. lib. 2. disp. 4. n. 356.* ubi agit erudite quid dicendum sit in hoc puncto tam de jure communi, quam Hispano,

Hæres clericus ad forũ.

238 Denique excipiunt aliqui, ut possit clericus conveniri coram sæculari judice, si conventus coram judice Ecclesiastico, hic in decidenda causa fuerit negligens. Ita deciditur a Iustiniano *in Authen. de sanctiss. Episc. collat. 9.* Verùm hanc exceptionem merito improbant *Azor to. 3. lib. 5. c. 14. q. 2. Farinac. q. 7. n. 46. & Suar. lib. 4. de immun. c. 14. n. 20.* Tum quia inferior potestas nequit supplere superiorem: tum quia *cap. qualiter. de judicijs* juxta *Gloss. & Panorm. ibi* vetatur omninó recursus ad judicem sæcularem, etiam Ecclesiastico negligente. Unde lex civilis citata, & quæcunque aliæ similes nullam vim habent, utpote Ecclesiasticæ immunitati repugnantes.

QUÆSTIO VI.

Qualis sit exemptio clericorum a legibus civilibus?

EX ijs quæ tradidimus priori parte tract. 4. sect. 4. satis constant duo, alterum clericos non teneri legibus civilibus sibi directe impositis, sed teneri tanquam cives & partes rei publicæ illis legibus, quæ toti reipublicæ imponuntur, & statui clericali non repugnant, & tunc quoad vim directivam, non coactivam: alterum, eas civiles leges non repugnare statui Ecclesiastico, quæ conveniunt rectæ administrationi totius reipublicæ, quales sunt, quæ mercibus imponunt pretium, quæ prohibent arma deferre, quæ præscribunt solemnitates contractibus.

Leges civiles que servanda a clericis.

239 Modò solum expediemus nonnullas difficultates circa peculiares leges Galliæ, Castellæ, & Lusitaniæ, quæ versantur circa Ecclesiasticos, an & quomodò illos comprehendant. 1. difficultas est, an lex civilis, quæ statuit ne bona immobilia vendantur exteris, ne mulier filios habens possit contrahere cum externis, atque ne possit testamentó relinquere cum detrimento legitimæ portionis, & similes obligent clericos? Negat *Azor tom. 1. lib. 5. cap. 12. q. 5.* Quia tales leges civiles non constituunt materiam in jure naturali.

Affirmandum tamen est cum *Felino cap. Ecclesia S. Mariæ n. 88. & Suarez lib. 4. de immun. cap. 10. n. 13.* Quia dictæ leges competunt utilitati totius reipublicæ & statum Ecclesiasticum non dedecent. Unde idē credo asserendum esse de statutis, quæ

quæ modum præſcribunt ædificandis domibus, parandis liminibus, vijs mundandis, aperiendis feneſtris, ornandis plateis, & ſimilibus.

Statuta laica cōtra Eccleſiaſticos.

2 Difficultas eſt, an laicum ſtatutum modum funeribus præſcribens, ne fiant immoderati ſumptus in cera, pompa & ſimilibus, obliget clericos? Negant *Azor p.2.lib 9.c.11.n.6.& Tabiena v. Excōmunicatio caſu 20.* Probant *ex cap.ultimo.de rebus Eccleſ.non alien.* ubi annullantur laicorum ſtatuta diſponentia de mortuarijs. Affirmandum tamen eſt cum *Tiraquel. de legib.connub.gloſ. 8.q. 17.n.169. & Suar.de leg.lib.4.cap.13.* Probatur, nam hujuſmodi ſtatutum eſt in bonum commune omnium, & æquè laicis & clericis utile.

240 Quid ſi ſtatutum eſſet, ne ad funus vocarentur religioſi, niſi priùs vocatis clericis omnibus parochiæ? Rectè *Azor p. 2.lib.9.c.11.n.6.* affirmat invalidum fore tale ſtatutum, etiam ſi fieret a clericis; tum quia limitaret liberas electiones morientium, tum quia derogaret juri, quod habent religioſi, ne impediantur ab aſſiſtentia funerum.

Clericorū exemptio a laicis.

Quid de revocatione ſtatuti facti a laicis, ut clericis talis parochiæ dentur quotannis certæ eleemoſynæ? *Azor p.1.l.5.c.13.q.5.* exiſtimat non poſſe revocari: quia privilegium alicui conceſſū, & ab eo acceptatum tranſit in jus. Et ideo nos in noſtra *Academia n. 284.* reſoluimus tanquam probabilius non poſſe Principem ſæcularem revocare privilegia Eccleſiaſticis conceſſa, & ab ijſdem acceptata.

Nihilominus exiſtimo cum *Palao de immun. diſp.un.pun.8.n.6.* poſſe revocari. Nam legiſlator poteſt revocare ſuum ſtatutum, quando ex illo non fuit alicui jus quæſitum: clerici autem illi nunquam habuerunt jus ad illas eleemoſynas: ſecus eſſet, ſi non ex ſtatuto, ſed ex donatione facta clericis naſcerentur.

3 Difficultas eſt, an vim obligandi habeat lex prohibens ne clerici privilegijs conceſſis alijs civibus potiantur? Certè ſi privilegia ſint communia, quæ nempe clericis qua civilibus poſſunt competere, lex illa nequaquam ſuſtinenda eſt, quia præſumitur facta in odium immunitatis Eccleſiaſticæ, utpote privans digniores favoribus. Sumitur ex *c.ult.de immun. Eccleſ.in 6.* quod multis locupletat *Suar.lib.4.cit.cap.22.a n. 16.* Unde repugnaret prædictæ immunitati ſtatutum prohibens laicis ne vendant clericis, aut ab illis emant, quæ inter laicos emuntur & venduntur: item ne triticum clericorū molant, aut coquant.

Leges Caſtellæ contra clericos.

241 4 Difficultas eſt, an repugnet immunitati Eccleſiaſticæ ſtatutum privans clericos beneficijs, officijs, & poſſeſſionibus a Rege conceſſis, ſi juriſdictionem ſæcularem declinaverint: quales ſunt leges Caſtellæ *lib.3. & 4.tit.4.lib.1.*? Videntur manifeſtè repugnare, tum quia intendunt clericos juriſdictioni laicæ ſubjicere, tum quia nō ſubjectos ut delinquentes puniunt.

Negandum tamen eſt repugnare, & dicendū cum *Gutierr.pract.quæſt.lib.1.q.9.& 10.* tales leges validas & juſtas eſſe. Subſcribit *Palaus diſp. un. de immun.punct.8.n.8.* Probat, quia Rex Caſtellæ per illas leges non intendit clericos quà tales judicio laico ſubjicere, ſed quando non quà clerici, ſed quà cives ſunt ſubjecti ratione alicujus laici muneris, ne malitioſè illud declinent: & tunc nō punit declinantes privatione officiorum, & poſſeſſionum: ſed privatio illa datur, quia Rex donavit ſub illa conditione, ne illi malitioſè laicam juriſdictionem declinarent.

5 Difficultas eſt, an ſint validæ leges Caſtellæ, quibus cavetur, ne beneficia Eccleſiaſtica regni Caſtellæ exteris conferantur, neve ex illis beneficijs penſiones ſolvantur, neve literæ Apoſtolicæ juri patronatus laicorum derogantes admittantur, quouſque S.Pontifex de re plenè inſtructus diſponat? *Azor p.1.lib.5.cap.14.q.3.* acriter negat eſſe validas. *Covarr. pract. quæſt. cap.35. & 36.* multis comprobat eſſe validas.

Ego ſubſcribo Palao citato n.9. aſſerenti ſolū potuiſſe eſſe validas tales leges, ſi illorum diſpoſitio (ut credendum eſt) ex authoritate accepta a Romano Pontifice dimanavit. Princeps enim laicus non potuit diſponere in materia omninò Eccleſiaſtica & ſpirituali, qualis eſt materia beneficiorum.

242 Ex eadem ratione, nempe facultate & privilegio Summi Pontificis credit idem author n.10. poſſe Regis conſiliarios examinare litteras Apoſtolicas, & illarum impedire executionem, quouſque illis conſtet legitimas eſſe, & nullum jus regium illis derogari. Item eodem titulo honeſtari morem Caſtellæ, Galliæ, & Flandriæ, in quibus per leges cavetur nullum Nuncium poſſe ſua juriſdictione uti, quouſque litteras ſuæ legationis exhibeat regio tribunali, ut ei de tali juriſdictione & poteſtate conſtare poſſit. *Examinatio litterarum Apoſtolicarū per laicos.*

6 Difficultas eſt, an ſit valida & juſta lex Luſitana *lib 2.ordin.tit.1.§.20.* ſtatuens conveniendos eſſe clericos coram judice laico pro pœna pecuniaria & damno illato ab animalibus ipſorum, item pro ſalario & ſervitio famulorum? Ibi, *Item nos feitos de coimas que pertencem a almotaçaria, os clerigos & peſſoas Eccleſiaſticas podem & devem ſer citados perante os almotaçes, & ahi demandados no que toca a pena civil.* Huic ſimilis eſt lex Caſtellana *l. 1.tit. 13.l.12.* Videtur negandum. Quia contra dictas leges ſtat jus commune tam canonicum *cap. at ſi clerici de judic.cap.ſi diligenti, de foro compet*, quam civile *Authent.ſtatuimus, & Authent clerici. C.de Epiſc. & cler.* ubi deciditur clericos neque criminaliter, neque civiliter, etiam in actione reali per judicem laicum poſſe judicari. *Luſitaniæ leges contra clericos.*

243 Nihilominus *Fragoſus p. 1.l.2.diſp.4.§.4. mem 2.n.341.* aſſerit eſſe validam, juſtam, uſuque receptam Luſitanam legem diſponentem poſſe clericos conveniri coram laico judice ſuper calumnijs, & ſuper ſalario ac ſervitio famulorum, ut conſtat ex concordia habita cum Rege Ioanne 1.art.86.n.259. & cum Rege Petro art. 16. n.156. Ratio eſt, quia licet S.Pontifex non poſſit omnes cauſas Eccleſiaſticas ſubmittere Principi ſæculari, poteſt tamen aliquas illi committere, *S.Pontifex quomodo poſſit clericos ſubmittere judici laico.*

ejusque ministris: quia in hoc non facit laicos judices ordinarios clericorum, sed solū delegatos: & hoc a Pontifice posse fieri docet *Maria de just. p.4.casu 57.a n.17.*

Notat ibidem idem *Fragos.n.344.* aliud esse dicēdum de pœna noxiæ, quæ imponitur *lib.5.ord.tit.8.* ibi *ham annos pera Africa.& mais por cada vez pagara o dano, que fizerem, & coymas, segundo as posturas da Camara.* Nam quoad hac pœnam ratione damni dati, & quoad pœnam criminalem, conveniendus est clericus coram suo judice, & sic sæpe judicatū fuisse in senatu Lusitano testatur.

QUÆSTIO VII.

Qualis Ecclesiasticorum a gabellis & tributis realibus detur exemptio?

244 Immunitas clericorum ab officijs sordidis, & alijs, quæ statum clericalem dedecent, manifesta est, itaut a nemine ad illa subeunda cogi possint. Si verò officia sint honorifica, & indifferentia, quanvis illa obire valeant, compelli nequeunt. Si verò omninò necessaria sit personalis opera clericorum, v.g. ad pugnam & excubias pro defensione civitatis, cogi potest, sed non ab alio quàm a proprio Episcopo & prælato. Sumitur ex *cap pervenit, de immun. Eccles.* Vide *Suar. l.4. de immun. c. 2.*

Clericorū exemptio a muneribus.

Tota modò quæstio est de oneribus & tributis realibus, quæ nempe clericorum rebus imponuntur. Certum est 1. posse quemlibet laicum dominum ita suis rebus tributum, seu onus imponere, ut semper ex illis rebus tributum debeatur, tametsi ad Ecclesiam & clericos deveniant. *cap. si tributum, cap. magnum 11.q.1.& cap. tributum 22.q.8.* Nam sicut dominus potuit rem suam Ecclesiæ non donare, ita potuit diminute donare, reservādo sibi, vel alteri pensionem.

Tributa imposita clericis.

Certum est 2. si Rex imponat possessionibus alienis tributum ex jurisdictione regia, & tales possessiones ad Ecclesiam, vel clericos transeant, cessare omninò tale tributum, seu onus. *Cap. 1. de immun. Eccles. in 6.* Ratio est, quia Rex solum potest ex sua jurisdictione imponere tributum suis subditis: Ecclesia autem & clerici extra illius jurisdictionem sunt, & res omnes quæ ad illos deveniunt.

245 Dubium est 1. an clerici possint cogi per magistratum laicum ad contribuendum quando tenentur contribuere ad necessitates communes laicis, & clericis, v.g. reparationem pontium, murorum, viarum, & defensionem civitatis, deficientibus facultatibus laicorum? Negativa sententia communis, & vera omninò est, quam tenent *Romanus de charitativo subsidio quæst.57.n.6. Gigas de pension. q. ... n.3. German. de sacr. immun. lib.3.c.17. n.53. Molina de just. tr. 2. disp.672. & Barb. de pot. Episc. p. 2. all g.13.n.6.* Habetur ex *cap. non minus & cap. adversus, de immun. Eccles.* ubi prohibetur tributum imponi clericis pro communibus necessitatibus absque consensu Pontificis; vel si ipse adiri non possit absque consensu Episcopi & cleri. Pontifex autem, vel Episcopus (ut ait *Palaus de immun. disp. un. pun.9.n.6.* suum consensum præstare tenetur, si constet opus faciendum communi utilitati expedire, & laicorum facultates non suppetere.

Clerici obligati ad succurrendū necess. tati communi

Si Pontifex adiri potest, omnino requiritur illius consensus: quando adiri nequit, omnino requiritur consensus Episcopi, & consensus cleri, itaut neuter sine altero judicat. Nomine cleri, quanvis aliqui intelligant clerum totius diœcesis, tamen juxta *Suar. lib.4. de immun. cap.36.n.16.* cum sit fere impossibile moraliter totū illum opportunè congregari, satis probabile est sufficere capitulum, ut consentiat. Addit *Palaus n.9.* tunc censeri facultatem laicorum non suppetere, quoties non suppetunt facultates communes civitatis. Quia erit durissima & fere impossibilis investigatio, & exactio facultatum privatorum.

246 Quid si urgeat necessitas respiciens æqualiter commodum tam laicorum quàm clericorum, & prælatus Ecclesiasticus nolit subvenire vel differat, sitque periculum in mora? *Fragosus p.1. de regim. l.2. disp.4. §.4. n.333.* tanquam certum existimat authoritate laica posse bona seu fructus clericorum apprehendi pro rata eorum, ad quæ Ecclesia tenetur contribuere. Probat. quia de jure naturali, a quo nemo eximitur, omnes etiam clerici tenentur succurrere extremè indigentibus, quanvis per ministros sæculares exigatur subsidium. Hoc multis copiosè & erudite exornat citatus author.

Dubium est 2. an quando clericus negotiatur, & ex negotiatione debet gabellam, conveniendus sit coram judice laico, qui pro exactione gabellæ competens judex est? Negant *Aviles l. Prætor cap.23. glos. den orden, Humada in scholijs l.54. glos.2.n.2. & Greg. i. Lopez in l.51. tit.6. p.1. v. Pechar.* affirmantes conveniendum esse coram judice Ecclesiastico. Oppositum judicant *Bald. in cap. cum novissent col. 3. de eo qui mit. in possess. Aufret. in repet. Clem. 1. de offic. ordin.* in 4. *fal.2.* & alij apud *Tiraq. de retract. consang. §.32. glos. unica n.80.* ubi ait id servari ex consuetudine Franciæ.

Gabellarum exactio a clericis.

247 Illud scio ex *Fragoso p.1. l.2. disp.4 §.4. n.331.* de nostro jure Lusitano, & ex consuetudine antiqua, a S. Pontifice, jam a tempore Regis Dionysij tolerata & approbata, clericos coram judice sæculari conveniri pro solutione gabellarum, & fieri executionem in illorum bonis per exactorē gabellarum. Ita *Gutierr de gabell. lib.7.q.94. a n.5. & Bobadill lib.2. polit. c.18. a n.123.* qui ex Novell. *Valentiniani tit.12 de Episc. judic.* & alijs juribus probant clericos negotiantes debere gabellam, eorumque bona pro illa solvenda jurisdictioni legum civilium subjacere.

Non est cur ulterius in hac quæstione progrediamur, multa alia dubia expedientes: quia jam in priori parte tract. 24. sect. 3. satis resolvimus, quænam personæ a debito tributorum & gabellarum eximantur.

QUÆS-

QUÆSTIO VIII.

De nonnullis spectantibus ad proximam immunitatem.

Ordines sacros suscipiens ut vitet judicem laicum.

PRO complemento immunitatis quoad reverentiam debitam personis Ecclesiasticis, de qua in proxima & præsenti sectione, supersunt nonnullæ difficultates expediendæ. 1. difficultas est, quid dicendum de laico, qui postquam pro causa civili citatus fuit a judice laico, vel ab eodem perquisitus pro crimine, suscepit ordines sacros, vel beneficium obtinuit? Apud *Barb. in 6. si quis posteaquam ff. de judic. n.* 199. tam de jure *Lusitano lib. 2. ordinatit. 1. §. 13.* quàm de jure *Castellano l. 10. & 12. tit. 7. p. 7.* statuitur laicū citatum in causâ civili coram judice laico, antequam promoveatur ad ordines, teneri respondere coram eodem judice, qui de causâ cognoscebat. Quia per citationem jurisdictio perpetuatur, imò prævenitur. Quod intelligitur de citatione valida: quia per nulliter factam non datur præventio, nisi citatus compareat, & prosequatur judicium.

248 Quod attinet ad causam criminalem, jus Lusitanum *l. b. . ord. tit. 1. §. 21. vers. & se algũa pessoa* decernit, ut si clericus, vel beneficiatus, antequam initietur sacris ordinibus, vel obtineat beneficium, crimen aliquod commisisset, & a sæculari judice fuerit perquisitus, teneatur de sacris ordinibus, vel beneficio docere coram eodem judice, quibus cognitis debeat remitti ad judicem Ecclesiasticum. Unde de nostro jure ille clericus postquam docuerit coram judice laico, remittēdus est, sive dolo & fraude, sive sine illis ordines, vel beneficium susceperit.

At de jure communi, juxta *Covar. in pract. cap. 32. n. 4. Oldrad. cons. 4. & Lambertinum in cap. 1. de haret. in 6. quæst. 13.* res aliter se habet: nam si absque fraude sacri ordines suscipiantur, aut beneficium acquiratur post delictum commissum, a jurisdictione sæculari censetur omnino liber: secus si fraude & dolo id egit. Sumitur ex *lib. ult. ff. de re milit. & ex lib. 1. C. qui militare non poss. lib. 12.* Vide de hoc latè disserentem *Fragos. p. 1. lib. 2. disp. 4. §. 4. a n. 356.*

Immunitatis violatores.

2 Difficultas est, quam culpam committant, & pœnam subeant violatores prædictæ immunitatis? Constat committere culpam lethalem, ut pote in materia gravissima, tum sacrilegij contra personas Ecclesiasticas, & objectum intuitu religionis prohibitum, tum injustitiæ contra jus debitum iisdem personis. Unde gravissimæ pœnæ infliguntur hujusmodi violatoribus.

Pœnæ cōtra violatores immunitatis.

249 Prima pœna est excommunicatio Bullæ cœnæ, quæ continetur ejus clausula 17. & ligat omnes qui vexant tributis clericos, sive imponant, sive exigant, sive ad id auxiliū præstent: de quo latè *Molina tr. 2. de just. disp. 670.* Secunda pœna est, ut omnia acta contra immunitatem Ecclesiasticam sint irrita, etiam si clericus cōverversus coram judice laico non opponat exceptionem. Quia procedunt ab eo qui jurisdictione caret. Ita *Covarr. pract. cap. 33. n. 2. & Salzedo pract. c. 62. a n. 2. ex Authent. statuimus C. de Episc. & cler. & cap. sæculares, de foro compet. in 6.* Unde debetur restitutio clericis pro omnibus damnis injustè illatis, & tributis injustè exactis.

Renunciatio immunitatis, seu fori.

3 Difficultas est, an privilegium immunitatis amitti possit renunciatione? Negativa sententia, quæ omninò certa est, explicatur per hanc generalem regulam. Nullus clericus potest tacitè vel expressè renunciare privilegio immunitatis, & fori. *Anton. Gom. var. resol. tit. c. 10. n. 3. Farinac. lib. 1. tit. de inquisit. q. 8. & Suar. lib. 4. de immun. c. 31. n. 1.* id desumunt ex *cap. si diligenti. de foro comp. & c. non ab homine & alijs, de sent. excom.*

Ampliatur, etiam si renunciatio firmetur juramento, item si consentiat Episcopus, vel aliqua communitas Ecclesiastica. Quia talis renunciatio cederet in damnum publicum, cum privilegium concessum fuerit ratione dignitatis clericalis. Addit *Palaus punc. 11. n. 5.* ex *Suar. cit. n. 10.* neque à concilio generali, neque a Pontifice totum hoc privilegium renunciari posse.

250 Infertur 1. quidquid fit a judice laico cōtra clericum, esse nullum, & etiam nullam confessionem factam a clerico se fingente laicum. Infertur 2. judicem laicum, qui condemnavit clericum posse sententiam revocare sub prætextu incompetentiæ. Infertur 3. clericum citatum coram judice laico, & omittentem opponere exceptionem, puniendum esse arbitrio judicis Ecclesiastici pœna extraordinaria, & in expensis. Vide *Covar. pract. cap. 33. & Farinac. q. 8.*

Immunitatis diminutio per consuetudinē.

4 Difficultas est, an privilegium immunitatis possit consuetudine amitti, vel saltē diminui? Certum est non posse amitti, cum nec etiam lex Pontificis in totum destruere possit. Sola est dubitatio, an possit diminui? Affirmant *Covarr. pract. cap. 31. n. 5. Navar. sum. cap 27 n. 70. Farinac. de inquisit. q. 8. n. 3. & Ioan. Garcia de nobil. glos. 8. a n. 44.* Tū quia consuetudo habet vim legis & privilegij: tum quia de facto per consuetudinem in regno Lusitaniæ, Castellæ, & Galliæ sæculares judices cognoscunt de multis, in causis Ecclesiasticis, v. g. de causa possessoria, de violentia, de neganda appellatione, & de usurpanda jurisdictione.

Negandum tamen est cum *Azorio tom. 1. lib. 5. cap. 12. & Suar. lib. 4. de immun. cap. 31. a n. 14.* quibus subscribit *Palaus cit. pun. 12. n. 3.* Nam si talis consuetudo legitimè introduceretur, esset per tacitum consensum Pontificis: sed hic consensus nō datur: Pontifex enim singulis annis in Bulla cœnæ revocat omnes consuetudines immunitati derogantes. Restat igitur ut solo privilegio possit diminui immunitas.

Judices Ecclesiastici erga laicos in quibus causis.

251 5 Difficultas est, an judices Ecclesiastici possint judicare laicos, & in quibus causis? Advertè causas spirituales esse in triplici genere. Nam aliæ sunt spirituales quæ in laicos cadere nequeūt, ut sunt collatio ordinum, electio, gubernatio, & possessio beneficiorum, & administratio Sacramentorum, ac similes. Aliæ sunt spirituales, quæ licèt cadant in laicum, earum cognitio ad laicum non pertinet, quales hæresis, simonia, excommunicatio, festorū, jejuniorumque transgressio. Or-

tum enim habent ex aliquo quod ad Ecclesiam pertinet. Denique aliæ sunt, quæ simul spirituales & temporales vocari possunt ex fundamento Ecclesiastico & civili: v. g. furtum in Ecclesia, & percussio clerici.

Citra dubium omninò est causas spirituales primi generis, spectare ad judices Ecclesiasticos privativè. Pro aliis, dico 1. In causis omninò spiritualibus quæ cadunt in laicos, & ex solo Ecclesiastico fundamento ortum habent, Ecclesiasticus contra laicos est judex privativus. Habetur *cap. tuam, de ordine cognit. & cap. quanto, de judiciis.* Unde committens crimen hæresis, vel simoniæ, judicandus est ab Ecclesiastico judice: item ab eodem matrimoniales causæ decidendæ sunt, utpote spirituales, quando agitur de jure: secus quando agitur de facto temporali.

Causæ mixti fori. Dico 2. causæ quæ simul spirituales, & temporales sunt, & appellantur mixti fori, quales v. g. crimen blasphemiæ, Sodomiæ, incestus, adulterij stupri, concubinatus, sacrilegij, sortilegij, ad utrũque judicem laicum & Ecclesiasticum spectant, prout ab altero præveniantur. Unde laicus in dictis causis judicandus est a judice Ecclesiastico præventore. Ita discurrens per singulas *Farinac. q. 8. a n. 128. & Bobad polit. lib. 2. c. 17.*

Contractus juratus. 252 Dico 3. Causæ profanæ & temporales laicorum tunc decidi possunt a judice Ecclesiastico, quando adjiciuntur qualitate aliqua religionis: v. g contractus jurati ratione juramenti, fiunt Ecclesiastici fori. *c. licet mulieres, de jurejur. in 6.* Cum verò obligatio juramenti, utpote personalis, non transeat ad hæredes, etiam si contractus transeat, fit ut hæres laicus conveniri non debeat coram judice Ecclesiastico, nisi in duplici casu, 1 quando imploratur officium judicis Ecclesiastici, ut hæres exoneret animam defuncti. 2. quando judicium cæptum fuit coram Ecclesiastico contra jurantem. Iure Lusitano prohibetur juramentum adjicere contractibus, de qua prohibitione egimus p. 1. tract. 13. sect. 4.

SECTIO VI.

De immunitate quoad reverentiam debitam bonis Ecclesiasticis.

QUÆSTIO I.

Qualiter bona Ecclesiastica gaudeant immunitate locationis?

Immunitas bonorum Ecclesiæ. Attenta *Clem. 1. de rebus Eccles. non alien. & c. nulli eod. tit.* res Ecclesiæ locari nequeunt in longum tempus. Reputatur autem longũ tempus decennium, sicut modicum septennium. *cap. ult. ne Prælati vices suas.* Unde juxta *Molinam tract. 2. disp. 466.* res Ecclesiæ locari nequeunt ad vitam locantis, vel conducentis, etiam si putetur vita brevis duratura.

Locatio triennalis. 253 Attenta *Extrav. Pauli 2 quæ incipit Ambitiosæ, de rebus Eccles. non alien.* prout id cavetur sub gravissimis pœnis, res Ecclesiæ locari nequeunt ultra triennium. Et quanvis *Covar. 2. var. c. 16. n. 6. Azor. p. 2. l. b. 2. c. 2.* & alij censeant talem Extrav. non fuisse ubique receptam, tamen meliùs judicant *Molina tr. 2. de just. disp. 466. p. st.* medium *Rebell. de oblig. just. 2 p. lib. 14. q. 5. & Barb. de pot. Episc. p. 3. all 95. n. 49.* fuisse ubique receptam quoad pœnam annullationis, quanvis non quoad alias excommunicationis, & officiorum privationis.

Dubium est 1. an Episcopus possit sua constitutione limitare diminuendo triennium illud, quod conceditur in *Extrav. Ambitiosæ*? Rectè affirmat cum varijs relatis *Barb. de pote. l. Episc. p. 3. all. 95. n. 18.* Ratio est, quia in citata *Extrav.* locationes triennales non jubentur, imò nec expressè conceduntur, sed permittuntur, & longiores prohibentur. Ergo si detur Episcopalis constitutio prohibens ne fiant ultra biennium, potiùs favebit, quàm adversabitur prædictæ *Extravag.*

Locatio rerum Ecclesiæ. Dubium est 2. an sit contra dictam *Extravag.* locare ad novem annos, apposita clausula, ut tot sint locationes, quot triennia, ita ut transacto primo triennio incipiat nova locatio? Negat *Bald. cap. 1 § si libellaria, quibus modis feud. amit. & l. voluntas C. de fidei com.* Affirmandum tamen est cum *Covar. lib. 2. var. cap. 16. n. 4. Alvaro Valasco de jure emphyt. q. 29. n. 15. Molina de just. disp. 466. ad finem, & Barb de pot. Episc. p. 3. all 95. n. 17.* Quia moraliter & in re illa multiplicata locatio perinde est, ac si foret unica in longum tempus, & exedens duplo triennalem.

254 Quid si facta locatione pro triennio, ante illud finitum renovetur locatio? Benè respondet Molina citatus, si post secundum annum renovetur, valere contractum: secus si ante cæptum secundum annum cum eadem persona fiat, etiam variata pensione. Quia non in prima renovatione, sed in secunda datur præsumptio fraudis. Consentit *Valasc. de emphyt. q. 29. n. 15.* quando non varietur pensio: secus si varietur.

Dubium est 3. utrùm stante supradicta *Extrav.* prædium Ecclesiæ, quod solet biennio, vel tertio tantum anno fructum reddere, possit locari ultra triennium? Respondeo affirmativè cum *Gutier. l. 1. can. q. c. 8. n. 12. Covarr. 2. var. c. 16. n. 6. & Barb de pot. Episc. p. 3. all. 95. n. 4.* Quia Pontifex non intendit significare triennium temporis, sed fructuum, ut nempe trina fructuum collectione invitaretur conductor, & posset sterilitatem unius anni ubertate alterius compensare.

Locatio invalida quoad partem. Dubium est 4. utrùm facta locatio ultra triennium sit firma, qua parte comprehendit triennium, & solum invalida qua parte illud excedit? Affirmant, & quidem probabiliter, *Molina de primog. lib. 1. c. 1. n. 28.* alter *Molina de just. tract. 2. disp. 467. col. 2. Gamma decis 390. n. 3. & Barb. de pot. Episc. p. 3. all. 95 n. 15.* ex reg. *utile de regul. juris in 6* Utile non vitiatur per inutile, quoties utile ab inutili separari potest.

255 Probabilius tamen est totam illam locationem invalidam esse. Ita sentiunt *Azor 2. p. l. 7. c. 10. q. 4. Vasq. in opusc. de reditib. c. 2 §. 2. n. 28 Covar. 2. var. c. 16. n. 5. Gabr. Pereyr de resol. emphyt. c. 2. n. 30.*

30.*& Bonac.disp.3.de contra feud.q.8.p.4.n.32.* Probatur, nam quoties ultra tempus permissum cōtractus celebratur diverso modo, quo celebraretur tempore permisso, totus invalidus est: qui autem pro tempore diuturno rem conducit, minoris accipit, quàm si pro brevi tempore conduceret.

Dubium est 5. Utrùm sicut locatio ultra triennium extendi nequit, ita ultra triennium extendi nequeat mandatū ad locandum? Affirmant *Covarr.2.var.cap.6.n.16.& Azor.p.2.lib.9.cap.2.q.5.* Contrarium tamen judico cum *Molinade just.tr.2. disp.466 in fine,* cui subscribit *Palaus de immun disp. un.pun.14.n.9.* Ratio est, quia per illud mandatum non conceditur facultas ut res locetur ultrà triennium, sed solum, datur facultas, ut finita prima locatione fiat alia & alia ejusdem rei, prout mandatario, seu procuratori videbitur.

Mandatū ad locandum.

256 Dubium est 6. ad quæ bona Ecclesiastica prohibitio locationis ultra triennium extendatur? Constat extendi ad omnia bona tam immobilia quàm mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, si sint bona Ecclesiarum, monasteriorum, & piorum locorum, qui authoritate Episcopi fuere erecti. Nam hospitalia, collegia, confraternitates, & alij pij loci, qui sine Episcopi authoritate erecti fuere, non gaudent hujusmodi privilegio, atque adeo ad longum tempus locari possunt.

Bona Ecclesiastica quæ gaudent privilegio.

Sola est difficultas de fructibus, seu proventibus spectantibus ad beneficiarium, quorum ipse dominus est: an possint locari ad longum tempus, v.g. pro tota ipsius vita, stante *Extrav. Ambitiosæ?* Negant *Gutie.l.1.canon.quæst.c. 8.n.14. Barb. de pot.Episc.p.3.all.95.n.20. & Gamma decis. 390.n. 6.& decis.156.n.2.* Probant, quia tales proventus sunt bona Ecclesiastica, proindeque continentur sub prohibitione citatæ *Extrav.*

Affirmandum tamen est cum *Mantica de tacitis & ambig.convent.to.1.lib.5.tit.3.n.21. Molina lib 1.de primog.cap.2.n.27.* nostro *Molina de just.tract.2. disp.466.& Azorio p.2.lib.9.c.2.q.7.* Ratio est, quia *Extrav. Ambitiosæ,* ut ex ipsius proœmio constat, non loquitur de reditibus proprij beneficij & dignitatis, sed solum de bonis Ecclesiæ, quæ sunt immobilia, vel mobilia pretiosa. Deo dicata, ex quibus Ecclesiæ reguntur, & ministri vendicant alimoniam.

QUÆSTIO II.

Quæ sint bona Ecclesiastica alienari prohibita?

257 Certum est constitutione Pauli 2. quæ incipit *Ambitiosæ, de rebus Eccl esiæ non alien.* bona Ecclesiastica immobilia, & mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, inalienabilia esse, nisi servatis conditionibus a jure determinatis.

Ecclesiæ bona alienari prohibita.

Bona immobilia ad hunc effectum (ut docent *Vasq.opusc.de redit c.2.§.2.n.44.& Barb. de pot. Ep. p.3.all 96.*) sunt fundus, prædia, domus, & similia, quæ fixam radicem habent: item census, quibus respondent annui reditus, & jus ad ipsos: similiter cathedra, commenda, beneficium Ecclesiasticum, jus patronatus, ususfructus longi temporis, acproinde jus percipiendi fructus per decenniū. Ita *Palaus de immun.disp.un pun. 15.§.1.n.1.* qui ex *Molina tr.2.disp.465.§. nomine bonorum,* id existimat de mancipio rulticano.

Mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, censentur ad hunc effectum gemmæ, vasa aurea, & argentea, vestes quæ longe distant ab interitu, & absolute omnia illa quæ fructificant, & triennio durant. Ita *Barb.citat.alleg.95.a n.38,* Iuxta citatos authores, ut res mobilis pretiosa dicatur, attingere debet valorem centum aureorum. Unde illæ res mobiles sunt alienabiles, quæ talem valorem non attingunt: item quæ nec durant triennio, sed usu consumuntur, & non fructificant, quales sunt oleum, vinum, triticum, lana, & ijs similia.

Mobilia pretiosa quæ.

258 Dubium est 1. utrùm inter pretiosa mobilia, quæ servando servari possunt, comprehendatur armentum boum, grex ovium, caprarum, & similium? Rectè affirmat *Molina tract. 2. disp. 456.fine,* cui consentit Palaus citatus n. . Probant quia armentum illud vel grex cēsetur magni valoris & per continuam multiplicationem fœtuū servari potest.

Grex pecorum Ecclesiæ.

Dubium est 2 an sub mobilibus pretiosis servandis intelligatur pecunia? Negandum est cum communi sententia, quam tenent *Azor p.2.lib. 9.c.1.q 5.Mol.tract.2.disp.465. ad fin & Barb. de pot. Episc.p.3.all.95.n.49.* Quia pecunia usui quotidiano deservit, neque ex se fructum aliquem parit: Secus si illa pecunia a testatore destinaretur ad aliquem effectum: vel traderetur monasterio in dotem, ex voluntate donantis, ut perseveraret pro monialis sustentatione, v.g. in banchis capsorum posita. Tūc enim testatoris & dotantis voluntas servari debet. *Bonac.disp. 3.de contrat. locat.q. 8.p.4.n.16.*

Pecunia Ecclesiæ.

Dubium est 3. an inter immobilia, aut pretiosa mobilia numerentur arbores? Benè respondet *Palaus cit.pun.15. §.1.n.7* ex *Nav rr.lib.1.cons 6.de rebus eccles.non alien.* & quaranta v. Alienatio n.37.lit.F. arbores ita prædio necessarias, ut illis sublatis prædium graviter deterius redderetur, computari inter mobilia pretiosa quæ conservando servari possunt: secùs de illis, quæ fere mortuæ, vel ita opacæ sunt, ut potiùs damnum quàm utilitatem prædio afferant. Nam illud absoluté dicitur conservari non posse, cujus conservatio Ecclesiæ damnosa est.

Arbore Ecclesiæ.

259 Unde rectè inferunt *Rodrig.to.1.quæst.reg. q.27.a.4.& Bonac cit.q 8.p.4.n. 18.* non peccaturū prælatum scidentem arbores ex nemore, easque vendentem in utilitatem monasterij, si ex tali scissione non inferatur notabile damnum hæreditati, ut regulariter non infertur, si relinquuntur arbores sufficientes: secus si ex illarum sectione grave nocumentum hæreditati proveniret. Vide *Fellincium in appendice copiose de arboribus differentem.*

Dubium est 4. an sanctorum reliquiæ computentur inter mobilia non obnoxia alienationi?

Reliquiæ sanctæ an alienabiles.

Affir-

Affirmabit aliquis. Quia cum sanctorum reliquiæ pretio æstimari nequeant, utpote inæstimabiles, pretiosa mobilia dici non possunt. Negandum tamen est, & dicendum cum *Riccio decis. 63. n. 6. & Bonac. disp. 3. de contr. feudi q. 8. p. 4. n. 17.* insignes reliquias alienari non posse. Quia esto pretio non æquentur, sunt supra omne pretium. Existimat Palaus citatus n. 8. reliquias insignes esse caput, pedem, vel manum alicujus sancti satis cogniti, qui apud omnes in magna veneratione est.

Insignis reliquia quæ.

Dubium est 5. an prædium, vinea, domus, census aut aliud pretiosum relictum Ecclesiæ absq; expressa conditione, ut conservetur in perpetuũ, sit bonum alienabile? Constat, si legatum illud per acceptationem fiat bonum Ecclesiæ, nequaquam subjici liberæ alienationi. Parũ enim refert quód careat illa conditione ut cõservetur. Sola est difficultas, an possit alienari ante acceptationem, v. g. per ipsius legati repulsam, seu repudiationem? Negant, & satis probabiliter *Menchaca de success. lib. 3. §. 27. n. 23. Barb. de pot. Episc. p. 3. all. 95. n. 54. Molina cit. disp. 468 n. 10. & Lambertin. de jure patron. lib. 3. q. 9. art. 1. n. 31.* Probant, quia illa repulsa est quædam legati alienatio: tum quia favore Ecclesiæ ejus legata in illam transeunt ipso jure absque traditione *l. fin. C. de sacros. Eccles.* tum quia absoluté quodlibet legatum in specie transit a morte testatoris in legatarij dominium, quin expectet aditionem hæreditatis *l. 2. Titio ff. de furtis. & l. 1. §. sed utrùm ff. si quid in frau. patron.*

Legatum relictum Ecclesiæ.

260 Affirmandum tamen est cum communi sententia, quam tenent *Sanch. lib. 7 Matr. d. 4. n. 12. & in Summa lib. 7. c. 6. n. 4. Azor. p. 2. lib. 9 cap. 1. q. 12. & Bonac. disp. 3. de contin. feudi q. 8. p. 4. n. 38.* Probatur, quia hæreditas delata, & non incorporata Ecclesiæ, ipsi jus quæsitum non est, sed quærendum, proindeque inter Ecclesiastica bona computari non debet. Accedit, quia juxta *l. alienationis ff. de verb. signif.* repudiatio non est alienatio, sed non acquisitio.

Hæreditas repudiata.

Dubium est 6. an si rei immobilis legatum relinquatur monasterio incapaci possidendi rem immobilem, a prælato alienari, & in quotidianos usus converti possit? Bené affirmant *Quaranta in Sum. bullar. v. alienatio rer. Eccles. n. 41. ve. 6. Riccius in praxi fori Eccles. decis. 56. & Barb. de pot. Episc. p. 3. all. 95. n. 59.* Quia prohibitio alienationis est pro bonis Ecclesiæ incorporatis: & tale legatum ut sic tali monasterio incorporari nequit. Accedit, quia mens testatoris præsumitur fuisse, ut monasteriũ eo modo, quo posset, illo uteretur.

Legatũ relictum monasterio incapaci.

Quid si res mobilis pretiosa relinquatur dicto monasterio, poterit ne vendi, & converti in religiosorum usus? Bené negant *Riccius cit. resol. 53. n. 5. & Barb. cit. alleg. 95. n. 59. fine:* quia res illa mobilis incorporatur monasterio, & est pretiosa quæ servando servari potest. Oppositum probabile judicat *Palaus disp. un. pun. 15. §. 1. n. 13.* quia si tale monasterium potest vendere legatum rei immobilis, a fortiori poterit legatum rei mobilis pretiosæ.

QUÆSTIO III.

Quænam alienationes rerum Ecclesiasticarum prohibeantur, & quæ permittantur?

261 PRO decisione quæstionis notandum est, alienationẽ sumi dupliciter. 1. pressé & juxta *lib. 1. C. de jure emphy.* & est translatio cujuscunque juris, & dominij

Alienatio quotuplex.

Est igitur communis resolutio, quam tenent authores infra citandi, ex *cap. nulli, & toto titulo de reb. Eccles. non alien.* ex *Extravag. Ambitiosa & Clem. 1. eod. tit.* non solum strictam, sed etiam latam alienationem bonorum Ecclesiasticorum prohiberi: & solum in dictis textibus permitti alienationẽ quæ in evidentem Ecclesiæ utilitatem fiat, si Põtifex consultus annuat.

Hæc generalis resolutio specialiter explicatur 1. ut per illam censeatur in rebus Ecclesiæ prohibita venditio, donatio, permutatio: item feudum, emphyteusis, & locatio in longum tempus: nam per venditionem, donationẽ, & permutationem transfertur dominium directum, per alias transfertur utile, scilicet in feudatarium, emphyteutam, & conductorem. Ita *Azor tom. 2. lib. 9. cap. 1. q. 2. & Molina de just. tr. 2. disp. 464. & sequen.*

Explicatur 2. ut resolutio habeat locum in actione pignoratitia, & hypothecaria. Ita *Covar. 2. var. cap. 16. n. 7. Vasq. de redditib. cap. 1. §. 2. n. 35. & Molina cit.* Quanvis enim hujusmodi actiones non transferant dominium absoluté, tamen exponunt rem periculo translationis, casu quo deficiat, unde satisfiat principali obligationi.

Pignoratio & hypotheca in bonis Ecclesiæ.

262 Dubium est, an hujusmodi prohibitio intelligatur de hypotheca generali, an solum de speciali? Bené resolvunt *Covar. 2. var. c. 16. n. 7. & Molina tr. 2. de just. d. 466. p. incip.* non prohiberi generalem, sed solum specialem hypothecam. Ratio est, quia per generalem hypothecam non tam res quám personæ manent obligatæ. Unde debitor qui suo creditori bona sua generaliter hypothecavit, non impeditur ab illorum alienatione, nec sic alienata submittuntur creditori: secus in speciali hypotheca.

Explicatur 3. ut resolutio non habeat locum in consumptione, seu transmutatione unius rei in aliam absque ulla translatione dominij directi, vel utilis. Ita *Navarr. l. 3. consil. cons. 6. Rodrig. tom. 1. quæst. regul. q. 27. a. 4. & Riccius decis. 136.* Quia in textibus supra citatis consumptio, seu transmutatio unius rei in aliam, non prohibetur, sed tantum alienatio, quæ non datur sine translatione dominij directi vel utilis in alterum.

Unde beneficiato licitum est ex calice vetusto, & non necessario Ecclesiæ, crucem necessariam conflare, & ex oliveto antiquo & fere inutili plantare vineam. Quia hæc non alienatio, sed optima bonorum Ecclesiæ administratio est. Ita infert *Palaus cit. pun. 15. §. 2. n. 7.*

263 Explicatur 4. ut resolutio locum non habeat in alienatione rerum mobilium, quæ servando servari non possunt. Quia pro hujusmodi rebus alienandis nulla in jure datur prohibitio, neque

Alienatio mobilis Ecclesiæ.

neque ulla præscribitur solemnitas. Imo quod dicitur de rebus quæ servando servari non possunt, procedit de rebus alijs modicis, & Ecclesiæ parum utilibus, juxta *c. terrulas 12. q. 5.* Nam hujusmodi alienatio pro nihilo reputatur. Ita *Molina cit. disp. 468. Barb. de pot. Ep. p. 3. all. 95. n. 50. & Bonac. disp. 3. de feudo q. 8. p. 4. n. 7.* Quæ autem dicantur res modicæ, prudentis arbitrio relinquitur. Certè quæ non excedit valorem decem aureorũ, exigua reputabitur.

Iuramẽtum non alienandi. Rogabis 1. an violet juramentum non alienãdi res Ecclesiæ, qui eas tradit in pignus, vel hypothecam, in feudum, emphyteusim, vel longi tẽporis locationem? Negat *Covar. 2. var. cap. 16. n. 2.* Quia videtur intelligendum de sola alienatione per quam transfertur dominium directum. Affirmandum tamen est cum *Vasq. de reditib. cap. 2. §. 2. dub. 3. n. 24. & Molina trac. 2. d. 466. §. ex dictis.* Quia juramentum intelligitur juxta subjectam materiam: & in hac vera alienatio datur per trãslationem dominij utilis.

Rogabis 2. utrùm quando prælati jurant (ut solent) non alienaturos res Ecclesiæ nisi Pontifice consulto, juramentum intelligatur de alienationibus jure permissis, an solum de prohibitis? Intelligi de omnibus tam permissis quàm prohibitis affirmat *Azor p. 2. lib. 9. c. 1. q. 9.* & videntur consentire *Navarr. commen. de alien. rer. Eccles. n. 14.* & *Molina trac. 2. disp. 468.* Quia nihil operaretur tale juramentum si de solis alienationibus prohibitis intelligeretur; ergo etiam ad permissas extẽditur.

264 Nihilominus probabilius judico cum *Palao de immun. disp. unica pun. 15. §. 2. n. 4.* juramentum illud solum comprehendere alienationes illicitas, & contra formam juris factas. Ratio est, quia juramentum factum in materia juris, ad juris terminos restringi debet: & ideo quando prælatus jurat perpetuò in Ecclesia commoraturũ, adhuc potest abesse ex causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ, quia id jure permittitur.

QUÆSTIO IV.

Quænam causæ, & conditiones postulentur ad legitimam, & solemnem alienationem?

Causa requisita ad alienãda bona Ecclesia. QUatuor legitimas causas pro Ecclesiæ rebus alienandis recensent Doctores, *Vasq. de reditib. c. 2. §. 2. dub. 9. Molina cit. disp. 468. Azor p. 2. l. 9. c. 1. q. 3. & Barb. cit. p. 3. all. 95. n. 23.* Prima causa est necessitas, ut si Ecclesia gravetur ære alieno, ita ut solvere nequeat, nisi bona alienet. Habetur in *Authent. Sancimus C. de sacros. Eccl.* Secunda causa est utilitas evidens Ecclesiæ. Habetur *cap. fine exceptione 12. q. 2.* & est exemplum si vendatur ager minùs utilis, ut ematur utilior: item si vendatur calix, ut pretiosior alius habeatur.

Tertia causa est incommoditas, seu inutilitas rei alienandæ: & idem juris est, si in re colenda *Utilitas Eccle.* insumuntur plures sumptus, quàm est utilitas quæ ex illa provenit. Sumitur ex *cap. terrulas 12. q. 2. & Clem. 1. de reb. Eccles. non alien.* Quarta causa est pietas, v. g. si necessaria est alienatio pro redimendis captivis, *§. sacra Instit. de rerum divis.* vel pro alendis pauperibus ne frigore aut fame pereant *c. aurum habet Ecclesia 12. q. 2.*

265 Observabis 1. hujusmodi causas, vel saltem aliquam ex illis debere existere tempore alienationis, ut ex illa cohonestetur alienatio. Observabis 2. alienanti debere constare de existentia sufficientis causæ, quod fiet per informationẽ testium. Quia causa dubia satis non est pro alienatione certa facienda. Observabis 3. quoties fit venditio rei Ecclesiasticæ pro debitis Ecclesiæ solvendis, cogi emptorem probare pecuniam quàm dedit, in illis solvendis fuisse expensam, nisi præmisso tractatu alijsque solemnitatibus a jure requisitis pecuniam tradiderit, & res acceperit.

Observabis. 4. si vel debitis solvendis, vel pauperibus alendis provideri possit de reditibus beneficij, quantumvis applicatis in ministrorum sustentationem, cessare necessitatem, & utilitatem alienationis: quia tales reditus fuere illis applicati sub conditione ut Ecclesiæ & pauperibus succurrant. *Pauperiũ necessitas.* Observabis 5. non sufficere quamlibet pauperum necessitatem pro rebus Ecclesiæ alienandis, sed oportere extremam esse, vel saltem nimis gravem, præcipuè si inde cultus divinus minuendus est.

Rogabis, an subsistat dicta causa alienationis, si pauperes sua culpa, v. g. ludendo aut luxuriando in talem necessitatem inciderunt? Respondeo affirmativè cum *Covarr. 2. var. cap. 16. n. 8. Vasq. de reditib. cap. 2. §. 1. dub. 10. n. 37. & Mol. disp. 468. concl. 2.* Ratio est, quia culpa antecedens non impedit obligationem charitatis, quæ est de subveniendo proximo. At si gravissima illa necessitas emanet a culpa veluti in pœnam, quia nempe delinquentes fuere condemnati ad triremes, carcerem perpetuum, vel mortem, cessat omninò causa alienationis, ne punitioni delinquentis videatur obstare Ecclesia. Vide citatos authores.

466 Circa alteram quæstionis partem de conditionibus ad solemnitatem alienationis postulatis, 1. requiritur tractatus, seu communis consultatio & examinatio de utilitate & necessitate alienationis. *Conditione requisita ad alienationẽ.* Habetur expressè *Clem. 1. de reb. Eccles. non alien.* An debeat esse multiplex? Quanvis aliqui dicant fieri debere saltem bis, aut ter: rectiùs tamen sufficere unicum judicant *Molina tr. 2. disp. 468. §. secundo dictum & Bonac. disp. 3. de feudo q. 8. p. 4. n. 7.* Quia in textu solum fit mentio tractatus in singulari.

2 Requiritur consensus collegij, nempe Canonicorum, si res alienanda sit Ecclesiæ cathedralis vel collegiatæ: religiosorum, si sit conventus religiosorum: beneficiatorum, si sit Ecclesiæ parochialis habentis plures beneficiatos. At si beneficiatos non habeat, solus Rector alienare poterit de consensu Episcopi *cap. 1. de reb. Eccles. non alien.* Hic consensus, qui vocatur collaudatio, expressus esse debet, & sufficit quod fiat a majori parte capituli.

Credunt *Vasq. de reditib. cap. 2. dub. 12. n. 42. & Bonac. p. 4. n. 7.* sufficere consensum a singulis non

congregatis singulariter præstitum: rectiùs tamen oppositum credit Palaus cit.p.15.§.2.n 10. ex Molina cit.d.468.§.3. Quia requiritur cõsensus collegij, vel capituli: & singuli accepti seorsim nec faciunt collegium, nec capitulũ. Addunt tamen si capitulares ob bellum, aut aliam urgentem causam absint, debere prælatum loco capituli subrogare alios clericos, a quibus petat consensum.

Alienatio bonorum in nostra Societate. 267 Erit igitur irrita alienatio, si capitulo non consentiente prælatus alienet: validabitur tamen postea si capitulum ratam habeat. In nostra Societate juxta privilegium Pij 5. & Gregorij 13. solum requiritur tractatus cum consultoribus more solito, non tamen eorum, neque collegij aut illius immediati superioris consensus, sed solum requiritur & sufficit consensus Generalis.

3 Requiritur consensus superioris. Ita expressè *cap sine exceptione 12. & c. Nulli de reb. Eccles. non alien.* Talis superior est Episcopus vel Archiepiscopus in sua diœcesi pro alienatione rerum Ecclesiæ sibi subditæ: at pro alienatione in monasterijs exemptis, est Prælatus cui subjiciũntur, ut Abbas in conventibus Monachorum, Provincialis in ordinibus Mendicantium, in Societate Iesv solus Generalis, & cui ipse commiserit. Illud nota ex *c. placuit 12. q. 1.* nunquam Episcopum posse alienare bona ecclesiæ inferioris absque illius Rectoris consensu.

4 Requiritur subscriptio clericorum in casibus jure expressis qui numerantur solum tres, venditio, permutatio, & donatio. *cap. de his quæ fiunt a Prælato.* Standum tamen est legitimæ consuetudini, quæ in quibusdam locis nullam observat subscriptionem, in alijs eam quæ fit solius notarij manu.

5 Requiritur consensus Pontificis ubi recepta est *Extravag. Ambitiosæ* Unde in illis casibus omnibus, in quibus postulatur tractatus, & consensus clericorum & Prælati, qui dantur quoties cunque res aliqua immobilis, aut mobilis pretiosa est alienanda, aut hypothecanda vel impignoranda, aut in feudum, emphyteusimve tradenda, præter casus alios a jure expressos, Pontificis consensus postulari debet. Non solet autem Pontifex illum concedere, nisi prævia delegatione aliquorum prælatorum, quibus committitur, ut si ipsis constiterit de utilitate alienationis, nomine Pontificis assensum præstent, sin minus denegent. Ex lapsu annorum tringinta, vel quadraginta præsumetur talis assensus datus, nisi constet oppositum ex instrumento alienationis.

Legatum relictum Ecclesiæ. 268 Rogabis 1. Utrùm valeat, & possit observari clausula apposita in legato relicto Ecclesiæ, nempe ut illud possit alienari non servatis prædictis conditionibus? Negant *Riccius Praxi decis. 67. & Bonac. disp. 3. de contr. q 8. p. 4. n. 8.* Quia illa clausula tanquam turpis & juri contraria rejicienda est. Oppositum judicat probabilius *Palaus disp. un. pun. 15. §. 2. n. 14.* Quia testator poterat suam rem absque ulla solemnitate alienare, & cum tali potestate, seu conditione & onere in Ecclesiam transferre. Ergo Ecclesia potestate testatoris sibi facta alienare potest.

Rogabis 2. Utrùm legatum Ecclesiæ relictũ, apposita clausula, ut nunquam alienetur, possit alienari servatis prædictis conditionibus? Negant aliqui, si Ecclesia habeat alia bona, quibus possit consulere necessitati, utilitati, & pietati. Et hoc est satis probabile. Affirmandum tamen est cum *Sylvestr. V. alienatio q. 18. & Azorio 2. p. l. 2. q. 9.* etiam si Ecclesia habeat alia bona, quibus alienatis, possit consulere necessitati & pietati. Ratio est quia jus statuit ut servatis illis conditionibus, & solemnitate, possint res Ecclesiæ alienari: & clausula testatoris debet solum sustineri quando non est contra jus: si enim est contra jus, tanquam turpis rejicitur. Unde non oportet manifestari talem clausulam Pontifici, consensum præstituro per modum approbationis: secus si per modum dispensationis.

QUÆSTIO V.

Utrùm & qualiter in quibusdam alienationibus requirantur prædictæ conditiones?

269 1 Difficultas est, utrùm prædictæ cõditiones servari debeant in cessione juris, & permutatione Ecclesiasticárum rerũ? Quod attinet ad cessionem juris, notandum est duplex jus posse considerari, alterum acquirendum, alterum acquisitum. Est inter Doctores certa resolutio nullam esse necessariam solemnitatem prædictarum conditionum in cessione juris acquirendi: secus in cessione juris acquisiti. Quia non in illa, sed in hac cessione datur vera alienatio. *Cessione juris alienans Ecclesia.*

Infertur 1. cum *Rebus in compend. alien. n. 21. Barb. de pot. Episc. p. 3. all. 95. n. 63. & Bonac. disp. 3. q. 8. p. 4. n. 20.* fieri non posse absque debita solemnitate transactionem, remissionem, aut concordiam aliquam de rebus Ecclesiæ possessis: nam tunc acquisitum alienabitur: secus, si fiat de rebus, ab Ecclesia non possessis. Quia tunc non alienatur quod habet Ecclesia, sed solum quod spetat habere pro rei certæ acquisitione remittitur.

Infertur 2. cum *Riccio decis. 135. Rebello de oblig. just. lib. 13. q. 11. n. 7 & Sanch. lib. 6. de matr. disp. 4. n. 13.* posse prælatum, qui in prædio Emphyteutico dominium directum habet, absque prædicta solemnitate remittere caducitatẽ emphyteutæ, qui ob non solutam pensionem incidit in commissum. Nam talis remissio non est cessio juris absoluté acquisiti, sed acquirendi, si ipse voluerit. Idem procedit in cessione legati relicti. Quia ut supra diximus, tunc non ceditur jus quæsitum sed quærendum.

270 Quod attinet ad permutationem, certum omninò est ex *c. 1. de his quæ fiunt a prælato sine consensu capit.* sine debita solemnitate non licere permutationem, cum sit vera alienatio, nempe translatio dominij loco illius quod acquiritur. Difficultas est an locum habeat, si fiat inter duas Ecclesias, v.g. si calix pretiosus unius permutetur pro ornamento alterius: vel unum prædium pro *Permutatio rerũ unius Ecclesiæ cũ alter.*

alio?

alio? Negant *Quaranta in sum. bullar. v. alienatio n. 15. & Bonac. disp. 3. de feudo q. 8. p. 4. n. 20.* Quia in *Cap. sine exceptione 12. q. 2.* eodem modo prohibetur permutatio, atque venditio & donatio: & apud omnes constat non posse sine juris solemnitate celebrari venditionem & donationem rerum unius Ecclesiæ cum altera.

Nihilominus in rigore juris posse fieri dictam permutationem rectius judicant *Riccius in praxi decis. 74. Trimsan decis. 56. p. 2. & Barb. de pot. Episc. all. 95. n. 55.* Ratio est, quia in *c. Et enim §. sibi invicem 10. q. 2.* & *in cap. 1. de rebus Eccles. non alien.* expressè habetur posse fieri prædictas commutationes inter unam & alteram Ecclesiam. Dixi (in rigore juris) quia recepta consuetudo illas non permittit absque solemnitate, ut testatur cit. *Barb. n. 57. fine.*

2 Difficultas est, an in concessione feudi & emphyteusis servari debeant prædictæ conditiones? Affirmativa resolutio certa omninò est, quando res primo in Emphyteusim aut feudum datur. Cum enim in *Extrav. Ambitiosæ* excipiatur emphyteusis in casibus a jure permissis, sequitur in alijs procedere factam prohibitionem. Casus jure permissus est res solita dari in emphyteusim, ad quod sufficit unica concessio, ut docet *Barb. cit. all. 95. n. 36.*

Feudū & Emphyteusis concessa ab Ecclesia.

271 Si autem serventur prædictæ conditiones, potest denuò in re Ecclesiæ constitui feudū, & emphyteusis in perpetuum, etiam pro hæredibus extraneis. Si verò feudum & emphyteusis non sit denuo concedenda, sed antiqua & jam concessa renovanda, fieri potest renovatio absq; illis conditionibus, modò non sit jam res incorporata Ecclesiæ. Ita *Covar. 2. var. cap. 17. n. 4. & Barb. cit. all. 95. n. 29.*

Ut autem non censeatur nova institutio feudi & emphyteusis, sed prioris continuatio, postulantur tria. 1. ut concedatur eodem modo ac fuit prius concessa, v. g. si in prima concessione non fuit extensa ad hæredes extraneos, in renovatione non extendatur 2. ut evidens utilitas Ecclesiæ detur in renovatione, sicut data supponitur in prima concessione. Unde si prædium sterile datum fuit in emphyteusim, pro recipienda cultura, & post finitam emphyteusim jam est fructiferum, emphyteusis renovari nequit absq; nova utilitate.

Renovatio Emphyteusis Ecclesiæ.

3 Ut res non sit iterum Ecclesiæ incorporata, nam per incorporationem extinguitur omnino prima alienatio.

Rogabis, quando intelligatur emphyteusis Ecclesiastica transire ad hæredes extraneos, quādo in perpetuum, & quando pro tempore determinato. Dico 1. Certum est, si fiat concessio emphyteusis ut transeat ad quoscūque successores, aut hæredes, quod emphyteuta voluerit relinquere, dari in perpetuum. Dubium est an talis cōcessio non solum extendatur ad hæredes descendentes, sed etiam ad ascendentes & extraneos? Affirmandum est tum ex *Authen. de alienat. & Emphyt. §. licentiam,* tum quia fieri nō posset concessio emphyteusis in perpetuum, nisi ad prædictos extenderetur.

Emphyteusis hæreditaria.

272 Dico 2. si fiat concessio emphyteusis alicui pro se suisque hæredibus, neque transcendit tertiam generationem, neque devenit ad hæredes extraneos. Ita ex citato textu *Covarr. 2. var. cap. 17. n. 5.* Dico 3. si emphyteusis data sit alicui pro se suisque filijs, inter filios æqualiter dividenda est; itaut nequeat pater uni assignare omissis alijs. Ita *Molina disp. 474. §. quando parens.* Quia non ex voluntate patris, sed domini concedentis emphyteusis illa competit filijs.

Emphyteusis ad omnes transeat.

Dico 4. Si data sit emphyteusis alicui pro se suisque filijs & descendentibus, neque ad extraneos, neque ad ascendentes transit: competit tamen filijs, etiam si hæredes non sint, v. g. quia hæreditatem renunciarunt. Ita *Covar. cit. n. 2. a ... l. 5.* Unde si detur alicui, ejusque filijs, quin eos dicit hæredes, emphyteusim habebunt, etiam si hæredes esse noluerint: secus si in concessione apponatur: (ejusque filijs hæredibus) quia tunc relinquitur filijs, quia hæredes supponuntur.

Dico 5. si nulla facta mentione filiorum, hæredum, aut successorum, concedatur emphyteusis alicui, talis emphyteusis hæreditaria non est, ac proinde ad filios non hæredes devenire potest. Secus de feudo dicendū est, quod nunquam pertinet ad filios nō hæredes, benè tamen ad agnatos. Dicitur Emphyteusis hæreditaria, & feudum hæreditarium, quando in concessione fit mentio hæredum, ut si dicatur *concedo tibi tuisque hæredibus.* Dicitur non hæreditarium, seu ex pacto, quando nulla facta mentione hæredum, conceditur alicui ejusque liberis & descendentibus. Vide *Alvar Valasc. de jure emphy. q. 43. & 44. & Mol. tract. 2. de just. disp. 472.*

Feudum hæreditarium.

273 3 Difficultas est, quæ servari debeant conditiones in alienatione juris patronatus, & sepulchrorum? Cum jus patronatus apud Ecclesiam existens computetur inter bona immobilia, vel saltem inter mobilia pretiosa, alienari non potest nisi observatis supra dictis conditionibus. Ut verò discuramus per alienationes in specie, certum est nunquam posse alienari per venditionem directé factam, ne detur Simonia: est enim patronatus jus spirituale. Dixi (directe factam) quia indirectè vendi potest, ut si vendatur hæreditas, cui tale jus annexum est. Ita *Lambertin. de jure patron. lib. 1. p. 2. q. 3. a. 15. n. 4.*

Patronatus jus ad alienationem.

Per donationem alienari potest absque labe Simoniæ. Unde si talis donatio fiat Ecclesiæ, vel loco pio, non indiget consensu Episcopi, indiget tamen, si fiat laico *cap. quod autem,* & *cap. illud de jure patron.* Potest etiam alienari permutatione cum jure patronatus alicujus Ecclesiæ, vel loci pij, & hoc absque licentia Episcopi. *Cap. Nemini 16. q. 7.* Quid si permutatio fiat cum privato? Certum est requiri Episcopi consensum, si jus patronatus sit Ecclesiæ: imò si jus patronatus sit privatum, magis probabile est dictum consensum requiri Ita *Molina de primog. lib. 1. cap. 24. n. 14. Curte de jure patr. v. ipse velis. q. 16. n. 30. & Lamb. cit.*

q.3.a.1.2.& 3.

Jus sepulchri quamodo alienandum.

Quod attinet ad jus sepulchrorum conferri solitum per hæc verba (quod ut ipse, suique hæredes, successores, & quicunque ab eo signati in loco ab Episcopo benedicto sepeliantur, & non alias) de hoc idem dicendum, quod de jure patronatus. Cum enim sit jus spirituale, vendi nequit directè absque Simonia : vendi tamen potest indirectè, si vendatur prædium habens ita sibi annexum tale jus, ut nulla alia via jus ad sepulchrum pateat, nisi per tale prædium. Qua ratione possit devenire jus sepulchri ad successores, consule *Covar. 2. var. cap. 18. a. n. 8. & Mol. cit. c. 24.*

Alienatio sine debita solemnitate non valet.

274. 4 Difficultas est, utrúm rerum Ecclesiasticarum alienatio absque justa causa, vel sine debita solemnitate valeat in utroque, vel in alterutro foro? Circa primam partem de alienatione rerum Ecclesiæ facta absque justa causa *Gloss. in Sum. 12. quæst. 2.* & alij authores relati ab infra citandis, affirmant validam esse alienationem illam, dari tamen Ecclesiæ restitutionem in integrum juxta *cap. 1. de in integ. restit.* Si enim esset invalida, cessaret hoc beneficium.

Dicendum tamen est cum *Covar. l. 2. var. c. 17. n. 2. Molina de contract. disp.* 468. §. 6. conclusio & Bonacina disp. 3. de feudo q. 8. p. 4. n. 5. alienationem illam factam absque legitima causa, esse nullam in utroque foro. Exprimitur in *cap. fine exceptione 12. q. 2. & c. 1. de reb. Eccles. non alien. in 6* Quid si Ecclesia existimavit causam legitimam adesse? citati authores credunt validam fuisse saltem in foro externo, si præscripta solemnitas observata fuit. Oppositum judicat probabilius *Navarr. com. de alienat. rerum Eccles. n. 9.* Cui adhæret *Palaus disp. un. pun. 15. §. 6. n. 2.*

Solemnitas deficiens in alienatione.

Circa secundam partem de alienatione, in qua defuit præscripta solemnitas, affirmant *Azor p. 2. lib. 9. c. 1. q. 9. Sylvest v. alienatio n. 13. & Rodrig. to. 1. qq. regul. q. 27. n. 9.* validam esse, modò adfuerit causa legitima. Quia cum nullum Ecclesiæ fiat præjudicium, cessat finis prohibitionis.

275 Probabilius tamem est hujusmodi alienationem invalidam esse in utroque foro. Ita multis relatis *Covarr. 2. var. cap. 2. Molina tract. 2. de jul. disp. 468. concl. 6. & Vasq. de reditib. dub. 14.* Constat ex *cap. sine except. 12. q. 2. cap. sua de his qua fiunt a prælato*, & alijs in quibus expressè irritatur talis alienatio facta sine debitis conditionibus.

Ad vitandas tamen fraudes contra Ecclesiam, & consulendum ipsius utilitati, conceditur, ut si ipsa velit stare contractui facto absque solemnitate, alius non possit resilire: si autem velit illum repellere, censetur repulsus. Ita *Sarmiento p. 1. de reditib. cap. 2. & Vasq.* citatus. Si tamen Ecclesia velit stare contractui, debet approbationem solemniter facere. Quia tunc de novò contrahit.

Ecclesia in demnis servanda.

Ex dictis *Molina cit. disp. 468. concl. 6. & Bonac. disp. 3. de feudo q. 8. p. 4. n. 12.* rectè inferunt 1. rem ab Ecclesia alienatam absque causa legitima, vel solemnitate debita, esse restituendam Ecclesiæ cum omnibus ejus fructibus, deductis expensis : siquidem contractus fuit nullus. Inferunt 2. Ecclesiam non teneri pretium reddere emptori. 1. si emptor mala fide celebravit contractum. Quia tunc in pœnam, & Ecclesiæ utilitatem privatur pretio. *l. jubemus. & Authen. qui res C. de sacros. Eccles.* 2. si ex tali contractu Ecclesia non est facta ditior, quanvis emptor bona fide emerit. Quia tunc nõ Ecclesia, sed qui Ecclesiæ nomine vendidit, tenetur emptori reddere pretium, & servare indemnem. At si Ecclesia pretium retinet, vel ex contractu facta est ditior, ipsa tenetur: & emptor dũ non recipit pretium, titulo compensationis rem, & ejus fructus retinere potest.

Pœna alienantium res Ecclesiæ.

276 Rogabis, quam subeant ipso jure pœnam tum alienantes, tum recipientes rem alienatam, quando non intercessit debita solemnitas? Respondeo in locis in quibus *Extrav. Ambitiosæ* recepta est, puniri alienantes Episcopos & Abbates interdicto ab Ecclesiæ ingressu, in quo si per semestre perstiterint, suspendi a regimine & administratione Ecclesiæ, cui præsunt, tam in temporalibus, quám spiritualibus.

Quód si alienantes sint inferiores Episcopis & Abbatibus, privantur beneficio, vel officio illius, cujus bona præsumpserunt alienare : & insuper incurrunt excommunicationem, qua etiam innodantur recipientes alienatum. Verúm dictam constitutionem in hac parte nullibi esse receptam, testantur *Sarmiento p. 1. de reditib. c. 2. n. 20. Navarr. sum. c. 26. n. 149. & Suar de censur. disp. 23. sect. 6. num. 3.*

TRACTATUS XXX.

De juramento, adjuratione, & abjuratione.

SECTIO I.

De essentia, multiplicitate, & subjecto juramenti, vitijsque contrarijs.

Juramẽ nomen & definitio.

QUÆSTIO I.

Quid sit juramentum: & qualiter liceat?

JUramentum, si attendamus ad nomẽ, etiam appellatur Sacramentum *c. qui Sacramento 22. q. 4.* prout est signũ divini testimonij, quod adducitur. Deinde vocatus jusjurandum, habetque appellationem derivatam a jure, quasi veritas firmata juramento, seu jurejurando, ita debeat consistere, ac si jure ipso stabiliretur.

277 Si attendamus ad definitionẽ, pro illius essentia, & natura investiganda, sic a Theologis definiri solet: *Est invocatio divini numinis in testimonium, ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam.* Invocatio ponitur loco generis, reliqua ponuntur

bat loco differentiæ. Eſt enim invocatio quid latiùs patens, & indifferens ad orationem & juramentum: ſiquidem tam oratione, quàm juramento Deus invocatur, ſed diverſo modo: nam oratio invocat Deum gratia pedendi auxilij tanquam a miſericorde & omnipotente, ut poſtulata concedat, at juramentum invocat Deum ad fidem faciendam, ut tanquam teſtis infallibilis affirmatum, vel promiſſum teſtetur.

Non dicitur enunciatio, ſed invocatio: quia enunciare Deum eſſe teſtem omnium, non eſt jurare, ſed proferre quandam propoſitionem, quæ ad fidem vel ſcientiam ſpectat: invocare autem Deum in teſtem, jurare eſt.

Iurare per falſos Deos eſt peccatũ.

Ut ſit juramentũ, debet invocari verus Deus, qui ſolus ut teſtis fidem infallibilem facere poteſt. Unde invocatio falſorum Deorum non eſt propriè juramentum, niſi in falſa exiſtimatione Ethnicorum: quod ſufficit, ut reputentur perjuri; & graviter peccent violantes tale juramentum. An verò peccet qui jurat per falſos Deos? Bené reſpondet *Bonac. tom. 2. diſp. 4. q. 1 p. 1. n. 2.* jurare ſeriò per falſos Deos, eſſe peccatum graviſſimum. Honor enim proprius Dei dæmonibus, vel inſenſibilibus rebus defertur. Dixi *jurare ſeriò*, quià proferre verbà juramenti per falſos Deos joco, & abſque jurandi animo, coram audientibus qui jocũ, & animum intelligant, non videtur peccatum grave: eſt tamen irriſoria locutio, à qua abſtinẽdum eſt.

Iuramentum qualiter fiat.

278 Obſervandùm eſt 1. Deum invocari in teſtem dupliciter, 1. expreſſè quando juratur per ipſum Deum, ut ſi dicas *juro Deum: Teſtis ſit mihi Deus.* 2. tacitè, quando juratur per creaturas, quatenùs Deus in illis relucet, ut ſi quis juret per Sanctos in cælo regnantes, per Sacramenta Eccleſiæ, per Sacrificium Miſſæ.

Obſervandum eſt 2. cum *Sanch. lib. 2. Decal. cap. 1. n. 2.* ut juramentum obliget coram Deo, ſufficere internum conſenſum: ut obliget coram hominibus, nec verba, nec aliquem contractum requiri. Neceſſe tamen eſt, quòd internus cõſenſus, externo aliquo ſigno pateat. Ut verò detur juramentum, ſemper habenda eſt ratio animi interioris, quòd ſcilicet verba uſurpans intendat formaliter, aut virtute Deum in teſtem invocare.

Obſervandùm eſt 3. cum *Suario lib. de juram. c. 13. n. 13.* poſſe aliquando creaturas invocari in teſtes ſecundùm earum ſcientiam, & non prout in eis Deus relucet: hujuſmodi verò invocatio ſolum poteſt habere locum in ijs quæ ſunt rationis compotes, quales Angeli, & homines: Cum verò tunc non imploretur infallibile teſtimoniũ, quale eſt ſolum divinum, talis invocatio juramentum non eſt. Obſervat bené *Sanch. cit. t. 2. n. 9. & 11.* quando quis juraret per Beatos, ſpectata ſola ſua Sanctitate, non obligaretur ex vero juramento, at teneretur ſub mortali ex dolia.

279 Rogabis, quomodò cenſebitur quis jurare per Deum, quando creaturam aliquam in teſtem invocat? Bené reſpondet *Palaus tom. 3. diſp. 1. de juram. pun. 1. n. 5.* ex *Sanch. lib. 3. Decal. c. 2. n. 10.* cenſeri jurare per Deum, quando creaturæ, per quas jurat, ſunt in quibus divina bonitas, potentia, miſericordia, vel aliud divinum attributum peculiariter refulget: ſecus ſi creaturæ ſint abjectæ & viles, itaut illarum invocatio potius judicetur ludibrium, quàm ſeria divini teſtimonij invocatio: ut ſi quis dicat *Iuro per meam barbam, per meos capillos, per muſcas,* & ſic de ſimilibus.

Ut vero hujuſmodi doctrina, quæ multum confert ad praxim, magis innoteſcat, varias & peculiares apponemus juramenti formulas, quas afferunt authores, & videri poſſunt in citatis, *Sanch. c. 2. & Palaus pun. 1.* Nam ſunt aliæ formulæ quæ manifeſtè juramentum continent, ſunt aliæ quæ ex communi modo loquendi non continent, ſunt aliæ ex modo proferendi indifferentes ut contineant, vel non contineant. Singulas expendamus.

Verba juramenti.

380 Quòd attinet ad primum genus, in illis formis continetur juramentum claré, in quibus Deus in teſtem claré invocatur. v. g. in his: *Iuro per Deum, Teſtis ſit mihi Deus. Teſtem invoco Deum vivum. per hunc ignem Dei.* Quia in prioribus ponitur ſolus Deus, qui invocatur, in ultima invocatur creatura cum Deo, ſeu quà Dei eſt. *Voveo Deo.* vel, *Ego tibi Deo promitto* vulgo *Boto a Deos. Eu vos prometo a Deos,* quanvis votum ſignificent, tamen ex conſuetudine ſolum juramentum includunt. Sunt etiam manifeſta juramenta: *Vivit Deus: Deus eſt veritas, quòd ita eſt.*

Similiter hæc formula. *Sicut credo in Deum, ita eſt,* coincidit cum illa, *Per fidem Dei, per fidem Chriſti.* Nam ex communi uſu fides Dei, idem valet atq; Deus in fide relucens. Idem eſt dicendum de his, *Per ſacros ordines. Per Sacramenta, Per meam vitam, Per ſalutem meam, vel alterius. Per cælum, Per templũ Dei, Per habitum S. Petri.* Similiter execratorium juramentum continent hæ formulæ: *Si ita non eſt, Dæmon me arripiat, ſtatim moriar. Sic Deus me adjuvet, ut ita eſt.* Reddunt enim hunc ſenſum: Deus quẽ in teſtem invoco, nec me adjuvet, nec me in vita conſervet, ſed potiùs occidat, & me Dæmoni cruciandum tradat, ſi hoc ita non eſt.

Verba quæ non continent juramentum.

281 Quòd attinet ad ſecundum genus, ex communi modo loquendi, nec divini teſtimonij invocationem, nec proinde juramentum continent ſequentes formulæ. *Per fidem meam, In fide boni viri, In bona fide jurata, In fide Chriſtiani, religioſi, Sacerdotis: ſeu ut Chriſtianus, ut Religioſus ut ſacerdos ſum, ita eſt.* Faciunt enim hunc ſenſum: juxta fidem quæ debet àdhiberi viro probo, Chriſtiano, Sacerdoti, hoc ita eſt. Similiter qui dicit, *Per meam conſcientiam In mea conſcientia.* Solum enim denotat ſe id ſcire, ſicut aſſerit.

Si quis dicat *Iuro ita eſſe* quin progrediatur ad divini nominis invocationem, per talẽ ſuppreſſionem non cenſetur jurare. Secus ex adjunctis, ut ſi interrogatus, *Iuras mihi per Deum hec ita eſſe,* reſponderet, *Iuro.* Non erit juramentum, ſi verbo (juro) addatur aliquid quo decidat a propria ſignificatione, v.g. (*Iuro a tal Iuro a dez. Iuro a mim, Iuro a quem ſou.* Si proferas abſque neceſſitate: *Iuro per*

per totum per quod jurare possum, ex defectu intentionis censeris non jurare: aliter juramentum esset ... hemum, & æquipolleret huic: *Iuro per v. tam Dei.*

282 Similiter nullum erit juramentum, si quis dicat *Por San Pedro de pao*, & posito digito in naso. *Por esta*, & nulla formata cruce, *Por esta Cruz*. Non jurat, qui interrogatus per vitam suam, absolute respondet: vel interrogatus, *Iuras mihi hoc ita esse*, simpliciter respondeat: *Ita est.*

Iuramenti verba indifferentia. Quod attinet ad tertium, de formulis indifferentibus, hæc juramentum continere, vel non continere intelligentur ex intentione proferentis, & ex modo quo proferuntur. Unde in his (*Coram Deo ita est. Deus scit, & videt hoc ita esse; Deus mihi testis est ita esse*) continetur juramentum, si proferantur invocative: secus, si enunciative, ut si enuncies Deum scire, & esse testem illius rei, ac in ejus præsentia fieri. Hanc eandem indifferentiam dari in his (*Vivit Deus. Deus est veritas, quod hoc ita sit*) affirmat Petrus de Ledesma tom. 2. sum. tr. 11. cap. 2. dub. 1. & ex parte annuit *Suar. lib. 1. de juram. cap.* 13. n. 8. Verum ex frequenti usu juramenta reputantur.

Similiter hæc verba (*Interficiat, si hoc ita non est*) vulgo *que me mate n. se isto nam he assim*, juramentum continent, si proferantur per modum execrationis, seu imprecantis sibi mortem, in hoc sensu: Deus me interficiat, si hoc ita non est. Secus, si innuant solam spensionem & oblationem pœnæ, in hoc sensu: Morti me offero & dedico, si hoc non ita est. Idem judicium fiet de his: *Habeat ut infidelis, mendax, hæreticus si hoc falsum est.*

Similes sunt illæ formulæ quando vulgo dicimus, *Tantos Anjos venham pela minha alma, como vos tendes cruzados. Melhor me guarde Deos. & mau bẽ me faça, & mais ventura tenha do que isso he assim.* Quamvis enim hæc omnia contineant aliquando execrationem, & consequenter juramentum, tamen regulariter non continent, sed proferuntur enunciative petendo a Deo custodiam, & socios Angelos.

283 Maior est difficultas in verbis, quibus comparatur veritati divinæ humana veritas, ut si proferas: (*Hoc est verum, sicut verum est Evangelium*) si enim veritatem divinam ut lucentem in ea re adducas in testem, juramentum est: at si tantum velis (ut fit communiter) enunciando assimilare veritatem humanam divinæ, non juras: debes tamen abstinere ab hujusmodi locutionibus, cum illas ut blasphemas damnent plures Doctores apud *Sanch. lib. 2. Decal. cap.* 32. n. 13.

Veritas humana divinæ cõparata.

Quid de his formulis, *Non credo in Deum, vel Abnego Deum, vel Non est potestas in Deo, si hoc non est ita* Sunt blasphemiæ, sed non continent juramẽtum, quia in illis non apparet invocatio divini testimonij. Secus de his: *Tædeat Deum. Displiceat Deo si id ita est.* Nam si proferantur per modum execrationis in hoc sensu, nempe accidat hoc malum Deo scilicet tædium & displicentia, si hoc ita est, sunt juramenta execratoria & blasphema.

Quando quis correptus iracundia dicit (*Por Deos que he bem isso. Por Deos que essa he cousa rija*) regulariter non jurat, quia ea non profert animo adducendi Deum in testem, sed ostendendi tædium & iram. Quando verò dicit, *Corpo de Deos com o homem*, vel *o fe de Deos com tal homem* omninó nõ jurat, quia nihil affirmat, sed solum denotat iratũ animum. Addit *Palaus citatus n.* 9. ut probabile voces illas blasphemas non esse, Quia licet nomen Dei irreverenter proferatur, tamen deest animus inferendi illi contumeliam.

Honestas juramenti. 284 Pro altera quæstionis parte, qualiter juramentum liceat? De fide est juramentum non solum licere, sed etiam virtutis actum esse, si cũ debitis circunstantijs fiat. Habetur ex S. Pagina, *Laudabuntur omnes qui jurant in eo.* Psalm. 62. *Dominum Deum tuum timebis, & per nomen ejus jurabis.* Deut. 6. Circunstantias debitas numeravit Hieremias cap. 4. *Iurabis vivit Dominus in justitia, in judicio, in veritate.* Postulantur igitur tria ad honestum juramentum, quod est actus religionis, scilicet veritas, justitia, & judicium. Nam (ut exponit *Sanch. l. 3. Dec. c. 4. n. 1.*) si desit veritas, efficitur Deus vel ignorans vel improbus, cum adducatur in testem falsitatis. Si desit justitia, efficitur injustus, & quasi cooperator mali promissi: si desit judicium, idest præcedens examen veritatis justitiæ & necessitatis, fit Deo irreverentia, quatenus sine causa in testem adducitur. Ut detur veritas in juramento assertorio, sufficit quod jurans putet verum esse id quod asserit: ut autem detur in promissorio, requiritur quòd adsit animus rei promissæ implendæ, & quód tempore debito impleatur.

Veritas in juramento.

Sanch. in Decal. lib. 3. c. 4. n. 15. decit. ad veritatem juramenti satis esse, quòd jurans audiverit rem juratam a persona ita fide digna, ut sit moraliter certus ita rem se habere: at in judicialibus id non satis esse ad rem tanquam certam jurandam, nisi adjungatur causa illius notitiæ. At Mexia ad l. regiam Toleti 13. p. 2. fund. n. 32. & Perez in addit. ad Villa Diogo de irreg. c. 3. §. Idem dicerem absoluté dicunt id licere in judicio. Videatur Diana p. 4. tr. 4. resol. 77.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit juramentum, & qualiter inter se differat?

Iuramentum quotuplex. Multiplex est juramenti divisio tum ex parte modi jurandi, tũ ex parte rei juratæ. Quod attinet ad modum jurandi, dividitur 1. in juramentum solemne & simplex: solemne dicitur quod fit aliqua circunstantia notabili, v. g. tactis Evangelijs, ara, cruce. Simplex est quod continet simplicem invocationem Dei absque ulla circunstantia. 2. in judiciale, quod fit in judicio, & extra judiciale quod fit extra illud. 3. in tacitum & expressum: illud fit per creaturas, in quibus relucet contentus Deus: expressum fit per ipsum Deum invocatum in se.

Consilestatorium juramentum. 285. Dividitur 4. in juramentum quod fit per simplicem contestationem, & quod fit per execrationem. Illud fit per contestationem, & contestatorium appellatur, in quo contestatur Deus,

&

& solum invocatur ut testis, quando v. g. quis dicit, *Iuro Deum, testor Deum.* Fit per execrationē, & vocatur execratorium, quando contestationi additur execratio pœnæ, cui se jurans subjicit, si falsū affirmet, ut quando dicit: *Diabolus me, meosq; cognatos possideat, si hoc ita non est.* Et tacit hunc sensum: Deus, quem invoco testem hujus assertionis, me & meos cognatos Diabolo possidendos tradat, si hoc ita non est.

Execratorium juramentum.

In ratione juramenti non differunt specie juramenta hactenùs explicata, imò nec continent circumstantiam in confessione necessarió aperiendam, ut docent *Lessius l. 2. just. cap. 42 dub. 2. n. 9. & 10. Sanch. lib. 3. Decal. c. 1. n. 9. Suar. l. 1. de juram. cap. 5. n. 13. & Bonac. disp. 4. q. 1. pun. 2.* Dixi (in ratione juramenti) quia aliunde potest juramento accedere gravis malitia necessarió confitenda, ut si addatur blasphemia, v. g. si jurasses *per pudenda Christi.* Item si addatur inobedientia, ut si in judicio falsum juramentum proferres: tunc enim illo perjurio & religionem, & obedientiam violares.

Difficultas est de juramento execratorio falso, an addat malitiam gravem ratione execrationis? Videntur enim per illud graviter offendi pietatem, vel charitatem propriam: siquidem qui imprecatur sibi infernum in falso juramento, videtur violare propriam charitatem, se addicens Inferno: item si imprecetur Infernum cognatis, violabit pietatem. Dicendum tamen cum *Valentia 2. 2. disp. 6. q. 7. p. 2. Sayro in clavi l. 5 c. 2.* & alijs proxime citatis non violari graviter charitatem, nec pietatem, tum quia perjurus petit consonū suplicium suo perjurio, tum quia nec sibi, nec suis ex animo illud petit: imó si rogetur, dicet contrarium desiderare.

286 Quod attinet ad rē juratam, dividitur juramētū in assertoriū & promissoriū: addūt alij cōminatoriū. Assertoriū datur, quando aliquid asserendo vel negando interponitur, & fit circa veritatem contingentem, quando aliquid præsens, præteritum, vel futurum asseritur, vel negatur: ut si juretur pluviam fuisse, esse vel fore.

Assertorium juramentū.

Promissorium datur quando interponitur aliquid promittendo, ut rem promissam firmet. Et certé juramentum promissorium continet assertorium, quatenùs ut verum sit, jurans debet habere animum implendi promissionem, & illum actu habere tacité asserit. Comminatorium dicitur a comminando malum alteri, & reducitur ad promissorium, cum sit promissio de inferendo malum alteri.

Promissorium & cōminatorium juramentum.

Pro maiori intelligentia explicatæ divisionis, & intelligenda differentia juramentorum, rogabis 1. an detur specificum & essentiale discrimen inter juramentum assertorium & promissorium, in ratione juramenti? Negat communis doctrina apud *Valent. 2. 2. disp. 6. q. 7. p. 2. & Suar. l. 1. de juram. c. 9. n. 1.* Quia ratio præcisa juramenti consistit adæquaté in invocatione divini testimonij: quód autem invocetur ad firmandam veritatem rei præsentis, vel futuræ, vel non promissæ, accidentale & materiale est.

Nihilominus inter utrunque dari essentiale discrimen, affirmat *Palaus de juram. disp. 1. pun. 2. n. 7.* ubi ait in hanc partem inclinasse *Suarium citatum n. 5.* Probat, quia in juramento pure assertorio invocatur Deus ut testis, at in promissorio respiciente rem futuram, non tam invocatur ut testis, quàm ut fidejussor, nempe ut præstet authoritatem suæ promissioni, quod nempe sis executurus rem promissam. Utraque opinio est satis probabilis.

287 Rogabis 2. utrùm differat essentialiter juramentum in quo quis absque promissione proponeret rem futuram, ab eo quo talem rem futuram promitteret? Videtur affirmandum, cum essentialiter differat propositum a promissione. Negandum tamen est cum *Suario lib. 1. de juram. c. 9. n. 7.* Ratio est, quia in ratione juramenti, ne quis falsó Deum in testem invocet, æqualiter obligat, sive rei faciendæ detur propositum, sive promissio.

QUÆSTIO III.

Quodnam sit subjectum juramenti? seu quæ personæ jurare possint tam in judicio quam extra?

Sermo nobis erit imprimis de ijs qui extra judicium, postea de ijs qui in judicio jurare possunt. Circa priores, vera omninò resolutio est, omnem personam rationis compotem (si divinam quà talem excipias) proprium juramentum proferre posse. Siquidem omnis persona rationalis pro suis assertis vel promissis confirmandis Deum potest in testem adducere.

Iuramenti subjectum quando.

288 Dixi excipiendam divinam personam quà talem: Deus enim in rigore jurare nequit, tū quia per actum religionis nequit se subdere alicui superiori, tum quia per juramentum nullam suis assertionibus maiorem authoritatem adjicere potest. Si autem *Genes. 22.* & alijs locis S. Paginæ dicitur jurasse, hoc juramentum (ut notat Caietanus ad cit. locum) metaphoricum fuit, & pro excitanda nostra spe, ac roboranda fide. Christus dominus, cum quà homo superiorem agnosceret Æternum Patrem, jurare potuit, & aliquando jurasse asserit Innocent. 3. in *c. Et si Christus de jurejuran.*

Beati sive Angeli, sive homines nobiscum loquentes, jurare possunt, & constat Apoc. 10. de Angelo qui juravit per viventem in sæcula sæculorum. Damnatis tam Angelis quàm hominibus non repugnat jurare. Credit tamen *Suar. tom. 2. relig. t. act. 4. l. 1. c. 14 n. 15.* diabolos raro jurare ex superbia, ne videantur divino testimonio indigere, & superiorem agnoscere. Viatores omnes qui verum Deum agnoscunt, proprié jurare, & peierare possunt, ubi discretionem & libertatem adepti fuerint. *c. 1. de delictis puer.*

Circa posteriores, nempe capaces jurandi in judicio, omnes illi sunt, qui rationis compotes a jure humano non excluduntur, proindeque illos agnoscemus, postquam exclusos a jure numeraverimus. Excluditur igitur 1. perjurus in pœnam perjurij, de quo infra agemus, 2. excluditur

Testis qui esse non possunt in judicio.

tur infamis infamia juris, qualis de gravi crimine damnatus. *cap. si quis 3. q. 4.* Item infamis infamia facti, qualis criminosus etiam nondum dau natus. *cap. super eo 13. de testib. & attest.*

289 Excluditur socius criminis, seu cōplex in crimine, sed in quibusdam criminibus admittitur, & quomodò. *Cap. veniens 10. de testibus & leg. fin. C. de accusat.*

4 Excluditur inimicus capitalis illius contra quem testimonium ferre debet. *Cap. accusatores, & c. omnes 3. q. 5* 5. Excluditur Iudæus, Sarracenus a dicendo testimonio contra Christianum *Cap. Iudæi. & c. licet, de testib.* 6. Excluditur persona vilis & inops, de qua est suspicio posse facile corrūpi pecunia. Apud Castellanos *l. 3 & l. 22. tit. 16. partita 3.*

Mulier ad testimonium. 7 Excluduntur laici, & omnes qui Sacerdotes esse non possunt a dicendo testimonium contra clericos in criminalibus: secùs in civilibus. *Cap. de cætero de testib. & c. quoniam, eod. tit.* 8. jure canonico repellitur mulier a testificando in causa criminali ob ingenij mutabilitatem. *cap. forus §. ult. de verb. signif.* in causa civili admittitur etiam contra clericum. *cap jam litteris de testibus.* At jure civili in omni causa admittitur *l. eo ff. de testib.* præterquam in testamento. *l. qui testamento §. mulier ff qui testam.*

290 9 Excluduntur a testificando pueri ante pubertatem. *cap pueri 22. q. 5. & §. testes instit. de testam.* Quia ante illam ætatem non censentur a jure plenam habere discretionem. At jure *Lusitano Ord. l. 3. tit. 56. n. 6.* sine juramento interrogantur in delictis gravissimis. Vide *Fagund. lib. 2. Decal. cap. 5. n. 6.* 10. excluduntur a testimonio consanguinei & affines per jus Castellæ, in quo gradu, quomodò & in quibus causis, vide *Gregor. Lopez ad l. fin. tit. 3 par. 3.*

11 Excluditur domesticus ipsius producentis in quolibet ejusdem negotio. 12. excluduntur a jurādo in judicio Sacerdotes absque gravi causa *cap si quis presbyter. 2. q. 4.* De quibus omnibus

Testis jejunus. vide *Palaum disp. 1. de juram. pun. 3.* ubi *n. 15.* exponit rectè *cap. honestum 22. q 5. & cap Placuit 4. q. 3.* ut non de præcepto, sed de consilio intelligantur, quatenus monent, ut nemo nisi jejunus ad jurandum in judicio admittatur. Vide quæ de teste, & ejus obligationibus diximus p. 1. tra. 22. sect. 4.

QUÆSTIO IV.

Quale peccatum sit in juramento assertorio defectus veritatis justitiæ & judicij?

Veritatis defectus in juramento. IUramentum assertorium reddi peccaminosū ex quolibet horum trium defectuum, certū est. Lethaliter ne, an venialiter? Decidemus examinando singulos defectus. Primus est defectus veritatis, per quem redditur lethaliter peccaminosum omne juramentum assertorium etiam de re levissima. Ita *Sanch. lib. 3. Dec. c. 4. n. 6. Lessius l. 2. just. cap. 42. n. 17 & Suar. de juram. lib. 3. c. 4. n. 7.* Ratio est, quia cum falsitas etiam levissima infinité repugnet Deo, utpote veritati infinitæ, gravissima fit illi injuria, si in testem falsitatis invocetur.

291 Illud notandum est falsitatem juramenti assertorij non desumi ex conformatione juramenti cum re asserta in se, sed cum re asserta prout est in mente jurantis. Unde jurabit falsum, qui rem quam existimat dubiam, ut certam asserit. Quia non conformabitur juramentum cum re asserta prout existit, seu repræsentatur in mente. Est enim mentiri contra mentem ire.

Non tamen ad veritatem talis juramenti postulatur notitia logicé certa, seu omninò infallibilis, cum sufficiat moralis, quando quis prudenter judicat rem ita se habere. Unde *Sanch citatus n. 11.* resolvit ad verum testimonium de frequentia scholastici, satis esse, si communiter viderit ad scholas adeuntem, quanvis non viderit cum singulis diebus. Quia prudenter credit satisfecisse Academiæ statuto, quòd est ut scholastici maiori parte anni in scholis versentur. Vide quæ circa tale juramentum diximus in Academia n. 879.

Secundus est defectus justitiæ, quem *Toletus l. 4. cap. 21. n. 11.* putat judicandum esse lethalem, aut venialem ex confirmata narratione lethali aut veniali. Rectiùs tamen citatus *Sanch. c. 4. n. 33. & Suar. c. 12. n. 7.* asserunt gravitatem & levitatem talis defectus capiendam esse ex eo quód juramentum assumatur ut medium ad finem pravū, atque adeo si finis, ad quem assumitur juramentum ut medium, lethalis sit, defectus justitiæ in illo erit lethalis: si autem finis venialis sit, erit etiam defectus venialis. *Justitiæ defectus in juramento.*

292 Explicatur 1. in detractione: nam si quis proximo graviter detrahit, & juramento confirmat talem detractionem, peccat graviter ob defectum justitiæ in juramento: si autem detrahit leviter, defectus ille justitiæ levis est. Nam gravitas & levitas illius defectus sumitur ex detractione, quæ est finis juramenti.

Explicatur 2. nam si quis se jactet de peccato lethali, quod a se commissum narrat, & hujusmodi narrationem, ut suppono veram, confirmet juramento, quanvis talis narratio ex jactantia & complasentia lethalis sit, tamen defectus in juramento venialis est. Quia juramentum ibi non assumitur ut medium ad augendam malitiam, seu complacentiam narrationis in se, sed ad confirmandam credulitatem illius in audientibus, qui finis non est lethaliter malus.

Tertius est defectus judicij consistens in eo, quód juramento desit examen veritatis, & justitiæ, item necessitatis, quæ datur in causa honesta & utili ad jurandum. Quanvis enim *Palaus disp. 1. de juram. pun. 5. n. 7.* sic exponit judicium, ut dicat situm esse in eo, ut juramento deficiat causa honesta & utilis: mihi videtur rectiùs explicari judicium, ut non tam dicatur causa quam examinatio causæ, imò veritatis & justitiæ, quæ dari debent in juramento. *Iudicij defectus in juramento.*

Quare defectus judicij in examinanda veritate & justitia lethalis est, ut docet *Valent. 2. 2. disp. 6. q. 7. pun. 3.* ob periculum jurandi falsó & injuste, si negligentia talis examinis gravis sit, secùs

cùs si levis. Defectus verò judicij in examinanda causa honesta & utili, venialis est tam in juramento assertorio, quàm promissorio. Quia non fit gravis irreverentia Deo, in eo quod ejus nomen absque necessitate invocetur.

QUÆSTIO V.

Quale sit peccatum defectus veritatis, & justitiæ in juramento promissorio.

Veritas juramenti promissorij. Quod attinet ad defectum veritatis, si loquamur de veritate præsenti, quæ consistit in eo quòd juramentum conformetur actuali menti, seu voluntati implendi promissum: certū est talem defectum semper esse lethalem, etiam in parva & levi materia, tam licita, quám illicita. In hoc enim paria sunt assertorium & promissorium juramentum.

Est tamen advertendum non adversari tali veritati nimiam quādam exaggerationem jurantis, ut si quis famulo vel filio juret fore ut illum interficiat caput infringendo, & comminuendo ossa. Verba enim illa non sunt contraria intentioni: dicuntur enim per hyperbolem, & faciunt hunc sensum, quòd famulus, vel filius graviter percutiendus est. *Sanch. l.3.c.4.n.9.19.*

Obligatio quanta ex juramento promissorio. Si loquamur de veritate futura, quæ consistit in rei promissæ executione, sæpe accidit, ut ejus defectus nullum peccatum sit eo quòd non expedit rē promissam exequi ob mutatas circunstantias, quibus cum juramentum obligabat. Difficultas solum est, quando res promissa adhuc expedit, & juramentum vigeat an semper lethale sit etiam in materia levi, executionem omittere? Affirmant *Valent. 2.2.d.6.q.7 p.3.cont.3. Lessius 2.just. cap.42.n.23. Reginaldus lib.1 n.79. & Bonac. tom.2. disp.4.q.1.pun.14.n.2.* Quia semper fit gravis injuria Deo, quando adducitur in testem falsitatis.

294 Negandum tamen est cum *Azorio to.1.lib.5.c.27. Suario lib.3. de juram. cap. 16.a n.9. & Sanch. l.3. Decal. cap.4.n.23.* & alijs, qui rectè dicunt illam omissionem executionis esse lethalē in materia gravi, & solum venialem in materia levi. Ratio est, nam qui promittit, si habeat animum faciendi quod promittit, verum loquitur; si non habeat animum mentitur, utpote loquens contra id quod mente gerit. Quando verò postea non exequitur, quia mutavit animum, solum violat fidelitatem, ac proinde peccat pro ratione materiæ graviter aut leviter: at non violat veritatem, & ex hoc nō facit injuriam Deo: quia quando juravit, non adduxit Deum in testem executionis futuræ, sed locutionis præsentis.

Ex hoc fundamento infero posse jurantem in materia gravi quam promisit, velle se solum obligare leviter instar voventis. Quia juramentū solum quà assertorium & non quà promissoriū est, rejicit levitatem materiæ. Unde non acquiesco *L. tom. p. 3. tr. 6. resol. 91. §. Hinc.* asserenti oppositum, nullis vel perperam citatis authoribus.

Justitiæ defectus in juramento promissorio. Quod attinet ad defectum justitiæ, conveniunt omnes tanquam in re certa, lethale esse jurare futuram executionem peccati lethalis, ut si jures executionem fornicationis, aut gravis vindictæ. Est enim evidenter gravis injuria Dei, firmare propositum lethale divino testimonio.

Quod si peccatum juratum leve sit, ut si jures te levem vindictam sumpturum, communis & tenenda sententia est, quam defendunt *Suar. lib.3. de juram. cap.19. Sanch. lib.3.c.4.n.26.* & cum varijs *Bonacina cit. disp 4.q 1.p.3.n 9. ad finem,* solum esse culpam venialem. Ratio est, quia gravis Deo injuria non fit in eo quód divino testimonio firmetur quis in proposito venialis culpæ, præcipue quia talis solum sub obligatione levi tenetur nō exequi illud juramentum.

295 Objicies, gravis injuria fit Deo, & blasphemia est intendere firmare promissionem peccati etiam levis, divino præsidio, adducendo Deū in testem, vel fidejussorem peccati futuri; tam enim repugnat Deum esse cooperatorem & fautorem mali, quàm testem falsi; ergo semper peccat lethaliter qui jurat se facturum peccatum leve. R. neque esse gravem injuriam Dei, neque blasphemiam, firmari per testimonium divinum in proposito peccati venialis. Nam qui sic jurat non implorat Dei auxilium & præsidium ad peccandum credens fore id Deo gratum, ab eoque approbandum: sed ex vulgari ignorantia credit immutabile esse debere, quidquid sub juramento promittitur, quantumvis malum. *Juramentum illicite.*

Unde solum peccat venialiter qui jurat se nō præstiturum aliquod consilium Evangelicum. Item qui omittet tale consilium, quia juravit se illud omissurum, si id procedat ex vulgari ignorantia qua creditur omne juratum esse exequendum. Erit tamen grave peccatum blasphemiæ, & taciti erroris in fide, seclusa dicta ignorantia, exequi rem illicitam, vel omittere consilium Evangelicum in reverentiam juramenti: cum talis executio & omissio fit contra ipsius juramenti religionem. Ita *Palaus disp.1. de juram. pun.6.n. 11. ex Sanch l.3. Decal.c.4.n.29.*

QUÆSTIO VI.

Quale peccatum sit amphibologicè vel fictè jurare?

Amphibologicū juramentum. 296 Circa priorem quæstionis partem de juramento amphibologico, notandū est 1. illum jurare amphibologicé, qui juramentū præstat in sensu diverso ab eo, quem alius intelligit, sive juret in judicio, sive extra illud. Notandū 2. quando verba sunt ambigua, scilicet plures sensus admittentia, nullum esse mendacium, si proferens illa usurpet in aliquo illorum sensu, quem in mente habeat. Solum enim mētitur qui it contra mentem.

Difficultas est expendere quando liceat, & quando qualiterque non liceat jurare amphibologicé. Conveniunt 1. authores cum *Sanch. cit. lib. 3.c.7.n.1. & Lessio lib.2.c. 42.n. 46.* esse peccatum grave occultare veritatē juramento amphibologico, quā lo judex ita juridicē interrogat, ut teneatur interrogatus veritatē fateri. Itē quando quis præstat juramētum ad firmitatē contractus, & ut solvatur obligatione, amphibologicé jurat.

Conveniunt 2. extra judicium, vel extra contractus, jurare vel etiam loqui amphibologicè sine necessitate, esse peccatum. Quia talis modus jurandi & loquendi est contrarius politico hominum commercio, & synceræ locutioni. Dubium est, sit ne peccatum mortale, an veniale? *Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 9. n. 46.* quem sequitur *Diana p. 2. tr. 15. resol. 25.* asserit esse peccatum mortale. Respondeo tamen cum *Suarez cit. l. 3. c. 9. 10. & 11. & Sanch. lib. 3. c. 6. n. 15.* sic loqui, vel jurare absque necessitate, non excedere culpam venialem. Probo, quia tali juramento neque veritas, neque justitia (ut suppono) deest, sed sola necessitas, seu causa, quæ est judicij comes.

297 Dixi (absque necessitate) quia si detur necessitas, seu honesta causa, qualis explicabitur per illationes statim faciendas, nulla omninò culpa erit. Debet tamen utens amphibologia scire saltem in genere, se posse absque mendacio veritatem occultare, quanvis in particulari ignoret modum occultandi. Unde ad vitandum perjurium (inquit *Suar. lib. 3. cit. cap. 10. n. 4.*) sufficiet, si intendat jurare eo sensu, quem vir doctus verum reperiet.

Juramentum amphibologicum in varijs casibus. Infertur 1. coactum jurare an promiserit matrimonium, a cujus obligatione probabiliter immunis est, posse jurare non promisisse, subintelligendo ut teneatur. Infertur 2. posse testem in judicio jurare utendo amphibologia, quando nõ interrogatur juridicé, vel habet justam causam tegendi veritatem, & a fortiori extra judicium. Infertur. 3. idem procedere quando reus de proprio delicto interrogatur vel a judice non legitimo, vel a legitimo non legitimè. Imò testis qui sine causa crimen Rei occultum prodidit; si id fecit mala fide, tenetur ex justitia illatum damnũ reparare per juramentum oppositum, utens amphibologia: si bona fide, ad id tenetur ex sola charitate.

Infertur 4. quoties exterius factum contra legem excusatur a culpa ratione alicujus circunstantiæ, posse rogatum juridicé de illo negare, intelligendo de facto criminoso. Idem procedit de aliqua circunstantia vera, quæ faciat indicium delicti, quod rogatus non commisit. Similiter de debito a cujus obligatione, rogatus liber est.

298 Infertur 5. scholasticos rogatos an fuerint collocuti cum oppositore, posse jurare amphibologicé, negando locutionem, quæ est ad subornandum. Infertur 6. venientem & loco minimé infecto peste, & rogatum a custodibus, posse jurare ab eo non venire, intelligendo non venire ab eo ut infecto peste.

Infertur 7 creditorem exigentem coram judice debitum, posse jurare totam quantitatem in instrumento contentam sibi deberi, quanvis pars illius summæ soluta jàm sit, si alia via debeatur, & non noceat juri alicujus tertii creditoris. Infertur 8. exemptum probabiliter a gabella, posse jurare se non portare talem, vel talem rem, subintelligendo ut gabellam debeat.

Infertur 9. mulierem coactam a viro jurare, an commiserit adulterium posse uti amphibologia. Infertur 10. cum aquo petitur pecunia mutua, posse jurare se non habere, intelligendo ut mutuet. Infertur 11. occultatem ex justa & probabili causa creditoribus, vel fisco aliqua bona, v. g. ne privetur necessaria sustentatione, posse negare se occultasse, intelligendo quæ manifestare teneretur.

Infertur 12. pænitentem temerè rogatum an hoc vel illud peccatum fassus sit, posse negare id fassum, subintelligendo, ut illi teneatur exponere. Infertur 13. canonicos & similes obligatos servare secretum eorum, quæ tractantur in congregatione, posse jurare non violasse secretum, si nihil eorum quæ tenebantur celare, detexerint. Quia judex solum interrogat legitimè de illis quæ tegenda sunt.

299 Infertur 14. mercatores, qui non possunt ab emptoribus obtinere justum pretium, nisi jurent tanti vel tanti sibi mercem stare, cum de facto non stet, posse jurare tanti sibi stare, intelligendo computatis omnibus expensis, vel tanti sibi stare intelligendo cum alia merce, quam alibi emptam domi habent. Ita *Palau de juram. disp. 1. p. 7. §. Decimo sexto. citatis Lessio, Rebello, Bonacina.*

Denique observabis, quoties licitum est uti æquivocatione, id quoque licere, etiam si interrogans urgeat excludendo æquivocationem, & exigendo a te ut jures sincere, & absque ulla æquivocatione: adhuc enim poteris jurare amphibologicé, facta mentis restrictione, qua intelligas te jurare absque ulla æquivocatione injusta. Pro omnibus factis illationibus vide *Sanch. lib. 3. c. 6. & 7. & Palaum cit. pun. 7.*

Circa posteriorem quæstionis partem de juramento ficto, advertendum est tripliciter posse dari in juramento fictionem. 1. si quis juret sine animo jurandi. 2. si juret sine animo se obligandi. 3. si juret sine animo implendi juratũ. His notatis, *Juramentum fictũ & dolosum.*

Dico 1. si quis juret sine animo implendi juratũ, sive in judicio, sive extra, peccat lethaliter. Ita *Suar. l. 3. de jur. c. 17. a n. 7. & Lessius l. 2. c. 42. dub. 8. n. 42.* Patet, quia tali juramẽto deest prima veritas. In juramentis cõminatorijs, quibus parentes terrent filios, ac similibus, quæ authores excusant a lethali, semper subintelligitur aliqua conditio, quæ saluat veritatem: v. g. nisi filius se corrigat, vel nisi petat veniam, vel ne majus incomodum timeatur.

Dico 2. si quis jurat sine animo jurandi, vel jurat verum, vel falsum: si jurat falsum, tam in judicio quàm extra, lethale est: si jurat verum, in judicio & contractibus lethale est, extra judicium & contractus probabiliter veniale est. Ita varijs citatis authoribus *Palaus citatus pun. 8. n. 4.* Ratio primæ partis est, quia videtur fieri gravis injuria Deo, in eo quòd adducatur in testem falsitatis etiam tantum in apparentia. 2. pars de vero jurato extra judicium, & contractus suadetur, quia quando juratur verum neque Deo, neque homini gravis injuria fit ex defectu animi jurandi. Secus in judicio & contractibus, cum detur decep-

tio

tio in re gravi.

300 Dico 3. Qui jurat absque animo se obligandi, nempe in juramento de futuro, peccat lethaliter. Est communis & vera apud *Suar. cit. l. 3. c. 17. n. 10. Sanch. cit. lib. 3. c. 4. n. 10. & Bonac. to. 2. disp. 4. q. 1. p. 7. ad finem.* Ratio est, quia graviter difforme rationi videtur, & gravis Deo injuria fit, quando quis adducit Deum in testem & ipsius testimonio & authoritate teneri recusat. Ibi enim latet contemptus divinæ authoritatis. Deinde qui non habet animum se obligandi, videtur nō habere animum implendi. Cum veró probabile sit hujusmodi juramentum simulatum esse; ac si fieret absque animo jurandi, probabile est, de illo procedere quidquid diximus in secunda resolutione.

Juramentū sine animo se obligādi.

QUÆSTIO VII.

Quale peccatum inducat consuetudo jurandi: & qualiter liceat, vel non liceat inducere ad jurandum?

Consuetudo jurandi.

Circa priorem quæstionis partem, consuetudo jurandi datur in eo qui passim jurat, & dupliciter dari potest. 1. in jurando falsum, vel in jurando absque advertentia ad verum aut falsū. 2 cum advertentia ad verum. Si consuetudo se habeat hoc secundo modo, non constituit in statu peccati lethalis. Ita communiter authores *Valen. 2. 2 d. 6. q. 7. q. 3. Sanch. lib. 3. c. 5. n. 9. Suar lib. 3. cit. c. 6. n. 4. & 5. & Bonac. tom. 2. d. 4. q. 1. p. 13. n. 2.* Ratio est, quia quando datur illa advertentia, & juratur verum, solum dari poterit culpa venialis ex defectu causæ & necessitatis, & non est periculum jurandi falsum. Addunt *Valen. Sanch. & Bonac.* hoc procedere, etiam si consuetudo jurandi sit conjuncta cum consuetudine mentiendi.

301 Si autem consuetudo se habeat primo modo, nempe jurandi falsum, vel sine advertētia ad verum aut falsum, rectè docent *Valen. 2. 2. d. 6. q. 7. pun. 3. Suar. l. 4. c. 6. n. 6. Reginal. l. 18 n. 87. & Bonacina tom. 2. disp. 4. q. 1. p. 13. n. 4.* peccare mortaliter sic consuetum, quoties memor talis consuetudinis, illam non procurat extirpare: sicut habens domi concubinam, & advertens ad periculum peccandi; illud non removet, cùm possit. Nam illa consuetudo est pejerandi occasio proxima & periculum, sicut fornicandi illa retentio concubinæ occasio & periculum est.

Observabis 1. cum *Suar. lib. 3 c. 6. n. 6. & 7.* sic consuetum non peccare lethaliter, quoties jurat absque necessitate, si plenè advertat ad juramēti veritatem & justitiam. Observabis 2. cum *Sanch. l. 3 Decal c. 5 4 n. 28.* juramentum falsum emissum ab illo consueto absque sufficienti advertentia ad mortale, esto emittatur ex prava consuetudine, non esse mortale in se, sed solum in voluntate, quam habet non removendi consuetudinē, sicut pollutio eveniens in somnis censetur voluntaria in causa, quam illi vigilans dedit.

Rogabis 1. an pejerare consueto differenda sit absolutio, quanvis ille firmiter proponat emendationem Respondent varii authores cum *Sayro in clavi lib. 5. c. 5. n. 8, Rodrig. tom. 1 sum. c. 192. n. 11. & Suar. lib. 3. de juram. c. 8. fine,* si ille semel aut bis falsus fuerit talem consuetudinem, omninò absolvendum esse: secus si sæpius: quia tunc differri debet absolutio, ut de proposito constet.

Absolutio an differenda consueto jurare.

302 Probabilius tamen videtur quod *Sanch. l. 2. Decal. c. 32. n. 45. & Bonacina tom. 2. disp. 4. q. 1. de juram. p. 3. fine* docent de consueto blasphemare. Dicunt enim, si blasphemus nunquam fuit admonitus ut se corrigeret, vel admonitus apposuit aliquid studii & laboris ad illam consuetudinem tollendam, statim esse absolvendum. Quando veró fuit in aliis confessionibus sæpe admonitus, & nullam apposuit curam ad emendam, posse in rigore absolvi, si veré doleat de præteritis. & proponat emendari de futuris. Quia cum illa peccata non pendeant ex occasione extrinseca, sed ex propria fragilitate, per dolorem illum removet quantum in se est periculum, quod situm est in prava voluntate. De consilio tamen poterit sacerdos differre absolutionem, si judicet profuturam dilationem.

Blasphemare consuetus ad absolutionem.

Rogabis 2. an possit confessarius imponere consueto jurare conditionalem pænam v.g. jejunium, vel eleemosynam, quam ille teneatur exequi, si reincidat? Certé valde conveniens est ut imponat. An veró pænitens teneatur ad illius executionem? Affirmat *Suar. cit. l. 3. c. 8. n. 7.* id tacité innuens nulla adducta ratione. Negat *Sanch. cit. l. 3. c. 5. n. 17.* Quia sicut aliis peccatis talis pæna imponi nequit, ita & perjuro. Subscribit *Palaus d. 1. pun. 9. n. 7.* subdens rationem, quia sacerdos nō est judex de peccatis futuris, sed solum de præteritis, prout hæc clavibus subjiciuntur. Hoc fateor addendo posse confessarium talem imponere pænam ut judicem, pro peccatis præteritis, & tanquam medicū, ut timore illius deterreat & præservet a futuris.

Pæna cōditionalis per confess.

303 Circa posteriorem quæstionis partem, de inducente ad jurandum, Certum est 1. in nullo casu, etiam urgentissimæ necessitatis licitum esse aliquem inducere ad pejerandum, vel jurandum per falsos Deos. Quia utrunque est intrinsecé malum. Idem procedit, quanvis juraturus falsitatem non agnoscat. Certum est 2. licité peti posse juramentum ab eo, de quo non constat moraliter esse falsò juraturum, vel juraturū per falsos Deos. Quia in dubio delictum alterius non præsumitur.

Inductio ad jurandum.

Certum est 3. illicitum esse sine rationabili causa petere juramentum a nō parato jurare, quem scio pejeraturum, vel juraturum, per falsos Deos. Nam quis ex charitate obligatur non offerre proximo occasionem ruinæ.

Juramenti petitio.

Dubium est 1. an sit peccatum mortale petere juramentum absque necessaria causa, a parato falsum jurare, vel jurare per falsos Deos? *Sanches cit. l. 3. c. 8. n. 23.* respondet cum distinctione ut nempe sit probabiliter culpa venialis petere a juraturo per falsos Deos, at semper mortalis petere a juraturo falsum. Quia ad petitionem hujus nulla regulariter adest necessitas: secus ad petitionē illius Hæc tamen distinctio non apté ponitur in

decisione dubii præsentis, cum in utroque casu supponatur deesse causam. Dicicẽdum igitur est, dari in utroque casu peccatum mortale. Quia in utroque inducitur proximus ad peccandum graviter per juramentum. Sicut si absque causa peteres mutuum ab usurario, vel Sacramentum à malè administraturo. Vide *Palaum cit p. 10.n.6.& 7.* Quid si juraturus putet esse verum quod Petrus certò scit esse falsum, potestne Petrus illum inducere ad jurandum? Respondeo negativè cum *Suar.lib.3.de juram.cap.14.n.8.* quanvis oppositum probabile dicat *Diana p.5.tr.7.ref.14. & Tamborin. l.3.c.1.§.5.n.7.* Quia nunquam licet inducere ad id quod est intrinsecè malum, quale mendaciũ, & fornicatio, etiam si evadat peccatum materiale ex aliqua circunstantia.

Necessitas an excuset petitionẽ juramẽti falsi. 304 Dubium est 2. an data necessitate, seu causa legitima liceat petere juramentum a pejeraturo, vel juraturo per falsos Deos? Nonnulli apud *Sanch. lib.3. c.8.a n.5.* quos postea sequutus fuit *Basilius Ponze de matr.l.5.c.18.§.8.n.58.* dicunt id licere in judicio: at extra illud, solum licere petere a juraturo per falsos Deos, & non a pejeraturo. Rectiùs tamen & cohærentiùs in utroque casu licere tam in judicio, quam extra illud, docet *Suar.de juram.lib.3.c.13.n.3.item c.14.n.16.& Sanch. l.3.c.8.n.2.& 7.* Ratio est quia petitio juramenti nihil mali continet, cum possit optimè præstari: quòd verò iniquè præstetur, malitiæ jurantis tribuendum est, quam petens impedire non tenetur suo magno incommodo.

Cooperatio ad perjuriũ. Quid si a determinato ad jurandum falsò, vel jurandum per falsos Deos, petas, jura mihi, etiam si jures falsò, vel per falsos Deos? *Sanch. cit.n. 27.* credit probabilius id licere: oppositum credit *Palaus cit.d.1.pun.10.n.10.* Mihi arridet *Sanchez*, quia sicut habenti justam causam licitum est petere ab usurario mutuum sub usuris, volendo mutuum, & permittẽdo malitiam usurarum, ita licebit dicere juraturo falsum, jura mihi esto falsum jures, volendo juramentum absolutè prout potest esse sine malitia, & permittendo malitiam falsitatis.

305 Dubium est 3. an liceat petere juramentum promissorium ab eo quem credis violaturũ? Respondent citati authores cohærenter ad proximè resoluta, si moraliter constet esse violandum juramentum, peti non posse, nisi talis petitio sit notabiliter utilis vel necessaria petenti. Quia aliter offendetur graviter charitas. Unde inferunt imprudenter agere cõfessarios, qui exigunt a suis pænitentibus votum aut juramentum non reincidendi: vel agendi talem pænitentiam, si reinciderint.

QUÆSTIO VIII.

Quibusnam pænis afficiantur perjuri?

Perjuriũ qualiter punitur. SErmo nobis erit de pænis ob perjurium cõmissum tam in judicio, quàm extra illud, ipso jure impositis, & per sententiam imponendis. Sit 1. resolutio. Infamiam civilem contrahit perjurus qui fœdus, & humanum pactum juramento stabilitum fregerit, post latam de tali crimine sententiam: dumodò excipias perjurium ob non solutas usuras, quas jurans promiserat. Ita *Covarr. c. quanvis pactum de pactis 1.p.§.7.n.4. Lamber. de jure patron p.1.l.2.q.9.& Lessius l.2.c.42.n 74.* Sumitur ex *l. si quis maior C. de transact, & c. Infames 6.q.1.* Comprehendit talis infamia perjurium promissorium Deo factum, non verò assertorium etiam in judicio: quanvis hoc per judicem infamia sicut aliis pœnis ad arbitrium puniri valeat.

306 2 Resolutio. Nullus perjurus privatur ipso jure beneficiis acquisitis, venit tamen privandus per sententiam: at perjurus infamis infamiâ juris probabiliùs privatur ipso jure beneficiis acquirendis. Ita *Azor.p 1.l.11.c.12.q. 9. & 10. et Barb.de pot.Episc. p.p.3. all.51.n. 44. & 45.* Prior pars sumitur ex *c. querelam de jurejur* Posterior suadetur, quia infamis est incapax beneficiorum. Unde Covarr. citatus ait esse nullam collationẽ beneficii, si fiat perjuro infami infamia facti. *Infamia Perjuri.*

3 Resolutio. Qui violat juramentũ promissorium non extortum vi, per legem Castellæ amittit omnia bona adjudicanda fisco per sententiam declaratoriam criminis. Exprimitur *L. 1.tit.6.lib. 8.& tradit Covarr.de pactis p.1.§.7.n.4.* Si perjurium sit assertorium, puniendum est pæna stellionatus *L.ult.ff.de crim.stellion.* *Promissorium perjuriũ.*

4 Resolutio. Qui in judicio testimoniũ falsum dicit, vel negat veritatem, ex quo infertur proximo damnum, efficitur falsi reus. Ita multis relatis *Farin.praxi 2.p.q.67.n.220. Covarr.de pactis 1.p.§.7.n 5.& Barb.cit.p.3 all.51.n.24.* Unde cõstituta contra eum accusatione debet puniri, si clericus sit depositione, & reclusione in monasterium: si laicus, de portatione & confiscatione bonorum: si servus, pæna capitis.

5 Resolutio. Perjurus in pænam repellitur a testificando in judicio. Habetur *c. testimonium, de testibus. c. quicunque 6.q.1.& cap.non post.3.q. 7.* Non tamen ipso jure repulsus est, sed repelli debet, ut tradit *Suar.to.2.de relig.l.3.de juram. c.ult. a n.18.* qui n.20. affirmat sufficere perjurium in judicio vel in solemni pacto, aut publicam infamiam, quod talis soleat pejerare, ut repellatur. *Palaus disp.2.p.ult.n.6.* existimat necessariò requiri & sufficere perjurium absque injuria extortum, sed nocivum proximo, & in judicio probatũ, quanvis de illo non sit lata sententia.

SECTIO II.

De obligatione, & firmitate juramẽti promissorij, ejusque multiplici materia.

QUÆSTIO I.

Qualiter obliget juramentum promissorium: & an obliget dolo præstitum?

307 COnstat juramentum promissorium obligare, tum ratione promissionis Deo, vel homini factæ, cui adjungitur, tum ratione authoritatis Dei, qui in testem adducitur. Difficultas *Obligatio juramenti promissorij.*

ficultas est, quomodò obliget: & imprimis quæritur sit ne maior juramenti, an voti obligatio? Respondetur maiorem esse obligationem quæ nascitur ex voto, quàm quæ ex juramento. Ita *S.Thom.2.2.q.89.art.8.* Ratio est, quia in juramento promissorio solum adducitur divina authoritas, ut reddatur firmior promissio facta homini, in voto autem ipsi divinæ authoritati fit promissio.

Observandum tamen est aliquando in eadem promissione conjungi obligationem voti & juramenti, ut si jurans promisisti Deo castitatem, hæc una promissio continet duplicem obligationem alteram voti, alteram juramenti.

Rogabis 1. an omnis jurata promissio facta homini contineat duplicem obligationem ex diversa virtute? Respondeo affirmativé cum *Suario l.2.de juram.c.29.n.23.& Sanch.l.3.Dec.c.12.n.3.* Ratio est quia juramentum prout adducit Deum in testem, continet obligationem religionis & promissio illa cui adjicitur, continet obligationem justitiæ, vel saltem fidelitatis, ergo cōtinet duplicem obligationem.

Votum additur in juramento.

308 Rogabis 2. an semper addatur votum juramento de re facienda in honorem Dei? Respondeo cum *Sanch.cit.c.9.n.5.* Item *l.8.Mor.disp.13.n.4.& Lessio l.2.just.c.42.dub.11.n.53.* addi regulariter. Quia sic jurans regulariter Deo rem faciendam promittit. Dixi (regulariter) Quia si vellet expressé non promittere, sed solum proponere (quod possibile est) staret juramentum sine voto. Illud notabis, quoties violatur jurata promissio, duplex committi peccatum, aliud contra obligationem juramenti, aliud contra obligationem promissionis.

Dolus in juramento.

De altera quæstionis parte, quoad juramentū dolo præstitum, advertendum est tripliciter posse dolum intervenire 1. si jures absque animo implendi promissum 2. si jures absque animo jurandi & te obligandi. 3. si jures verbis amphibologicis. Si jures primo modo, adhuc persistit juramenti obligatio. Quia absque animo implendi obligationem potest stare animus se obligandi, seu contrahendi obligationem. Ita præter citatos *Bonac.to.2.d.4.p.7.q.1.n.5.*

Si jures secundo modo, nempe absque animo jurandi, & contrahendi obligationem, distinguēdum est: nam si juramentum fuit rationabiliter expostulatum, quanvis a juramento utpote nullo, nulla resultet obligatio, datur tamen aliunde obligatio ad reparandum omne damnum, quod ex ficto juramento provenit: cum nulla fuerit causa ad sic ficte jurandum: si vero irrationabiliter expostuletur, nulla erit obligatio illius reparationis. Quia tunc præsumi debuit solo verbo tenus jurasse. Ita *Bonac.tom.2.disp.4.q.1.p.7.n.2.*

Obligatio juramenti amphibologici.

309 Si jures 3. modo, nempe amphibologicé, quia accipis verba in sensu diverso ab eo quem alter intelligit, solum contrahis obligationem juramenti juxta sensum quem jurasti. Ita *Suar.lib.2.de juram.c.8.a n.5.* Sumitur ex *c.Humanæ aure 22.q.5.* ubi sic habetur: *Humanæ aures talia verba judicant qualia foris sonant, divina verò judicia talia foris audiunt, qualia in intimis proferuntur.*

Dices in *c. Quacunque arte 22. q.5.* sic habetur: *quacunque arte verborum quisque juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit;* ergo obligat juramentū secundum sensum illud exigentis, & textus inter se videntur pugnare. Respondeo non pugnare textus, sed ita esse conciliandos, ut Deus intelligat juxta mētem exigentis ad vitandum damnum illi injusté inferendum ex dolo, & intelligat juxta menté jurantis, ut vitetur perjurium, & obligatio ex tali juramento per se orta. Vide *Lessium lib. 2.c. 42. num.45.*

Jurans sine intentione de obligandi.

Maior difficultas est, an in materia capaci obligationis, si jures absque intētione te obligandi, ex tali juramento obligeris? Affirmant *Suar.tom.2. de relig.l.2.c.7.Sayrus in clavi l.3.c.6.n.8. Lessius cit.cap. 42.n.38.* Nam juramentum ex sua vi & ratione obligationem inducit; qui igitur efficaciter intēdit jurare, necessarió contrahit obligationem.

Negandum tamen est cum *Azorio p.1.l.11.c.4.q.2.Sanch.l.3.c.10,n.8.& Bonac.tom.2.d.4.q.1 p.7 n.3.* Probatur, quia juxta omnium sententiam, obligatio juramenti promissorii vel est de illius essentia; vel essentiam necessarió consequitur in materia capaci; ergo qui efficaciter noluit obligari non juravit, quia non potuit habere efficacem intentionem jurandi. Dixi (in materia capaci) quia in materia incapaci obligationis, qualis esset, non dare eleemosynam, si quis id juraret: separabiles sunt intentio jurandi, & intentio se obligandi.

QUÆSTIO II.

Utrùm inducat obligationem juramentum exactum per injuriam, & metum?

Juramentum solvendi usuras.

310 Quanvis injuria laté pateat, modò illam restringimus ad eam quæ fit per usurarium exigentem usuras sub juramento, & per illum qui metu juramentum extorquet. Est igitur 1. difficultas an obliget juramentum solvendi usuras, quod exigit usurarius à petente mutuum & usuras promittente? Affirmativa resolutio recté traditur a *Suar.tom.2.relig lib. 2. c.9. n.5.& Sanch.l.3.Dec.c.11.n.3.& 4.* & expressé definitur *c.Debitores, de jurejur.* Quæ resolutio vera est, quanvis in promissione intervenerit peccatum, & vitium usuræ exprimeretur, dummodó in solutione promissa peccatum non inveniatur.

Ratio totius resolutionis explicatæ est, quia licét usurarius per illam injuriam nullum sibi jus acquisierit, tamen jurans tenetur reddere Deum testem veracem implendo promissionem divini nominis testimonio confirmatam: præsertim quia sic implens exercet actum veracitatis, & fidelitatis.

Quod diximus de juramento solvendi usuras, procedit si jurasti stare contractui, in quo fuisti læsus ultra dimidium justi pretii: nam obligaris servare juramentum, quandiu illud tibi non relaxetur; quanvis illo secluso talis contractus non

te obligasset. Omne enim juramentũ de re præstanda obligat, quando in præstatione nullum est peccatum.

Solutio momentanea implet juramentum.

311 1 Observabis tamen cum *Sanch. lib. 3. c. 11. n. 9. Lessio l. 2. just. c. 17. dub. 7. n. 51. & Gutierr. de juram. confirm. p. 1. cap. 53. n. 8.* te juramento illi satisfacere momẽtanea solutione, etiam si statim absque ulla juramenti relaxatione usuras solutas repetas. Hoc enim deciditur cit. *Cap. debitores,* ad finem. Quia per solutionem usurarum impletur juramentũ. Notat tamen *Sanch. n. 10.* te non posse satisfacere compensatione anticipata, scilicet retenta peccunia usurarum, quam scis usurarium statim tibi debiturum: posse vero te satisfacere compensatione ordinaria, remittendo usurario tantumdem tibi alia via debitum.

Usurarũ juramentum.

Quid si juramentum præcedat non solum de solvendo usuras, sed etiam de non repetendo solutas? Illas non poteris repetere nisi obtẽta priùs relaxatione secundi juramenti. Ita ex c. *ad audientiam Suar. l. 2. de juram. c. 9. n. 17. & Sanch. l. 3. c. 11. n. 9.* Quia cum tale juramentum sit de re licita, potest mandari executioni absque salutis æternæ dispendio. Adhuc tamen superest remedium, cum possit denunciare prælato, ut ipse ex officio remittat juramentum, & usurarium compellat ad solvendum: non enim jurasti non denunciare, sed non repetere. Quod si jurasses non denunciare, juramentum non teneret, utpote de re illicita, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3.*

Juramẽti extorti per metum obligatio.

312 2 Difficultas est quoad alteram quæstionis partem, an obliget juramentũ metu extortum? Procedit spectato jure positivo, de metu gravi, per quem infertur juranti injuria. Apud *Sanch. l. 3. Decal. c. 11. a. n. 12. & Palaum disp. 2. de juram. pun 4.* plurimæ sunt sententiæ, aliæ absolutè affirmantium, aliæ absolutè negantium, multæ diversis vijs medijs incedẽtium. Omnibus omissis, opponemus duplicem resolutionem, spectato jure civili & canonico.

Sit 1. resolutio. Spectato jure civili juramentum metu gravi extortum nullam inducit obligationem. Ita communis opinio, ut fatetur *Sanch. lib. 4. Matr. d. 20. n. 5. in solut. 2. argum.* & consentit *Basilius Ponze l. 12. de sponsal. c. 8. n. 64.* Ratio est, quia Magistratui civili inest potestas infirmandi obligationem juramenti antequam fiat, v. g. redendo jurantem incapacem, reddendo materiam ineptam, vel remitendo obligationem: constat autem exercuisse hanc potestatẽ jus civile *in Authen. Sacramenta puberum* & in *l. non debitum C. de legib.* ubi expressè decernitur juramenta per vim & metum extorta, nullius esse momẽti, tam quoad obligationem Deo acquisitam, quàm homini.

Metus in juramẽto.

2 Resolutio. Spectato jure canonico, cui in materia juramenti, utpote spirituali standum est, juramentum metu extortum in materia licita obligat, sive relinquat salvam repetitionem, sive non. Ita *Sanch. n. 14. & Palaus pun 4. n 9.* quidquid dicat *Ponze cit. n. 70* contradicens, si juramentum secum deferat non repetere, seu non revocarẽ. Sumitur ex *c. si verò de jure juran. & c. debitores* eodem. Proceditque non solum in contractibus approbatis, sed etiam in reprobatis: item in utroque foro.

313 Unde est discrimen inter votum, matrimonium metu extorta, & juramentum metu extortum, quod illa sint irrita, & hoc validum. Satisfit his juramentis coactis momentanea solutione, & statim jurans potest repetere. Quod si fuit aliud juramentum de non repetendo, hujus relaxatio ab Episcopo priùs impetranda est, ac statim repeti potest. Excipiuntur tamen juramẽta coacta, quæ adjiciuntur sponsalibus, matrimonio, & constitutioni coactæ procuratoris ad matrimonium, quæ nulla esse, probat *Sanch. l. 4. Matr. d. 21. n. 2. & disp. 12. n. 21.* Quanvis constitutio dotis & arrharum coacta nulla sit, tamen juramentum illi accedens valet: non ita si accedat coactæ professioni religionis. Sanch. 3. Dec. c. 11. num. 24.

Rogabis, an obliget juramentum, quod solutus a carcere præstitit de redeundo ad ipsum carcerem? Constat obligare, quando carcer, & pœna inferenda etiam mortis, sunt justa, & carceratus nõ timet se injustẽ vexandum. Nam talis reditus est honestus, & debitus fidelitati, justitiæ, ac religioni. Difficultas est, quando carcer est injustus, & pœna mortis quæ timetur, injusta, sive a parte rei, sive secundùm allegata, aprobata, & carceratus timet se injustẽ vexandum? Negant obligare *Covarr. l. 1 var. c. 2. n. 7. Vasq. 1 2 d. 174. c. 5. n. 35. Gutier. de juram. 1 p. c. 57. n. 24. & Ponze l. 12. c. 8. n. 20.* Probant, quia ex lege charitatis tenetur quis propriæ vitæ periculum declinare. *Juramẽtum carcerati de redeundo.*

314 Affirmandum tamen est obligare probabiliùs cum *Suario l 2. c. 10. n. 24. Sanch. l. 3. c. 11. n. 31. & Bonac tom. 2. disp. 4. q. 1. p. 9. n. 2.* Ratio est, quia ille prudenter firmavit juramẽto promissionem, ut obtineret exitum ad res suas componendas: nec circa rem promissam est facta mutatio: promisit enim redire conscius injuriæ & periculi damnationis injustæ. Idem procedit de eo qui juravit non fugere de carcere injurioso.

Intelligitur posita sententia, nisi jurans tempore quo juravit reditum aut non fugere, ignoravit tantum esse periculum. Data enim ea ignorantia non ligabitur juramento. Quando carcer injuriosus est, vel pœna inferenda injusta, non obstante custodis damno, poterit juramenti relaxatio ab Episcopo obtineri, nisi sequatur scandalum religionis Christianæ, ut ex captivi Christiani fuga inter infideles. Si autem carcer, & mors justa sint, juramenti relaxatio obtineri nequit.

QUÆSTIO III.

Sitne validum & obligatorium juramentum dolo, vel errore & ignorantia præstitum?

HÆc quæstio multum pendet ab illa, quam decidimus tract. 13. de contractibus in genere sect. 3. ubi investigavimus per quid, & quomodò vitietur contractus, agentes de dolo, errore, & ignorantia illos vitiantibus. Cum enim juramentum apponatur contractibus, & promis-

sionibus

sionibus ut illorum firmet obligationem, proindeque habeat omnes restrictiones & conditiones, quas contractus habet, si contractus nullas obtinuerit vires, nullas etiam obtinebit juramentum.

315 Omissis igitur quæ in citato tractatu & sectione diximus, in præsenti quæstione erimus breves, & solum mittemus in compendium quæ Thomas *Sanch. l. 3. c. 11. n. 36.* fuse resolvit. Quare ut sciamus, an juramentum præstitum dolo, errore, aut ignorantia vires habeat, supponendū est 1. dolum, errorem, & ignorantiam dupliciter se habere. 1. antecedenter, itaut inducant ad actū faciendum. 2. concomitanter, itaut non inducant ad actum, sed ita se habeant, ut ipsis non existentibus, actus fieret. Supponendum est 2. totam quæstionis difficultatem versari in hoc, an dolus, error, vel ignorantia auferant jurantis consensū?

Juramentum ex dolo, vel errore.

Sit 1. conclusio. Quando dolus vel error (& idem est de ignorantia) habent se antecedenter ad substantiam rei juratæ, juramentum irritum est. Patet, quia tunc deest consensus, ut si quis juret dare alicui rem, quam putat esse vitream, & postea deprehendat esse gemmam legitimam. Quod si res sit dividua, ut si dicamus partem illius rei juratæ esse gemmeam, & partem vitream, juramentum solum erit irritum quoad illam partē, circa quam versatur error.

2 Conclusio. Idem dicendum est, quanvis error, dolus, aut ignorantia se habeant concomitāter circa substantiam rei juratæ. Ratio est, quia hujusmodi error, dolus, vel ignorantia, quanvis non reddant actum positivè involuntarium: at reddunt non voluntarium: ad juramentum autem, sicut ad matrimonium, positivus consensus requiritur. Dicta procedunt sive error aut dolus sit invincibilis & prudens, sive crassissimus & fatuus. Nam quilibet ex his consensum aufert.

QUÆSTIO IV.

Quæ materia postuletur ut juramentum promissorium obliget?

316 CUm jam exposuerimus ea quæ ad juramenti vires exiguntur ex parte jurantis, sequitur ut exponamus quæ postulantur ex parte objecti, seu materiæ promissæ. In hac quæstione videbimus communissimam juramēti materiam, in sequenti ad peculiares descendemus. Communissima igitur juramenti materia ut detur, conditiones duas habere debet, alteram ut sit possibilis, alteram ut sit licita & honesta.

Materia juramenti cōmunissima.

Quod attinet ad priorem, possibilitas ideo requiritur in juramento, quia jurare impossibilia temerarium est, cum quis non possit verum facere quod jurat. Unde inferunt nonnulli illicitū & irritum esse juramentum de facto alieno, utpote de impossibili: quod enim ab alterius voluntate pendet, juranti possibile non est. Verum *Covar. de pactis 2 p. §. 6. n. 1. ver. 13. & Gutierr. 2. p. de juram. confirm. c. 2. n. 3.* rectiùs asserunt tale juramētum licitum & validum esse. Quia accipitur in eo sensu ut jurans procurando faciat quantum in se est, ut alter suum factum præstet.

Juramētum de facto alieno.

Quare jurans Petrum fore soluturum, vel matrimonium initurum, solum tenetur facere quantum in se est ut Petrus solvat, vel matrimonium ineat: quia solum intellexit se obligare ad procurandum. Sumitur ex *cap. ex rescripto, de jurejur.* Et quanvis jure Imperiali *§. si quis alium instit. de inutil. stipulat.* promissio absoluta de facto alieno non obliget, sed opus est, ut quis expressè promittat se curaturum, ut alius exequatur, tamen si firmetur juramento promissio de facto alieno, etiam jure illo communi obligabit, ut docet *Molina tr. 2. de just. disp. 268. §. quod si.*

317 Necesse tamen est ut sit vera promissio, & acceptata: non enim sufficit enunciatio: si enim jures sub enunciatione, ad nullam diligentiam obligaberis: quia sensus est te credere, fore ut alterius factum eveniat, ut si jures pluviam esse futuram. At quoties diligentiæ propriæ materia capax est, & non constat te jurasse sub enunciatione, præsumeris sub enunciatione non jurasse, & obligaberis ad faciendam diligentiam.

Quod attinet ad conditionem alteram de honestate, conveniunt authores materiam juramenti promissorij ita debere esse licitam & honestam, ut juramentum de re illicita etiam venialiter nō obliget. Quia juramentum esse nequit vinculum iniquitatis. *Cap. quanto, de jurejur.* Item quia dicitur *c. cum contingat, de jure juran.* Juramentum servandum esse, modo non vergat in dispendium salutis æternæ: & peccatum mortale affert immediatè tale dispendium, veniale mediatè prout ad mortale disponit.

Honestas materiæ juratæ.

Difficultas esse potest, an materia purè indifferens sit capax juramenti promissorij, quod valeat, & obliget? *Sanches lib. 3. Decal. c. 9. n. 19.* videtur affirmare, quatenùs pro generali regula ponit, ut juramentum homini præstitum semper obliget, quando res promissa abque ullo peccato etiam veniali a jurante impleri potest. *Cap. quanvis pactū, de pactis in 6.* Regula (inquit) verum habet etiam in juramento non continenti promissionem: quia adhuc fit proximo, in ejus utilitatem. Unde quāvis juramentum in se illicitum & prohibitum sit, si materia promissa absque culpa possit observari, obligabit. Imò (addit) quanvis promissio prohibita, & jure irrita sit, dummodo res promissa liceat, juramentum obligabit. Nam si quis ex causa justa voveat se nihil promissurum, in consulto confessore, & postea eo inconsulto voveat, peccabit quidem vovendo, sed votum obligat.

Votum de non vovēdo.

318 Nihilominus *Vasq opusc. de testam. c. 3. dub. 3. n. 38. Suar. l. 2. de juram. c. 16. per totum, & Basilius Ponce l. 12. de matrim. c. 8. n. 28.* quos citat & sequitur *Palaus disp. 2. p. 6 n. 3.* asserunt nullam posse habere obligationem juramentum de re indifferente. Quia est vanum, inutile, & consequenter Deo placere nequit. Hoc ego intelligo (ut concilietur Sanches cum citatis authoribus) de jurante rem omninò indifferentē sine ulla directione finis honesti, quem in impletione intendat. Quia tunc peccabit saltem venialiter sic implendo.

Nam

Nam si juret rem de se indifferentem ob finem honestum, v.g. non transire per talem plateam ad vitandam occasionem peccati, omnes conveniunt teneri.

Observabis denique, cum juramentum in gratiam Dei, vel hominum fieri possit, diversam esse utriusque materiam: nam si juramentum fiat in gratiam Dei, ut si promittens Deo id jures, coincidit cum voto, ac proinde esse debet de materia non solum honesta, sed etiam non impeditiva maioris boni. Quia aliter promissio Deo accidere non potest. Secus si fiat in gratiam hominis, quia homini sæpe fit gratius quod minus bonum est, & impeditivum maioris. Excipitur juramentum quo quis promisit matrimonium ineundo sponsalia. Ita *Sanch. de Matr. l. 1 disp. 43. n. 3.* Quia juramentum sortitur naturam & conditiones actus, super quo imponitur: at promissioni matrimonij inest tacita conditio, nisi promittens religionem elegerit, juxta cap. *ex publico, de convers. conjugat.*

Materia juramenti facti in gratiam Dei,

319 Rogabis, an juramentum de re illicita indigeat relaxatione? Respondeo negativé cum *Sanch. l. 4. de sponsal. disp. 32. n. 2.* Nam relaxatio est ad tollendum vinculum: cum veró nullum esse possit vinculum iniquitatis, nullum juramentum de re iniqua vincire, seu obligare potest; ergo nō indiget relaxatione. Textus in *cap. venerabilem §. idem etiam de elect. & in c. cum quidam 12. §. illi vero de jurejur.* qui videntur nobis obstaré, optimé exponit. *Pal. ubi cit. p. 6. n. 6.*

QUÆSTIO V.

Quænam sint peculiaria juramenta, in quibus materia dubia est?

Juramentum non ludendi.

VT exponamus nonnulla peculiaria juramenta, in quibus propter dubiam materiam dubitatur, an valeant, & obligent, varias juvat proponere, & expedire difficultates. 1. difficultas est utrúm juramentum non ludendi valeat, & obliget? Si hoc juramentum absoluté fiat, credunt *Navarrus c. 12. n. 11. & Roter. to. 1. sum. c. 189. n. 10.* non obligare, utpote invalidum, & de re illicita. Probant, quia ludus moderatus assumptus ob levamen naturæ est actus virtutis, quam vocant Eutrapeliam, juxta *S. Thomam 2. 2. q. 168. a. 2.* ergo cum tale juramentum virtutis actum excludat, valere & obligare nequit utpote de materia non honesta.

320 Nihilominus certum est (ut multis relatis tradit *Bonac. tom. 2. disp. 4. q. 1. de juram. p. 16. n. 4.*) obligare tale juramentum saltem quoad abstinētiam a ludo immoderato. Nam interpretatio fieri debet, ut quantum fieri possit, minor inducatur obligatio. Addit bené citatus *Bonac.* ex *Sanch. l. 1. sponsal. disp. 4. n. 4. & 5* validum & obligatoriū esse posse tale juramentum, esto ad moderatum ludum extendatur. Nam sunt actus virtutum a quibus ob finem perfectiorem abstinere, actus perfectior virtutis est, quales comestio ciborum saluti utilium, & politica conversatio cum amicis: sic etiam lusio moderata, a qua proinde ob pœnitentiam & mortificationem abstinere valdé honestum est.

Ludus in juramento.

Rogabis, unde dignoscendum sit, sub juramento non ludendi absoluté prolato comprehendi ludum moderatum? Respondeo dignoscendum esse ex fine, quo quis motus juravit: si enim juravit ad vitādam pecuniæ jacturam magnam, non comprehendit moderatum ludum: secûs si ut careret omni prorsus recreatione ludi.

Addit *Sanch. l. 3. Decal. c. 8. a n. 5.* si finis fuit vitare jacturam temporis, vel se privare recreatione, nec proprio, nec alieno nomine posse ludere: si finis fuit vitare jacturam pecuniæ, vel discordias, posse ludere alieno nomine: similiter in dubio finis.

Potest (ait n. 8.) dum non constat de contraria intentione tradere alteri nummos, ut nomine ipsius ludat, etiam si ipse ludentes inspiciat. Jurans non ludere poterit sponsiones in ludo facere, vulgo *Por de fora.* Eadem doctrina inspiciendi finem jurantis procedit, quando quis juravit cum determinatione v.g. non ludendo cum tali persona, in hac de modo, tali ludi genere.

321 2 Difficultas est, an valeat & obliget juramentum non mutuandi, nec fidejubendi? Negativa est communis sententia, quam tenent *Gutier. de juram. 1. p. c. 72. a n. 5. Suar. l. 2. de juram. c. 17. n. 11 & Sanch. l. 4. de voto cap. 9. n. 18.* Fundatur, quia mutuare & fidejubere sunt opera misericordiæ, & charitatis, & cadunt aliquando sub præceptum: igitur juramentum de illis omittendis esse nequit de materia licita & honesta.

Juramentum non mutuandi & non fidejubēdi.

Pro explicatione adverte in his juramentis spectandum esse finem jurantis, formam jurandi, & personam jurantem. Si spectetur finis jurantis, & hic moveatur ob honorem Dei, sunt manifesté irrita: quia in honorem Dei cedere nequit juramentum quod impedit opera virtutis. Idem procedit, si moveatur ob propriam commoditatem, ne mutuando aut fidejubendo subeat rei familiaris jacturam: quando ex præcepto teneatur mutuare aut fidejubere Quia juramentum cōtra rem præceptam non obligat. Secus erit si moveatur ob utilitatem tertii, v.g. creditorum, filiorum, & uxoris, quibus obligatus est.

Si spectetur forma juramenti, v.g. quando non fuit emissum absoluté, sed sub restrictione scilicet non mutuandi, vel fidejubendi, sine prævia examinatione, & sumpto consilio: tunc enim validum, & obligatorium est. Si spectetur persona jurans, etiam valorem sortiri poterit, v.g. juramentum non fidejubendi: nam si clericus juret non fidejubere pro laico, valebit juramentum, prout conforme juri canonico *c. 1 de fidejussor. & c. te quidem 11. q. 1.* ubi clericis in sacris prohibetur fidejussio pro laicis, nisi in casu necessitatis. Secûs si clericus juret non fidejubere pro clericis.

Fidejussor clericus pro laico.

322 Ex dictis sequitur non obligare juramēta quæ frequenter emittunt mercatores non emendi auctiori pretio, & non vendendi viliori. Non enim cedunt in honorem Dei, neque in proximi utilitatem, ut acceptentur. Quód si cedant in proprium commodum, jurans facilé ce-

dere poteſt. *Sanch. l.3 c.9. n.15.*

3 Difficultas eſt, an valeat & obliget juramentum de non accuſando, nec denunciando? In *c. quemadmodum §. illud de jurejur.* habetur ſi vir juret ſe non accuſaturum uxorem ſuper ullo crimine, obligatorium non fore juramentum: quia aliquando tenebitur accuſare, ut ſi uxor reddatur infidelis, vel nolit cohabitare viro ſine contumelia creatoris. Secùs ſi fiat juramentum de non accuſando ob adulterium commiſſum. Unde capitur generalis reſolutio, ut non valeat juramentum, quo quis abſolute jurat nunquam accuſare, vel denunciare: ſecus ſi juret ſub prudenti reſtrictione, v.g. niſi accuſatio, aut denunciatio obliget, vel expediat. Vide *Bonac. tom. 2. d.4. q.1.*

Juramentum de nõ accuſando.

Infertur 1. invalidum fore juramentum, quo quis volenti committere delictum juret pœnam pro eo ſubiturum. Eſt enim promiſſio de re ad peccatum incitante. Idem eſt, ſi jures pactum ut alter non teneatur de dolo, vel furto. Infertur 2 non valere nec obligare juramenta quæ fiunt animo vindictæ, v.g. accuſandi delinquentem inimicum. Sic jurant frequenter pueri ſe accuſaturos apud parentes, dominos, vel Magiſtros. Idem procedit de parentibus & dominis, qui jurant punire filios, vel ſervos. Jurant enim ex animo vindictæ. Quod ſi animo correctionis, & hujus executio expediat, obligabit juramentum pro qualitate convenientiæ ad finem, ſed rarò vel nunquam graviter. Nulla erit obligatio, ſi ceſſet finis, quia jam delinquens emendatus eſt: & a fortiori ſi ex caſtigatione ſequantur maiora incommoda. Ita *Palaus cit. §.3. n.5.*

Vindictæ animo in juramento.

323 4 Difficultas eſt, qualiter ſe habeat juramentum, quod medici præſtant de monendis infirmis, ut confiteantur? Cõſtat 1. materiam hujus juramenti eſſe honeſtam, proindeque capacẽ ut juramentum in illa valeat & obliget. Conſtat 2. præſtari hoc juramentum ex jure canonico. Nam Innocentius 3. *Cap. cum infirmitas, de pœnit. & remiſſ.* districtè præcipit medicis, ut vocati ad medendum infirmo in lecto jacenti, eum ante omnia moneant ad confeſſionem.

Medicorũ juramentũ.

Hoc decretum innovavit Pius V. anno 1566. proprio motu incipienti, *Supra gregem Dominicum*, & adjecit præceptum, ne medici ultra tertium diem ægrotum viſitent, niſi per confeſſarij ſcriptum ipſis conſtet de Infirmi confeſſione, niſi confeſſarius ex cauſa confeſſionem differat. Inſuper præcipit academijs & collegiis, ut cum medendi facultatem alicui concedunt, vel ad Doctoratum promovent, exigant juramentum hæc ſervandi: & ita in uſu eſt. Quod hoc juramentum obliget ſub mortali, docet *Sanch. l.3. c. 16. n. 3.* Qualiter verò medicus ſe gerere debeat in ipſius obſervatione, tradit toto illo cap. 16. & nos tradidimus in noſtra *Acad. n. 1528.*

5 Difficultas eſt, an & qualiter decuriones, ſcribæ, judices, alijque officiales obligentur juramento, quod præſtant? Hujuſmodi juramentũ obligatorium eſſe, utpote in materia licita & honeſta, certum eſt. Dubitatur, qualiter jurantes obligentur. Quod atinet ad decuriones, vulgo *Vereadores*, jurantq; ſecretum circa ea quæ tractantur in conſiſtorio, & obire fideliter ſuum munus proſpiciendo reipublicæ. Secretum illud juratum obligat pro qualitate materiæ, & damni orti ex violatione. Ex juramento proſpiciendi rei publicæ affirmat *Rodrig. tom. 2. ſum. cap. 28. in 4. interrogat.* obligatos eſſe facere inquiſitionem de peccatis publicis, & denunciare judici, ut remedia adhibeat.

Decurionũ juramentum.

324 Negandum tamen eſt cum *Sanch. cit. l.3. c.14. n.16. & Palao cit. diſp. 2. p.7. §.5.* Nam illi ex ſuo munere ſolum tenentur conſulere bono tẽporali publico, quale eſt, ut rectè provideatur populus, ne ſint exceſſiva rerum pretia, ne graſſentur latrones, ne eveniat morborum contagio aut peſtis.

Quod attinet ad ſcribas, procuratores, & alios ſimiles officiales, qui jurant ſervare taxam a Rege præſcriptam, vulgo *o aranzel*, dicunt multi ex illis eſſe jam conſuetudine derogatam, ob pretiũ rerum quod multum excrevit. Quidquid reclamet. *Palaus diſp. 2. p.7. §.5. n.4.* Ego non teneor examinare factum, ſed jus: proindeque, ſi taxa illa jam eſt legitimè derogata, juramentum ſolum obligat juxta materiam & intentionem jurantis, quibus accommodatur. Ex quibus patet, quomodo teneantur, qui jurant ſervare ſtatuta alicujus Academiæ, vel collegii, & judices qui jurant ſuũ officium rectè obire: ſolum enim tenentur ſervare ea, quæ derogata non ſunt, ſed in viridi obſervantia. Vide *Sanch. l.3. c.14. Salas de leg. diſp. 15. ſect. 1. & Bonac. tom. 2. d.4. q.1.*

Scribarũ & officialium juramentũ.

6 Difficultas eſt, utrùm & qualiter obliget juramentum emiſſum contra prius juramentũ, votum, aut promiſſionem? Dico 1. ſi juraſti contra actum jurandi, v.g. quia juraveras, nullum juramentum aut votum emittere, inconſulto ſuperiore, & poſtea eo inconſulto juraſti materiam ut ſuppono licitam, hoc juramentum obligat. Ita *Suar. lib. 2. de juram. c.24. n.2.* Ratio eſt, quia tale juramentum eſtò illicitè emiſſum, ſine peccato executioni dari poteſt utpote de re licita.

Juramentum contra prius juramentum.

325 Dico 2. ſi juraſti contra materiam juratam aut votatam, in qua contrarium juramentũ aut votum tunc exiſtit, tale juramentum non obligat. Ita *Sanch. l.1. Matr. diſp. 50. n.2. & Bonac. to. 2. diſp. 4. q.1. p.6.* Eſt enim de re illicita, ut ſi poſt votum, aut juramentum caſtitatis, fœminæ promiſiſti & juraſti matrimonium. Dixi (contrariũ juramentum aut votum tunc exiſtit) quia ſi pro eo tempore exiſtat, ſecundum juramentum non obligabit, eſto prius decurſu temporis extinguatur: ſecùs ſi pro eo tempore non exiſtat.

7 Difficultas eſt, qualiter juramentum in materia per legem prohibita obligare poſſit? Certa eſt generalis reſolutio, quam tradit *Sanch. l.3. Dec. cap.9. a n. 29.* non obligare juramentũ de re prohibita per quancunque legem obligantem ad culpam. Unde (addit n.30.) non obligat contra bonos mores naturales, obligat verò contra putè civiles: quia contra illos, & nõ contra hos culpa

Juramentum in materia lege civili prohibita.

esse dicendum de commutatione in rem evidenter æqualem. Quia posita æqualitate redditur Deo quod illi æque gratum est. Secus de promissione jurata facta hominibus: nam hæc in eadem specifica forma impleri debet: cum illis non sit semper æqué gratum quod in se æqué bonum, aut melius est.

QUÆSTIO II.

Quæ, & quibus juramenta præstita in favorem hominum irritari vel remitti possint?

Juramenta subditorũ ad irritationem.

PRoposita & explicata duplici regula, dirimetur generaliter tota quæstio. Sit 1. regula. Omnes illæ personæ, quæ dominativam potestatem habent, irritare possunt juramenta subditorum circa materiam sibi subjectam. Est communiter recepta & explicatur discurrendo per singulas personas. 1. Pontifex irritare potest juraméta de non augendo numero canonicorum, de renunciando beneficio, de non alienandis bonis Ecclesiæ. Cum sint de materia dispositioni illius subjecta. *Cap. venientis de jurejurand. Covar. de pactis 1. p. §. 3. n. 5.*

347 2 Episcopus potest irritare juramenta quam fecerunt beneficiati de nõ acceptanda præbenda, vel non serviendo Ecclesiæ, & sic de alijs in materia sibi subjecta. 3. Prælatus regularis quodcunque juramentum a suis subditis emissũ potest irritare. Quia ex obedientiæ voto religiosi voluntas prælato subjacet. 4. maritus juraméta uxoris in favorem tertij potest irritare, si fuerint in materia sibi subjecta, ac proinde in bonis communibus, & etiam dotalibus uxoris, quæ administrat. At cum cesset subjectio soluto matrimonio, non poterit irritare juramentum, quo uxor firmet dispositionem de suis bonis in tempus quo matrimonium dissolutum fuerit. *Sanch. l. 3 c. 20. n. 3.*

Maritus ad uxoris juramenta.

5 Domini possunt irritare juramenta servorũ, si vergant in præjudicium ipsorum dominorum: secus si fiant in materia quæ sit extra ipsorum dominium. *Sanch. eod. n. fin.* 6. Parentes & tutores possunt irritare quæcunque juramenta quibus pupilli, seu impuberes firmant contractus suarum rerum. At juramenta quibus puberes suarum rerum firmant contractũ, irritare nequeunt. Quia juxta *Lessium l. 2. c. 42. n. 61. ex l. 1. & 2. C. si adversus vendit.* ratione juramenti extracta est materia ab eorum dispositione, & minores ratione juramenti facti sunt maiores dispositione legis, ita ut illis læsis etiam denegetur restitutio in integrũ. Hæc de jure communi. De jure autem Lusitano res aliter se habet, cum juramenta non firment contractus: ut videre est in 1. p. tract. 13. sect. 4. n. 860.

Creditor ad remittendum juramentum.

348 2 Regula. Creditoris remissione, seu conditione de materia sibi promissa, cessat juramenti obligatio. Nam tunc illius fundamentum corruit. Ad quod (inquit *Sanch. n. 4.*) nulla exigitur causa, cum homo ille sit dominus materiæ promissæ. Quid si juramentum cedat principaliter in honorem Dei, eo quòd cedat in favorem creditoris? ut si intuitu pietatis promisisti sub juraméto Eleemosynam pauperi? Si nullum determinasti pauperem, nullus est qui possit remittere: si aliquem determinasti, ille remittere potest. Ita *Palaus de juram. d. 3. p. 2. n 3.*

QUÆSTIO III.

An detur potestas in Ecclesia relaxandi juramenta quæ hominibus præstantur?

Relaxatio juramenti per Ecclesiam.

DAri in Ecclesia potestatem relaxandi juramenta homini præstita, utpote animarum saluti commodam, & rectæ gubernationi congruentem, omninò certum est. Requiritur tamen causa etiam ut Pontifex relaxet. Quia Deus, cujus nomine relaxat, non approbabit private absque ea sufficienti hominé jure sibi quæsito. Quænam autem esse debeat hujusmodi relaxationis legitima causa? Optime respondet *Palaus disp. 3. pun. 3. n. 1.* in genere esse duplicem, aliam quæ directè bonum commune, aliam quæ pœnam creditoris respicit.

Causa relaxandi juramenta.

349 Quod attinet ad priorem causam, hæc respicit directé bonum commune, si juramenti observatio communi bono adversetur, ut si jurasses non testari contra, non accusare, non denunciare, item si jurasses contractus lege prohibitos. Hæc igitur non a solo Pontifice, sed a quocunq; habente potestatem quasi Episcopalem relaxari possunt. Quid juratis solvere ludo prohibito acquisita, vel quæ acquiruntur in ludo ad creditum? *Sanchez l. 1. Matrim. disp. 31. n. 2.* docet nõn posse relaxari; quanvis oppositum judicet probabile lib. 3. Decal. cap. 21 n. 10. Et hoc absoluté sequitur Palaus disp. 3. p. 3. n. 3.

Quod attinet ad posteriorem, quæ respicit pœnam creditoris, hæc causa est turpitudo ejus cui juramentũ præstitum est, vel quia iniquè exegit, vel quia commisit delictum dignum privari ne juris acquisiti. Hæc igitur causa relaxandi satis sufficiens est, & procedit quanvis turpitudo non fuerit commissa a creditore, sed ab alio tertio: nam quocunqne modo jurans injusté vexatur, quod sufficit ut a vinculo eximatur. Ex hac similiter causa non solus Pontifex, sed quicunque habens Episcopalem jurisdictionem potest juramenta relaxare Ita *Suar. l. 2. de juram. cap. 41. n 6. & Sanch. l. 3. c. 21. n 6.*

Metus est causa ut relaxetur juramentum.

1 Dubium est, an ad hujusmodi causam sufficiat quòd turpitudo commissa fuerit, in solo modo exigendi juramentum, v.g. quia creditor exegit metu, vi aut fraude? Respondeo affirmativé. Quia creditor in illa exactione fecit injuriam quam tenetur reparare, & potest ad reparandam cogi: quoties autem (inquit *Suar. lib. 2. de juram. cap. 41. n. 51.*) superior potest cogere creditorem ad remittendum potest ipse remittere.

350 2 Dubium est, an sufficiat ut Episcopus relaxare possit, si juramentum metu levi extorqueatur? *Sanchez lib. 4. Matr. disp. 20. n 9.* multis citatis refert duas sententias extremè oppositas, alteram affirmativam, alteram negativam: ipse vero utranque conciliat asserens negativam bené

procedere in foro externo, eo quód non admittatur in tali foro rescissio contractus ex levi metu: affirmativam procedere in foro interno, seu conscientiæ, in quo sic accipiens tenetur acquisita restituere. Consentit *Suar. l. 2. de juram. cap. 41. n. 19.* Addit bené *Palau cit. n. 6.* quanvis hæc sint vera, posse etiam in foro externo prælatum facere relaxationem, quando procedit judex non ad instantiam partis, sed ex officio.

Perjuriū an impediat relaxationem juramēti. 3 Dubium est, an possint relaxari supradicta juramenta post perjurium commissum? Negant communiter Canonistæ duce Cardinali ad *cap. debitores, de jurejur.* Fundamentum sumunt ex *cap. frustra 14. de usuris*, ubi sic: *Frustra legis auxilium invocat qui committit in legem.*

Affirmandum tamen est cum *Sanch. lib. 1. Matr. disp. 32. n. 16. & Suar. lib. 2 de juram. c 41. n. 22.* Ratio est, quia perjurium commissum nō aufert potestatem relaxante: qui ex aliena iniquitate detrimentum pati non debet. *Cap. frustra* citatum loquitur de illo qui implorat auxilium legis ut perseveret in delicto, qualis usurarius: at perjurus ille petit relaxationem juramenti ut peccatū excutiat. Addit *Suar. n. 26.* validam esse talem relaxationē, esto petatur sine cōmissi criminis manifestatione.

351. 4 Dubium est, an hujusmodi juramēta iniqué extorta relaxari possint per Bullæ privilegium, & similia concedentia potestatem dispensandi in votis juratis? Affirmant *Sa v. Iuramētum n. 32. Eman. Roderic. tom. 1. sum. 2. edit. cap. 231. n. 4. & Barth. Ledesma dub. 23. de matr. post. 3. concl. pag. 1354.* Quia regulanda sunt tanquam vota jurata in quibus nullum jus parti acquiritur, sed Deo. Et hoc videtur probabile.

Negandum tamen est cum *Suar. lib. 2. de Iuram. c. 41. n. 13. & Sanch. l. 1. Matr. disp. 32. n. 17. & 3. Decal. c. 21. n. 16.* Ratio est, quia hujusmodi juramēta non habent rationem voti; cum non fiant Deo, & in ejus gratiam, sed homini, proindeque relaxari nequeunt per Bullam, aut simile privilegium, quo relaxantur vota jurata. Si tamē privilegium concedat relaxationem juramentorū absque præjudicio tertij, vi illius relaxari poterunt, cum ex eis nullum jus tertio acquiratur.

QUÆSTIO IV.

Qualiter judex Ecclesiasticus possit relaxare juramēta opposita cōtractibus, in quibus dolus incidit?

352 QUæstio hæc non procedit de jure Lusitano: quia juxta hoc, juramenta non habent vim firmandi, sed potiús invalidandi contractus, ut diximus tract. 13. sect. 4. Procedit igitur de jure communi, & tunc qui juramentū emittit, vel est impubes, vel pubes, vel maior.

Dico 1. Juramenta emissa ab impubere, etiam doli capace, & pubertati proximo Episcopus relaxare potest. Ratio est, quia hujusmodi juramēta ob defectum minoris ætatis, contractum non firmant. Ita ex *Sanch. lib. 3. c. 21. n. 18. Palau disp. 3. p. 4. n. 1.* ubi addit illa probabiliter non egere relaxatione, utpote non obligantia. *Relaxatio juramēti ob læsionē.*

Dico 2. si prædicta juramenta fiant a pubere, non poterunt relaxari ab Episcopo. Ratio est, quia secundúm *Authen. Sacramenta puberum.* hæc juramenta firmant contractus, & in tales manent ac si a maioribus celebrarentur. Excipe, nisi pubes fuerit læsus ultra dimidium. Quia tunc potest Episcopus relaxare, ut ille agat ad contractus rescissionem, & pretij supplementum. Ita *Molina l. 2. de primog. c. 3. n. 21. & Gomez. tom 2. var. c. 14.*

353 Quid si expresse juravit non contravenire contractui etiam ratione læsionis? Adhuc poterit a juramēto absolvi ratione læsionis enormissimæ. Quia huic non visus fuit renunciare. Ita *Sanch. lib. 3. c. 21. n. 18.* Si velis scire quæ sit enormis, & quæ enormissima læsio? Consule nostrum *Elucidarium n. 904.*

Dico 3. si juramenta illa quæ firmant contractum, emittantur a maiore 25. annis, non poterunt relaxari ob enormem læsionem, sed solum ob enormissimam. Ita *Gutier. de juram. p. 1. c. 26. n. 5. Molina de primog cap. 3. n. 18. & Covarr. de pactis p. 3. §. 4. n. 4.* Ratio est quia non enormis, sed enormissima læsio æquiparatur dolo. Quod procedit etiam si juramentum cadat supergeminatam obligationem.

Nota 1. locum non esse relaxationi juramenti ob læsionem, si deceptor velit justam æstimationem supplere. Ita *Sanch. l. 3. c. 21. n. 22.* Nota 2. obtenta relaxatione juramenti ad effectum agēdi, si plenario judicio pronuncietur contractum esse validum, jurantem manere vinculo juramenti obstrictum, ac si relaxatum non fuisset. Ita *Covarr. l. 1. var. c. 4. n. 6.* An in prædictis læsionibus requiratur omninò ad agendum pro rescisione contractus, juramenti relaxatio? Alij negant alij affirmant apud *Palaum citatum p 4. n. 11. & 12.* Ipse veró *n. 13.* utrosque nititur conciliare, dicens priores rectè sentire in foro interno, posteriores in externo.

QUÆSTIO V.

Quæ postulentur, ut concedat judex relaxationem juramenti iniquè extorti?

354 CUM hujusmodi relaxatio sit quædam juris dispensatio in præjudicium tertij, certum est absque legitimæ causæ cognitione fieri non posse. Solum est dubium quænam requiratur, & sufficiat causæ cognitio? Sufficere dubiam, tenuit *Sa v. Juramentum n. 32.* Requiri certam defendit *Felinus ad c. 1. de jurejur. n. 17.*

Neutra sententia mihi placet. Existimo enim non sufficere dubiam, nec requiri certam, sed sufficere probabilem, ut fiat relaxatio juramenti ad effectum agendi. Ita cum multis relatis *Sanch. l. 3. c. 21 n. 27.* Patet non sufficere cognitionē dubiam, quia in casu dubio possidet ille in cujus favorem juramentum præstitum est, præcipue ut ab illo delictum excludatur. *Cognitio causæ in relaxatione juramenti.*

Quòd non requiratur certa, sed sufficiat probabilis, suadetur, quia si cognitio certa esset necessaria, Episcopus ipsimet relaxatione juramenti manifestaret contractum esse rescindendum, utpote claré injustum: quod dicendum non est; ergo

latur invocatio in testem cum intentione: qui autem per procuratorem jurat, eo mediante Deum in testem invocat.

Notat verò *Sanch.cit.n.* 18.exigi speciale mandatum jurandi commissum procuratori illi, vel nuncio, ut nomine alterius jurare possit. Cum autem (tenet n.19.) juramentum sit speciale dupliciter. 1.in ordine ad jurandum, sed generaliter in quacunque causa. 2.specialiter in causa speciali commissa, probabilius est ad juramentum tam assertorium quàm promissorium requiri mandatum utroque modo speciale, nempe ad jurandū, & in causa speciali. Unde si procurator ex generali mandato juret contractum, non tenebitur alter ex vi juramenti, sed contractus. Sunt casus, quos referunt *Covarr.de pactis p.1.§.3.n.8 Azor p.1.l.11.c.7 & Bonac.d.4.q.1.p.10.* in quibus jus exigit juramentū tactis Evangelijs propria manu: in his igitur illud per procuratorem præstari nequit.

Procurator ad juramentū.

Mandatū ad jurandum.

340 Ex dictis infertur 1.non esse licitum dare mandatum generale præstandi quodcunque juramentum nomine partis. Quia ut procurator juret, specialiter de veritate rei instrui debet. Infertur 2.posse vassalum ex consensu domini præstare domino juramentum fidelitatis per procuratorem qui habeat ad id speciale mandatum. Infertur 3.ad juramentum de calumnia exigi speciale mandatum non solum ad jurandum de calumnia, sed etiam in speciali causa.

Juramentum de calumnia.

Positæ illationes fiunt per *Sanch.cit. l.3. c.13.a n.20.* ex cujus observatione n.26. quando procurator ex speciali mandato jurat, ad nihil manet obligatus, sed sola pars, cujus nomine jurat. Si scienter juret falsum, tam ipse quàm pars perjurium committent: si bona fide putans esse verum, solum in partem refundetur perjurium.

Perjuriū procuratoris.

Circa posteriorem quæstionis partem, an possit impediri obligatio juramenti antequam præstetur? Indubitata est affirmativa resolutio, si procedat de potestate Ecclesiastica. Nam de facto *Trident.sess.26.c.16.de regul.* irritum reddit juramētum appositum renunciationi bonorum a novitio factæ ante bimestre præcedens professionem. Igitur solum procedit de potestate laica & civili, quam posse vires juramenti impedire, utpote spirituales, & jurisdictionis Ecclesiasticæ, negare videntur *Covar.de pactis 2.p.§.1.n.8.Petr.Barb. l.1.§.n 70.ff.solut.matr.* & alij.

Irritatio juramēti antequam vires habeat.

341 Affirmandum tamen est cum *Gutierr. in Auth.Sacramenta pub.rum a n.46. Lessio lib. 2.c.42. n.55.Basilio Ponze l.12 Matr.c 8. a n.38. & Sanch. l.3.c.23.n.10.* posse impedire: imó de facto impedisse in Lusitania, refert *Molina tom. 1.tract. 2.disp. 149.ver. Ex his collige.* Id etiam constat factum in *Castella lib.10. & 11 tit.1.l.4.compilat.* Ratio est, nam potestas civilis potest condonare, seu remittere obligationem eo ipso, quòd intenterum deinde potest subditum reddere inhabilem ad acceptandam promissionem hac vel illa forma præstitam: tandem potest ob bonum publicum prohibere executionem juramenti: omnibus autem his modis juramenti vires & obligationem impediet.

QUÆSTIO VII.

Qualis esse possit, ac debeat interpretatio juramenti?

CUM juramenti recta interpretatio meliùs nequeat inculcari quàm per aliquas præfixas regulas, quatuor illam inculcabimus. Esto igitur 1.regula. Quando non constat de jurantis intentione, cui manifestæ semper standum est, interpretatio ita fieri debet, intra proprietatem verborum, ut obliget quantum minùs fieri possit. Ita *Sylvest.v.juramentum 3.q.3.& Suar.l.2. de juram. c.32.n.7.* Quia creaturam liberam obligari odiosum est, proindeque illius obligatio strictè interpretanda.

Interpretatio juramenti.

Infertur 1.clericum jurantem servare statuta edita in sua Ecclesia, non teneri ex tali juramento ad edenda. Addit *Lessius lib.2.cap.42.n.22.& Bonac.tom.2.disp.4.q.1.pun. 16.* etiam si non adderet particulam (edita) Infertur 2. compromittentes litem in arbitrum, ut certa die illam definiat, & jurantes stare sententiæ, non teneri, si dies prorogetur. Ita contra aliquos cum alijs *Palaus disp.1.p. 14.n.3.*

Juramēti non observandi excusationes.

342 2 Regula. Iuramentum est interpretandum & restringendum juxta naturam actus, super quem cadit Ita *Sanch.l.3.c.17 n.13.Suar.lib.2. de juram.c.32.n.2.& Bonac.tom.2.d.4.q.1.p 16.* Unde conditiones & restrictiones omnes, quas ex jure vel consuetudine capit promissio, vel propositum, quibus accedit, habere debet juramentum. Nam accessorium sequitur naturam principalis, cui adjungitur.

Juramētum quomodo accommodetur actui super quem cadit.

Infertur 1.te non ligari juramento quo promisisti equum Sempronio, si ipse non servat quæ tibi promisit, etiam si intuitu alterius promissionis tua promissio facta non fuerit. Infertur 2. jurantem non expellere conductorem domus vel agri, posse expellere, si ille biennio non solverit conductionis pensionem. Infertur 3. jurantem alicui fidelitatem non teneri, si oppositum necessarium illi sit pro suo vel suorum jure defendendo.

Infertur 4. Jurantem solvere pecuniam sibi mutuatam posse intra bienniū opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ. Infertur 5. Iurantem contractum fidejussionis, non teneri queusque principalis debitor excutiatur. Infertur 6.Iurantem promissionem alicui absenti, non teneri quousque ipse vel alius validé nomine ipsius acceptet. Infertur 7.si causa urbanitatis jurasti non ingredi primum, vel non sedere in loco nobiliori, manere deobligatum, si alter roget. Quia subintelligitur, quantum in te est, nisi rogeris. Infertur 8.admissum in collegium Hybernicum vel Angelicū, qui juravit post absoluta studia in patriam redire, deobligari si ingrediatur religionem. Quia hic status utpote minoris perfectionis censetur exceptus. Ita *Basilius de Matr. l. 32.c.8.n.11.& Palaus cit.n.15.*

Urbanitatis juramētum.

343 3 Regula. Solum obligat juramentum rebus

Mutatio rerū in juramēti.

ergo sufficit probabilis, quæ haberi solet per sūmariam informationem, etiam unico deponente teste.

Citatio partis ad relaxationem juramenti.

355 Rogabis an ad hujusmodi relaxationē postuletur citatio partis, cujus interest, illius nempe in cujus favorem juramentum emissum fuit? Conveniunt authores faciendam fore talem citationem, si relaxatio ita integrè fieret, ut omninò extingueret juramenti obligationem. Quia data tali relaxatione contractus rescinditur, & sic ferretur sententia non audita parte.

Solum dubitatur, an ut detur relaxatio in partem, nempe ad effectum agendi, pars necessarió citari debeat? *Affirmant Paz. in pract. tom. 2. prælud. 2. n. 38. & Didacus Perez in lege 1. tit. 2. l. 3. colum. 824. ex t. 1. de causa possession.* juxta quem textum requiritur citatio partis, quoties agitur de alterius præjudicio.

Negandum tamen est cum *Gutierr. in Authen. Sacramenta puberum n. 112. Covarr. l. 1. var. c. 4. n. 6. & Sanch. lib. 3. Decal. c. 21. n. 28.* Probatur, quia quando prælatus ex officio procedit, neque ad sic procedendum plena probatio, neque citatio partis exigitur: prælatus autem dictam relaxationem ex officio potest impendere. Quód veró contractus examinetur in judicio, parum aut nihil præjudicij parti affertur. Denique non requiritur juxta *Sanchez cit. c. 21. n. 37.* quód jurans per propriam personam relaxationem petat, sed sufficit petere per procuratorem. Imo superior relaxationē potest facere absente & ignorante illo qui juravit, ex textu in *l. habeo ff. de jurejuran.*

QUÆSTIO VI.

Quinam superior juramenta homini præstita relaxare possit?

Secularis judex ad relaxandū juramentum.

356 PRocedit quæstio de superiore tam Ecclesiastico quàm sæculari. Ac primùm si loquamur de sæculari, seu laico, & de relaxatione rigorosè accepta, eam nullus laicus concedere potest, ut observant *Sanchez lib. 3. c. 22. n. 15. & Suar. l. 2. de juram. c. 41. n. 16.* Quia talis concessio est actus jurisdictionis spiritualis, utpote directa vinculi remissio nomine Dei, cujus laicus incapax est.

Esto tamen dictam relaxationem facere nequeat Princeps laicus, potest tamen nomine partis, cui juramentum præstitum est, obligationem remittere. Nam potest cogere subditum, ut remittat obligationem juramenti, & subdito nolente, remittere. Superior enim valet supplere consensum, quem tenetur subditus præstare. Sumitur ex *l. si causam C. de evict.* juxta quam, si tuam domum vendat superior ad solvendum tuis creditoribus, teneris de evictione, ac si tu ipse vendidisses. Factum enim judicis reputatur factum partis. Vide *Molin. tom. 1. just. d. 149. §. Dixi.*

Observandum tamen est cum citatis authoribus talem remissionem esse faciendam a superiore illius, cui juratum est. Unde si hic sit fidelis, & laicus, potest ejus superior tam laicus quàm Ecclesiasticus remittere: cum sit causa mixti fori: si verò clericus sit, solus judex Ecclesiasticus potest remittere: si sit infidelis, solus superior, & non judex Ecclesiasticus.

Citatio partis ad relaxationem juramenti.

Rogabis 1. qualis nam postuletur ad hujusmodi remissionem probatio, & citatio? Dico 1. requiritur probari in illo juramento intervenisse turpitudinem ex parte recipientis, & rem promissam ac juratam ad laicum tribunal spectare. Nam in dubio de altero ex dictis, laica potestas remittere nequit. Ita *Covar. l. 1. var. c. 4. n. 5. & Sanch. l. 1. de Matr. d. 32. n. 18.* Dico 2. Remissio illa absoluté facta necessarió exigit partis citationem. Nam a juramento liberat, & contractum dissolvit. Dixi (absolutè facta) quia si remissio non fiat absoluté, sed solum ad effectum agendi, partis citatio necessaria non est. Ita Molina cit. §. *juxta.*

357 Rogabis 2. An judex laicus possit cognoscere de nullitate relaxationis quam fecit judex Ecclesiasticus? Affirmant *Fel. n. c. 1. de jurejur. n. 22. & cap. 2. n. 3. de sponsal. & Sanch. lib. 3. Decal. c. 22. n. 4.* si relaxatio illa sit evidenter nulla, vel iniqua. In hoc tamen cauté procedendum, ne in tali cognitione potestas laica fiat superior Ecclesiasticæ.

Interpretatio.

Rogebis 3. an Princeps laicus possit interpretari juramentum? Respondeo cum *Covar. p. 1. §. 3. n. 8. & Sanch. l. 3. c. 22. n. 4.* posse interpretari juramentum de materia laica, an scilicet obliget, vel non: secus de materia Ecclesiastica. Ratio est, quia legislator civilis habet jus interpretandi humanas dispositiones omnium, in quos habet jus ferendi leges, v.g. conventiones, promissiones, testamenta, qua interpretatione facta consequēter interpretatur juramenta, quæ prædictis accedunt: non sic in materia Ecclesiastica.

Vicarius generalis ad relaxandū juramenta.

Quod attinet ad superiorem Ecclesiasticum, indubitatum est posse relaxare juramenta. Episcopum, Capitulum sede-vacante, & generaliter omnem qui quasi jurisdictionem Episcopalem habet. Quare relaxare potest generalis vicarius Episcopi: quia habet causarum cognitionem *cap. 2. de officio vicarij in 6.* & causæ cognitio absque illa relaxatione stare nequit. Limitat bené *Sanch. cit. c. 21. n. 32.* ut intelligatur, dummodo Vicarius sit legitimus judex contractus jurati, & ralaxatio petatur in foro externo. Secus non potest: quia tunc illa relaxatio esset directa juramenti dispensatio, & hæc non comprehenditur sub generali vicariatus commissione.

Judex loci in quo initus est contractus.

358 Difficultas est, quinam possit facere hanc relaxationem? Superiorne loci in quo contractus est initus, superior jurantis, an ejus, cui juratum est? Dico 1. si petatur relaxatio pro foro externo, judex Ecclesiasticus loci, in quo contractus est initus, relaxare potest: secus de foro interno. Ita *sanch. n. 31.* Nam contrahentes sortiuntur forum, in loco ubi contrahunt *cap. final. de foro comp.* & judex contractus, est judex distractus. At in foro interno non contractus, sed domicilium jurisdictionem confert.

Dico 2. si petatur relaxatio pro foro interno, vel ad effectum agendi, solus superior jurantis illam potest concedere. Patet, quia talis relaxatio

est

est in rigore dispensatio, quam proinde solus superior potest suo subdito impendere, cum in solum subditi m jurisdictionem exerceat.

Dico 3. si petatur relaxatio non pro foro interno tantum, nec ad effectum agendi: sed absolutè ad contractum rescindendum, & jurantem ab omnimoda obligatione eximendũ, solus judex qui reum citare, illam concedere potest. Ratio est, quia ad talem relaxationẽ (ut supra diximus) citatio partis exigitur. Unde Episcopus jurantis, ejus juramentum relaxare omninò poterit, si pars, cui facienda est citatio, sit ejus subditus, aut moretur in ejus territorio: secus, si absens sit; Quia nulla citatio potest fieri extra territorium, nisi de consensu superioris loci in quo fit. *l. extra terminum ff. de jurisd. omn. jud* Ita *sanch. & alijs, Palao disp. 3. p. 6. n. 2. & 3.*

Citatio ubi facienda.

SECTIO IIII.

De adjuratione, & abjuratione.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit adjuratio, & an cadat sub praeceptum?

359 Tres partes habet quæstio. Prima est de essentia adjurationis, quæ optimè innotescet, proposita & explicata illius definitione. Adjurationem igitur ex *s. Thoma 2. 2. q. 90. a. 1.* definiunt Theologi in hunc modum: *Est contestatio rei sacræ, ut ejus reverentia amore, vel timore permoveatur adjuratus ad aliquid faciendum, vel omittendum.* Per illam particulam (rei sacræ) comprehendit nõ solum contestationem Dei, sed etiam sanctorum, dummodò sancti accipiantur ut ad Deum relati. Unde non erit adjuratio, si fiat per rem humanam & profanam: ut si per vitam patris ab amico petas beneficium.

Adjuratio quid sit.

Differt adjuratio a juramento, quia illa interponitur ut ratio alteri motiva ad effectum obtinendum: ut juramentum non interponis alteri, sed tibi, non ut obtineas, sed ad verum asserendum, vel efficiendum, quod asseris vel promittis. Differt ab oratione, quòd in hac petatur aliquid a Deo, & in illa propter Deum: utraque autem conjungetur, si simul a Deo propter Deum aliquid petatur. Vide nostrũ *Elucidarium n. 1369.*

Secunda quæstionis pars est de multiplicitate adjurationis, quæ in genere fertur duplex, altera solemnis, altera privata: Solemnis est quæ fit per ministros ad id consecratos, & ex præscripta forma ab Ecclesia instituta. Privata est quæ hujusmodi solemnitate caret. Utraque vel est deprecativa, vel imperativa, Deprecativa illa dicitur, qua alterum contestatione rei sacræ deprecamur, sicut Apostolus ad Romanos 12. *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis v.* Imperativa qua imperamus, sicut Abraham adjuravit servum per Dominum cæli Genes. 47. Ad hanc reducuntur exorcismi Ecclesiæ, quibus adjurantur dæmones.

Adjuratio quotuplex.

360 Conveniunt authores cum *s ach. l. 2. Decal. c. 42. Suario tom. 2. de relig. l. 4 c. 1. & Valent. 2. 2. disp. 6. q. 7. p. 1.* adjurationẽm, sicut & juramentum esse actus honestos, cum sit actus religionis ex eo quòd dirigantur ad cultum Dei, per ipsius nominis invocationem. At sicut ad retinendam honestatem excluso omni peccato, juramentum tria postulat, scilicet veritatem, justitiam & judicium, sic adjuratio, sed modo diverso.

Postulatur veritas 1. ex parte rei contestatæ, ut nempe adjuratio fiat per rem sacram veram, & non per fictam aut falsam, ex cujus defectu dabitur peccatum, & dari potest gravissimum, ut si fiat per Jovem tanquam per Deum verum. 2. ex parte adjurantis, ut habeat verum animum obtinendi postulata: aliter fiet irrisoriè, sed regulariter veniale peccatum non excedet. 3. ex parte causæ moventis ad adjurandum, ut vera, & ficta non sit: peccabit enim pro ratione materiæ, qui ex ficta paupertate adjurans eleemosynam extorqueat.

Veritas ad jurationis.

Postulatur deinde justitia in adjuratione, ut nempe sit justa & honesta res quæ petitur, vel imperatur. Est enim divino numini injuriosum, ejus invocatio pro re turpi obtinenda, & quidem peccatum grave aut leve pro materiæ ratione. Denique requiritur judicium, ut nempe debita consideratione fiat: non enim licet temerè, passim, ac sine occasione contestare Deum & Sanctos. Defectus tamen illius non excedet culpam venialem, sicut in juramento. Vide præter citatos, *Bonac. tom. 2. d. 4. q. 1. p. ult.*

361 Tertia quæstionis pars est, an cadat adjuratio sub præceptum? Respondeo negativè cum *Sanch. l. 2. sum. c. 42. n. 12. & Suar. tom. 2. de relig. l. 4. c. 4. n. 13.* si loquamur de præcepto juris naturalis, & divini quod adjuratio per se & natura sua importet. Quia alijs modis suppleri potest cultus, qui Deo per adjurationem impenditur. At si loquamur de præcepto Ecclesiastico in ordine ad ministrum deputatum pro expellendis dæmonibus, illud datur. Nam talis minister tenetur ex officio obsessis a dæmone subvenire exorcismis Ecclesiæ, in quibus dæmones adjurantur. Hoc tamen præceptum habet se per accidens ad naturam adjurationis.

Adjurationis præceptũ.

Dubium est an detur præceptum ex parte adjurati, quo teneatur obedire adjurationi? Breviter respondeo cum citatis authoribus, addito *Bonac. tom. 2. d. 4. q. 1. pun. ult.* si adjuratio sit deprecativa, nullum esse præceptum. Quia ibi nomen Dei solum ponitur ad augendam deprecationem. Si sit imperativa, dabitur illud præceptum, sub quo prælatus subditum adjuratum potest obligare, cujus transgressio gravis aut levis erit pro ratione materiæ imperatæ. Adjuratio verò non inducet speciale præceptum religionis: quia ipsa ex se non obligat, sed solum excitat adjuratum, ut impleat obligationem præcepti aliunde impositi.

Præceptũ de adjuratione.

QUÆSTIO II.

Qui adjurare, & adjurari possint?

Adjurare qui possint.

362 Quoad priorem partem quæstionis, posse adjurare, seu præstare adjurationem

onem omnem ac solam creaturam intellectualẽ, certum est. Nam illarum quælibet Deum & sanctos contestari potest, & non alia. Unde tam Angeli, quàm homines, imó & dæmones capaces adjurandi sunt, cum possint alijs nomen Dei & sanctorum proponere, ut illius amore vel timore ad aliquid agendum moveantur. Ipse etiam Deus contestatione sui nominis movendo creaturas ad aliquid faciendum, adjurare potest, sed imperando, & non deprecando.

Hæc ex *Sanchez lib.2.Decal.cap.42.n.18.& Suar. lib.4.c.2.n.10.* ubi monent non esse faciendam adjurationem solemniter, nisi a ministris ad id munus ab Ecclesia consecratis, quales sunt exorcistæ. Nam alij nequeunt adjurare publicè & solemniter: possunt tamen privatim ex fide in Christũ etiam si exorcismos Ecclesiæ recitent.

Adjurari qui sint capaces. Quoad posteriorem partem, certum est tam Deum, quàm omnem, & solam creaturam rationalem adjurari posse. Nam solus ille adjurari potest, qui est capax annuendi precibus, vel obediendi præceptis: Deus autem potest annuere precibus, & omnis ac sola rationalis creatura, tam precibus annuere, quàm præceptis obtemperare potest. Unde adjuratio imperativa solis subditis potest fieri, deprecativa etiam non subditis.

Dæmonũ adjuratio. 363 Difficultas specialis est, qua ratione possint adjurari dæmones & damnati? Videtur enim obstare adjurationi, quód illi nec moveantur amore, nec timore Dei, sed operentur omnia ex odio. At dicendũ est adjurari, quatenus coacti virtute divini nominis imperata exequuntur. Ex quo *Valent.2.2.disp.6.q.8.p.2.& Sanch.lib.2.cap.42.n.39.* credunt illam non esse propriam adjurationem, eo quód imperata damnati nec amore virtutis, nec voluntarié præstent.

Exorcismi circa irrationalia. Ex dictis intelligendum est, quomodó exorcismi cadant in creaturas irrationales. Nam quando exorcisantur sal & aqua, non ipsa, sed Deus, & dæmon adjurantur. Deus ut assistat in eorum usu, dæmon ut fugiat. Similiter quando adjurantur nubes, grandines, locustæ, & alia similia, non ipsa sed Deus adjuratur, ne permittat illa nocere, & dæmon ne illis utatur ad nocendum. Vide præter citatos, *Bonac. disp.4.q.1.p.ult.*

Quale peccatum sit irrationales criaturas adjurare per se, & directo ad ipsas quasi nocentes sermone, inter authores non constat. *Palao disp.4. p.3.n.6.* videtur esse mortale, ob gravem irreverentiam applicandi vané & inutiliter Ecclesiæ exorcismos, & verba divina rei incapaci: bené tamen addit ex simplicitate adjurantis regulariter non excedere culpam venialem. Non excusat veró a lethali superstitiosum abusum, quo creaturæ irrationales simul cum plebe, cui nocent, ad judicium vocantur, dato utrinque advocato accusantur, illoque audito, judex excommunicat.

364 Illud tandem adverte quosdam sanctos viros supernaturali virtute adjurare irrationalia, non quidem obsecratione neque imperio morali, sed physice: nempe per vim participatam a Christo, qui propria *imperavit ventis & mari, & facta est tranquilitas magna. Math.8.* Vide *Valen.2.2.d.6.q.8.p.2.Less.c.42.d.13.& Sanch.lib.2.c.42.n.39.* Quomodo autem dignoscendum sit, virtute Dei, an ope dæmonis hæc & similia patrentur, aperiemus tract.32. Ubi de superstitione.

QUÆSTIO III.

Qualiter fieri possit, ac debeat adjuratio dæmonis?

Exorcismus seu adjurat dæmoniis qualiter fiat. Conveniunt Theologi, *Suar. tom.2. Relig.lib.4. de adjurat.cap.2.n.8. Lessius lib.2.c.42. dub.13. Valen.2.2.d.6.q.8.p.2.& Sanch.lib.2.c.42.n.19.* ut adjuratio dæmonis sive privata, sive publica evadat licita & honesta, servari oportere tria. Primũ est, ut adjuratio fiat imperio, objurgatione, & nõ deprecatione, vel obsecratione. Nam qui dæmonem obsecrat, vel deprecatur, societatem cum illo habet, & communicat malignis operibus illius, qui nihil sponte agit, nisi in odium Dei, & perniciem hominis.

Secundum est, quód dæmones adjurari debeant a legitimo ministro. Unde quanvis omnibus permissum sit privatim adjurare, tamensi adjuratio facienda est publicé ac solemniter juxta formam ab Ecclesia præscriptam, solis exorcistis cõceditur.

365 Tertium est, quod dæmones solum adjurentur ad finem a Christo præordinatum. Constat, quia si adjurentur ad effectum alium, cum talis effectus nequeat obtineri potestate adjurantis & obtinendus non sit potestate a Christo accepta, sequitur ut obtineatur a dæmone, quod iniquum est.

Finis a Christo præordinatus est, ut dæmones a nocendo desistant; qui satis innotescit ex potestate quam Dominus reliquit in sua Ecclesia super spiritus malignos, nempe ad eos ejiciendos, *In nomine meo damonia ejicient.* Marci ult. & ad illos calcandos & comprimendos, *Dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes.* Lucæ 10. neque ulla sine fundamento potestas asserenda est.

Quód si multi viri eximia sanctitate præditi exorcizando imperarunt dæmonibus nonnullas actiones ab expulsione alienas, id fecerunt ex speciali Spiritus S. instinctu ob supernaturalem virtutem sibi peculiariter a Deo datam, ad confusionem dæmonum, & proximorum utilitatẽ. Dixi (ab expulsione alienas) quia actiones omnes quæ conducunt ad expulsionem, imperari possunt: concesso enim fine media concessa intelliguntur. Unde licebit exquirere a dæmone nomen ipsius proprium, ut ad eum dirigatur adjuratio: item causam sui in hominem ingressus, ut illa amota forte egrediatur: deinde unus tantum vel plures assistant, ut omnes præcipiantur egredi.

Interrogare a dæmone. 366 Interrogare alia inutilia semper est culpa: an semper gravis? Certum est gravem esse, si timeatur detegendum occultum proximi defectum, ex quo infametur: si multiplicentur vanæ interrogationes, ex periculo deceptionis faciendæ a dæmone: si detur finis addiscendi ab illo: si fiat interrogatio deprecativé.

Difficultas est, an peccet graviter qui ex levitate & curiositate semel aut bis interrogat re vanam imperando, & fidem certam non habendo? Affirmativé resolvit *Palau disp.4.p.4.n.* 8. Quia ad illa respondebit dæmon non coactus, cum ad ea exquirenda non detur potestas in interrogante: si autem sponte, id faciet ad obscurandam Dei gloriam, & captandam hominum perniciem, quibus occasionem dare, grave est.

Hæc ratio multum urget. Cum tamen id non excedere culpam venialem, doceant *Valent.* 2.2. *disp.6.q.8.p.2. Lessius lib.2.c.42.dub.13.n.71. Suar. cit.lib 4.c.1.n.9 Sanch.lib 2.c.42.n.25.* & multi alij, quos videre est apud relatos, & *Bonacinam tom.2 disp.4.q.1.pun.ult.n.9.* negari non potest hoc probabile esse, saltem ab extrinseco ob authoritatem.

QUÆSTIO IV.

Quænam aliæ sint actiones, de quibus dubitatur an liceant, quando adjuratur dæmon?

Dæmon superior quomodo cum alijs expellendus.

DUbitatur 1. an liceat exigere a dæmone superiore, ut pellat inferiorem a corpore hominis? *Sanchez lib.2.c.42.n.21. Lessius lib.2.c.44. dub.6.n.46.* & *Suar.lib.2.de superstit.c.18.n.* 8. bené negant licere, quando dæmon superior simul cũ inferiore non resideat in corpore hominis. Quia cum exorcista non habeat potestatem a Christo ad cogendum dæmonem superiorem, ut inferiori præcipiat, ab eo beneficium peteret, & hæc petitio illicita est.

367 Idem procedit si uterque dæmon resideat in eodem corpore, & verba adjurantis dirigantur ad dæmonem superiorem, ut hic inferiori præcipiat. At si exorcista dæmoni superiori præcipiat, ut perfecte exeat cum omnibus suis satellitibus præceptum licitum est, Quia tunc non solum ipsi, sed omnibus ejus satellitibus egressum præcipit. Ita intelligo *Bonacinam tom.* 2.*d.4.q.* 1. *p.ult.*

Exorcistis quid liceat.

Dubitatur 2. an liceat exigere a dæmone sui egressus signum, v.g. ut vitrum frangat, aut lucernam extinguat? Negant *Sotus de just.q.3.a.2.solutione ad* 2. & *Cirvelus de superstit.3.p.c.8.* Quia talis postulatio est inutilis, cum diabolus etiam signo dato possit decipere. Affirmandum tamen est cũ *Tyræo de dæmoniacis cap.46.n.23. Martino Delrio lib.6. disquisit.magic.cap.3.lit.B.* & *Sanch.lib.2.c. 42. n.28.* Nam tale signum utile est, ut egressio dæmonis innotescat: deinde approbatur ab Ecclesia, & si juxta ejusdem præscriptum fiat, raró eveniet deceptio.

Dubitatur 3. an liceat exorcistæ præcipere dæmoni ut abeat in talem vel talem locum, & inde non egrediatur, atque adeo illum cogere ne redeat? Respondeo negativé cum *Sanch.lib.2.c. 42. n.27.* & 28. ubi pro se refert *Thyræum de dæmoniac.c. 46.n.23.* Ratio est quia exorcistæ non licet excedere potestatem a Christo datam, quæ solum data fuit pro egressu, juxta illud *In nomine meo dæmonia ejicient. Marc.ult.*

368 Dubitatur 4. an liceat vexare dæmoniacum flagellis, opprobrijs, ac similibus? Respondeo affirmativé cum *Sanch.lib.2.c.32.n.* 30. & *Bonacina tom.2.d.4.q.1.de juram.pun.ult.n.12.* si id fiat prudenter & moderate ut potiùs in dæmonis quàm dæmoniaci afflictionem cedat. Nam actiones illæ videntur conducere ad dæmonis expulsionem.

Permittere aliquid dæmoni an sit licitum.

Dubitatur 5. an liceat annuere dæmoni efferenti egressum ex homine, si permittatur sibi ingredi in alium? Respondet *Sanch.lib. 2.c.42.n.* 36. cum *Tyræo de dæmon.cap.ult.a.n.* 8. id licere servata quadruplici conditione. 1. si is quem dæmon intrabit, sit tali supplicio dignus. 2. si exorcista habeat in illum potestatem, sicut habebat Apostolus in luxuriosum, quem ad tempus tradidit Satanæ. 3. ut adsit spes maioris boni. 4. ut absit voluntas placendi dæmoni. Quia veró cõjungi hæc omnia difficillimum est, ideo fere nunquam talis permissio licebit. Erit tamen licitum (addit *Sanch. cit.n.36.*) annuere dæmoni petenti ne relegetur in Infernum, neve cruciatu novo torqueatur. Quia hoc nulli injuriosum est, & conducit ad faciliorem egressum.

Dubitatur 6. An liceat applicare medicamenta dæmoniaco? Bené respondet affirmativé *Sanch. l. 2.cap.42.n.* 10. si id fiat debita intentione, prudenter, & ex medicorum præscripto: atque adeo ne credatur medicamentum ullum sortiri virtutem expellendi dæmonem, sed solum expellendi noxios humores quibus utitur dæmon ut vexet energumenum.

369 Dubitatur 7. per quam corporis partem sit expellendus dæmon? Ex *Sanch.* & *Tyræo* bené respondet *Bonac.tom.2.d.4.q.1.de juram.p.ult n.* 16. per nullam de necessitate pellendum: quia cum sit spiritus, nullo indiget ostio ad egressum: frequenter tamen & apté cogi exire per inferius corporis orificium, pro maiori superbi spiritus confusione & vituperio.

Dubitatur 8. quam habeat dæmon potestatem in dæmoniacos? Respõdeo ex *Sanch.n.7.* & *Bonacina p.ult.* solam illam habere potestatem, quam illi Deus permittit juxta suæ divinæ providentiæ præscriptum: regulariter autem permitti dæmoni, ut corpus affligat, vexet, pravosque excitet motus: ex quibus fit haud levis a virtute retardatio.

Dubitatur 9. an expellantur omnes dæmones, uno expulso? Respondent citati authores id frequenter, & ut plurimùm accidere, sed non infallibiliter. Quia per divinam providentiam regitur tam illorum ingressus, quàm egressus: cum veró non semper expediat quód multi ingrediantur, ita non semper expedit, quòd omnes exeant.

Exorcismorum virtus.

Dubitatur 10. an exorcismi Ecclesiæ habeant infallibilem virtutem expellendi dæmonem? *Valent.2.2.disp.6.q.8.p.2.q.2* affirmant id tanquam probabile, itaut ex sola indignitate ministri, vel ejus qui curandus est, impediri possit effectus. Lõgè tamen probabilius est quod docet *Sanch. lib. 2.c.42.n.16.* quamvis virtus exorcismis competat ex opere operato, non competere infallibiliter, sed prout divinæ providentiæ consentaneum fuerit.

erit. Nam ſæpe (ut ex ſanctorum hiſtorijs tradit *S. Auguſt.lib.83.quæſt.q.79.* permittit Deus, ut abſque miniſtri, & ejus qui curandus eſt, indignitate dæmones exorciſmis non obediant, in aliorum exemplum & commodum.

QUÆSTIO V.

Quid ſit abjuratio, quando, a quibus & qualiter facienda?

370 QUanvis apud Latinos (ut notat *Servius ad Æn.8.*) abjurare ſit rem creditam perjurio negare, & ſic M. Tullius 1. ad Attic. poſuit pro ſponſionem factam jurejurando negare, tamen apud Canoniſtas ad *cap. audita de reſtitut. ſpoliat.* abjurare eſt renunciare, vel deteſtari cum juramento. Unde abjuratio hæreſis, eſt hujus renunciatio, vel deteſtatio, interpoſito jurejurando.

Abjuratio quid ſit, & quotuplex.

Abjurant ergo hæretici vel de hæreſi ſuſpecti ad excludendam hæreſis infamiam, vel ſuſpicionem deteſtando hæreſim, de qua convicti, vel indiciati ſunt. Cum veró triplex ſit ſuſpicio, levis, vehemens & violenta, triplex ab Inquiſitoribus indicitur abjuratio, quæ aut de levi dicitur, aut de vehementi, aut de violenta: præter quartam, quæ eſt de formali, & dicitur illa quæ fit in forma ſolemni. Vide. *Eymericus p.3.rubr.de 4.modo term. n.126.*

Circa tempus (ut explicemus quando abjuratio ſit facienda) vel illud poteſt referri ad ætatem delinquentis, vel ad decurſum cauſæ in judicio. Si referatur ad ætatem delinquentis, hic non cõpellitur abjurare ſi ſit maſculus, niſi poſt ætatem quatuordecim annorum, ſi ſit fæmina poſt ætatem duodecim annorum. Ante hanc ætatem etiam doli capaces non abjurant, niſi raró, ut tradit Souſa in Aphor.l.2.c.4.

Abjuratio quando facienda.

Si referatur ad decurſum cauſæ, quanvis *Pegna p.2. commen.92.* aſſerat ſolam infamiam cunctis adminiculis ſuſſultam pro facienda abjuratione ſufficere: rectiùs tamen *Palaus* apud *Dianam p.4 tract.8.reſol.39.& Menochius lib 1.conſ. 82. n. 155.* docent nunquam indici poſſe abjurationem etiam de levi, niſi indicium vel delictum illud ex quo naſcitur indicium, ſit plené probatum.

371 Circa delinquentes a quibus fieri poſſit ac debeat abjuratio, imprimis ſi loquamur generaliter, abjurant de levi, qui de fide ſunt leviter ſuſpecti, de vehementi qui vehementer. Qui autem dicantur leviter, & qui vehementer ſuſpecti, vide *Farinac.de hær.q.187.a.n.23.* Obſervat *Souſa lib.2.c.40.n.15.* proceſſus minorum in cauſa fidei, quando non conſtat de hæreſi formali, terminari regulariter in abjurationem de levi. Nam ætatis circumſtantia reddit levem quancunque ſuſpicionem. Vide Dian.p.4.tr.7. reſol.1. Notat *Pegna p.3.commen.39.* dari aliquando indicia ſufficientia ad torturam & non poſſe indici abjurationem de vehementi. Quia abjuratio ob periculum relabendi eſt pœna graviſſima. Addit *Carrera qq. crim. c.1.de hær.n.97.* quanvis reus fuerit tortus, poſſe ei imponi abjurationem tantum de levi.

Abjurare qui ſoleant.

Si loquamur de ſpecialibus. 1. abjurant de vehementi apoſtatæ a fide, vulgo *Renegados* ad quamlibet ſectam tranſeuntes, & fidem abnegantes, ſi ſponte redeant, & negent intentionem. Si autem parvuli ſint, abjurant de levi, ut tradit *Pegna p.2. commn. 59.* Nec excuſantur metu, niſi metu ceſſante ſtatim revertantur ad fidem. Imó ſi metus non ſit mortis, vel tormentorum: ſed famæ, exilij, fuſtigationis, abjurare debent de vehementi, niſi talis timor fuerit incuſſus perſonis non ſatis inſtructis in fide, & delicti gravitatem ignorantibus. *Riccius lib.6.c.5.n.7.*

372. 2 Abjurat de vehementi ſortilegus, quando ſortilegium ſapit hæreſim, ut ſi ſacramẽta, ſacramentalia, orationes, & verba ſacra admiſceantur. Talis enim ſignificat ſe credere, quód ad peragẽda maleficia, res ſacræ vim habeant quanvis ille ſe id credere non fateatur. Ita *Raphael de la Torre in 2.2.q.96.a.4.diſp.2.*

Sortilegus abjurans.

Quid ſi ſortilegus dæmonem invocet ad flectendum puellæ animum, vel effectum alium, qui ejus vires non excedit, nullum in mente errorem habens? Reſpondet *Zanardus p. 3.c. 64* adhuc eſſe aliqualiter de fide ſuſpectum, propter commercium, quod habet cum hoſte Dei: & quanvis in Inquiſitione Romana, in qua leviter ſuſpecti torquentur, talis ſuſpicio purgari poſſit per torturam, in Hiſpania ubi tales non torquentur, de levi abjurare debet.

3 Abjurant de vehementi tanquam hæreticorum credentes, qui aſſiſtunt illorum conventiculis & concionibus in terris catholicorum, etiam ſemel, niſi ob ignorantiam, vel aliunde excuſentur. Ita *Pegna p.2.q.50.* At aſſiſtentes concionibus hæreticorum in terris infidelium per duas vices, ſunt ſuſpecti leviter, proindeque debent abjurare de levi. Ita contra *Zanchinum de hæret.c.3.n.5. Souſa in Bul.cæn.c.2.diſp.8.n.10.*

4 Pro qualitate ſuſpicionis debet abjurare fautoriam, teſtis qui in favorem inquiſiti falſum depoſuit, negando hæreſim, quam eum commiſiſſe cognovit. Ita *Palaus tom.1.tr.4. diſp.8. p 15.§. 6.n.9.* Quanvis idem *punc.5.§.7.n.1.* dicat impedientes officium S. Inquiſitionis tantum de levi abjurare debere. Apud *Dianam p. 4. tr.7.reſol.19.* transferentes arma, equos, & ſimilia in terras infideliũ animo juvandi illos in bello contra Chriſtianos, poſſunt tanquam fautores hæreticorum pro gradu ſuſpicionis torqueri, & ad abjurandũ cogi: ſecus ſi animo negotiandi hoc faciant.

Teſtis falſus pro hæretico.

373. 5 Hæreticorum fautores, defenſores, & receptatores quando ſubeunt levem aut vehementem ſuſpicionem, abjurant de levi aut vehementi, ut tradit *Pegna p.2.comm.76.lit. C.* Idem de percutientibus & conſpurcantibus ſacras imagines, dicendum eſſe, affirmat *Zanardus p 3.c.64.* Idẽ tradit *Diana p.4.tr.7, reſol. 8.* de illis qui habent cõſuetudinem blaſphemandi: licét practicetur diverſo modó in Inquiſitione Hiſpanica atque in Romana.

6 Abjurant de levi religioſi, & ſacris initiati matrimonium contrahentes, ſicut e contra conjugati qui ſine licentia uxoris in ſæculo manentis

tis sacros ordines suscipiunt, vel religionem intrant. Poterunt autem circunstantiæ exigere abjurationem de vehementi præcedente tortura, ut si quis esset de provincia quæ infecta est Lutherana hæresi. Vide *Dianam p.4.tr.7.res.4. & 5.* Similiter de levi abjurant contrahentes binas nuptias, & non sacerdotes qui audiunt confessiones, vel Missam celebrant: & de vehementi, si sint ex locis quos infecit Lutherana hæresis Vide *Sousam lib.1.c.33. & Acugnam de conf.solicit.q.13.n.* 10.

Astrologi judiciarii.

7 Abjurant de levi qui frequenter exercent Astrologiam judiciariam, præsertim cum aliorum detrimento. Ita *Sous. lib.1.cap.48.n.15.* Notat verò *Zanardus p.1.pr.1.c.5.q.16.* eos non debere abjurare, si affirment astra inclinare nec posse, nec cogere. Cavendum tamen est, ne id affirment ad vitandas pœnas. Abjurant etiam de levi retinentes & legentes Hæreticorum libros, Necromanticorum pentacula, & similia: & sic in Hispania practicari docet *Suar.de fide disp.*[illegible] *sect.2 n.4.*

Schismatici abjurantes.

374 8 Schismatici pro qualitate personarũ, temporis diuturnitate, & alijs circunstantijs abjurant de levi aut vehementi. Quòd si in intellectu errorem habuerint, abjurabunt ut hæretici de formali, & quidem non solum hæresis suspicionem, sed etiam schisma. Ita *Duardus in Bulla can.l.3. can.1.q.116.n.12.* Denique Sodomitæ (ut testatur *Moura de ensal.opusc.1. sect.3.c.1.n.16.*) in regno Lusitaniæ, ubi ab Inquisitoribus cognoscuntur, nec etiam de levi abjurant.

Sodomitæ non abjurant.

Abjurationis modus.

Tandem pro ultima quæstionis parte, qualiter abjuratio sit facienda, imprimis abjurantes de levi possunt cogi ad abjurandũ generaliter omnem hæresim, sicut juxta Acugnam de confes. solicit.q.24 n.22. observatur in Inquisitione Hispana, & secundùm *Pegnam p.3.commen. 4. in Romana.* Deinde abjuratio fieri debet publicè juxta textum in *cap.ad abolendam § præterea, de hæret* & tenet *Barb.in collect.tom.2.lib.5.tit.7.c.9.n.11.* haberturq; in *Instruct.Hispalensi anno 1484.n.5.*

Notat tamen *Zechius in sum.to.1.tit.de fide c.11. n.17.* ex causa sufficienti posse fieri secretò. Unde affirmat *Simanca tit.1.n.14.* non debere abjurare publicè qui hæresim occultam sponte confessi sunt. & qui sunt leviter de hæresi suspecti, sed privatim. Docet *Pegna p.3.commen.40.* requiri in abjuratione subscriptionem quando reus pœnitens scit scribere: si verò nesciat, debere Inquisitores & notarium subscribere. Quod ut tutissimum monet *Decian.tract.crimin.lib.5.c.41.a.n.6.*

Concepta verba formæ qua Iudæus abjurat, traduntur a *Diana p.4.tr.7.res.26.§.Ego.*

QUÆSTIO VI.

Quas inhabilitates subeant abjurantes, & qualiter fiant relapsi.

375 EX decreto S.Congregationis S. officij, annuente S.D.N.Urbano 8. regulares qui abjurant de levi per quancunque pœnitentiam, nisi sit salutaris, redduntur inhabiles ad gradus & dignitates suæ religionis. Sic tradit *Alphonsus de Leone tract.de offic.& potest.confess.p.2.collect.1.n.211.* Quanvis ante citatum decretum, oppositum tradiderit *Seraphinus in addit.ad tract. de confess. solicit.q.24.n.70.* etiam si abjurasset de vehementi. Ad confessiones audiendas admitti nequit, qui abjuravit de vehementi, ex declaratione S. Congregationis, ut tradit Locatus in fine praxis Inquisit. & docet *Riccius p.2.decis.218.* Abjurans vero de levi admittitur apud Genuensem, teste *Diana p.4.tr.8.res.64*

Difficultas est, an incurrat irregularitatem qui de levi, aut de vehementi abjuravit? Affirmat *Azor to.1.lib.6.c.21.q.8.* Negant *Parisius de resign. benef.l.4.q.3.n.17. Garcia de benef.tom.2.part.11 c.10. n.88.* & *Sanch.tom.1.sum.l 2.c.25.n.19.* & hoc verum est, si loquamur de irregularitate imposita in tali casu specialiter. Quia nulla in jure reperitur expressa. Unde Azor loqui videtur generaliter de illa quæ incurritur per infamiam. *Irregularitas abjurantis.*

Quod attinet ad pœnam relabentis, ut quis post abjurationem incidens in hæresim, dicatur vere relapsus, dicam paucis. Non censetur relapsus qui post abjurationem de levi, de hæresi postea convictus est: secus, si post abjurationem de vehementi. Ita multi apud *Barbos.in collect.tom.3. lib.5.tit.2.c.8.n.2.* Desumunt ex *c.si accusatus, de hæret.in 6.* *Relapsus qui sit.*

376 Apud Locatum pr.Inqui.*V.vehemens suspicio n.1.* ex declaratione Pij. V. non est relapsus qui post abjurationem de vehementi iterum abjurat. Quia talis solum redditur denuo suspectus de hæresi. Unde juxta Decianum tract.crim.l.5. c.56.n.16. fautor hæreticorum hæresim abjurans, si iterum illis faveat, non est relapsus.

Qui in secundo lapsu plenè convincitur, & insuper plenè probatur, quòd verè commiserit illud crimen, de quo leviter indiciatus abjuraverat tantum de levi, relapsus est, ut tenet *Squillacensis de fide cathol.c.31.n.2.*

Relapsus tamen non est qui post abjuratam realem hæresim redditur de secundo lapsu vehementer suspectus, quando de hæresi non plenè convincitur, idque defectu qualitatis delicti, & non defectu probationis. Ita *Rojas de hæresi p.2. n.333.* Quanvis *Palaus tract.4.disp.6.p.2.n.9.* putet etiam in primo casu relapsum esse, & apud *Canteram qq.crim.cap.1 de hæret.n.58.* Concilium Supremæ Inquis. tanquam relapsum punierit in casu unico. Vide *Dian.p.4.tract.7.resol.26.*

Illud tandem observaris ex constitutione Martini V. & tradit *Locatus pro Inq.v. suspicio n.8.* recusantem abjurare, pro convicto haberi, & sæculari curiæ tradendum esse. Procedit tamẽ cõstitutio, quando quis confessus, convictus, aut in hæresi manifestè deprehensus fuerit. Nam si tantum leviter aut vehementer suspectus sit, & abjurare recusaverit, prius excommunicari debet, & si per annum in excommunicatione obsorduerit, tanquam hæreticus condemnari.

TRACTATUS XXXI.

De Voto.

SECTIO I.

De essentia & multiplicitate voti.

QUÆSTIO I.

Quid sit votum, & quomodo definiatur?

377 CUM egerimus superiori tractatu de juramento, adjuratione, & abjuratione, quæ sunt valde affinia voto, utpote ad virtutem religionis spectantia, sequitur ut tractemus de voto, quod juxta *S. Thomam* 2. 2. *q.* 88. *a.* 3. & 4. non solum est opus laudabile & meritorium, cum honoret Deum, & firmet in bono voventem, sed ad virtutem religionis pertinet. Nam voti emissio a religione elicitur, executio imperatur. Ex quo sequitur melius esse facere aliquid ex voto, quàm sine voto.

Votum quale opus.

Votum apud Latinos significat tum voluntatem & desiderium alicujus honesti boni obtinendi, juxta illud *Plinij Epist.* 45. *Hanc ego vitam voto & cogitatione præsumo.* tum promissionem Deo factam, ex qua obligatio inducitur juxta illud M. Tullij 3. de natura Deor. *Nonne* (inquit) *animadvertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint.*

Voti definitio. Apud Theologos, ut desumitur ex *S. Thoma* 2. 2. *q.* 88. *a.* 1. Suario tom. 2. relig. tract. 6. init. & Sanch. lib. 4. Decal. cap. 1. n. 1. Votum sic definitur: *Est promissio deliberata & spontanea Deo facta de meliori bono.* Priora verba nempe *promissio deliberata & spontanea*, sunt loco generis, quia juxta illa votum convenit cum promissione homini facta. Posteriora sunt loco differentiæ, cum per illa votum, ex eo quód fiat Deo, & fiat de meliori bono, differat a promissione homini facta.

378 Verba illa (*deliberata & spontanea*) satis indicant votum compleri non solum per actum intellectus, ad quem spectat deliberatio, sed etiam voluntatis, & hujus præcipué, ad quam spectat libertas. Ad votum enim præcedit cognitio de voti natura & convenientia, ex qua mota voluntas se ad vovendum determinat: & in hoc actu formalis voti ratio consistit.

Voti conditiones. Ex quibus sequitur, quinque postulari ad votum, 1. deliberationem, seu libertatem. 2. propositum, seu voluntatem vovendi. 3. promissionem, quæ est ipsa voluntatis determinatio. 4. ut Deo fiat promissio. 5. ut fiat de meliori bono. Cum enim sit actus religionis offerentis aliquid Deo, esse debet de re magis grata Deo, quàm sit opposita, ut ab illo acceptetur. Explicatio harum conditiorum patebit ex sequentibus.

Propositũ an obliget. Rogabis 1. utrum ad votum sufficiat propositum absolutum exequendi rem honestam in honorem Dei? Videtur affirmandum ex varijs textibus in *cap. qui bona* 17. *q.* 1. *cap. consulto, de regular.* & *cap. statuimus, eod. tit.* in quibus Pontifices innuunt satis esse absoluté proponere rem bonam facere Deoque gratam in ipsius obsequium, ut contrahatur obligatio.

Negandum tamen omninò est cum *Azorio p.* 1. *l.* 11. *c.* 12. *q.* 5. *Valent.* 2. 2. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 1. *Lessio lib.* 2. *c.* 40. *n.* 21. *Sanch. lib.* 4. *c.* 1. *n.* 20. & *Suario tom.* 2. *de relig. l.* 1. *de voto c.* 2. *n.* 3. Ratio est quia ex absoluto proposito rem faciendi nulla oritur obligatio, qualis reperitur in voto, quod est quasi lex privata: aliter qui absoluté proponeret observare mandata, strictiùs ad illa teneretur; ergo non sufficit propositum sine promissione. Unde in textibus citatis Pontifex vel accipit propositum simul cum intentione se obligandi, vel cum alijs adminiculis, quæ votum inducant. Unde protestatio non sufficit ad votum: quia non est promissio. Protestari enim proprié dicimur, cum animi nostri sententiam declaramus: & sic juris nostri rationibus in futurum consulimus. Vide hæc & plura in Elucid. n. 1921. *Protestatio ad votum.*

379 Rogabis 2. an de ratione voti sit, quód fiat soli Deo, an possit etiam fieri sanctis? Ratio dubitandi oritur ex frequenti usu quo fideles vovent B. Virgini, & sanctis multa in eorum cultũ & honorem, ac proinde vota non soli Deo fiunt. *Valentia tamen* 2. 2. *d.* 6. *q.* 6. *p.* 3. recté monet de solo nomine quæstionem esse. Nam si votum fiat ad recognoscendum authorem omnium bonorum, a quo vovens aliquid impetrare intendit, vel pro impetratis gratias referre, certum est soli Deo fieri, etiam si in tali voto sancti invocentur ut mediatores. *Vota sanctis fact.*

Quòd si votum aut promissio sumatur prout cedit in cultum sanctorum specialiter, sive vovẽs illos habere propitios mediatores intendat, sive pro acceptis beneficijs gratias exhibere, sanctis fieri potest. Sicut enim sancti attenta propria excellentia adorari, & orari, ita promissione & voto coli possunt. Cum tamen promissio facta sãctis frequenter confirmetur promissione Deo facta: nam Deo vovemus facturi quidquid sanctis promittimus, ideo votum factum sanctis censetur Deo fieri.

Recté observant *Sayrus in clavi lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 11. & *Bonacina tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 2. *de voto p.* 1. *n.* 17. quando quis prælato locum Dei tenenti obedientiam promittit, non facere illi votum, etiam eo modo, quo facit sanctis spectata eorũ excellentia. Quia illam non promittit in cultum & honorem prælati: sed Deo promittit obedientiam suo prælato servandam.

QUÆSTIO II.
Quotuplex sit votum?

380 PRo voti multiplicitate in genere explicanda, notandum est, posse dividi votum, vel ex parte promissionis, vel ex parte rei promissæ. Ex parte promissionis fit prima divisio in absolutum & conditionatum. Absolutum est quod parit obligationem quæ a nulla conditione pendet. Conditionale habet obligationem ab aliqua conditione pendentem. Hoc subdividitur in conditionale pænale, & conditionale purum.

Voti multiplicitas.

Conditionale pænale datur quando quis rem promissam promittit in pænam alicujus criminis quod se habet pro conditione, ut si quis dicat, Promitto religionem ingredi si lusero, aut si adulteravero; tunc religionis ingressus est pæna criminis ludendi, vel adulterandi, ludus autem vel adulterium est conditio. Conditionale purum datur, quando conditio apponitur præcisè ut cōditio: v.g. quando quis promittit religionem ingredi, si sanitatem recuperet, vel mortis periculū vitet. In priori fit promissio in odium conditionis, nempe adulterij, in posteriori fit ex amore conditionis, nempe sanitatis.

Pœnale votum.

Pro dignoscendo benè discrimine inter votū absolutum & conditionale; illud observabis, dari nonnulla vota, quæ videntur conditionalia, cum sint absoluta: qualia sunt aliqua in quibus pro aliquo tempore suspēditur obligatio, ut si quis voveat ingredi religionem consummato studiorum cursu, seu post annos pubertatis. Hæc enim sunt absoluta, quia vovens absolutè ad religionem obligatur, tametsi ad obligationis executionem opportunum tempus expectet. Unde tempus illud non est conditio, quia non suspendit obligationem, sed hujus executionem.

Conditionalis voti agnoscendi ratio.

381 Semper examinandus est voventis affectus, qui a communiter accidentibus præsumi debet. Unde qui vovet religionem, si vigesimum ætatis annum attigerit, & non voveat animo expresso impetrandi a Deo vitam, judicādus est absolutè vovisse, sicut qui vovit religionem, si pater vel mater objerit.

Religionis votū conditionale.

Difficultas est quando quis religionem vovet, si frater suus natu maior habuerit filios? *Palaus tract.* 15.*disp.*1.*p.*10.*n.*1. existimat præsumendum esse absolutum. Quia ille absolutè intendit religionem, cui non anteponit succedere fratri. Rectiùs *Suar lib.*6.*c.*22.*n.*8.*& Sanch.l.*4. *cap* 40.*n.* 83. docent præsumendum esse cōditionale. Quia ille affectus religionis est valde imperfectus, & ille vult potiùs fratri non habenti filios succedere ob conservationem suæ familiæ, quàm ingredi religionem.

Secunda divisio fit in votum solemne & simplex. Solemne est quod ex dispositione Ecclesiæ habet perpetuitatem, & voventem reddit inhabilem ad actus voto repugnātes: sic se habet votum in sacro ordine vel religionis professione emissum. Simplex est quod caret prædictis conditionibus, tametsi fiat nonnullis Ecclesiasticis cæremonijs & solemnitatibus. Et utrunque votū vel fit expressè, vel tacitè censetur emissum.

Solemne votum quid.

382 Ex parte rei promissæ, quamvis votum sit multiplex, scilicet affirmativum & negativū, perpetuum & temporale, reservatum & non reservatum, quorum facilis erit cognitio, præcipuè dividitur 1. in reale, personale, & mixtum. Reale est, cum res externa promittitur scilicet pecunia, domus, prædium. Personale, cum promittitur actio emanans a persona. Mixtum, cum id quod promittitur partim reale, partim personale est: ut si promittas ornamentum a te portandum dare templo.

Reale & personale votum.

Dividitur 2. in votum commune & singulare: commune, alio nomine dicitur necessarium, & est de rebus præceptis, seu necessarijs ad salutem, quæ omnibus communes sunt. Singulare, alio nomine liberum, est de rebus ad consilium pertinentibus, quarum obligatio pro singulorum arbitratu suscipitur. Vide præter citatos *Azorium p.*1.*lib.*11. *cap.*14.*& Lessium lib.*2.*cap.*40.*dub.*6.

QUÆSTIO III.
Quæ promissio, & deliberatio, seu libertas requiratur ad votum?

QUæstio proponit duplicem expediendam difficultatem, alteram de promissione, alteram de deliberatione ad voti essentiam omninò postulatis. 1. difficultas est, requiratur ne omninò ad votum promissio vera, an sufficiat simulata? Nota simulationem posse in promissione tripliciter evenire. 1. si promittat quis verbo tenus, & non animo. 2. si promittat animo promittendi, sed non se obligandi. 3. si promittat animo se obligandi, sed non exequendi promissum. Quæritur an sufficiat ad votum promissio aliquo ex his modis simulata?

Promissio simulata in voto.

Rectè affirmant. *Navarr.c.*12.*n.*27. *Lessius lib* 2. *c.*40.*dub.*1.*n.*7.*Sanch.l.*4.*de voto c.*1.*a.n.*23.*Suar.to.* 2.*de relig.lib.*1.*de voto cap.*3.*a.n.* 7. et alij communiter promissionem primo aut secundo modo simulatam, voti obligationem & valorem impedire. Patet, quia omnis obligatio voti, sine qua votum, & promissio stare nequeunt, pendet ab intentione voventis & promittentis: ergo qui promittit sine animo promittendi, vel se obligandi, fictè & non verè vovet. Quod procedit, sive vovens naturam voti intelligat, sive non.

383 Si loquamur de promissione tertio modo simulata, quæ consistit in defectu intentionis exequendi rem promissam, quamvis *Valent.*2. 2.*disp.*6.*q.*6.*p.*1. existimet voto obstare, tamen longè probabilius est non impedire voti valorē, quod absque animo exequendi rem promissam posse consistere, rectè docent *Sanch.lib.* 1. *Matr. disp.*9.*& Suar.cit.de voto c.*4.*n.*3. Ratio est, quia diversa omninò sunt obligatio ad opus promissi, & executio operis promissi: ergo potest adesse animus obligationis, ac proinde votum, sine animo executionis.

Simulatio in voto quod peccatum.

Rogabis, quod nam peccatum sit vovere modo aliquo ex dictis simulato? Constat esse lethale,

le,si contingat in religionis professione, vel sacri ordinis susceptione.Nam est deceptio in re gravi,& graviter injuriosa statui religioso, vel clericali.Ita *Suar.lib.5.de voto cap.1.n.6.& 7.& Bonacina tom.2 disp 4.q.2.de voto p.1.n* 15. qui bene addunt extra nos casus solum esse veniale vovere absque animo vovendi,vel se obligandi: quia per illam simulationem nec Deo, nec proximo gravis fit injuria,sed levis. Quod si fictio côtingat in proposito exequendi promissum,gravitas,& levitas peccati petenda est ex gravitate,aut levitate materiæ.

Deliberatio & libertas ad votū. 384 2 Difficultas est, quæ deliberatio & libertas postuletur ad votum? Communis & vera resolutio est eam deliberationem & libertatem sufficere & requiri ad votum,quæ sufficit & requiritur ad peccatum mortale.Ita *Valent.2.2.disp. 6.q 6 p.1.Lessius l.2.c.40.dub.2.a.n.2.& Suar lib.1. de voto c.6.n.4.* Quód sufficiat, patet,quia ea libertas debet sufficere ut obstringamur Deo per votum, quæ sufficit ut Diabolo devincamur per peccatum mortale.Quód requiratur, suadetur, quia imponere sibi obligationem faciendi rem aliquam etiam sub culpa veniali, est res gravis, quæ merito exigit plenam deliberationem; non ergo sufficit imperfecta & semiplena.

Rogabis 1.postuletur ne semper formalis deliberatio & libertas, quando actualiter votum emittitur,an sufficiat virtualis? Respondeo cum *Sanch.l.1.de sponsal.disp.8.n.21.& Suario de voto lib. 1.c.10.n.4.* sufficere virtualem.Ratio est, nam illa deliberatio sufficit ad votum quæ satis est ad Sacramenta conferenda & recipienda: ad Sacraméta autem sufficit libertas virtualis,illa nempe quæ formalis fuit quando quis actualiter intendit Sacramentum administrare, vel recipere,& virtute perseverat in effectu a se relicto;ergo similiter sufficiet ad vovendū quòd quis ex animo emittendi votum se disponat ad vovendum, etiam si tempore quo votum emittit,distrahatur.Notant bene citati authores omninò requiri statum usus rationis quando quis actualiter votum emittit:si enim tunc sui compos non fuerit,v.g.quia ebrius, insanus,vel dormiens invalide vovet.

385 Rogabis 2.quodnam sit peccatum absque plena deliberatione vovere? Respondeo frequenter esse solum peccatum veniale,posse tamé evenire ut sit mortale,sed raró eveniet. Ita varijs citatis authoribus *Palaus tract.15 disp.1.de voto pun. 4 n.5.* Quòd sit peccatum,constat,quia de ordinatio est imprudenter & inconsiderate velle subire gravem obligationem,qualis est voti. Quód frequenter non excedat culpam venialem, provenit ex defectu prudentiæ in promittendo, qui levis est. Quód possit evenire ut sit mortale,suadetur,quia ex præcipitantia in vovendo evenire potest,ut quis se exponat periculo vovendi illicita & impossibilia: sed raró eveniet.

Quid si dubium sit de voto emisso,vel animo vovendi,vel deliberatione ad ipsum requisita:teneturne? Hæc resolvimus *tr.2.sect.* 5. *de conscientia dubia.*

QUÆSTIO IV.

Utrùm metus & ignorantia impediant voti libertatem & valorem?

CIrca priorem quæstionis partem notandum est metum sive gravem sive levem posse evenire vel ab intrinseco,scilicet a Deo,aut a caussis naturalibus incussum,vel ab extrinseco nempe si incutiatur a caussis creatis liberis, & tunc juste, aut injusté:denique ad votum extorquendum, vel non.

Constat votum ex metu etiam gravi tam ab intrinseco quàm ab extrinseco proveniente, sive justé, sive injusté incutiatur,esse validum naturali & Ecclesiastico jure, dummodó talis metus ad extorquendum votum non sit incussus. Ratio est quia vovens tunc prudenter elligit votum tanquam medium proportionatum ad vitandum malum sibi impendens.

386 Difficultas est quando incutitur metus ad votum extorquendum? *Vega tom.* 2. *sum.cap. 129.casu 17.& Emman.Roter.tom.2. sum.cap.93.n. 3.* asserunt spectato jure naturæ, metum gravem incussum etiam justé ad votum extorquendum, illud invalidare.Et hoc judicat probabile *Sanchez l. 4.de voto cap.3.n.20.* quasi votum ob sui perfectionem incapax sit illius extrinsecæ coactionis.

Nihilominus probabilius est ob nullum metū justé incussum annullari vota,etiam si sint vota religiosæ professionis. Ita *Sanch.lib.4.c.3.n.21. Suar.lib.1.de voto c.7.n.16.Lessius lib.2.c.40 n.15.& Bonac.tom.2.d.4.l.1.de voto p.3.§.2.* Ratio est, quia tali metu exigens votum, potiûs offert votum tanquam medium ad vitandum malum quod imminet ex delicto, vel aliunde, quám inferat metum.

Quid de metu gravi injusté incusso ad votum extorquendum? Quanvis multi apud citandos affirment jure naturæ irritare, tamen verius est oppositum, quod docent præter authores proxime citatos, *Azor.p.1.lib.11.c.15.q.6. & Basilius Ponce l 7.matr.cap.29.n.5.* Ratio est, quia ibi valorem voti nec impedit injuria, nec defectus libertatis:non injuria, quia ex hac nulla ponitur causa,quæ voti valorem impediat:non defectus libertatis,quia cum tali metu stare potest libertas ad peccatum mortale, & ad meritum. Ex quibus a fortiori infertur ex metu levi nulla vota irritari.

387 Superest inquirendum,an jure Ecclesiastico sint irrita vota metu gravi extorta? Multi absoluté affirmant. Multi ex opposito absolute negant.Media via incendendo est cum docentibus professionem religiosam metu gravi emissam irritam esse, reliqua vota, etiam illud quod in susceptione sacri ordinis emittitur,valida esse, sed venire relaxanda.Ita *Suar.lib.cit.de voto c.18.a.n. 5. Iunllo tom.3.relig.lib.6.c.4.n.6. & Basil. de matr.lib. 7.cap.19.n.9.* Prior pars traditur ab Eugenio 2.in synodo gener.*cap.sicut qui monasteria 20.q. 1.* Posterior suadetur,quia irritatio cum sit odiosa,non est asserenda sine firmo fundamento, & nullum *Professio religiosa irrita ex metu.*

apparet

apparet ut reliqua vota ex metu sint irrita.

Observat bené *Palaus tr.15.d.1.p.5.n.13.* vota post biennium emissa in Societate Iesv comprehendi sub professione religionis. Nam vota illa ex se perpetua sunt,& veré constituunt religiosum. Addit *Basilius Ponze lib.7.cap.29.n. 10.* olim tempore Eugenij nō solemnia,sed simplicia vota statam religiosum constituisse.

Religionis assumē ia votum. Quærit *Suar.tom.2.relig.lib.1.de voto c.8. n. 10.* an votum assumendæ religionis emissum ex metu gravi irritum sit?& bené respondet affirmativé. Probat,quia irritum esset omne votum,quod emitteretur ad faciendam professionem invalidam:sed sic se haberet tale votum, cum foret coactū,& ex vi talis coactionis redderetur professio coacta,acproinde invalida; ergo & tale votum. Ex dictis satis patet neque professionem, neque votum aliud metu levi emissum invalidum esse.

Error & ignorantia circa votum. 388 Circa posteriorem quæstionis partem de ignorantia, seu errore,nótandum est illum quadrupliciter evenire posse. 1.circa voti essentiam, ut si quis credat votum non obligare, vel solum obligare quandiu non frangitur. 2. circa materiam.3 circa conditiones & circunstantias. 4. circa voti finem, nempe motivam aut impulsivam causam.

Dico 1.si contingat ignorantia seu error circa essentiam voti,procul dubio votum irritum est. Similiter si contingat circa voti materiam,seu objectum. Ita *Lessius lib.2 cap.40.dub.2.n 11. Sanches lib.4.Decal.c.1.n.16. & Suar.lib.1.de voto cap.11.n.6.* Ratio est quia talis error omninó tollit voluntarium,sine quo stare nequit actus humanus,quo votum emittitur. Monent tamen Sanch.& Suar. citati valere votum,quanvis vovens illius naturam ignoraverit,si intendit votum emittere prout in se est, juxta id secundûm quod alij emittunt.

Infertur 1.irritam evadere professionem religionis,quam quis emisit credens non obligare in perpetuum. Quia in substantia professionis deceptus fuit. Infertur 2.nō teneri voto, qui vovit ire Hierosolymam credens vel illam prope esse, vel se absque navigatione ire posse. Idem est, si vovit religionem Minimorum, aut Carthusianorum existimans se posse ibi libere vesci carnibus Et hic (addit *Suar.c.12.n.12.* liber manet ab ingressu cujuscunque religionis. Quia non vovit religioné absoluté,sed determinatam,ad quam non tenetur.

389 Dico 2. si contingat ignorantia seu error circa circunstantiam,non impedit voti valorem,nisi talis error refundatur in voti objectū.

Error circa voti circunstantias. Ita *Sanch lib.4 c.3.n.8 Suar.cit.cap.1 .n.9. Lessius cit.c.40.n.10.& Bonac.tom.2.disp.4.q. 2.p.3.§.2.* Patet quia ignorata circunstantia,adhuc manet voti objectum voluntariū, (ut enim supponimus) ignoratum non est;ergo manet votum voluntarium ac proinde valet. Quod procedit,etiam si talis esset circunstantia, quam si cognosceres non voveres. Quia talis illa habitualis dispositio non facit votum involuntarium.

Dixi(nisi talis error refundatur in objectum) quia sæpe ita gravis est circunstantia, qualis illa de abstinentia a carnibus in religione, ut meritò censeatur objectum immutare. Quando vero talis sit,relinquitur arbitrio prudentis. Neque obstat quód dolus qui causam dedit contractibus, etiam si commissus non sit in substantialibus, eos irritet. Quia(ut bené notat *Lessius lib.2.c.40.dub.2. n.13.*)illa irritatio in contractibus non provenit a jure naturali,sed positivo,quod non datur ad irritanda vota.

390 Dico 3. si adsit error circa voti finem, qui sit causa motiva,valorem impedit:secus si solum sit causa impulsiva. Ita citati authores, *Suar. n.14. Less.n 11. Sanch.c.2.n.45. & Bonac.p.3.n.13.* *Error circa finē.* Prior pars constat,nam finis coincidens cum causa motiva voventis est voti objectum formalissimum,quod proinde redditum errore involuntariū,votū reddit invalidum, sive sit finis cōmunis omnibus votis, qualis divinus cultus, sive sit finis specialis tam intrinsecus, quám extrinsecus.

Declaratur exemplo: finis intrinsecus eleemosynæ,quem vocant finem operis, est sublevatio alienæ miseriæ:si ergo voveas dare eleemosynam Petro,quem credis pauperem,& veré reperiatur dives,cessat voti obligatio. Finis extrinsecus, qué vocant operantis,est quem vovens mediante voto intendit:si ergo voveas dare eleemosynam Petro pauperi ad obtinendū beneficium, quod credis vacare, cum tamen beneficium non vacet,votum non tenet.

Quid si vovens simul intendat multos fines, quos credit omnes existere, & re vera quidam existunt,alijs non existentibus? Bené respondet *Sanch.lib.4.c.2 n.40.* si vovens habuit expressam voluntatem se obligandi ob quenlibet finem illorum qui adesset,obligatur:si non habuit talem expressam voluntatem,&omnes sunt veré fines, quolibet cessante, voti obligatio impeditur. *Finis voti.*

391 Posterior pars resolutionis de errore circa finem,qui est causa impulsiva,suadetur, quia talis error non occultat objectum voti, quod proinde reddat involuntariū, sed supponens voluntatem determinatam ad vovendum ob alium finem,solū occultat aliquid ex quo faciliús voveret;ergo non impedit valorem & obligationem voti.

Rogabis,quanam ratione dignosci possit finis & occasio voti,seu voti causa motiva & impulsiva? Ex dictis constat voti finem & causam motivam coincidere,& esse id quod quis per votum obtinere intendit:deinde occasionem, & causam impulsivam voti coincidere, & esse id quo quis ad vovendum excitatur. *Finis agnoscendi ratio.*

Utraque causa motiva & impulsiva cernitur in eo qui vovet facere eleemosynam religioso pauperi intendens levare ejus miseriam, & excitatus ad hoc illius probitate,ub miseria levanda est finis seu causa motiva,probitas est occasio,seu causa impulsiva. In dubio an aliquid habeat rationem causæ motivæ vel solum impulsivæ, attēdendum

dendum est, an eo deficiente verus finis voti persistat: si enim non persistat, censebitur causa motiva, si persistat, solum impulsiva, seu occasio.

SECTIO II.

De materia voti.

QUÆSTIO I.

Qualiter votum esse debeat de materia possibili?

Materia voti possibilis.

392 Conveniunt authores, quos referunt ac sequuntur *Sanch. l. 4. Decal. c. 5. n. 9. & Suar. lib. 2. de voto cap 1. n. 7.* votum de materia impossibili esse invalidum. Id sumunt ex *Regula nemo potest de regul. jur. in 6* & l. *impossibilium ff. eod. tit.* & ratione manifesta, quia votum includit promissionem Deo factam, & impossibilia Deo promitti nequeunt. Et hoc procedit tam de impossibilibus absolutè, quàm de ijs quæ comparatione promittentis impossibilia censentur.

Materia partim possibilis.

1 Difficultas est, an votum de materia partim possibili, partim impossibili validum sit quoad partem possibilem? Apud *Suar. lib. 2. de voto cap. 2. a n. 7. & Lessium lib. 2. c. 40. dub. 7. n. 31.* certum est tale votum non valere, si vovens habuit voluntatem expressam non se obligandi ad partem possibilem, quin ad totum obligaretur. Quia votum est privata lex, quæ ita pendet ab intentione voventis, ut extra illam extendi nequeat.

At si constet de expressa voventis intentione attendi debet materia promissa, quæ si vendicet partes ita separabiles, ut aliqua obligationis capax sit, & ex communi usu vovendi non pendeat ab incapaci, seu impossibili, votum tenet quoad partem possibilem, & est invalidum quoad impossibile: secus, si partes sint moraliter inseparabiles. Tunc enim votum omninò invalidum est. Patet, nam quisque vovere intentione objecto accommodata præsumi debet. Ut resolutionis pars utraque exemplis innotescat,

Impossibilitas partis, vel modi.

393 Ex priori infertur 1. si uxor marito invito castitatem voveat, obligari ad non petendum, quamvis reddere teneatur. *cap. quidam, & cap. placet, de conversat. conjugat.* Infertur 2. voventem afflictationes carnis acerbissimas, solum teneri ad eas, quas prudentis arbitrio præstare commodè possit. Sicut si vovit jejunare totam quadragesimam, cum solam partem possit, vel recitare integram rosarium, cum solam partem tertiam possit, ad illam solum partem tenetur. Similiter qui vovit dare in eleemosynam mille aureos, & potest solum centum, ad centum tenetur.

Infertur 3. impossibilitatem modi, sub quo res possibilis promittitur, non impedire voti valorē & obligationem ad rem. Quia impossibilitas accessorij non cedit in principale. Unde qui voveret Romam ire flexis genibus, vel alio impossibili modo, teneretur ire modo possibili. Sicut vovens jejunare pane & aqua, si non possit, tenetur jejunare modo consueto quem potest. Secus dicendum est (inquit *Suar. cit. lib. 2. c. 2. n. 11.*) quādo modus impossibilis fuit oppositus ad minuendam difficultatem, ut si quis vovit ire Romam equitando, & non habet equum, excusatur, etiam si modo alio ire possit.

Partes voti inseparabiles.

Ex posteriori, nempe quando materia habet partes moraliter inseparabiles, infertur 1. cū *Sanch. l. 4. c. 10. n. 7. Laymam lib. 4. tract. 4. c. n 3.* si quis voveat ædificare monasterium, & ex paupertate superveniente non possit nisi partem, ad nihil teneri. Quia censetur promisisse ædificationem monasterij per modum unius. Infertur 2. quando quis implere nequit partem principalem promissam, non teneri ad accessoriam: ut si quis vovit jejunare in vigilia Nativitatis Virginis, & nō potest, non tenetur abstinere a carnibus: item si nequit abstinere a carnibus, non tenetur abstinere a comestione repetita. Denique qui vovit cōfessionem ad lucrandum jubilæum, ab ea excusatur, si jubilæum lucrari nequeat.

394 2 Difficultas est, an votum nunquam peccandi versetur in materia impossibili? Adverte hujusmodi votum posse accidere 1. si fiat non peccandi mortaliter. 2. si fiat non peccandi etiam venialiter. 3. si fiat non peccandi venialiter absolute. 4. si fiat non peccandi venialiter in materia determinata, vel in peccatorum certo genere.

Dico 1. votum non peccandi mortaliter valet tanquam in materia moraliter possibili. Ita *Sotus de just. l. 7 q. 1. a 3. Azor lib. 11. c. 13. q. 4. Sanch. l. 4. c. 5. n. 16. & Suar lib. 2. c. 3. n. 2.* Suadetur, nam hoc votum est de materia possibili, non quidem viribus naturæ, sed gratiæ, quam Deus de lege ordinaria statuit conferre divinam misericordiam volentibus, & implorantibus. Unde obligat etiam homines fragiles, & pecatis deditos. Consulendū tamen non est, ob periculum transgressionis. *Votum nō peccandi.*

Dico 2. Votum absolutè non peccandi etiam venialiter, invalidum est. Ita præter *Sotum, Sanch & Suar.* citatos, *Valent. 2. 2. disp. 6. q. 6. p. 2. & Lessius lib. 2. c. 40. n. 31.* Ratio est, quia licet vitare omnia omninó peccata etiam venialia loquendo speculativé, sit physicé possibile, tamen loquendo moraliter, spectato communi rerum cursu, & auxilijs a Deo concessis, impossibile est.

395 Dubitari solet, an tale votum obliget ad partem, nimirum ad vitanda peccata mortalia? Affirmat *Suar. lib. 2. de voto c. 3. n. 16.* Quia pars illa materiæ spectans ad mortalia separabilis est ab altera parte, & possibilis. Negat *Sanch. l. 4. c. 5. n. 10.* Quia sic vovens intendit vitare omnium peccatorum collectionem per modum unius, quod impossibile est.

Utranque sententiam conciliare possumus, si loquamur cum distinctione: nam si vovens expressam habuit voluntatem non se obligandi vitare mortalia, nisi simul obligatus ad vitāda omnia venialia, votum non tenet, & in hoc sensu placet *Sanchez*. Si verò talem volūtatem expressam non habeat, votum tenet & obligat ad vitanda sola mortalia, quæ materiæ pars est possibilis, & ab altera separabilis, & pro valore actus præsumitur vovens se velle obligare eo modo

quo potest:& in hoc sensu placet *Suarez*.

Dico 3. Votum de vitãdo aliquo genere peccatorum venialium, v.g. non mentiendi, regulariter validum est: consuli tamen non debet. Ita *Azor liq.11.cap.13.q.4. Sanch.l.4.c.5.n.18. Suar.l.2. de voto c.3.n.4.& 1 essius lib.2.cap.40. dub.7. n. 31.* Ratio est, nam attento communi ordine gratiæ, sunt aliqua peccatorum venialium genera, quæ moraliter vitari possunt, præcipue si talia sint quæ ex plena deliberatione committantur.

Venialia vitare an sit materia voti.

Dix (regulariter) quia sunt aliqua peccatorum venialium genera, quæ materia voti esse nequeunt. Nam attenta hominum fragilitate, & depravata natura, vix moraliter longo tempore vitari possũt, ex eo præcipué quod soleant plenam deliberationem prævenire. Talia sunt (inquit citatus *Sanch*.) quæ committuntur in verbis otiosis, cibo & potu sumendis, cogitationibus judicij temerarij, infidelitatis, luxuriæ. Quando est dubium an materia sit possibilis moraliter, tenet votum, secus, si sint pro utraque parte probabiles opiniones.

396 Quid si quis voveret quantum in se est venialia omnia peccata vitare? Recté *Sanch.lib.4. cap.5.n.13.& Lessius lib.2.c.40.dub.7.n.31.* asserunt validum esse tale votum, utpote de objecto & materia possibili. Nam solum obligat adhibere specialem curam & diligentiam pro vitandis peccatis venialibus, quod moraliter possibile est; quidquid in oppositum dicat *Palaus tract.15. disp. 1 p.8.§.1.n.12.* negans materiam esse possibilem, quia incognoscibilis est.

Quid de voto confitendi omnia venialia? Esse validum bené affirmat, & cum citatis authoribus consentit *Palaus citatus n.13.* Quia est de materia possibili & determinata. Non enim de fatendis omnibus venialibus absoluté intelligitur, sed solũ de fatendis ijs, quæ facta mediori diligentia memoriæ occurrerint. Quæ fuerint oblita reservantur in sequentem confessionem, si memoriæ occurrant, nec opus est ea statim fateri, etiam ante sacram Eucharistiam sumendam. Quale peccatũ sit promittere Deo rem impossibilem, bené resolvit *Suar.l.5.de voto c.2.n.3.* non excedere culpam venialem, sive promittens agnoscat rei promissæ impossibilitatem, sive non agnoscat.

Fatendi venialia votum.

QUÆSTIO II

Qualiter votum esse debeat de materia honesta: & an de præcepta esse possit?

Materia honestas in voto.

Circa primam quæstionis partem de honestate materiæ; cum certissimum sit rem malam esse non posse voti materiam, certum etiam est debere illam esse rem bonam & honestam. Quia aliter nec Deo grata esse poterit, nec in Dei cultum & honorem cedere, ut actus vovendi ad religionis virtutem pertineat.

Est solum dubitatio, an & quomodo actus indifferens voti materia esse possit, relicta indifferentia? Recté docent *Valent.2.2.d.6.q.6.p.2.diff.3. Azor l.11.c.13.q.5. Sanch.l.4.c.7.a.n.2.& Suar.tom. 2.de relig.l.3.c.4.n.5.* actum indifferentem, si exuta indifferentia honestatem induat ex aliqua circunstantia, posse fieri aptam voti materiam. Explicatur duplici exemplo. Quanvis ludus cũ hoc vel cum illo, sit res indifferens, tamen si Petrus tibi fuerit in ludo occasio jurandi vel rixandi, poteris validé vovere non ludere cum Petro ad vitandum tale peccatum. Item quanvis nõ in gredi in talem domum sit ex se res indifferens, at si ingressus est tibi occasio peccandi, validé non ingredi vovebis pro peccato vitando.

Indifferens materia voti.

397 Observandum tamen est 1. cum citatis authoribus, ut res indifferens fiat honesta & capax voti, non sufficere ut referatur ad finem honestum, nisi ipsa, tali consequendo fini judicetur apta. Hinc est, invalidum evadere votum non edendi capita animalium in honorem S. Joannis Baptistæ, item non edendi carnes assas in honorem S. Laurentij: quia talis abstinentia non cedit in honorem talium sanctorum, & hujusmodi fini apta non est. Valeret tamen votum, si quis voveret talẽ abstinentiam ad mortificandam specialem voluptatem, quam caperet in esu vel capitum, vel carnis assæ. Quia tunc illa abstinentia foret apta ad illos sanctos colendos,

Observandum est 2. cum *Suar.l.2.de voto c.4.n. 9.* quanlibet occasionis peccandi præcisionem esse bonam & honestam, ac proinde voti materiam. Unde valebit votum non furandi a Petro, non fornicãdi cum hac determinata fæmina, vel abstinendi die festo ab hoc opere servili. Quia horũ abstinentia, cum sit præcepta, bona & capax materia voti est. Secus, si abstinentia præcepta non foret, nec aliunde haberet conducentiam ad finẽ honestum.

Occasionis peccati remotio est materia voti.

Observandum est 3. cum *Sanch.lib.4.c.7. n. 19.* honestatem in objecto promisso adesse debere tempore quo votum emittitur Si enim tali tempore non adsit, votum irritum erit, etiam si decursu temporis honestatem sortiatur. Nam sicut sacramentalis absolutio, ita & votum, quando fiunt, cadere debent super materiam capacem, ut valeant. Quid si quis vovit non ingredi domum, falsò credens ibi adesse fæminam, occasionem peccati, si postea talis fæmina adsit? Recté docet *Sanch. citatus* valere & obligare votum. Quia mens voventis ab initio fuit non ingredi illam domum, quoties ibi talis peccandi occasio adfuerit.

Honestatis tempus in materia voti.

398 Circa alteram quæstionis partem an votum de materia præcepta esse possit? Certa omninò est affirmativa resolutio, quam docent *Navarrus cap.12.n.25. Lessius l.2.c.40.dub.7.n.47. Sanch.l.4.c.5.n.6. Suar.to.2.l.2.de voto c.6.a.n.4. & Layman l.4.sum.tract.4.de voto c.2.n.9.* Patet, quia materia præcepta est capax voti, cum sit ita Deo grata, ut opposita grata non sit. Deinde præceptũ non tollit libertatem, cum voluntatem ad implendam obligationẽ non cogat: atque adeo vovens de re præcepta potest facere Deo liberam, & spontaneam obligationem.

Votum de re præcepta.

QUÆSTIO III.

Qualiter esse possit votum de re honesta ob finem malum vel indifferentem?

Honesta rei ob finem malum voto.

OPortet distinguere inter duos fines, alterũ qui dicitur finis rei promissæ per votum, alterum, qui dicitur finis promissionis. Prior finus est ille, qui executione rei promissæ intenditur: ut si quis voveat eleemosynam pro victoria cõparanda. Posterior finis est ille, ad quem vovens refert ipsam promissionem, ut si quis voveat religionem, vel emittat professione religiosam, & hoc votum, seu promissionem referat ad aucupandum humanas laudes.

Est igitur communis theologorum resolutio, si finis rei promissæ per votum malus sit, invalidum esse votum: secus, si sit finis ipsius voti, seu promissionis. Ita *Sotus de justit. l. 7. q. 1. a. 3. dub. 1. Valent. 2. 2. dub. 6. q. 6. pun. 2. diff. 2. Tolet. l. 4. sum. c. 17. n. 16. Samb. l. 4. c. 6. n. 13. Suar. lib. 2. de voto c. 4. n. 3.* & multi alij, quos allegant. Ratio prioris partis est, quia quando finis rei promissæ malus est, redditur absoluté malum quod promittitur, ac proinde Deo displicet, & non placet. Ratio posterioris partis est, quia valor & obligatio voti, non desumitur ex honestate actus ipsius in individuo, sed ex honestate objecti promissi, quod Deus acceptat ut bonũ & sibi gratũ, etiam si malé promittatur: alioquin non valeret votum rei summé honestæ, si inconsideraté fieret.

Finis in nonnullis votis.

399 Notant citati authores, quibus accedit *Layman. l. 4. sum. tract. 4. c. 2. n. 10.* quod diximus de fine pravo rei promissæ per votum, procedere de fine omninó indifferente, qui cum sit vanus, opus quod ad ipsum refertur, cedere nequit in cultum Dei, proindeque materia voti esse non potest.

Ut veró examinemus aliqua vota dubia de quibus non constat habeantne honestũ, an pravum finem, dubium est 1. an teneat & obliget votum, quod quis emittit de templo condendo, si ex concubina, quam intendit cognoscere, nascatur filius, vel ex bello injusto, quod aggredi meditatur, incolumis evadat? Constat validum esse, si filius ille, vel incolumitas spectentur ut conditiones. Difficultas est, si intendantur ut fines.

Suar. lib. 2. de voto cap. 5. n. 14. & 16. Lessius cap. 40. n. 38. & Layman l. 4. sum. tr. 4. c. 2. n. 7. & alij cõmuniter affirmant esse validum tale votum. Probant, quia licét ibi interveniant actus illiciti scilicet fornicationis, & injusté bellandi, tamem bona est res promissa, & finis sub quo promittitur, etiam bonus est.

Probabilius tamen arbitror cum *Palao tract. 15. disp. 1. p. 8. §. 3. n. 3. cui favet Samb. l. 4. c. 6. n. 16. & 21.* tale votum irritum esse. Probatur, quia licét res quæ obtineri intenditur, nempe filius, vel incolumitas in se bona sit, tamen induit, & imbibit pravitatem, prout comparari intéditur illicito concubitu, & injusto bello; ergo votum pro illo filio, vel incolumnitate, habet finem pravũ, & invalidum est.

Votũ pro victoria in bello injusto.

400 Dubium est 2. sitne validum votum emissum in actionem gratiarum, pro filio jam nato ex concubina, vel pro victoria injusto bello jam obtenta? Negant multi, quatenus judicant tale votum blasphemum, quasi indicet Deũ authorem turpitudinis, vel injustitiæ. Dicendum tamen cum *Suario tom. 2 de relig. lib. 2. de voto cap. 5. n. 19.* videri probabilius tale votum esse validum. Ratio est, quia vovens non censetur agere Deo gratias pro illa victoria quatenús per bellum injustum comparata, sed pro bono effectu incolumitatis, quam a Deo accepit. Nec per tale votum invocat Deum ut cooperatorem injustitiæ, cum hæc jam præcesserit: sed honorat & colit pro bono comparato.

Dubium est 3. an sit validum votum emissum ad assequenda bona temporalia, v. g. officium honorificum, aut matrimonium locuples? Videtur negandum, quia talis finis est indifferens, proindeque honestate destitutus. Affirmandum tamen est cum *Layman l. 4. sum. trac. de voto c. 2. n. 10.* Nam finis talis voti honestus valde est, cum sit divina donatio. Vovens enim intendit temporalia, sed impetranda a Deo, & donanda. Alitet non valeret votum emissum ab ægroto pro vitæ periculo vitando, & consequenda sanitate.

Finis indifferens voti.

Illud recté docet *Samb. lib. 4. c. 7. a. n. 25.* habere finem indifferentem, ac proinde nullum esse votum, quo quis promitteret jejunium ut sumptibus parceret, aut eleemosynam, ut avaritiæ opinionem aboleret. At n. 29. dicit valere votum nõ ludendi ad non faciendam jacturam rei familiaris. Quia hujusmodi finis bonus est, utpote cõtra prodigalitatem. In dubio an finis sit indifferens, valet votũ, utpote possidens. Vota (addit n. 30.) pro obtinendis rebus temporalibus regulariter emittuntur sub conditione, ut res obtineatur: unde si vovens assecutione frustretur, non obligabitur, etiam in dubio prædictæ conditionis: secus, si cõstet absoluté vovisse.

Votorum contrarietas in materia.

401 Dubium est 4. an materiam honestam habeat, & valeat votum priori voto, præcepto, aut promissioni contrarium? Notabis contrarietatem posse accidere vel actui vovendi, vel materiæ voti, ut statim patebit, & duplex resolutio. Dico 1. Si accidat contrarietas actui vovendi, nõ impeditur valor & obligatio voti, dummodò aliunde sortiatur aptam materiam. Ita *Samb. lib. 4. cap. 8. n 14.* Patet, nam si quis habet votum, aut præceptum non vovendi absque consilio confessarij, & sine illo voveat, dabitur contrarietas in actu vovendi, & tamen valebit votum. Ratio est, quia illa contrarietas solum efficit ut actus vovẽdi reddatur peccaminosus, & non impedit obligationem, quæ nascitur ex honestate materiæ, & Dei acceptatione.

Dico 2. si materia posterioris voti contraria sit voto priori, aut præcepto, nequaquam valebit posterius votum de re iniqua, utpote de præcepti aut voti prioris violatione. Cum veró votum obliget ad servandam rem promissam, dum melior vel saltem æqualis nõ subrogetur, recté monet *Suar. n. 10.* sub rogata re meliori per votum pos-

Difficultas est, an peccet graviter qui ex levitate & curiositate semel aut bis interrogat se vanam imperando, & fidem certam non habendo? Affirmativè resolvit *Palau disp.4.p.4.n. 8.* Quia ad illa respondebit dæmon non coactus, cum ad ea exquirenda non detur potestas in interrogante: si autem sponte, id faciet ad obscurandam Dei gloriam, & captandam hominum perniciem, quibus occasionem dare, grave est.

Hæc ratio multum urget. Cum tamen id non excedere culpam venialem, doceant *Valent. 2.2. disp.6.q.8.p.2. Lessius lib.2.c.42.dub.13.n.71. Suar. cit.lib 4.c.1.n.9 Sanch.lib 2.c.42.n.25.* & multi alij, quos videre est apud relatos, & *Bonacinam tom.2 disp.4.q.1.pun.ult.n.9.* negari non potest hoc probabile esse, saltem ab extrinseco ob authoritatem.

QUÆSTIO IV.

Quænam aliæ sint actiones, de quibus dubitatur an liceant, quando adjuratur dæmon?

Dæmon superior quomodo cum alijs expellendus.

Dubitatur 1. an liceat exigere a dæmone superiore, ut pellat inferiorem a corpore hominis? *Sanchez lib.2.c.42.n.21. Lessius lib.2.c.44. dub.6.n.46.* & *Suar.lib.2.de superstit.c.18.n. 8.* benè negant licere, quando dæmon superior simul cũ inferiore non resideat in corpore hominis. Quia cum exorcista non habeat potestatem a Christo ad cogendum dæmonem superiorem, ut inferiori præcipiat, ab eo beneficium peteret, & hæc petitio illicita est.

367 Idem procedit si uterque dæmon resideat in eodem corpore, & verba adjurantis dirigantur ad dæmonem superiorem, ut hic inferiori præcipiat. At si exorcista dæmoni superiori præcipiat, ut perfectè exeat cum omnibus suis satellitibus præceptum licitum est, Quia tunc non solum ipsi, sed omnibus ejus satellitibus egressum præcipit. Ita intelligo *Bonacinam tom. 2.d.4.q. 1. p.ult.*

Exorcistis quid liceat.

Dubitatur 2. an liceat exigere a dæmone sui egressus signum, v.g. ut vitrum frangat, aut lucernam extinguat? Negant *Sotus de just.q.3.a.2.solution ad 2.* & *Cirvelus de superstit 3.p.c.8.* Quia talis postulatio est inutilis, cum diabolus etiam signo dato possit decipere. Affirmandum tamen est cũ *Tyræo de dæmoniacis cap.46.n.23. Martino Delrio lib.6. disquisit.magic.cap.3.lit.B.* & *Sanch.lib.2.c. 42. n.28.* Nam tale signum utile est, ut egressio dæmonis innotescat: deinde approbatur ab Ecclesia, & si juxta ejusdem præscriptum fiat, raró eveniet deceptio.

Dubitatur 3. an liceat exorcistæ præcipere dæmoni ut abeat in talem vel talem locum, & inde non egrediatur, atque adeo illum cogere ne redeat? Respondeo negativè cum *Sanch.lib.2.c. 42. n.27.* & *28.* ubi pro se refert *Thyræum de dæmoniac.c. 46.n.23.* Ratio est quia exorcistæ non licet excedere potestatem a Christo datam, quæ solum data fuit pro egressu, juxta illud *In nomine meo dæmonia ejicient. Marc.ult.*

368 Dubitatur 4. an liceat vexare dæmoniacum flagellis, opprobrijs, ac similibus? Respondeo affirmativè cum *Sanch.lib.2.c.32.n. 30* & *Bonacina tom.2.d.4.q.1.de juram pun.ult.n.12.* si id fiat prudenter & moderate ut potiùs in dæmonis quàm dæmoniaci afflictionem cedat. Nam actiones illæ videntur conducere ad dæmonis expulsionem.

Permittere aliquid dæmoni an sit licitum.

Dubitatur 5. an liceat annuere dæmoni efferenti egressum ex homine, si permittatur sibi ingredi in alium? Respondet *Sanch.lib. 2.c.42.n. 36.* cum *Tyræo de dæmon.cap.ult.a.n. 8.* id licere servata quadruplici conditione. 1. si is quem dæmon intrabit, sit tali supplicio dignus. 2. si exorcista habeat in illum potestatem, sicut habebat Apostolus in luxuriosum, quem ad tempus tradidit Satanæ. 3. ut adsit spes maioris boni. 4. ut absit voluntas placendi dæmoni. Quia verò cõjungi hæc omnia difficillimum est, ideo fere nunquam talis permissio licebit. Erit tamen licitum (addit *Sanch. cit.n.36.*) annuere dæmoni petenti ne relegetur in Infernum, neve cruciatu novo torqueatur. Quia hoc nulli injuriosum est, & conducit ad faciliorem egressum.

Dubitatur 6. An liceat applicare medicamenta dæmoniaco? Benè respondet affirmativè *Sanch. l. 2.cap.42.n.10.* si id fiat debita intentione, prudenter, & ex medicorum præscripto: atque adeo ne credatur medicamentum ullum sortiri virtutem expellendi dæmonem, sed solum expellendi noxios humores quibus utitur dæmon ut vexet energumenum.

369 Dubitatur 7. per quam corporis partem sit expellendus dæmon? Ex *Sanch.* & *Tyræo* benè respondet *Bonac.tom.2.d.4.q.1.de juram.p.ult n. 16.* per nullam de necessitate pellendum: quia cum sit spiritus, nullo indiget ostio ad egressum: frequenter tamen & aptè cogi exire per inferius corporis orificium, pro maiori superbi spiritus confusione & vituperio.

Dubitatur 8. quam habeat dæmon potestatem in dæmoniacos? Respõdeo ex *Sanch.n.7.* & *Bonacina p.ult.* solam illam habere potestatem, quam illi Deus permittit juxta suæ divinæ providentiæ præscriptum: regulariter autem permitti dæmoni, ut corpus affligat, vexet, pravosque excitet motus: ex quibus fit haud levis a virtute retardatio.

Dubitatur 9. an expellantur omnes dæmones, uno expulso? Respondent citati authores id frequenter, & ut plurimùm accidere, sed non infallibiliter. Quia per divinam providentiam regitur tam illorum ingressus, quàm egressus: cum verò non semper expediat quòd multi ingrediantur, ita non semper expedit, quòd omnes exeant.

Exorcismorum virtus.

Dubitatur 10. an exorcismi Ecclesiæ habeant infallibilem virtutem expellendi dæmonem? *Valent.2.2.disp.6.q.8.p.2.q.2* affirmant id tanquam probabile, itaut ex sola indignitate ministri, vel ejus qui curandus est, impediri possit effectus. Lõgè tamen probabilius est quod docet *Sanch. lib. 2.c.42.n.16.* quanvis virtus exorcismis competat ex opere operato, non competere infallibiliter, sed prout divinæ providentiæ consentaneum fuerit.

erit. Nam sæpe (ut ex sanctorum historijs tradit *S. August. lib. 83. quæst. q. 79.* permittit Deus, ut absque ministri, & ejus qui curandus est, indignitate dæmones exorcismis non obediant, in aliorum exemplum & commodum.

QUÆSTIO V.

Quid sit abjuratio, quando, a quibus & qualiter facienda?

370 QUanvis apud Latinos (ut notat *Servius ad Æn. 8.*) abjurare sit rem creditam perjurio negare, & sic M. Tullius 1. ad Attic. posuit pro sponsionem factam jurejurando negare, tamen apud Canonistas ad *cap. audita de restitut. spoliat.* abjurare est renunciare, vel detestari cum juramento. Unde abjuratio hæresis, est hujus renunciatio, vel detestatio, interposito jurejurando.

Abjuratio quid sit, & quotuplex.

Abjurant ergo hæretici vel de hæresi suspecti ad excludendam hæresis infamiam, vel suspicionem detestando hæresim, de qua convicti, vel indiciati sunt. Cum veró triplex sit suspicio, levis, vehemens & violenta, triplex ab Inquisitoribus indicitur abjuratio, quæ aut de levi dicitur, aut de vehementi, aut de violenta: præter quartam, quæ est de formali, & dicitur illa quæ fit in forma solemni. Vide. *Eymericum p. 3. rubr. de 4. modo term. n. 126.*

Circa tempus (ut explicemus quando abjuratio sit facienda) vel illud potest referri ad ætatem delinquentis, vel ad decursum causæ in judicio. Si referatur ad ætatem delinquentis, hic non cõpellitur abjurare si sit masculus, nisi post ætatem quatuordecim annorum, si sit fæmina post ætatem duodecim annorum. Ante hanc ætatem etiam doli capaces non abjurant, nisi raró, ut tradit Sousa in Aphor. l. 2. c. 4.

Abjuratio quando facienda.

Si referatur ad decursum causæ, quanvis *Pegna p. 2. commen. 92.* asserat solam infamiam cunctis adminiculis suffultam pro facienda abjuratione sufficere: rectiùs tamen *Palaus* apud *Dianam p. 4. tract. 8. resol. 39. & Menochius lib. 1. cons. 82. n. 155.* docent nunquam indici posse abjurationem etiam de levi, nisi indicium vel delictum illud ex quo nascitur indicium, sit plené probatum.

371 Circa delinquentes a quibus fieri possit ac debeat abjuratio, imprimis si loquamur generaliter, abjurant de levi, qui de fide sunt leviter suspecti, de vehementi qui vehementer. Qui autem dicantur leviter, & qui vehementer suspecti, vide *Farinac. de hær. q. 187. a. n. 23.* Observat *S. usa lib. 2. c. 40. n. 15.* processus minorum in causa fidei, quando non constat de hæresi formali, terminari regulariter in abjurationem de levi. Nam ætatis circumstantia reddit levem quancunque suspicionem. Vide Dian. p. 4. tr. 7. resol. 1. Notat *Pegna p. 3. commen. 39.* dari aliquando indicia sufficientia ad torturam & non posse indici abjurationem de vehementi. Quia abjuratio ob periculum relabendi est pœna gravissima. Addit *Carrera qq. crim. c. 1. de hær. n. 97.* quanvis reus fuerit tortus, posse ei imponi abjurationem tantum de levi.

Abjurare qui soleant.

Si loquamur de specialibus. 1. abjurant de vehementi apostatæ a fide, vulgo *Renegados* ad quanlibet sectam transeuntes, & fidem abnegantes, si sponte redeant, & negent intentionem. Si autem parvuli sint, abjurant de levi, ut tradit *Pegna p. 2. commun. 59.* Nec excusantur metu, nisi metu cessante statim revertantur ad fidem. Imó si metus non sit mortis, vel tormentorum: sed famæ, exilij, fustigationis, abjurare debent de vehementi, nisi talis timor fuerit incussus personis non satis instructis in fide, & delicti gravitatem ignorantibus. *Riccius lib. 6. c. 5. n. 7.*

372. 2 Abjurat de vehementi sortilegus, quando sortilegium sapit hæresim, ut si sacramẽta, sacramentalia, orationes, & verba sacra admiscentur. Talis enim significat se credere, quód ad perpetrãda maleficia, res sacræ vim habeant quanvis ille se id credere non fateatur. Ita *Raphael de la Torre in 2. 2. q. 96. a. 4. disp. 2.*

Sortilegus abjurans.

Quid si sortilegus dæmonem invocet ad flectendum puellæ animum, vel effectum alium, qui ejus vires non excedit, nullum in mente errorem habens? Respondet *Zanardus p. 3. c. 64* adhuc esse aliqualiter de fide suspectum, propter commercium, quod habet cum hoste Dei: & quanvis in Inquisitione Romana, in qua leviter suspecti torquentur, talis suspicio purgari possit per torturam, in Hispania ubi tales non torquentur, de levi abjurare debet.

3 Abjurant de vehementi tanquam hæreticorum credentes, qui assistunt illorum conventiculis & concionibus in terris catholicorum, etiam semel, nisi ob ignorantiam, vel aliunde excusentur. Ita *Pegna p. 2. q. 50.* At assistentes concionibus hæreticorum in terris infidelium per duas vices, sunt suspecti leviter, proindeque debent abjurare de levi. Ita contra *Zanchinum de hæret. c. 3. n. 5. Sousa in Bul. cæn. c. 2. disp. 8. n. 10.*

4 Pro qualitate suspicionis debet abjurare fautoriam, testis qui in favorem inquisiti falsum deposuit, negando hæresim, quam eum commisisse cognovit. Ita *Palaus tom. 1. tr. 4. disp. 8. p. 15. §. 6. n. 9.* Quanvis idem *punc. 5. §. 7. n. 1.* dicat impedientes officium S. Inquisitionis tantum de levi abjurare debere. Apud *Dianam p. 4. tr. 7. resol. 19.* transferentes arma, equos, & similia in terras infideliũ animo juvandi illos in bello contra Christianos, possunt tanquam fautores hæreticorum pro gradu suspicionis torqueri, & ad abjurandũ cogi: secus si animo negotiandi hoc faciant.

Testis falsus pro hæretico.

373. 5 Hæreticorum fautores, defensores, & receptatores quando subeunt levem aut vehementem suspicionem, abjurant de levi aut vehementi, ut tradit *Pegna p. 2. comm. 76. lit. C.* Idem de percutientibus & conspurcantibus sacras imagines, dicendum esse, affirmat *Zanardus p 3. c. 64.* Idẽ tradit *Diana p. 4. tr. 7. resol. 8.* de illis qui habent cõsuetudinem blasphemandi: licét practicetur diverso modo in Inquisitione Hispanica atque in Romana.

6 Abjurant de levi religiosi, & sacris initiati matrimonium contrahentes, sicut e contra conjugati qui sine licentia uxoris in sæculo manen-

tis sacros ordines suscipiunt, vel religionem intrant. Poterunt autem circunstantiæ exigere abjurationem de vehementi præcedente tortura, ut si quis esset de provincia quæ infecta est Lutherana hæresi. Vide *Dianam p.4.tr.7.res.4. & 5.* Similiter de levi abjurant contrahentes binas nuptias, & non sacerdotes qui audiunt confessiones, vel Missam celebrant: & de vehementi, si sint ex locis quos infecit Lutherana hæresis Vide *Sousam lib.1.c.33.& Acugnam de conf.solicit.q.13.n.* 10.

7 Abjurant de levi qui frequenter exercent Astrologiam judiciariam, præsertim cum aliorum detrimento. Ita *Sous. lib.1.cap.48.n.15.* Notat verò *Zanardus p.1.pr.1.c.5.q.16.* eos non debere abjurare, si affirment astra inclinare nec posse, nec cogere. Cavendum tamen est, ne id affirment ad vitandas pœnas. Abjurant etiam de levi retinentes & legentes Hæreticorum libros, Necromanticorum pentacula, & similia: & sic in Hispania practicari docet *Suar.de fide disp.24. sect.2 n.4.*

Astrologi judiciarii.

374 8 Schismatici pro qualitate personarũ, temporis diuturnitate, & alijs circunstantijs abjurant de levi aut vehementi. Quòd si in intellectu errorem habuerint, abjurabunt ut hæretici de formali, & quidem non solum hæresis suspicionem, sed etiam schisma. Ita *Duardus in Bulla can.l.3. can.1.q.116.n.12.* Denique Sodomitæ (ut testatur *Moura de ensal.opusc.1. sect.3.c.1.n.16.*) in regno Lusitaniæ, ubi ab Inquisitoribus cognoscuntur, nec etiam de levi abjurant.

Schismatici abjurantes.

Sodomitæ non abjurant.

Tandem pro ultima quæstionis parte, qualiter abjuratio sit facienda, imprimis abjurantes de levi possunt cogi ad abjurandũ generaliter omnem hæresim, sicut juxta Acugnam de confess. solicit.q.24 n.22. observatur in Inquisitione Hispana, & secundùm *Pegnam p.3.commen. 4. in Romana.* Deinde abjuratio fieri debet publicè juxta textum in *cap.ad abolenda § præterea.de hæret* & tenet *Barb.in collect.tom.2.lib.5.tit.7.c.9.n. 11.* habeturq; in *Instruct.Hispalensi anno* 1484.n.5.

Abjurationis modus.

Notat tamen *Zechius in sum.to.1. tit.de fide c.11. n.17.* ex causa sufficienti posse fieri secretò. Unde affirmat *Simanca tit.1.n.14.* non debere abjurare publicè qui hæresim occultam sponte confessi sunt. & qui sunt leviter de hæresi suspecti, sed privatim. Docet *Pegna p.3.commen.40.* requiri in abjuratione subscriptionem quando reus pœnitens scit scribere: si verò nesciat, debere Inquisitores & notarium subscribere. Quod ut tutissimum monet *Decian.tract.crimin.lib.5. c.41.a.n.6.*

Concepta verba formæ qua Iudæus abjurat, traduntur a *Diana p.4.tr.7.res.2.§.Ego.*

QUÆSTIO VI.

Quas inhabilitates subeant abjurantes, & qualiter fiant relapsi.

375 EX decreto S.Congregationis S. officij, annuente S.D.N.Urbano 8. regulares qui abjurant de levi per quancunque pœnitentiam, nisi sit salutaris, redduntur inhabiles ad gradus & dignitates suæ religionis. Sic tradit *Alphonsus de Leone tract.de offic.& potest.confess.p.2.collect.1.n.* 211. Quanvis ante citatum decretum, oppositum tradiderit *Seraphinus in addit.ad tract. de. confess. solicit.q.24.n.70.* etiam si abjurasset de vehementi. Ad confessiones audiendas admitti nequit, qui abjuravit de vehementi, ex declaratiòne S. Congregationis, ut tradit Locatus in fine praxis Inquisit. & docet *Riccius p.2.de ris.218.* Abjurans vero de levi admittitur apud Genuensem, teste *Diana p. 4.tr.8.res.64*

Difficultas est, an incurrat irregularitatem qui de levi, aut de vehementi abjuravit? Affirmat *Azor to.1.lib.6.c.21.q.8.* Negant *Parisius de resign. benef.l.4.q.3.n.17. Garcia de benef.tom.2.par.11 c.10. n.88.& Sanch.tom.1.sum.l 2.c.25 n.19.* & hoc verum est, si loquamur de irregularitate imposita in tali casu specialiter. Quia nulla in jure reperitur expressa. Unde Azor loqui videtur generaliter de illa quæ incurritur per infamiam.

Irregularitas abjurantis.

Quod attinet ad pœnam relabentis, ut quis post abjurationem incidens in hæresim, dicatur verè relapsus, dicam paucis. Non censetur relapsus qui post abjurationem de levi, de hæresi postea convictus est: secus, si post abjurationem de vehementi. Ita multi apud *Barbos.in collect.tom.3. lib.5.tit.2.c.8.n.2.* Desumunt ex *c.si accusans, de hæret.in 6.*

Relapsus quis sit.

376 Apud Locatum pr.Inqui.*V. vehemens suspicio n.1.* ex declaratione Pij. V. non est relapsus qui post abjurationem de vehementi iterum abjurat. Quia talis solum redditur denuo suspectus de hæresi. Unde juxta Decianum tract.crim.l.5. c.56.n.16. fautor hæreticorum hæresim abjurans, si iterum illis faveat, non est relapsus.

Qui in secundo lapsu plenè convincitur, & insuper plenè probatur, quòd verè commiserit illud crimen, de quo leviter indiciatus abjuraverat tantum de levi, relapsus est, ut tenet *Squillacensis de fide cathol.c.31.n.2.*

Relapsus tamen non est qui post abjuratam realem hæresim redditur de secundo lapsu vehementer suspectus, quando de hæresi non plenè convincitur, idque defectu qualitatis delicti, & non defectu probationis. Ita *Rojas de hæresi p.2. n.333.* Quanvis *Palaus tract.4.disp.6.p.2.n. 9.* putet etiam in primo casu relapsum esse, & apud *Canteram qq.crim.cap.1 de hæret.n. 58.* Concilium Supremæ Inquis. tanquam relapsum punierit in casu unico. Vide *Dian.p.4.tract.7.resol.26.*

Illud tandem observaris ex constitutione Martini V. & tradit *Locatus pro Inq.v. suspicio n. 8.* recusantem abjurare, pro convicto haberi, & sæculari curiæ tradendum esse. Procedit tamẽ cõstitutio, quando quis confessus, convictus, aut in hæresi manifeste deprehensus fuerit. Nam si tantum leviter aut vehementer suspectus sit, & abjurare recusaverit, priùs excommunicari debet, & si per annum in excommunicatione obsorduerit, tanquam hæreticus condemnari.

TRAC-

TRACTATUS XXXI.

De Voto.

SECTIO I.
De essentia & multiplicitate voti.

QUÆSTIO I.
Quid sit votum, & quomodo definiatur?

377 CUM egerimus superiori tractatu de juramento, adjuratione, & abjuratione, quæ sunt valde affinia voto, utpote ad virtutem religionis spectantia, sequitur ut tractemus de voto, quod juxta *S. Thomam 2 2. q. 88. a. 3. & 4.* non solum est opus laudabile & meritorium, cum honoret Deum, & firmet in bono voventem, sed ad virtutem religionis pertinet. Nam voti emissio a religione elicitur, executio imperatur. Ex quo sequitur melius esse facere aliquid ex voto, quàm sine voto.

Votum quale opus.

Votum apud Latinos significat tum voluntatem & desiderium alicujus honesti boni obtinendi, juxta illud *Plinij Epist. 45. Hanc ego vitam voto & cogitatione præsumo.* tum promissionem Deo factam, ex qua obligatio inducitur juxta illud M. Tullij 3. de natura Deor. *Nonne* (inquit) *animadvertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint.*

Voti definitio.

Apud Theologos, ut desumitur ex *S. Thoma 2. 2. q. 88. a. 1.* Suario tom. 2. relig. tract. 6. init. & Sanch. lib. 4. Decal. cap. 1. n. 1. Votum sic definitur: *Est promissio deliberata & spontanea Deo facta de meliori bono.* Priora verba nempe *promissio deliberata & spontanea*, sunt loco generis, quia juxta illa votum convenit cum promissione homini facta. Posteriora sunt loco differentiæ, cum per illa votum, ex eo quód fiat Deo, & fiat de meliori bono, differat a promissione homini facta.

378 Verba illa (*deliberata & spontanea*) satis indicant votum compleri non solum per actum intellectus, ad quem spectat deliberatio, sed etiam voluntatis, & hujus præcipué, ad quam spectat libertas. Ad votum enim præcedit cognitio de voti natura & convenientia, ex qua mota voluntas se ad vovendum determinat: & in hoc actu formalis voti ratio consistit.

Voti conditiones.

Ex quibus sequitur, quinque postulari ad votum, 1. deliberationem, seu libertatem. 2. propositum, seu voluntatem vovendi. 3. promissionem, quæ est ipsa voluntatis determinatio. 4. ut Deo fiat promissio. 5. ut fiat de meliori bono. Cum enim sit actus religionis offerentis aliquid Deo, esse debet de re magis grata Deo, quàm sit opposita, ut ab illo acceptetur. Explicatio harum conditionum patebit ex sequentibus.

Propositũ an obliget.

Rogabis 1. utrum ad votum sufficiat propositum absolutum exequendi rem honestam in honorem Dei? Videtur affirmandum ex varijs textibus in *cap. qui bona 17. q. 1. cap. consulto. de regular.* & *cap. statuimus, eod. tit.* in quibus Pontifices innuunt satis esse absoluté proponere rem bonam facere Deoque gratam in ipsius obsequium, ut contrahatur obligatio.

Negandum tamen omninò est cum *Azorio p. 1. l. 11. c. 12. q. 5. Valent. 2. 2. d. 6. q. 6. p. 1. Lessio lib. 2. c. 40. n. 21. Sanch. lib. 4. c. 1. n. 20. & Suario tom. 2. de relig. l. 1. de voto c. 2. n. 3.* Ratio est quia ex absoluto proposito rem faciendi nulla oritur obligatio, qualis reperitur in voto, quod est quasi lex privata: aliter qui absoluté proponeret observare mandata, strictiùs ad illa teneretur; ergo non sufficit propositum sine promissione. Unde in textibus citatis Pontifex vel accipit propositum simul cum intentione se obligandi, vel cum alijs adminiculis, quæ votum inducant. Unde protestatio non sufficit ad votum: quia non est promissio. Protestari enim proprié dicimur, cum animi nostri sententiam declaramus: & sic juris nostri rationibus in futurum consulimus. Vide hæc & plura in Elucid. n. 1921.

Protestatio ad votum.

379 Rogabis 2. an de ratione voti sit, quód fiat soli Deo, an possit etiam fieri sanctis? Ratio dubitandi oritur ex frequenti usu quo fideles vovent B. Virgini, & sanctis multa in eorum cultũ & honorem, ac proinde vota non soli Deo fiunt. *Valentia tamen 2. 2. d. 6. q. 6. p. 3.* recté monet de solo nomine quæstionem esse. Nam si votum fiat ad recognoscendum authorem omnium bonorum, a quo vovens aliquid impetrare intendit, vel pro impetratis gratias referre, certum est soli Deo fieri, etiam si in tali voto sancti invocentur ut mediatores.

Vota sanctis fact.

Quód si votum aut promissio sumatur prout cedit in cultum sanctorum specialiter, sive voves illos habere propitios mediatores intendat, sive pro acceptis beneficijs gratias exhibere, sanctis fieri potest. Sicut enim sancti attenta propria excellentia adorari, & orari, ita promissione & voto coli possunt. Cum tamen promissio facta sanctis frequenter confirmetur promissione Deo facta: nam Deo vovemus facturi quidquid sanctis promittimus, ideo votum factum sanctis censetur Deo fieri.

Recté observant *Sayrus in clavi lib. 6. cap. 1. n. 11. & Bonacina tom. 2. disp. 4. q. 2. de voto p. 1. n. 17.* quando quis prælato locum Dei tenenti obedientiam promittit, non facere illi votum, etiam eo modo, quo facit sanctis spectata eorũ excellentia. Quia illam non promittit in cultum & honorem prælati: sed Deo promittit obedientiam suo prælato servandam.

QUÆSTIO II.
Quotuplex sit votum?

Voti multiplicitas.

380 PRo voti multiplicitate in genere explicanda, notandum est, posse dividi votum, vel ex parte promissionis, vel ex parte rei promissæ. Ex parte promissionis fit prima divisio in absolutum & conditionatum. Absolutum est quod parit obligationem quæ a nulla conditione pendet. Conditionale habet obligationem ab aliqua conditione pendentem. Hoc subdividitur in conditionale pœnale, & conditionale purum.

Pœnale votum.

Conditionale pœnale datur quando quis rem promissam promittit in pœnam alicujus criminis quod se habet pro conditione, ut si quis dicat, Promitto religionem ingredi si lusero, aut si adulteravero; tunc religionis ingressus est pœna criminis ludendi, vel adulterandi, ludus autem vel adulterium est conditio. Conditionale purum datur, quando conditio apponitur præcisé ut cōditio: v.g. quando quis promittit religionem ingredi, si sanitatem recuperet, vel mortis periculũ vitet. In priori fit promissio in odium conditionis, nempe adulterij, in posteriori fit ex amore conditionis, nempe sanitatis.

Conditionalis voti agnoscendi ratio.

Pro dignoscendo bené discrimine inter votũ absolutum & conditionale; illud observabis, dari nonnulla vota, quæ videntur conditionalia, cum sint absoluta: qualia sunt aliqua in quibus pro aliquo tempore suspéditur obligatio, ut si quis voveat ingredi religionem consummato studiorum cursu, seu post annos pubertatis. Hæc enim sunt absoluta, quia vovens absoluté ad religionem obligatur, tametsi ad obligationis executionem opportunum tempus expectet. Unde tempus illud non est conditio, quia non suspendit obligationem, sed hujus executionem.

Religionis votũ conditionale.

381 Semper examinandus est voventis affectus, qui a communiter accidentibus præsumi debet. Unde qui vovet religionem, si vigesimum ætatis annum attigerit, & non voveat animo expresso impetrandi a Deo vitam, judicādus est absoluté vovisse, sicut qui vovit religionem, si pater vel mater obierit.

Difficultas est quando quis religionem vovet, si frater suus natu maior habuerit filios? *Palaus tract.* 15. *disp.* 1. *p.* 10. *n.* 1. existimat præsumendum esse absolutum. Quia ille absolutè intendit religionem, cui non anteponit succedere fratri. Rectiùs *Suar lib.* 6. *c.* 22. *n.* 8. *& Sanch. l.* 4. *cap* 40. *n.* 83. docent præsumendum esse cōditionale. Quia ille affectus religionis est valde imperfectus, & ille vult potiùs fratri non habenti filios succedere ob conservationem suæ familiæ, quàm ingredi religionem.

Solemne votum quid.

Secunda divisio fit in votum solemne & simplex. Solemne est quod ex dispositione Ecclesiæ habet perpetuitatem, & voventem reddit inhabilem ad actus voto repugnātes: sic se habet votum in sacro ordine vel religionis professione emissum. Simplex est quod caret prædictis conditionibus, tametsi fiat nonnullis Ecclesiasticis cæremonijs & solemnitatibus. Et utrunque votũ vel sit expressé, vel tacitè censetur emissum.

Reale & personale votum.

382 Ex parte rei promissæ, quanvis votum sit multiplex, scilicet affirmativum & negativũ, perpetuum & temporale, reservatum & non reservatum, quorum facilis erit cognitio, præcipué dividitur 1. in reale, personale, & mixtum. Reale est, cum res externa promittitur scilicet pecunia, domus, prædium. Personale, cum promittitur actio emanans a persona. Mixtum, cum id quod promittitur partim reale, partim personale est: ut si promittas ornamentum a te portandum dare templo.

Dividitur 2. in votum commune & singulare: commune, alio nomine dicitur necessarium, & est de rebus præceptis, seu necessarijs ad salutem, quæ omnibus communes sunt. Singulare, alio nomine liberum, est de rebus ad consilium pertinentibus, quarum obligatio pro singulorum arbitratu suscipitur. Vide præter citatos *Azorium p.* 1. *lib.* 11. *cap.* 14. *& Lessium lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 6.

QUÆSTIO III.
Quæ promissio, & deliberatio, seu libertas requiratur ad votum?

Promissio simulata in voto.

QUæstio proponit duplicem expediendam difficultatem, alteram de promissione, alteram de deliberatione ad voti essentiam omninó postulatis. 1. difficultas est, requiratur ne omninó ad votum promissio vera, an sufficiat simulata? Nota simulationem posse in promissione tripliciter evenire. 1. si promittat quis verbo tenus, & non animo. 2. si promittat animo promittendi, sed non se obligandi. 3. si promittat animo se obligandi, sed non exequendi promissum. Quæritur an sufficiat ad votum promissio aliquo ex his modis simulata?

Recté affirmant. *Navarr. c.* 12. *n.* 27. *Lessius lib* 2. *c.* 40. *dub.* 1. *n.* 7. *Sanch. l.* 4. *de voto c.* 1. *a. n.* 23. *Suar. to.* 2. *de relig. lib.* 1. *de voto cap.* 3. *a. n.* 7. et alij communiter promissionem primo aut secundo modo simulatam, voti obligationem & valorem impedire. Patet, quia omnis obligatio voti, sine qua votum, & promissio stare nequeunt, pendet ab intentione voventis & promittentis: ergo qui promittit sine animo promittendi vel se obligandi, ficté & non veré vovet. Quod procedit, sive vovens naturam voti intelligat, sive non.

383 Si loquamur de promissione tertio modo simulata, quæ consistit in defectu intentionis exequendi rem promissam, quanvis *Valent.* 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *p.* 1. existimet voto obstare, tamen longe probabilius est non impedire voti valorẽ, quod absque animo exequendi rem promissam posse consistere, recté docent *Sanch. lib.* 1. *Matr. disp.* 9. *& Suar. cit. de voto c.* 4. *n.* 3. Ratio est, quia diversa omninò sunt obligatio ad opus promissũ, & executio operis promissi; ergo potest adesse animus obligationis, ac proinde votum, sine animo executionis.

Simulatio in voto quod peccatum.

Rogabis, quod nam peccatum sit vovere modo aliquo ex dictis simulato? Constat esse lethale,

le, si contingat in religionis professione, vel sacri ordinis susceptione. Nam est deceptio in re gravi, & graviter injuriosa statui religioso, vel clericali. Ita *Suar. lib. 5. de voto cap. 1. n. 6. & 7. & Bonacina tom. 2 disp 4. q. 2. de voto p. 1. n* 15. qui bene addunt extra nos casus solum esse veniale vovere absque animo vovendi, vel se obligandi: quia per illam simulationem nec Deo, nec proximo gravis fit injuria, sed levis: Quod si fictio cõtingat in proposito exequendi promissum, gravitas, & levitas peccati petenda est ex gravitate, aut levitate materiæ.

Deliberatio & libertas ad votū. 384 2 Difficultas est, quæ deliberatio & libertas postuletur ad votum? Communis & vera resolutio est eam deliberationem & libertatem sufficere & requiri ad votum, quæ sufficit & requiritur ad peccatum mortale. Ita *Valent. 2. 2. disp. 6. q. 6 p. 1. Lessius l. 2. c. 40. dub. 2. n. 2. & Suar lib. 1. de voto c. 6. n. 4.* Quód sufficiat, patet, quia ea libertas debet sufficere ut obstringamur Deo per votum, quæ sufficit ut Diabolo devincamur per peccatum mortale. Quód requiratur, suadetur, quia imponere sibi obligationem faciendi rem aliquam etiam sub culpa veniali, est res gravis, quæ merito exigit plenam deliberationem; non ergo sufficit imperfecta & semiplena.

Rogabis 1. postuletur ne semper formalis deliberatio & libertas, quando actualiter votum emittitur, an sufficiat virtualis? Respondeo cum *Sanch. l. 1. de sponsal. disp. 8. n. 21. & Suario de voto lib. 1. c. 10. n. 4.* sufficere virtualem. Ratio est, nam illa deliberatio sufficit ad votum quæ satis est ad Sacramenta conferenda & recipienda: ad Sacramẽtū autem sufficit libertas virtualis, illa nempe quæ formalis fuit quando quis actualiter intendit Sacramentum administrare, vel recipere, & virtute perseverat in effectu a se relicto; ergo similiter sufficiet ad vovendū quòd quis ex animo emittendi votum se disponat ad vovendum, etiam si tempore quo votum emittit, distrahatur. Notant bene citati authores omninò requiri statum usus rationis quando quis actualiter votum emittit: si enim tunc sui compos non fuerit, v. g. quia ebrius, insanus, vel dormiens invalide vovet.

385 Rogabis 2. quodnam sit peccatum absque plena deliberatione vovere? Respondeo frequenter esse solum peccatum veniale, posse tamẽ evenire ut sit mortale, sed raró eveniet. Ita variis citatis authoribus *Palaus tract. 15 disp. 1. de voto pun. 4 n. 5.* Quòd sit peccatum, constat, quia de ordinatio est imprudenter & inconsiderate velle subire gravem obligationem, qualis est voti. Quód frequenter non excedat culpam venialem, provenit ex defectu prudentiæ in promittendo, qui levis est. Quód possit evenire ut sit mortale, suadetur, quia ex præcipitantia in vovendo evenire potest, ut quis se exponat periculo vovendi illicita & impossibilia: sed raró eveniet.

Quid si dubium sit de voto emisso, vel animo vovendi, vel deliberatione ad ipsum requisita: teneturne? Hæc resolvimus *tr. 2. sect. 5. de conscientia dubia.*

QUÆSTIO IV.

Utrùm metus & ignorantia impediant voti libertatem & valorem?

Circa priorem quæstionis partem notandum est metum sive gravem sive levem posse evenire vel ab intrinseco, scilicet a Deo, aut a causis naturalibus incussum, vel ab extrinseco nempe si incutiatur a causis creatis liberis, & tunc juste, aut injustè: denique ad votum extorquendum, vel non.

Constat votum ex metu etiam gravi tam ab intrinseco quàm ab extrinseco proveniente, sive justé, sive injustè incutiatur, esse validum naturali & Ecclesiastico jure, dummodó talis metus ad extorquendum votum non sit incussus. Ratio est quia vovens tunc prudenter elligit votum tanquam medium proportionatum ad vitandum malum sibi impendens.

386 Difficultas est quando incutitur metus ad votum extorquendum: *Vega tom. 2. sum. cap. 129 casu 17. & Emman. Roter. tom. 2. sum. cap. 93. n. 3.* asserunt spectato jure naturæ, metum gravem incussum etiam justé ad votum extorquendum, illud invalidare. Et hoc judicat probabile *Sanches l. 4. de voto cap. 3. n. 20.* quasi votum ob sui perfectionem incapax sit illius extrinsecæ coactionis.

Nihilominus probabilius est ob nullum metũ justé incussum annullari vota, etiam si sint vota religiosæ professionis. Ita *Sanch. lib. 4. c. 3. n. 21. Suar. lib. 1. de voto c. 7. n. 16. Lessius lib. 2. c. 40 n. 15. & Bonac. tom. 2. d. 4. l. 1. de voto p 3. §. 2.* Ratio est, quia tali metu exigens votum, potiùs offert votum tanquam medium ad vitandum malum quod imminet ex delicto, vel aliunde, quám inferat metum.

Quid de metu gravi injustè incusso ad votum extorquendum? Quanvis multi apud citandos affirment jure naturæ irritare, tamen verius est oppositum, quod docent præter authores proximé citatos, *Azor. p. 1. lib. 11. c. 15. q. 6. & Basilius Ponce l 7. matr. cap. 29. n. 5.* Ratio est, quia ibi valorem voti nec impedit injuria, nec defectus libertatis: non injuria, quia ex hac nulla ponitur causa, quæ voti valorem impediat: non defectus libertatis, quia cum tali metu stare potest libertas ad peccatum mortale, & ad meritum. Ex quibus a fortiori infertur ex metu levi nulla vota irritari.

387 Superest inquirendum, an jure Ecclesiastico sint irrita vota metu gravi extorta? Multi absoluté affirmant. Multi ex opposito absolutè negant. Media via incedendo est cum docentibus professionem religiosam metu gravi emissam irritam esse, reliqua vota, etiam illud quod in susceptione sacri ordinis emittitur, valida esse, sed venire relaxanda. Ita *Suar. lib. cit. de voto c. 18. n. 5. Junilo tom. 3. relig. lib. 6. c. 4. n. 6. & Basil. de matr. lib. 7. cap. 19. n. 9.* Prior pars traditur ab Eugenio 2. in synodo gener. *cap. sicut qui monasteria 20. q. 1.* Posterior suadetur, quia irritatio cum sit odiosa, non est asserenda sine firmo fundamento, & nullum *Professio religiosa irrita ex metu.*

apparet

apparet ut reliqua vota ex metu sint irrita.

Observat bené *Palaus tr.15.d.1.p.5.n.13.* vota post biennium emissa in Societate Iesu comprehendi sub professione religionis. Nam vota illa ex se perpetua sunt, & veré constituunt religiosum. Addit *Basilius Ponze lib.7.cap.19.n.10.* olim tempore Eugenij nō solemnia, sed simplicia vostatam religiosum constituisse.

Religionis assumēdæ votum. Quærit *Suar.tom.2.relig.lib.1.de voto c.8. n.10.* an votum assumendæ religionis emissum ex metu gravi irritum sit? & bené respondet affirmativé. Probat, quia irritum esset omne votum, quod emitteretur ad faciendam professionem invalidam: sed sic se haberet tale votum, cum foret coactū, & ex vi talis coactionis redderetur professio coacta, ac proinde invalida; ergo & tale votum. Ex dictis satis patet neque professionem, neque votum aliud metu levi emissum invalidum esse.

Error & ignorantia circa votum. 388 Circa posteriorem quæstionis partem de ignorantia, seu errore, notandum est illum quadrupliciter evenire posse. 1. circa voti essentiam, ut si quis credat votum non obligare, vel solum obligare quandiu non frangitur. 2. circa materiam. 3 circa conditiones & circunstantias. 4. circa voti finem, nempe motivam aut impulsivam causam.

Dico 1. si contingat ignorantia seu error circa essentiam voti, procul dubio votum irritum est. Similiter si contingat circa voti materiam, seu objectum. Ita *Lessius lib.2 cap.40.dub.2.n.11. Sanches lib.4.Decal.c.1.n.16. & Suar.lib.1.de voto cap.11.n.6.* Ratio est quia talis error omninó tollit voluntarium, sine quo stare nequit actus humanus, quo votum emittitur. Monent tamen Sanch. & Suar. citati valere votum, quanvis vovens illius naturam ignoraverit, si intendit votum emittere prout in se est, juxta id secundûm quod alij emittunt.

Infertur 1. irritam evadere professionem religionis, quam quis emisit credens non obligare in perpetuum. Quia in substantia professionis deceptus fuit. Infertur 2. nō teneri voto, qui vovit ire Hierosolymam credens vel illam prope esse, vel se absque navigatione ire posse. Idem est, si vovit religionem Minimorum, aut Carthusianorum existimans se posse ibi libere vesci carnibus Et hic (addit *Suar.c.12.n.12.* liber manet ab ingressu cujuscunque religionis. Quia non vovit religioné absoluté, sed determinatam, ad quam non tenetur.

Error circa voti circunstantias. 389 Dico 2. si contingat ignorantia seu error circa circunstantiam, non impedit voti valorem, nisi talis error refundatur in voti objectū. Ita *Sanch lib.4.c.3.n.8. Suar.cit.cap.1[illegible].n.9. Lessius cit.c.40.n.10. & Bonac.tom.2.disp.4.q.2.p.3.§.2.* Patet quia ignorata circunstantia, adhuc manet voti objectum voluntariū, (ut enim supponimus) ignoratum non est; ergo manet votum voluntarium ac proinde valet. Quod procedit, etiam si talis esset circunstantia, quam si cognosceres non voveres. Quia talis illa habitualis dispositio non facit votum involuntarium.

Dixi (nisi talis error refundatur in objectum) quia sæpe ita gravis est circunstantia, qualis illa de abstinentia a carnibus in religione, ut meritó censeatur objectum immutare. Quando vero talis sit, relinquitur arbitrio prudentis. Neque obstat quód dolus qui causam dedit contractibus, etiam si commissus non sit in substantialibus, eos irritet. Quia (ut bené notat *Lessius lib.2.c.40.dub.2.n.13.*) illa irritatio in contractibus non provenit a jure naturali, sed positivo, quod non datur ad irritanda vota.

390 Dico 3. si adsit error circa voti finem, qui sit causa motiva, valorem impedit: secus si solum sit causa impulsiva. Ita citati authores, *Suar. n.14. Less.n.11. Sanch.c.2.n.45. & Bonac.p.3.n.13.* *Error circa finē.* Prior pars constat, nam finis coincidens cum causa motiva voventis est voti objectum formalissimum, quod proinde redditum errore involuntariū, votū reddit invalidum, sive sit finis cōmunis omnibus votis, qualis divinus cultus, sive sit finis specialis tam intrinsecus, quám extrinsecus.

Declaratur exemplo: finis intrinsecus eleemosynæ, quem vocant finem operis, est sublevatio alienæ miseriæ: si ergo voveas dare eleemosynam Petro, quem credis pauperem, & veré reperiatur dives, cessat voti obligatio. Finis extrinsecus, qué vocant operantis, est quem vovens mediante voto intendit: si ergo voveas dare eleemosynam Petro pauperi ad obtinendū beneficium, quod credis vacare, cum tamen beneficium non vacet, votum non tenet.

Quid si vovens simul intendat multos fines, quos credit omnes existere, & re vera quidam existunt, alijs non existentibus? Bené respondet *Sanch.lib.4.c.2 n.40.* si vovens habuit expressam voluntatem se obligandi ob quenlibet finem illorum qui adesset, obligatur: si non habuit talem expressam voluntatem, & omnes sunt veré fines, quolibet cessante, voti obligatio impeditur. *Finis voti.*

391 Posterior pars resolutionis de errore circa finem, qui est causa impulsiva, suadetur, quia talis error non occultat objectum voti, quod proinde reddat involuntariū, sed supponens voluntatem determinatam ad vovendum ob alium finem, solū occultat aliquid ex quo faciliús voveret; ergo non impedit valorem & obligationem voti.

Rogabis, quanam ratione dignosci possit finis & occasio voti, seu voti causa motiva & impulsiva? Ex dictis constat voti finem & causam motivam coincidere, & esse id quod quis per votum obtinere intendit: deinde occasionem, & causam impulsivam voti coincidere, & esse id quo quis ad vovendum excitatur. *Finis agnoscendi ratio.*

Utraque causa motiva & impulsiva cernitur in eo qui vovet facere eleemosynam religioso pauperi intendens levare ejus miseriam, & excitatus ad hoc illius probitate, ubi miseria levanda est finis seu causa motiva, probitas est occasio, seu causa impulsiva. In dubio an aliquid habeat rationem causæ motivæ vel solum impulsivæ, attendendum

dendum est, an eo deficiente verus finis voti persistat: si enim non persistat, censebitur causa motiva, si persistat, solum impulsiva, seu occasio.

SECTIO II.

De materia voti.

QUÆSTIO I.

Qualiter votum esse debeat de materia possibili?

Materia voti possibilis.

392 CONveniunt authores, quos referunt ac sequuntur *Sanch. l. 4. Decal. c. 5. n. 9. & Suar. lib. 2. de voto cap. 1. n. 7.* votum de materia impossibili esse invalidum. Id sumunt ex *Regula nemo potest de regul. jur. in 6* & l. *impossibilium ff. eod. tit.* & ratione manifesta, quia votum includit promissionem Deo factam, & impossibilia Deo promitti nequeunt. Et hoc procedit tam de impossibilibus absolutè, quàm de ijs quæ comparatione promittentis impossibilia censentur.

Materia pars solùm possibilis.

1 Difficultas est, an votum de materia partim possibili, partim impossibili validum sit quoad partem possibilem? Apud *Suar. lib. 2. de voto cap. 2. à n. 7. & Lessium lib. 2. c. 40. dub. 7. n. 31.* certum est tale votum non valere, si vovens habuit voluntatem expressam non se obligandi ad partem possibilem, quin ad totum obligaretur. Quia votum est privata lex, quæ ita pendet ab intentione voventis, ut extra illam extendi nequeat.

At si constet de expressa voventis intentione attendi debet materia promissa, quæ si vendicet partes ita separabiles, ut aliqua obligationis capax sit, & ex communi usu vovendi non pendeat ab incapaci, seu impossibili, votum tenet quoad partem possibilem, & est invalidum quoad impossibile: secus, si partes sint moraliter inseparabiles. Tunc enim votum omninò invalidum est. Patet, nam quisque vovere intentione objecto accommodata præsumi debet. Ut resolutionis pars utraque exemplis innotescat,

393 Ex priori infertur 1. si uxor marito invito castitatem voveat, obligari ad non petendum, quamvis reddere teneatur. *cap. quidam, & cap. placet, de convers. conjugat.* Infertur 2. voventem afflictationes carnis acerbissimas, solum teneri ad eas, quas prudentis arbitrio præstare commodè possit. Sicut si vovit jejunare totam quadragesimam, cum solam partem possit, vel recitare integram rosarium, cum solam partem tertiam possit, ad illam solum partem tenetur. Similiter qui vovit dare in eleemosynam mille aureos, & potest solum centum, ad centum tenetur.

Impossibilitas partis, vel modi.

Infertur 3. impossibilitatem modi, sub quo res possibilis promittitur, non impedire voti valorē & obligationem ad rem. Quia impossibilitas accessorij non cedit in principale. Unde qui voveret Romam ire flexis genibus, vel alio impossibili modo, teneretur ire modo possibili. Sicut vovens jejunare pane & aqua, si non possit, tenetur jejunare modo consueto quem potest. Secus dicendum est (inquit *Suar. cit. lib. 2. c. 2. n. 11.*) quando modus impossibilis fuit oppositus ad minuendam difficultatem, ut si quis vovit ire Romam equitando, & non habet equum, excusatur, etiam si modo alio ire possit.

Partes voti inseparabiles.

Ex posteriori, nempe quando materia habet partes moraliter inseparabiles, infertur 1. cū *Sanch. l. 4. c. 10. n. 7. Laymam lib. 4. tract. 4. c. n. 3.* si quis voveat ædificare monasterium, & ex paupertate superveniente non possit nisi partem, ad nihil teneri. Quia censetur promisisse ædificationem monasterij per modum unius. Infertur 2. quando quis implere nequit partem principalem promissam, non teneri ad accessoriam: ut si quis vovit jejunare in vigilia Nativitatis Virginis, & nō potest, non tenetur abstinere a carnibus: item si nequit abstinere a carnibus, non tenetur abstinere a comestione repetita. Denique qui vovit cōfessionem ad lucrandum jubilæum, ab ea excusatur, si jubilæum lucrari nequeat.

394 2 Difficultas est, an votum nunquam peccandi versetur in materia impossibili? Adverte hujusmodi votum posse accidere 1. si fiat non peccandi mortaliter. 2. si fiat non peccandi etiam venialiter. 3. si fiat non peccandi venialiter absolute. 4. si fiat non peccandi venialiter in materia determinata, vel in peccatorum certo genere.

Dico 1. votum non peccandi mortaliter valet tanquam in materia moraliter possibili. Ita *Sotus de just. l. 7 q. 1. a. 3. Azor lib. 11. c. 13. q. 4. Sanch. l. 4. c. 5. n. 16. & Suar lib. 2. c. 3. n. 2.* Suadetur, nam hoc votum est de materia possibili, non quidem viribus naturæ, sed gratiæ, quam Deus de lege ordinaria statuit conferre divinam misericordiam volentibus, & implorantibus. Unde obligat etiam homines fragiles, & pecatis deditos. Consulendū tamen non est, ob periculum transgressionis. *Votum nō peccandi.*

Dico 2. Votum absolutè non peccandi etiam venialiter, invalidum est. Ita præter *Sotum, Sanch & Suar.* citatos, *Valent. 2. 2. disp. 6. q. 6. p. 2. & Lessius lib. 2. c. 40. n. 31.* Ratio est, quia licet vitare omnia omninò peccata etiam venialia loquendo speculativé, sit physicé possibile, tamen loquendo moraliter, spectato communi rerum cursu, & auxilijs a Deo concessis, impossibile est.

395 Dubitari solet, an tale votum obliget ad partem, nimirum ad vitanda peccata mortalia? Affirmat *Suar. lib. 2. de voto c. 3. n. 16.* Quia pars illa materiæ spectans ad mortalia separabilis est ab altera parte, & possibilis. Negat *Sanch. l. 4. c. 5. n. 10.* Quia sic vovens intendit vitare omnium peccatorum collectionem per modum unius, quod impossibile est.

Utranque sententiam conciliare possumus, si loquamur cum distinctione: nam si vovens expressam habuit voluntatem non se obligandi vitare mortalia, nisi simul obligatus ad vitāda omnia venialia, votum non tenet, & in hoc sensu placet *Sanchez.* Si verò talem volūtatem expressam non habeat, votum tenet & obligat ad vitanda sola mortalia, quæ materiæ pars est possibilis, & ab altera separabilis, & pro valore actus præsumitur vovens se velle obligare eo modo quo

quo potest: & in hoc sensu placet *Suarez*.

Venialia vitare an sit materia voti. Dico 3. Votum de vitãdo aliquo genere peccatorum venialium, v.g. non mentiendi, regulariter validum est: consuli tamen non debet. Ita *Azor l.q.11.cap.13.q.4. Sanch.l.4.c.5.n.18. Suar.l.2. de voto c.3.n.4.& Lessius lib.2.cap.40. dub.7. n. 31.* Ratio est, nam attento communi ordine gratiæ, sunt aliqua peccatorum venialium genera, quæ moraliter vitari possunt, præcipue si talia sint quæ ex plena deliberatione committantur.

Dix (regulariter) quia sunt aliqua peccatorum venialium genera, quæ materia voti esse nequeunt. Nam attenta hominum fragilitate, & depravata natura, vix moraliter longo tempore vitari possũt, ex eo præcipué quod soleant plenam deliberationem prævenire. Talia sunt (inquit citatus *Sanch.*) quæ committuntur in verbis otiosis, cibo & potu sumendis, cogitationibus judicij temerarij, infidelitatis, luxuriæ. Quando est dubium an materia sit possibilis moraliter, tenet votum, secùs, si sint pro utraque parte probabiles opiniones.

396 Quid si quis voveret quantum in se est venialia omnia peccata vitare? Rectè *Sanch. lib.4. cap.5.n.13.& Lessius lib.2.c.40.dub.7.n.31.* asserunt validum esse tale votum, utpote de objecto & materia possibili. Nam solum obligat adhibere specialem curam & diligentiam pro vitandis peccatis venialibus, quod moraliter possibile est; quidquid in oppositum dicat *Palaus tract.15. disp. 1.p.8.§.1.n.12.* negans materiam esse possibilem, quia incognoscibilis est.

Fatendi venialia votum. Quid de voto confitendi omnia venialia? Esse validum bené affirmat, & cum citatis authoribus consentit *Palaus citatus n.13.* Quia est de materia possibili & determinata. Non enim de fatendis omnibus venialibus absoluté intelligitur, sed solũ de fatendis ijs, quæ facta mediori diligentia memoriæ occurrerint. Quæ fuerint oblita reservantur in sequentem confessionem, si memoriæ occurrant, nec opus est ea statim fateri, etiam ante sacram Eucharistiam sumendam. Quale peccatũ sit promittere Deo rem impossibilem, bené resolvit *Suar.l.5. de voto c.2.n.3.* non excedere culpam venialem, sive promittens agnoscat rei promissæ impossibilitatem, sive non agnoscat.

QUÆSTIO II

Qualiter votum esse debeat de materia honesta: & an de præcepta esse possit?

Materia honesta in voto. Circa primam quæstionis partem de honestate materiæ; cum certissimum sit rem malam esse non posse voti materiam, certum etiam est debere illam esse rem bonam & honestam. Quia aliter nec Deo grata esse poterit, nec in Dei cultum & honorem cedere, ut actus vovendi ad religionis virtutem pertineat.

Indifferens materia voti. Est solum dubitatio, an & quomodo actus indifferens voti materia esse possit, relicta indifferentia? Rectè docent *Valent.2. 2.d.6.q.6.p.2.diff.3. Azor l.11.c.13.q.5. Sanch.l.4.c.7.a.n.2.& Suar.tom. 2. de relig.l.2.c.4.n.5.* actum indifferentem, si exuta indifferentia honestatem induat ex aliqua circunstantia, posse fieri aptam voti materiam. Explicatur duplici exemplo. Quanvis ludus cũ hoc vel cum illo, sit res indifferens, tamen si Petrus tibi fuerit in ludo occasio jurandi vel rixandi, poteris validè vovere non ludere cum Petro ad vitandum tale peccatum. Item quanvis nõ ingredi in talem domum sit ex se res indifferens, at si ingressus est tibi occasio peccandi, validé non ingredi vovebis pro peccato vitando.

397 Observandum tamen est 1. cum citatis authoribus, ut res indifferens fiat honesta & capax voti, non sufficere ut referatur ad finem honestum, nisi ipsa, tali consequendo fini judicetur apta. Hinc est, invalidum evadere votum non edendi capita animalium in honorem S. Joannis Baptistæ, item non edendi carnes assas in honorem S. Laurentij: quia talis abstinentia non cedit in honorem talium sanctorum, & hujusmodi fini apta non est. Valeret tamen votum, si quis voveret talẽ abstinentiam ad mortificandam specialem voluptatem, quam caperet in esu vel capitum, vel carnis assæ. Quia tunc illa abstinentia foret apta ad illos sanctos colendos.

Occasionis peccati remotio est materia voti. Observandum est 2. cum *Suar.l.2. de voto c.4.n. 9.* quanlibet occasionis peccandi præcisionem esse bonam & honestam, ac proinde voti materiam. Unde valebit votum non furandi a Petro, non fornicãdi cum hac determinata fæmina, vel abstinendi die festo ab hoc opere servili. Quia horũ abstinentia, cum sit præcepta, bona & capax materia voti est. Secus, si abstinentia præcepta non foret, nec aliunde haberet conducentiam ad finẽ honestum.

Honestatis tempus in materia voti. Observandum est 3. cum *Sanch.lib.4.c.7. n. 19.* honestatem in objecto promisso adesse debere tempore quo votum emittitur Si enim tali tempore non adsit, votum irritum erit, etiam si decursu temporis honestatem sortiatur. Nam sicut sacramentalis absolutio, ita & votum, quando fiunt, cadere debent super materiam capacem, ut valeant. Quid si quis vovit non ingredi domum, falsò credens ibi adesse fæminam, occasionem peccati, si postea talis fæmina adsit? Rectè docet *Sanch. citatus* valere & obligare votum. Quia mens voventis ab initio fuit non ingredi illam domum, quoties ibi talis peccandi occasio adfuerit.

Votum de re præcepta. 398 Circa alteram quæstionis partem an votum de materia præcepta esse possit? Certa omninò est affirmativa resolutio, quam docent *Navarrus cap.12.n.25. Lessius l.2.c.40.dub.7.n.47. Sanch.l.4.c.5.n.6. Suar.to.2.l.2. de voto c.6.a.n.4. & Layman l.4. sum.tract.4. de voto c.2.n.9.* Patet, quia materia præcepta est capax voti, cum sit ita Deo grata, ut opposita grata non sit. Deinde præceptũ non tollit libertatem, cum voluntatem ad implendam obligationẽ non cogat: atque adeo vovens de re præcepta potest facere Deo liberam, & spontaneam obligationem.

QUÆS.

QUÆSTIO III.

Qualiter esse possit votum de re honesta ob finem malum vel indifferentem?

Honesta res ob finē malū in voto

OPortet distinguere inter duos fines, alterū qui dicitur finis rei promissæ per votum, alterum, qui dicitur finis promissionis. Prior finis est ille, qui executione rei promissæ intenditur: ut si quis voveat eleemosynam pro victoria cōparanda. Posterior finis est ille, ad quem vovens refert ipsam promissionem, ut si quis voveat religionem, vel emittat professionē religiosam, & hoc votum, seu promissionem referat ad aucupandum humanas laudes.

Est igitur communis theologorum resolutio, si finis rei promissæ per votum malus sit, invalidum esse votum: secus, si sit finis ipsius voti, seu promissionis. Ita *Soto de just. l.7.q.1.a.3.dub.1.Valent.2.2.dub.6.q.6.pun.2.diff.2.Tolet.l.4.sum.c.17.n.16.Sanch.l.4.c.6.n.13.Suar.tō.2.de voto c.4.n.3.* & multi alij, quos allegant. Ratio prioris partis est, quia quando finis rei promissæ malus est, redditur absolute malum quod promittitur, ac proinde Deo displicet, & non placet. Ratio posterioris partis est, quia valor & obligatio voti, non desumitur ex honestate actus ipsius in individuo, sed ex honestate objecti promissi, quod Deus acceptat ut bonū & sibi gratū, etiam si malé promittatur: alioquin non valeret votum rei summé honestæ, si inconsideraté fieret.

Finis in nonnullis votis.

399 Notant citati authores, quibus accedit *Layman.l.4.sum.tract.4.c.2.n.10.* quod diximus de fine pravo rei promissæ per votum, procedere de fine omninó indifferente, qui cum sit vanus, opus quod ad ipsum refertur, cedere nequit in cultum Dei, proindeque materia voti esse non potest.

Ut veró examinemus aliqua vota dubia de quibus non constat habeantne honestū, an pravum finem, dubium est 1. an teneat & obliget votum, quod quis emittit de templo condendo, si ex concubina, quam intendit cognoscere, nascatur filius, vel ex bello injusto, quod aggredi meditatur, incolumis evadat? Constat validum esse, si filius ille, vel incolumitas spectentur ut conditiones. Difficultas est, si intendantur ut fines.

Suar.lib.2.de voto cap.5 n.14. & 16. Lessius cap.40.n.38.& Layman l.4.sum.tr.4.c.2.n.7. & alij cōmuniter affirmant esse validum tale votum. Probant, quia licét ibi interveniant actus illiciti scilicet fornicationis, & injusté bellandi, tamem bona est res promissa, & finis sub quo promittitur, etiam bonus est.

Probabilius tamen arbitror cum *Palao tract.15.disp.1.p.8.§.3.n.3.cui favet Sanch.l.4.c.6.n.16.& 21.* tale votum irritum esse. Probatur, quia licét res quæ obtineri intenditur, nempe filius, vel incolumitas in se bona sit, tamen induit, & imbibit pravitatem, prout comparari intéditur illicito concubitu, & injusto bello; ergo votum pro illo filio, vel incolumnitate, habet finem pravū, & invalidum est.

Votū pro victoria in bello injusto.

400 Dubium est 2. sitne validum votum emissum in actionem gratiarum, pro filio jam nato ex concubina, vel pro victoria injusto bello jam obtenta? Negant multi, quatenus judicant tale votum blasphemum, quasi indicet Deū authorem turpitudinis, vel injustitiæ. Dicendum tamen cum *Suario tom.2 de relig.lib.2.de voto cap.5.n.19.* videri probabilius tale votum esse validum. Ratio est, quia vovens non censetur agere Deo gratias pro illa victoria quatenùs per bellum injustum comparata, sed pro bono effectu incolumitatis, quam a Deo accepit. Nec per tale vovum invocat Deum ut coopetatorem injustitiæ, cum hæc jam præcesserit: sed honorat & colit pro bono comparato.

Dubium est 3. an sit validum votum emissum ad assequenda bona remporalia, v.g. officium honorificum, aut matrimonium locuples? Videtur negandum, quia talis finis est indifferens, proindeque honestate destitutus. Affirmandum tamen est cum *Layman l.4.sum.trac.de voto c.2.n.10.* Nam finis talis voti honestus valde est, cum sit divina donatio. Vovens enim intendit temporalia, sed impetranda a Deo, & donanda. Aliter non valeret votum emissum ab ægroto pro vitæ periculo vitando, & consequenda sanitate.

Illud recté docet *Sanch.lib.4.c.7.a.n.25.* habere finem indifferentem, ac proinde nullum esse votum, quo quis promitteret jejunium ut sumptibus parceret, aut eleemosynam, ut avaritiæ opinionem aboleret. At n.29. dicit valere votum nō ludendi ad non faciendam jacturam rei familiaris. Quia hujusmodi finis bonus est, utpote cōtra prodigalitatem. In dubio an finis sit indifferens, valet votū, utpote possidens. Vota (addit n.30.) pro obtinendis rebus temporalibus regulariter emittuntur sub conditione, ut res obtineātur: unde si vovens assecutione frustretur, non obligabitur, etiam in dubio prædictæ conditionis: secus, si cōstet absoluté vovisse. *Finis indifferens voti.*

401 Dubium est 4. an materiam honestam habeat, & valeat votum priori voto, præcepto, aut promissioni contrarium? Notabis contrarietatem posse accidere vel actui vovendi, vel materiæ voti, ut statim patebit, & duplex resolutio. *Votorum contrarietas in materia.*

Dico 1. Si accidat contrarietas actui vovendi, nō impeditur valor & obligatio voti, dummodò aliunde sortiatur aptam materiam. Ita *Sanch. lib.4. cap.8.n 14.* Patet, nam si quis habet votum, aut præceptum non vovendi absque consilio confessarij, & sine illo voveat, dabitur contrarietas in actu vovendi, & tamen valebit votum. Ratio est, quia illa contrarietas solum efficit ut actus vovēdi reddatur peccaminosus, & non impedit obligationem, quæ nascitur ex honestate materiæ, & Dei acceptatione.

Dico 2. si materia posterioris voti contraria sit voto priori, aut præcepto, nequaquam valebit posterius votum de re iniqua, utpote de præcepti aut voti prioris violatione. Cum veró votum obliget ad servandam rem promissam, dum melior vel saltem æqualis nō subrogetur, recté monet *Suar.n.10.* sub rogata re meliori per votum

posterius, hoc obligare cessante priori.

Votum de re mala quale peccatũ. Rogabis, quodnam sit peccatum vovere rem turpem, vel indifferentem, aut ob talem finem illam vovere? Dico 1. si finis sit solius promissionis aut voti, & non materiæ per votum promissæ, ultra peccatum ex desiderio talis finis, solum veniale committitur contra votum. Ita *Suar. tom. 2. relig l. 5. de voto c 1. n. 8. & 9.* Ratio est quia malitia illa contra religionem solum consistit in tollendo modo apto & debito vovendi, proindeque culpam venialem non excedit.

402 Dico 2. si res promissa sit lethaliter prava, vel ob finem pravum lethaliter promittatur, ultra lethalem malitiam contra religionem, aliam continet pravi desiderij. Patet, quia sic promittens blasphemiæ injuriam Deo irrogat, rem illi ingratam pro grata offerens, quasi Deus illam sit accepturus. Ita *Suar. lib. 5. de voto c. 2. a. n. 9. & Lessius l. 2. c. 40. n 39.* qui addunt idem esse dicendum, esto res promissa sit solum venialiter turpis, vel ob finem venialiter turpem promittatur. Si autem fiat promissio rei indifferentis, vel ob finẽ indifferentẽ promittatur, sola erit venialis culpa.

QUÆSTIO IV.

Qualiter votum de meliori bono esse debeat?

Melius bonum est materia voti. Apud *S. Thomam 2. 2. q. 88. a. 2.* concors est Theologorum placitum non sufficere ad votum, ipsius materiam, quæ est res promissa, bonam & honestam esse: sed requiri quód sit melior quàm sua contradictoria. Patet, quia votum continere debet obligationem de re, quæ Deo placeat: & Deo placere non potest, quód quis sponte sua obligetur ad omittendum id quod melius, perfectius, & ipsi Deo gratius est. Dixi (obligetur) quia quando obligatus exequitur talem rem, eo ipso obligatur omittere perfectiorem & meliorem, ac proinde talis res bona ut sic est impeditiva melioris. Secus erit si absq; obligatione exequatur.

Infertur 1. omnem rem quæ cadit sub præceptum, quatenus sub præcepto manet, esse materiam voti. Quia prout sic semper est melior quám sua contradictoria. Melior enim est observatio præcepti, quám ipsius violatio. Dixi (quatenus sub præcepto manet) quia cessante præcepto evenire potest, ut oppositum sit melius & Deo gratius: sicut accidit quando quis ex charitate omittit sacrum die festo ad medendum ægroto.

403 Infertur 2. omnia vota, quæ opponerẽtur Evangelicis consilijs esse invalida, qualia v.g. non ingrediendi religionem, non erogandi eleemosynam, non suscipiendi ordines, non mutuandi, non fidejubendi. Nam hujusmodi negationes carent omni honestate, & executiones majoris boni impediunt. Examinemus nonnullas materias votorum dubias.

Matrimonij ineundi votum. Dubium est 1. an valeat vòtum de matrimonio contrahendo? Constat valere quando matrimonium est in præcepto, ut si quis ex violatione puellæ teneretur illam ducere. Extra casum præcepti consentiunt Theologi votum absoluté contrahendi matrimonij invalidum esse. Quia excludit Virginitatem, & cælibatum, qui status, juxta *Trident. sess. 24. can. 10.* perfectior est. In triplici tamen casu difficultatem habet. 1. casus est, si quis matrimonium voveat intentione non cõsummandi, sed petendi religionem. Non valere tunc rectè docent *Gutierr. de matr. c. 4. n. 7. Suar. l. 2. de voto cap. 9. n 6. & Sanch. l. 1. Matr. disp. 4. n. 2.* Ratio est, quia contractus matrimonij, quocũque modo fiat, semper constituit in periculo copulæ, & recedendi a cælibatu, nisi in casu extraordinario, qualis fuit matrimonij inter B. Virginem & S. Josephum.

2 Casus est, si fiat in remedium depravatæ consuetudinis, & lapsus frequentis. Validum esse negant *Sotus l. 7. de just. q. 1. a. 2. & Aragon. 2. 2. q. 88. a. 2. circa 1. conclus.* Quia semper manet impeditivum cælibatus: & hoc probabile est. Affirmant *Bellarm. l. 2. de monach. c. 14. Azor p. 1. l. 11. c. 13. q. 9. & Sanch. lib. 1. Matr. disp. 4. n. 7.* & certé probabilius. Quia data illa peccandi facilitate utilius & consultius est contrahere matrimonium, quàm cælibem existere. Et huic sententiæ valde favet illud Apostoli, *Melius est nubere, quàm uri.* 1. ad cor. 7. *Votũ ducendi pauperẽ.*

404. 3 Casus est, si fiat intuitu pietatis, v.g. ducendi pauperem, vel meretricem. Rectè docet *Sanch. cit. n. 12. & Suar. n. 18.* invalidum esse. Quia semper a vovente perfectiorem statum excludit. Erit tamen validum, si fiat conditionaliter, v. g. si ineam matrimonium, ducam pauperem. Quia sic non ponitur absoluté impedimentum status perfectioris, sed illo dato eligitur modus perfectior. *Suar. n. 21.* dicit votum ducendi pauperem semper imbibere talem conditionem, sed melius id negat *Sanch. l. 4. Decal. c. 8. n. 54. & 55.*

Dubium est 2. an valeant hæc vota in sensu conditionato, Promitto me non ingredi aliam religionem, nisi hanc. Promitto non recitaturũ, nisi genibus flexis. Promitto non erogaturum eleemosynam minorem centum aureis. *Palaus trac. 15. disp. 1 pun. 8. §. 5. n. 16.* negat tanquam probabilius valere hujusmodi votũ. Quia licét in sensu conditionato, tacité promittunt materiam ineptam, ex parte, qua excluduntur aliæ religiones, eleemosynæ minores, & omnis recitatio, quæ non fiat flexis genibus Quoties autem voti materia apta ita jungitur ineptæ, ut ex voventis intentione maneant inseparabiles, votum non valet.

Sanch. tamen *lib. 4. c. 8. n. 47.* affirmat valere talia vota, quia vovens ex principali intentione non excludit alia bona, sed includit illud quod exprimit. Et hoc est probabile. Notavit autem optimé n. 48. valere illa vota, cujus materia apta esset, & negatio ineptam excluderet, ut si quis voveret non dare eleemosynam nisi ex bono fine, vel nõ recitare nisi attenté.

405 Dubium est 3. an valeat votum perpetuò serviendi in xenodochio? Videtur negandum. Quia tale servitium est impeditivum majoris boni, scilicet ingressus in religionem. Affirmandum *Xenodochij servitium.*

dum tamen est cum *Suar. l. 2. de voto c. 7. n. 6. Valen. 2. 2. disp. 6. q. 6. p. 2. con. 2. & Layman. l. 4. tr. 4. c. 2. n. 12.* Quia oppositum contradictorié tali voto scilicet non servire in xenodochio perpetuò, nō est melius: Deinde illud servitium non impedit religionis ingressum, cum hic loco illius semper possit assumi: sicut laxior religio, quam quis ingreditur ex voto, potest relinqui propter strictioré.

Recreationis votū. Dubium est 4. an valeat votum comedendi delicaté quando id expediat, & similiter assumédi honestam ludi recreationem? Videtur affirmādum, quia tales actus sunt virtutis moralis, quæ potest consuli & præcipi; ergo esse materia voti. Dicendum tamen cum *Lessio lib. 2. c. 40. n. 43. & Suar. l. 2. de voto c. 8. a. n. 5.* vota illa fere nunquam valida esse.

Ratio est, quia licèt illa delicata comestio, & moderata recreatio sint actus virtutis, tamen ob specialem circunstantiam, melius est ab illis abstinere, ut nempe per carnis mortificationem paretur animus ad virtutes sublimiores. Dixi (fere nūquam) ut innuerem casum in quo valere possunt, nempe quando ob charitatem propriam vel alienam esset præceptū de tali cibo, vel recreatione.

Episcopatus non acceptandi votum. Dubium est 5. an valeat votum non ascendendi ad Episcoparum? Negant *Sylv. v. Iuram. 4. n. 1. Navarr. in sum. c. 12. n. 16. & Azor p. 1. l. 11. c. 5. q. 1.* Quia cum Episcopatus sit in statu perfecto, via ad illum per votum præcludi nequit.

406 Affirmandum tamen est valere tale votum, si sano & convenienti modo emittatur, v. g. si fiat de non procurando Episcopatum, & non acceptando quantum in se fuerit, nisi necessitas Ecclesiæ, vel præceptum superioris urgeat. Ita *Gutier. de juram. p. 1. c. 72. n. 9. Rodrig in sum. c. 94. n. 15. Sanch. l. 4. c. 8. n. 37. Suar. l. 2. de voto c. 11. n. 10. & Layman. l. 4. sum. tract. 4. de voto c. 2. n. 14.* Ratio est, quia votum illud prout dicta illa forma concipitur, utilitati Ecclesiæ non præjudicat, & viam præcludit ambitioni. Simile emittunt Professi Societatis de non acceptandis dignitatibus.

Dispensationis nō petēdæ votum. Dubium est 6. an valeat votum non petendi dispensationem? Certum est valere, quando vovens addidit (absque causa legitima) si veró absoluté emisit absque ullo addito, *Sanchez l. 4. c. 8. n. 21.* negat valere. Nam vota generaliter emissa, quæ in quibusdam casibus utilia, in quibusdam inepta sunt, minimé obligant, nisi vel ex jure, vel ex communi hominum acceptione habeant tacitam conditionem ut ad solos casus utiles extendantur: qualem habet votum obediendi, non autem votum abstinendi a petenda dispensatione, cum sit aliquando utilius & melius illam petere. Oppositum defendit *Suar. l. 2. de voto c. 11. n. 16.* nempe tale votum valere. Quia intelligitur emissum pro illis tantum casibus, in quibus materia est apta, & ab inepta separabilis. Utrunque probabile est.

407 Quid si quis voveat sub hac forma. Voveo me aditurum Romam gratia obtinendæ absolutionis a Romano Pontifice, si transgrediar, vel gratia obtinēdæ dispensationis, si eam velim? Bené respondet *Sanch. ait. n. 34.* valere hujusmodi promissionem, sive unicum sit id votum eundi Romam, non sistendo ibi, sed gratia obtinendæ absolutionis, vel dispensationis: sive sit duplex, alterū eundi Romam, & alterū obtinendæ dispensationis, vel absolutionis. Erit tamē hoc discrimē quód si votum sit duplex, detur duplex obligatio altera eundi Romam in pœnam fracti voti, altera obtinendæ absolutionis a Pontifice, ubicunque ille sit: at quando unicum illud esset votum, haberet se materialiter aditus Romæ, & solum daretur obligatio obtinendæ absolutionis a Pontifice, ubicunque esset. Quoad dispensationē est differētia: nam in formali voto eundi Romam, probabile est non posse Episcopum dispensare, sed probabilius posse: in voto autem, in quo se haberet materialiter aditus Romæ, Episcopus certó dispēsare posset.

Idem *Sanch. c. t. n. 31.* rectè observat discrimen inter commutationem & dispensationem, aut irritationem. Nam qui vovit aut juravit se nō petiturum commutationem, nequit etiam petere dispensationem, aut irritationem: & contra qui juravit aut vovit se non petiturum dispensationē aut irritationem, potest petere commutationem, si de peculiari intentione non constet.

Dubium est 7. an valeat votum non vovendi? *Votum nō vovendi.* *Sanchez citatus l. 4. c. 8. n. 16. Lessius l. 2. c. 4. dub. 7. n. 45. & Suar. l. 2. de voto c. 11. n. 5.* recte docent, quamvis juramentum aut votum non vovendi absoluté sit irritum, utpote oppositum consilio Evangelico & religionis actui: tamen valere, si quis ad tollendam vovendi facilitatem & scrupulos, voveret se nunquam voturum, nisi scripto, aut ex consilio confessoris, aut alijs prudentiæ circunstantijs.

408 Unde (addit *Sanch. n. 15. & 17.*) si voti prædicti memor, adhuc voveret, nō servatis dictis circunstantijs, valeret quidem votum, sed vovens peccaret, non semper mortaliter, sed quando maximé expediret saluti voventis nō sic vovere. Si autem voveret immemor prioris voti, adhuc valeret votum, nisi in priori adesset intentio nullatenus se obligandi, nisi positis dictis circunstantijs.

SECTIO III.
De obligatione voti.

QUÆSTIO I.
Quæ, qualis, & quanta sit obligatio voti?

Votum obligat. Votum ad ipsius impletionem obligare cōstat de fide, ut definit Innocent. 3. *in cap. licet, de voto* & sumitur ex illo Apostoli, *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* 1. ad Timoth. 5. Item naturali lumine perspicuum est. Si enim promissio facta hominibus obligat, a fortiori obligabit promissio facta Deo, scilicet ex virtute fidelitatis, quæ comparatione Dei vera religio est, qua Deus colitur, & ex humana promissione jus vendicat exigendi a promittente.

Oppones, si Deus ex humana promissione vendicaret jus ad exigendum a promittente, sequeretur illi advenire de novo tale jus, sicut advenit homini, cui alter homo promittit: sed hoc dici nequit, quia Deus qua talis, & qua creator est, jus omne habet in suas creaturas, a quibus proinde jus aliquod accipere nequit; ergo votum non obligat ratione talis juris. Respondetur Deum habere jus exigendi a promittente rem promissam, non quia promittens jus aliquod Deo concedat, sed quia materiam cultus jam debiti (Deo enim debetur omnis cultus & honor) sua promissione determinavit.

409 Cum veró obligatio voti ex suo genere gravis sit: quæritur an levis esse possit vel ex materia promissa, vel ex intentione voventis? Dico 1. Votum ex levitate materiæ ita obligat leviter, ut ejus transgressio non excedat culpam venialē. Ita *Valen. 2.2. disp.6.q. 6.p.4 q.2. Layman l.4.tr.4.c. 3.n.2. Suar.l.5.de voto c.4.n.5. & Sanch.l.4.sum.c. 12. n.5.* Patet, quia obligatio voti, quam sponte contrahit vovens, nascitur ex virtute fidelitatis, quæ suscipit magis & minus.

Obligatio voti non semper gravis.

Oppones, obligatio juramenti assertorij semper est gravis etiam in materia levi, ex eo quod Deus invocetur in testem; ergo obligatio voti semper erit gravis, etiam in materia levi, ex eo quod res Deo promittatur. Concesso antecedente, negatur consequentia, & disparitas est, quia in perjurio assertorio, quantum est ex parte jurantis, tribuitur mendacium Deo, quatenus ad illud cōfirmandum invocatur testis, quæ gravissima injuria est: at vovens in non reddendo nihil attribuit Deo ipsi repugnans, sed solum se exhibet infidelem.

Dico 2. Ex sola intentione voventis limitantis potest dari voti obligatio levis in materia gravi. Ita *Suar.l.4.de voto c.4.n.7. & Sanch.l.1.Matr. disp. 9.n.6.* contra *Vasquum l.2.d.158.c.4.n.34. & Basilium Ponce l.12.de spons.c.2.n.13.* Probatur, quia votum est privata lex: sed lex in materia gravi potest obligare leviter ex intentione legislatoris; ergo & votum ex intentione voventis. Unde autem sumatur gravitas & levitas materiæ in votis, sicut & in peccatis, satis diximus tract. 3. de peccatis sect.4.a n.130.

410 Rogabis 1. an votum non solum inducat obligationem fidelitatis, sed etiam illius virtutis, ad quam pertinet materia promissa? Affirmat *Sanch.l.4.de voto c.11.n. 6.* dummodó quis voveat ex peculiari affectu virtutis, ad quam spectat materia. Negandum tamen est cum *Suario l.4.de voto c. 3.n.11.* Patet, quia universa obligatio voti nascitur ex fidelitate promissionis, & fidei servandæ erga Deum: affectus enim erga rem promissam nullam inducit obligationem.

Obligatio voti ex materia promissa.

Rogabis 2. an possit aliquis se per votū obligare ad vitandos solos actus externos, & non internos? Negat *Sanch.l.4.c.11.n.12.* Affirmat *Vasq. 1.2.disp.112.c.2.n.9.* Utranque sententiam possumus conciliare, si negemus de actibus internis continentibus desiderium, & affirmemus de internis continentibus solam delectationē morosam. Ratio prioris partis est, quia impossibilis censetur obligatio vitandi aliquem actum externū, sine obligatione vitandi internum illi correspondentem: si enim quis obligatur ad non furandū, necesse est quod obligetur ad non habendum desiderium furandi. Ratio posterioris partis est, quia obligatio vitandi actum externū potest stare sine obligatione vitandi puram delectationem circa illum: nam potest quis nolle copulam cum tali fæmina, & velle delectationē de tali copula cogitata.

QUÆSTIO II.

Qualiter obligatio voti agnoscenda, & interpretanda sit?

411 PRo agnoscenda & interpretanda voti obligatione supponendum est 1. votum obligare juxta voventis intentionē, extra quam non extenditur. Supponēdum 2. quando nō cōstat de voventis intentione, spectandam esse materiam promissam, ut juxta illius naturam votū censeatur obligare. Supponendum 3. si spectata voventis intentione, & materia promissa, adhuc voti obligatio non appareat, spectari debent verba promissionis, ut secundùm communē & frequentem illorum usum, votum interpretetur. Supponendum 4. si prædictis omnibus consideratis, adhuc maneat dubia voti obligatio, votum sic debet benignè interpretari, ut quoad fieri possit, minùs obliget. In his conveniunt Theologi. Descendamus ad peculiaria de quibus dubitant.

Voti interpretatio.

Dubium est 1. qualiter intelligatur obligari, qui vovit recitare rosarium B. Virginis, & singulis diebus audire sacrum? Quod attinet ad rosarium, necesse est ad satisfaciendum voto, quòd illud recitet attentè, & vocaliter: non enim sufficit distracta, vel solum mentalis recitatio. An sufficiat illud recitare cum socio? Negant *Navarr. c. quando de consecr.dist.5.c.10.a. n.22. Sanch.l. 4.c.11.n. 38. & Palaus tr.15. d.1.pun.12.n.5.* Quia illius recitatio alternata repugnat communi usui. Affirmant *Azor.l.10.c.7.q.10. & Bonac.disp. 4.q.2.p.6.n.27.* testantes modum illum recitandi esse conformem Ecclesiæ consuetudini. His ego libenter subscribo, quia video in Lusitania jam valde introductam hujusmodi alternatam recitationem.

Rosariū B. Virginis in voto.

412 Maior est difficultas, an qui vovit rosarium, satisfaciat recitando solum illius tertiam partem? Affirmant *Sanch.l.4.c 13.n.15. Suar. l. 4. de voto c.8.n.5 & Palaus cit.n.5.* si expressè nō promisit rosarium integrum. Quia juxta usum frequentiorem, nomine rosarij tertia pars intelligitur. Verùm quidquid sit in alijs regnis, de quibus testari possunt citati authores, tamen in nostro regno Lusitano, id nequaquam admittendū judico. Quia Lusitani nomine rosarij simpliciter prolato semper integrum intelligunt: & hæc est cōmunis praxis in cōfessionibus, quando rosarium in satisfactionem injungitur.

Quod attinet ad sacrum audiendum singulis diebus, rectè docet *Suar.c 7.n.14.* non oportere quod

Sacrū ex voto.

quòd illud vovens audiat duplex sacrum diebus festis. Quia unico sacro potest satisfacere ecclesiastico præcepto & voto.

Virginitatis votum. Dubium est 2. qualiter intelligatur obligatio voventis virginitatem perpetuam, & peregrinationem ad Divum Jacobum? Ex communi usu vovens perpetuam virginitatem absque alia expressione intelligitur obligatus ad perpetuam castitatem. Unde post semel & iterum violatam castitatem, adhuc ex voto tenetur abstinere ab omni voluptate venerea. Dixi (absque alia expressione) quia secùs esset, si intelligens in rigore virginitatem, solum vovisset vitare primum actũ venereum, quo illa violata extinguitur. Ita *Sanch. de Matr. l. 9. d. 33. n. 7. & Suar. de voto l. 4. c. 7. qui addit n. 15.* eum qui vovit ingredi religionem, vel suscipere sacros ordines, non teneri ex vi voti servare castitatem.

413 *Peregrinationis votum.* Voto peregrinationis satisfaciet vectus equo, quanvis tempore voti cogitaverit, sed non expressè promiserit pedestrem viam. Ita *Bonacina disp. 4. q. 2. p. 6. n. 15.* ex *Sanch. lib. 4. c. 11. n. 31. qui n. 68.* negat prædictum satisfacere tali voto si mercede conductus, vel causa alterius negotij, vel curiositatis, vel coactus vi talem peregrinationẽ conficiat: quasi ille voverit peregrinationem voluntariam, religiosam & piam. Nihilominus magis arridet *Palau citatus n. 9.* existimans illum voto satisfacere, quia prædicta nec libertatem, nec religionem & pietatem impediunt.

Jejunij votum. Dubium est 3. qualiter intelligenda sit obligatio jejunij ex voto? Rectè docent *Sanch. l. 4. c. 11. n. 31. & Suar. l. 4. de voto c. 7. n. 9.* eodem modo obligare votum de jejunio, atque præceptum Ecclesiasticum de eodem latum. Quia lex privata voti mensurari & explicari debet per legem publicam in eadem materia.

Ex hac communi doctrina multa sequuntur. 1. voventem jejunium teneri ad abstinendum a carnibus, & ab iterata comestione. Item debere vesci hora consueta, quãvis possit vespertinam collatiunculam sumere, & quidem latiorem in pervigilio Nativitatis. 2. voventem jejunare cunctis diebus alicujus mensis vel anni non teneri ad jejunandum diebus dominicis. 3. voventem jejunare in vigilia alicujus sancti, si ea cadat in Dominica, non teneri jejunare, nisi sabbato antecedenti. 4. voventem abstinere a carnibus, teneri etiam abstinere a jure, in quo carnes sunt coctæ.

414. 5 Voventem abstinere a carnibus, aut vino aliqua die, peccare quoties die illa vel comederit carnes, vel biberit vinum. Nam votum illud est instar præcepti Ecclesiastici negativi, quod obligat semper & pro semper. Illud tamen votum sumptio primæ & secundæ ablutionis in Missa non violat. 6. Violantem semel tale jejunium vel carnium esu, vel alio repetito, manere deobligatum, ita ut possit deinde sæpiùs comedere.

Natalinũ Domini in die jejunij. Rogabis 1. an qui vovit jejunare omnibus sextus ferijs, vel sabbatis, vel die alia, excusetur, si natalitiũ Domini in illam inciderit? Affirmant *Azor p. 1. l. 11. c. 20. q. 3. & Molina tom. 2. de just. disp. 272. §. Exempla.* Quia talis præsumendus est sic vovisse, ut talem diem exciperet. Negandum tamen est cum *Vasq. 1. 2. disp. 30. c. 4. n. 26. Suar. l. 4. de voto c. 20. n. 8. & Regina l. 8. n. 209.* Patet, quia vovens talem diem expressè non excipiens, videtur comprehẽdisse. Nam festum Nativitatis solum aufert obligationem præcepti Ecclesiæ, non autem voti, vel regularis observantiæ, ut habetur *c. fin. de observat. jejun.*

Quid si tali voto vel regulari observantia obstrictus carnes comedat illa sexta feria: peccabit ne etiam contra præceptum Ecclesiasticum? Affirmat *Medina l. 1. summæ c. 14. §. 10.* Rectiùs negat *Sanchez l. 4. c. 11. n. 64.* Quia Pontifex absolutè relaxavit præceptum Ecclesiasticum erga omnes, & solum voluit quòd obligatio ex voto, & regulari observantia persisteret.

Rogabis 2. utrùm qui ex solo voto rejunat aliqua die, & jejuniũ frangit, teneatur post fractionem abstinere a carnibus ex præcisa ratione voti? Negat *Sanch. l. 4. c. 11. n. 42.* Quia vovens jejunium solum abstinet a carnibus in quantum talis abstinentia servando jejunio conducit, eo autem fracto jam non conducit. Affirmandum tamen est cum *Suar. o l. 4. de voto c. 7. n. 9. & 12.* Nam vovens jejunium intelligitur vovisse juxta ritum Ecclesiasticum: at de ratione jejunij Ecclesiastici est unica comestio, & abstinentia a carnibus omnibus horis illius diei.

415 Rogabis 3. Utrùm vovens jejunium lacticinijs & ovis vesci possit? Constat posse vesci in *Lacticinia in voto jejun.* omnibus locis, in quibus per consuetudinem ab illis non abstinetur: item in alijs, in quibus per Bullam non abstinetur, si Bullam habeat, v.g. tẽpore quadragesimali. Difficultas est an carens Bulla abstinere ab illis teneatur in quadragesima, alijs ve temporibus, in quibus consuetudo introduxit abstinentiam ab illis? Negat *Sanch. cit. c. 11. n. 53.* Probat, quia lex jejunij illam abstinentiam non præcipit, sed ea præcepto alio injungitur: & ideo multi excusati a jejunio, a tali abstinentia non excusantur.

Affirmandum tamen est cum *Azor o p. 1. l. 7. c. 10 q. 2. & Suar. l. 4 de voto cap. 7. n 9.* Ratio est, quia abstinentia ab ovis & lacticinijs supponitur jejunio quadragesimali, & est tanquam illius pars integralis; qui ergo vovit jejunium tali tempore, sub ea forma censetur vovisse. Illud observabis votum abstinendi a carnibus non comprehendere abstinentiam ab ovis & lacticinijs, sicut votũ abstinendi a lacticinijs non continet abstinẽtiam ab ovis & carnibus. Ita Sanch. cit. cap. n. 46.

Rogabis 4. qualiter obliget votum jejunandi in pane & aqua? Benè respondet *Sanch. l. 4. c. 11. n. 45.* obligare voventem ut in jejunio præter panem nihil aliud comedat, & præter aquam nihil aliud bibat. *Jejunium panis & aqua.* Unde si hora consueta legumina comederit, aut vinum biberit, peccabit quidem cõtra votum, sed adhuc tenebitur servare jejunium Ecclesiasticum, cum possit. Nam censetur vovisse abstinentiam illam tanquam accessoriam jejunio

Ecclesiastico, quod adhuc persistit. Secus si violatum corrueret, quia tunc etiam deficeret obligatio talis abstinentia.

416 Difficultas est, an persistente adhuc obligatione jejunij Ecclesiastici, si vovens bibat semel vinum, possit deinde sæpe bibere absque fractione voti? Affirmat *Sanch. loco citato* dicens talē abstinentiam semel violatam extingui, sicut semel violatum jejunium. Oppositum judico cum *Palao tr. 15. d. 1. pun. 12. n. 19.* Quia talis abstinentia annectitur jejunio promisso pro toto die & singulis ejus partibus, sicut abstinentia a carnibus.

Vini abstinentia.

Quid de voto abstinendi a vino? Conveniunt citati *Sanch. n. 44. & Palaus n. 2* . obligare sub lethali, ne bibatur vinum in ea quātitate, quæ sufficeret pro una comestione ijs qui vino temperatè utuntur: non obligare tamen abstinere a cervisia, quia cervisia vinum non est: esto votum emitteretur fine vitandi ebrietatem. Quia finis extrinsecus sub voti obligationem non cadit.

QUÆSTIO III.

Qualiter agnoscenda sit obligatio voti emissi indeterminatè?

Tempus voti indeterminatum.

Emissio voti indeterminatè potest accidere quoad tempus, quoad quantitatē vel qualitatem rei, & quoad ipsius individuationem. Si accidat primo modo, scilicet absque determinatione tēporis: quia vovens nullum determinavit, quo se vellet obstringere: ut si diceret *voveo castitatem:* aut *voveo jejunare sextis ferys,* nulla determinata, procul dubio vovit in perpetuum, nempe castitatem semper servare, & jejunare omnibus sextis ferijs. Secus, si absque ullo distributivo signo promitteret eleemosynam, vel jejuniū: tunc enim satisfaceret unica eleemosyna, vel unico jejunio.

Indeterminatio rei promissæ.

417 Maior est difficultas quoad secundum indeterminationem de quantitate vel qualitate rei promissæ: an ex illa vitietur votum? Rectè negant *Azor p. 1. l. 11. c. 20. q. 2. Sanch. l. 4. c. 13. n. 3. & Suar. l. 4 de voto c. 7. n. 15. concl. 4.* Probant, quia licét vovens persistente indifferentia exequi nequeat, tenetur tamen indifferentiam tollere. Unde si vovit ingredi religionem indeterminatè tenetur se determinare ad ingressum hujus vel illius. Quamvis enim legatum, & promissio prophana ex incertitudine vitientur, tamen vota, & promissiones piæ ex æquitate juris valent, & determinari debent.

Votum de re indeterminata.

Rogabis qualiter debeat fieri determinatio circa quantitatem vel qualitatem rei promissæ? Benè respondent ex citatis authoribus *Layman l. 4. sum. tr. 4. c. 3. n. 3. & Bonac. tom. 2. disp. 4. q. 2. p. 6. n. 15.* talem determinationem fieri debere ad minimam quantitatem & qualitatem contentam sub re promissa, utilem tamen. Sumitur ex textu in cap. *Ex c. de censib.* & ratione, quia votum solum obligat ut impleatur promissum, & hoc sufficiēter impletur in minima quātitate quæ sit utilis.

Hoc procedit, nisi ex consuetudine colligatur voventis intentionem fuisse quòd in tali quantitate, vel qualitate impleretur. Hinc est, promittentem alicui Ecclesiæ calicem teneri saltem ad præstandum argenteum, quia est qualitatis inferioris ex ijs, quibus Ecclesia uti solet. Excipe, nisi vovens esset nimis pauper, & in ea Ecclesia stannei calices in usu forent. Addit *Suar. de voto l. 4. c. 8. n. 9.* promittentem oleum vel panem satisfacere, si det mediocrem & usitatum.

Promissa rei indeterminatio.

418 Ultima indeterminatio est quoad individuationem rei promissæ, ut si quis promisit Ecclesiæ unum calicem vel unum servum ex ijs quos habet. Rectè docet *Sanch. lib. 4. c. 13. n. 19.* posse eligere quem maluerit, nec teneri ad pretiosiorem. Difficultas est, si uno solum remanente omnes alij pereant, an teneatur illum integré præstare? Affirmat cum *Bonacina disp. 4. q. 2. p. 6. n. 34. Palaus tr. 15. d. 1. p. 12. n. 26.* Quia cum nullus calix vel servus fuerit determinate promissus, in solo remanente promissio implenda est. Negat *Sanch. citatus cum Molina tom. 2. just. disp. 270. §. quando res una.* existimans remanentem non esse integré præstandum, sed dimidiatum in valore. Quia cum omnes æque indeterminaté promissi fuerint, æquum est, ut illorum jactura dividatur inter voventem & votum. Utraque opinio probabilis est. Ego media incederem via, itaut si remaneret optimus, divideretur, si remaneret infimus, integer præstaretur.

Alternativa vota.

Quid si rem determinatam alicui determinatæ Ecclesiæ promisisti, & ex oblivione maneas omninò dubius cuinam ex duabus Ecclesijs promiseris? *Sanches lib. 4. c. 13. n. 18.* existimat posse voventem applicare rem illam cui duabus maluerit. Cum non sit maior ratio pro una quàm pro alia. *Palaus citatus n. 17.* credit in eo casu rem esse dividendam, ne vovens se exponat periculo tradendi rem integram illi Ecclesiæ, cui promissa nō fuit. Et hoc magis placet. Consentit benè uterque author, si a principio Ecclesia, cui res donanda est, determinata non fuit, relinqui arbitrio voventis, vel ipsius hæredis, determinationem.

Votum sub disjunctione.

419 Rogabis, qualiter obliget votum duplicis rei promissæ sub disjunctione? Si tempore voti aliqua ex partibus erat inepta, ut si quis vovisset disjunctivé dare eleemosynam, vel furari, rectè docet *Sanch. l. 4. c. 10. n. 17.* votum esse nullum, quia tunc electio dari nequit. Si tempore voti utraque materia apta erat, quia v. g. vovisti dare Ecclesiæ calicem, vel servum, & voto jam emisso, & nondum facta electione perijt calix, vel servus, dare teneris superstitem, si tua culpa perijt, vel fuisti in mora implendi. Si autem nec tua culpa perijt, nec fuisti in mora implendi, satisfacies si vel des superstitem, vel æstimationem illius, quæ perijt. Ita *Mol. tom. 2. d. 270. §. quando & Sanch. cit. c. 13. n. 25.* In votis personalibus, qualia essent voveo ingredi religionem, vel servire xenodochio, locus æstimationi non est.

Observabis cum citatis authoribus vota sæpe videri alternativa, cum sint conditionalia: v. g. si diceres *Voveo non fornicari, vel religionem ingredi,* esset votum conditionale pœnale, in hoc sensu, si fornicavero, voveo religionem. Idem est, si diceres,

res: *Voveo religionem ingredi post annum, aut post biennium.* Nam facit hunc sensũ: Ingrediar religionẽ si potuero, post annum: sin minus post bienniũ.

QUÆSTIO IV.

An cesset voti obligatio lapsu temporis, vel defectu causæ?

Tempus implendi votum.

420 EXaminandum priús est, quo tempore votum obliget? pro cujus explicatione adverte dupliciter votum emitti, 1. signando tempus ad ipsius impletionem, ut si quis voveat religionem ingredi tali die, vel intra annũ 2. nullum signando tempus, ut si religionem voveat nulla facta mentione temporis. Si diem certum designet, illo die tenetur implere, ita ut non teneatur talem diem prævenire, etiam si præsumat illo impediendum esse: secùs, si tempus habeat latitudinem, & credat in fine impedimentũ dandum. Tunc enim tenetur prævenire, & implere tempore apto. Quia obligatio toto illo tempore diffunditur.

Si votum emisit absque ulla temporis determinatione, tenetur mandare executioni quam primùm commodé. *Ita Valen. 2.2.d.6.q.6.p.4.q.3. Sanch. lib.4.c.14.n.5. Suar. lib.4. de voto c. 12. à n. 6. & Bonac. d. 4.q.2 p.5.§.1.* Ratio est, quia cum voti obligatio emanet à voventis promissione, & Dei acceptatione, ubi primúm utraq; datur, absque ulla dilatione votum obligat.

Dixi (quam primúm commodé possit) quia ex æquitate vovens præsumitur sic se voluisse obligare. Unde bené infertur esse rationabilem dilationẽ, ex qua speratur melior, & utilior voti executio: ut si qui vovit religionem, differat ingressum, ut confirmatus viribus, illius asperitates meliùs sustineat, vel imbutus litteris in ea meliùs serviat.

Dilatio in voto implendo.

Quanta veró dilatio sine causa sufficiat ad inducendum peccatum lethale, non est facile decidere. Missis varijs opinionibus: *Sanch. lib.4.c. 14. n.22.* recté docet notabilem ac lethalem esse dilationem sex mensium in voto religionis, vel servitij perpetui in xenodochio post nactam opportunitatem. Quia cedit in gravem diminutionem cultus divini. In reliquis votis ex dilatione non diminutis, credit *Palaus n.15.d.1. pun.13.n.7.* dilationem duorũ, vel triũ annorũ esse notabilẽ.

421. 1 Difficultas est an votum tempore designato non impletum obligare desinat? Pro resolutione notabis dupliciter adjici tempus voto. 1. in honorem ipsius temporis, ut si quis voveat jejunare in adventu 2. ut terminum rei implendæ, ne diutiùs protahatur: ut si quis voveat ingredi religionem intra annum, ea intentione vovet ne ultra annum differat.

Tempus adjectum obligationi.

Sit igitur resolutio: quando tempus adjicitur primo modo, peccatur voto tunc non impleto, voti tamen obligatio evanescit: quando adjicitur secundo modo, & peccatur voto tunc non impleto, & voti obligatio perseverat. Ita *Azor p. 1. lib. 11.c.15.q.11. Sanch. lib.4.cap.14.n.25. Suar. lib.4 de voto cap. 13. & Bonac. d.4.q.2.p.5.§.1.* Ratio est quia tempus in primo casu ponitur ad finiendam obligationem in secundo ad executionem excitandam; sed non finiendam.

Infertur 1. discrimen inter unum, & alterum votum: nam emissum in honorem temporis, anticipari nequit: secus illud cui tempus adjicitur, ut terminus. Infertur 2. voventem recitare corã aliqua imagine, vel certo loco, si voveat in honorem imaginis vel loci, & nequeat liberari à voto: secus, si non ex peculiari illorum affectu, sed ex affectu materiæ promissæ. Ita Sanch. citatus n.27. Quando autem intelligatur quis vovisse primo, vel secundo modo, desumetur ex natura rei promissæ, & temporis. In dubio an tempori habeatur honor, an idem ponantur pro termino, hoc secundum præsumetur atque adeo transibit obligatio ad aliud tempus.

Obligatio annexa tempori.

422 Observabis 1. designationem temporis, in quo specialis devotio est, apponi aliquando, ut initium obligationis habentis tractum successivum, & tunc eo tempore elapso cessabit obligatio voti, in quantum præterito illo tempore implenda erat: at obligabit pro tẽpore quod superest, si obligatio dividua sit: si autem individua, obligabit integré. Exemplum prioris partis est, si quis á die Annunciationis promisit se expiaturum crimina decima quaque die. Exemplum posterioris est, si quis promisit die B. Virginis se ingressurum religionem. *Sanch. cit n.31.*

Observabis 2. Si quis ex voto teneretur jejunare adventu, aut sextis ferijs hujus anni, & nõ impleret, obligationem ad Adventum, & sextas ferias anni sequentis non transire: secus de voto jejunandi sextis ferijs hujus mensis: trãsiret enim ad sextas ferias alterius mensis. *Sanch n.32.*

Tempus obligationis.

Observabis 3. Quando votum est perpetuum faciendi aliquid singulis diebus, vel hebdomadis, eo transacto tempore non trãsire obligationem, v.g. dandi eleemosynam semel quotidie determinato pauperi, potiùs pauperis quam temporis habetur ratio. In dubio an tempori habeatur honor, an idem ponatur pro termino, hoc secundũ præsumetur, atque adeo transibit obligatio ad aliud tempus. *Sanch. n.36.37.38.*

423 Observabis 4. Illum qui absque devotione temporis vovit jejunare integro anno, si jejunium interpolavit, satisfacere jejunando diebus deficientibus ad integri anni jejunium, nisi expressé voverit jejuniũ absque ulla interpolatione.

Promissionis tempus.

Observabis 5. Promittentem jejunare aliquo adventu, aut aliqua vigilia talis sancti, intelligi de proximè futuris. Ita enim de promissione humana decernitur *L. eum qui Kalendis ff. de verb. sign.* Observabis 6. Votorum obligationem, sicut & matrimonij, & professionis solemnis extingui morte. Unde si religiosus etiam sacerdos moriatur, & postea ad vitam revocetur, matrimonium inire potest. *Sanch. n.41.* Observabis 7. In omnibus casibus in quibus vovens factus est impotens ad voti impletionẽ sive culpabiliter, sive absque culpa, non teneri ad aliquam compensationẽ. Ita *Suar. lib.4. de voto cap.15.n.7.*

2 Difficultas est pro altera quæstionis parte, utrùm cesset voti obligatio ex cessatione causæ, & mutatione materiæ? Expedietur duplici regula. Prima sit: obligatio voti cessat cessante causa finali ob quam emissum est, non verò cessante causa impulsiva. Ita *Sanchez lib.4.c.2.n.42.& Suar. l.4.de voto c.18.n.3* Ratio est quia voti obligatio corruit ex præsumpta voventis intentione nolentis ab initio se obligare: illa autem præsumitur ex cessatione causæ finalis, non verò impulsivæ. Debet autem verificari causa finalis tempore quod voto exequendo vovens designavit, vel si nullum designavit, tempore quo votum obligare solet.

Finalis causæ cessatio in voto.

424 Infertur 1. si vovisti peregrinationē pro impetranda amici sanitate, & mortuus est, cessare obligationem. Idem est si vovisti dare quotidie eleemosynam Petro, & hic dives factus est. Infertur 2. quando causa finalis ita componitur ex duabus partialibus, ut qualibet deficiente non fieret votum, hujus obligationem cessare per defectum cujuslibet.

Illud est discrimen quādo causa finalis a principio fuit falsa, & quando vera, sed cessavit: quòd si a principio falsa fuit, votum ita nullum est, ut nunquam reviviscat: si autem fuit a principio vera, & postea cessavit, solū suspendatur obligatio, & postea adveniente eadem causa reviviscat. Quod secundum limitandum est, nisi cessatio finis diversum statum constituat.

Defectus causæ impulsivæ (ut benè docet *Sanch.c.2.n.51.*) & si non irritet votum, tamen præstat faciliorem dispensandi causam. Si dubitetur an vovens intenderit aliquod tanquam causam finalem an impulsivam: id ex voventis affectu judicandū est. Unde si extent pro utraque parte rationes probabiles, quæ opinionem generent, vovens sequi potest utramlibet: si detur dubium negativum, votum obligabit.

Impulsiva causa in voto.

2 Regula sit Illa mutatio rei promissæ, quæ ita notabilis est, ut rem censeatur constituere in alio diverso statu, voti obligationem cessare facit. Ita præter *Sanch.& Suar.* citatos. *Valen.2.2.d.6.q.6.p.4.& Bonac.d.4.q.2.p.7.§.1.* Ratio est, quia data illa notabili mutatione jam res promissa non censetur eadem; ergo impleri nequit quod promissum est.

Mutatio in re promissa.

Quando autem id eveniat, nullo alio certius statui potest quàm judicio prudentium. Quando fuerit dubium an sit talis mutatio, quæ rem in diverso statu constituat, pro voto standum est, dummodo non maneat dubia honestas rei promissæ: tunc enim non obligabit. Quia Deo nequit esse grata res, de cujus honestate dubitatur. *Sanch.cit.n.34.*

425 Infertur 1. cessare voti obligationem ob periculum vitæ, honoris, vel fortunarum, quod vovens ignoravit tempore quo vovit, & postea supervenit: & certe non voveret, si prævidisset. Infertur 2. eum qui tempore adolescentiæ vovit religionem, quando ita senex fit, ut sit viribus destitutus ad subeunda religionis onera, manere omninò liberum, etiam si antea sua culpa votum non impleverit.

Denique observabis illam rei promissæ mutationem vel esse perpetuam, vel ad tempus: item afficere quandoque totam materiam, quandoque partem. Si illa mutatio sit perpetua, votum extinguitur: si sit temporalis, pro eo solo tēpore suspenditur. Quando mutatio afficit partem materiæ, pro ea parte cessat votum, & non pro alia quam mutatio non afficit. Ita ex citatis *Palaus tr.15.d.1.p.20.n.6.*

QUÆSTIO V.

An, & quomodo possit voti obligatio a vovente transire, & ad quos?

Plané innotescet qualiter voti obligatio afficiat voventem, si exposuerimus, an & quomodó a vovente ad alios transeat: hoc autem præstabimus expedita triplici difficultate 1. difficultas est, an potens per se ipsum implere votum, possit implere per alium: & quando nequit per se ipsum, teneatur per alium? Supponimus vota esse triplicis generis: nam quædam sunt mere realia, nempe cum res Deo promittitur, & nihil spectās ad personam, ut eleemosyna: quædam mere personalia nempe cum Deo promittitur officium & opus personæ, v.g. jejunium, oratio: quædam mixta ex reali & personali, ut cū Deo promittitur res & labor, v.g peregrinatio, in qua labor & expensæ sunt.

Voti impletio per voventē.

Votum reale & personale.

426 Dico 1. quando votum est meré personale, si vovens nequeat per se ipsum implere, nec tenetur, nec potest implere per alium. Ita *Sanch.l.4.c.15.n.3.& Palaus tr.15.d.1.p.15.n.4.* Ratio est, quia tunc solum promittitur propria voventis actio. Idem procedit de voto mixto, quoad eam partem, qua personale est.

Personalis & realis voti impletio.

Dico 2. quando votum meré reale est, nequiens per se ipsum, tenetur implere per alium. Ita præter citatos, *Abul.in c.30.Numer.q.97. & Bonac. tom.2.d.4.q.2 p.5.§.3.* Ratio est, quia tunc præcipue res attenditur, v.g. danda pecunia, vel supellex, & parum refert, quód ab hoc, vel ab illo exhibeatur. Idem procedit in mixto, quoad eam partem, qua est. Unde deducitur, quamvis vovēs possit per se tale votum implere, posse etiam per alium.

Ad judicandum an votum sit reale, vel personale, v.g. si quis promittat recitare pro animabus Purgatorij, maximé attendi debet finis formalis, & intentio voventis: nam si præcipua intentio sit occurrere animarum necessitati, reale erit: si consulere sibi ad meritum acquirendum, personale erit. In dubio præsumendum est quod voti naturæ magis accedit. Ita *Sanch.n.9.qui n.11.* addit quando Sacerdos vovet aliqua sacra, nō satisfacere ijs, pro quibus stipendia accipit, vel sunt aliunde debita.

Observat 1.n.12. aliquot vota videri personalia, quæ impleri possunt per alium, & obligant instar realium: v.g. votum quod emittit Episcopus in sua consecratione visitandi limina Apostolorum

torum Petri & Pauli Romæ. Nam solet invisere per alium. Observat 2.n,13. aliquod votum videri reale, quod personale est, & non obligat ad implendum per alium: v.g. votum eundi in subsidium terræ sanctæ, & ferendi secum quinque pugnaturos. Nam si nequeat vovens ire, solum tenetur unum mittere & non plus.

Successores ad vota antecessoris. 427. 2 Difficultas est, an possit quis suo voto alium obligare, itaut a se ad alium talis voti obligatio transeat? Communis & vera resolutio est, quam defendit *Sanch.cit.n.14.15.* quâvis possit quis veram obligationem voti subire, dando alteri potestatem, ut suo nomine voveat, tamen voti obligationem ex religione ita esse affixam voventi, ut ad alium transire nequeat. Consentiunt *Suar.lib.4 de voto cap.9.a.n.2.& Layman lib.4. sum.tr.4.c.3.q.5.*

Infertur 1. vota quæ emittuntur ab aliquo populo, vel communitate de festo aut jejunio quotannis observando, & obligant etiam religiosos exemptos, non transire ad successores sub nomine votorum, sed tanquam legem a populo statutam, & in ratione cujusdam pacti, si ex proportionata & rationabili causa emittantur.

Filius ad vota parentis. Infertur 2. filium non teneri ad vota parentum nomine ipsius emissa, si cōsensum nō præstitit: nisi forte ex obedientia parentibus debita, si ipsi postea exequi jubeant. Qui cunque tamen præsens, tacens, & consentiens sive parentibus, sive externis ipsius nomine voventibus vera obligatione voti obstringitur. Si dubium sit an interne consenserit, vel ratificaverit, præsumēdum est non consensisse. Ita *Sanch.n.22. 23.24.*

Observat benè *Palaus tr.15.d.1 p.15.n. 6.* satisfieri voto reali posse, tametsi fini illius non satisfiat. v.g. promisisti per alium aliquas Missas, dedisti Sacerdoti stipendium, ut eas celebraret, ipse verò istipendio accepto omisit, tu sufficienter votum implevisti: quia tale votum nec fuit, nec esse potuit de sacris faciendis cum effectu, sed de illis fieri procurandis medio communiter usitato, qualis est contributio stipendij. Item vovisti mittere aliquem, ut tuo nomine inviseret limina Apostolorum, convenisti cum Titio, ut id præstaret, ipse verò sumptibus acceptis, omisit, tu liber manes ab obligatione. Quia quam tum est ex tua parte opus promissum fecisti.

Hæres ad vota defuncti. 428. 3 Difficultas est, an & quomodò voti obligatio ad hæredes transeat? Communis & vera regula est voti personalis obligationem cum persona ita extingui, ut non transeat ad hæredes, obligationem verò exequendi votum reale transire ad hæredem sive necessarium, sive voluntarium juxta heredidatis vires, salva hæredis legitima. Ita *Navarrus sum.cap.12.n.56. Less.lib.2. de just. c. 40.dub.10. Layman lib.4.tr.4.c.3.n.12. & 13. Suar. lib.4. de voto c.11.n.3.& Sanch.lib.4. cap.15.n.25.& 27.* ubi addit posse hæredem non necessarium gravari a defuncto, ut pro votis ipsius personalibus eleemosynam eroget.

Infertur 1. teneri hæredem per se vel per alios exequi vota realia defuncti, quanvis hic in testamento id non injunxerit: imó quanvis dixerit se nolle hæredem ad ea vota teneri. Quando defunctus promiserat ire ad bellum contra hostes fidei, hæres satisfacit mittendo alium cum solis expensis huic necessarijs. *Sanch.n.28.29.*

Infertur 2. quando vota sunt mixta, si pars realis & personalis expressæ sint, teneri hæredes ad solam realem: si sola personalis exprimatur, ad nihil teneri. Si votum fuit disjunctivum, cujus altera pars realis, altera personalis, hæres tenebitur ad solam realem: quia personalis mansit impossibilis.

Infertur 3. non teneri hæredem ad vota defuncti, si hæreditatem non adierit, quanvis promiserit ea implere spe adeundæ hæreditatis. Infertur 4. hæredem in tantum teneri ad vota implenda, in quantum vires hæreditatis sufficiunt; etiam si non fecerit inventarium, & quanvis sententia judicis damnet ad omnia integré implenda. Notant citati authores posse hæredem ad impletionem dictæ obligationis compelli etiam per censuras, & privationem hæreditatis, tametsi non promiserit.

429 Rogabis 1. an si monasterium fiat hæres voventis teneatur ad ipsius vota realia? Constat teneri, si fiat hæres morte voventis: si autem fiat hæres solemni voventis professione, communis sententia est manere de obligatum. Ita *Sanch. l.4.c.15.n.32.& Bonacina tom.2 disp.4.q 2.pun.5.§. 2.n.7.* Ratio est, quia omnia vota in professionē commutantur: & quanvis religiosus nollet commutari, a superiore irritari possunt. *Monasterium hæres ad vota.*

Limitant citati authores, nisi talia vota fuerint acceptata ab eo, in cujus utilitatē emissa fuerunt, quia tunc jus acquisivit. Sed hoc rectè intelligit Palaus tr.15.d.1.pun.16.n.7. si vota illa contineant promissionem etiam facta n homini: quia per hanc solam homo jus acquirit. Unde (addit Sanch.citat.n.33.) succedens in bona religiosi Societatis Jesv ad nihil tenebitur, si vel religiosus vota sæculi commutet in simplicia biennij, vel superior irritet.

Rogabis 2. qualiter hæres teneatur solvere vota defuncti? Respondeo cum *Sanch. n. 39. Layman l.4.tr.4.c.3.q.6.n.13.& Bonac cit.q.4. p.5.§. 2. n 16.* teneri solvere post debita justitiæ, & ante legata pia, præterquam funeris expensas. Ratio prioris partis est, quia Deus non acceptat oblata cum præjudicio juris quæsiti tertio. Ratio posterioris est, quia vota defunctum obstringunt, & non legata. *Hæredetas pro votis solvendis.*

Sed quid, si defunctus erat plurimis votis obstrictus, & hæreditas, vel pars illius non sufficit omnibus implendis? Sciendum est talia vota non esse solvenda ex toto hæreditatis corpore ita ut minuant legitimam ascendentium & descendētium: sed solum ex ea parte, de qua testator liberé disponere potest. Si igitur pars illa hæreditatis ex qua vota solvi deberent, non est sufficiens omnibus implendis, impleri debent integré quæ sunt de re meliori, omissis alijs.

Si dubitetur, utrûm ex illis sit melius, implēdum

Pa

dum est quod fuit prius emissum. Si autem dubitetur, quodnam fuerit priùs emissum, vel cõstet omnia simul fuisse emissa, hæres tenebitur pro rata dividere. Ita *Sanch. n. 41. & Bonac. d. 4. p. 5. §. 2. n. 14.* Quanvis *Palaus tr. 5. d. 1. p. 16. n. 12.* dicat in tali casu posse hæredem eligere, sicut poterat defunctus.

Vota implenda ab hærede. 430 Rogabis 3. an quilibet hæres, si plures sint, teneatur in solidum testatoris vota implere? Hanc dubitationem resolvens *Sanchez citatus n. 42.* optimé respondet 1. Si promissio sit omni respectu dividua, ut alicujus quantitatis dandæ, quilibet hæres tenetur solum ad partem pro rata hæreditatis, in quam successit. Respondet 2. si res promissa sit omni parte individua, quando scilicet promittitur aliquod factum, v.g. ædificatio Ecclesiæ, tenetur quibet hæres in solidum, alio nolente: Quod intelligitur quando factum ipsum promissum est: secùs si pecunia ordinata ad factum.

Respondet 3. Quando obligatio est natura sua dividua, individua autem effectu, ut dandi calicis, vel servi in genere, quilibet hæres tenetur pro parte, ita tamen ut si alij conveniri nequeant defectu probationum, teneatur in solidum. Si hæres dubitet, an testator voverit mille, an solum quingenta, tenetur solum ad quingenta: & quidē in dubio, solum ad id quod minus est. Si certus sit testatorem emisisse votum reale, & dubitet an impletum sit, tenetur implere.

Donatarius ad vota donantis. Rogabis 4. an donatarius & legatarius teneantur ad vota donantis, & legantis? Rectè docent *Sanch l. 4. c. 15. n. 34. Suar. l. 4. de voto c. 16. n. 10. & Bonac. d. 4. q. 2. p. 5. §. 2. n. 21.* non teneri donatarium, tametsi donans fiat impotens ad implenda vota. Quia non apparet radix ex qua talis obligatio pullulet.

Legatarius ad vota legantis. 431 Difficultas est an legatarius eodem modo quo donatarius, a tali onere sit exemptus? Rectè negant citati authores. Disparitas est; quia esto donans illicitè donaverit, tamen donatarius per traditionem & acceptionem dominium rei donatæ acquisivit. Non ita legatarius qui solum potest dominium comparare quando valida est promissio in testamento facta, & hæc valere nequit quando sit de materia voto contraria.

Posita resolutio est manifesta, quando res legata determinaté fuerat Deo promissa: quòd si determinata non fuerat in promissione, adbuc bene existimat *Palaus citatus n. 15.* legatum non subsistere, si vires hæreditatis non sufficiant votis implendis. Quia tunc ex defectu voluntatis in testatore legatum deficit. Si autem vires hæreditatis sufficiant, concedi debet legatario æstimatio rei legatæ, ut res eadem per votum promissa Deo reddatur.

QUÆSTIO VI.

Qualiter obliget votum religionis?

Religionis votū. EXpediendum imprimis est quando censeatur hujusmodi votum existere: & dubitari solet de hac formula, seu modo vovendi: *Voveo religionem, nisi Deus aliud de me disposuerit.* Hæc verba duplicem admittunt sensum; prior est: Voveo religionem, nisi Deus ratione morbi aut alicujus obstaculi ingressum religionis impedierit. Posterior est, voveo religionem, nisi Deus aliud meæ spirituali saluti expedientius disposuerius.

Unde cessabit obligatio, quavis harum causarum deficiente, nempe si adsit impedimentum, vel si judicetur aliud saluti voventis convenientius. Quando dubium fuerit impedimentum, vel quando dubitetur an aliquid sit expedientius saluti voventis? votum illud non obligabit. Quia veré conditionale est.

432 Quando quis vovit: *Promitto me ingressurū religionem, si possum.* si non constet de intentione, conditio illa (si possum) non intelligitur de potentia physica, nec de morali absoluta: sed de potentia commodé, & sine difficultate magna implendi v.g. si possum vincere affectum magnum erga divitias, vel meam ingentem propensionē ad venerea absque magna difficultate.

Quando sic vovit: *Promitto nullam personam fore mihi obstaculo, quominus religionem ingrediar.* Si aliunde non constet de intentione, sensus est, Non id omittam precibus alicujus ductus: quare voluntate omninò spontanea posset omittere. Si autem dixisset, *voveo nil fore impedimento*, excluderet omne obstaculum, & votum absolutum esset. Votum vitæ Eremiticæ & solitariæ non est votum religionis, validum tamen est, quanvis faciliori dispensationi obnoxium.

Votum volendi ingredi religionem & votum nolendi in seculo vivere, non sunt vota religionis. Priori autem satisfiet per unicam volitionem firmam ingrediendi religionem, quanvis postea ineatur matrimonium. Posteriori, nempe voto nolendi vivere in sæculo satisfiet non habendo positivum actum volendi in seculo manere, scilicet habendo se negativé, etiam inito matrimonio. Votum moriendi in religione est plané votum religionis: quia exequi nequit sine ingressu. Unde obligat intra tēpus, quo ingressus possibilis est, & religioni utilis. Hæc breviter decisa fusé traduntur a *Sanch. lib. 4. c. 16. n. 1 usque ad 10.*

433 De tempore, quo votum religionis obligat, ut impleri debeat, jam diximus quæst. 4. Modò ut innotescat quomodó obliget, 1. difficultas est, an voto religionis satisfiat ingrediendo quancunque religionem? Constat ex *c. tuas 10. de voto*, non satisfieri voto religionis assumptione Episcopatus, ut laté docent *Suar, tom. 3. de relig. l. 1. c. 19. a n. 9. Layman l. 4. sum. tract. 5. c. 6. q. ult. & Palaus tract. 16. d. 1. p. 6.* Deinde non satisfit tali voto assumpto habito equitum Calatravæ, Alcantaræ, D. Jacobi, D. Benedicti Christi vel etiam D. Joannis, quanvis hi sint veré religiosi. At satisfit per ingressum religionis clericorum militarium, vel canonicorum regularium in communi vivētium. Non satisfit per ingressum religionis plané collapsæ quoad substantialia: secus, si adhuc in ea vigeant substantialia, & si a pristino fervore deciderit. Nec valet, nec licet votum ingrediendi *Episcopatus ad votum religionis.*

reli-

religionẽ collapsam, & proximè nõ reformãdam quoad substantialia, quàvis ab Ecclesia toleretur.

An qui vovit determinatam religionem satisfaciat ingrediendo laxiorem? Rectè negant *Sanch.lib.4.c.16.n.18.& Layman l. 4 sum.tr.5.c. 6, n.7.* *Religionis strictioris votum.* Quia nemo valet authoritate propria votum commutare in rem inferiorem. Posset autem tale votum commutare in votum perseverandi in laxiori religione. Quia hoc nobilius est. Unde ut talis ingressu laxioris non peccet, sufficiet voluntas commutandi in perseverantiam in laxiori: aut si non perseveret, ingrediendi strictiorem.

Ex quibus deducitur voventem perseverantiam in religione strictiori, si ingrediatur laxiorẽ, peccare mortaliter donec profiteatur in eadem, & similiter per professionem peccare: hac tamen emissa manere liberum. Quia professio votum illud absorbet.

Hæc (inquit *Sanch.cit.n.22*) procedunt de religione laxiori, quæ communem in cœnobijs vitam transigit: quanvis enim professus in religione equitum S. Joannis maneat prorsus liber a priori voto, quia talis professio solemnis illud absorbet: at non satisfacit voto ingrediendi religionem commutando illud in hanc professionem, sicut nec commutando in votum castitatis perpetuæ. *Melitariũ professio.* Satisfacit voto ingrediendi determinatam religionem ingressu alterius æquè arctæ. Quod dictum est de religionibus, procedit de monasterijs ejusdem ordinis strictis & laxis.

434 Observant *Palaus citatus n.8. & Layman l. 4. tr.4.c.ult.* ligatũ voto strictioris religionis posse illud commutare in vota paupertatis, castitatis & obedientiæ, quæ in Societate Jesu emittuntur post biennium, itaut ab illo maneat omninò liber, etiam si a Societate ante professionẽ ejiciatur.

2 Difficultas est, ad quam diligentiam teneatur vovens religionem: & quando non admissus liber maneat? *Sanchez. lib.4.cap.16.a.n.28.* hanc difficultatem resolvit 1. Si quis voveat religionẽ indeterminatè, & postea eligat determinatam, in hanc non admissus, a voto liber non manet: secus esset, si talem determinatam, ob specialem ejus affectum voveret. *Diligentia pro implendo voto religionis.* Ratio est, quia non in primo, sed in secundo eventu redditur impossibilis executio voti.

Resolvit 2. Qui vovit æquè principaliter religionem, & talem religionem, non admissus in hanc, tenetur aliam ingredi. Quia votum illud est quasi duplex, alterum ingrediendi religionem vagè, alterum ingrediendi certam. Quid si dubitetur de intentione hujusmodi voventis? Si certus sit se peculiarem vovisse, & dubitet an voverit communem, præsumetur solam peculiarem vovisse: si dubitet, communemne an peculiarem voverit, standum erit significatiõne verborum externorum: si de his quoque dubitet, præsumetur religionem vagè promisisse.

Petitio religionis qualis. 435 Resolvit 3. votũ religionis obligat voventem ad faciendum quantum in se est, ut in religionem admittatur. Ratio est, quia talis obligatio utpote gravissima adstingere debet ad faciendam diligentiam humano modo possibilem. Unde qui vovit ingredi religionem intra mensem, non satisfacit petens ore tenus, & media alia persona significans se optare non admitti. Satisfaceret autem, si nullo modo exteriùs suum desiderium ostenderet, vel si ostenderet bona fide religiosis aversionem suam a religioso statu, proponens tamen pro viribus se enixurum illũ amplecti.

Laborans impedimento perpetuo admissionis in religionem, quod vovens non consideravit, vel postea incurrit, a voto liber omninò manet: secùs de impedimento temporali. Tamen non excusabitur, quanvis postea ex prudentium consiliò crederet religionem sibi non proficuam fore. Hæc *Sanch.usq; ad n.48.*

Ex dictis cum eodem infertur 1. delinquere contra votum ingrediendi religionem eum, qui crimen committit sciens illud ingressui religionis obstare: similiter qui sine causa ad splendidè vivendum, vel ludendum ære alieno gravatur. *Obstacula religionis ingressus.* Imò & si tali ære gravetur ex urgenti necessitate, quæ cessare possit per ingressum, ad quem tunc obligatur. n.40.

436 Infertur 2. eum qui vovit determinatam religionem, v.g. Dominicanam, seclusa speciali intentione, non teneri extra proprium regnum adire, ut admittatur. Imo si fæmina sit, non tenebitur extra propriam civitatem. Sufficiet autem ad exuendam obligationem, si vovẽs religionem determinatam, quinque aut sex monasteria adiens repellatur: vel si vovens indeterminatam quinque vel sex religiones diversas exploret, & in qualibet quinque vel sex monasteria, dummodò facta morali diligentia non sit moralis spes foreut alicubi recipiatur. n.47.

Aliquãdo sufficiet unicum monasterium promissæ determinatæ religionis adire, quando viri probi & docti illius judicant fore, ut a nullo illius ordinis monasterio admittatur. *Monasteria adeunda pro ingressu religionis vota.* Repulsa debet fieri ab habentibus legitimam potestatẽ admittendi, & causa repulsæ perpetuæ esse debet. Nec tenetur potens manifestare votum, & si sciret & manifestato se admittendum. Qui vovit religionem vagè, non tenetur ad strictissimas, scilicet Capuciam, vel Carthusiam, sicut nec ad eas in quibus in communi non vivitur, quales equitum. Quia illæ in generali voventis intentione non claduntur. *Sanch.a.n.49.usque ad 54.*

437 3 Difficultas est, an vovens religionẽ teneatur ingredi, si non admittatur nisi ut fit laicus, vel non nisi ut sit sacerdos? Constat standum esse voventis intentione, si quando vovit intentionem ad sacerdotium, vel statum laici limitavit: si autem non limitavit, sed solum cogitavit, sic distinguendum est: si tempore voti putavit se ad ordines promovendum, non tenetur ingredi ut fit laicus. *Excusatio ab implendo voto religionis.* Quia est notabilis mutatio. Si autem putabat se recipiendum, ut esset laicus, idque nolebat, tenetur ingredi ut sit sacerdos, quando aliter admitti nequeat: nisi difficillimum crederet vacare studijs, & necessarij ad sacerdotium.

Si nihil omninó cogitàvit de gradu, ad id tenebitur ad quod in religione aptior judicabitur. Ita *Azor p.1.lib.11.cap.22.q.4. Suar. tom.3.de relig. l.4.c.2.n.22. Bonacina d.4.q.1.p.5.§.6.n.6. & Sanch.cit.c.16.a.n.55.usque ad 58.* ubi addit si vovens præditus sit ijs dotibus, quibus spectatis ea in religione studia altiora habentibus conceduntur, & illi denegentur, non teneri talem religionem ingredi.

Spurius aliunde dotibus præditus, tamē dignitatum ordinis incapax, ubi viget constitutio Sixti V. qui vovit ignarus talis in capacitatis, nō tenetur ingredi. Idemque procedit de quocunq; vovente ignaro alicujus constitutionis, per quam redderetur dignitatum incapax. In hoc conveniunt *Sanch.n.59.& Palaus tr.16.d.1.p.3.n.17.* Quia valde defficile est obligari eam ignominiam perpetuó sustinere.

4 Difficultas est, an si petatur a vovente, ut priûs addiscat grammaticam, vel aliam scientiam, nec aliter admittatur, teneatur addiscere? Dico 1. si ille quando vovit putavit se ad sacerdotium promovendum, & talem scientiam postulari in ijs, qui volunt ingredi religionem, & facultates suppetant, tenetur illam addiscere. Ita *Azor lib. 11.p.1.c.22.q.4. Sanch.lib.4.cap.16.n.61. Suar.tom.3 de relig.l.4.c.2.n 21.& Bonac.disp.4.q.2.pun.5.§.6 n.12.* Pater, quia talis scientia est medium moraliter necessarium ad finem promissum.

Difficultas excusans ingressum religionis.

438 Dico 2. si quando vovit non putavit necessaaiam esse grammaticam, vel putavit esse addiscendam in religione, non tenetur. Quia tunc supervenit notabilis mutatio. Dico 3. si ille volvit se obligare acceptando quencunque statum, tenetur ac si putaret ad sacerdotium promovendū. Si nibil de statu cogitavit, judicandum est juxta ipsius aptitudinem, ut si utrique statui aptus sit, neque ejus conditio unum potiûs quám alium postulet, teneatur admittere, quem religio concesserit. Ita cum citatis *Palaus n.16.*

Quid si promisisti sub gradu laicorum, nec admittaris nisi addiscas prius aliquod mechanicū officium Bené respondet Sanch.n.68. quæ diximus de vovente ut sit sacerdos, procedere proportionaliter de vovente ut sit laicus. Unde si cū votum emisit (resolvit *Palaus n.15.*) sciebat illud officium esse necessarium, tenetur discere. Quia id promisit tacité: si ignorabat, & officium sit scitu difficile, excusatur. Ita *Suar.cit.l.4 c.2.in fine.*

5 Difficultas est, an semel repulsus in perpetuum a religione petita, teneatur voto, si religiosi postea eum velint admittere? Bené respondet affirmativé *Sanch.lib.4.de voto.c.16.n.71.& 72.* dūmodò res adhuc maneant in eodem statu. Ratio est, quia per illam repulsam non irritatur votum, sed suspenditur: & voluntas religiosorum admittentium solum est conditio, sicut voluntas sacerdotis volentis celebrare sacrum, solum est conditio, ut alter teneatur audire. Unde quamvis antea noluerit celebrare, si postea velit, tenebitur alter audire, si tunc possit.

QUÆSTIO VII.

Qualiter votum religionis obliget ad perseverentiam: & qui ab eo emittendo repellantur?

Perseverantia ad quam tenetur qui vovit religionem.

439 Circa primam quæstionis partē, cōstat minimé satisfacere voto ingrediendi religionem eum qui ingreditur mala fide, & sine animo experiendæ religionis, sed firmo animo exeundi. Satisfaciet autem, si post ingressum mutet pravum illum animum, etiam si deinde ex causa justa exeat. Votum ingrediendi religionē & statim exeundi, irritum est, quando animus exeundi comprehenditur sub voto: secûs quando votum concomitatur. Sicut si quis emitteret votum audiendi sacrum cum pravo animo videndi fæminam.

1 Difficultas est ad quam perseverantiam obliget votum religionis? Constat si vovens intēdit se obligare ad ingrediendum cū libertate novitijs concessa, satisfacere, si ingrediatur bona fide causa experiendi, & si postea absque causa justa egrediatur, ob id tantum quód sibi grata non fuerit. Ita *Navarr.l.3.consil.tit. de voto cons.2.n.1. Azor p.1.l.11.c.22.q.6.& Bonac.disp.4.q.2.p.5.§.6. n.22.*

Egressus a religione.

Si autē vovit ingressum religionis nihil prorsus de libertate exeundi determinando, ut voto satisfaciat exiens, debet intervenire causa justa exeundi. Nam materia talis voti est id quod communiter intendunt ingredientes, scilicet, perseverare, si omnia grata inveniant. Unde tali voto ligatus peccat lethaliter deserens religionem, etiam ex honesto fine, si eam sibi commodam & facilem expertus est: secus, si graviter incōmodam & difficilem. Ita *Sanch.n.93.& Suar.c.3.n.11.*

Perseverantiæ obligatio in voto religionis.

440 Infertur 1. eum qui vovit religionem indeterminaté, voto satisfacere, si bona fide unam ingressus est, a qua justa causa recessit: atque a deo non teneri ingredi aliam, cujus onera ferre valeat. Idem procedit, si determinatam vovit, & votum legitimè fuit commutatum in ingressum alterius, si in hanc nō admittatur, vel ab ea ex causa justa exeat. Tunc enim manebit de obligatus omninò.

Idem dicendum, si votum religionis laxioris propria authoritate commutavit in ingressum strictioris, & ab ea justa causa exiret. Quæ intelliguntur, si ille cujus votum commutatum est, capax erat religionis in quam commutatio facta fuit. *Sanch. a.n.93.usque ad 97.*

Qui post votum strictioris religionis aut immemor, aut memor bona fide emisit votum laxioris, aut serviendi in xenodochio, si astrictiori petita repulsam patiatur, aut admissus postea ex causa justa exeat, tenebitur ad vota posteriora. Idem *n 98.*

Causa justa egrediendi a religione.

Rogabis quænam censeatur causa justa egrediendi a religione? Causa justa egrediendi saltem medioris esse debet, & talis, qualis sufficeret ne argueretur levitatis egrediens absque voto, v.g. anxietas & tristitia de statu religioso durans saltem per mensem: & si experiatur indies minorē fortitudinem ad perseverandum, & timeat ne lapsu temporis deficiat.

Erit similiter causa justa, si videat religiosos illos communiter incauté vivere, ipsumque provocare vel ad rixam, vel ad impudicitiam: vel si experiatur tempore morbi male prospici infirmis: vel pro delictis gravissimas injungi pœnitentias, & timeat fore ut sibi injunctas ferre nequeat. Idem *n.*101. *&* 102.

Parentũ necessitas.

441 Infertur 2. non quencunque morbum præbere causam justam egrediendi, sed vel perpetuum, vel ita frequentem, ut quis timeat fore ut sit onerosus religioni n.103. Infertur 3. esse causam justam parentum, vel sororum necessitatem alicujus momẽti, cui egrediens subvenire possit. Si dubitetur de causa, non satisfaciet voto egrediens. Quanvis causa justa postea cesset, egrediens non tenetur iterum ingredi. Quod limitatur, nisi votum sit perseverandi, aut expellatur defectu conditionis requisitæ juxta religionis statuta. *n.* 104.105.

Quid si culpa sua & religione expellatur? Si nullam adhibuit diligentiam ad vitandas culpas, ob quas expellitur, voto non satisfacit: secus, si mediocrem diligentiam adhibuit. *Sanch.cit. n.* 108. Qui in religionem admissus est eo solo fine ut religionis voto liberetur, voto non satisfacit, etiam sine culpa sua expulsus. n.109.

Perseverãtia in religione votum.

2 Difficultas est, an vovens non solum se religionem ingressurum, sed etiam in ea perseveraturum, teneatur ita perseverare, ut sibi non liceat ex causis justis egredi? Negant *Sotus l.7. de just.q.*2. *a.*1. *ad* 3. *Petrus de Ledesma tom.*2. *su u. tr.*10. *c.*3. *dub.* 7. *Sa v. votũ n.*13. & dicunt probabilem *Suar. & Lessius* statim citandi.

Affirmandum tamen est cum *Sanch.l.*4. *c.*16. *n.* 81. *Suario tom.*3. *de relig.l.*4. *c.*4. *a.n.*2. *& Layman l.* 4. *Theol.tract.*5. *c.*6. *n.*13. Ratio est, quia votum illud perseverandi in religione est de professione facienda superatis omnibus difficultatibus majus bonum non impedientibus. Qui autem sic vovit perseverantiam, cessit jure suo ad egrediendum anno novitiatus.

442 Hanc sententiam rectè limitans intelligit *Palaus tr.*16. *d.*1. *p.*4. *n.*7. dummodò religio illa non sit ita difficilis, ut talis difficultas periculũ peccandi, vel impediendi maius bonum inducat. Si autem (inquit *Sanch.n.* 82.) superveniat notabilis difficultas, quam tempore voti invincibiliter ignorabat vovens, licité egredi potest: & si ea cessante ingredi teneatur.

Qui vovit disjunctivé perseverantiam in religione, aut servire in xenodochio, quanvis ingrediatur religionem animo implendi, adhuc potest egredi, & eligere xenodochium. Quia incipere partem exequi non est perfecta electio. Votum religionis cum proposito perseverandi non obligat ad perseverantiam, nisi id propositum claudatur in voto. In dubio an claudatur? non obligat. Qui promisit ingressum, & postea in novitiatu perseverantiam, si egrediatur, unicũ peccatum committit: quod sufficienter fatebitur dicens se votum religionis violasse *Sanch.a.n.*84.

3 Difficultas est, an qui religionem vovit, & præmissa sufficienti diligentia in nullam admissus, vel ab ea in perpetuum expulsus est, teneatur ad aliquid faciendum in seculo? Vera est negativa sententia. Patet, quia prædictus votum sufficienter implevit: illud enim habet tacitam conditionem, si vovens admissus fuerit. Si tamen ille castitatem & religionem æquè principaliter vovit, tenetur ad castitatem in sæculo servandam, & si a voto religionis liberetur: si autem principaliter vovit religionem, & accessoriè castitatem faciliùs in ea servandam, liberatus a voto religionis, liberatur a voto castitatis. Ita *Sanch.n.*113.

Votũ religionis in dubio.

443 In dubio standum erit verbis prolatis: & quando constet religionem fuisse expressam, nõ verò castitatem, ad hanc non dabitur obligatio: similiter quanvis meminerit intendisse se obligare ad castitatem, & dubitet an dependenter a religione. n.114.

Qui in seculo cuidam Priori vovit castitatem paupertatem, & obedientiam, ut religionis privilegijs frueretur, ad hæc tenebitur, non verò ad ingressum religionis. Qui vovit servare domi suæ regulam alicujus religionis, tenebitur eam servare, & obedire prælato illius, ut regula præscribit: non autem Episcopo. n.116.

Circa alteram quæstionis partem de illis qui removentur a voto religionis, seu impediuntur illud emittere, supersunt dubia quædam expedienda. 1. dubium est, an & qualiter sponsi & conjuges impediantur a voto religionis, & ipsius ingressu? Constat apud *Suar. tom.*3. *relig.l.* 4. *c.* 5. votũ religionis semel emissum obligare ne quis sponsalia contrahat, & ipso facto irritare contrahenda: secùs de matrimonio: hoc enim impedit ne licité contrahatur, esto validé contrahi possit.

Sponsi & conjugati ad votum & ingressum religionis.

Si loquamur de ijs qui jam sponsalia, vel matrimonium inierunt, in ordine ad ingrediendum & vovendum religionem, certa resolutio est nõ impediri ante quam matrimonium ineant, & consumment: matrimonio autem consummato impediuntur, nisi adsit causa perpetui divortij, vel unus alteri licentiam concedat. Ita sumunt communiter authores ex *c. quidã, c. placet, c. ex parte c. veniens, de conversione cõjugat.* Videatur de hoc laté *Sanch.l.*7. *Matr. disp.*37.

Episcopus ad ingressum religionis.

444. 2 Dubium est, an Episcopi & parochi impediantur a voto & ingressu religionis? Posse parochum etiam contradicente Episcopo religionem ingredi, & consequenter vovere, aparté decidatur *c. duæ* 19. *q.*2. An teneatur petere ab Episcopo facultatem? Affirmat *Azor l.*11. *p.* 1. *c.*16. *q.* 3. rectiùs negat *Suar. tom.*3. *de relig. l.* 5. *c.* 4. *n.*14. Episcopum veró non posse absque licentia Sum. Pontificis religionem ingredi, sumitur ex *cap. nisi cum pridem de renunciat.* Ubi ob solam illam causam non permittitur Episcopo renunciare Episcopatui. Hoc tamen rectè intelligit *Suar. cit. l.*1. *c.*20. *n.* 7. quando nullus alius de facili adesset, qui æqué bené populo provideret. Cum veró frequenter cõtingat plures reperiri qui æquè bené, imó meliùs ecclesiam regant, licentia illa prudenter conceditur, & executioni datur.

Du-

Debi is obstaculum ad ingressum religionis. 3 Dubium est, an impediatur ab ingressu religionis, & executione voti qui multo ære alieno gravatus est? Quidquid sit de jure antiquo, de quo, late Sanch. l. 4. c. 19. n. 1. usque 20. Sixtus V. proprium motum edidit anno 1587. quo fecit ad profitendum inhabiles, ita ut professio nō valeret, eos qui fuerint ingenti ære alieno supra vires suarum facultatum gravati, vel reddendis rationibus sive publicis, sive privatis obnoxij ut ex hac causa lis aut molestia inferri timeatur.

445 Clemens 8. hunc motum temperavit, ut valeret professio, at reliquit in suo vigore quoad illicitam receptionem, & pœnas recipientiū. Ita *Sanch. cit. n. 21. & 29.* Ex quo infertur dicto motu nec comprehendi moniales, nec commendatarios equites, nec debitores, quorum bona solvendo sufficiunt: vel si non sufficiunt, nulla datur spes fore ut manentes in sæculo sint solvendo: vel quando creditores consentiunt: nec eos qui ex sola promissione liberali debitores sunt. Vide præter citatum *Sanch. a. n. 21. Palaum tr. 16. d. 1. pun. 7. § 4.*

Rogabis, an promittens homini absque juramento, vel cum illo se facturum aliquid in ejus utilitatem, possit eo non impleto, religionem ingredi? Bené respondet affirmativè *Sanch. n. 31.* Quia sicut sponsalibus juratis inest tacita conditio, nisi transitus ad religionem placuerit, sic reliquis promissionibus. Quod procedit de promoto ad sacros ordines. Unde nec religiosus, nec monasterium tenetur ad reparanda damna quæ secuta fuerunt ex ingressu religionis non servata promissione. Si autem ille tempore novitiatus exeat, tenebitur servare fidem: secus si post professionem, aut post vota biennij Societatis JESU expellatur. Semper tamen prædictus ante religionis ingressum tenebitur solvere pretium pro illo obsequio promissionis receptum, vel ejus æstimationem, si solvendo sit. Valeret pactum, si quis excluderet per illud transitum ad religionē, nō impleta priùs obligatione. Ex *Sanch. usq; ad 38.*

Parentū necessitas impedit filios ingredi religionem. 446. 4 Dubium est qualiter impediat votū & ingressum religionis necessitas parentum & consanguineorum? Communis & vera sententia est filijs etiam religionis voto ligatis non esse integrum religionem ingredi, quando parentes urgentur gravi necessitate, & spes probabilis datur foreut ipsi filij manentes in seculo subvenire valeant, nec sit alius qui subveniat. Ita *Sà v. religion. n. 2. Azor p. 1. l. 12. pag. 1. q. 8. Sanch. l. 4. c. 20. n. 3. Suar. tom 3. de rel. l. 5. c. 5. n. 11. Lessius lib. 2. c. 41. n. 54. & Layman. l. 4. tr. 5. c. 6. n. 2.* Probatur, quia nefas est omittere præcepta propter consilia: at præceptū naturale divinum est subveniendi parentibus, cōsilium autem ingrediendi religionem.

In duplici casu (inquit *Sanch. cit. n. 11. & 12.*) licitū est filio religionem ingredi neglecta parentum necessitate. 1. quando filius nequiret vivere in seculo absque periculo & occasione proxima incidendi in mortale. 2. quando parentes filium ita ad peccandum provocarent, ut ipse sibi lapsū probabilissimé timeret. In dubio necessitatis obligabit votum: & data pro utraque parte probabilitate, dabitur electio. Si neglecta parentum necessitate filius profitetur, lethaliter peccabit, at valebit professio. Quando teneatur egredi, tractat a n. 14.

Quid dicendum sit de voventibus religionē quando adest necessitas subveniendi fratribus & sororibus, resolvit a n. 29. Quòd non liceat parētibus etiam voto religionis ligatis ingredi religionem non providendo priùs filijs in magna necessitate existētibus, bené tractat & decidit a n. 34.

QUÆSTIO VIII.

Qualiter obliget votum conditionale?

447 Votum conditionale idem est atque sub conditione emissum, & tunc datur, quando consensus non est statim perfectus, sed pendet ex futuro eventu posito sub conditione: nec res promissa ponitur ut odiosa, & ut supplicium alicujus rei. Prior hujus definitionis pars excludit votum absolutum, posterior excludit pœnale. Conditio interdum est affirmativa, qualis hæc (si Deus mihi contulerit sanitatem) interdum est negativa, qualis hæc (Si vindictam non sumpsero.) Illud notari debet aliquando emitti votum sub conditione multiplici, ut quando quis vovet eleemosynam si obtinuerit beneficium, & frater suus ex morbo convaluerit. *Conditionale votū quid.*

Conditionalis voti incipiens obligatio. 1 Difficultas est quando censeatur impleta conditio, ut incipiat votū obligare? Dico 1. quando conditio honesta & possibilis est, & in præteritum aut præsens tempus confertur, non suspendit voti valorem & obligationem, nec illud reddit conditionale. Ratio est, quia si conditio jam existit, vel extitit, statim votum obligat: secùs votum irritum evasit. Idem est si apponitur conditio per naturam necessaria, etiam si sit temporis futuri: nam statim obligat: ut si dicas, (*voveo religionem, si sol cras orietur*) Hoc tamen intelligitur, quando tempus adjicitur conditioni, & non rei promissæ. Si enim adjicitur rei promissæ non obligat, nisi post tempus impletum: ut si dicas: *Voveo religionem quando abhinc tribus annis sol orietur, vel quando pater moriatur.*

448 Dico 2. conditio honesta & contingens futuri temporis suspendit votum, & reddit veré conditionale: quod proinde non obligat donec conditio ponatur. Ita *Sanch l. 4. c. 23. n. 6.* & probat ex *c. super eo de condit. appos.* Qui bené notat conditionem debere adjici in ipso voventis actu, & non post ipsum perfectum.

Quando votum emittitur sub conditione impossibili, sive ejus impossibilitas sciatur, sive ignoretur a vovente, irritum est ex defectu intentionis. Quia non vult obligari vovens nisi conditione existente. Idem procedit de voto, cujus cōditio turpis est contra ipsius voti substantiam, vel si non contra substantiam, est in futurū. Nec obstat conditiones impossibiles excludi a matrimonio. Quia hoc jure positivo in matrimonio, & non in voto dispositum est.

Religionis votū conditionale. Hoc votum: (*Voveo religionem si patri meo modò pla-*

placet, vel placuit) statim obligat, si conditio illa de præsenti, vel præterito impleta est, quanvis a vovente ignoretur: & quanvis patri solum virtute placuisset. Si autem conditio sit de præterito, & aliquando placuit, aliquando displicuit, posteriori voluntate standum est. Si conditio fuit de futuro v.g. (*Si patri placuerit*) ubi primum pater interrogatus consentiat, vel saltem taceat, votum obligabit: secus, si primò dissensit, quanvis postea consentiat. *Sanch. cit. n. 13. & 14.*

449 Quid si pater tempore voti objerat? Irritum est votum, sive de futuro, sive de præsenti fuerit conditio, ut pote impossibilis. Si conditio erat de præterito, & constat patri placuisse, obligabit votum: secus si non constat. Si vovētis intētio fuit nō molestare patrē, obligabit. Num. 14.

Quando quis dicat (*Voveo religionem, si voluero*) votum nullum est, nisi conditio sit de arbitrio prudenti, ut si judicavero mihi expedire. N. 16. Quando quis vovet aliquid, si Petrus det Paulo centum, & Petrus offerat, Paulus autem accipere renuat, votum non obligabit ex defectu conditionis. Ita *Sanch. n. 18.*

Copulativum & disjunctivũ votum. Dico 3. Quando votum emittitur sub pluribus conditionibus: si dependenter ab omnibus, quacunque deficiente, obligatio voti deficiet: si dependenter divisive, obligabit votum, quacunque eveniente. Nam tota obligatio voti nascitur ex voventis intentione. Si dubium sit quonam ex dictis modis voverit, omnium conditionum eventus requiretur. Unde si aliqua conditio sit impossibilis, votum obligare nequit, nisi disjunctivè emittatur. Quod si altera conditio sit mala & indifferens, nec intendatur obtineri a Deo, valebit votum etiam copulativum utraque eveniente. *Sanh. cit. n. 22.*

Conditio impleta æquipollenter. 2 Difficultas est an sufficiat ad voti conditionalis valorem quód cōditio impleatur æquipollenter quoad effectum a vovente intentum? Negat *Palaus tract. 16. d. 1. pun. 17. n. 4.* Quia conditio induit formam, & conditionem in forma specifica esse implendam satis constat ex *l. qui hered. §. 1. & l. Mævius ff. de condit. & demonstr.* De quo laté *Menoch. de præsum. l. 4. præs. 185. a. n. 6.*

450 Affirmandum tamen est cum Sanch. c. 23. n. 27. Et satis probatur ex *l. servis C. de legat. 3.* ubi decernitur fidei commissum legatum servo sub conditione, si ex testamento libertatem consequatur, valere quanvis aliunde illam consequatur, quia habetur idem effectus & impletur conditio æquivalenter. Sic igitur quando quis voveat religionem, si soror, vel quando soror nubat, ductus ne illam deserat expositam animæ & corporis periculo, censebitur ea conditio impleta, & obligabit votum, si soror objerit: secús si aliũ effectum intendit. In dubio an conditio sit impleta æquipollenter quoad effectum, non obligabit.

Inhabilē se reddens, ad voti executionem. 3 Difficultas est, an qui vovit conditionaliter, possit se reddere inhabilem ad executionē, eveniente conditione? Benè respondent *Sanch. l. 4. c. 23. n. 28. & Bonacina disp. 4. q. 2 p. 2. n. 5.* si conditio pendeat a libera voluntate voventis, posse reddere se inhabilem assumendo statum incompatibilem, secus si conditio pēdeat a voluntate.

Ratio primæ partis est, quia talis conditio, cū pendeat a voluntate voventis, ipsius volūtati remittitur. Unde vovens religionem, si lusērit hoc anno, potest statim nubere, se reddens incapacem religionis, quin expectet conditionis eventū. Ratio secundæ partis est quia vanè & inutiliter quis ab aliena voluntate subiret obligationem, si pro libito posset illum eludere, reddens se impotentē, ut obligari posset. Quod intelligitur, nisi vovens esset certus moraliter nō posse impleri conditionem. In dubio an conditio sit impleta, obligat votum, utpote possidens.

451. 4 Difficultas est, an & qualiter peccet contra votum qui conditionem, sub qua obligaretur, impedivit? Constat nullum esse peccatū, quando conditio a propria voluntate voventis pendet, & nulla lege præcipitur, vel contrarium præcipitur. Si autem pendeat ab alterius voluntate, & lege prohibeatur v.g. si quis voveat religionem, si filius suus fornicationem committat, non poterit talis conditionis implementū procurare, sed tenebitur impedire. *Impedire conditionem.*

Solum est dubium, quando conditio pendet ab aliena voluntate, & non prohibetur? Rectè docent *Sanch. l. 4. c. 23. n. 45. Suar. 2. de relig. l. 4. de voto. 17. n. 16. Bonac. d. 4. q. 2. n. 5. & Layman l. 4. tr. 4. c. 6. q. 1. concl. 2.* contra votum peccare qui talem conditionem impedit. Probatur, quia taliter vovens remittit sui voti obligationem in alterius voluntatem; ergo ex eodem voto tenetur illam non impedire.

Unde si quis voveret religionem sub conditione paternı consensus, & deinde procuraret dolo aut vi ne pater consentiret, & sic impediret consensum, peccaret contra votum: secus, si solis precibus, & veris rationibus id procuraret. Quid de vovente religionem, si integram sanitatem recuperet, quando utitur cibis noxijs, & non apponit media necessaria ad recuperandum? Rectè docent citati authores peccare contra votum, si id faciat animo subterfugiendi obligationem voti: secus, si ex sola passione.

452. 5 Difficultas est, utrùm quando per voventem conditionaliter stat quominùs conditio impleatur, teneatur perinde voto, ac si conditio impleta esset? Certum est 1. quoties conditio apponitur voto, sub ea ratione, sub qua a libertate voventis dependet, ut (si religiosus fuero, ero Carthusianus) nec peccare, nec voto teneri, si data opera impediat cōditionē ne voto ligetur. *Conditio impedita pro impleta.*

Certum est 2. quando cōditio ejus naturæ est, ut apponatur quasi licité impedienda, nec peccare, nec teneri voto voventem, si eam impediat. Unde si conditio fuerit peccandi, v. g. voveo religionem, si fornicatus fuero) tenebitur vovens impedire.

Certum est 3. extra prædictos casus impedientē consulto conditionis evētum, ne teneatur voto, peccare mortaliter contra votum. Nam pro-

 mittens

mittens v.g. centũ Titio, si sibi opem tulerit, duplex votũ censetur emittere, alterum dandi cētũ, & alterũ permittendi opem, aut dãdi illa centũ.

Sola est dubitatio, an tunc voto teneatur perinde ac si conditio impleta esset? Benè respondet affirmativè *Sanch. cit. l. 4. c. 23. n. 47.* tum ex *l. in executione § fin. ff. de verb. oblig.* tũ ex ratione: quia præsumitur virtualis intentio voventis ea esse, obligandi se ad votũ, nisi conditio ob alias causas defecerit: quando igitur per alias causas non stat, impletur in vero & formali sensu a vovente intento, quanvis in materiali deficiat. Quod procedit, quanvis nõ in voti fraudem, sed ex gravi sua negligentia cõditionis eventũ impediat: v.g. quãdo promisit religionem, si pater ex morbo ad sanitatem redierit, & non vocavit medicum, nec adhibuit medicinas necessarias, quales adhiberet voto non emisso. Vide quid contra sentiat *Palaus tr. 16. d. 1. p. 17. a. n. 11. cũ Suario. & Layman.*

453 Infertur 1. eum qui vovit aliquid, si Deus ipsũ præservaret a tali peccato, teneri voto, quãdo quasi dominium in se expertus fuerit tentationis, vel quando data opera tentationi succũbat, ut effugiat voti obligationē: secùs si ex quacũq; negligentia succubuerit. Infertur 2. voventē aliquid si quispiã id cõsuluerit, aut voluerit, nõ posse ab eo petere ne id cõsulat, aut ne id velit. Quod si petat, tenebitur voto, etiam in dubio an cõditio impleretur. Similiter si oppositum consulturum, aut voliturũ deciperet: dũ suam petitionē nõ revocet, vel dolũ nõ tollat. Ita *Sanch. citatus a. n. 49. usq; ad 56* Vide *Dianam parte 9. tract. 8. res. 4.*

QUÆSTIO IX.

Qualiter obliget votum pœnale?

Pœnale votum quid. POenale votũ datur, cum quis aliquid vovet certa statuta sibi pœna, si illud nõ servaverit: & quidem vovet pœnam delicti, si in illud inciderit, ut timore oneris subeũdi sibi caveat. Unde datur, teste *Sanch. l. 4. c. 22. n. 1.* quãdo affectus voventis nõ fertur directè in rem promissam, sed illam sibi in pœnam proponit, ut arceatur a crimine quod vitare cupit: ut si voveat non lusurũ sub pœna ingressus in religionem.

Hoc autē votũ (ut notat *Lessius l. 2. c. 40. n. 30.*) dupliciter fieri potest. 1. si quis solũ voveat pœnã delicti, nõ autē evitationem, ut si dicat: *Voveo ingressũ religionis, si lusero.* 2. si utrũq; voveat, scilicet pœnam delicti & evitationem, ut si dicat, (*Voveo amplius nõ lusurũ, & si lusero, ingredi religionē.*) hoc autem est duplex votũ, alterũ absolutũ nõ ludendi, alterũ cõditionale ingrediēdi religionē, si luserit.

Pœna in voto. 454 Illud observabis, quãdo materia principalis voti verè pœnalis est inepta, quia v.g. mala, impossibilis, vel indifferens, votũ etiam de pœna imposita nõ obligare. Nam pœna quid accessor. si est. Quod procedit quãvis votũ esset solius pœnæ, & non rei principaliter intētæ, casu quo pœnale est. Deinde votũ pœnale utrovis modo emissum ita dependet a materia principali ut quãvis ea a principio esset apta, & sic votũ pœnæ obligaret, tamen cesset pœnæ obligatio cessante materiæ honestate.

1 Difficultas est, an emittēti votũ pœnale castitatis, religionis, vel nõ nubendi, aut assumēdi sacri ordinis, liceat nubere antequam pœnã incurrat? Rectè affirmat *Sãch. l. 4. c. 22. n. 11.* sive votum fuerit ad tēpus, sive perpetuũ, v.g. subconditione nõ ludendi. Ratio est, nam cõditio sub qua pœna promittitur, pēdet ex vovētis libertate: & nõ omne votũ cõditionale obligat ad expectãdũ cõditionis eventũ vel defectu, nisi quãdo conditio ex libertate vovētis nõ pēdet. At si prædictus nubat ante pænã in curiam, tenebitur ea in cursa ad votũ, perinde ac si a principio absolutum fuisset.

2 Difficultas est, an quando voti pænalis trãsgressio vacat culpa ratione oblivionis ipsius voti, aut ex alia causa, obliget pœna? Rectè negãt *Sãches cit. c. 22. n. 18. Layman l. 4. tr. 4. c. 5. corol. 3. & Palaus tr. 16. d. 1. p. 18. n. 3.* Probãt, quia pœna, quæ nõ est propria delicti, neq; per se delicto annexa, cõtrahi nequit quin saltē cognoscatur lex per quam lata fuit: pœna enim nõ incurrũtur ab ignorante jus novum. *Pœna ovio in voto pœnali.*

Addunt tamē *Sãch. & Layman ibid.* te esse obligatũ pœnã sustinere, si admodũ gravis nõ sit, si voti recorderis, esto pœnæ oblivisçaris. Quia sufficit ad incurrendam pænã cognitio solius legis moderatam pœnam imponētis. Illis tamē contradit Palaus cit. n. 3.

455. 3 Difficultas est utrũm votũ pœnale obliget ad penã sola prima vice, an toties quoties datur trãsgressio? Solũ obligare prima vice tradit *Sà v. votũ n. 26.* etiam in voto de vitando ludo sub pœna moderata. Cui subscribit *Laymã l. 4. tr. 4. c. 5. con. 2.* quãdo solũ est votũ de subeũda pœna in casu ludi, sed nõ est votũ de ludo vitando. *Obligatio voti pœnalis.*

Meliùs *Sãch. l. 4. c. 22. a n. 21.* respõdet 1. obligare ad pœnã toties quoties, si pœna sit medioctis, ut certa eleemosyna moderata, si ludatur. Nam qui vovet absolute se non lusurũ, nõ pro sola prima vice se obligare intēdit; ergo pœnã subibit, quoties luserit. Respõdet 2. solũ obligare pro prima vice, quãdo pœna est gravissima, & quæ iterari nõ solet, ut ingressus religionis, vel peregrinatio Hierosolymitana. Hæc enim reputatur voventis intētio. Si dubitetur, an pœna sit medioctis, talis cēsebitur

Quid si vovēs credat votũ semel violatũ, non amplius obligare? Si habuit ignorãtiã positivã, scilicet certò putavit antequã voveret, votũ non obligare ultra primã vicē, de facto sola prima vice obligatur. Si autē habuit ignorãtiam negativã, quia nullũ cõceptũ formavit, obligatur toties quoties, utpote juxta naturã voti, & cõmuniter vovēriũ: similiter quãdo dubitet, qualē ignorantiã habuerit, positivam an negativam. *Sanch. n. 22.*

456. 4 Difficultas est, an qui vovit aliquid efficere intra præfixũ terminũ sub certa pœna, eam incurrat solo trãsacto termino, an potiùs a tēpore, quãdo certũ est in residuo votũ impleri non posse? Ut si quis vovit intra biennium Ecclesiam ædificare sub pœna religionis ingrediendi, & sua culpa transijt multum temporis ab inceptione. *Terminus voti pœnalis.*

Benè resolvit *Sanch. n. 26.* investigandam esse

vo-

voventis intentionem: si verò de intentione non constet, standū esse præsumptione juris, quæ est ut teneatur vovens ad pœnam ex tēpore, in cujus residuo res promissa perfici nequit. Voti tamē executio nō debebitur, donec totū tēpus labatur.

Tempus voti pœnalis implendi.

5 Difficultas est, utrùm tam votum pœnale quàm conditionale obliget ad executionem statim ac evenit conditio, quasi hæc sit præfixum executionis tempus? Respōdetur negativè. Quāvis enim votum illud posita conditione incipiat obligare, quasi tunc absolute emitteretur, tamen adhuc expectatur executionis terminus juxta ipsius voti naturam. Quod procedit, etiam si particula (si) non sit conditionalis, sed significet (quādo:) ut voveo religionem, quādo pater meus obierit. Tempus autem moræ numerari debet a tēpore impletæ cōditionis, quāvis particula (si) æquivaleat particulæ (quando) *Sanch. n. 27. & 28.*

QUÆSTIO X.

In quas personas possit cadere voti obligatio?

Personæ quæ voto possunt ligari.

457 Communis & certa resolutio est, in qua cōveniunt Theologi cum S. Thoma 2.2. q. 88. a. 8. & 9. omnes homines ratione utentes posse obstringi voto, nisi specialiter impediantur. Patet, nam ratione utens potest Deo promittere rē honestā, & illi gratam, quam si Deus acceptet, illicò voto ligatus manet. Dixi (nisi specialiter impediatur) quia ab Ecclesia impediri possunt. Ecclesia enim cui suas vices Deus commisit, potest nolle acceptare votū suorū fideliū, nisi emissū sub hac vel illa cōditione. Et procedit tam de externis & manifestatis, quàm de internis & occultis. Sicut enim (ut docet *Suar. l. 3. de voto c. 3. n. 8.*) Ecclesia potest voti obligationem jam cōtractam tollere, ita ne contrahatur impedire.

Professio religiosa

Explicatur exēplo, nam de facto impediuntur ab emittēda professione qui annos ætatis sexdecim, vel novitiatū nō expleverūt, ut definit *Trid. sess. 25. de reg. c. 15.* Fuit enim cōsentaneū ne Ecclesia aliter vota illa acceptaret ob status religiosi perfectionē, & perpetuitatē. Cū verò hujusmodi potestas ad solū universale Ecclesiæ regimē spectet, in solo Sūmo Pōtifice reperitur. Deinde observāt *Sāch. l. 4. c. 24. n. 47. & Suar. l. 3. cit. c. 4.* nullū dari casū de facto præter statū religiosū, & vota illi annexa, in quo Ecclesia suos fideles reddiderit inhabiles ad vovendum.

Subditorū vota.

Difficultas præcipua est, an subditi, nēpe religiosi, impuberes, uxores, & servi capaces sint ad vovendū absq; suorū superiorū facultate? Pro decisione notandū est alia esse subditorū opera quæ imperio superioris nō subjacēt, alia quæ subjacēt, & ex his quædā sunt interdicta quoad substātiā, quædā quoad modū. Dico 1. Religiosi, & quicūq; dominativæ potestati subditi possunt licitè & meritoriè vovere omnia bona opera, quæ nec regula, nec præcepto eis interdicūtur, nec eos a debito superiorū obsequio retrahunt: ita ut talia vota statim obligēt, nullo expectato superiorum cōsēsu, donec ipsi cōtradicant. Ita *S. Thomas 2.2. q. 88. a. 8. Sanch. l. 4. c. 25. a. n. 2. & Lessius l. 2. c. 40. a. n. 78.* Ratio est, quia talis materia est in potestate voventis, & vota illa solū imbibūt conditionē negativam, nisi superior non contradixerit.

Prælati cōsensus ad vota subditorum.

458 Dico 2. si vota subditorū sint de rebus ita interdictis ut sine licentia fieri nequeāt, nec valent, nec obligāt, donec superior consentiat. Ratio est, quia cōsensus superioris reddit materiam illam aptam: & vota imbibūt cōditionē affirmativā, si superior cōsensū præbuerit. Dicta procedūt de interdictis quoad modū. Nam votū de interdictis absolutè sive per regulā, sive per præceptū omninò irritū est: nisi in speciali casu, in quo attētis circūstātijs prudēter judicetur esse majus Dei obsequiū uti dispēsatione regulæ facta per prælatū, ad quā sufficit tacitus cōsensus.

Dico 3. Valet votū de re honesta, & solū prohibita quoad modū. Hæc resolutio est quædā explicatio superioris proximæ, in qua cū *Sanch. cit.* *cōveniunt Suar. l. 3. de voto c. 6. n. 9. Lessius l. 2. c. 40. n. 74. & Layman tr. 4. c. 7. n. 6. concl. 4.* Unde si vetet superior ne subditi abīq; ejus licētia jejunēt tali die, potest subditus vovere tale jejuniū, sub intellecta cōditione, si superior cōsentiat. Nam jejunium illud cū licētia, nō prohibetur, sed cōsulitur. Licētiæ enim cōcessio nō est relaxatio, sed potiùs observatio præcepti. Ad quam proinde petēdam sic vovēs tenebitur ex vi talis voti.

Votum absque facultate superiorum.

Dico 4. quādo subditus est prohibitus vovere absq; superioris facultate, & sine illa vovet in materia aliunde apta, votū tenet. Ita *Sāch. l. 4. c. 24. n. 52. Suar. l. 3. de voto c. 6. n. 25. & Layman cit. c. 7. n. 9.* Nam modus ille promittendi quamvis sit malus, res tamē promissa Deo placens acceptabilis est. Procedit resolutio nisi prohibitio secū deferat irritationē factā ab eo qui potest irritare.

459 Infertur 1. nō peccare subditū vovētē materiam sibi prohibitā, nō petita priùs licētia: nisi alioqui esset voti materia inepta. Tunc enim peccaret venialiter. Infertur 2. esse omninò irritum votū de materia prohibita, si vovēs intēdat illud exequi incōsulto superiore. Infertur 3. vota de rebus dicto modo prohibitis obligare, stāte cōditione, si prælatus cōsentiat: & vota de rebus licitis obligare stāte cōditione, nisi superior cōtradixerit.

Eleemosyna votū in subditis.

Infertur 4. quid dicendū sit de religiosis, & alijs subditis emittētibus votū reale, v.g. dādi eleemosynā. Nam si religiosus ex vi muneris habeat administrationē, quā nō excedat eleemosyna, valebit, quandiu prælatus nō cōtradixerit. Si autem faciēda sit eleemosyna de rebus ad privati religiosi usū pertinētibus, valebit sub conditione, si prælatus cōsentiat. Quæ doctrina procedit de uxoribus, filijs familias & servis. At votū circa bona in quibus liberā habēt administrationē, valet: nec superioris cōsensū expectat. Vovēs eleemosynā faciēdā ex bonis alienis v.g. monasterij, si attētis circūstātijs prudēter vovit, tenetur adhibere diligētiam, ut superior consentiat.

Voti manifestatio.

Rogabis 1. an subditus teneatur superiori neganti licentiam ad voti executionē, manifestare se voto ligatū esse? Probabilis est affirmativa sētētia, quā tenēt *Sayrus l. 6. in clave c. 5. n. 20. Valēt. 2.2. disp. 6. q. 6. p. 6 q. 2. Lessius l. 2. c. 40. n. 73. & Azor p. 1. lib.*

lib.11.c.16.q.6. Negat tamẽ probabilior, quã defendũt cũ multis *Sãch.l.4.c.25.n.29. & Suar.lib.3. de voto c.6.n.15.* Ratio est, quia ut suspensa maneat voti obligatio, & vovens excusetur, sufficit implere conditionem in voto contentam, quam satis implet petendo licẽtiam, tacito voto.

460 Quare ut teneatur manifestare votum, requiritur expressa voventis intentio, qua se ad id obligarit. Non tamen sufficiet petere semel licentiam, etiam si negetur in perpetuum: sed tẽpore opportuno, vel a successore iterum peti debet. Quæ procedunt nisi votum sit ad tempus, in hujus honorem: hoc enim transacto, nec licẽtia petenda est, nec cessante prohibitione votũ obligat. Quando prælatus non prohibet materiam, sed voti inscius occupat subditum tempore quo erat votum impleturus, non tenetur subditus illi manifestare votum: sed si votum erat omninó alligatũ illi tẽpori, cessabit omninó: aliter differetur ejus executio. *Sanch.a.n.30.usq; ad 33.*

Episcoporum vota. Rogabis 1. an Episcopus, parochus beneficiatus, vel alij clerici possint votum religionis, & quodcunque aliud emittere? Quod attinet ad Episcopum, ejus votum de ingredienda religione, vel de renunciando Episcopatu non posse emitti inconsulto Pontifice, constat ex *c. nisi cum pridem, de renunciat.* Votum tamen valebit: quia includit conditionem, si Pontifex consenserit: unde consensus Pontificis ab Episcopo procurari debet.

Ob eandem rationem votum longæ peregrinationis validé emittitur ab Episcopo. Tamen ex vi illius non tenetur Episcopus ad expensas eundi & redeundi. Erit tamen irritum in casu, quo attentis circunstantijs judicaretur majus Dei obsequium residere quàm peregrinari. Dicta procedunt etiam de peregrinatione quæ hodie fit Hierosolymam. Denique si Episcopus emittat votum peregrinationis, quæ non excedat tempus unius anni: vel precum, & abstinentiarum non impedientum exequi munus, obligat nulla expectata Pontificis licentia. Est enim de re bona, & non vetita.

Parochorum vota. 461 Quod attinet ad parochos, & habentes beneficium residentiam postulans, eos non posse vovere longam peregrinationem, etiam Hierosolymitanam, nec aliud in præjudicium suæ ecclesiæ, absque licentia Episcopi, constat ex *c. Magnæ, de voto.* An requiratur hujusmodi licentia ut voveant religionem? Affirmant *Azor p.1.lib. 11.c.16.q.3. Sayrus in clavi l 6.c.5.n.25. & Suar.* loquens *de parochis l.3.de voto c.4.n.10.*

Religionis votũ in parochis. Negandum tamen est cum Sanch. l.4.c.25.n.48. ubi asserit illos posse emittere & exequi votũ religionis absque licentia Episcopi, & ipso repugnante, quin opus sit illam petere. Quod sumitur ex *c.duæ 19.q.2.* Quod de votis Episcoporũ dictum est, procedit de prælatis habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem in sua diœcesi. Unde si abbates talem jurisdictionem non habeant, & sint sæculares, de illis procedit quod de beneficiarijs: si religiosi, quod de religiosis.

Quod attinet ad reliquos clericos, rectè ex citatis authoribus tradit *Palau tract. 16. disp.1.pun. 19.n.14* eos votum peregrinationis & religionis posse absoluré emittere & exequi inconsulto Episcopo. Quia non cedunt in præjudicium alicujus obligatorij muneris.

SECTIO IV.
De irritatione votorum.

QUÆSTIO I.
Quid & quotuplex sit irritatio: & a quibus fieri possit?

462 Irritatio voti, prout ab authoribus definitur, *Est actus liber quo is, a quo votum pẽdet, tollit voti obligationem.* Cum veró ab alterius voluntate possit vovens dupliciter in voto pendere. 1. si ejus voluntas ita alteri sit subjecta, ut non censeatur velle obligari, nisi alter cõsentiat. 2. in materia promissa, ut si hæc ab altero dependeat, vel quia in illam administrationem habet, vel quia prohibere potest: hinc fit esse duplicem irritationem, alteram directam & propriam, alteram indirectam & impropriam. *Irritatio quid & quotuplex.*

Irritatio directa est, quæ fit ex voluntatis subjectione, & ita respicit actum vovendi, ut illum omninó extinguat. Indirecta est quæ respicit materiam promissam, impediendo illius executionem, & potiûs suspensio, quàm irritatio appellari debet. Prior non jurisdictionis, sed dominij actus est: posterior interdum jurisdictionis, interdũ dominij. Utraque partim ex jure naturali, partim ex positivo ortum habet.

Qualiter cõpetat directa potestas irritandi parentibus, maritis & dominis respectu filiorum, uxorum & servorum, constabit ex sequentibus. Quærimus modó an Pontifex gaudeat potestate illa irritandi ratione jurisdictionis a Christo acceptæ? Affirmant *Navar. in methodo curationis l. 3.c.44.§.41. & Metina de continen.l.5.c.44.* Quasi sic expederit fideles in suis votis Pontifici volũtatem omninó subjectam haberent. *Pontifex ad irritãda vota.*

Negandum tamen est cum *Lessio l.2.c.40.dub. 13.n.81. Vasquio 1 2.d.165.c.4. Suario l. 6.de voto c. 2.n.3. & Bonac.disp.4.q.2.pun.7.§.2.* posse Pontificem directe irritare voti fidelium, etiam ecclesiasticorum. Ratio est, quia nullibi habetur talis potestas a Christo collata Pontifici: nec expediebat Ecclesiæ regimini, imò expediebat non cõferri, ut fideles manerent in sua integra vovendi libertate. *Irritare vota qui possint.*

463 Ex quo patet a fortiori non posse prælatos inferiores, nec temporales Principes vota suorum subditorum directé irritare. Si veró loquamur de irritatione indirecta, quæ nascitur ex materiæ prohibitione, rectè docent citati authores posse Pontificem irritare illa vota, quæ bono Ecclesiæ regimini obstiterint, sicut vota parochorum, quæ muneri sibi commisso præjudicant.

Rogabis, an superiores qui possunt subditorũ vota irritare, possint irritare propria, vel alijs irritanda committere? Benè negat *Sanch.l.4.c.24.n. 60.* Ratio est quia nemo potest votum emittere *Irritatio voti propry.*

sub

sub conditione proprij consensus, vel beneplaciti: nam hujusmodi conditio strictam voti obligationem destruit. Dices, Prælati possunt dispẽsare secum in proprijs votis; ergo & irritare propria vota. Concessio antecedente negatur consequentia, & disparitas est, quia ex potestate dispensandi non sequitur assignatum inconveniens quód quis obligetur rigorosa obligatione ad faciendum quod voluerit; sicut sequitur ex potestate irritandi, hæc enim est dominativa, illa jurisdictionis.

QUÆSTIO II.

Extendatur ne irritandi potestas ad vota interna, futura, vel ex facultate superioris emissa?

Irritatio voti interni, & futuri.

CONVENIUNT 1. *Sanch. l. 4. c. 24. n. 40. Suar. tom. 5. in 3. p. d. 4. sect. 2. a. n. 8. & Vasq. 12. disp. 160. c. 4. n. 17.* potestatem irritandi extendi ad vota interna. Cum enim talis potestas fundetur generali conditione, quam subditi suis votis apponunt, nempe si superiori placuerint, extenditur ad interna, quia etiam hæc cognita superiori displicere possint.

464 Conveniunt 2 citati *Sanch. 49. & Suar. lib. 3. de voto c. 3. n. 16.* quibus accedit *Layman. l. 4. sum. tr. 4. c. 7. n. 6. concl. 3.* extendi dictam potestatem ad vota futura. Ratio est, nam fungens tali potestate statuere potest, ut nulla & irrita sint quæcunque vota subditus emiserit, non petito priùs & habito superioris consensu: in hoc enim valor & robur votorum nititur; ergo potestas extenditur ad futura.

Maior est difficultas an extendatur ad emissa ex superioris facultate? Notandum 1. dupliciter posse superiorem dare subdito licentiam ad voti emissionem & executionem. 1. pro tẽpore quod sibi visum fuerit. 2. addita promissione nunquam revocandi talem licentiam. Notandum 2. talem licentiam posse impendi a prælato qui sit maior, æqualis, vel inferior eo, qui illã revocare intẽtat.

Irritatio voti facti ex licentia superioris.

Dico 1. si prælatus maior v.g. provincialis licentiam dedit ad votum emittendum, prælatus inferior v.g. localis illud irritare nequit. Ita *Sanch. l. 4. c. 27. n. 4. & Suar. l. 6. de voto c. 8. n. 1.* Ratio est, quia irritatio votorum fit per contradictionem superioris: at prælatus inferior nequit contradicere voto approbato per prælatum maiorẽ. Poterit tamen impedire executionem quousque maior consulatur.

Dico 2. Quanvis prælatus localis dederit licentiam vovendi, addita promissione non revocandi, prælatus maior v. g. Provincialis votum irritare poterit. Ita præter citatos *Layman l. 4. tr. 4. c. 8. n. 4.* Ratio est, quia contradicẽte prælato maiori tollitur minoris prælati consensus, & conditio beneplaciti superioris, sub qua emissum fuerat subditi votum.

465 Dico 3. Idem superior, & alius æqualis qui promisit non revocare licentiam, quam dedit ad vovendũ, adhuc potest validé irritare votum, Ita *Azor p. 1. l. 11. c. 17. q. 6. Valent. 2. 2. d. 6. q. 6. p. 6. q. 3.* & multis relatis *Sanch. lib. 9. de Matrim. disp. 40. n. 4.* Ratio est, quia licét talis superior revocando peccet contra fidelitatem promissionis factæ, tamen revocatio tenet, & destruit consensum, quo nitebatur votum emissum.

Religiosorum vota.

Explicatur hæc triplex resolutio discurrendo per singulos subditos quorum vota irritare valent superiores. 1. in religiosis, quorum vota de licentia superioris emissa potest (ut tenent *Sayrus in clavi l. 6. c. 10. n. 12. & Suar. l. 6. de voto c. 7. n. 0.*) eorum prælatus irritare, etiam si promiserit se nũquam irritaturum. Explicatur 2. in filijs familias impuberibus, quorum vota de parentis vel tutoris licentia emissa, recté docent *Sanch. l. 4. c. 27. n. 18. & 21. & Layman l. 4. tr. 4. c. 7. n. 17.* irritari posse, quanvis oppositum tradant *Lessius l. 2. de just. cap. 40. dub. 10. n. 75. & Suar. cit. c. 8. n. 7.*

Filiorum vota.

Pater irritans vota filiorum.

Quid si superior dicat se illi concedere licentiam irrevocabilem, & illum eximere a sua potestate quoad rem promissam, poterit ne adhuc validé irritare? Affirmativa resolutio recté procedit in prælato religioso respectu subditi, in patre respectu filij impuberis, & in viro respectu uxoris. Nam hi omnes nequeunt abdicare a se dominium voluntatis subditorum. Unde oppositum dicendum est quoad vota realia puberum, quæ sola pater irritare potest, & quoad omnia servorum. Nam pater potest concedere filio bonorum administrationem: & dominus servo libertatem. Ita *Sanch. l. 4. de voto c. 27. n. 21.* Vide *Palaum tr. 16. d. 2. p. 3. §. 2. n. 5.*

Uxorum vota.

466 Explicatur 3. in uxoribus, quorum vota ex licentia virorum emissa possunt viri ipsi irritare, ut bené docent *Suar. l. 6. de voto c. 4. n. 19. & Sãch. l. 4. c. 27. n. 11.* Quid si viri concessere facultatẽ sub promissione nõ revocandi? Si dicamus posse irritare omnia vota uxoris quatenus est caput, adhuc post dictam promissionẽ irritare poterit. Quia semper manet caput. Si dicimus, solũ posse irritare ea quæ sibi præjudicant in gubernatione domus, & usu matrimonij, illa post talẽ promissiooem irritare non poterit: quia suo jure validé cessit. Ita *Palaus tr. 16. disp. 1. p. 3. §. 2. n. 6.*

Servorũ vota.

Explicatur 4. in servis, quorum vota de licentia dominorum emissa possunt ipsi domini irritare. Quia domini (ut authores citati docent) talem licentiam censentur dare, & libertatem ad utendum re illa, dum sibi contrarium visum non fuerit. Si autem licentiam dent sub promissione non revocandi, cum suo jure cedant, manet servus sui juris, & illi revocare nequeunt, ut diximus n. 465.

Licentia vovendi.

Rogabis 1. quando censeatur licentiam vovẽdi superior dare subdito? *Sanch. l. 4. c. 27. n. 42* ex omnium consensu recté asserit talem facultatem censeri datam, non solum quando superior voluntatis subditi conscius illam tribuit, sed etiam quando votum factum approbat, in illoque consentit.

Taciturnitas ad licentiã.

467. Difficultas est, an sufficiat absque interno consensu taciturnitas superioris scientis votum? Quanvis probabile sit sufficere, ut credunt *Valen. 2. 2. d. 6. q. 6. p. 6. q. 1. Sayrus in clavi l. 6. c. 10. n. 16. &* alij:

alij: probabilius tamen est non sufficere, ut docent *Suar. l. 6. de voto c. 6. n. 14. & Sanch. l. 4. c. 27. n. 46.* Quia taciturnitas sine interno consensu non est approbatio. Esset tamen sufficiens approbatio, si internus consensus adesset. Nec sufficit consensus merè internus, nec quæcunque superioris, audito voto, taciturnitas: sed oportet audiri ab ipso subdito proponente illud superiori, ut facultatem exequendi concedat. Requiritur etiam, si licentia a superiore absente concedatur, quòd subdito per litteras, vel nuncium superioris ab ipso destinatum intimetur.

Quid in dubio an adfuerit internus consensus? Is præsumitur ex taciturnitate superioris, proponente ei subdito votum ut approbet. Nam conjectura faciens actum valere, reputatur firmior. Quod intelligitur, nisi superior positivé erraret credens sibi non esse integrū contradicere: secus, si sola ignorantia negativa hujus potestatis esset. Ita *Sanch. cit. n. 53. qui n. 54.* addit sufficere ut subditus possit, & teneatur exequi votum rei interdictæ, si tempus exequendi instet, & superior videns volentem implere, non contradicat, cum commodé possit: sive votum sciat, sive ignoret.

Rogabis 2. an superior qui licentiam vovendi concessit, vel simpliciter, vel pro actu & tempore determinato, peccet, si absque justa causa votum irritet vel simpliciter, vel pro actu & tépore quo concessit? Affirmativa resolutio certa est. Quia superior dans licentiam promittendi Deo, quasi offert rem illam Deo, quatenus ad oblationē cooperatus est; ergo revocans sine causa manet injurius Deo.

468 Difficultas est, peccet ne mortaliter, an venialiter? Peccare solum venialiter etiam in materia gravi, tenent *Sotus l. 7. just. q. 3. a. 1. Rosella v. votum 3. n. 2. & Suar. l. 6. de voto c. 4. ad finem.* Et hoc probabile est. Quia talis revocatio non est contra justitiam, sed ad summum contra fidelitatem. Probabilius tamen est peccare mortaliter, si materia gravis sit. Ita *Navarr c. 12. n. 73. Sanch. l. 4. c. 27. n. 28. & Layman l. 4. tr. 4. c. 7. n. 18.* Sumitur ex Numer. 30. ubi de marito consentiente voto uxoris, & postea contradicente dicitur portare iniquitatem ejus, nempe culpam.

Eodem modo (inquit *Sanch. n. 33. & 34.*) peccabit subditus si certus de causæ insufficientia petat irritationem: at si dubitās illam proponat superiori capaci discernendi, a culpa immunis erit. Nunquam verò superior tenebitur implere votū sua licentia factum, & illicité revocatum.

Irritatio voti per prælatum succedentem. Rogabis 3. an æqualis superior succedens ei, qui licentiam dedit, possit irritare votum ex licētia præcedens emissum, & nondum executioni mandatum, ac si absque licentia emissum esset? Recté affirmant *Suar l. 6. de voto c. 8. n. ult. & Sanch. l. 4. c. 27. n. 36.* Ratio est, quia cum par in parem non habeat imperium, *c. Innotuit, de elect.* licentia præcedentis æqualis nequit succedenti præjudicare, quominùs absque causa irritare possit.

Idem procedit in patre, tutore, vel curatore succedentibus respectu filiorum & pupillorum: idem in viro respectu uxoris, & in domino respectu servorum succedentibus. Nec tenetur subditus petens irritationem ab alio prælato maiori, vel æquali declarare votum ex alterius licentia emissum esse: quia illa licentia non imminuit potestatem succedentis. Secus, si ab eodem prælato immemore prioris licentiæ peteret. Quia longo difficilius irritationem faceret, obligatus considerare sitne causa sufficiens illam faciendi. Cum citatis *Palaus n. 10.*

QUÆSTIO III.

An potestas irritandi extendatur ad vota emissa tempore subjectionis, & tunc non irritata?

469 Notandum est 1. dupliciter se habere potestatem superioris, cujus tempore vota sunt emissa: aut enim omnino extinguitur, ut in prælato religioso, aut non omninò extinguitur, ut in patre, data filij pubertate, circa quem adhuc manet aliqualis cura & potestas. *Tutoris & curatoris differentia.*

Notandum est 2. dari discrimen inter tutorem & curatorem: nam tutor datur principaliter personæ & secundarió rebus: unde datur ætate pupillari, id est usque ad pubertatem, qua completa cessat statim: at curator e contra datur principaliter rebus, & secundarió personæ: unde datur puberibus, & durat tempore minoris ætatis, usque ad annum 25.

Irritandi potestas post subjectionis tempus. Quæstio est, an vota subditorum tempore subjectionis emissa, & post subjectionis tempus non confirmata, scilicet vota emissa a religioso, a filio, ab uxore, a servo, eo tempore quo subjecti erant, irritari possint transacto tempore subjectionis ab ijsdem superioribus, ac si non esset lapsum tempus subjectionis? Sit resolutio: quando superioris potestas omninó extincta vel suspensa est, nequit prædicta vota irritare: quando veró non omninó extinguitur, sed quoad aliquid manet, potest irritare votum ea potestate integré vigente emissum si post subjectionem confirmatū non fuit. Ita *Suar. l. 6. de voto c. 7. n. 10. Sanch. l. 4. c. 30. n. 7. & 8. Layman l. 4. tr. 4. c. 7. n. 11.* & theologi communiter. Patet, quia fundamentum irritationis est dominativa potestas.

Episcopi religiosi vota. Infertur 1. solum Pontificem irritare posse vota religiosi in Episcopatum evicte: si veró deposito Episcopatu redeat ad religionem, tunc prælati regulares possunt irritare illius vota tam ante quàm post Episcopatum emissa. Idem fere procedit de religioso in perpetuum ejecto, secùs de ejecto ad tempus, v. g. ad triremes. Quia nō ille, sed hic manet subditus. Unde si religiosus in aliam religionem justé transeat, prioris religionis prælati illius vota nequeunt irritare. Quia per transitum perfectum, nempe professionem, eorum jurisdictio extincta, per imperfectum nempe novitiatum suspensā manet.

Filiorum impuberum vota. 470 Infertur 2. vota personalia filiorum impuberum confirmata post pubertatem non posse irritari a parentibus. Quia sic se habent ac si tēpore pubertatis emissa forent, proindeque a jurisdictione illorum exempta. Idem est de vot s rea-

realibus puberum, postquam sui juris effecti fuerint. Nam cessat in parentibus bonorum illorum administratio, quæ est fundamentum irritationis.

Puberũ vota. Quid de votis ante pubertatem emissis, nec in pubertate confirmatis? Poterit ne pater, curator, & mater ea irritare post pubertatem & emancipationem? Recté *Sanch. cit. c. 30. n. 9. Less l. 2. c. 40. n. 83. Suar. l. 7. de voto c. 6. n. 8 & Bonac. disp. 4. q. 2. de voto p. 7. §. 2. n. 19.* affirmant patrem id posse. Quia jus eam potestatem concessit parentibus, ut filiorum imbecillitati succurrerent. Oppositum tamen probabile est. *Curator ad vota.* De curatore etiam dicendum est posse post pubertatem vota personalia minoris in pueritia emissa irritare.

Mater ad vota filiorum. Quid de matre? Si curatrix sit, idem est dicendum ac de alijs curatoribus: si curatrix non sit, etiam nullo existēte curatore vota impuberis post pubertatem irritare nequit. Quia matri, quá mater est, nulla filij puberis gubernatio a jure conceditur. *Sanch. n. 17.*

Infertur 3. nullam dari potestatem in cōjugibus dissociatis ad irritanda vota emissa tempore *Vxoris & viri vota ad irritat. n. e.* integri matrimonij, nec post divortium confirmata, si matrimonium non redintegretur. Si autē reconciliari velint, conjux innocens potest ea delinquentis vota irritare, aut suspendere, sicut cōstante matrimonio poterat. Quod si matrimoniũ instauretur, sive licité sive illicité, utrique licebit vota alterius irritare, vel suspendere, ut ante divortium. *Sanch. n. 18.* Quid si post divortium ea vota confirmata sint, aut denuò emissa? Si reus ea confirmet, aut emittat, etiam si castitatis, aut religionis sint, poterit innocens ea irritare, vel suspēdere sicut poterat antea. Si innocens confirmet, vel emittat, de illis censendum est, sicut de emissis ante matrimonium. *Sanch. n. 19.*

471 Infertur 4. vota servi tempore servitutis *Servorũ vota.* emissa non posse irritari a domino, postquam servus libertatem adeptus est. Nam dominus per libertatem servi adeptam, perdit dominium, ratione cujus poterat antea vota irritare. Ita *Suar. l. 6. c. 6. n. 10. Lessius l. 2. c. 40. n. 86. & Sanch. cit. n. 32. qui n. 33.* rectè monet dicta de irritatione votorum impuberum, minorum & religiosorum, intelligenda esse de vera irritatione quæ non patitur revivificentiam: secus de votis conjugum tempore divortij emissis, vel confirmatis.

Confirmatio votorum quomodo fiat. Pro maiori prædictorum intelligentia, ut votorum confirmatio planius innotescat, dicimus vota impuberum non censeri confirmata per approbationem parentis, neque ex eo quód vovens illa exequi voluerit, neque si sæpé renoventur credendo firma esse. Solum enim judicantur confirmata, quando vovens conscius debilitatis priorum votorum se vult obligare firmiter & irrevocabiliter, vel se vult obligare ac si nunquam obligatus esset. Nam hæc voluntas novæ voti emissioni æquivalet.

Cōmutatio an cōfirmet votũ. Rogabis 1. an si impuberis votum post pubertatem legitimé commutetur, hæc commutatio censeatur voti illius confirmatio? Respondet *Sāch. l. 4. c. 30. n. 47.* esse confirmationem, si pubes sciens, prius votum irritari posse, acceptavit commutationem: secus, si ignorans. Quia voluntariũ intervenit in primo casu, & non in secundo. Hoc est probabile. Sed *Palaus tr. 16. d. 2. p. 3. § 3. n. 12.* credit probabilius sive vovens ignarus, sive conscius fuerit irritationis remedij, non dari confirmationem, sed posse a parente irritari, ac si nulla commutatio præcessisset.

472 Rogabis 2. an si impubes emittat votũ personale implendum tempore pubertatis, aut conditionale, vel pœnale, cujus cōditio aut pœna detur post pubertaté, censeatur emissum post pubertatem, aut saltem conditio tunc voluntarié apposita, vel pœna voluntarié incursa sit voti illius confirmatio? Procedit in tribus casibus. *Impuberũ vota.* Primus est, quando impubes aliquid personale vovit implendum post pubertatem: ut cum pubes fuero, ingrediar religionem. Quod votum, quandiu post pubertatem confirmatum non fuerit, a patre irritari poterit, quocunque tempore transacto. *Sanch. n. 50.*

Secundus est, quando conditio non ponitur per modum pœnæ, & ejus impletio non pendet a voluntate voventis: v. g. impubes vovit religionem, si Deus aliquid contulerit. Tunc quanvis conditio impleatur post pubertatem, adhuc votũ patris irritationi subjicietur. *Sanch. n. 51.*

Conditionale votum impuberis. Tertius est, quando conditio non per modum pœnæ imposita pendet a voventis volũtate. Tũc si ponat conditionem post pubertatem immemor voti, irritari poterit: secùs si memor. Quia per liberam positionem censetur confirmare, ut si impubes promisit recitare calculos virgineos, si vel quando B. Virginis imaginem inuiserit, & pubes inuisat. Quod procedit etiam si ignoret id votum irritari posse. Quia obligatio ex tunc incipit. n 52.

Limitatur tamen dupliciter 1. ut intelligātur de conditione non habente tractum successivum ut si fuit apponenda semel Nam si habeat tractũ successivum, ut recitandi quoties templum inuiserit, non poterit irritari pro prima vice, sed pro alijs, ne deinceps inuisens teneatur. 2. ut intelligatur quando vovens apposuit conditionem ex affectu ad rem promissam, & præviam ad obligationem implendam: nam si ex alio affectu, v. g. curiositatis templum inuisit, votũ irritari potest.

473 Rogabis 4. an qui factus jam pubes emisit votum non petendi irritationem voti in pubertate emissi, censeatur illud confirmare, itaut jam irritari nequeat? Respondetur affirmativé. Ita *Sanch. n. 55. & Palaus n. 15.* Quia volens se privare remedio illo censetur velle suum prius votum, non subjacere irritationi. Secús si vovisset non petere dispensationem, vel commutationē. Quia cum non excluserit irritationem, videtur adhuc velle, ut votum irritationi subjaciat.

Rogabis 5. quando impubes emisit votum vagum, aut disjunctivum, v. g. castitatis vel religionis, & post pubertatem determinavit, an hæc determinatio sit cōfirmatio? *Sanch. n. 59* respōdet affirmativè apposita duplici limitatione, scilicet dum-

dummodò illa determinatiò cadat sub voto, & vovens memor potestatis irritandi prioris voti determinaverit. Quia determinatio ut sic est quasi nova voti emissio. Palao.n.16.displicet ultima limitatio, & ideo putat dari confirmationé, quàvis vovens immemor potestatis irritandi determinaverit.

QUÆSTIO IV.

Ad quenam alia vota extendatur irritandi potestas?

Subditorũ vota.

1 Difficultas est, utrùm vota subditorum emissa subjectionis, tépore implenda tamen post tépus subjectionis, irritari possint? Exépla sunt, si uxor aliquid promittat in tempus viduitatis, impubes in tempus pubertatis, pubes in tempus emancipationis, servus in tempus libertatis, religiosus in tempus dispensationis a Pontifice? *Apud Sanch.l.4.c.29.* tres sunt sententiæ. Prima eam facultatem cuicunque superiori denegat. Secunda habentibus potestatem dominativam concedit.

Utraque probabilis est. Tertia prababilior distinguit. Nam subditi sunt in duplici genere: alij plené subduntur quoad voluntatem, quales religiosi respectu sui prælati, & filij impuberes respectu patris & tutoris: alij veró solum subduntur quoad aliqua obsequia, quales servus domino, filius pubes patri & curatori. Unde priorum vota emissa ad tempus solutæ subjectionis possunt superiores irritare, non autem posteriorum. n.3. Addit n. 4. illorum vota semel irritata non reviviscere.

Tempora voterum emissorũ.

474 Quid si votum uxoris, puberis, vel servi sit emissum ad utrunque tempus, subjectionis & libertatis? Respondetur non posse irritari, nisi pro solo subjectionis tempore. Quia solum pro tunc possunt domino obesse. Unde nec a præsenti superiore irritari poterunt, si ei non præjudicant. In omnibus hactenus decisis concordat *Palaus tr. 16.d.2.p.3.§.4.n.1.* cum *Sanch.citato.*

Quid si pubes, uxor, & servus emittant votũ perpetuum absque distinctione & limitatione téporis, v.g. recitandi rosarium quotidie per totam vitam: poteritne pater, maritus, vel dominus illud absoluté & in perpetuum irritare? Affirmat *Sanch.n.7.* Quia tale votum emittitur indivisibiliter, ac proinde non censetur emissum partim in subjectionis, partim in libertatis tempus. Negat *Palaus cit.n.2.ex Lessio lib.2.c.40.n.86.in 2.edit. & Bonac.disp.4.q.2 p.7.§.2.* Quia tale votum afficit tépus divisibiliter, & ideo pro solo tempore subjectionis, quatenus præjudicat superiori, irritari potest. Utrunque probabile est.

2 Difficultas est, an potestas irritandi extendatur ad vota emissa tempore, quo voventes erant sui juris? Communis & vera sententia est nõ extendi potestatem directam, & extinctivam, sed solam indirectam, & suspensivam. Patet 1. pars, quia superior solum potest directé irritare votũ, quod emissum fuit sub ejus beneplacito, ac proinde subjectionis tempore. Patet 2. pars, quia superior ex potestate dominativa habet jus, ne sibi præjudicetur per votum; ergo illius executioné potest suspendere. Unde vota uxoris tempore libertatis emissa, possunt a marito suspendi prout illi præjudicant, & non aliter. Ita *Azor p.1.lib. 11.c.17.q.14. Valen.2.2.d.6.q.6. p.6.quis Sayrus in clavi l.6.c.10.n.11. Suar.l.6.de voto c.4.n.16. & Sanch.l.4.c.31.n.9.* ex quo sequitur vota servorum tempore libertatis emissa solum suspendi posse, & non irritari a superveniente domino.

Conditionale votum.

475 Rogabis, an vota conditionalia emissa tempore sui juris, quando conditio impletur tépore subjectionis, reputentur emissa tempore subjectionis? *Sanch.c.31.* respondet affirmativé sive conditio impleatur per accidens, illo tempore qualis illa (si navis venerit) sive impleatur per se, qualis illa (si Petrum duxero.) Quia & si in legatis attendatur tempus impletæ conditionis, secus est in contractibus cõditionalibus, quibus assimilatur votum: solum enim inspicitur tempus initi contractus.

Mihi omninò arridet Palaus tr.16.disp.2. p.3. §.5.n.4, sic distinguens, si appositio conditionis non sit libera voventi, vel quia casu contingit, vel quia pendet ex voluntate alterius, vera est proxima resolutio. Quia tunc talis appositio nõ est voluntaria obligationis susceptio. Si autem cõditionis appositio pendeat ex voluntate voventis, & hic illam apponat tempore subjectionis, hoc tempore reputabitur votum emissum, quia tunc incipit obligare ex libera voluntate vovétis.

Vota executioni mandata.

3 Difficultas est, an vota executioni mandata vel in hæredem translata irritari possint? Dico 1. vota sive realia, sive personalia, postquam executioni mandantur, irritari nequeunt. Ita *Valent. 2.2.d 6.q.6.p.6.q.3. & Sanch.l.4.c.27.n.3.* Ratio est, nam votum executioni mandatum omninó cessat. Dico 2. vota translata in hæredem, voventis, superior irritare non potest. Ita *Sanch. l.4.c.24 n. 57.* Patet, quia obligationes justitiæ irritabiles non sunt, & hæres non obligatur ex voto, sed ex contractu cum defuncto tacité inito.

Denique observabis discrimen inter promissionem factam Deo, & promissionem factam homini, illam a Deo, hanc ab homine acceptatam. Quia licèt promissario sive Deo, sive homini jus quæsitum fuerit, tamen superior potest irritare promissionem factam Deo, & non factam homini. Disparitas est, quia superior habet vices Dei ut priorem irritet, & non habet vices hominis, ut tollat posteriorem.

QUÆSTIO V.

Qualiter & quando possit impendi irritatio?

Irritatio vero quãdo fiat.

476 Lessius *l.2.c.40.n.72.in 2.edit. Sanch. l.9 Matr.d.43.n.10.* & Theologi communiter ex *c.30.Numer.* recté docent tunc irritari votum a superiore, quãdo voto cognito, ille subdito denegat absoluté licentiam illud exequendi sine ulla limitatione temporis. Nam vota subditorum repugnante superiore corruunt: habent enim imbibitam conditionem in rebus prohibitis, *si superior licentiam concedat*, & in rebus permissis, *si superior non contradicat.*

Dixi

Dixi (voto cognito) quia si votum ignoretur, non dabitur voti irritatio, utpote in voluntaria ex defectu cognitionis. Dixi (deneget absolutè licentiam) quia si deneget ad tempus, eo transacto subditus tenebitur votum exequi.

Illud ex *S. Thoma q.88.a.12.ad 2. Suario de voto l.6.c.1.n.9. & Sanch.l.4.c.24.n.7.* rectè tradit *Basil. Ponze l.10.matr.c.17.n.22.* voti irritationē & suspensionem, si egrediantur a potestate dominativa non exigere causam ad sui valorem: secus si procedant a potestate jurisdictionis. Ratio disparitatis est, quia votum cessat infallibiliter sublata conditione prælati non repugnantis, sive ex causa, sive absque causa: at cum dispensatio fiat nomine Dei, rationabiliter & ex causa fieri debet.

Irritatio & dispēsatio voti sine causa.

477 Iustè ne & licitè irritatio sine causa cōcedi possit? Affirmant *Navarr.c.12.n.73. Azor p.1. l.11.c.17.q.5. & Basilius l.10. Matr.cap.17. n.24.* Quia superior nullo vinculo tenetur ad consentiendum voto subditorum, sine quo consensu votum irritatur: ergo non eget causa, ut licitè consensum deneget.

Hoc probabile est, sed probabilius peccare saltem venialiter, ut docent *Lessius lib.2.c.40.n.70. Suar.l.6.de voto c.1. Sanch.l.4.c.24.n.13. & Layman l.4.tr.4.c.7.n.18.* Quia semper est rationi dissonū exercere talem potestatem absque causa rationabili, qualis erit utilitas aliqua voventis, aut irritātis. Ut irritatio validè & licitè fiat, non requiritur quòd superior cognoscat tale vel tale votum esse, sed sufficit cognoscere subditum illam petentē voto gravari.

Rogabis 1. an potestas irritandi possit exerceri erga subditum contradicentem? Rectè affirmant *Sayrus in clavi l.5.c.8.n.6. Suar.l.6.de voto c.1.ad finē, & Sanch.l.4.c.24.n.25.* Ratio est, nam quidquid renuat subditus, per efficacem voluntatem superioris resistentis cessat votum ex defectu consensus superioris, quo emissum fuit. Unde quanvis commutatio fieri nequeat invito subdito, & idem judicet *Suar.cit.c.1.n.13.* de dispensatione, tamen probabilius existimo cum Sanch. cit. cap. 24.n.26. dispensationem posse conferri subdito invito.

Irritatio cōmutatio & dispensatio voti invito subdito.

478 Rogabis 2. an potestas irritativa possit exerceri in dubio? Potest dubium oriri vel ex parte irritantis, vel ex parte voventis. Si ex parte irritantis, quia dubitatur an sit verus pater, maritus, dominus: an sit legitimus tutor, prælatus? rectè distinguit *Sanch.l.4.c.32.n.15.* asserēs posse irritare, si sint in possessione: secus, si possessione careāt. Quando oritur dubium ex parte voventis, rectè docet *Suar.l.4. de voto c.6.n.1.* potestatem certam superioris nō impedire. Quia ob causam dubiam nemo certo jure privari debet.

Irritandi potestas in dubio.

Infertur 1. posse patrem irritare vota personalia filij impuberis, & realia puberis, quanvis dubitetur, fuerint ne tempore impubertatis personalia, & realia post pubertatē emissa. Infertur 2. posse tutorem vota impuberis, curatorem vota puberis, maritum vota uxoris irritare, quanvis dubitetur, fuerint ne emissa tempore, quo sui juris erant. Infertur 3. quando vovens est certus tempore subjectionis emisisse votum, quod tunc impleri poterat, & dubitat an ejus executionem distulerit in tempus libertatis, irritari posse.

Quid si dubites, an facta voti renovatione tempore habili ad illud firmandum, legitimè confirmaveris, & impedieris irritandi potestatem? Regulariter nec confirmasti, neo talem potestatem impedisti. Quia renovans solum intendit impositum onus approbare, & non de novo imponere. Quid si superior de facto votum irritet, quod irritare non poterat, & constet postea de defectu talis potestatis? Irritatio facta non subsistit. Quia error esto suppleat jurisdictionem, non supplet dominationem. Vide *Palaum d.2 p.4.*

Renovatio an cōfirmeto votum.

479 Rogabis 3. an possit delegari irritativa potestas? Negant aliqui. Quia sicut delegatio jurisdictionis fieri nequit sine ejusdem communicatione, ita delegatio irritationis fieri non potest sine communicatione dominij: & illud dominium communicari nequit.

De legata potestatu irritandi.

Dicendum tamen est quanvis delegari nequeat, ut alter nomine proprio irritet, posse tamen, ut nomine alieno v.g. tanquam procurator, qui alterius gerit vices, id possit. Ita *Sanch.l.4.c.24.n.54. & Suarius l.6.de voto c.7.n.17.* Explicatur, nam clericus non beneficiatus potest constitui a parocho ut matrimonio assistat, & quis matrimonij incapax potest constitui procurator, ut illud contrahat. Nam uterque delegatus non proprio, sed alieno nomine assistit, & contrahit.

QUÆSTIO VI.

Qualiter vota servorum, & conjugatorum irritari possint?

Quod attinet ad servos, domini ea tantum servorum vota tempore servitutis emissa possunt irritare, quæ eorum servitio præjudicant. Ita *Azor l.11.c.16.q.8. Lessius l.2.c.40.n.86.in 2. edit. Suar.lib.6.c.3.n.2. & Sanch.l.4.c.36.n.2.* Patet, quia dominus non est superior voluntatis servi simpliciter, sed solum ratione servitutis sibi debitæ. Unde vota ante servitutem emissa possunt suspendere in quantum obsequio sibi debito obfuerint.

Domini in irritādis votis servorū.

Infertur 1. non posse dominum irritare votū castitatis, vel aliquarum precum, vel moderati jejunij: secus si preces immoderatæ, vel jejunium frequens servum debilitent. Poterit etiam suspēdere quodcunque votum, ex quo etiam per accidens sequatur præjudicium debiti obsequij, v.g. si servus scrupulis vexatus reddatur minus aptus & promptus.

Infertur 2. non posse irritare vota de præceptis observandis, sed aliquando suspēdere. Infertur 3. posse irritare vota realia. Quia servi operæ, ars, industria, resque in bonis domini numerantur. *Instit. per quas personas nobis acquir. §. Item vobis.* Quod intelligitur nisi propriū aliquid possideat, quod a domino auferri nequeat. Vota præjudicantia, si indivisibilia sint, in totum irritari possunt; si divisibilia, quoad excessum.

480 Rogabis, an nō solus vir, sed etiam uxor

Uxor in irritādis votis servorum.

& filius familias servorum vota irritare possint? *Sanb. cit. c. 36. n. 14.* bene respondet in Hispania uxorem nullius servi vota irritare posse. Quia vir omnium bonorum etiam paraphernalium administrationem habet. Si autem servus sit uxoris ex parapherniis, ubi jus commune viget, ut horum bonorum non solum dominium, sed etiam administratio sit uxoris, sola uxor & non vir irritare poterit. Semper autem uxor suspendere valet: itẽ ob longam viri absentiam irritare.

Quid de filio familias, ut irritet? Quando servus est filijfamilias, si sit peculium castrense, vel quasi castrense, ipsius filij puberis est irritare: secus, si impubes sit. Tunc enim irritabit pater vel tutor utpote habens administrationem. Unde si servus sit peculium adventitium, solus pater irritabit, nisi votum esset directè contra dominium: tunc enim uterque irritare potest, filius ut dominus, pater ut administrator. Pupillus & minor carens tutore & curatore vota sui servi irritare potest. Semper igitur illius penes quem fuerit administratio, erit irritare, sive vir, sive uxor, sive filius sit. Hæc *Sanch. cit. a. n. 15. u. que ad 19.* quibus adde ex *Bonacina disp. 4 q. 2. p. 7. §. 2. n. 9. & Palao tr. 16. disp. 2. p. 5. n. 3.*

Famulorũ vota. Vota famulorum, qui ex contractu suas operas exhibent hero, posse herum irritare, vel suspendere prout obligationi factæ obsuerint.

Uxoris vota. 481 Quod attinet ad conjugatos, posse maritum irritare omnia vota uxoris emissa constante matrimonio, tenent *Sotus l. 9. matr. d. 3. n. 7. & l. 4. Decal c. 34. n. 3.* & certe probabiliter, ut credunt *Lessius l. 2. c. 40. n. 88. & Bonac. disp. 4. q. 2. pun. 7. §. 2. n. 16.* Est tamen probabilius ea sola uxoris vota, quæ obsunt matrimonio, educationi prolis, & domesticæ gubernationi, posse a marito irritari. Ita præter *Lessium & Bonac. cit. Suar. l. 3. de voto c. 6. n. 26. Basil. l. 10 Matr. c. 17. n. 3. & Layman l. 4. tr. 4. c. 7. n. 12.* Patet, quia uxor solum est viro subdita in actionibus, quæ usum matrimonij, educationẽ prolis, & gubernationem domesticam possunt impedire, & non in alijs.

Infertur 1. vota uxoris de rebus præceptis v. g. de Missa audienda, de jejunio servando ac similibus posse maritum juxta priorem opinionem directè irritare, juxta posteriorem solum indirectè, & prout gubernationi domesticæ expedierit.

Castitatis votũ in cõjugatis. Infertur 2. votum castitatis emissum ab uxore absque viri consensu, juxta priorem opinionem Sancij, posse irritari a viro: juxta posteriorem manere firmum & non irritabile. Addit tamen *Layman l. 4. sum. tr. 4. c. 7. n. 16.* si maritus ægré ferat sẽper petere, & ex hoc minuatur amor, & oriatur discordia, cessare votum quoad petitionem debiti.

482 Quid si uterque conjux ex mutuo consensu per modum pacti voveat castitatem: poterunt ne etiam in sententia Sancij sibi vota irritare? Bené negant *Sayrus in clavi l. 6. c. 5. n. 17. Lessius l. 2. c. 40. n. 96. Suar. tom. 3. relig. l. 9. c. 9. n. 6. & Sanch. l. 4. c. 34. n. 15.* Cum uterque per illam cessionem juris ad petendum, deobligetur a reddendo. Si veró, ut possint, mutuo cõsensu dissolvant illud pactum, redibunt ad pristinam servitutem, ita ut teneantur reddere, quanvis petere nequeant, quousque irritetur votum. Erit tamẽ illicita illa pacti dissolutio, nisi fiat ex causa gravissima.

Religionis votũ in conjugatis. Infertur 3. in omnibus casibus, in quibus votũ religionis emissum a conjuge potest impleri altero conjuge invito, non sub esse irritationi, juxta utranque a nobis positam opinionem. Infertur 4. quid sit tenendum de votis castitatis & religionis in tempus soluti matrimonij implendis. Nam in opinione Sancij possunt irritari a marito: in nostra nequaquam: quia nullum illi afferunt incommodum. Quid de emissis ante matrimoniũ? Ipse etiam Sanch. negat sub esse irritationi. Quia non fuere emissa sub conditione beneplaciti superioris. Excipit tamen vota personalia impuberis, & realia puberis, quæ a marito utpote succedente loco parentis irritari possunt. Nos dicimus ea solum posse suspendere, quæ sibi obsunt.

483 Si loquamur de potestate uxoris ad vota mariti irritanda, rectè docent *Suar. l. 6. de voto cap. 4. a. n. 8. & Sanch. l. 9. Matr. d. 42. n. 2.* ea solum posse irritare, quæ sibi præjudicent. Unde potest irritare votum immoderatæ abstinentiæ, nimiarũ precum, induendi habitum Eremitæ, vel Tertiarij, & longæ peregrinationis, nisi sit Hyerosolimitanæ in subsidium terræ sanctæ. *Uxor ac vota mariti irritanda.*

Debitum conjugale nõ petendi votum. Quid de voto non petendi debitum? Posse ab uxore irritari affirmant *Henr. l. 11. Matr. c. 15. n. 8. & Layman l. 4. tr. 4. c. 7. n. 17.* Quia nimis onerosum est mulieris pudori compelli ad sen per petendum. Negant absoluté alij, quibus cum *Sanch. l. 9. Matr. disp. 42. n 7. & Lessio l. 2. c. 40. n. 99.* annuimus sub quadam limitatione, nempe quód vir se aliquoties offerat uxori paratum redditioni, si illa petierit: nam per hoc tollet, vel multum minuet illius verecundiam. Rectè tamen monent Lessius & Layman regulariter esse illicitum & indiscretũ votum non petendi debitum absque beneplacito alterius emissum.

QUÆSTIO VII.

Qualiter vota filiorum, pupillorum, & minorum irritari possint?

Impubertas & pubertas. VT quæstio proposita duplici resolutione decidatur. Suponendum est 1. impubertatẽ, quæ dicitur ætas pupillaris, durare in masculis usque ad annum decimum quartum completũ, in fæminis usque ad duodecimum completum, quæ ætas computatur a puncto nativitatis. Pubertas incipit ab illa ætate, & usque ad 25. annum completum durat. Supponendum est 2. filiũ nõ eximi a patria potestate ratione ætatis: per quid autem eximatur, alibi diximus. Supponendum 3. officium tutoris finiri, cum primum pupillus attingit pubertatem, & officium curatoris cessare ipso jure, cum pubertas finitur, nempe post annum 25.

Pater ad irritanda vota. 484 Sit resolutio prior. Pater omnia vota tam personalia quám realia filij impuberis, etiam doli capacis irritare potest. Ita ex *c. mulier 34. q. 2.* tradunt *Suar. l. 6. de voto c. 6. a. n. 1. Sanch. l. 4. c. 35. n. 7. & Lessius l. 2. c. 40. n. 82. & Layman l. 4. tr. 4. c. 7. n. 10.*

logi cum S. Thoma 2.2.q 88.a.12. dispensationem ad sui valorem & honestatem expostulare causam justam. Probatur, quia dispensatio voti, cum fiat in jure divino, ac proinde nomine Dei, in tantum fieri potest, in quantum Deus ipse cōsentiat: Deus autem solum intelligitur consentire, quando datur causa justa, & regimini Ecclesiæ expediens: aliter voti remissio irrationabilis foret.

Quid si potens, & concedens dispensationem bona fide procedant credentes adesse causam legitimam, cum re vera non adsit? *Lessius l.2.c.40. n.19.& Sanch.l.4.c.44.n.10.* existimant validam & licitam evadere dispensationē. Ratio, est quia ad sedandos scrupulos, & bonum Ecclesiæ regimen, consonum videtur, ut Deus voti relaxationē nomine ipsius, & bona fide factam approbet.

492 Nihilominus Palaus tr.16.disp.2.pun.9. n.4.ex Salas & Basilio citatis affirmat talem dispensationem esse quidem licitam, sed non validā. Ratio est, quia ad sedandos scrupulos sufficit dispensatio quæ creditur legitima etiam ex causa dubia, quandiu talis præsumitur: secùs quando cessat præsumptio apparente manifesté insufficientia causæ. Utraque opinio probabilis est.

Causæ dispensādi in voto quæ sint. Dubiū est 2. quænam sint causæ ad voti dispensationem sufficientes? Recté cum *S. Thoma 2.2.q 88.a.12.* docēt Theologi apud *Suar l.6. de voto c.17.n.8. & Sanch. l.4.c.45.n.27.* eas esse causas sufficientes ad voti dispensationem, quæ voti executioni obstant. Cum enim obligatio exequendi votum in Dei honorem & voventis utilitatem cedat, Deus solum intelligitur illius remissioni consentire, quando causa executionem obligationis modo aliquo impedit.

Ut in particulari causæ obstantes executioni voti innotescant, sumi debent tum ex modo vovendi, tum ex materia voti. Ex modo vovendi, si votum emittatur temeré, imprudenter, & absq; perfecta deliberatione, ut solet accidere in tenera ætate. Item si interveniat in vovendo metus, tristitia, aliave passio circa causam impulsivam, vel quia cessavit causa motiva. Nam hæc omnia & minuunt voluntarium, & afferunt periculum violationis. Addo cum *Sanch.l.8.Matr.d.20 n.12.* hæc omnia justam causam dispensandi præbere, quanvis vovens nec sentiat specialem exequendi difficultatem, nec exponatur speciali periculo violandi: quidquid in oppositum dicat *Valent.2 2. disp.6.q.6.pun.7.ad fin.*

Cōmutatio admixta. Observat bené *Suar. l.6.de voto c.17.n.8.* quanvis defectus perfectæ libertatis præstet sufficientem causam dispensationis, tamen non semper ut relaxetur absque commutatione aliqua. Unde *Sanches l.8.Matr.disp.20.a.n.13.* infert 1. votum emissum in pupillari ætate posse absolute dispēsari absque ulla commutatione.

Timor est causa dispensationis. 493 Infert 2. mortis timorem conceptum ex naufragio, vel infirmitate non præbere reguläriter causam sufficientem dispensationis, nisi detur aliquando ex nimio affectu conservandi vitā. Quia tunc potest dispensari, sed aliqua admixta commutatione. Et idem est si votum fiat ex ira, tristitia, similive passione. Votum tamen emissum ex metu injusté incusso habet causam integræ dispensationis.

Infert 3. errorem circa causam impulsivam, item causæ illius cessationem dare sufficientem causam dispensationis ex diminuto voluntario, quanvis debeat admisceri commutatio. Infert.4. dubium de intentione obligationis præbere similiter causam dispensationis, saltem apposita commutatione.

Ex voti materia desumi possunt nōnullæ causæ justæ, quæ nempe obstent illius executioni. 1. si attenta voventis fragilitate, imò malitia detur occasio frequentis violationis. 2. quando dubium fuerit, sitne votum maioris boni impeditivum. 3. si in voti executione gravis difficultas, nec satis prævisa sentiatur. 4. si ex voto impediatur bonū commune. Unde votum castitatis vel religionis potest dispensari ad matrimonium ineundum, pro discordijs publicis sedandis.

494. 5 Si ex voto observato immineat grave damnum propriæ domui vel familiæ, v.g. ex voto longæ peregrinationis ob voventis absentiam, item ex voto castitatis aut religionis ob defectum sobolis. Videatur *Sayrus in clavi l.6. c.72. Suar.cit.l.6.c.17. Sanch.l.8.Matr.d.20. & Layman l. 4.tr.4.c.8.* qui bené notant 1. quo votum excelētius & gravius est, eo graviorem postulare causam. Unde cum raró inveniatur quæ adæquet integram dispensationem, fere semper requiretur admixta commutatio. Notant 2. data legitima causa posse superiorem dispensare, imó ad id teneri aliquando; scilicet quando judicetur graviter expedire communi aut speciali bono. *Cōmutatio in dispēsatione.*

QUÆSTIO II.

Quinam possint jurisdictione ordinaria dispensare, & in qua vota?

Conveniunt Theologi apud *Suar. de voto l.6 c.10.& Sanch.l.4.c.38* omnes prælatos jurisdictionem quasi Episcopalem habentes posse ordinaria jurisdictione erga suos subditos ad dispensandum in omnibus votis, quæ specialiter reservata non sunt. Unde non solum Pontifex, sed etiam Episcopus, Archiepiscopus, Legatus a latere in sua Provincia, Summi Pontificis Pœnitentiarius, Capitulum sede vacante, Prælati regulares exempti, & Abbates habentes propriā diœcesim illa jurisdictione gaudent. Secus de parocho, qui nullam habet potestatem dispensandi, nisi ex consuetudine in legibus jejuniorum & festorum, cum Episcopus abest. Abbatissa non potest dispensare cum monialibus, utpote spiritualis jurisdictionis incapax. *Iurisdictio ordinaria dispensandi.* *Parocus & Abbatissa ad dispensādum.*

Rogabis 1. quisnam cum prælatis regularibus dispensare possit? Bené respondet *Sanch.l.4.c.39.n.10.* posse superiorem cum inferiori, nempe cum locali provincialem, cum hoc generalem, & cum hoc totam religionem. An possint hujusmodi prælati committere suo confessori ut cum ipsis dispenset, vel ipsi cum se ipsis dispensare? Utrunq; negat *Suarius lib. 6.de voto c.11.n.5.* Utrunque af-

firmat *Sanch.l.8. Matr.d.3.n.3.& 9.* Utriusq; Doctoris tanta authoritas est, ut meo judicio efficiat opinionem probabilem. Quales prælati seculares possint dispensare in votis regularium, Vide *Sanch.l.4.c.39.a.n.24.*

Dispēsare in votis novitiorum. 495 Rogabis 2. an prælati regulares possint dispensare in votis novitiorum? Satis probabilis est negativa sententia, quam tenent *Azor p.1.l.12.c.19.q.21. Sayrus in clavi l.6.c.11.n.92.& Suar.l.6. de voto c.11.n.9.* Sed affirmativa probabilior apud *Roter.tom.1. quæst.regul.q.25.art.8. Sanch.l.4.c.39.n.17.& Palaum tr.16 disp.2.p.10.n 3.* Ratio est, quia licét tales prælati careant potestate dominativa erga novitios, habent tamen spiritualem jurisdictionem. Deinde verius est novitios gaudere privilegijs religionis.

Episcopus dispēsans cum novitijs. Episcopus etiam in votis novitiorum dispensare, & ea commutare potest, ut recté docent *Henriq.l.7.de indulg.cap.22.n.7. Suar.lib.6. de voto c.11.n.9.& Bonac.disp.4.q.2.p.7.n.28.* Quia novitij per ingressum religionis plenam exemptionem non comparant.

Dubium est quinam Episcopus possit dispensare, ille qui est antiquæ dioecesis, an illius in qua novitij de præsenti resident? Bené decidit *Sāch.lib.4 c.39.n.20.* in hunc modum. Quanvis satis probabile sit esse proprium Episcopum, ut cum novitio dispenset, vel ad ordines promoveat, illum qui est propriæ habitationis, quando novitius agit novitiatum in alia dioecesi, tamen probabilius est tale munus spectare ad Episcopum dioecesis, in qua est novitiatus.

Vota reservata quæ. 496 Quod attinet ad vota, in quibus supradicti prælati habent potestatem ordinariam dispensandi, certa resolutio est posse dispensare in omnibus votis, quæ specialiter reservata non fuerint. Constat autem ex *c ex multa, c. super his de voto Extrav. Sixti 4. Et si domini & c.2. de pænit.& remiss.* Sola quinque vota reservata esse, nempe castitatis, religionis, peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ, & Compostellanæ. Ita *Suar.lib.8. Matr. cap.8.s.1.n.6. Less.cap.40.dub.18.& Layman.l.4. tr.4.c.8.*

Unde sine fundamento inter vota reservata aliqui numerant votum convertendi debita incerta in subsidium terræ Sanctæ, votum assumendi crucem, in qualibet expeditione, quam Pontifex fecerit, & votum peregrinationis Lauretanæ.

QUÆSTIO III.

Qualiter emissi debeant prædicta quinque vota ut Pontifici omninò reservata sint?

Reservatio quinque votorum. Ut intelligatur quando per jurisdictionem ordinariam fieri possit dispensatio per prælatos inferiores Summo Pontifice, in dictis quinque votis, deficiéte materia a natura materiæ reservatæ, Theologi cum *Sanch.l.4.c.40.n.41. Suar. l.6.de voto c.11. Lessio c.40.dub.18. Azor p.1. l.11. c.19.q.9.* ex receptissimo axiomate, quod reservatio odiosa sit, utpote ordinariam potestaté restringens, deducunt hanc certam & generalé regulam. Quando non promittitur tota materia reservata, sed pars ejus, item quando votum non obligat præcisé ad materiam reservatam, aut dispensatio non est circa materiam reservatam directé, sed circa aliquam circunstantiam ei adjūctam, potest Episcopus dispensare. Patebit ex illationibus.

497 Infertur 1. cum *Sayro in clavi l.6.c.11.n.64.* neque votum religionis non approbatæ, neque votum paupertatis & obedientiæ extra religionem reservata esse. Addit *Sanch. cit.n.71.* idem procedere de voto ingrediendi religiones equitū, excepto ordine B. Joannis. Quia non sunt veré religionis vota. Infertur 2. vota imperfectæ seu non integræ castitatis, qualia sunt non nubendi, non fornicandi, non polluendi, non tangédi turpiter fœminam, vel non petendi debitum conjugale, reservata non esse.

Infertur 3. non esse reservatum votum Hierosolymitanæ, compostellanæ, & Romanæ peregrinationis emissum ob alium finem expressum, quám devotionis talium locorum. Quia *Extrav. & si dominici* solum reservatur quod emittitur ex illorum locorum devotione.

Infertur 4. quodlibet ex quinque votis emissum sub aliqua accidentali circunstantia, non esse reservatum qua parte illam spectat, sed illa seclusa, manere integré reservatum. Unde Episcopus potest dispensare in qualitate adjuncta substantiæ voti, v.g. cum promittente Arctiorem religioné, ut laxiorem ingrediatur: item in voto perseverādi in religione, & in voto exequendi statim votū religionis. Quia non sunt vota religionis. Item in circunstantijs voti peregrinandi pedibus, vel mēdicando. Quia illis ablatis votum reservatum manet integrum.

Infertur 5. non esse reservatum, sed dispensabile ab Episcopo votum illud, in quod reservatum commutatum est, v.g. si Pontifex votum religionis aut castitatis in jejunium, aliudue pium opus commutet. Ita ex *Suar.l.6.c.20.n 15.& Sanch.cit. c.40.n.46. Layman l.4.sum.tr.4.c.8.n.13.*

498 Infertur 6. non esse reservatum votum disjunctivum in materia partim reservata partim nō reservata, ut si voveas castitatem, vel certam quinto quoque die eleemosynā facere. Quia semper manes liber ad eligendam materiam non reservatam. Addunt citati authores procedere quanvis materia non reservata decursu temporis impossibilis fiat, dummodò reservatam tu ante talem impossibilitatem determinaté non elegeris. Infertur 7. Votum non petēdi dispensationem voti ab alio quàm a Pontifice, reservatum non esse. Quia non est votum de materia reservata.

QUÆSTIO IV.

Sintne eventus alij in quibus inferiores prælati in votis reservatis dispensare possint?

Eventus multiplex, in quo procedat quæstio, dari potest. Primus est, quando vovens intendit solum se obligare sub veniali. Et tūc recté judicat Sanch. cit. n.47. posse dispensari ab Episcopo. Quia ut votum sit reservatum, debet emitti *Dispensatio in votis reservatis*

ex

n.10.assert.5. Ratio est, quia jus attendens ætatis illius imbecillitati voluit, ut omnia vota emitterentur sub parentis beneplacito, ut hic posset illorum obligationem tollere, vel confirmare.

Dubitatio est, quinam sub nomine patris & sub nomine filij veniant ad hujusmodi irritationem? *Patris nomine qui* Sub nomine patris venit tutor: hic enim loco patris subrogatur. Mater vivente patre nihil potest: illo tamen mortuo, amente, vel longè degente, si filio datus est tutor, vel curator, mater nihil potest. Si nullus tutor datus sit, neque existat avus ex parte patris, mater poterit irritare vota filij, *Mater irritans vota.* non quia tutrix sed quia jure naturali debet regere filium impuberem, patre, avo & tutore deficientibus. An in prædictorum defectum veniat herus, vel magister? Affirmant *Suar. cit. n.29. & Layman. c.7. n.10.* Negant *Sanch. cit. c. 35. n. 84. & Bonac. d.4. q.2. p.7. §.2.* Utrunque probabile est.

Sub nomine filij venit non solum legitimus, sed etiam naturalis & spurius, ut rectè docet *Sanch. l.4. c. 35. n.82.* Quia esto pater ad filium naturalem vel spurium regendum careat potestate civili, illam tamen naturalem vendicat, ut illi consulat, quando aliunde destitutus est.

485 *Puberum vota.* Sit resolutio posterior, Pater ea sola vota filiorum puberum irritare potest, quæ suæ domesticæ administrationi obesse poterunt, & non alia. Ita *Valen. 2.2. disp.6. q. 6. p.6. q. ult. Sayrus in clavi l.6. c.5. n.10. Sanch. l.4. c.35. n. 15. & Bonac. d. 4. q. 2. p.7. §.2.* Sumitur ex cap. 1. & 2. 20. q. 2. & ratione, quia cum post pubertatem filius habere præsumatur discretionem plenam ad vovendum, nulla ex parte voluntatis adest causa irritationis, potest tamē adesse ex parte rei promissæ quæ obstet paternæ gubernationi.

Infertur 1. non posse patrem irritare filij puberis votum religionis, castitatis, suscipiendi ordines, frequentandi Sacramenta, fundendi moderatas preces, & moderatè jejunandi: posse tamen irritare votum longæ absentiæ & peregrinationis, etiam in subsidium terræ Sanctæ, imò & eundi Romam pro obtinenda absolutione reservata, si ex privilegio haberi possit.

Infertur 2. non posse irritare votum reale ex bonis in quibus filius sui juris est, nempe castrensibus, vel quasi. Poterit tamen irritare votum ex bonis adventitijs, si illorum administrationem & usum fructum habeat, secus si non habeat. Unde dum filius est in minori ætate, si patri non competat administratio, vel quia sub ea cōditione bona filio data sunt, vel quia pater recusavit administrare, non ipsi, sed curatori potestas ea vota irritādi competit. Infertur 3. vota filij puberis nō esse a patre irritabilia quotiescunque a patria potestate egreditur.

486 Rogabis 1. quam potestatem habeat curator & mater minoris in irritandis illius votis? *Curator & tutor in votis irritādis.* Quod attinet ad curatorem respectu minoris (& idem est de tutore respectu pupilli) rectè docent *Suar. l.6. de voto c.6. n.22 & Sanch. l.4. c.35. n. 70* eandem potestatem habere, quam habet pater. Nam loco patris plené subrogatur. Quod si plures curatores sint, penes quemlibet integra potestas est irritandi vota puberis. Quia non est major ratio cur uni potiùs quàm alteri competat.

Quod attinet ad matrem, si curatrix sit, de eadem procedit quod de curatore diximus. Si curatrix non sit, & minor curatorem habeat, certum est nihil posse in illius votis irritandis. Si careat minor curatore, tenent *Sà v. voti irritatio n.1. Sayrus in clavi l.6. c.10. n. ult. Rodrig. tom.2 sum. c.91. n. 10.* & alij posse tunc matrem in votis minoris quidquid pater. Rectius tamen negant *Suar. lib.6. de voto c.5. in fine & Sanch l.4. c.35. n. 77.* quia mater ut talis neque potestatem in filij puberis bona habet, neque in personam.

Rogabis 2. an sicut in contractibus, ita in votis competat minoribus notabiliter læsis restitutio in integrum? *Restitutio in integrum pro votis.* Affirmant Sylvester, Paludan. & alij apud *Sanch. cit. c.35. n.85.* ex paritate rationis. Negandum tamen omninó est cum *Sanch. cit. n. 86. & Bonac. disp.4. q.2. p.7. §.2. n.24.* Disparitas est, nam in contractibus datur restitutio in integrū propter defectum voluntarij ex deceptione quæ præsumitur fieri minoribus: at in votis deceptio dari nequit: Deus enim qui est voventis creditor, neminem decipit.

QUÆSTIO VIII.

Quæ & qualiter religiosorum vota possint irritari?

487 Quæstio decidetur, expedita triplici difficultate. 1. difficultas est, quænam religiosorum vota prælati irritare possint? *Vota religiosorū quæ irritari possunt.* Constat 1. posse irritare vota omnia quæ obstare possunt jurisdictioni prælatorum, & regimini peculiari religionis. Constat 2. non posse irritare illa vota, quæ vel religiosum statum cōstituunt, qualia sunt paupertatis, castitatis, & obedientiæ, vel sunt illi annexa, quale votum quadragesimalis abstinentiæ in ordine Minorum, & votum solēne obediendi S. Pontifici, aliaque simplicia in Societate Jesu. Constat 3. non posse irritare votum transeundi ad religionem strictiorem. *cap. licet, de regul.* Si Pontifex interdicat talem transitum, votum illius nullum erit, nisi solum prohibeatur, ut absque licentia Pontificis non fiat: tunc enim valebit, & obligabit ad petendam licentiam.

Dubitatio est an possint irritare alia vota, scilicet quæ neque a Pontifice prohibentur, neque impediunt gubernationem religiosam? Exemplū esse potest, si religiosus emittat votum vitandi aliquod peccatum v.g. non mentiendo, vel observando aliquam regulam. Negat *Caietan. 2.2. q. 88. a.8. dub. ul. Armilla v. votum n.9. Palatius in 4. d. 38. disp. 3.* & probabile judicat *Lessius l.2. c.40. d. 3. n 74. & Sanch l.4. c.33. n 7.*

Affirmandum tamen est cum *Sayro in clavi lib. 6. c.10. n.9. Azorio p.1 l.11. c.17. q.16. Suar. lib.6. de voto c.7. n.3. Bonac. disp.4. q.2 p.7. §.2. n.26. Sanch. & Lessio citatis.* Ratio est, quia licèt materia illa non subdatur prælato, quatenus est præcepti, subditur tamen quoad novam voti obligationem: deinde religiosus non minus subjicitur in emittendis votis suo prælato, quam pupillus seu filius impubes

patri vel tutori.

Poterat esse dubium de voto eundi in subsidium Hierosolymitanum. Nam quidam affirmāt id esse integrum emitti & exequi a concionatoribus absque licentia abbatis, a quo proinde irritari nequibit. At hoc solum verum habuit olim de solis prælatis regularibus, quando dabatur licentia Pontificis eundi in id subsidium.

Prælati in votis irritādis. 488 2 Difficultas est, quibus prælatis competat potestas irritandi vota religiosorum: & primùm quæritur, an sint aliqua vota quæ solus Pōtifex irritare valeat; & non alij religionum prælati? Communis & vera est negativa sententia apud *Valent. 2. 2. d. 6. q. 6. p. 6. Suar. l. 6. de voto c. 7. n. 17. Sāch. cit. c. 33. n. 13. & Layman l. 4. tr. 4. c. 7. n. 8.* Ratio est, quia vel id posset quá Pontifex, vel quá religionum generalis: nō quá Pontifex, quia si hoc, posset etiam irritare vota laicorum, quorum etiam caput est: si secundum, id etiam possent religiosi prælati. *Pontifex in irritādis votis.*

Dixi (regulariter) quia si Pontifex alicui religioso dedisset licentiam emittendi voti alicujus hoc irritare posset. Legatus a latere nequit religiosorum vota irritare. Quanvis enim habeat jurisdictionem in regulares, at non habet potestatem dominativam ratione obedientiæ ipsi promissæ. *Legatus nequit irritare vota.*

Hæc potestas irritandi (ait Sanch. n. 16. competit omnibus prælatis religiosis cum debita sub ordinatione, scilicet Generalibus, Provincialibus, & localibus: non verò prælatis secundarijs v. g. ministris in societate; & si hi possint occupare subditum tempore quo votum impleturus est.

Rogabis an eodem modo quo irritandi potestas competit religiosis prælatis, etiam competat Abbatissis, & Priorissis erga moniales? Affirmant *Sayrus in clavi l. 6. c. 10. n. 7. Lessius lib. 2. c. 40. n. 133. Suar. l. 6. de voto c. 7. in fine & Sanch. cit. c. 33. n. 19.* & meritò. Quia Abbatissis etiam emittitur votum obedientiæ, ratione cujus alia vota continent tacitam conditionem pendentem ex ipsarū voluntate. *Abbatissa in votis irritādis.*

Nihilominus *Palaus tr. 16. disp. 2. pun. 8. n. 7. ex Azorio p. 1. l. 11. c. 17.* credit probabilius Abbatissas posse irritare ea sola vota quæ possunt obesse domestico regimini. Quia sicut Abbatissæ non habent potestatem nisi politicam pro domo & familia regenda, ita moniales non promittunt eis obedire nisi in rebus quæ pertinent ad tale regimen. E hoc satis probabile est.

489. 3 Difficultas est qvinam sint religiosi, quorum vota in religione emissa superior irritare possit? Constat 1. posse irritari vota omnium regularium, qui manent in subjectione, & emiserunt vota sive solemnia, sive simplicia, ut contingit in Societate Jesv. Constat 2. non posse irritari vota eorum, qui perfectè a subjectione religiosa eximuntur, quales Episcopi, & a religione in perpetuum expulsi, vel per Pontificem a subjectione religiosa absoluti.

Cōmendatarij in votis irritādis. Dubium est 1. an superiores ordinum militarium, quos vocant *commendadores*, possint subditorum vota irritare? Respondetur negativé cum *Sanch. l. 4. c. 33. n. 24.* Ratio est, quia licét aliqui sint veré religiosi, quales ordinis D. Joannis, qui dicuntur Melitenses, tamen nōn omnes suas operationes subdunt prælatis, proindeque non sūt in perfecta subjectione.

Dubium est 2. an novitiorum vota possint irritari a prælatis regularibus, vel saltem a Pontifice? Bené respondent negativé *Azor p. 1. l. 11. c. 1. cap. 17. q. 20. Lessius l. 2. c. 40. n. 80. Suar. l. 6. de voto c. 7. n. 11. Sanch. cit. c. 33. n. 8. Layman l. 4. tum. tr. 4. pun. 7. n. 9. & Bonac. disp. 4. q. 2. pun. 7. § 2. n. 52.* Ratio est quia novitij sunt sui juris, & nemini ex voto obedientiæ subjecti. *Novitiorum vota irritāda.*

490 Poterit verò prælatus, cujus nominé etiā venit magister novitiorum, suspendere personalia eorum vota impedienda novitiatus exercitium, etiam per accidens, ut si novitius vexatus scrupulis redderetur ineptus religioni. Imó suspēdere quæcunque vota occupando ex justa causa novitium eo tempore, quo impleturus est: vel prohibendo materiam promissam. Unde infertur vota realia novitiorum regulariter suspendi non posse. Quia non præjudicant.

Votum novitij impediens opera religionis, ipso jure est suspensum. Quia pro tunc melius est novitio religionis opera exercere. Vota illa novitij suspensa, eo egresso ordinem tempore novitiatus, reviviscunt, nisi fuerint addicta tempori, quod jam elapsum est, vel absolutè commutata in opera, quæ in sæculo exerceri possunt. Vide *Sāch. n. 32. usque ad 42.* & alios proximé citatos.

SECTIO V.

De dispensatione votorum.

QUÆSTIO I.

Qualiter tollatur voti obligatio dispensatione?

Exposuimus irritationem voti, sequitur ut exponamus dispensationem: est enim inter utranque discrimen: quanvis enim conveniant in hoc, quód utraque tollat obligationem, differunt tamen, quòd irritatio tollat per potestatem dominativam, dispensatio per potestatem jurisdictionis. Nam superior irritat, quando denegat cōsensum sub cujus conditione votum a subdito emissum est: dispensat veró, quando nomine Dei relaxat vinculum, & jus quod per votum habetur. Est enim dispensatio juris relaxatio.

491 Dari igitur in Ecclesia potestatem ad veram dispensationem, qua scilicet voti vinculum relaxetur, docent *Suar. l. 6. de voto c. 9. Lessius c. 40. dub. 17. Basil. Ponze de matr. c. 4. Sanch. l. 4. c. 37. n. 6. & Bonac. tom. 2. disp. 4. q. 2. p. 7.* Sumitur ex illo Matth. 16. *Quodcunque solveris super terram erit solutum & in cælis.* habetur expressé c. 4. *de jurejur.* & ratione, quia sicut facta remissione creditoris vel vices illius habentis debitum extinguitur, sic facta remissione vices Dei habentis cessat debitum voti: in Ecclesia autem prælati vices Dei habent. *Dispensatio votorum in Ecclesia.*

Dubium est 1. quid requiratur ut dispensatio in voto sit valida & licita? Conveniunt Theologi *Causa justa ad dispensationē votis.*

ex intentione proportionata materiæ reservatæ, qualis non est intentio obligationis levis.

Secundus est, quando gravis necessitas dispẽsationis urgeat, nec Pontifex, vel qui ejus vices habet, adiri possit, & ex dilatione immineat grave periculum spiritualis salutis, vel temporalis honoris, v.g. frequentis voti violationis, aut dedecoris in virgine violata, si statim non contrahatur matrimonium, aut moribundus non nubat ad legitimandam prolem. Tunc enim voto castitatis aut religionis adstrictum dispensari posse per inferiorem prælatum, docent *Suar. l. 6. de voto c. 26. a. n. 9. Sanch. l. 4. c. 40. n. 44. Lessius l. 2. c. 40. n. 126.* & multis citatis *Barbosa de pot. Episc. p. 2. all. 37. n. 8.* qui benè observant 1. tunc non posse dispensari ultra id quod necessitas postulet. 2. medicantes, quibus data est facultas dispensandi & commutandi vota Episcopalia, non posse dispensare, vel commutare vota reservata sæcularium.

Reservatio votorum.

499 Tertius est, cum dubitatur dubio juris vel facti an votum sit reservatum: tunc enim pro non reservato haberi debet, cum reservatio sit odiosa. Quartus est, quando consuetudine sit reservatio legitimè præscripta. Illa enim sicut legem condere ita & abrogare potest. Qualiter verò sit præscripta in voto castitatis inter conjugatos, vide *Sanch. l. 8. Matr. c. 12. Palaum tr. 16. d. 2. p. 12. n. 10.*

Quintus est, si votũ emittatur ex metu injustè incusso, esto metus levis sit, & non obstans voti valori, professione excepta. Tunc enim potest inferior prælatus dispensare. Quia illud votũ non censetur reservasse Pontifex. Idem tradit *Gutierrez l. 2. canon. c. 22. n. 49.* de votis emissis per homines dominativæ potestati subjectos. At sine fundamento; ut tenet *Suar. cit. l. 6. c. 26. n. 3.*

Reservatio voti conditionalis.

Sextus est de votis conditionalibus. Hæc enim non videntur cadere sub reservationem, utpote stricti juris. Sed ut perspicuè constet, adverte alia esse vota purè conditionalia, alia cõditionalia pœnalia, de quibus egimus sect. 3. q. 8. & 9. Adverte 2. hujusmodi vota accipi posse vel ante impletã, vel post impletam conditionem.

Et quidem si sumantur ante impletam conditionem, reservationi non subjacere, pro comperto habent Theologi cum *Sanch. l. 4. c. 40. n. 92. & Suar. cit. l. 6. a. 21. n. 3.* Si sumantur post impletam conditionẽ, est dissidium inter illos. Nam alij cũ *Covarr. de pactis 1. p. §. 13. n. 12. Gutierr. canon. quæst. l. 2. c. 22. n. 50. & Azorio p. 1. l. 11. c. 10. q. 3.* affirmant omninò reservata esse: quia posita conditione trãseunt in absoluta. Alij cum *Suar. cit. l. 6. c. 22. n. 11. Lessio l. 2. c. 40. dub. 8. n. 130.* & Layman l. 4. sum. tract. 4. c. 8. n. 16. media incedunt via asserentes vota purè conditionalia post impletam conditionem reservata esse, non ita vota conditionalia pœnalia.

Reservatio voti pœnalis.

500 Hæ sententiæ probabiles sunt, sed probabilior absolutè negans utraque vota illa reservata esse, etiam impleta conditione. Ita *Anton. Gom. in Carciata clauf. 10. n. 99. Petrus Ledes. p. 2. sum. tr. 10. c. 8. & Sanch. l. 8. Matr. disp. 10. n. 13. & l. 4. c. 40. n. 99.* Ratio est, quia reservatio utpote stricti juris solũ comprehendit vota omninò perfecta, qualia non sunt quomodocumque conditionalia, etiam post impletam conditionem: nam omnia fuere emissa cum imperfecto ac diminuto consensu, utpote sub conditione contingenter futura. Possunt igitur dispensari a quocunque Episcopalem potestatem habente.

QUÆSTIO V.

Quibusnam competat delegata potestas dispensandi, & in quæ vota?

Illi omnes ac soli, quibus ordinarius suam potestatem delegat, potestate delegata funguntur. Nam omnis delegata potestas emanat ab eo qui ordinaria gaudet potestate. Cum verò sæpe verba ambigua ita sint, ut non facile deprehendatur mens delegantis,

Dispensatio votorum ex delegatione.

Dubium est 1. an sub delegata facultate dispensandi in omnibus votis contineantur reservata? *Sanch. l. 8. Matr. disp. 9. n. 2.* affirmat de voto peregrinationis ultramarinæ, Romanæ, & Compostellanæ, & solum negat de voto castitatis, & religionis. Negandum tamen omninò est contineri aliqua vota reservata sub illa generali concessione Ita *Basilius Legion. l. 8. Matr. c. 10. n. 5. Layman. cit. tr. 4. c. 8. n. 7. Suar. l. 6. de voto c. 5. n. 4. & Sanch.* suam retractans opinionem *l. 4. de voto c. 40. n. 16.* ubi apertè ait nullum ex quinque votis reservatis venire in generali Indulto votorum, nisi exprimatur. Sumitur ex *c. si Episcopus, de pœnit. & remiss. in 6.* ubi loquens Pontifex de casibus reservatis negat cõprehendi sub generali cõcessione.

501 Dubium est 2. an sub delegatione potestatis dispẽsandi in votis reservatis, nulla facta exceptione, veniant omnia? Rectè affirmant *Suar. cit. l. 6. c. 26. n. 5. & Sanch. c. 40. n. 17.* Quia neque ex speciali ratione, neque ex consuetudine unum potius quàm aliud excipi debet.

Reservata vota quando veniant in cõcessione.

Quid si Pontifex in concessione reservatorum exciperet aliquod ex quinque? *Palaus tr. 16. disp. 2. p. 13. n. 3.* asserit non limitari cõcessionem respectu cæterorum. Quia exceptio potiùs firmat regulam, quàm restringat. Hoc valde probabile est. *Sanch verò citatus n. 20. & 21.* non sine majori probabilitate a Palao dissidet. Si (inquit) a generali concessione excipiantur vota minora reservata, qualia sunt triplicis peregrinationis, non censentur concessa, sed excepta maiora, scilicet religionis & castitatis. Quia exceptio minorum arguit Põtificis mentem esse excipere & denegare maiora. E contra si Pontifex dicat, *Concedimus vota etiam castitatis:* vel si dicat *Concedimus vota etiam religionis,* intelligitur concedere vota minora nempe triplicis illius peregrinationis: sed non æquale votũ. Quia concesso voto castitatis non censetur concessum votum religionis, aut & contra. Nunquã concessio votorum extenditur ad vota emissa in utilitatem tertij, & ab eo acceptata.

Mendicantes in quibus votis dispensent.

502 Dubium est 3. quibusnam potestas illa dispensandi sit re ipsa delegata? Benè respondet Palaus citatus n. 7. solũ inveniri delegatam religiosis. Quia Innocẽt. 8. ut docet *Sanch. l. 4. c. 43. n. 5.*

con-

concessit Mendicantibus posse dispensare in votis, in quibus possunt Episcopi, demptis peregrinationis ultra duas dietas, seu vigenti leucas. Martinus V. concessit Benedictinis absolutè omnia vota Episcopis reservata, quo privilegio per communicationem gaudent Mendicantes.

Episcopo vota reservata.

Rogabis, an virtute hujus privilegij valeant Mendicantes dispensare in votis Pontifici reservatis, casu quo possunt Episcopi? Bené respondet *Sanch.cit.c.43.n.7.* affirmativè, si loquamur de reservatis, quæ ob circunstantiam deficiunt a reservatæ materiæ ratione: negativè, si servata eadem materia Episcopus dispensat ratione necessitatis. Ratio est, quia in primo casu id facit Episcopus potestate ordinaria: in secundo autem ex quadam benigna voluntatis Pontificis interpretatione.

Castitatis voti dispensatio in conjugatis.

Quid de dispensatione ad petendum debitum cum conjugatis voto castitatis obstrictis? Pius V. (inquit idem Sanch.n.10.& 12.) vivæ vocis oraculo concessit Provincialibus Mendicantium, ut possint concedere suis confessarijs approbatis facultatem dispensandi ad petendum debitum cum iis qui ante matrimonium voverunt castitatem. Et intelligitur etiam si nondum consummaverint matrimonium. In voto autem castitatis emisso post matrimonium, possunt dispensare ad petendum debitum, virtute privilegij concedentis omnia vota Pontifici non reservata.

SECTIO VI.

De commutatione votorum.

QUÆSTIO I.

Quid sit commutatio: quam authoritatē, & causam exigat, ut fieri possit?

Cōmutatio quid sit.

503 Commutatio nihil aliud est quàm translatio obligationis ab una materia in aliam, ut si relaxetur jejunium cum onere recitandi rosarium. Nam tunc obligatio jejunij trāsit ad materiam rosarij. Ex quo patet manifesta differentia inter dispensationem, & commutationem: dispensatio enim tollit vinculum & omninò extinguit obligationem, commutatio verò solum transfert.

Cōmutatio voti in bonū majus.

Quod attinet ad authoritatem, quam exigit, ut fiat, notandum est, fieri posse in bonum æquale, & in minus bonum. Sufficere propriam authoritatem, ut fiat commutatio in bonum evidēter majus, vera & communis est sententia, quam tenent *Valent.2.2.disp.6.q.6.p.7. Suar.l.6. de voto c.18.a.n.4. Sanch.l.4.c.49.n.4.& Layman l.4. Sum tr.4.c.8.n.19.* Sumitur ex *c. pervenit el 2. de jurejur* & ratione, quia de consensu creditoris potest unum pro alio rectè solui: Deus autem semper mavult illud quod apertè melius est. Dixi (bonum evidēter majus) quia si sit dubium, aut probabilis opinio de illius melioritate, non sufficit propria authoritas, ut docet *Sanch.cit.n.7.*

Authoritas ad vota cōmutanda.

504 Neque obstat quod votum fuerit emissum in favorem tertij, nisi promissio specialiter illi facta sit, & ab eo acceptata. Unde si promissiti calicem dandum Ecclesiæ determinatæ, poteris dare alteri pauperiori, nisi forte promissionem Deo factam direxeris etiam in Ecclesiam ipsam, & ab ea fuerit acceptata. Utrumque enim rectè postulatur a *Lessio l.2.c.40.dub.16.n.104.*

Communis illa sententia limitatur, ut nō procedat quando commutatio jure prohibetur, sicut prohibentur commutari vota reservata etiam in bonum evidenter majus: imò unum reservatū in aliud reservatum evidenter melius, præter religionem: in votum autem religionis omnia cōmutari possunt. Ita *Sanch.l.4.c.52.n.2.& 5.*

Ex opposito, non sufficere propriam authoritatem, ut fiat commutatio in bonum evidenter minus, seu rē inferiorem, constans omnium sententia est. Quia rationi dissonat velle Deum creditorem obligare, ut rem inferiorem loco superioris debitæ acceptet.

Cōmutatio in æquale bonum.

Sola est dubitatio, quando constat certò rem omninò æqualem esse: an in illam possit votum commutari propria authoritate? Affirmant multi cum *Henriq.l.5.de panit c.20.n.5.& Roterico 2. tom. sum.c.110.n.4.cond.4.* & probabile dicunt *Suar. Lessius* & alij relati a *Sanch.l.4.c.49.n.10.* Probant, quia æquegratum Deo est bonum duplex omninò æquale: nam licét invito creditore solui nequeat unum pro alio: bené tamen si ipsi gratum sit. *Instit. quibus modis tollatur oblig.* in princ.

505 Nihilominus probabilius negant *Suar. l.6.de voto c.19.n.3. Lessius c.40.dub.16.n.105.& Sāch.cit.n.12.* quibus consentit *Layman l.4.tr.4.c.8.n.19.* Ratio est, quia licét utraque illa materia secūdum se spectata æque grata Deo sit, tamen posita promissione unius nō manet æqu grata Deo oblatio alterius. *Sanch.* tamen *n.14.& Suar.n.11.* bené admittunt commutationem illam posse fieri, quando evidēter constet utrunque bonum esse saltem æquale, & dubitatur an sit melius illud in quod commutandum est. Nam utiliter negotiū domini geris cum lucrum expectes, & jacturam non timeas.

Infert. 1. *Sanch. n.15* voventem certam religionem non posse authoritate propria ingredi æqualem: secús de vovente certum monasterium: potest enim ingredi aliud ejusdem ordinis, nisi in ingressu promissi appareat ratio maioris servitij divini. Infert. 2. n.16. promittentem determinatē rem unico usu consumptibilem, v.g. vinum, satisfacere dando aliam ejusdem bonitatis, nisi peculiaris ratio obstet: secus in alijs quæ unico usu nō consumuntur: v.g in servo, vel calice.

Cōmutationis voti causa.

Superest igitur, ut solum ad faciendam commutationem in bonum æquale vel inferius requiratur aliena authoritas habentis jurisdictionem ordinariam, vel delegatam. Unde juxta *Sanch.cit. n.43.* nec authoritate confessoris carentis potestate delegata ad commutandum fieri potest.

506 Quod attinet ad causam, quam exigit cōmutatio, si facienda est in rē evidenter meliorem, nulla specialis causa exigitur, ut bené docent *Lessius l.2.c.40.n.110. Suar.l.6. de voto c.18.n.9. Sanch. l.4.c.p.50.n.15.& Layman l.4.tr.4.c.8.n.21.* Nam suf-

sufficit pro causa, ipsa susceptio perfectioris obligationis, utpote Deo gratior.

Pro commutatione facienda in bonum æquale, & a fortiori in minus bonum causa requiritur, hoc discrimine, quòd in casu priori causa levior, in posteriori gravior postuletur. Nam pro commutatione facienda in bonum æquale, satis est quòd quis illam ardenter petat sperans subrogatam materiam cum fructu maiori executurũ. Pro facienda in bonum inferius, cum non emanet ex pura potestate commutandi, sed ex potestate dispensandi emanare possit, eam requirit causam, quam dispensatio.

QUÆSTIO II.

An, & qualiter commutare possint qui habent potestatem dispensandi, vel solum cõmutandi?

Prior quæstionis pars, quæ petit an potestas commutandi extendatur ad dispensandum, & e contra potestas dispensandi ad commutãdũ, & procedit de potestate delegata, conclusione duplici resolvetur. 1 conclusio. Concessa potestate ad commutandum non intelligitur concessa potestas ad dispensandum. Ita ex *Suar. l. 6. de voto c. 12. n. 4. & Sanch l. 4. c. 53. n. 2. Barb de pot. Episc. p. 2. all 37. n. 4.* Patet, nam potestas dispensandi cum sit maior, contineri nequit in potestate commutandi. Si verò concedatur potestas commutandi in bonum inferius, cum ibi partialis dispensatio interveniat, ad talem dispensationem potestas ibi dabitur.

Potestas cõmutandi & dispensandi.

507. 2 Conclusio, concessa potestate ad dispensandum, intelligitur concessa potestas ad cõmutandum. Ita *Suar cit. c. 2. n. 9. Layman. l. 4. sum. tr. 4. c. 8. n. 20. Basilius de matr. l. 8. c. 10. n. 3. & Barb. cit. all. 37. n. 13.* Probatur, nam commutatio est quædam veluti partialis, seu diminuta dispensatio, cum transferat obligationem, eam minuendo: qui autem potest quod est plus, potest quod est minus sub eodem ordine contentum juxta regul. 53. Et quanvis *Sanch. c. 53. n. 4. & 5.* videatur dissentire, tamen re ipsa consentit admittens potentem dispensare posse ex præsumpta delegantis voluntate miscere commutationem.

Posterior quæstionis pars, inquirit, qualiter potens commutare, eam potestatem exercere possit? Non loquituur de potente commutare simul & dispensare, sed de eo qui fungitur potestate puré commutativa: & quanvis *Toletus l. 4. sum. c. 18. n. penult & Sà v. voti irritatio n. 10. in edit. complut.* affirment illum posse commutare in bonum paulò inferius, dicendum tamen est cum *Covar, de pact. 1. p. § 3. n. 4. Suar. cit. l. 6. c. 19. n. 7. Sanch. l. 4. c. 50. n. 4. & Layman l. 4. tr. 4. c. 8. n. 24.* talem potestatem ultra bonum æquale non extendi. Nam commutatio juxta Aristot. 5. ethic. postulat æqualitatem: est enim contractus in quo unum pro alio ex voluntate creditoris subrogatur.

Cõmutativa potestas qualiter exerceri possit.

Illud rectè præter citatos authores, observat Sayrus in clavi lib. 6. cap. 12. n. 19. non oportere quòd talis æqualitas infallibiliter constet, sed sufficere quòd probabilitér credatur. Adde nõ requiri mathematicam æqualitatem, sed moralem, quæ datur, quoties non patet excessus manifeste, imò licét appareat excessus, sed valde exiguus. Nam quod parum distat nihil distare videtur.

Æqualitas in cõmutatione.

508 Modus faciendi commutationem prudentis superioris arbitrio relinquitur, spectata tũ voventis, tum rei promissæ qualitate, & alijs circunstantijs. Quanvis igitur magis congruum sit commutare vota personalia in personalia, & realia in realia tamen rectè & convenienter potest commutari personale in reale, & e contra. Nec omninò opus est ut commutetur perpetuum in perpetuũ. Quia obsequio temporali nobiliori perpetuum potestcompensari.

Rogabis, an in commutando voto peregrinationis computandæ sint expensæ, quas secundùm statum sui decentiam vovens erat facturus? Negant aliqui, quia sola peregrinatio, & non expensæ sub votum caduat. Affirmandum tamen est cum *Suar. cit. l. 6. c. 19 n. 20. & Sanch. c. 56. a. n. 14.* Quia tales expensæ licét non directé saltem moraliter, & ut quid accessorium promissæ sunt, nisi forte ille vovisset peregrinari mendicendo. Sẽper tamen deducendæ sunt expensæ, quæ domi essent faciendæ, ut cũ alijs notat *Layman cit. n. 24.*

Qualiter commutenrut vota per jubilæum & cruciatam, dicemus tract. 40. & 44.

QUÆSTIO III.

Quando sit irrita commutatio ex defectu æqualitatis, vel causæ?

In resolutionibus hujus quæstionis valde dissident summa S Theologiæ moralis lumina Suarius, & Sanchez. Ut aperiam, quisnam ex illis mihi magis arrideat, Dico 1. Commutatio facta authoritate propria in rem æqualem vel minorẽ omninò irrita & nulla est. Ita Suar. l. 6. de voto cap. 20. n. 7. Ratio est, quia propria authoritate nemo se potest eximere ab obligatione voti, nisi maiorem compensationem subroget: ut resoluimus supra n. 505. Unde non placet *Sanch. l. 4. cap. 51. n. 11.* dicens commutationem illam non esse omninò irritam; sed teneri voventem aut implere prius votum, aut supplere quod defuit commutationi ut fieret in bonum evidenter majus.

Cõmutatio voti quando irrita.

509 Dico 2. commutatio authoritate prælati facta in bonũ inferius eo, quod promissum fuit, est irrita, proindeque non liberat voventem ab obligatione voti, etiam si exequatur subrogatum. Ita *Azor p. 1. l. 11. c. 18. q. 12. Navarr. l. 3. consil. tit. de voto cons. 5. n. 1. Alcozer sum. c. 26. concl. 2. & Suar. lib. 6. de voto c. 19. n. 14.* Ratio est, quia prælatus neminem a voti obligatione potest eximere, nisi prout habet vices Dei: qui autem fungitur potestate commutandi, solum habet vices Dei, ut commutet in materiam æqualem. Et in hoc consentit *Sanch. c. 50. n. 4.* Non igitur cohærenter dicit valere talem commutationem, sed cũ onere supplendi.

Cõmutationis nullitas.

Dico 3. Commutatio in rem æqualem, quam prælatus sine ulla causa scienter faceret, nulla omninó est. Ita *Suar. cit. c. 20. n. 7. & c. 17. n. 5.* Ratio

dummodò illa determinatiò cadat sub voto, & vovens memor potestatis irritandi prioris voti determinaverit. Quia determinatio ut sic est quasi nova voti emissio. Palao.n.16.dist, licet ultima limitatio, & ideo putat dari confirmationē, quāvis vovens immemor potestatis irritandi determinaverit.

QUÆSTIO IV.

Ad quænam alia vota extendatur irritandi potestas?

Subditorū vota. 1 Difficultas est, utrùm vota subditorum emissa subjectionis, tēpore implenda tamen post tēpus subjectionis, irritari possint? Exēpla sunt, si uxor aliquid promittat in tempus viduitatis, impubes in tempus pubertatis, pubes in tempus emancipationis, servus in tempus libertatis, religiosus in tempus dispensationis a Pontifice? *Apud Sanch.l.4.c.29.* tres sunt sententiæ. Prima eam facultatem cuicunque superiori denegat. Secunda habentibus potestatem dominativam concedit.

Utraque probabilis est. Tertia probabilior distinguit. Nam subditi sunt in duplici genere: alij plené subduntur quoad voluntatem, quales religiosi respectu sui prælati, & filij impuberes respectu patris & tutoris: alij veró solum subduntur quoad aliqua obsequia, quales servus domino, filius pubes patri & curatori. Unde priorum vota emissa ad tempus solutæ subjectionis possunt superiores irritare, non autem posteriorum. n.3. Addit n. 4. illorum vota semel irritata non reviviscere.

Tempora votorum emissorū. 474 Quid si votum uxoris, puberis, vel servi sit emissum ad utrunque tempus, subjectionis & libertatis? Respondetur non posse irritari, nisi pro solo subjectionis tempore. Quia solum pro tunc possunt domino obesse. Unde nec a præsenti superiore irritari poterunt, si ei non præjudicant. In omnibus hactenus decisis concordat *Palaus tr. 16.d.2.p.3.§.4.n.1.* cum *Sanch.citato.*

Quid si pubes, uxor, & servus emittant votū perpetuum absque distinctione & limitatione tēporis, v.g. recitandi rosarium quotidie per totam vitam: poteritne pater, maritus, vel dominus illud absoluté & in perpetuum irritare? Affirmat *Sanch.n.7.* Quia tale votum emittitur indivisibiliter, ac proinde non censetur emissum partim in subjectionis, partim in libertatis tempus. Negat *Palaus cit.n.2.ex Lessio lib.2.c.40.n.86.in 2.edit. & Bonac.disp.4.q.2 p.7.§.2.* Quia tale votum afficit tēpus divisibiliter, & ideo pro solo tempore subjectionis, quatenus præjudicat superiori, irritari potest. Utrunque probabile est.

2 Difficultas est, an potestas irritandi extendatur ad vota emissa tempore, quo voventes erant sui juris? Communis & vera sententia est nō extendi potestatem directam, & extinctivam, sed solam indirectam, & suspensivam. Patet 1. pars, quia superior solum potest directé irritare votū, quod emissum fuit sub ejus beneplacito, ac proinde subjectionis tempore. Patet 2. pars, quia superior ex potestate dominativa habet jus, ne sibi præjudicetur per votum; ergo illius executionē potest suspendere. Unde vota uxoris tempore libertatis emissa, possunt a marito suspendi prout illi præjudicant, & non aliter. Ita *Azor p.1.lib.11.c.17.q.14. Valen.2.2.d.6.q.6. p.6.q.uit Sayrus in clavi l.6.c.10.n.11. Suar.l.6.de voto c.4 n.16. & Sanch.l.4.c.31.n.9.* ex quo sequitur vota servorum tempore libertatis emissa solum suspendi posse, & non irritari a superveniente domino.

475 Rogabis, an vota conditionalia emissa tempore sui juris, quando conditio impletur tēpore subjectionis, reputentur emissa tempore subjectionis? *Sanch.c.31.* respondet affirmativé sive conditio impleatur per accidens, illo tempore qualis illa (si navis venerit) sive impleatur per se, qualis illa (si Petrum duxero.) Quia & si in legatis attendatur tempus impletæ conditionis, secus est in contractibus cōditionalibus, quibus assimilatur votum: solum enim inspicitur tempus initi contractus. *Conditionale votum.*

Mihi omninò arridet Palaus tr.16.disp.2. p.3. §.5.n.4. sic distinguens, si appositio conditionis non sit libera voventi, vel quia casu contingit, vel quia pendet ex voluntate alterius, vera est proxima resolutio. Quia tunc talis appositio nō est voluntaria obligationis susceptio. Si autem cōditionis appositio pendeat ex voluntate voventis, & hic illam apponat tempore subjectionis, hoc tempore reputabitur votum emissum, quia tunc incipit obligare ex libera voluntate vovētis.

3 Difficultas est, an vota executioni mandata vel in hæredem translata irritari possint? Dico 1. vota sive realia, sive personalia, postquam executioni mandantur, irritari nequeunt. Ita *Valent. 2.2.d 6.q.6.p.6.q.3. & Sanch.l.4.c.27.n.3.* Ratio est, nam votum executioni mandatum omninó cessat. Dico 2. vota translata in hæredem, voventis, superior irritare non potest. Ita *Sanch. l.4.c.24. n.57.* Patet, quia obligationes justitiæ irritabiles non sunt, & hæres non obligatur ex voto, sed ex contractu cum defuncto tacité inito. *Vota executioni mandata.*

Denique observabis discrimen inter promissionem factam Deo, & promissionem factam homini, illam a Deo, hanc ab homine acceptatam. Quia licèt promissario sive Deo, sive homini jus quæsitum fuerit, tamen superior potest irritare promissionem factam Deo, & non factam homini. Disparitas est, quia superior habet vices Dei ut priorem irritet, & non habet vices hominis, ut tollat posteriorem.

QUÆSTIO V.

Qualiter & quando possit impendi irritatio?

476 Lessius l.2.c.40.n.72.in 2.edit. Sanch. l.9 Matr.d.43.n.10. & Theologi communiter ex c.30.Numer. recté docent tunc irritari votum a superiore, quādo voto cognito, ille subdito denegat absoluté licentiam illud exequendi sine ulla limitatione temporis. Nam vota subditorum repugnante superiore corruunt: habent enim imbibitam conditionem in rebus prohibitis, *si superior licentiam concedat*, & in rebus permissis, *si superior non contradicat.* *Irritatio voti quādo fiat.*

Dixi

Dixi (voto cognito) quia si votum ignoretur, non dabitur voti irritatio, utpote in voluntaria ex defectu cognitionis. Dixi (deneget absolute licentiam) quia si deneget ad tempus, eo transacto subditus tenebitur votum exequi.

Illud ex *S. Thoma q.88.a. 12.ad 2. Suario de voto l.6.c.1.n.9. & Sanch.l.4.c 24.n.7.* recté tradit *Basil. Ponze l.10.matr.c.17.n.22.* voti irritationé & suspensionem, si egrediantur a potestate dominativa non exigere causam ad sui valorem: secus si procedant a potestate jurisdictionis. Ratio disparitatis est, quia votum cessat infallibiliter sublata conditione prælati non repugnantis, sive ex causa, sive absque causa: at cum dispensatio fiat nomine Dei, rationabiliter & ex causa fieri debet.

Irritatio & dispésatio voti sine causa.

477 Iusté ne & licité irritatio sine causa cócedi possit? Affirmant *Navarr.c.12.n. 73. Azor p.1. l.11.c.17.q.5. & Basilius l.10. Matr.cap.17. n.24.* Quia superior nullo vinculo tenetur ad consentiendum voto subditorum, sine quo consensu votum irritatur: ergo non eget causa, ut licité consensum deneget.

Hoc probabile est, sed probabilius peccare saltem venialiter, ut docent *Lessius lib.2.c. 40. n.70. Suar.l.6.de voto c.1. Sánch.l.4.c.24.n.13. & Layman l.4.tr.4.c.7.n.18.* Quia semper est rationi dissonú exercere talem potestatem absque causa rationabili, qualis erit utilitas aliqua voventis, aut irritátis. Ut irritatio validé & licité fiat, non requiritur, quód superior cognoscat tale vel tale votum esse, sed sufficit cognoscere subditum illam petenté voto gravari.

Rogabis 1. an potestas irritandi possit exerceri erga subditum contradicentem? Recté affirmant *Sayrus in clavi l.5.c.8.n.6. Suar.l.6.de voto c.1 ad finé, & Sanch.l.4.c.24.n. 25.* Ratio est, nam quidquid renuat subditus, per efficacem voluntatem superioris irritantis cessat votum ex defectu consensus superioris, quo emissum fuit. Unde quanvis commutatio fieri nequeat invito subdito, & idem judicet *Suar.cit.c.1.n.13.* de dispensatione, tamen probabilius existimo cum Sanch. cit. cap. 24.n. 26. dispensationem posse conferri subdito invito.

Irritatio cómutatio & dispensatio voti invito subdito.

478 Rogabis 2. an potestas irritativa possit exerceri in dubio? Potest dubium oriri vel ex parte irritantis, vel ex parte voventis. Si ex parte irritantis, quia dubitatur an sit verus pater, maritus, dominus: an sit legitimus tutor, prælatus? recté distinguit *Sanch.l.4.c.32.n.15.* asserés posse irritare, si sint in possessione: secus, si possessione careát. Quando oritur dubium ex parte voventis, recté docet *Suar.l.4. de voto c.6.n. 1.* potestatem certam superioris nó impedire. Quia ob causam dubiam nemo certo jure privari debet.

Irritandi potestas in dubio.

Infertur 1. posse patrem irritare vota personalia filij impuberis, & realia puberis, quanvis dubitetur, fuerint ne tempore impuberratis personalia, & realia post pubertaté emissa. Infertur 2. posse tutorem vota impuberis, curatorem vota puberis, maritum vota uxoris irritare, quanvis dubitetur, fuerint ne emissa tempore, quo sui juris erant. Infertur 3. quando vovens est certus tempore subjectionis emisisse votum, quod tunc impleri poterat, & dubitat an ejus executionem distulerit in tempus libertatis, irritari posse.

Quid si dubites, an facta voti renovatione tempore habili ad illud firmandum, legitimé confirmaveris, & impedieris irritandi potestatem? Regulariter nec confirmasti, nec talem potestatem impedisti. Quia renovans solum intendit impositum onus approbare, & non de novo imponere. Quid si superior de facto votum irritet, quod irritare non poterat, & constet postea de defectu talis potestatis? Irritatio facta non subsistit. Quia error esto suppleat jurisdictionem, non supplet dominationem. Vide *Palaum d.2 p.4.*

Renovatio an cófirmet votum.

479 Rogabis 3. an possit delegari irritativa potestas? Negant aliqui. Quia sicut delegatio jurisdictionis fieri nequit sine ejusdem communicatione, ita delegatio irritationis fieri non potest sine communicatione dominij: & illud dominium communicari nequit.

De legata potestate irritandi.

Dicendum tamen est quanvis delegari nequeat, ut alter nomine proprio irritet, posse tamen, ut nomine alieno v.g. tanquam procurator, qui alterius gerit vices, id possit. Ita *Sanch.l.4.c.24.n.54. & Suarius l.6.de voto c.7.n.17.* Explicatur, nam clericus non beneficiatus potest constitui a parocho ut matrimonio assistat, & quis matrimonij incapax, potest constitui procurator, ut illud contrahat. Nam uterque delegatus non proprio, sed alieno nomine assistit, & contrahit.

QUÆSTIO VI.

Qualiter vota servorum, & conjugatorum irritari possint?

Quod attinet ad servos, domini ea tantum servorum vota tempore servitutis emissa possunt irritare, quæ eorum servitio præjudicant. Ita *Azor l.11.c. 16.q.8. Lessius l. 2.c.40.n.86.in 2. edit. Suar.lib. 6.c.3.n.2. & Sanch.l.4.c.36.n.2.* Patet, quia dominus non est superior voluntatis servi simpliciter, sed solum ratione servitutis sibi debitæ. Unde vota ante servitutem emissa possunt suspendere in quantum obsequio sibi debito obfuerint.

Domini in irritãdis votis servorú.

Infertur 1. non posse dominum irritare votú castitatis, vel aliquarum precum, vel moderati jejunij: secus si preces immoderatæ, vel jejunium frequens servum debilitent. Poterit etiam suspédere quodcunque votum, ex quo etiam per accidens sequatur præjudicium debiti obsequi, v.g. si servus scrupulis vexatus reddatur minus aptus & promptus.

Infertur 2. non posse irritare vota de præceptis observandis, sed aliquando suspédere. Infertur 3. posse irritare vota realia. Quia servi operæ, ars, industria, resque in bonis domini numerantur. *Instit. per quas personas nobis acquir. §. Item vobis.* Quod intelligitur nisi propriú aliquid possideat, quod a domino auferri nequeat. Vota præjudicantia, si indivisibilia sint, in totum irritari possunt: si divisibilia, quoad excessum.

489 Rogabis, an nó solus vir, sed etiam uxor

Uxor in irritãdis votis servorum.

legi cum *S. Thoma* 2.2.q 88.a.12. dispensationem ad sui valorem & honestatem expostulare causam justam. Probatur, quia dispensatio voti, cum fiat in jure divino, ac proinde nomine Dei, in tantum fieri potest, in quantum Deus ipse cōsentiat: Deus autem solum intelligitur consentire, quando datur causa justa, & regimini Ecclesiæ expediens: aliter voti remissio irrationabilis foret.

Quid si potens, & concedens dispensationem bona fide procedant credentes adesse causam legitimam, cum re vera non adsit? *Lessius l.2. c.40. n.19.& Sanch.l.4.c.44.n.* 10. existimant validam & licitam evadere dispensationē. Ratio, est quia ad sedandos scrupulos, & bonum Ecclesiæ reginem, consonum videtur, ut Deus voti relaxationē nomine ipsius, & bona fide factam approbet.

492 Nihilominus Palaus tr.16.disp.2.pun.9. n.4. ex Salas & Basilio citatis affirmat talem dispensationem esse quidem licitam, sed non validā. Ratio est, quia ad sedandos scrupulos sufficit dispensatio quæ creditur legitima etiam ex causa dubia, quandiu talis præsumitur: secùs quando cessat præsumptio apparente manifesté insufficientia causæ. Utraque opinio probabilis est.

Causæ dispensādi in voto quæ sint. Dubiū est 2. quænam sint causæ ad voti dispensationem sufficientes? Rectè cum *S. Thoma* 2.2.q 88.a.12. docēt Theologi apud *Suar l.6. de voto c.17.n.8. & Sanch. l.4.c.45.n.27.* eas esse causas sufficientes ad voti dispensationem, quæ voti executioni obstant. Cum enim obligatio exequendi votum in Dei honorem & voventis utilitatem cedat, Deus solum intelligitur illius remissioni consentire, quando causa executionem obligationis modo aliquo impedit.

Ut in particulari causæ obstantes executioni voti innotescant, sumi debent tum ex modo vovendi, tum ex materia voti. Ex modo vovendi, si votum emittatur temeré, imprudenter, & absq; perfecta deliberatione, ut solet accidere in tenera ætate. Item si interveniat in vovendo metus, tristitia, aliave passio circa causam impulsivam, vel quia cessavit causa motiva. Nam hæc omnia & minuunt voluntarium, & afferunt periculum violationis. Addo cum *Sanch.l.8.Matr.d.* 20 *n.*12. hæc omnia justam causam dispensandi præbere, quanvis vovens nec sentiat specialem exequendi difficultatem, nec exponatur speciali periculo violandi: quidquid in oppositum dicat *Valent.*2 2. *disp.6.q.6.pun.7.ad fin.*

Cōmutatio admixta. Observat bené *Suar. l.6.de voto c.17.n.* 8. quanvis defectus perfectæ libertatis præster sufficientem causam dispensation s, tamen non semper ut relaxetur absque commutatione aliqua. Unde *Sanches l.8.Matr.disp.20.a.n.*13. infert 1. votum emissum in pupillari ætate posse absoluté dispēsari absque ulla commutatione.

Timor est causa dispensationis. 493 Infer 2. mortis timorem conceptum ex naufragio, vel infirmitate non præbere regulariter causam sufficientem dispensationis, nisi detur aliquando ex nimio affectu conservandi vitæ. Quia tunc potest dispensari, sed aliqua admixta commutationē. Et idem est si votum fiat ex ira, tristitia, similive passione. Votum tamen emissum ex metu injuste incusso habet causam integræ dispensationis.

Infert 3. errorem circa causam impulsivam, item causæ illius cessationem dare sufficientem causam dispensationis ex diminuto voluntario, quanvis debeat admisceri commutatio. Infert.4. dubium de intentione obligationis præbere similiter causam dispensationis, saltem apposita commutatione.

Ex voti materia desumi possunt nōnullæ causæ justæ, quæ nempe obstent illius executioni. 1. si attenta voventis fragilitate, imò malitia detur occasio frequentis violationis. 2. quando dubium fuerit, sitne votum maioris boni impeditivum. 3. si in voti executione gravis difficultas, nec satis prævisa sentiatur. 4. si ex voto impediatur bonū commune. Unde votum castitatis vel religionis potest dispensari ad matrimonium ineundum, pro discordijs publicis sedandis.

494. 5 Si ex voto observato immineat grave dan num propriæ domui vel familiæ, v.g. ex voto longæ peregrinationis ob voventis absentiam, item ex voto castitatis aut religionis ob defectum sobolis. Videatur *Sayrus in clavi l.6. c.72. Suar.cit.l.6.c.17.Sanch.l.8.Matr.d.20. & Layman l.4.tr.4.c.8.* qui bené notant 1. quo votum excelētius & gravius est, eo graviorem postulare causam. Unde cum raró inveniatur quæ adæquet integram dispensationem, fere semper requiretur admixta commutatio. Notant 2. data legitima causa posse superiorem dispensare, imó ad id teneri aliquando; scilicet quando judicetur graviter expedire communi aut speciali bono. *Cōmutatio in dispēsatione.*

QUÆSTIO II.

Quinam possint jurisdictione ordinaria dispensare, & in quæ vota?

Conveniunt Theologi apud *Suar.de voto l.6 c.10.& Sanch.l.4.c.38* omnes prælatos jurisdictionem quasi Episcopalem habentes pollere ordinaria jurisdictione erga suos subditos ad dispensandum in omnibus votis, quæ specialiter reservata non sunt. Unde non solum Pontifex, sed etiam Episcopus, Archiepiscopus, Legatus a latere in sua Provincia, Summi Pontificis Pœnitentiarius, Capitulum sede vacante, Prælati regulares exempti, & Abbates habentes propriā diœcesim illa jurisdictione gaudent. Secus de parocho, qui nullam habet potestatem dispensandi, nisi ex consuetudine in legibus jejuniorum & festorum, cum Episcopus abest. Abbatissa non potest dispensare cum monialibus, utpote spiritualis jurisdictionis incapax. *Iurisdictio ordinaria dispensandi.* *Parocus & Abbatissa ad dispensādum.*

Rogabis 1. quisnam cum prælatis regularibus dispensare possit? Bené respondet *Sanch.l.4.c.39.n.*10. posse superiorem cum inferiori, nempe cum locali provincialem, cum hoc generalem, & cum hoc totam religionem. An possint hujusmodi prælati committere suo confessori ut cum ipsis dispenset, vel ipsi cum se ipsis dispensare? Utrunq; negat *Suarius lib. 6.de voto c.*11.*n.*5. Utrunque affirmat

firmat *Sanch.l.8. Matr.d.3.n.3.& 9.* Utriusq; Doctoris tanta authoritas est, ut meo judicio efficiat opinionem probabilem. Quales prælati seculares possint dispensare in votis regularium. Vide *Sanch.l.4.c.39.a.n.24.*

Dispensare in votis novitiorum. 495 Rogabis 2. an prælati regulares possint dispensare in votis novitiorum? Satis probabilis est negativa sententia, quam tenent *Azor p. 1.l.12. c.19.q.21. Sayrus in clavi l.6.c. 11.n.92.& Suar.l.6. de voto c.11.n.9.* Sed affirmativa probabilior apud *Roder.tom.1.quæst.regul.q.25.art.8.Sanch.l.4.c. 39.n. 17.& Palaum tr.16 disp.2.p.10.n* 3. Ratio est, quia licét tales prælati careant potestate dominativa erga novitios, habent tamen spiritualem jurisdictionem. Deinde verius est novitios gaudere privilegijs religionis.

Episcopus dispēsans cum novitijs. Episcopus etiam in votis novitiorum dispensare, & ea commutare potest, ut recté docent *Henriq.l.7.de indulg.cap.22.n.7. Suar.lib.6. de voto c. 11. n.9.& Bonac.disp.4.q.2.p.7,n.28.* Quia novitij per ingressum religionis plenam exemptionem non comparant.

Dubium est quinam Episcopus possit dispensare, ille qui est antiquæ diœcesis, an illius in qua novitij de præsenti resident: Bené decidit *Sāch.lib. 4 c.39.n.20.* in hunc modum. Quanvis satis probabile sit esse proprium Episcopum, ut cum novitio dispenset, vel ad ordines promoveat, illum qui est propriæ habitationis, quando novitius agit novitiatum in alia diœcesi, tamen probabilius est tale munus spectare ad Episcopum diœcesis, in qua est novitiatus.

Vota reservata quæ. 496 Quod attinet ad vota, in quibus supradicti prælati habent potestatem ordinariam dispensandi, certa resolutio est posse dispensare in omnibus votis, quæ specialiter reservata non fuerint. Constat autem ex *c ex multa, c. super his de voto Extrav. Sixti 4. Et si domini & c. 2. de pœnit.& remiss.* Sola quinque vota reservata esse, nempe castitatis, religionis, peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ, & Compostellanæ. Ita *Suar.lib.8. Matr. cap. 8.s.1.n.6. Less.cap.40.dub.18.& Layman.l.4. tr. 4.c.8.*

Unde sine fundamento inter vota reservata aliqui numerant votum convertendi debita incerta in subsidium terræ Sanctæ, votum assumendi crucem, in qualibet expeditione, quam Pontifex fecerit, & votum peregrinationis Lauretanæ.

QUÆSTIO III.

Qualiter emissi debeant prædicta quinque vota ut Pontifici omninò reservata sint?

Reservatio quinque votorum. Vt intelligatur quando per jurisdictionem ordinariam fieri possit dispensatio per prælatos inferiores Summo Pontifice, in dictis quinque votis, deficiēre materia a natura materiæ reservatæ, Theologi cum *Sanch.l.4.c.40.n.41. Suar. l.6.de voto c.11. Lessio c.40.dub.18. Azorio p.1. l.11. c.19.q.9.* ex receptissimo axiomate, quod reservatio odiosa sit, utpote ordinariam potestaté restringens, deducunt hanc certam & generalé regulam. Quando non promittitur tota materia reservata, sed pars ejus, item quando votum non obligat præcisé ad materiam reservatam, aut dispensatio non est circa materiam reservatam directé, sed circa aliquam circunstantiam ei adjūctam, potest Episcopus dispensare. Patebit ex illationibus.

497 Infertur 1. cùm *Sayro in clavi l. 6.c.11.n. 64.* neque votum religionis non approbatæ, neque votum paupertatis & obedientiæ extra religionem reservata esse. Addit *Sanch. cit.n.71.* idem procedere de voto ingrediendi religiones equitū, excepto ordine B. Joannis. Quia non sunt veré religionis vota. Infertur 2. vota imperfectæ seu non integræ castitatis, qualia sunt non nubendi, non fornicandi, non polluendi, non tangēdi turpiter fœminam, vel non petendi debitum conjugale, reservata non esse.

Infertur 3. non esse reservatum votum Hierosolymitanæ, compostellanæ, & Romanæ peregrinationis emissum ob alium finem expressum, quám devotionis talium locorum. Quia *Extrav. & si dominici* solum reservatur quod emittitur ex illorum locorum devotione.

Infertur 4. quodlibet ex quinque votis emissum sub aliqua accidentali circunstantia, non esse reservatum qua parte illam spectat, sed illa seclusa, manere integrè reservatum. Unde Episcopus potest dispensare in qualitate adjuncta substantiæ voti, v.g. cum promittente Arctiorem religioné, ut laxiorem ingrediatur: item in voto perseverādi in religione, & in voto exequendi statim votū religionis. Quia non sunt vota religionis. Item in circunstantijs voti peregrinandi pedibus, vel mēdicando. Quia illis ablatis votum reservatum manet integrum.

Infertur 5. non esse reservatum, sed dispensabile ab Episcopo votum illud, in quod reservatum commutatum est, v.g. si Pontifex votum religionis aut castitatis in jejunium, aliudue pium opus commutet. Ita ex *Suar.l.6.c.20.n 15.& Sanch.cit. c.40.n.46. Layman l.4.sum.tr.4.c.8.n.13.*

498 Infertur 6. non esse reservatum votum disjunctivum in materia partim reservata partim nō reservata, ut si voveas castitatem, vel certam quinto quoque die eleemosynā facere. Quia semper manes liber ad eligendam materiam non reservatam. Addunt citati authores procedere quanvis materia non reservata decursu temporis impossibilis fiat, dummodò reservatam tu ante talem impossibilitatem determinaté non elegeris Infertur 7. Votum non petēdi dispensationem voti ab alio quàm a Pontifice, reservatum non esse. Quia non est votum de materia reservata.

QUÆSTIO IV.

Sintne eventus alij in quibus inferiores prælati in votis reservatis dispensare possint?

Dispensatio in votis reservatis Eventus multiplex, in quo procedat quæstio, dari potest. Primus est, quando vovens intendit solum se obligare sub veniali. Et tūc recté judicat Sanch..cit.n.47. posse dispensari ab Episcopo. Quia ut votum sit reservatum, debet emitti

ex

n.10.assert.5. Ratio est, quia jus attendens ætatis illius imbecillitati voluit, ut omnia vota emitterentur sub parentis beneplacito, ut hic posset illorum obligationem tollere, vel confirmare.

Dubitatio est, quinam sub nomine patris & sub nomine filij veniant ad hujusmodi irritationem? Sub nomine patris venit tutor: hic enim loco patris subrogatur. Mater vivente patre nihil potest: illo tamen mortuo, amente, vel longè degente, si filio datus est tutor, vel curator, mater nihil potest. Si nullus tutor datus sit, neque existat avus ex parte patris, mater poterit irritare vota filij, non quia tutrix sed quia jure naturali debet regere filium impuberem, patre, avo & tutore deficientibus. An in prædictorum defectum veniat herus, vel magister? Affirmant *Suar. cit. n.29. & Layman. c.7. n.10.* Negant *Sanch. cit. c.35. n.84. & Bonac. d.4. q.2. p.7. §.2.* Utrunque probabile est.

Patris nomine qui

Mater irritans vota.

Sub nomine filij venit non solum legitimus, sed etiam naturalis & spurius, ut rectè docet *Sāch. l.4. c.35. n.82.* Quia esto pater ad filium naturalem vel spurium regendum careat potestate civili, illam tamen naturalem vendicat, ut illi consulat, quando aliunde destitutus est.

485 Sit resolutio posterior, Pater ea sola vota filiorum puberum irritare potest, quæ suæ domesticæ administrationi obesse poterunt, & non alia. Ita *Valen. 2.2. disp.6. q.6. p.6. q. ult. Sayrus in clavi l.6. c.5. n.6. Sanch. l.4. c.35. n.15. & Bonac. d.4. q.2. p.7. §.2.* Sumitur ex cap. 1. & 2. 20. q.2. & ratione, quia cum post pubertatem filius habere præsumatur discretionem plenam ad vovendum, nulla ex parte voluntatis adest causa irritationis, potest tamē adesse ex parte rei promissæ quæ obstet paternæ gubernationi.

Puberum vota.

Infertur 1. non posse patrem irritare filij puberis votum religionis, castitatis, suscipiendi ordines, frequentandi Sacramenta, fundendi moderatas preces, & moderatè jejunandi: posse tamen irritare votum longæ absentiæ & peregrinationis, etiam in subsidium terræ Sanctæ, imò & eundi Romam pro obtinenda absolutione reservata, si ex privilegio haberi possit.

Infertur 2. non posse irritare votum reale ex bonis in quibus filius sui juris est, nempe castrensibus, vel quasi. Poterit tamen irritare votum ex bonis adventitijs, si illorum administrationem & usum fructum habeat, secus si non habeat. Unde dum filius est in minori ætate, si patri non competat administratio, vel quia sub ea cōditione bona filio data sunt, vel quia pater recusavit administrare, non ipsi, sed curatori potestas ea vota irritādi competit. Infertur 3. vota filij puberis nō esse a patre irritabilia quotiescunque a patria potestate egreditur.

486 Rogabis 1. quam potestatem habeat curator & mater minoris in irritandis illius votis? Quod attinet ad curatorem respectu minoris (& idem est de tutore respectu pupilli) rectè docent *Suar. l.6. de voto c.6. n.22 & Sanch. l.4. c.35. n.70* eandem potestatem habere, quam habet pater. Nam loco patris plenè subrogatur. Quod si plures curatores sint, penes quemlibet integra potestas est irritandi vota puberis. Quia non est major ratio cur uni potiùs quàm alteri competat.

Curator & tutor in votis irritādis.

Quod attinet ad matrem, si curatrix sit, de eadem procedit quod de curatore diximus. Si curatrix non sit, & minor curatorem habeat, certum est nihil posse in illius votis irritandis. Si careat minor curatore, tenent *Sà v. voti irritatio n.1. Sayrus in clavi l.6. c.10. n. ult. Rodrig. tom.2 sum. c.91. n.10.* & alij posse tunc matrem in votis minoris quidquid pater. Rectius tamen negant *Suar. lib.6. de voto c.5. in fine & Sanch. l.4. c.35. n.77.* quia mater ut talis neque potestatem in filij puberis bona habet, neque in personam.

Rogabis 2. an sicut in contractibus, ita in votis competat minoribus notabiliter læsis restitutio in integrum? Affirmant Sylvester, Paludan. & alij apud *Sanch. cit. c.35. n.85.* ex paritate rationis. Negandum tamen omninò est cum *Sanch. cit. n.86. & Bonac. disp.4. q.2. p.7. §.2. n.24.* Disparitas est, nam in contractibus datur restitutio in integrū propter defectum voluntarij ex deceptione quæ præsumitur fieri minoribus: at in votis deceptio dari nequit: Deus enim qui est voventis creditor, neminem decipit.

Restitutio in integrum pro votis.

QUÆSTIO VIII.

Quæ & qualiter religiosorum vota possint irritari?

487 QUæstio decidetur, expedita triplici difficultate. 1. difficultas est, quænam religiosorum vota prælati irritare possint? Constat 1. posse irritare vota omnia quæ obstare possunt jurisdictioni prælatorum, & regimini peculiari religionis. Constat 2. non posse irritare illa vota, quæ vel religiosum statum cōstituunt, qualia sunt paupertatis, castitatis, & obedientiæ, vel sunt illi annexa, quale votum quadragesimalis abstinentiæ in ordine Minorum, & votum solēne obediendi S. Pontifici, aliaque simplicia in Societate Jesu. Constat 3. non posse irritare votum transeundi ad religionem strictiorem. *cap. licet, de regul.* Si Pontifex interdicat talem transitum, votum illius nullum erit, nisi solum prohibeatur, ut absque licentia Pontificis non fiat: tunc enim valebit, & obligabit ad petendam licentiam.

Vota religioso rerū quæ irritari possunt.

Dubitatio est an possint irritare alia vota, scilicet quæ neque a Pontifice prohibentur, neque impediunt gubernationem religiosam? Exemplū esse potest, si religiosus emittat votum vitandi aliquod peccatum v.g. non mentiendo, vel observando aliquam regulam. Negat *Caietan. 2.2. q.88. a.8. dub. ul. Armilla v. votum n.9. Palatios in 4. d.38. disp.3.* & probabile judicat *Lessius l.2. c.40. d.3. n.74. & Sanch l.4. c.33. n.7.*

Affirmandum tamen est cum *Sayro in clavi lib.6. c.10. n.9. Azorio p.1. l.11. c.17. q.16. Suar. lib.6. de voto c.7. n.3. Bonac. disp.4. q.2 p.7. §.2. n.26. Sanch. & Lessio citatis.* Ratio est, quia licèt materia illa non subdatur prælato, quatenus est præcepti, subditur tamen quoad novam voti obligationem: deinde religiosus non minus subjicitur in emittendis votis suo prælato, quam pupillus seu filius impubes

patri vel tutori.

Poterat esse dubium de voto eundi in subsidium Hierosolymitanum. Nam quidam affirmāt id esse integrum emitti & exequi a concionatoribus absque licentia abbatis, a quo proinde irritari nequibit. At hoc solum verum habuit olim de solis prælatis regularibus, quando dabatur licentia Pontificis eundi in id subsidium.

Prælati in votis irritādis. 488 2 Difficultas est, quibus prælatis competat potestas irritandi vota religiosorum: & primùm quæritur, an sint aliqua vota quæ solus Pōtifex irritare valeat; & non alij religionum prælati? Communis & verá est negativa sentētia apud *Valent. 2. 2. d. 6. q. 6. p. 6. Suar. l. 6. de voto c. 7. n. 17. Sāch. cit. c. 33. n. 13. & Layman l. 4. tr. 4. c. 7. n.* 8. Ratio est, quia vel id posset quá Pontifex, vel quá religionum generalis: nō quá Pontifex, quia si hoc, posset etiam irritare vota laicorum, quorum etiam caput est: si secundum, id etiam possent religiosi prælati. *Pontifex in irritādis votis.*

Dixi (regulariter) quia si Pontifex alicui religioso dedisset licentiam emittendi voti alicujus hoc irritare posset. Legatus a latere nequit religiosorum vota irritare. Quanvis enim habeat jurisdictionem in regulares, at non habet potestatem dominativam ratione obedientiæ ipsi promissæ. *Legatus nequit irritare vota.*

Hæc potestas irritandi (ait Sanch. n. 16. competit omnibus prælatis religiosis cum debita sub ordinatione, scilicet Generalibus, Provincialibus, & localibus: non verò prælatis secundarijs v. g. ministris in societate; & si hi possint occupare subditum tempore quo votum impleturus est.

Rogabis an eodem modo quo irritandi potestas competit religiosis prælatis, etiam competat Abbatissis, & Priorissis erga moniales? Affirmant *Sayrus in clavi l. 6. c. 10. n. 7. Lessius lib. 2. c. 40. n. 133. Suar. l. 6. de voto c. 7. in fine & Sanch. cit. c. 33. n.* 19. & meritò. Quia Abbatissis etiam emittitur votum obedientiæ, ratione cujus alia vota continent tacitam conditionem pendentem ex ipsarū voluntate. *Abbatissa in votis irritādis.*

Nihilominus *Palaus tr. 16. disp. 2. pun. 8. n. 7. ex Azorio p. 1. l. 11. c. 17.* credit probabilius Abbatissas posse irritare ea sola vota quæ possunt obesse domestico regimini. Quia sicut Abbatissæ non habent potestatem nisi politicam pro domo & familia regenda, ita moniales non promittunt eis obedire nisi in rebus quæ pertinent ad tale regimen. E hoc satis probabile est.

489. 3 Difficultas est qvinam sint religiosi, quorum vota in religione emissa superior irritare possit? Constat 1. posse irritari vota omnium regularium, qui manent in subjectione, & emiserunt vota sive solemnia, sive simplicia, ut contingit in Societate Jesu. Constat 2. non posse irritari vota eorum, qui perfectè a subjectione religiosa eximuntur, quales Episcopi, & a religione in perpetuum expulsi, vel per Pontificem a subjectione religiosa absoluti.

Dubium est 1. an superiores ordinum militarium, quos vocant *commendadores*, possint subditorum vota irritare? Respondetur negativé cum *Sanch. l. 4. c. 33. n. 24.* Ratio est, quia licét aliqui sint veré religiosi, quales ordinis D. Joannis, qui dicuntur Melitenses, tamen non omnes suas operationes subdunt prælatis, proindeque non sūt imperfecta subjectione. *Cōmendatarij in votis irritādis.*

Dubium est 2. an novitiorum vota possint irritari a prælatis regularibus, vel saltem a Pontifice? Bené respondetur negativé *Azor p. 1. l. 1. c. 1. cap. 17. q. 30. Lessius l. 2. c. 40. n. 80. Suar. l. 6. de voto c. 7. n. 11. Sanch. cit. c. 33. n. 18. Layman l. 4. sum. tr. 4. pun. 7. n. 9. & Bonac. disp. 4. q. 2. pun. 7. § 2. n. 52.* Ratio est quia novitij sunt sui juris, & nemini ex voto obedientiæ subjecti. *Novitiorum vota irritāda.*

490 Poterit verò prælatus, cujus nomine etiā venit magister novitiorum, suspendere personalia eorum vota impedienda novitiatus exercitium, etiam per accidens, ut si novitius vexatus scrupulis redderetur ineptus religioni. Imó suspēdere quæcunque vota occupando ex justa causa novitium eo tempore, quo impleturus est: vel prohibendo materiam promissam. Unde infertur vota realia novitiorum regulariter suspendi non posse. Quia non præjudicant.

Votum novitij impediens opera religionis, ipso jure est suspensum. Quia pro tunc melius est novitio religionis opera exercere. Vota illa novitij suspensa, eo egresso ordinem tempore novitiatus, reviviscunt, nisi fuerint addicta tempori, quod jam elapsum est, vel absolutè commutata in opera, quæ in sæculo exerceri possunt. Vide *Sāch. n. 32. usque ad* 42. & alios proximé citatos.

SECTIO V.

De dispensatione votorum.

QUÆSTIO I.

Qualiter tollatur voti obligatio dispensatione?

Exposuimus irritationem voti, sequitur ut exponamus dispensationem: est enim inter utranque discrimen: quanvis enim conveniant in hoc, quód utraque tollat obligationem, differunt tamen, quòd irritatio tollat per potestatem dominativam, dispensatio per potestatem jurisdictionis. Nam superior irritat, quando denegat cōsensum sub cujus conditione votum a subdito emissum est: dispensat verò, quando nomine Dei relaxat vinculum, & jus quod per votum habetur. Est enim dispensatio juris relaxatio.

491 Dari igitur in Ecclesia potestatem ad veram dispensationem, qua scilicet voti vinculum relaxetur, docent *Suar. l. 6. de voto c. 9. Lessius c. 40. dub. 17. Basil. Ponze de matr. c. 4. Sanch. l. 4. c. 37. n. 6. & Bonac. tom. 2. disp. 4. q. 2. p. 7.* Sumitur ex illo Matth. 16. *Quodcunque solveris super terram erit solutum & in cælis.* habetur expressé c. 4. *de jurejur.* & ratione, quia sicut facta remissione creditoris vel vices illius habentis debitum extinguitur, sic facta remissione vices Dei habentis cessat debitum voti: in Ecclesia autem prælati vices Dei habent. *Dispensatio votorum in Ecclesia.*

Dubium est 1. quid requiratur ut dispensatio in voto sit valida & licita? Conveniunt Theologi *Causa justa ad dispensatione votis.*

ex intentione proportionata materiæ reservatæ, qualis non est intentio obligationis levis.

Secundus est, quando gravis necessitas dispē-sationis urgeat, nec Pontifex, vel qui ejus vices habet, adiri possit, & ex dilatione immineat grave periculum spiritualis salutis, vel temporalis honoris, v.g. frequentis voti violationis, aut dedecoris in virgine violata, si statim non contrahatur matrimonium, aut moribundus non nubat ad legitimandam prolem. Tunc enim voto castitatis aut religionis adstrictum dispensari posse per inferiorem prælatum, docent *Suar. l. 6. de voto c. 26. a. r. 9. Sanch. l. 4. c. 40. n. 44. Lessius l. 2. c. 40. n.* 126. & multis citatis *Barbosa de pot. Episc. p. 2. all.* 37. n. 8. qui bene observant 1. tunc non posse dispensari ultra id quod necessitas postulet. 2. medicantes, quibus data est facultas dispensandi & commutandi vota Episcopalia, non posse dispensare, vel commutare vota reservata sæcularium.

Reservatio votorum. 499 Tertius est, cum dubitatur dubio juris vel facti an votum sit reservatum: tunc enim pro non reservato haberi debet, cum reservatio sit odiosa. Quartus est, quando consuetudine sit reservatio legitimé præscripta. Illa enim sicut legem condere ita & abrogare potest. Qualiter verò sit præscripta in voto castitatis inter conjugatos, vide *Sanch. l. 8. Matr. c. 12. Palaum tr. 16. d. 2. p. 12. n. 10.*

Quintus est, si votū emittatur ex metu injustè incusso, esto metus levis sit, & non obstans voti valori, professione excepta. Tunc enim potest inferior prælatus dispensare. Quia illud votū non censetur reservasse Pontifex. Idem tradit *Gutierres l. 2. canon. c. 22. n. 49.* de votis emissis per homines dominativæ potestati subjectos. At sine fundamento, ut tenet *Suar. cit. l. 6. c. 26. n. 3.*

Sextus est de votis conditionalibus. Hæc enim non videntur cadere sub reservationem, utpote stricti juris. Sed ut perspicué constet, adverte alia esse vota purè conditionalia, alia cōditionalia pænalia, de quibus egimus sect. 3. q. 8. & 9. Adverte 2. hujusmodi vota accipi posse vel ante impletā, vel post impletam conditionem. *Reservatio voti conditionalis.*

Et quidem si sumantur ante impletam conditionem, reservationi non subjacere, pro comperto habent Theologi cum *Sanch. l. 4. c. 40. n. 92. & Suar. cit. l. 6. a. 21. n. 3.* Si sumantur post impletam conditionē, est dissidium inter illos. Nam alij cū *Covarr. de pactis 1. p. §. 13. n. 12. Gutierr. canon. quæst. l. 2. c. 22. n. 50. & Azorio p. 1. l. 11. c. 10. q. 3.* affirmant omninò reservata esse: quia posita conditione trāseunt in absoluta. Alij cum *Suar. cit. l. 6. c. 22. n. 11. Lessio l. 2. c. 40. dub. 8. n. 130.* & Layman l. 4. sum. tract. 4. c. 8. n. 16. media incedunt via asserentes vota puré conditionalia post impletam conditionem reservata esse, non ita vota conditionalia pænalia. *Reservatio voti pænalis.*

500 Hæ sententiæ probabiles sunt, sed probabilior absoluté negans utraque vota illa reservata esse, etiam impleta conditione. Ita *Anton. Gom. in Cruciata claus. 10. n. 99. Petrus Ledes p. 2. sum. tr. 10. c. 8. & Sanch. l. 8. Matr. disp. 10. n. 13. & l. 4. c. 40. n. 99.* Ratio est, quia reservatio utpote stricti juris solū comprehendit vota omninò perfecta, qualia non sunt quomodocumque conditionalia, etiam post impletam conditionem: nam omnia fuere emissa cum imperfecto ac diminuto consensu, utpote sub conditione contingenter futura. Possunt igitur dispensari a quocunque Episcopalem potestatem habente.

QUÆSTIO V.

Quibusnam competat delegata potestas dispensandi, & in quæ vota?

Illi omnes ac soli, quibus ordinarius suam potestatem delegat, potestate delegata funguntur. Nam omnis delegata potestas emanat ab eo qui ordinaria gaudet potestate. Cum verò sæpe verba ambigua ita sint, ut non facile deprehendatur mens delegantis,

Dubium est 1. an sub delegata facultate dispensandi in omnibus votis contineantur reservata? *Sanch. l. 8. Matr. disp. 9. n. 2.* affirmat de voto peregrinationis ultramarinæ, Romanæ, & Compostellanæ, & solum negat de voto castitatis, & religionis. Negandum tamen omninò est contineri aliqua vota reservata sub illa generali concessione. Ita *Basilius Legion. l. 8. Matr. c. 10. n. 5. Layman. cit. tr. 4. c. 8. n. 7. Suar. l. 6. de voto c. 5. n. 4. & Sanch.* suam retractans opinionem *l. 4. de voto c. 40. n. 16.* ubi aperté ait nullum ex quinque votis reservatis venire in generali Indulto votorum, nisi exprimatur. Sumitur ex *c. si Episcopus, de pænit. & remiss. in 6.* ubi loquens Pontifex de casibus reservatis negat cōprehendi sub generali cōcessione. *Dispensatio votorum ex delegatione.*

501 Dubium est 2. an sub delegatione potestatis dispēsandi in votis reservatis, nulla facta exceptione, veniant omnia? Recté affirmant *Suar. cit. l. 6. c. 26. n. 5. & Sanch. c. 40. n. 17.* Quia neque ex speciali ratione, neque ex consuetudine unum potius quàm aliud excipi debet.

Quid si Pontifex in concessione reservatorum exciperet aliquod ex quinque? *Palaus tr. 16. disp. 2. p. 13. n. 3.* asserit non limitari cōcessionem respectu cæterorum. Quia exceptio potiùs firmat regulam, quàm restringat. Hoc valde probabile est. *Sanch. verò citatus n. 20. & 21.* non sine majori probabilitate a Palao dissidet. Si (inquit) a generali concessione excipiantur vota minora reservata, qualia sunt triplicis peregrinationis, non censentur concessa, sed excepta majora, scilicet religionis & castitatis. Quia exceptio minorum arguit Pōtificis mentem esse excipere & denegare majora. E contra si Pontifex dicat, *Concedimus vota etiam castitatis:* vel si dicat *Concedimus vota etiam religionis,* intelligitur concedere vota minora nempe triplicis illius peregrinationis: sed non æquale votū. Quia concesso voto castitatis non censetur concessum votum religionis, aut & contra. Nunquā concessio votorum extenditur ad vota emissa in utilitatem tertij, & ab eo acceptata. *Reservata vota quando veniant in cōcessione.*

502 Dubium est 3. quibusnam potestas illa dispensandi sit re ipsa delegata? Bene respondet Palaus citatus n. 7. solū inveniri delegatam religiosis. Quia *Innocēt. 8.* ut docet *Sanch. l. 4. c. 43. n. 5.* con- *Mendicātes in quibus votis dispensent.*

concessit Mendicantibus posse dispensare in votis, in quibus possunt Episcopi, demptis peregrinationis ultra duas dietas, seu vigenti leucas. Martinus V. concessit Benedictinis absolutè omnia vota Episcopis reservata, quo privilegio per communicationem gaudent Mendicantes.

Episcopo vota reservata.

Rogabis, an virtute hujus privilegij valeant Mendicantes dispensare in votis Pontifici reservatis, casu quo possunt Episcopi? Bené respondet *Sanch.cit.c.43.n.7.* affirmativè, si loquamur de reservatis, quæ ob circunstantiam deficiunt a reservatæ materiæ ratione: negativè, si servata eadem materia Episcopus dispensat ratione necessitatis. Ratio est, quia in primo casu id facit Episcopus potestate ordinaria: in secundo autem ex quadam benigna voluntatis Pontificis interpretatione.

Castitatis voti dispensatio in conjugatis.

Quid de dispensatione ad petendum debitum cum conjugatis voto castitatis obstrictis? Pius V. (inquit idem Sanch.n.10.& 12.) vivæ vocis oraculo concessit Provincialibus Mendicantium, ut possint concedere suis confessarijs approbatis facultatem dispensandi ad petendum debitum cum iis qui ante matrimonium voverunt castitatem. Et intelligitur etiam si nondum consummaverint matrimonium. In voto autem castitatis emisso post matrimonium, possunt dispensare ad petendum debitum, virtute privilegij concedentis omnia vota Pontifici non reservata.

SECTIO VI.

De commutatione votorum.

QUÆSTIO I.

Quid sit commutatio: quam authoritatē, & causam exigat, ut fieri possit?

Cōmutatio quid sit.

503 Commutatio nihil aliud est quàm translatio obligationis ab una materia in aliam, ut si relaxetur jejunium cum onere recitandi rosarium. Nam tunc obligatio jejunij trāsit ad materiam rosarij. Ex quo patet manifesta differentia inter dispensationem, & commutationem: dispensatio enim tollit vinculum & omninò extinguit obligationem, commutatio verò solum transfert.

Cōmutatio voti in bonū majus.

Quod attinet ad authoritatem, quam exigit, ut fiat, notandum est, fieri posse in bonum æquale, & in minus bonum. Sufficere propriam authoritatem, ut fiat commutatio in bonum evidēter majus, vera & communis est sententia, quam tenent *Valent.2.2.disp.6.q.6.p.7. Suar.l.6. de voto c.18.a.n.4.Sanch.l.4.c.49.n.4.& Layman l.4.Sum tr.4.c.8.n 19.* Sumitur ex *c pervenit el 2.de jurejur* & ratione, quia de consensu creditoris potest unum pro alio rectè solui: Deus autem semper mavult illud quod apertè melius est. Dixi (bonum evidēter majus) quia si sit dubium, aut probabilis opinio de illius melioritate, non sufficit propria authoritas, ut docet *Sanch.cit.n.7.*

Authoritas ad vota cōmutanda.

504 Neque obstat quòd votum fuerit emissum in favorem tertij, nisi promissio specialiter illi facta sit, & ab eo acceptata. Unde si promisisti calicem dandum Ecclesiæ determinatæ, poteris dare alteri pauperiori, nisi forte promissionem Deo factam direxeris etiam in Ecclesiam ipsam, & ab ea fuerit acceptata. Utrumque enim rectè postulatur a *Lessio l.2.c.40.dub.16.n 104.*

Communis illa sententia limitatur, ut nō procedat quando commutatio jure prohibetur, sicut prohibentur commutari vota reservata etiam in bonum evidenter majus: imò unum reservatū in aliud reservatum evidenter melius, præter religionem: in votum autem religionis omnia cōmutari possunt. Ita *Sanch.l.4.c.52.n.2.& 5.*

Ex opposito, non sufficere propriam authoritatem, ut fiat commutatio in bonum evidenter minus, seu rē inferiorem, constans omnium sententia est. Quia rationi dissonat velle Deum creditorem obligare, ut rem inferiorem loco superioris debitæ acceptet.

Cōmutatio in æquale bonum.

Sola est dubitatio, quando constat certò rem omninò æqualem esse: an in illam possit votum commutari propria authoritate? Affirmant multi cum *Henriq.l.5.de pænit c.20.n.5.& Roterico 2. tom. sum.c.110.n.4.cond.4.* & probabile dicunt *Suar. Lessius* & alij relati a *Sanch.l.4.c.49.n.10.* Probant, quia æquegratum Deo est bonum duplex omninò æquale: nam licét invito creditore solui nequeat unum pro alio: bené tamen si ipsi gratum sit. *Instit.quibus modis tollatur oblig.* in princ.

505 Nihilominus probabilius negant *Suar. l.6.de voto c.19.n.3. Lessius c.40.dub.16.n.105.& Sāch.cit.n.12.* quibus consentit *Layman l 4.tr.4.c.8.n.19.* Ratio est, quia licét utraque illa materia secūdum se spectata æque grata Deo sit, tamen posita promissione unius nō manet æqu grata Deo oblatio alterius. *Sanch.* tamen *n.14.& Suar.n.11.* bené admittunt commutationem illam posse fieri, quando evidēter constet utrunque bonum esse saltem æquale, & dubitatur an sit melius illud in quod commutandum est. Nam utiliter negotiū domini geris cum lucrum expectes, & jacturam non timeas.

Infert. 1. *Sanch. n.15* voventem certam religionem non posse authoritate propria ingredi æqualem: secús de vovente certum monasterium: potest enim ingredi aliud ejusdem ordinis, nisi in ingressu promissi appareat ratio maioris servitij divini. Infert. 2. n.16. promittentem determinatē rem unico usu consumptibilem, v.g. vinum, satisfacere dando aliam ejusdem bonitatis, nisi peculiaris ratio obstet: secus in alijs quæ unico usu nō consumuntur: v.g in servo, vel calice.

Cōmutationis voti causa.

Superest igitur, ut solum ad faciendam commutationem in bonum æquale vel inferius requiratur aliena authoritas habentis jurisdictionem ordinariam, vel delegatam. Unde juxta *Sanch.cit. n.43.* nec authoritate confessoris carentis potestate delegata ad commutandum fieri potest.

506 Quod attinet ad causam, quam exigit cōmutatio, si facienda est in rē evidenter meliorem, nulla specialis causa exigitur, ut bené docent *Lessius l.2.c.40.n.110. Suar.l.6. de voto c.18.n.9. Sanch. l.4 c.p.50.n.15.& Layman l.4.tr.4.c.8.n.21.* Nam suf-

sufficit pro causa, ipsa susceptio perfectioris obligationis, utpote Deo gratior.

Pro commutatione facieda in bonum æquale, & a fortiori in minus bonum causa requiritur, hoc discrimine, quòd in casu priori causa levior, in posteriori gravior postuletur. Nam pro commutatione facienda in bonum æquale, satis est quòd quis illam ardenter petat sperans subrogatam materiam cum fructu maiori executurū. Pro facienda in bonum inferius, cum non emanet ex pura potestate commutandi, sed ex potestate dispensandi emanare possit, eam requirit causam, quam dispensatio.

QUÆSTIO II.

An, & qualiter commutare possint qui habent potestatem dispensandi, vel solum commutandi?

Potestas cōmutandi & dispensandi.

PRior quæstionis pars, quæ petit an potestas commutandi extendatur ad dispensandum, & e contra potestas dispensandi ad commutādū, & procedit de potestate delegata, conclusione duplici resolvetur. 1 conclusio. Concessa potestate ad commutandum non intelligitur concessa potestas ad dispensandum. Ita ex *Suar. l. 6. de voto c. 12. n. 4. & Sanch l. 4. c. 53. n. 2. Barb de pot. Episc. p. 2. all 37. n. 4.* Patet, nam potestas dispensandi cum sit maior, contineri nequit in potestate commutandi. Si verò concedatur potestas commutandi in bonum inferius, cum ibi partialis dispensatio interveniat, ad talem dispensationem potestas ibi dabitur.

507. 2 Conclusio, concessa potestate ad dispensandum, intelligitur concessa potestas ad cōmutandum. Ita *Suar cit. c. 2. n. 9. Layman. l. 4. sum. tr. 4. c. 8. n. 20. Basilius de matr. l. 8. c. 10. n. 3. & Barb. cit. all. 37. n. 13.* Probatur, nam commutatio est quædam veluti partialis, seu diminuta dispensatio, cum transferat obligationem, eam minuendo: qui autem potest quod est plus, potest quod est minus sub eodem ordine contentum juxta regul. 53. Et quanvis *Sanch. c. 53. n. 4. & 5.* videatur dissentire, tamen re ipsa consentit admittens potentem dispensare posse ex præsumpta delegantis voluntatē miscere commutationem.

Cōmutativa potestas qualiter exerceri possit.

Posterior quæstionis pars, inquirit, qualiter potens commutare, eam potestatem exercere possit? Non loquituur de potente commutare simul & dispensare, sed de eo qui fungitur potestate puré commutativa: & quanvis *Toletus l. 4. sum. c. 18. n. penult & Sà v. voti irritatio n. 10. in edit. complut.* affirment illum posse commutare in bonum paulò inferius, dicendum tamen est cum *Covar, de pact. 1. p. §. 3. n. 4. Suar. cit. l. 6. c. 19. n. 7. Sanch. l. 4. c. 50. n. 4. & Layman l. 4. tr. 4 c. 8. n. 24.* talem potestatem ultra bonum æquale non extendi. Nam commutatio juxta Aristot. 3. ethic. postulat æqualitatem: est enim contractus in quo unum pro alio ex voluntate creditoris subrogatur.

Æqualitas in cōmutatione.

Illud recté præter citatos authores, observat Sayrus in clavi lib. 6. cap. 12. n. 19. non oportere quód talis æqualitas infallibiliter constet, sed sufficere quód probabilitér credatur. Adde nō requiri mathematicam æqualitatem, sed moralem, quæ datur, quoties non patet excessus manifesté, imó licét appareat excessus, sed valde exiguus. Nam quod parum distat nihil distare videtur.

508 Modus faciendi commutationem prudentis superioris arbitrio relinquitur, spectata tū voventis, tum rei promissæ qualitate, & alijs circunstantijs. Quanvis igitur magis congruum sit commutare vota personalia in personalia, & realia in realia tamen recté & convenienter potest commutari personale in reale, & e contra. Nec omninò opus est ut commutetur perpetuum in perpetuū. Quia obsequio temporali nobiliori perpetuum potest compensari.

Rogabis, an in commutando voto peregrinationis computandæ sint expensæ, quas secundùm status sui decentiam vovens erat facturus? Negant aliqui, quia sola peregrinatio, & non expensæ sub votum caduat. Affirmandum tamen est cum *Suar. cit. l. 6. c. 19 n. 20. & Sanch. c. 56. a. n. 14* Quia tales expensæ licét non directé saltem moraliter, & ut quid accessorium promissæ sunt, nisi forte ille vovisset peregrinari mendicendo. Sēper tamen deducendæ sunt expensæ, quæ domi essent faciendæ, ut cū alijs notat *Layman cit. n. 24.*

Qualiter commutentur vota per jubilæum & cruciatam, dicemus tract. 40. & 44.

QUÆSTIO III.

Quando sit irrita commutatio ex defectu æqualitatis, vel causæ?

Cōmutatio voti quando irrita.

IN resolutionibus hujus quæstionis valde dissident summa S Theologiæ moralis lumina Suarius, & Sanchez. Ut aperiam, quisnam ex illis mihi magis arrideat, Dico 1. Commutatio facta authoritate propria in rem æqualem vel minoiē omninò irrita & nulla est. Ita Suar. l. 6. de voto cap. 20. n. 7. Ratio est, quia propria authoritate nemo se potest eximere ab obligatione voti, nisi maiorem compensationem subroget: ut resoluimus supra n. 505. Unde non placet *Sanch. l. 4. cap. 51. n. 11.* dicens commutationem illam non esse omninò irritam; sed teneri voventem aut implere prius votum, aut supplere quod defuit commutationi ut fieret in bonum evidenter majus.

Cōmutationis nullitas.

509 Dico 2. commutatio authoritate prælati facta in bonū inferius eo, quod promissum fuit, est irrita, proindeque non liberat voventem ab obligatione voti, etiam si exequatur subrogatum. Ita *Azor p. 1. l. 11. c. 18. q. 12. Navarr. l. 3. consil. tit. de voto cons. 5. n. 1. Alcozer sum. c. 26. concl. 2. & Suar. lib. 6. de voto c. 19. n. 14.* Ratio est, quia prælatus neminem a voti obligatione potest eximere, nisi prout habet vices Dei: qui autem fungitur potestate commutandi, solum habet vices Dei, ut commutet in materiam æqualem. Et in hoc consentit *Sanch. c. 50. n. 4.* Non igitur cohærenter dicit valere talem commutationem, sed cū onere supplendi.

Dico 3. Commutatio in rem æqualem, quam prælatus sine ulla causa scienter faceret, nulla omninó est. Ita *Suar. cit. c. 20. n. 7. & c. 17. n. 5.* Ra-

tio est quia talis commutatio fieret a non habente potestatem: hæc enim solum a Deo datur rationabiliter, ac proinde ut commutet data causa rationabili.

Infertur 1. voti obligationem tolli per eam solam commutationem; quæ vel propria authoritate fit in melius, vel authoritate prælati fit in æquale causa justa interveniente. Unde graviter peccarent qui aliter cõmutare intenderent. Infertur 2. facta cõmutatione irrita, manere voventem ita obligatum ad votum, ac si nulla fieret commutatio.

QUÆSTIO IV.

An per legitimam commutationem, ita desinat obligatio prioris materiæ, ut ad eam reditus dari nequeat?

510 Apud *Sanch. l. 4. Decal. c. 55. n. 2.* omnes ferè Theologi docent facta legitima commutatione, prioris materiæ obligationẽ extingui. Nam commutatio est antiquæ obligationis extinctio, & novæ susceptio, cum illam ab antiqua in novam materiam transferat. Hoc tamen non obstante, ex benigna interpretatione voluntatis Dei creditoris potest vovens omissa materia subrogata priorem suscipere.

Voti obligatio extincta an redeat. Dubium est 1. an prioris materiæ obligatio reviviscat, facta inutili vel impossibili materia subrogata. Benè respondent *Suar. l. 6. de voto c. 20. a. n. 9. Sanch. l. 8. Mar. disp. 9. n. 21. Sayrus in clavi l. 6. c. 12. n. 24. & Layman l. 4. tr. 4. c. 8. n. 28.* quando cõmutatio legitimè facta fuit in melius, æquale, vel minus bonum, non reviviscere obligationem prioris materiæ, facta inutili, vel impossibili materia subrogata. Quia obligatio semel & absolutè extincta non reviviscit.

Procedit tam de cõmmutatione facta per hominem: quàm de facta a jure per religionis professionem; & non excludit votum religionis assumendæ sive in genere, sive in specie, nec votũ perseverandi, nec votum ingrediendi aliam religionem, vel jejunandi, aliudue opus pium faciẽdi, casu quo a religione fueris expulsus. Nam hæc omnia absolutè commutata non reviviscunt.

511 Dubium est 2. an redeunte obligatione prioris materiæ commutatæ, eo quód commutatio non integrè & absolutè facta fuerit, obligatio materiæ subrogatæ extinguatur? Exẽplo res explicatur: fuisti dispensatus ut non obstante voto religionis vel castitatis posses nubere sub onere commutationis in confessionem faciendam singulis mensibus, mortuo conjuge, & dissoluto cõnubio redit obligatio voti religionis, vel castitatis: quæritur an tenearis ad onus materiæ subrogatæ, scilicet confessionem menstruam? *Sanch. l. 4. c. 55. n. 21.* respondet affirmativè in casu proposito, utpote facta commutatione in onus perpetuum: secùs si fieret in onus temporale. Id probat ex forma, qua solet Pontifex illam commutationem confessario delegare.

Palaus tract. 16. disp. 2. p. 18. n. 6. positam opinionem vocat utilem & securam, sed probabilius judicat oppositum scilicet tam in commutatione in onera perpetua, quàm temporalia cessare omninò obligationem materiæ subrogatæ, quando redit obligatio prioris materiæ. Cui libenter subscribo. Non enim video cur votum religionis & castitatis excipiantur a communi regula, quæ statuit reviviscente obligatione prioris materiæ, cessare obligationem subrogatæ.

Dubium est 3. qualiter voventi liceat omissa materia subrogata, redire ad priorem? Si commutatio fiat in materiam inferiorem, certum est licere voventi, ea emissa redire ad priorem, quam promisit. Quia cum prior sit melior, semper Deo est gratior. Si commutatio fiat in rem æqualem, quanvis aliqui negent licere reditum ad priorem, longè probabilius est licere, ut docent *Suar. l. 6. c. 20. n. 4. & Sanch. l. 4. c. 55. n. 26.* Quia posita æqualitate utriusque materiæ, semper Deo gratius est exequi priùs promissam, quam secundam, cum hæc in solius vovẽtis gratiam subrogetur. *Cõmutatio voti qualiter obliget.*

512 Quid si fiat commutatio in rem meliorem propria, aut prælati authoritate? Suar. cit. lib. 6. cap. 20. n. 4 satis probabiliter existimat non licere transitum ad materiam priorem. Quia per illum Dei cultus, & voventis utilitas minuitur. Dicendum tamen est cum communi sententia apud *Sanch. l. 4. c. 55. n. 26. & Layman l. 4. tr. 4. c. 8. n. 27.* talem transitum licere. Quia illa commutatio ex benigna Dei concessione facta fuit cum facultate redeundi ad materiam priorem.

Dubium est 4. an postquam quis redit ad materiam commutatam, subrogata omissa, iterum ad subrogatam redire possit? *Lessius l. 2. c. 40. dub. 16. n. 111.* videtur sentire voventi esse liberum ex subrogata materia ad commutatam transire, & e contra. Huic sententiæ *Sanch. cit. c. 55. n. 29. & Suar. l. 6. c. 20. n. 13.* subscribunt nisi forte ille vovens rediens ad priorem materiam æqualem vel meliorem renunciaret commutationi. Mihi tamen displicebit ille mutuus & iteratus transitus ab hac in illam materiam factus vicissim, & redolebit inconstantiam, nisi ex causa valde rationabili honestetur.

513 Denique pro facienda rectè & prudenter commutatione, videantur optimæ regulæ, quas affert & exponit *Sanchez l. 4. c. 56. ubi a n. 39.* affert exempla quarundam commutationum a jure, & viris doctis factarum, quas nos in pauca conferamus. *Cõmutationum exempla.*

In *cap. venientis, de voto* commutatur votum Hierosolymitanum cujusdam pueri, ut id votũm eleemosynis redimeret, & toto vitæ periculo uni pauperi provideret. *cap. Magna.* eod. tit. commutatur simile votum cujusdam Episcopi, ut expensas eundi & redeundi & commorandi ibi integrè mittat, & laborem itineris compenset solicitiùs instando vigilijs, devotiùs vacando orationibus, & fortius se exercendo jejunijs.

A viris doctis sic commutatur labor peregrinationis promissæ. Si peregrinatio pedestris sit, ut ultra expensas labor unius diei commutetur in unius diei jejunium, & duorum dierum in duo jejunia, & sic deinceps. Si non pedestris, ut labor quatuor dierum in unius diei jejunium. Votum

non

non in eandẽ matrimonij commutari potest in confessionem mensibus singulis biennio aut triennio faciendam,& in novem sacra.

Votum sacerdotij assumendi, attenta Sacerdotis obligatione ad castitatem solemniter promissam & pensum divini officij quotidie recitãdum,& sæpe eum sacra facturum, commutari potest in quotidianam psalmorum pœnitentiæ cũ letanijs recitationẽ, vel officij B. Virginis, vel calculorum Virgineorum: & in confessionem & communionem quinto decimo quoque die faciendam,& in faciendum celebrari sacrum singulis mensibus,& ut voveat castitatem in statu seculari, vel si nolit castitatem, ut jejunet omnibus sextis ferijs.

Votum jejunandi omnibus sextis ferijs arbitrati sunt viri docti posse commutari in confessionem & communionem per annum integrum decimo quinto quoque die,& in tria sacra facienda: aut in recitationem calculorum virgineorum, & eleemosynam modicam sextis ferijs perpetuò faciendam. Sed prior non videtur æqualis nisi vel duraret triennio, vel adderetur eo anno quotidiana recitatio calculorum virgineorum.

Illud notabis pro tollendis scrupulis, optimũ esse consilium, quantum fieri possit, admiscere semper dispensationem commutationi.

TRACTATVS XXXII.

De nonnullis vitijs religioni contrarijs.

SECTIO I.

De superstitione, idololatria,& divinatione.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit superstitio & idololatria,& quale peccatum?

514 SUPERSTITIO juxta *Tullium* 2. *de nat. Deor. & Lactantium lib.* 4. *divinar. instit. c.* 28. dicitur a superstite, quòd scilicet homines olim nimij erant in precando, & immolando, ut filios relinquerent sibi superstites: vel quòd relictis veteribus Dijs, colerent superstitem memoriam suorum maiorum. Quidquid verò sit de nominis ethymologia. *Superstitio unde dicta & quid sit.*

Superstitio est cultus indebitus,& vana religio, quæ difiniri solet in hunc modum: *Est vitium religioni oppositum secundùm excessum: quia nimirum illa exhibetur cultus divinus creaturæ, cui non debetur: vel Deo cui debetur, sed modo, quo exhiberi non debet.* Dicitur talis cultus oppositus religioni secundúm excessum, non quia dari possit cultus erga Deum, qui divinam excellentiam adæquet, ne dum excedat, sed quia nimietas contra modum debitum potest facere excessum vitiosum.

Cum igitur superstitio nihil aliud sit quàm cultus vanus, ut intelligatur quotuplex sit, dicimus hujusmodi cultum vanum dividi in cultum falsum,& cultum superfluum: cum enim Deus juxta Joan. 4. *in spiritu & veritate oporteat adorari,* efficitur cultum veritati oppositum falsum dici, oppositum spiritui, superfluum.

515 Cultus falsus ille dicitur qui aliquid falsum significando dupliciter evenire solet 1. ex parte colentis. 2. ex parte medij quod in cultum assumitur. Ex parte colentis evenit falsitas, quando quis se fingit legitimum ministrum v.g. Sacerdotem,& nomine Christi ac Ecclesiæ Deum colit: & hæc falsitas solum accidit in cultu publico, utpote qui solus nomine totius Ecclesiæ exhibetur vel per falsum Sacerdotem, vel per verum, sed depositum. *Cultus falsus.*

Ex parte medij ad cultum assumpti evenit falsitas, si ad Deum colendum assumatur medium quod significet falsum, v.g. si quis modò offerret Deo vitulum in sacrificium: nam illo denotaret sacrificium Eucharistiæ non esse unicum, proindeque non absorbuisse antiqua omnia sacrificia. Idem esset si quis vellet falsis miraculis fidem stabilire, aut falsis materijs & formis Sacramenta ministrare.

Illud notandum est falsum cultum posse circa Deum,& circa creaturas directè versari. Circa Deum versatur quoties Deus colitur, vel potiùs dehonestatur per res aliquas falsum significantes, ut patet ex allatis exemplis. Circa creaturas versatur tripliciter 1. si quis illis impendat honorem, recognoscens in eis aliquid divinum,& est Idololatria, ad quam reducitur cultus impensus falsis reliquijs, vel hominibus perditis tanquam sanctis. 2. si quis illis honorem tribuat, ut ab eis obtineat rerum occultarum cognitionem. & hæc superstitio appellatur divinatio. 3. si ut ab eis quis obtineat favorem & auxilium,& vocatur observantia vana. *Idololatria.*

516 Cultus superfluus est ille qui licèt ex se nihil significet falsum, Deum tamen non honorat, eo quòd spectatus in se neque ordinatur ad gloriam Dei, neque ad movendum spiritum: ut si in Missa vel horis canonicis aliquas admisceas cæremonias præter morem Ecclesiæ, v.g. dicendũ *Gloria & Credo,* ubi omittendum est, repetendum *Alleluia,* ubi unum vel nullum proferendum est: si preces ad Deum vel sanctos fundas tot candelis talis coloris appositis,& non aliter. *Cultus superfluus.*

Quod attinet ad peccatum, lethale esse per se exhibere cultum falsum sive ex parte colentis, sive ex parte medij ad colendum assumpti rectè docent *Valent. t. 2. disp. 6. q. 10. p. 2. Suar. tom. 1. de relig. l. 2. c. 2. n. 18. Sanch. l. 2. Dec. c. 37. n. 5. & Bonac. disp. 3. de primo præc. decal. q. 5. p. 1. n. 2.* Nam ex parte colentis datur in materia gravissima usurpatio legationis, ex parte medij, datur infidelitatis professio. *Superstitio quale peccatũ.*

dummodò illa determinatiò cadat sub voto, & vovens memor potestatis irritandi prioris voti determinaverit. Quia determinatio ut sic est quasi nova voti emissio. Palao.n.16.dist. licet ultima limitatio, & ideo putat dari confirmationē, quāvis vovens immemor potestatis irritandi determinaverit.

QUÆSTIO IV.

Ad quenam alia vota extendatur irritandi potestas?

Subditorū vota. 1 Difficultas est, utrùm vota subditorum emissa subjectionis, tēpore implenda tamen post tēpus subjectionis, irritari possint? Exēpla sunt, si uxor aliquid promittat in tempus viduitatis, impubes in tempus pubertatis, pubes in tempus emancipationis, servus in tempus libertatis, religiosus in tempus dispensationis a Pontifice? *Apud Sanch.l.4.c.29.* tres sunt sententiæ. Prima eam facultatem cuicunque superiori denegat. Secunda habentibus potestatem dominativam concedit.

Utraque probabilis est. Tertia prababilior distinguit. Nam subditi sunt in duplici genere: alij plené subduntur quoad voluntatem, quales religiosi respectu sui prælati, & filij impuberes respectu patris & tutoris: alij veró solum subduntur quoad aliqua obsequia, quales servus domino, filius pubes patri & curatori. Unde priorum vota emissa ad tempus solutæ subjectionis possunt superiores irritare, non autem posteriorum. n.3. Addit n. 4. illorum vota semel irritata non reviviscere.

Tempora votorum emissorū. 474 Quid si votum uxoris, puberis, vel servi sit emissum ad utrunque tempus, subjectionis & libertatis? Respondetur non posse irritari, nisi pro solo subjectionis tempore. Quia solum pro tunc possunt domino obesse. Unde nec a præsenti superiore irritari poterunt, si ei non præjudicant. In omnibus hactenus decisis concordat *Palaus tr. 16.d.2.p.3.§.4.n.1.cum Sanch.citato.*

Quid si pubes, uxor, & servus emittant votū perpetuum absque distinctione & limitatione tēporis, v.g. recitandi rosarium quotidie per totam vitam: poteritne pater, maritus, vel dominus illud absoluté & in perpetuum irritare? Affirmat *Sanch.n.7.* Quia tale votum emittitur indivisibiliter, ac proinde non censetur emissum partim in subjectionis, partim in libertatis tempus. Negat *Palaus cit.n.2.ex Lessio lib.2.c.40.n.86.in 2.edit. & Bonac.disp.4.q.2 p.7.§.2.* Quia tale votum afficit tēpus divisibiliter, & ideo pro solo tempore subjectionis, quatenus præjudicat superiori, irritari potest. Utrunque probabile est.

2 Difficultas est, an potestas irritandi extendatur ad vota emissa tempore, quo voventes erant sui juris? Communis & vera sententia est nō extendi potestatem directam, & extinctivam, sed solam indirectam, & suspensivam. Patet 1. pars, quia superior solum potest directé irritare votū, quod emissum fuit sub ejus beneplacito, ac proinde subjectionis tempore. Patet 2. pars, quia superior ex potestate dominativa habet jus, ne sibi præjudicetur per votum; ergo illius executionē potest suspendere. Unde vota uxoris tempore libertatis emissa, possunt a marito suspendi prout illi præjudicant, & non aliter. Ita *Azor p.1.lib. 11.c.17.q.14.Valen.2.2.d.6.q.6.p.6.q.uit Sayrus in clavi l.6.c.10.n.11.Suar.l.6.de voto c.4.n.16.& Sanch.l.4.c.31.n.9.* ex quo sequitur vota servorum tempore libertatis emissa solum suspendi posse, & non irritari a superveniente domino.

475 Rogabis, an vota conditionalia emissa tempore sui juris, quando conditio impletur tēpore subjectionis, reputentur emissa tempore subjectionis? *Sanch.c.31.* respondet affirmativé sive conditio impleatur per accidens, illo tempore qualis illa (si navis venerit) sive impleatur per se, qualis illa (si Petrum duxero.) Quia & si in legatis attendatur tempus impletæ conditionis, secus est in contractibus cōditionalibus, quibus assimilatur votum: solum enim inspicitur tempus initi contractus. Conditionale votum.

Mihi omninò arridet Palaus tr.16.disp.2. p.3. §.5.n.4. sic distinguens, si appositio conditionis non sit libera voventi, vel quia casu contingit, vel quia pendet ex voluntate alterius, vera est proxima resolutio. Quia tunc talis appositio nō est voluntaria obligationis susceptio. Si autem cōditionis appositio pendeat ex voluntate voventis, & hic illam apponat tempore subjectionis, hoc tempore reputabitur votum emissum, quia tunc incipit obligare ex libera voluntate vovētis.

3 Difficultas est, an vota executioni mandata vel in hæredem translata irritari possint? Dico 1. vota sive realia, sive personalia, postquam executioni mandantur, irritari nequeunt. Ita *Valent. 2.2.d 6.q.6.p.6.q.3.& Sanch.l.4.c.27.n.3.* Ratio est, nam votum executioni mandatum omninó cessat. Dico 2. vota translata in hæredem, voventis, superior irritare non potest. Ita *Sanch. l.4.c.24 n. 57.* Patet, quia obligationes justitiæ irritabiles non sunt, & hæres non obligatur ex voto, sed ex contractu cum defuncto tacité inito. Vota executioni mandata.

Denique observabis discrimen inter promissionem factam Deo, & promissionem factam homini, illam a Deo, hanc ab homine acceptatam. Quia licèt promissario sive Deo, sive homini jus quæsitum fuerit, tamen superior potest irritare promissionem factam Deo, & non factam homini. Disparitas est, quia superior habet vices Dei ut priorem irritet, & non habet vices hominis, ut tollat posteriorem.

QUÆSTIO V.

Qualiter & quando possit impendi irritatio?

476 Lessius l.2.c.40.n.72.in 2.edit. Sanch. l.9 Matr.d.43.n.10. & Theologi communiter ex c.30.Numer. recté docent tunc irritari votum a superiore, quādo voto cognito, ille subdito denegat absoluté licentiam illud exequendi sine ulla limitatione temporis. Nam vota subditorum repugnante superiore corruunt: habent enim imbibitam conditionem in rebus prohibitis, *si superior licentiam concedat*, & in rebus permissis, *si superior non contradicat.* Irritatio voti quādo fiat.

Dixi

Dixi (voto cognito) quia si votum ignoretur, non dabitur voti irritatio, utpote in voluntaria ex defectu cognitionis. Dixi (deneget absolutè licentiam) quia si deneget ad tempus, eo transacto subditus tenebitur votum exequi.

Irritatio & dispensatio voti sine causa.

Illud ex *S. Thoma q. 88. a. 12. ad 2. Suario de voto l. 6. c. 1. n. 9. & Sanch. l. 4. c. 24. n. 7.* rectè tradit *Basil. Ponze l. 10. matr. c. 17. n. 22.* voti irritationē & suspensionem, si egrediantur a potestate dominativa non exigere causam ad sui valorem: secus si procedant a potestate jurisdictionis. Ratio disparitatis est, quia votum cessat infallibiliter sublata conditione prælati non repugnantis, sive ex causa, sive absque causa: at cum dispensatio fiat nomine Dei, rationabiliter & ex causa fieri debet.

477 Justé ne & licitè irritatio sine causa cōcedi possit? Affirmant *Navarr. c. 12. n. 73. Azor p. 1. l. 11. c. 17. q. 5. & Basilius l. 10. Matr. cap. 17. n. 24.* Quia superior nullo vinculo tenetur ad consentiendum voto subditorum, sine quo consensu votum irritatur; ergo non eget causa, ut licité consensum deneget.

Hoc probabile est, sed probabilius peccare saltem venialiter, ut docent *Lessius lib. 2. c. 40. n. 70. Suar. l. 6. de voto c. 1. Sanch. l. 4. c. 24. n. 13. & Layman l. 4. tr. 4. c. 7. n. 18.* Quia semper est rationi dissonū exercere talem potestatem absque causa rationabili, qualis erit utilitas aliqua voventis, aut irritātis. Ut irritatio validè & licitè fiat, non requiritur, quód superior cognoscat tale vel tale votum esse, sed sufficit cognoscere subditum illam petentē voto gravari.

Irritatio cōmutatio & dispensatio voti invito subdito.

Rogabis 1. an potestas irritandi possit exerceri erga subditum contradicentem? Rectè affirmant *Sayrus in clavi l. 5. c. 8. n. 6. Suar. l. 6. de voto c. 1. ad finē, & Sanch. l. 4. c. 24. n. 25.* Ratio est, nam quidquid reunt subditus, per efficacem voluntatem superioris irritantis cessat votum ex defectu consensus superioris, quo emissum fuit. Unde quanvis commutatio fieri nequeat invito subdito, & idem judicet *Suar. cit. c. 1. n. 13.* de dispensatione, tamen probabilius existimo cum Sanch. cit. cap. 24. n. 26. dispensationem posse conferri subdito invito.

Irritandi potestas in dubio.

478 Rogabis 2. an potestas irritativa possit exerceri in dubio? Potest dubium oriri vel ex parte irritantis, vel ex parte voventis. Si ex parte irritantis, quia dubitatur an sit verus pater, maritus, dominus: an sit legitimus tutor, prælatus? rectè distinguit *Sanch. l. 4. c. 32. n. 15.* asserés posse irritare, si sint in possessione: secus, si possessione careāt. Quando oritur dubium ex parte voventis, rectè docet *Suar. l. 4. de voto c. 6. n. 1.* potestatem certam superioris nō impedire. Quia ob causam dubiam nemo certo jure privari debet.

Infertur 1. posse patrem irritare vota personalia filij impuberis, & realia puberis, quanvis dubitetur, fuerint ne tempore impubertatis personalia, & realia post pubertatē emissa. Infertur 2. posse tutorem vota impuberis, curatorem vota puberis, maritum vota uxoris irritare, quanvis dubitetur, fuerint ne emissa tempore, quo sui juris erant. Infertur 3. quando vovens est certus tempore subjectionis emisisse votum, quod tunc impleri poterat, & dubitat an ejus executionem distulerit in tempus libertatis, irritari posse.

Renovatio an cōfirmet votum.

Quid si dubites, an facta voti renovatione tēpore habili ad illud firmandum, legitimé confirmaveris, & impedieris irritandi potestatem? Regulariter nec confirmasti, nec talem potestatem impedisti. Quia renovans solum intendit impositum onus approbare, & non de novo imponere. Quid si superior de facto votum irritet, quod irritare non poterat, & constet postea de defectu talis potestatis? Irritatio facta non subsistit. Quia error esto suppleat jurisdictionem, non supplet dominationem. Vide *Palaum d. 2. p. 4.*

De legato potestatis irritandi.

479 Rogabis 3. an possit delegari irritativa potestas? Negant aliqui. Quia sicut delegatio jurisdictionis fieri nequit sine ejusdem communicatione, ita delegatio irritationis fieri non potest sine communicatione dominij: & illud dominium communicari nequit.

Dicendum tamen est quanvis delegari nequeat, ut alter nomine proprio irritet, posse tamen, ut nomine alieno v. g. tanquam procurator, qui alterius gerit vices, id possit. Ita *Sanch. l. 4. c. 24. n. 54. & Suarius l. 6. de voto c. 7. n. 17.* Explicatur, nam clericus non beneficiatus potest constitui a parocho ut matrimonio assistat, & quis matrimonij incapax potest constitui procurator, ut illud contrahat. Nam uterque d. legatus non proprio, sed alieno nomine assistit, & contrahit.

QUÆSTIO VI.

Qualiter vota servorum, & conjugatorum irritari possint?

Domini in irritādis votis servorū.

Quod attinet ad servos, domini ea tantum servorum vota tempore servitutis emissa possunt irritare, quæ eorum servitio præjudicant. Ita *Azor l. 11. c. 16. q. 8. Lessius l. 2. c. 40. n. 86. in 2. edit. Suar. lib. 6. c. 3. n. 2. & Sanch. l. 4. c. 36. n. 2.* Patet, quia dominus non est superior voluntatis servi simpliciter, sed solum ratione servitutis sibi debitæ. Unde vota ante servitutem emissa possunt suspendere in quantum obsequio sibi debito obfuerint.

Infertur 1. non posse dominum irritare votū castitatis, vel aliquarum precum, vel moderati jejunij: secus si preces immoderatæ, vel jejunium frequens servum debilitent. Poterit etiam suspēdere quodcunque votum, ex quo etiam per accidens sequatur præjudicium debiti obsequi. v. g. si servus scrupulis vexatus reddatur minus aptus & promptus.

Infertur 2. non posse irritare vota de præceptis observandis, sed aliquando suspēdere. Infertur 3. posse irritare vota realia. Quia servi operæ, ars, industria, resque in bonis domini numerantur. *Instit. per quas personas nobis acquir. §. Item vobis.* Quod intelligitur nisi propriū aliquid possideat, quod a domino auferri nequeat. Vota præjudicantia, si indivisibilia sint, in totum irritari possunt; si divisibilia, quoad excessum.

Uxor in irritādis votis servorum.

480 Rogabis, an nō solus vir, sed etiam uxor

legi cum D. Thoma 2.2.q 88.a.12. dispensationem ad sui valorem & honestatem expostulare causam justam. Probatur, quia dispensatio voti, cum fiat in jure divino, ac proinde nomine Dei, in tantum fieri potest, in quantum Deus ipse cōsentiat: Deus autem solum intelligitur consentire, quando datur causa justa, & regimini Ecclesiæ expediens: aliter voti remissio irrationabilis foret.

Quid si potens, & concedens dispensationem bona fide procedant credentes adesse causam legitimam, cum re vera non adsit? *Lessius l.2.c.40. n.19. & Sanch.l.4.c.44.n. 10.* existimant validam & licitam evadere dispensationē. Ratio, est quia ad sedandos scrupulos, & bonum Ecclesiæ regimen, consonum videtur, ut Deus voti relaxationē nomine ipsius, & bona fide factam approbet.

492 Nihilominus Palaus tr.16.disp.2.pun.9. n.4. ex Salas & Basilio citatis affirmat talem dispensationem esse quidem licitam, sed non validā. Ratio est, quia ad sedandos scrupulos sufficit dispensatio quæ creditur legitima etiam ex causa dubia, quandiu talis præsumitur: secùs quando cessat præsumptio apparente manifestè insufficientia causæ. Utraque opinio probabilis est.

Causæ dispensādi in voto quæ sint. Dubiū est 2. quænam sint causæ ad voti dispensationem sufficientes? Rectè cum *S. Thoma 2. 2.q 88.a.12.* docēt Theologi apud *Suar l.6. de voto c.17.n.8. & Sanch. l.4.c.45.n.27.* eas esse causas sufficientes ad voti dispensatiohem, quæ voti executioni obstant. Cum enim obligatio exequendi votum in Dei honorem & voventis utilitatem cedat, Deus solum intelligitur illius remissioni consentire, quando causa executionem obligationis modo aliquo impedit.

Ut in particulari causæ obstantes executioni voti innotescant, sumi debent tum ex modo vovendi, tum ex materia voti. Ex modo vovendi, si votum emittatur temerè, imprudenter, & absq; perfecta deliberatione, ut solet accidere in tenera ætate. Item si interveniat in vovendo metus, tristitia, aliæve passio circa causam impulsivam, vel quia cessavit causa motiva. Nam hæc omnia & minuunt voluntarium, & afferunt periculum violationis. Addo cum *Sanch.l.8.Matr.d. 20 n.12.* hæc omnia justam causam dispensandi præbere, quanvis vovens nec sentiat specialem exequendi difficultatem, nec exponatur speciali periculo violandi: quidquid in oppositum dicat *Valent.2 2. disp.6.q.6.pun.7.ad fin.*

Cōmutatio admixta. Observat benè *Suar. l.6.de voto c.17.n. 8.* quanvis defectus perfectæ libertatis præstet sufficientem causam dispensationis, tamen non semper ut relaxetur absque commutatione aliqua. Unde *Sanches l.8.Matr.disp.20.a.n.13.* infert 1. votum emissum in pupillari ætate posse absolutè dispēsari absque ulla commutatione.

Timor est causa dispensationis. 493 Infert 2. mortis timorem conceptum ex naufragio, vel infirmitate non præbere reguláriter causam sufficientem dispensationis, nisi detur aliquando ex nimio affectu conservandi vitā. Quia tunc potest dispensari, sed aliqua admixta commutatione. Et idem est si votum fiat ex ira, tristitia, similive passione. Votum tamen emissum ex metu injuste incusso habet causam integræ dispensationis.

Infert 3. errorem circa causam impulsivam, item causæ illius cessationem dare sufficientem causam dispensationis ex diminuto voluntario, quanvis debeat admisceri commutatio. Infert 4. dubium de intentione obligationis præbere similiter causam dispensationis, saltem apposita commutatione.

Ex voti materia desumi possunt nōnullæ causæ justæ, quæ nempe obstent illius executioni. 1. si attenta voventis fragilitate, imò malitia detur occasio frequentis violationis. 2. quando dubium fuerit, sitne votum maioris boni impeditivum. 3. si in voti executione gravis difficultas, nec satis prævisa sentiatur. 4. si ex voto impediatur bonū commune. Unde votum castitatis vel religionis potest dispensari ad matrimonium ineundum, pro discordijs publicis sedandis.

494. 5 Si ex voto observato immineat grave damnum propriæ domui vel familiæ, v.g. ex voto longæ peregrinationis ob voventis absentiam, item ex voto castitatis aut religionis ob defectum sobolis. Videatur *Sayrus in clavi l.6. c. 72. Suar.cit.l.6.c.17. Sanch.l.8.Matr.d.20. & Layman l.* 4.tr.4.c.8. qui benè notant 1. quo votum excellētius & gravius est, eo graviorem postulare causam. Unde cum rarò inveniatur quæ adæquet integram dispensationem, fere semper requiretur admixta commutatio. Notant 2. data legitima causa posse superiorem dispensare, imó ad id teneri aliquando; scilicet quando judicatur graviter expedire communi aut speciali bono. *Cōmutatio in dispēsatione.*

QUÆSTIO II.

Quinam possint jurisdictione ordinaria dispensare, & in qua vota?

Conveniunt Theologi apud *Suar. de voto l.6 c.10. & Sanch.l.4.c.38* omnes prælatos jurisdictionem quasi Episcopalem habentes posse ordinaria jurisdictione erga suos subditos ad dispensandum in omnibus votis, quæ specialiter reservata non sunt. Unde non solum Pontifex, sed etiam Episcopus. Archiepiscopus, Legatus a latere in sua Provincia, Summi Pontificis Pœnitentiárius, Capitulum sede vacante, Prælati regulares exempti, & Abbates habentes propriā diœcesim illa jurisdictione gaudent. Secus de parocho, qui nullam habet potestatem dispensandi, nisi ex consuetudine in legibus jejuniorum & festorum, cum Episcopus abest. Abbatissa non potest dispensare cum monialibus, utpote spiritualis jurisdictionis incapax. *Iurisdictio ordinaria dispensandi.* *Parocus & Abbatissa ad dispensādum.*

Rogabis 1. quisnam cum prælatis regularibus dispensare possit? Benè respondet *Sanch.l.4.c.39.n. 10.* posse superiorem cum inferiori, nempe cum locali provincialem, cum hoc generalem, & cum hoc totam religionem. An possint hujusmodi prælati committere suo confessori ut cum ipsis dispenset, vel ipsi cum se ipsis dispensare? Utrunq; negat *Suarius lib. 6.de voto c.11.n.5.* Utrunque af-

firmat *Sanch.l.8. Matr.d.3.n.3.& 9.* Utriusq; Doctoris tanta authoritas est, ut meo judicio efficiat opinionem probabilem. Quales prælati seculares possint dispensare in votis regularium. Vide *Sanch.l.4.c.39.a.n.24.*

Dispensare in votis novitiorum. 495 Rogabis 2. an prælati regulares possint dispensare in votis novitiorum? Satis probabilis est negativa sententia, quam tenent *Azor p. 1.l.12. c.19.q.21. Sayrus in clavi l.6.c.11.n.92.& Suar.l.6. de voto c.11.n.9.* Sed affirmativa probabilior apud *Roter. tom.1. quæst. regul. q.25. art.8. Sanch.l.4.c.39.n.17.& Palaum tr.16 disp.2.p.10.n 3.* Ratio est, quia licét tales prælati careant potestate dominativa erga novitios, habent tamen spiritualem jurisdictionem. Deinde verius est novitios gaudere privilegijs religionis.

Episcopus dispensans cum novitijs. Episcopus etiam in votis novitiorum dispensare, & ea commutare potest, ut recté docent *Henriq.l.7.de indulg.cap.22.n.7. Suar.lib.6. de voto c.11. n.9.& Bonac.disp.4.q.2.p.7.n.28.* Quia novitij per ingressum religionis plenam exemptionem non comparant.

Dubium est quinam Episcopus possit dispensare, ille qui est antiquæ diœcesis, an illius in qua novitij de præsenti resident. Bené decidit *Sãch.lib. 4 c.39.n.20.* in hunc modum. Quanvis satis probabile sit esse proprium Episcopum, ut cum novitio dispenset, vel ad ordines promoveat, illum qui est propriæ habitationis, quando novitius agit novitiatum in alia diœcesi, tamen probabilius est tale munus spectare ad Episcopum diœcesis, in qua est novitiatus.

Vota reservata quæ. 496 Quod attinet ad vota, in quibus supradicti prælati habent potestatem ordinariam dispensandi, certa resolutio est posse dispensare in omnibus votis, quæ specialiter reservata non fuerint. Constat autem ex *c ex multa, c. super his de voto Extrav. Sixti 4. Et si domini & c. 2. de pœnit. & remiss.* Sola quinque vota reservata esse, nempe castitatis, religionis, peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ, & Compostellanæ. Ita *Suar.lib.8. Mari. cap. 8.s.1.n.6. Less. cap.40. dub.18.& Layman.l.4. tr. 4.c.8.*

Unde sine fundamento inter vota reservata aliqui numerant votum convertendi debita incerta in subsidium terræ Sanctæ, votum assumendi crucem, in qualibet expeditione, quam Pontifex fecerit, & votum peregrinationis Lauretanæ.

QUÆSTIO III.

Qualiter emissi debeant prædicta quinque vota ut Pontifici omninò reservata sint?

Reservatio quinque votorum. Vt intelligatur quando per jurisdictionem ordinariam fieri possit dispensatio per prælatos inferiores Summo Pontifice, in dictis quinque votis, deficiéte materia a natura materiæ reservatæ, Theologi cum *Sanch.l.4.c.40.n.41. Suar. l.6.de voto c.11. Lessio c.40. dub.18. Azor. p.1. l.11. c.19.q.9.* ex receptissimo axiomate, quod reservatio odiosa sit, utpote ordinariam potestaté restringens, deducunt hanc certam & generalé regulam. Quando non promittitur tota materia reservata, sed pars ejus, item quando votum non obligat præcisé ad materiam reservatam, aut dispensatio non est circa materiam reservatam directé, sed circa aliquam circunstantiam ei adjúctam, potest Episcopus dispensare. Patebit ex illationibus.

497 Infertur 1. cum *Sayro in clavi l. 6.c.11.n. 64.* neque votum religionis non approbatæ, neque votum paupertatis & obedientiæ extra religionem reservata esse. Addit *Sanch. cit.n.71.* idem procedere de voto ingrediendi religiones equitũ, excepto ordine B. Joannis. Quia non sunt veré religionis vota. Infertur 2. vota imperfectæ seu non integræ castitatis, qualia sunt non nubendi, non fornicandi, non polluendi, non tangẽdi turpiter fœminam, vel non petendi debitum conjugale, reservata non esse.

Infertur 3. non esse reservatum votum Herosolymitanæ, compostellanæ, & Romanæ peregrinationis emissum ob alium finem expressum, quám devotionis talium locorum. Quia *Extrav. & si dominici* solum reservatur quod emittitur ex illorum locorum devotione.

Infertur 4. quodlibet ex quinque votis emissum sub aliqua accidentali circunstantia, non esse reservatum qua parte illam spectat, sed illa seclusa, manere integré reservatum. Unde Episcopus potest dispensare in qualitate adjuncta substantiæ voti, v.g. cum promittente Arctiorem religioné, ut laxiorem ingrediatur: item in voto perseverãdi in religione, & in voto exequendi statim votũ religionis. Quia non sunt vota religionis. Item in circunstantijs voti peregrinandi pedibus, vel mẽdicando. Quia illis ablatis votum reservatum manet integrum.

Infertur 5. non esse reservatum, sed dispensabile ab Episcopo votum illud, in quod reservatum commutatum est, v.g. si Pontifex votum religionis aut castitatis in jejunium, aliudue pium opus commutet. Ita ex *Suar.l.6.c.20.n 15.& Sanch.cit. c.40.n.46. Layman l.4. sum.tr.4.c.8.n.13.*

498 Infertur 6. non esse reservatum votum disjunctivum in materia partim reservata partim nõ reservata, ut si voveas castitatem, vel certam quinto quoque die eleemosynã facere. Quia semper manes liber ad eligendam materiam non reservatam. Addunt citati authores procedere quanvis materia non reservata decursu temporis impossibilis fiat, dummodò reservatam tu ante talem impossibilitatem determinaté non elegeris. Infertur 7. Votum non petẽdi dispensationem voti ab alio quàm a Pontifice, reservatum non esse. Quia non est votum de materia reservata.

QUÆSTIO IV.

Sintne eventus alij in quibus inferiores prælati in votis reservatis dispensare possint?

Eventus multiplex, in quo procedat quæstio, dari potest. Primus est, quando vovens intendit solum se obligare sub veniali. Et tũc recté judicat Sanch. cit.n.47. posse dispensari ab Episcopo. Quia ut votum sit reservatum, debet emitti *Dispensatio in votis reservatis*

ex

n.10.assert.5.Ratio est, quia jus attendens ætatis illius imbecillitati voluit, ut omnia vota emitterentur sub parentis beneplacito, ut hic posset illorum obligationem tollere, vel confirmare.

Dubitatio est, quinam sub nomine patris & sub nomine filij veniant ad hujusmodi irritationem? Sub nomine patris venit tutor: hic enim loco patris subrogatur. Mater vivente patre nihil potest: illo tamen mortuo, amente, vel longé degéte, si filio datus est tutor, vel curator, mater nihil potest. Si nullus tutor datus sit, neque existat avus ex parte patris, mater poterit irritare vota filij, non quia tutrix sed quia jure naturali debet regere filium impuberem, patre, avo & tutore deficientibus. An in prædictorum defectum veniat herus, vel magister? Affirmant *Suar. cit. n. 29. & Layman. c. 7. n. 10.* Negant *Sanch. cit. c. 35. n. 84. & Bonac. d. 4. q. 2. p. 7. §. 2.* Utrunque probabile est.

Patris nomine qui

Mater irritans vota.

Sub nomine filij venit non solum legitimus, sed etiam naturalis & spurius, ut recté docet *Sách. l. 4. c. 35. n. 82.* Quia esto pater ad filium naturalem vel spurium regendum careat potestate civili, illam tamen naturalem vendicat, ut illi consulat, quando aliunde destitutus est.

485 Sit resolutio posterior, Pater ea sola vota filiorum puberum irritare potest, quæ suæ domesticæ administrationi obesse poterunt, & non alia. Ita *Valen. 2. 2. disp. 6. q. 6. p. 6. q. ult Sayrus in clavi l. 6. c. 5. n. 6. Sanch. l. 4. c. 35. a. n. 15. & Bonac. d. 4. q. 2. p. 7. §. 2.* Sumitur ex cap. 1. & 2. 20. q. 2. & ratione, quia cum post pubertatem filius habere præsumatur discretionem plenam ad vovendum, nulla ex parte voluntatis adest causa irritationis, potest tamé adesse ex parte rei promissæ quæ obstet paternæ gubernationi.

Puberum vota.

Infertur 1. non posse patrem irritare filij puberis votum religionis, castitatis, suscipiendi ordines, frequentandi Sacramenta, fundendi moderatas preces, & moderatè jejunandi: posse tamen irritare votum longæ absentiæ & peregrinationis, etiam in subsidium terræ Sanctæ, imó & eundi Romam pro obtinenda absolutione reservata, si ex privilegio haberi possit.

Infertur 2. non posse irritare votum reale ex bonis in quibus filius sui juris est, nempe castrensibus, vel quasi. Poterit tamen irritare votum ex bonis adventitijs, si illorum administrationem & usum fructum habeat, secus si non habeat. Unde dum filius est in minori ætate, si patri non competat administratio, vel quia sub ea cõditione bona filio data sunt, vel quia pater recusavit administrare, non ipsi, sed curatori potestas ea vota irritãdi competit. Infertur 3. vota filij puberis nõ esse a patre irritabilia quotiescunque a patria potestate egreditur.

486 Rogabis 1. quam potestatem habeat curator & mater minoris in irritandis illius votis? Quod attinet ad curatorem respectu minoris (& idem est de tutore respectu pupilli) recté docent *Suar. l. 6. de voto c. 6. n. 22 & Sanch. l. 4. c. 35. n. 70* eandem potestatem habere, quam habet pater. Nam loco patris plené subrogatur. Quod si plures curatores sint, penes quemlibet integra potestas est irritandi vota puberis. Quia non est major ratio cur uni potiús quàm alteri competat.

Curator & tutor in votis irritãdis.

Quod attinet ad matrem, si curatrix sit, de eadem procedit quod de curatore diximus. Si curatrix non sit, & minor curatorem habeat, certum est nihil posse in illius votis irritandis. Si careat minor curatore, tenent *Sà v. voti irritatio n. 1. Sayrus in clavi l. 6. c. 10. n. ult. Rodrig. tom. 2 sum. c. 91. n. 10.* & alij posse tunc matrem in votis minoris quidquid pater. Rectius tamen negant *Suar. lib. 6. de voto c. 5. in fine & Sanch l. 4. c. 35. n. 77.* quia mater ut talis neque potestatem in filij puberis bona habet, neque in personam.

Rogabis 2. an sicut in contractibus, ita in votis competat minoribus notabiliter læsis restitutio in integrum? Affirmant Sylvester, Paludan. & alij apud *Sanch. cit. c. 35. n. 85.* ex paritate rationis. Negandum tamen omninó est cum *Sanch. cit. n. 86. & Bonac. disp. 4. q. 2. p. 7. §. 2. n. 24.* Disparitas est, nam in contractibus datur restitutio in integrũ propter defectum voluntarij ex deceptione quæ præsumitur fieri minoribus: at in votis deceptio dari nequit: Deus enim qui est voventis creditor, neminem decipit.

Restitutio in integrum pro votis.

QUÆSTIO VIII.

Quæ & qualiter religiosorum vota possint irritari?

487 Quæstio decidetur, expedita triplici difficultate. 1. difficultas est, quænam religiosorum vota prælati irritare possint? Constat 1. posse irritare vota omnia quæ obstare possunt jurisdictioni prælatorum, & regimini peculiari religionis. Constat 2. non posse irritare illa vota, quæ vel religiosum statum cõstituunt, qualia sunt paupertatis, castitatis, & obedientiæ, vel sunt illi annexa, quale votum quadragesimalis abstinentiæ in ordine Minorum, & votum solẽne obediendi S. Pontifici, aliaque simplicia in Societate Jesu. Constat 3. non posse irritare votum transeundi ad religionem strictiorem *cap. licet, de regul.* Si Pontifex interdicat talem transitum, votum illius nullum erit, nisi solum prohibeatur, ut absque licentia Pontificis non fiat: tunc enim valebit, & obligabit ad petendam licentiam.

Vota religiosorũ quæ irritari possunt.

Dubitatio est an possint irritare alia vota, scilicet quæ neque a Pontifice prohibentur, neque impediunt gubernationem religiosam? Exemplũ esse potest, si religiosus emittat votum vitandi aliquod peccatum v. g. non mentiendo, vel observando aliquam regulam. Negat *Caietan. 2. 2. q. 88. a. 8. dub. ul. Armilla v. votum r. 9. Palatius in 4. d. 38. disp. 3.* & probabile judicat *Lessius l. 2. c. 40. d. 3. n. 74. & Sanch l. 4. c. 33. n. 7.*

Affirmandum tamen est cum *Sayro in clavi lib. 6. c. 10. n. 9. Azorio p. 1. l. 11. c. 17. q. 16. Suar. lib. 6. de voto c. 7. n. 3. Bonac. disp. 4. q. 2 p. 7. §. 2. n. 26. Sanch. & Lessio citatis.* Ratio est, quia licét materia illa non subdatur prælato, quatenus est præcepti, subditur tamen quoad novam voti obligationem: deinde religiosus non minus subjicitur in emittendis votis suo prælato, quam pupillus seu filius impubes

ex intentione proportionatâ materiæ reservatæ, qualis non est intentio obligationis levis.

Secundus est, quando gravis necessitas dispensationis urgeat, nec Pontifex, vel qui ejus vices habet, adiri possit, & ex dilatione immineat grave periculum spiritualis salutis, vel temporalis honoris, v.g. frequentis voti violationis, aut dedecoris in virgine violata, si statim non contrahatur matrimonium, aut moribundus non nubat ad legitimandam prolem. Tunc enim voto castitatis aut religionis adstrictum dispensari posse per inferiorem prælatum, docent *Suar. l. 6. de voto c. 26. n. 9. Sanch. l. 4. c. 40. n. 44. Lessius l. 2. c. 40. n.* 126. & multis citatis *Barbosa de pot. Episc. p. 2. all. 37. n.* 8. qui benè observant 1. tunc non posse dispensari ultra id quod necessitas postulet. 2. medicantes, quibus data est facultas dispensandi & commutandi vota Episcopalia, non posse dispensare, vel commutare vota reservata sæcularium.

Reservatio votorum. 499 Tertius est, cum dubitatur dubio juris vel facti an votum sit reservatum: tunc enim pro non reservato haberi debet, cum reservatio sit odiosa. Quartus est, quando consuetudine sit reservatio legitimè præscripta. Illa enim sicut legem condere ita & abrogare potest. Qualiter verò sit præscripta in voto castitatis inter conjugatos, vide *Sanch. l. 8. Matr. c. 12. Palaum tr. 16. d. 2. p. 12. n.* 10.

Quintus est, si votū emittatur ex metu injustè incusso, esto metus levis sit, & non obstans voti valori, professione excepta. Tunc enim potest inferior prælatus dispensare. Quia illud votū non censetur reservasse Pontifex. Idem tradit *Gutierres l. 2. canon c. 22. n.* 49. de votis emissis per homines dominativæ potestati subjectos. At sine fundamento; ut tenet *Suar. cit. l. 6. c. 26. n.* 3.

Reservatio voti conditionalis. Sextus est de votis conditionalibus. Hæc enim non videntur cadere sub reservationem, utpote stricti juris. Sed ut perspicuè constet, adverte alia esse vota purè conditionalia, alia cōditionalia pœnalia, de quibus egimus sect. 3. q. 8. & 9. Adverte 2. hujusmodi vota accipi posse vel ante impletā, vel post impletam conditionem.

Et quidem si sumantur ante impletam conditionem, reservationi non subjacere, pro comperto habent Theologi cum *Sanch. l. 4. c. 40. n. 92. & Suar. cit. l. 6. c. 21. n.* 3. Si sumantur post impletam conditionē, est dissidium inter illos. Nam alij cū *Covarr. de pactis 1. p. §. 13 n. 12. Gutierr. canon. quæst. l. 2. c. 22. n. 50. & Azorio p. 1. l. 11 c. 10. q.* 3. affirmant omninò reservata esse: quia posita conditione trāseunt in absoluta. Alij cum *Suar. cit. l. 6. c. 22. n.* 11.

Reservatio voti pœnalis. *Lessio l. 2. c. 40. dub. 8. n.* 130. & Layman l. 4. sum. tract. 4. c. 8. n. 16. media incedunt via asserentes vota purè conditionalia post impletam conditionem reservata esse, non ita vota conditionalia pœnalia.

500 Hæ sententiæ probabiles sunt, sed probabilior absolutè negans utraque vota illa reservata esse, etiam impleta conditione. Ita *Anton. Gom. in Carciata claus. 10. n. 99. Petrus Ledes p. 2. sum. tr. 10. c. 8. & Sanch. l. 8. Matr. disp. 10. n. 13. & l. 4. c. 40. n.* 99. Ratio est, quia reservatio utpote stricti juris solū comprehendit vota omninò perfecta, qualia non sunt quomodocumque conditionalia, etiam post impletam conditionem: nam omnia fuere emissa cum imperfecto ac diminuto consensu, utpote sub conditione contingenter futura. Possunt igitur dispensari a quocunque Episcopalem potestatem habente.

QUÆSTIO V.

Quibusnam competat delegata potestas dispensandi, & in quæ vota?

Illi omnes ac soli, quibus ordinarius suam potestatem delegat, potestate delegata funguntur. Nam omnis delegata potestas emanat ab eo qui ordinaria gaudet potestate. Cum verò sæpe verba ambigua ita sint, ut non facile deprehendatur mens delegantis,

Dubium est 1. an sub delegata facultate dispensandi in omnibus votis contineantur reservata? *Sanch. l. 8. Matr. disp. 9. n.* 2. affirmat de voto peregrinationis ultramarinæ, Romanæ, & Compostellanæ, & solum negat de voto castitatis, & religionis. Negandum tamen omninò est contineri aliqua vota reservata sub illa generali concessione Ita *Fasilius Legion. l. 8. Matr. c. 10. n. 5. Layman. cit. tr. 4. c. 8. n. 7. Suar. l. 6. de voto c. 5. n. 4. & Sanch.* suam retractans opinionem *l. 4. de voto c. 40. n.* 16. ubi apertè ait nullum ex quinque votis reservatis venire in generali Indulto votorum, nisi exprimatur. Sumitur ex *c. si Episcopus, de pœnit. & remiss. in 6.* ubi loquens Pontifex de casibus reservatis negat cōprehendi sub generali cōcessione. *Dispensatio votorum ex delegatione.*

501 Dubium est 2. an sub delegatione potestatis dispēsandi in votis reservatis, nulla facta exceptione, veniant omnia? Rectè affirmant *Suar. cit. l. 6. c. 26. n. 5. & Sanch. c. 40. n.* 17. Quia neque ex speciali ratione, neque ex consuetudine unum potius quàm aliud excipi debet.

Quid si Pontifex in concessione reservatorum exciperet aliquod ex quinque? *Palaus tr. 16. disp. 2. p. 13. n.* 3. asserit non limitari cōcessionem respectu cæterorum. Quia exceptio potiùs firmet regulam, quàm restringat. Hoc valde probabile est. *Sanch. verò citatus n. 20. & 21.* non sine majori probabilitate a Palao dissidet. Si (inquit) a generali concessione excipiantur vota minora reservata, qualia sunt triplicis peregrinationis, non censentur concessa, sed excepta maiora, scilicet religionis & castitatis. Quia exceptio minorum arguit Pōtificis mentem esse excipere & denegare maiora. E contra si Pontifex dicat, *Concedimus vota etiam castitatis*: vel si dicat *Concedimus vota etiam religionis*, intelligitur concedere vota minora nempe triplicis illius peregrinationis: sed non æquale votū. Quia concesso voto castitatis non censetur concessum votum religionis, aut & contra. Nunquā concessio votorum extenditur ad vota emissa in utilitatem tertij, & ab eo acceptata. *Reservata vota quando veniant in cōcessione.*

502 Dubium est 3. quibusnam potestas illa dispensandi sit re ipsa delegata? Benè respondet Palaus citatus n. 7. solū inveniri delegatam religiosis. Quia *Innocēt. 8.* ut docet *Sanch. l. 4. c. 43. n.* 5. *Mendicātes in quibus votis dispensent.*

con-

concessit Mendicantibus posse dispensare in votis, in quibus possunt Episcopi, demptis peregrinationis ultra duas dietas, seu vigenti leucas. Martinus V. concessit Benedictinis absolutè omnia vota Episcopis reservata, quo privilegio per communicationem gaudent Mendicantes.

Episcopo vota reservata.

Rogabis, an virtute hujus privilegij valeant Mendicantes dispensare in votis Pontifici reservatis, casu quo possunt Episcopi? Benè respondet *Sanch. cit. c. 43. n. 7.* affirmativè, si loquamur de reservatis, quæ ob circunstantiam deficiunt a reservatæ materiæ ratione: negativè, si servata eadem materia Episcopus dispenset ratione necessitatis. Ratio est, quia in primo casu id facit Episcopus potestate ordinaria: in secundo autem ex quadam benigna voluntatis Pontificis interpretatione.

Quid de dispensatione ad petendum debitum cum conjugatis voto castitatis obstrictis? Pius V. (inquit idem Sanch. n. 10. & 12.) vivæ vocis oraculo concessit Provincialibus Mendicantium, ut possint concedere suis confessarijs approbatis facultatem dispensandi ad petendum debitum cum iis qui ante matrimonium voverunt castitatem. Et intelligitur etiam si nondum consummaverint matrimonium. In voto autem castitatis emisso post matrimonium, possunt dispensare ad petendum debitum, virtute privilegij concedentis omnia vota Pontifici non reservata.

Castitatis voti dispensatio in conjugatis.

SECTIO VI.

De commutatione votorum.

QUÆSTIO I.

Quid sit commutatio: quam authoritatē, & causam exigat, ut fieri possit?

503 Commutatio nihil aliud est quàm translatio obligationis ab una materia in aliam, ut si relaxetur jejunium cum onere recitandi rosarium. Nam tunc obligatio jejunij trāsit ad materiam rosarij. Ex quo patet manifesta differentia inter dispensationem, & commutationem: dispensatio enim tollit vinculum & omninò extinguit obligationem, commutatio verò solum transfert.

Cōmutatio quid sit.

Quod attinet ad authoritatem, quam exigit, ut fiat, notandum est, fieri posse in bonum æquale, & in minus bonum. Sufficere propriam authoritatem, ut fiat commutatio in bonum evidēter majus, vera & communis est sententia, quam tenent *Valent. 2. 2. disp. 6. q. 6. p. 7. Suar. l. 6. de voto c. 18. a. n. 4. Sanch. l. 4. c. 49. n. 4. & Layman l. 4. Sum tr. 4. c. 8. n. 19.* Sumitur ex *c. pervenit el 2. de jurejur* & ratione, quia de consensu creditoris potest unum pro alio rectè solui: Deus autem semper mavult illud quod apertè melius est. Dixi (bonum evidēter majus) quia si sit dubium, aut probabilis opinio de illius melioritate, non sufficit propria authoritas, ut docet *Sanch. cit. n. 7.*

Cōmutatio voti in bonū majus.

504 Neque obstat quòd votum fuerit emissum in favorem tertij, nisi promissio specialiter illi facta sit, & ab eo acceptata. Unde si promisisti calicem dandum Ecclesiæ determinatæ, poteris dare alteri pauperiori. nisi forte promissionem Deo factam direxeris etiam in Ecclesiam ipsam, & ab ea fuerit acceptata. Utrumque enim rectè postulatur a *Lessio l. 2. c. 40. dub. 16. n. 104.*

Authoritas ad vota cōmutanda.

Communis illa sententia limitatur, ut nō procedat quando commutatio jure prohibetur, sicut prohibentur commutari vota reservata etiam in bonum evidenter majus: imò unum reservatū in aliud reservatum evidenter melius, præter religionem: in votum autem religionis omnia cōmutari possunt. Ita *Sanch. l. 4. c. 52. n. 2. & 5.*

Ex opposito, non sufficere propriam authoritatem, ut fiat commutatio in bonum evidenter minus, seu rē inferiorem, constans omnium sententia est. Quia rationi dissonat velle Deum creditorem obligare, ut rem inferiorem loco superioris debitæ acceptet.

Sola est dubitatio, quando constat certò rem omninò æqualem esse: an in illam possit votum commutari propria authoritate? Affirmant multi cum *Henriq. l. 5. de panit c. 20. n. 5. & Roterico 2. tom. sum. c. 110. n. 4. cond. 4.* & probabile dicunt *Suar. Lessius* & alij relati a *Sanch. l. 4. c. 49. n. 10.* Probant, quia æquegratum Deo est bonum duplex omninò æquale: nam licèt invito creditore solui nequeat unum pro alio: benè tamen si ipsi gratum sit. *Instit. quibus modis tollatur oblig.* in princ.

Cōmutatio in æquale bonum.

505 Nihilominus probabilius negant *Suar. l. 6. de voto c. 19. n. 3. Lessius c. 40. dub. 16. n. 105. & Sāch. cit. n. 12.* quibus consentit *Layman l. 4. tr. 4. c. 8. n. 19.* Ratio est, quia licèt utraque illa materia secūdum se spectata æque grata Deo sit, tamen positā promissione unius nō manet æqu grata Deo oblatio alterius. *Sanch.* tamen *n. 14. & Suar. n. 11.* benè admittunt commutationem illam posse fieri, quando evidēter constet utrunque bonum esse saltem æquale, & dubitatur an sit melius illud in quod commutandum est. Nam utiliter negotiū domini geris cum lucrum expectes, & jacturam non timeas.

Infert. 1. *Sanch. n. 15* voventem certam religionem non posse authoritate propria ingredi æqualem: secús de vovente certum monasterium: potest enim ingredi aliud ejusdem ordinis, nisi in ingressu promissi appareat ratio maioris servitij divini. Infert. 2. n. 16. promittentem determinatē rem unico usu consumptibilem, v.g. vinum, satisfacere dando aliam ejusdem bonitatis, nisi peculiaris ratio obstet: secus in alijs quæ unico usu nō consumuntur: v.g in servo, vel calice.

Superest igitur, ut solum ad faciendam commutationem in bonum æquale vel inferius requiratur aliena authoritas habentis jurisdictionem ordinariam, vel delegatam. Unde juxta *Sanch. cit. n. 43.* nec authoritate confessoris carentis potestate delegata ad commutandum fieri potest.

Cōmutationis voti causa.

506 Quod attinet ad causam, quam exigit cōmutatio, si facienda est in rē evidenter meliorem, nulla specialis causa exigitur, ut benè docent *Lessius l. 2. c. 40. n. 110. Suar. l. 6. de voto c. 18. n. 9. Sanch. l. 4. c. p. 50. n. 15. & Layman l. 4. tr. 4. c. 8. n. 21.* Nam suf-

sufficit pro causa, ipsa susceptio perfectioris obligationis, utpote Deo gratior.

Pro commutatione facieda in bonum æquale, & a fortiori in minus bonum causa requiritur, hoc discrimine, quòd in casu priori causa levior, in posteriori gravior postuletur. Nam pro commutatione facienda in bonum æquale, satis est quòd quis illam ardenter petat sperans subrogatam materiam cum fructu maiori executurũ. Pro facienda in bonum inferius, cum non emanet ex pura potestate commutandi, sed ex potestate dispensandi emanare possit, eam requirit causam, quam dispensatio.

QUÆSTIO II.

An, & qualiter commutare possint qui habent potestatem dispensandi, vel solum commutandi?

PRior quæstionis pars, quæ petit an potestas commutandi extendatur ad dispensandum, & e contra potestas dispensandi ad commutãdũ, & procedit de potestate delegata, conclusione duplici resolvetur. 1 conclusio. Concessa potestate ad commutandum non intelligitur concessa potestas ad dispensandum. Ita ex *Suar. l. 6. de voto c. 11. n. 4. & Sanch l. 4. c. 53. n. 2. Barb de pot. Episc. p. 2. all 37. n. 4.* Patet, nam potestas dispensandi cum sit maior, contineri nequit in potestate commutandi. Si verò concedatur potestas commutandi in bonum inferius, cum ibi partialis dispensatio interveniat, ad talem dispensationem potestas ibi dabitur.

Potestas cõmutandi & dispensandi.

507. 2 Conclusio, concessa potestate ad dispensandum, intelligitur concessa potestas ad cõmutandum. Ita *Suar cit c. 2. n. 9. Layman. l. 4. sum. tr. 4. c. 8. n. 20. Basilius de matr. l. 8. c. 10. n. 3. & Barb. cit. all. 37. n. 13.* Probatur, nam commutatio est quædam veluti partialis, seu diminuta dispensatio, cum transferat obligationem, eam minuendo: qui autem potest quod est plus, potest quod est minus sub eodem ordine contentum juxta regul. 53. Et quanvis *Sanch. c. 53. n. 4. & 5.* videatur dissentire, tamen re ipsa consentit admittens potentem dispensare posse ex præsumpta delegantis voluntatẽ miscere commutationem.

Posterior quæstionis pars, inquirit, qualiter potens commutare, eam potestatem exercere possit? Non loquitur de potente commutare simul & dispensare, sed de eo qui fungitur potestate purè commutativa: & quanvis *Toletus l. 4. sum. c. 18. n. penult & Sà v. voti irritatio n. 10. medit. complut.* affirment illum posse commutare in bonum paulò inferius, dicendum tamen est cum *Covar, de pact. 1. p. § 3. n. 4. Suar. cit. l. 6. c. 19. n. 7. Sanch. l. 4. c. 50. n. 4. & Layman l. 4. tr. 4 c. 8. n. 24.* talem potestatem ultra bonum æquale non extendi. Nam commutatio juxta Aristot. 3. ethic. postulat æqualitatem: est enim contractus in quo unum pro alio ex voluntate creditoris subrogatur.

Cõmutativa potestas qualiter exerceri possit.

Illud rectè præter citatos authores, observat Sayrus in clavi lib. 6. cap. 12. n. 19. non oportere quòd talis æqualitas infallibiliter constet, sed sufficere quòd probabilitẽr credatur. Adde nõ requiri mathematicam æqualitatem, sed moralem, quæ datur, quoties non patet excessus manifestè, imò licèt appareat excessus, sed valde exiguus. Nam quod parum distat nihil distare videtur.

Æqualitas in cõmutatione.

508 Modus faciendi commutationem prudentis superioris arbitrio relinquitur, spectata tũ voventis, tum rei promissæ qualitate, & alijs circunstantijs. Quanvis igitur magis congruum sit commutare vota personalia in personalia, & realia in realia tamen rectè & convenienter potest commutari personale in reale, & e contra. Nec omninò opus est ut commutetur perpetuum in perpetuũ. Quia obsequio temporali nobiliori perpetuum potestcompensari.

Rogabis, an in commutando voto peregrinationis computandæ sint expensæ, quas secundùm status sui decentiam vovens erat facturus? Negant aliqui, quia sola peregrinatio, & non expensæ sub votum caduat. Affirmandum tamen est cum *Suar. cit. l. 6. c. 19 n. 20. & Sanch. c. 56. a. n. 14* Quia tales expensæ licèt non directè saltem moraliter, & ut quid accessorium promissæ sunt, nisi forte ille vovisset peregrinari mendicando. Sẽper tamen deducendæ sunt expensæ, quæ domi essent faciendæ, ut cũ alijs notat *Layman cit. n. 24.*

Qualiter commutentur vota per jubilæum & cuciatam, dicemus tract. 40. & 44.

QUÆSTIO III.

Quando sit irrita commutatio ex defectu æqualitatis, vel causæ?

IN resolutionibus hujus quæstionis valde dissident summa S Theologiæ moralis lumina Suarius, & Sanchez. Ut aperiam, quisnam ex illis mihi magis arrideat, Dico 1. Commutatio facta authoritate propria in rem æqualem vel minorẽ omninò irrita & nulla est. Ita Suar. l. 6. de voto cap. 20. n. 7. Ratio est, quia propria authoritate nemo se potest eximere ab obligatione voti, nisi maiorem compensationem subroget: ut resoluimus supra n. 505. Unde non placet *Sanch. l. 4. cap. 51. n. 11.* dicens commutationem illam non esse omninò irritam; sed teneri voventem aut implere prius votum, aut supplere quod defuit commutationi ut fieret in bonum evidenter majus.

Cõmutatio voti quando irrita.

509 Dico 2. commutatio authoritate prælati facta in bonũ inferius eo, quod promissum fuit, est irrita, proindeque non liberat voventem ab obligatione voti, etiam si exequatur subrogatum. Ita *Azor p. 1. l. 11. c. 18. q. 12. Navarr. l. 3. consil. tit. de voto cons. 5. n. 1. Alcozer sum. c. 26. concl. 2. & Suar. lib. 6. de voto c. 19. n. 14.* Ratio est, quia prælatus neminem a voti obligatione potest eximere, nisi prout habet vices Dei: qui autem fungitur potestate commutandi, solum habet vices Dei, ut commutet in materiam æqualem. Et in hoc consentit *Sanch. c. 50. n. 4.* Non igitur cohærenter dicit valere talem commutationem, sed cũ onere supplendi.

Cõmutationis nullitas.

Dico 3. Commutatio in rem æqualem, quam prælatus sine ulla causa scienter faceret, nulla omninó est. Ita *Suar. cit. c. 20. n. 7, & c. 17. n. 5.* Ratio

S

tio est quia talis commutatio fieret a non habente potestatem: hæc enim solum a Deo datur rationabiliter, acproinde ut commutet data causa rationabili.

Infertur 1. voti obligationem tolli per eam solam commutationem; quæ vel propria authoritate fit in melius, vel authoritate prælati fit in æquale causa justa interveniente. Unde graviter peccarent qui aliter cōmutare intenderent. Infertur 2. facta cōmutatione irrita, manere voventem ita obligatum ad votum, ac si nulla fieret commutatio.

QUÆSTIO IV.

An per legitimam commutationem, ita definat obligatio prioris materia, ut ad eam reditus dari nequeat?

510 Apud *Sanch. l.4. Decal c.55.n.2.* omnes ferè Theologi docent facta legitima commutatione, prioris materiæ obligationē extingui. Nam commutatio est antiquæ obligationis extinctio, & novæ susceptio, cum illam ab antiqua in novam materiam transferat. Hoc tamen non obstante, ex benigna interpretatione voluntatis Dei creditoris potest vovens omissa materia subrogata priorem suscipere.

Voti obligatio extincta an redeat. Dubium est 1. an prioris materiæ obligatio revivifcat, facta inutili vel impossibili materia subrogata Benè respondent *Suar. l.6. de voto c.20.a.n.9. Sanch. l.8. Mar. disp.9.n.21. Sayrus in clavi l.6. c.12.n.24. & Layman l.4.tr.4.c.8.n.28.* quando cōmutatio legitimè facta fuit in melius, æquale, vel minus bonum, non revivifcere obligationem prioris materiæ, facta inutili, vel impossibili materia subrogata. Quia obligatio semel & absoluté extincta non revivifcit.

Procedit tam de commutatione facta per hominem: quàm de facta a jure per religionis professionem; & non excludit votum religionis assumendæ sive in genere, sive in specie, nec votū perseverandi, nec votum ingrediendi aliam religionem, vel jejunandi, aliudue opus pium faciēdi, casu quo a religione fueris expulsus. Nam hæc omnia absoluté commutata non revivifcunt.

511 Dubium est 2. an redeunte obligatione prioris materiæ commutatæ, eo quód commutatio non integré & absoluté facta fuerit, obligatio materiæ subrogatæ extinguatur? Exēplo res explicatur: fuisti dispensatus ut non obstante voto religionis vel castitatis posses nubere sub onere commutationis in confessionem faciendam singulis mensibus, mortuo conjuge, & dissoluto cōnubio redit obligatio voti religionis, vel castitatis: quæritur an tenearis ad onus materiæ subrogatæ, scilicet confessionem menstruam? *Sanch. l.4.c.55.n.21.* respondet affirmativè in casu proposito, utpote facta commutatione in onus perpetuum: secùs si fieret in onus temporale. Id probat ex formi, qua solet Pontifex illam commutationem confessario delegare.

Palaus tract.16.disp.2.p.18.n.6. positam opinionem vocat utilem & securam, sed probabilius judicat oppositum scilicet tam in commutatione in onera perpetua, quàm temporalia cessare omninò obligationem materiæ subrogatæ, quando redit obligatio prioris materiæ. Cui libenter subscribo. Non enim video cūr votum religionis & castitatis excipiantur a communi regula, quæ statuit revivifcente obligatione prioris materiæ, cessare obligationem subrogatæ.

Cōmutatio voti qualiter obliget. Dubium est 3. qualiter voventi liceat omissa materia subrogata, redire ad priorem? Si commutatio fiat in materiam inferiorem, certum est licere voventi, ea emissa redire ad priorem, quam promisit. Quia cum prior sit melior, semper Deo est gratior. Si commutatio fiat in rem æqualem, quanvis aliqui negent licere reditum ad priorem, longè probabilius est licere, ut docent *Suar. l.6.c.20.n.4. & Sanch. l.4.c.55.n.26.* Quia posita æqualitate utriusque materiæ, semper Deo gratius est exequi priùs promissam, quam secundam, cum hæc in solius vovētis gratiam subrogetur.

512 Quid si fiat commutatio in rem meliorem propria, aut prælati authoritate? Suar. cit. lib. 6. cap.20.n.4 satis probabiliter existimat non licere transitum ad materiam priorem. Quia per illum Dei cultus, & voventis utilitas minuitur. Dicendum tamen est cum communi sententia apud *Sanch. l.4.c.55.n.26. & Layman l.4.tr.4.c.8.n.27.* talem transitum licere. Quia illa commutatio ex benigna Dei concessione facta fuit cum facultate redeundi ad materiam priorem.

Dubium est 4. an postquam quis redit ad materiam commutatam, subrogata omissa, iterum ad subrogatam redire possit? *Lessius l.2.c.40.dub.16 n.111.* videtur sentire voventi esse liberum ex subrogata materia ad commutatam transire, & e contra. Huic sententiæ *Sanch. cit. c.55.n.29. & Suar. l.6.c.20.n.13.* subscribunt nisi forte ille vovens rediens ad priorem materiam æqualem vel meliorem renunciaret commutationi. Mihi tamen displicebit ille mutuus & iteratus transitus ab hac in illam materiam factus vicissim, & redolebit in constantiam, nisi ex causa valde rationabili honestetur.

513 Denique pro facienda recté & prudenter commutatione, videantur optimæ regulæ, quas affert & exponit *Sanchez l.4. c.56. ubi a n.39.* affert exempla quarundam commutationum a jure, & viris doctis factarum, quas nos in pauca conferamus. *Cōmutationum exempla.*

In *cap. venientis, de voto* commutatur votum Hierosolymitanum cujusdam pueri, ut id votū eleemosynis redimeret, & toto vitæ periculo uni pauperi provideret. *cap. Magna*, eod. tit. commutatur simile votum cujusdam Episcopi, ut expensas eundi & cedeundi & commorandi ibi integrè mittat, & laborem itineris compenset solicitiùs instando vigilijs, de votiùs vacando orationibus, & fortius se exercendo jejunijs.

A viris doctis sic commutatur labor peregrinationis promissæ. Si peregrinatio pedestris sit, ut ultra expensas labor unius diei commutetur in unius diei jejunium, & duorum dierum in duo jejunia, & sic deinceps. Si non pedistris, ut labor quatuor dierum in unius diei jejunium. Votum

non

non in eandē matrimonij commutari potest in confessionem mensibus singulis biennio aut triennio faciendam, & in novem sacra.

Votum sacerdotij assumendi, attenta Sacerdotis obligatione ad castitatem solemniter promissam & pensum divini officij quotidie recitãdum, & sæpe eum sacra facturum, commutari potest in quotidianam psalmorum pœnitentiæ cū letanijs recitationē, vel officij B. Virginis, vel calculorum Virgineorum: & in confessionem & communionem quinto decimo quoque die faciendam, & in faciendum celebrari sacrum singulis mensibus, & ut voveat castitatem in statu seculari, vel si nolit castitatem, ut jejunet omnibus sextis ferijs.

Votum jejunandi omnibus sextis ferijs arbitrati sunt viri docti posse commutari in confessionem & communionem per annum integrum decimo quinto quoque die, & in tria sacra facienda: aut in recitationem calculorum virgineorum, & eleemosynam modicam sextis ferijs perpetuò faciendam. Sed prior non videtur æqualis nisi vel duraret triennio, vel adderetur eo anno quotidiana recitatio calculorum virgineorum.

Illud notabis pro tollendis scrupulis, optimū esse consilium, quantum fieri possit, admiscere semper dispensationem commutationi.

TRACTATVS XXXII.

De nonnullis vitijs religioni contrarijs.

SECTIO I.

De superstitione, idololatria, & divinatione.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit superstitio & idololatria, & quale peccatum?

514 SUPERSTITIO juxta *Tullium 2. de nat. Deor. & Lactantium lib. 4. divinar. instit. c. 28.* dicitur a superstite, quod scilicet homines olim nimij erant in precando, & immolando, ut filios relinquerent sibi superstites: vel quòd relictis veteribus Dijs, colerent superstitem memoriam suorum maiorum. Quidquid verò sit de nominis ethymologia. *Superstitio unde dicta & quid sit.*

Superstitio est cultus indebitus, & vana religio, quæ difiniri solet in hunc modum: *Est vitium religioni oppositum secundùm excessum: quia nimirum illa exhibetur cultus divinus creaturæ, cui non debetur: vel Deo cui debetur, sed modo, quo exhiberi non debet.* Dicitur talis cultus oppositus religioni secundùm excessum, non quia dari possit cultus erga Deum, qui divinam excellentiam adæquet, ne dum excedat, sed quia nimietas contra modum debitum potest facere excessum vitiosum.

Cum igitur superstitio nihil aliud sit quàm cultus vanus, ut intelligatur quotuplex sit, dicimus hujusmodi cultum vanum dividi in cultum falsum, & cultum superfluum: cum enim Deus juxta Joan. 4. *in spiritu & veritate oporteat adorari*, efficitur cultum veritati oppositum falsum dici, oppositum spiritui, superfluum.

515 Cultus falsus ille dicitur qui aliquid falsum significando dupliciter evenire solet 1. ex parte colentis. 2. ex parte medij quod in cultum assumitur. Ex parte colentis evenit falsitas, quando quis se fingit legitimum ministrum v.g. Sacerdotem, & nomine Christi ac Ecclesiæ Deum colit: & hæc falsitas solum accidit in cultu publico, utpote qui solus nomine totius Ecclesiæ exhibetur vel per falsum Sacerdotem, vel per verum, sed depositum. *Cultus falsus.*

Ex parte medij ad cultum assumpti evenit falsitas, si ad Deum colendum assumatur medium quod significet falsum, v.g. si quis modò offerret Deo vitulum in sacrificium: nam illo denotaret sacrificium Eucharistiæ non esse unicum, proindeque non absorbuisse antiqua omnia sacrificia. Idem esset si quis vellet falsis miraculis fidem stabilire, aut falsis materijs & formis Sacramenta ministrare.

Illud notandum est falsum cultum posse circa Deum, & circa creaturas directè versari. Circa Deum versatur quoties Deus colitur, vel potiùs dehonestatur per res aliquas falsum significantes, ut patet ex allatis exemplis. Circa creaturas versatur tripliciter 1. si quis illis impendat honorem, recognoscens in eis aliquid divinum, & est Idololatria, ad quam reducitur cultus impensus falsis reliquijs, vel hominibus perditis tanquam sanctis. 2. si quis illis honorem tribuat, ut ab eis obtineat rerum occultarum cognitionem, & hæc superstitio appellatur divinatio. 3. si ut ab eis quis obtineat favorem & auxilium, & vocatur observantia vana. *Idololatria.*

516 Cultus superfluus est ille qui licèt ex se nihil significet falsum, Deum tamen non honorat, eo quòd spectatus in se neque ordinatur ad gloriam Dei, neque ad movendum spiritum: ut si in Missa vel horis canonicis aliquas admisceas cœremonias præter morem Ecclesiæ, v.g. dicendū *Gloria & Credo*, ubi omittendum est, repetendum *Alleluia*, ubi unum vel nullum proferendum est: si preces ad Deum vel sanctos fundas tot candelis talis coloris appositis, & non aliter. *Cultus superfluus.*

Quod attinet ad peccatum, lethale esse per se exhibere cultum falsum sive ex parte colentis, sive ex parte medij ad colendum assumpti rectè docent *Valent. t. 2. disp. 6. q. 10. p. 2. Suar. tom. 1. de relig. l. 2. c. 2. n. 18. Sanch. l. 2. Dec. c. 37. n. 5. & Bonac. disp. 3. de primo præc. decal. q. 5. p. 1. n. 2.* Nam ex parte colentis datur in materia gravissima usurpatio legationis, ex parte medij, datur infidelitatis professio. *Superstitio quale peccatū.*

 Cul-

Cultus superfluus aliquando peccatum mortale, aliquando veniale est, ut notant citati authores, *Suar.n.21.Sanch.n.10.& Bonac.n.4.* Quod dijudicari debet ex materiæ gravitate. Unde lethale erit in divino officio alicujus antiphonæ, aut psalmi loco verba alia subrogare, vel proferre turpia licèt non ut partem divini officij. Erit autem solum veniale miscere aliqua indifferentia, non ut officij partem; nec in tanta quantitate, ut ordo officij graviter turbetur.

517 Infertur 1. quale peccatum sit proferre vana aut turpia inter divina officia: nam si proferantur formaliter, seu ex intentione ad miscendi ut partem, præter peccatum provocationis, erit peccatum mortale superstitionis indebiti cultus: si materialiter, id est sine illa intentione, erit peccatum mortale aut veniale pro ratione provocationis & scandali. Si proferantur solius delectationis causa, & sint vana erit peccatum veniale: si sint turpia, præter mortalem malitiam provocationis, habebunt aliam gravis injuriæ contra divinum cultum.

Turpia inter divinum officium.

Turpia divino officio.

Infertur 2. peccare mortaliter qui nocte Natalis Domini dicunt turpes hymnos, vel execrationes; vulgò *pulhas*, tempore, quo dicturi lectiones, benedictionem petunt, si ea dicant ut partem officij, vel cum scandalo, vel cum provocatione ad malum. Infertur 3. esse mortale falsas reliquias adorandas proponere, vel figuras cereas offerre in signum falsi miraculi, aut falsi beneficij accepti, vel falsa miracula prædicare, aut scribere: & hoc nulla pia intentione excusatur.

Reliquia falsa.

Infertur 4. quid dicendum sit de jejunando die Dominica. Erat olim peccatum mortale jejunare Dominica die, quia ob Manichæos jejunantes in contemptum resurrectionis prohibebatur *cap. si quis presbyter 30. dist. & c. Sacerdos 6. q. 6.* Quia verò jam cessavit talis prohibitio, hodie licitum est tale jejunium, si fiat ex causa justa: si autem ex singularitate, ut si quis sola die illa jejunaret, & non alijs, esset peccatum veniale. Unde votum jejunandi ordinariè diebus Dominicis est irritũ: secus, si ex causa justa ad jejunandum aliquibus Dominicis. *Sanch.l.2.c.37.n.16.*

Jejunium in Dominica die.

518 Qui vovit jejunare die aliquo festo, v.g. die Annunciationis, & illud incidit die Dominica, & potest eadem die jejunare, & commutare propria authoritate in diem antecedentem, vel subsequentem, nisi talis dies alio jejunio impediatur. Quia id videtur gratius Deo. *Sanch.n.18.* Qui vovit jejunare vespere alicujus sancti, & hujus festum incidit feria secunda, tenetur præcedenti sabbato jejunare, nisi habuerit expressam intentionem jejunandi die Dominica: similiter qui vovit jejunare per integrum mensem, non tenetur jejunare diebus Dominicis, nisi id expressè intẽderit. Quia dicta jejunia intelliguntur ad modũ institutum ab Ecclesia. *Sanch.n.19.20.*

Quod attinet ad idolatriam, primam & præcipuam superstitionis speciem, justa *Valent.2. 2.d. 6.q.11.p.2.Suar.l.2.de superst.c.6.& Sanch c.1.c. 37. n.21.* est illa, qua tribuitur honor creaturæ, sicut Deo. Unde duo exigit, alterum, quòd honor soli Deo debitus creaturæ tribuatur: alterum, quod impendatur creaturæ, sicut Deo impendi oportebat, scilicet per voluntatem saltem implicitam, qua quis velit conciliare talem opinionem creaturæ, qualis soli Deo competit.

Idololatria quid sit.

Unde qui talem cultum dicto modo exhibet, est verus Idololatra, etiam si nullum habeat mentis errorem. Si enim illum habeat, etiam hæreticus erit, & tunc solum censuras incurret. Si autem quis sine ullo affectu & voluntate conciliandi creaturæ illam opinionem soli Deo debitam, illi dictum cultum exterius impendat, peccabit quidem gravissimè, sed non erit verus idololatra. *Sanch.n.22.& 23.* Est ne idololatria peccatum maximum? Breviter ex *Suario l.2.de superst.c.6.n.15.* respondet *Palaus tract.17.disp.1.pun.2. n.2.* esse maximum inter ea quæ opponuntur virtutibus moralibus, sed inferius vitijs quæ adversantur Theologicis.

Idololatria quale peccatum.

QUÆSTIO II.

Quid, quotuplex, & quale peccatum sit divinatio?

519 Pro explicãda quidditate divinationis notãdum est 1. solũ Deũ posse certò & infallibiliter cognoscere futura intrinsece contingentia; quæ scilicet pendent a libera voluntate itẽ affectiones internas, quæ resident in voluntate. *Isai.41.& 2.Paral.6.* Dixi (certò infallibiliter) quia dæmones tum ex causis naturalibus, tum ex hominum affectionibus & inclinationibus illa probabiliter conjectant. Notandum est 2. futura quæ proveniunt physicé ex causis naturalibus dæmones certò cognoscere, & posse prædicere. Notandum est 3. ut dæmones prædicant futura & occulta, & de illis homines instruant, uti varijs modis de quibus authores citandi.

Futurorũ cognitio.

His notatis, divinatio prout ex *S. Thoma 2.2.q. 95.a.1.* docent *Suar.tom.1.de relig.l.2.de superst.cap. 7.n.1.& Sanch.l.* *c.38.n.1.* est futurorum contingentium modis indebitis prædictio, ita specialiter & præcipue, ut extendatur ad prædictionem cujuscumque occulti, quòd nulla humana vi cognosci potest. Dixi (modis indebitis) quia prædicere futura contingentia debito modo, nempe ex divina revelatione, non est divinatio, sed prophetia. Deinde petere opem a sanctis Angelis, & ex illorum ope talia prædicere, est licita prædictio; utpote ex modo debito. Super est igitur ut postuletur ad illicitam prædictionem, quæ sit divinatio, modus indebitus, scilicet ut fiat petito auxilio dæmonum, qui saltem per conjecturas occulta illa scire possunt.

Divinatio quid sit.

Quod attinet ad multiplicitatem, divinatio in genere est duplex, altera quæ habetur per pactũ expressum, seu expressa invocatione dæmonis, sive verbis sive factis, & in novem species dividitur altera quæ habetur per pactum tacitum, & secatur in duas species, quæ rursus in alias multiplices subdividuntur, de quibus laté *Delrius lib. 4. disquis. Magi. c. 1.* Cum verò talis multiplicitas capiatur ex rebus per quas habetur divinatio, scilicet

Divinatio quotuplex.

cet

tet per aquam, ignem, astra & similes, proindeq; non faciat diversas species in genere morali, non est cur explicentur.

Divinatio omnis est superstitio.

520 Dubium est 1. an omnis divinatio sit superstitio? Negat *Valen. 2.2.d.6.q.12.pun.3. & favet Lessius l.2.just.c.43.dub.5.n.28.* quasi sola sit superstitio divinatio futurorum contingentium dependentium a causa libera, cum horum notitia a solo Deo haberi possit. Dicendum tamen est cum *Suar. l.2. de superst. c.8.a.n.16. & Sanch. l.2. cap. 38.a.n.9.* etiam esse veram superstitionem invocare dæmonem, ut ab illo impetres notitiam alicujus rei præteritæ vel præsentis tibi occultæ, quam ille solus cognoscit. Ratio est, quia etiam divinatione illa læditur jus, quod Deus habet, ut omnes suæ creaturæ in eo confidant, & ad ipsum confugiant, & non ad suum inimicum.

Divinatio in confessione.

Dubium est 2. an quando in divinatione adest pactum expressum cum dæmone, sit necessario aperiendum in confessione? Negat *Victor in summa de confess. n.176. fine.* Quia sicut professio tacita & expressa non differunt specie, ita nec invocatio tacita & expressa: nam idem juris est taciti & expressi *l. cum quod ff. si ce. tum petat.*

Dicendum tamen est cum *Suar. cit. cap.10. n.1. Sanch. c.38.n.14. & Bonac. disp.3. de primo Decal. prac. q.5.p.3.n.20.* omnino aperiendum esse. Patet, quia licet tacita & expressa invocatio non differant specie, tamen ita differunt moraliter, ut in confessione longe diversum judicium formetur de pacto expresso, quam de tacito.

Divinationis malitia.

521 Quod attinet ad divinationis malitiam & peccatum, invocatio dæmonis sive expressa sive tacita (ut docent *Suar. cit. c.7.n.10. & Sanch. c.38.n.4.*) gravissimum peccatum est, nec admittit levitatem materiæ. Est enim talis malitia sita in eo, quod invocans dæmonem vult ejus amicus & discipulus fieri, quod est quoddam proditionis genus contra creatorem. Unde interdicitur omni jure, naturali, divino, canonico, civili.

Divinatio (addit *Sanch. n.17.*) per pactum explicitum cũ dæmone semper est mortale, nec inter fideles ignorantia excusari potest. Divinatio vero in qua est pactum tacitum mortalis est, nec ex parvitate materiæ excusatur, sed ex ignorantia, quæ nec sit affectata, nec nimis crassa. Si intentio divinantis nõ sit superstitiosa, sed ea divinatione utatur joci causa ad se oblectandũ, venialis est.

Somnia & auguria.

Quid de vanitate illa, quando observatur somnia, auguria, sortes, haruspicia, & reliqua per quæ divinantur, non habendo illis fidẽ tanquam certis, sed solum concipiendo timorem? Peccatur venialiter: res tamen periculosa & cavenda est. Pendere adeo a divinationibus ut quis ad earum normam suas actiones dirigat, est mortale. Si semel vel iterum aliquid omittat hæc observando, erit veniale. Quid de pacto, quod aliqui ineunt, ut præmoriens, si Deus concesserit, superstiti appareat? Mortale non est, raro tamen excusabitur a veniali, tum ob vanam curiositatẽ, tum ob periculum deceptionis. Ita *Sanch. c.38.a. n.17. qui n.26. l.2. de superst. c.8.a.n.22.* quando da-

Apparitio post mortem.

tur pactum expressum, multas solere conjungi malitias, quas confessor examinare debet: an dæmon adoretur cultu solius Dei, vel sanctorum? an detur promissio renunciandi Christo, & perpetuo obediendi dæmoni, & similes.

Apparitiones dæmonũ & animarũ.

522 Solent (inquit *Sanch. n.23.*) apparere dæmones fingentes se esse animas defunctorum. Solent similiter boni Angeli vel animæ apparere: signa autem quibus discernantur, boni an mali Angeli apparitio sit, tradit *Delrius l.2.q.26.* Quando dæmon in dæmoniaco dicit se esse animam alicujus defuncti mentitur; quia anima defuncti nunquam aliud corpus ingreditur. Unde quod monet, etiam bonum, faciendum non est, nisi aliunde ex præcepto obliget.

QUÆSTIO III.

Quousque licæat divinatio per astra, & per somnia?

Astrologia naturalis.

PRo prima quæstionis parte decidenda, advertendum est cognitionem per astra tentari posse dupliciter, nempe ex duplici astrologia, altera naturali, altera judiciaria. Naturalis est quæ ex cursu, situ, motuque astrorum eclypsim, pluvias, ventos, grandinem, serenitatem, tempestatẽ, & alios naturales effectus conjectat. Hæc astrologia (ut docent *Sanch l.2.c.38.n.19. & Suar. l.2. de superst. c.11.n.* .) licita est, etiam si considerando nativitatis punctum, hominis temperamenta & propensiones ex astrorũ aspectu cõjectet. Quod si astrologus excedat in prædictione, quia tales effectus prædicit certius quam ex astris deprehẽdi possunt, secluso præjudicio extrinseco, erit peccatum veniale imprudentiæ vel mendacij.

Iudiciaria astrologia.

Astrologia judiciaria est quæ ex astris conjectat futuros eventus fortuitos, & ex libero arbitrio pendentes, præterita etiam & præsentia omnino occulta. Hæc autem est superstitiosa, lethalis & prohibita omni jure, scilicet *c. illos 26. q.2. Motu proprio Xisti V. contra Astrologos, & l. Mathematicos C. de Episc. audien.* Nam ex tacito pacto cum dæmone divinat. Ratio est, quia astra esse nequeunt causæ naturales horum effectuum, utpote liberorum, proindeque neque naturalia signa, neque signa ex instituto, cum uniformiter procedant, & effectus contingentes in mundo diversissimi eveniant.

523 Dubium est an saltem probabiliter hujusmodi eventus liceat prædicere? Affirmant *Valent. 2.2.d.6.q.12.p.3. Delrius l.4. disq. ust. magic. cap. 3.q.1. concl.2. & Toletus l.4.c.15.n.6.* Quia astra nõ leviter influunt in naturalem hominum propensionem. Negandum tamen est cum *Sanch. & Suario citatis, & Lessio l.2.c.43.dub.6.n.42.* Patet, quia astra non sunt causæ immediatæ effectuum liberorum, sed ad summum naturalium inclinationum: deinde unusquisque contra propriam inclinationem perversam adjutus Dei auxilio procedit. Restat ergo ut solum habeatur illa notitia ex doctrina dæmonis.

Maior est difficultas, an hujusmodi prædictio conjecturalis, & si tenuissima, motu illo Xisti V. prohibeatur in utroque foro? Affirmant *Salas 12.*

q.7.a.5.tr.5.disp.2.sect.3.n.36.& Sanch.l.2.c.38.n.34.Nihilominus Palaus tr.17 disp.1.p.4.n.8.ex Suar.l.2.de superst.c.11.n.30.& Valent.2.2.d.6.q.12.p.1.fine negant prohiberi a Pōtifice;dicuntque licere saltē in foro interno. Utrūq;judico probabile.

Aquileges vedores. Quid de illis qui asserunt se videre clausa intra terram, vel intra hominum corpora, quos vocamus Aquileges, vulgo *Vedores?* Palaus n.10.ex Sanch.n.37.bené judicat tales superstitiosos, si dicant se videre aquam, aut res alias intra terram, & reliqua corpora opaca. Quia opacitas corporis reddit impossibilem naturaliter talem visionem. Sequitur igitur, ut ope dæmonis agnoscant. Unde peccant mortaliter qui de illis eos consulunt. Verū n quidem est, quod ex vaporibus aquas, & ex certo herbæ genere metalla possint indicare.

524 Quod attinet ad secundam quæstionis partem de divinatione per somnia, notandum est ex *S.Thoma* 2.2.q.95.a.6.somniorum causam esse in genere duplicem, alteram corporalem, alteram spiritualem. Corporalis vel est interior, nempe compositio & affectio corporis humani, vel exterior, scilicet corpus circunstans, aut cæli temperies: similiter spiritualis vel est interior nempe cogitatio præcedens in vigilia, aut exterior, nempe bonus vel malus spiritus. *Divinatio per somnia.*

Somnia ad divinandum. Dico 1.superstitiosum est observare somnia ad cognoscenda futura contingentia, & ea quæ a libertate pendēt. Si autem in effectibus naturalibus excedatur certitudo, non est peccatum superstitionis, sed temeritatis. Ita *Sanch l.2.c.38.n.53.* Unde *Suar.cit.n.25.Lessius c.43.n.52. & Azor lib.9.c.17.in fine* dicunt quoties probabile non est somnium provenire a Deo, esse peccatum grave colligere ex illo prænotionem alicujus futuri eventus, aut occulti effectus.

Somnijs fides ad hibita. Addit *Palaus cit.p.5.n.7.ex Suario & Lessio citatis* non videri gravem culpam credere somnio aliqualiter, seu ex illo adversum timere, & prosperū sperare: quia cū a Deo possit evenire, præbet suspicionis alicujus occasionem. Ex quo fit te absq; peccato gravi posse ob somniū habitum aliquando opus facere, vel omittere, modò non sit contra præceptum. Dix(aliquando) quia a gravi peccato non excusaberis, si frequenter movearis ex somnijs ad operandum: cum ex hoc convincaris illis maiorem, quàm parest, adhibere fidem.

525 Dico 2. Licitum est observare somnia ad cognoscendum corporis & animi affectionem, vel aliquid conferens ad scientias, & discernendum divina a diabolicis: quorum discretio petēda est ab eo ad quod impellunt: nam si ad malū, vel indiscretum, & redditur animus tardior ad bonum, sunt a dæmone: si impellunt ad bonum, sunt a Deo si dubitatur a quo sunt, tutissimum est credere esse a dæmone. Ita *Sanch.a.n.48. Suar.cap.13.Less.c.43.dub.8.& Azor p.1.l.9.c.17.*

QUÆSTIO IV.

Quotusque liceat divinatio per sortes?

Sortes quotuplices. Prænotandum est sortes esse in triplici genere: nam quædam sunt divinatoriæ, quibus ad occulta cognoscenda aliqui utuntur: quædam sunt consultoriæ, quibus divina voluntas exquiritur: quædam sunt divisoriæ, ut sciant sortientes quid cuique tribuendum sit in controversijs, & electionibus.

Dico 1. Sortes divinatoriæ sunt illicitæ & superstitiosæ. Ita *Suar.cit.c.12.n.29. & Sanch.c.38.n.88.* Sumitur ex *c.si quis Episcopus 26.q.5.* & ex motu Xisti V.contra Astrologos: deinde ratione, quia tales sortes non causant effectum futurum, neque illum significant naturaliter; vel ex instituto Dei: sequitur igitur ut significationem habeant a dæmone. Notant bené citati authores in hujusmodi sortibus præter superstitionem misceri quandoque injustitiam, & alia crimina, v.g. si per illas inquiratur delictum occultum, procuretur damnū, & similia.

526 Dico 2. sortes consultoriæ licent, si fiant modo debito, scilicet triplici servata conditione. Ita *Suar l.2.de superst.c.12.n.18.Sanch. l.2.c.38 n.95.& Bonac.disp.3.de primo Decal.prac.q.5.p.3.n.12.* Sumitur ex illo Proverb.16. *Sortes mittuntur in sinum, sed a domino temperantur,* & exemplis allatis Josue 7.& Actor 1. deinde ratione, quia si modo debito fiāt tales sortes, exulabit ab illis omnis malitia, & dabitur honestas religionis. *Sortes consultoriæ quādo licent.*

Dixi (servata triplici conditione) prima est ut detur urgens necessitas consulendi Deum per sortes. Quia imprudenter sortibus utitur, qui alia via voluntatem divinam investigare potest: nam exponit se periculo, ut decipiatur a dæmone. Unde talis usus prohibetur a Leone 4. *c. sortes, 26. q.5.* Secunda est, ut reverentia debita, ac præmissa oratione mittantur sortes ad Deum, & non mittantur pro captandis lucris & bonis temporalibus.

Tertia est ut talis consultatio fiat ex speciali Dei instinctu, si velis, ut Deus suam voluntatem sortibus manifestet aliquo signo sensibili. Quòd si tantum velis ut Deus per suam specialem providentiam sortes feliciter dirigat, instinctus divinus necessarius non est, sed sufficit magna spes, quam concipis de divina bonitate ad sortes dirigendas, posita necessitate & honestate negotij.

527 Dico 3. Sortes divisoriæ per se sunt licitæ in casibus in quibus eas non prohibet jus humanum. Ita *Lessius l.2.c.43.n.58. Suar.l.2. de superst.c.12.n.3.Sanch.l.2.cap.38.n.57.& Bonac. disp.3.de 1. Decal.prac.q.5.p.2.n.12.* Probatur, quia honestum est, & sæpe expediens ad dirimēdas lites mittere sortes, ut quis officium aut beneficium consequatur, quod multi habere nequeunt. *Sortes divisoriæ licent.*

Hinc fit licere. 1. pro dirimenda controversia alicujus hæreditatis, vel legati indivisibilis, quando judex id decernit, etiam si litigantes renuant. 2. in electionibus ad officia sæcularia. 3. ad applicandā eleemosynam uni ex pauperibus, quæ certis, nullo determinato præcipitur dari. 4. tempore pestis ad eligendos medicos, vel parochos, qui maneant opem laturi. 5. tempore tempestatis, si necessarium sit aliquos projici in mare, ne omnes pereant. 6. ad puniendos aliquot reos ex multis: non tamen ad indagandū reū inter innocentes.

Dixi

Dixi (per se esse licitas) quia per accidens & ab extrinseco vitiari possunt multipliciter. 1. ratione falsæ existimationis & intentionis, ut si ab astris speres felicem eventum. 2. si expectetur eventus a fortuna, ignorata Dei providentia. 3. si expectetur auxilium dæmonis moventis manus axtrahẽtium 4 si offendatur justitia distributiva nullis sortibus inter dignos & indignos, vel commutativa sortiendo de re aliena. 5. ratione irreverentiæ erga res sacras, ut si in sortibus detur usus missalis, ac similium: at non erit lethale, nisi fiat gravis irreverentia.

528 Dixi (in casibus, in quibus eas non prohibet jus humanum.) Quia jus canonicum *c. final. de sorti legijs* prohibet usum sortium in electionibus ecclesiasticis, sive ad beneficium, sive ad officiũ Ecclesiasticum. Imò nec compromissarij ad eligẽdum, nec aliqua ad hujusmodi munus jurisdictio sortibus conferri potest. Si duo æquali electorum numero ad beneficium eligantur, electio sortibus terminari nequit. Ita *Sanch. cit. c. 38. a. n 71.*

Electio ecclesiastica per sortes.

Si inter clericos (addit n. seq.) lis sit de rebus tẽporalibus, sortibus componi potest: & etiam si de beneficialibus, non propria, sed authoritate judicis Ecclesiastici illius ad quem pertinet titulum beneficij conferre. Quando in electione Pontificis discordia esset inter duos, uter verè electus sit, poterit ex consensu Cardinalium sortibus componi. Quia illos non adstringit tale jus. n. 80.

Pontifex electus per sortes.

Rogabis 1. an prædicta electio Ecclesiastica per sortes non solum sit illicita, sed etiam irrita? Affirmat absolutè Panorm. *c. Ecclesia de sortilegijs n. 5.* tũ quia facta contra decisionem illius capitis, tum quia facta contra formam *c. quia propter, de elect.* Loquendum tamen est cum distinctione, ut dicamus, si sortibus eligatur prælatus alicujus Ecclesiæ habens jurisdictionem tam in criminalibus quàm in civilibus, electionem esse invalidam: secus, si sortibus fiat electio ad officia vel beneficia Ecclesiastica, in quibus nõ detur talis jurisdictio, seu prælatio. Tunc enim valida erit electio: similiter si sortibus eligãtur compromissarij, qui prælatum habentem talem jurisdictionem eligant & designent. Ita ex *Suar. cit. c. 12. n. 9. & Sanch. n. 83. Palaus tr. 17. d. 1. p. 6. n. 9.*

529 Rogabis 2. an prohibeatur electio per sortes ad officia sæcularia? Videtur affirmandum, quia idem est periculum in electionibus sæcularibus, si fiant per sortes, eligendi indignum, vel minùs dignum non sine magno reipublicæ detrimento. Negandum tamen est cum *Suar. n. 15. Sanch. n 58 Toleto lib. 4 sum. c. 15. n. ult. & Bonac. cit. disp. 3. q. 5. p. 3 n. 12.* Quia non apparet textus, quo prohibeatur, & ratio adducta non ostendit prohiberi, sed solum posse fieri rationabiliter prohibitionem.

QUÆSTIO V.

Quousque possit licere divinatio ex elementis, animalibus & alijs rebus?

Circa divinationem ex rebus propositis S. *Thomas 2. 2. q. 95. a. 7. Lessius l. 2. just. c. 43. dub. 7. n. 45. Azor p. 1. l. 9. c. 14. & 15. Sanch. l. 2. c. 38. a. n. 38. & Bonacina de 1. Decal. præc. disp. 3. q. 5. p. 3. n. 11.* statuunt 1. posse absque peccato prædici probabiliter naturales effectus, v. g. pluviam & serenitatem & similia ex elementorum mutatione, ex frequenti cantu & volatu animalium, & ex proprio corporis habitu ac dispositione: item ex physiognomia cujusque posse conjectari aliquo modo ejus temperiem, animi affectiones, & consuetudinem sive bonam, sive pravam. Erit tamen imprudentia, & error philosophicus, non tamen superstitio, dictas affectiones & effectus certius asserere quàm par est.

530 Statuunt 2. *Caietan. 2. 2. q 95. a. 7. Valent. 2 2. disp. 6. q. 12. p. 3. Sanch. cit. n. 39. & Bonac. n. 11.* ex prædictis signis posse conjectari in genere rixas, contentiones, & prælia inter homines futura non quidem certò, sed aliquali exili probabilitate. Quia a communiter contingentibus fit probabilis conjectura: & homines sequuntur communiter innatam propensionem.

Statuunt 3. *Lessius, Valen. Sanch. & Bonac. citati* esse gravissimum superstitionis peccatum aliquem certum & determinatum effectum contingentẽ ex prædictis signis prænunciare, quando saltem probabiliter non constat Deum ea signa assumpsisse ad illum præsignandum. Ratio est, quia si talia signa non fiant a Deo, consequens est, ut sint a dæmone, & hunc velle magistrum & auxiliatorem, gravissimum scelus est. *Auguria*

Dices Joseph vir Sanctissimus laudavit se de augurijs capiendis, seu divinandi arte, coram fratribus: *An ignoratis quod non sit similis mei in augurãdi scientia?* Gen. 44. ergo licet augurari, seu auguria ex rebus prædictis capere. Respondeo illum non se commendasse de augurio illicito, quale magister diabolus inculcat, sed de licito qualis est prophetia, quam magister Deus infundit: quasi diceret, alij augures ope dæmonis futura prædicunt, & sæpe falluntur, ego ope Dei, & ideo infallibiliter.

531 Infertur 1. licitam esse physiognomiam, quæ est philosophiæ naturalis pars, & ex corporis habitu ingenium, propensionem, & valetudinem probabiliter conjectat: secus, si certò hæc affirmet. Infertur 2. physiognomiam astrologicam esse superstitiosam, & omni jure damnatam. Quia futuri eventus prosperi & infelices prædici nequeunt ex dispositione membrorum. Restat igitur ut ope dæmonis prædicantur. *Physiognomia quando liceat.*

Infertur 3. chiromantiam philosophicam, quæ ex lineis manuum, temperiem & propensionem hominis cõjicit, licitam esse, nõ ita astrologicam, quæ futuros eventus prædicit. Unde mortaliter peccant consulentes Ægyptianam de bona vel mala fortuna: si animo firmiter credendi interrogent. Si tamen animo ridendi, & ob curiositatem, esset venialis vanitas, præciso scandalo. *Chiromantia.*

Infertur 4. cum *Sanch. l. 2. c. 40. n. 15. & Palao tr. 17. disp. 1. pun. 7. n. 6.* esse superstitiosum observare dies faustos, vel infaustos, ut illis aggrediatur vel non aggrediatur aliquod opus. Nam si observet *Dies infausti, & fausti.*

servet efficaciter, & certó credat, nec excusetur ignorātia, peccabit mortaliter: si id faciat ex quodam metu, v.g. non audēs incipere opus die Martis, peccabit venialiter. Vacat superstitione observare dies, menses, & annos, quibus convenientior sit cæli dispositio ad aliquid agēdū. Pium est observare dies sacras ad negotium ope sanctorum inchoandum. Non agimus hic de divinatione per duellum, quia de hoc jam in priori parte egimus n. 473.

Tempus felix.

SECTIO II.

De vana observatione, & magia.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit vana observatio, & quale peccatum?

Magia quid.

532 QUanvis magia presso nomine sit ratio quædam operandi mira ope dæmonum, per signa & causas morales, quibus positis ex pacto excitatur dæmon, ut faciat quod magus petit, tamen latè accepta videtur coincidere cum vana observatione. Vana observatio est superstitio quæ datur, cum medijs inutilibus, & a divina providentia minimè constitutis procuratur aliquis effectus.

Vana observatio quid.

Vanæ observantiæ malitia consistit in eo quòd creaturæ quodammodo tribuatur divinus honos, expectando ab ea per media inutilia effectus expectandos a Deo per media, quæ ipse constituit: semperque involuit pactum expressum, vel tacitum cum dæmone. Unde cognosci potest, vel ex insufficientia causæ adhibitæ ad effectū intentum, vel ex circunstantia vana adjuncta. Vana observantia differt a divinatione, quòd divinatio sistit in alicujus effectus occulti cognitione, at observantia tendit ad opus v.g. ad bonum aliquod sibi vel alteri consequendum, & communi vocabulo appellatur magia, sicut si assumatur ad inferendum alteri damnū, vocatur maleficiū.

Maleficium.

Vana observatio quotuplex.

533 Quod attinet ad multiplicitatem, quanvis in ratione magicæ superstitionis una sit, & unam habens malitiam cultus dæmonis, societatis cum illo, & fiduciæ ad illum, tamen accepta materialiter in ordine ad triplicem effectum, triplex est. Prima, qua quis sibi vel alteri intendit subitó & absque labore rerum naturalium scientias consequi. Secunda, qua intendit sibi vel alijs cōparare bona fortunæ & honoris, sanitatem corporis, & vitæ longitudinem. Tertia qua intendit damna proximis inferre.

Vanæ observationis peccatum.

Quod attinet ad peccatum, quomodocunque fiat vana observatio sive pacto expresso, sive tacito cum dæmone gravissimum peccatum est, nec admittit parvitatem materiæ, ut docent *Lessius l. 2.c.44.n.26. Sanch.l.2.c.40.n.13.* & indicat *Suar.l. 2.de superst.c.14.n.10.* Quia semper cedit in gravissimam injuriam creatoris habere commercium cum illius hoste nequissimo in qualibet materia, etiam ob levissimum effectum.

Addit *Sanch.n.12.* quando pactum est tacitum, quanvis non ex parvitate materiæ, tamen posse evadere peccatum veniale 1. propter ignorātiam, vincibilem quidem, sed nō crassam & affectatam 2. ex intentione, ut si quis superstitiones exerceat non ut efficaces, sed ut vanas ex levitate quadam. Subjungit n.25. quando dubium est, an verba vel res sint superstitiosæ, protestatione præmissa, illis uti licet: secus quādo constat. Non videtur tamen esse mortale, si ex curiositate quadam id semel quis experiatur.

Protestatio in superstitione.

534 *Palau tr.17.d.1.pun.8.n.4.* non audet excusare a mortali utentem illis vanis, etiam ex levitate & curiositate semel, quando pactum tacitum cum dæmone intervenit. Quia semper hoc cedit in gravem Dei injuriam. Dixerat tamen n. 3. carere illa culpa uti vanis, non ex intentione experiendi, sed convincendi utentes illis, ex dæmonis auxilio operari, dummodo adsit necessitas talis experientiæ, & spes moraliter certa fore ut pateat deceptio.

Addit n.5. peccatum vanæ observātiæ frequēter secum deferre gravissima scelera cōtra fidem, religionem, justitiam, & castitatem. Nam magi renunciant Christo, ejusque sacramentis, dæmonē adorant, eique sacrificant, ut propitium & benevolum habeant: dæmonem credunt felicē, neq; subditum Deo, & habent cum eo nefarios concubitus.

QUÆSTIO II.

Quænam possint fieri virtute dæmonis?

CUm satis probabile sit non committere in rigore superstitionem, qui dæmoni honorem illi proprium & naturalem defert, scilicet petens ab eo quæ ipse facere potest: quanvis aliunde gravissimè peccet, ut innotescāt perspicuè superstitiones vanæ observantiæ, inquirimus quæ dæmon propria virtute facere possit, & quæ facere nequeat.

Dæmonis vis & potestas.

535 Ex *S.Thoma p.1.q.64.a.4. Castro lib.1. de justa hæret. punit.c.14. Lessio lib.2.de just.c.44.dub.3. Suar.l.2.de superst.c.16.& Palao tr.17.disp.1.pun.9.* constat per peccatum non fuisse a dæmone sublatam, imó nec diminutam naturalem potestatē operandi in inferiora, proindeque pollere vi maxima ad nocendū hominibus, si Deus permittat.

Primo igitur dæmones eam vim habent circa elementa, ut possint tempestates excitare & sistere, nives, ventos, pluvias, grandines de loco in locum transferre: civitates destruere, segetes convellere, aurum ab ima tellure vel pelago extrahere. Deus tamen non permittit hæc facere, ne homines vel nocendo, vel alliciendo perdant.

Potestas dæmonū.

Secundo pollent magna vi circa humana corpora, ut morbis inficiant, & remedijs naturalibus sanent: deinde teneant, dejiciant, elevent. Tertio possunt imprimere in anima unita corpori quæ pēdent ex phantasia & corporis dispositione, ut excitent ad odium, amorem, libidinem. Quarto possunt coercere inferiores dæmones, in humana corpora introducere, & ab eis expellere.

536 Miraculosus tamen edere effectus, qui natu-

Miracula dæmon edere non potest.

naturalium agentium excedunt virtutem, dæmones nequeunt. Unde neque, hominem transformare in bestiam, neque rationalem animam humano corpori reunire, neque suo corpori brutā animam unire, vel sejunctam cōservare possunt. Unde præstigiæ & illusiones sensuum sunt quæcunque trāsformationes quæ factæ a Magis referuntur. Similiter nequeunt dæmones producere homines, vel perfecta viventia. Quando enim incubus & succubus in corpore assumpto semen a mare decisum in fæminæ uterum dæmon intromittit, quo fæmina concipit & parit, dæmon genitor non dicitur: quia semen non produxit.

Miraculum quid. Si velis scire quid sit miraculum: ad quē spectet miraculorum approbatio, & qua certitudinē credi debeat miraculum legitimé approbatum? Vide August. Barboz. de potest. Episc. p. 3. alleg. 97. & Elucid. num. 536. 537. ubi de miraculo theologice accepto, & miraculorum gradibus.

Animæ separatæ erga dæmones. Circa animas separatas nihil posse dæmones, ex communi sententia observant *Suar. cit. c. 16. & Less. cit. dub. 3.* Nam tales animæ si sūt in cælo dæmonibus imperant tanquam illorum judices, ac dominatrices: si in purgatorio, existunt in certissima via beatitudinis tanquam dæmonū victrices, proindeque non deceat subesse dæmonibus. Si sunt in Erebo, ibi tanquam in carcere detinentur jussu Dei ut torqueantur a dæmonibus, nec permittuntur exire. Unde quando virtute magica videntur apparere, non verè apparent, sed per quasdam fictas imagines, in quibus dæmones loquuntur. Quid dicendum sit ad locum S. Paginæ 1. Reg. 28. ubi dicitur Samuelis anima evocata Pythonissæ incantationibus, laté prosequitur Palaus citatus a. n. 5.

QUÆSTIO III.

Quonsque sint illicitæ superstitiones magicæ?

Magicæ superstitiones. 537 Tres species superstitionum veniunt in quæstionem: prima versatur circa infusionem scientiarum. Secunda circa bona corporis obtinenda. Tertia circa mala seu nocumenda inferenda proximis. Hæc tertia spectat ad maleficia, de quibus agemus seorsim in sectione sequenti. Quod attinet ad primam, & secundam, prænotandum est 1. omnem illum effectum, quē constat neque a causa naturali, neque a Deo productum fuisse, superstitiosum esse. Id autem dignoscent viri sapientes timorati, quorum judicio stabitur. In dubio, an proveniat a causa naturali, provenire reputandum est.

Prænotandum est 2. dato quód effectus a naturali causa provenire nequeat, reputandum esse a Deo, vel a dæmone provenire. Id autē dignoscetur ex medijs, quibus fuit procuratus. Unde si media instituta non sint a Deo, & ejus Ecclesia, sed extra consuetudinem prudentum, a dæmone, qui in vanis complacet, proficisci dicentur: secus si ab Ecclesia sint instituta, & modus in illis non excedatur. In dubio credendum est a malo spiritu provenire. Vide *Sanch. l. 2. c. 40. n 44. & Suar. l. 2. de superst. c. 15. n. 1. 13. & Lessium l. 2. just. c. 43. dub 10.*

Scientiarum communicatio a dæmone. Quod attinet ad primam speciem magicam circa scientias comparandas, recté docet *Suar. n. 12.* esse impossibile, dæmoni rerum naturalium scientias tempore brevissimo impendere. Quia ille nihil potest imediatè circa superiores potentias, sed tantum mediaté ratione phantasiæ, quam aliqualiter immutat: & hoc nō sufficit pro exacta cujuslibet scientiæ comparatione. Erit tamen magica superstitio vanis medijs procurare a dæmone etiam id quod ille præstare non potest.

Notoria artis usus malus. 538 Est igitur superstitiosus usus artis notoriæ, quando scilicet quis procurat rerum naturalium cognitionem admixtis vanis orationi & jejunio. Differt hæc magica superstitio a divinatione, quòd in hac prætenditur transiens cognitio alicujus occulti effectus a dæmone revelante; at per illam magicam superstitionem procuratur scientifica cognitio permanens & habitualis rerum naturalium, quæ naturaliter, vel a Deo obtineri poterat. Observant *Suar. c. 15. n. 24. & Sanch. c. 41. n. 1. & c. 42. n. 20.* licitum esse usum scientiæ rerū naturalium, posseque illum edocere, quantunvis fuerit illicita prima acquisitio ope dæmonis.

Superstitionis dignoscēdæ regula. Quod attinet ad secundam speciem, quæ bona corporis respicit, recté a *Navarro sum. c. 11. n. 34. Sayro in clavi l. 4. c. 6. n. 8. Suar. l. 2. de superst. c. 15. n. 9. & Sanch. l. 2. c. 40. n. 20.* tanquam generalis regula traditur ope dæmonis effectum procurari, atque adeo dari superstitionem, quoties quis utitur medijs ad talem effectum a Deo non præordinatis.

Infertur 1. lethalē superstitionem committere, qui verba aut signa sacra usurpat, vel secum defert certó credens se manere omninò tutum a morte subitanea, læsione hostili, aliove fortuito casu, etiam si nihil inutile admisceat: secus si non certò id credat, sed confidat Deū sacris illis verbis aut signis movendum, ut defendat. Unde piū est gestare sanctorum reliquias collo suspensas, nisi vana aliqua addatur circunstantia. Gestare in collo ligaturas, quas nec Ecclesia, nec medici cōmendant superstitiosum est. Colligere herbas die S. Joannis vel alia hujusmodi efficere, adhibendo circunstantias temporis tanquam omninó efficaces ad effectum, superstitio mortalis est: secus si bona intentione, & in honorem sanctorum effectus sanctis adscribatur.

Vanæ circūstātiæ in precibus. 539 Infertur 2. lethalem esse superstitionem bona corporis velle cōsequi precibus vanam circunstantiam habentibus, credens illam necessariam esse. Quia cum debeat intelligere Deum non moveri vanis, censetur sperare effectum a dæmone; est ergo mortalis superstitio etiam in materia levissima. Unde superstitio lethalis est pro bono obtinendo recitare preces ad solis ortum in tali figura, tali voce & non aliter. Item si tali numero missarum, tali serie & ordine speces impetrare effectum, credens aucto vel diminuto numero nihil prodesse, & a fortiori si credas missam esse recitādam tali numero cādelarū, tali loco & hora.

Benæ[?] de jrae. Devotiones tamen quas vocant novenas, licent: dummodò non credatur earum vim positā

 esse

esse in numero quòd scilicet novies fiant. Licent etiam orationes, quibus utuntur fœminæ, vulgo *Benzedeyras* quando easdem adhibent invocantes Deum, aut divos, ut prosint medicinæ, quas applicant: secus si adhibeantur nullo remedio naturali applicato, vel cum circunstantia inutili. Vanæ ac superstitiosæ sūt supplicationes, in quibus imago sancti alicujus in flumen projicitur, donec pluat. Similiter orationes, quibus sagæ circulis virgineis benedicunt pro parturientibus vel ægrotantibus, additis cæremonijs suffitus, halitus, & oscitationis.

540 Infertur 3. mortalem esse superstitionem uti medijs improportionatis ad corporis sanitaté, vel alia bona obtinenda. Quia tacité imploratur auxiliū dæmonis. Unde est illicitus usus imaginum astronomicarum, quæ factæ in tali figura, & sub quodam constellationis signo creduntur proficuæ ad morbos varios curandos & præcavendos. Idem est de certis characteribus & amulis ad efficiendam sanitatem, cum qua nullam proportionem habent.

Astronomica imagines.

Infertur 4. damnandum omninó esse usum illorum, qui dum ludunt, & sors eis infeliciter obvenit, locum mutant, sibi omninó persuadentes illa mutatione se infelicem fortunam abjicere: secus si id faciant sperantes forte mutandam esse casu fortunam. Infertur 5. quanvis ars chymica licita & utilis sit ad distillationes, tamen illicitam esse quoad confectionem auri & argenti. Datur enim periculum ut diabolus se ingerat: & ideo graviter interdicitur in *Extrav. Ioannis XXII.*

Chymica ars.

Infertur 6. non esse omninò damnandos salutatores, eos scilicet qui sanant rabiem ex canis morsu. Est enim probabile habere virtutem naturalem curandi, & probabilius habere gratiam gratis datam: Quia tamen frequenter adhibent vanas circunstantias, & sunt viles, ac non probatæ vitæ homines, ab ordinarijs diligenter examinari debent, priusquā munus obeant. Ita *Sāch. l. 2. c. 40. a. n. 45.* Vide *Palaū tr. 17. disp. 1 pun. 10. a. n. 13.*

SECTIO III.
De maleficijs.

QUÆSTIO I.
Quid sit maleficium, & qualiter tolli possit, ac debeat?

541 Maleficium apud *n. p. l. 1. ff. si fam fur. fecer.* est peccatum injuriosum, seu dānosum, quod damnum infert. Dicitur alio nomine veneficium, Græcé *Parmachia* & refertur ad aliquam noxam alteri inferendam. Theologi tamē agnoscunt in maleficio effectum duplicem, aliū in se bonum, alium alteri nocivum: & potest uterque independens esse a dæmone, vel ab ipso dependens. Si effectus sit in se bonus, qualis pecunia, scientia, vel sanitas arte dæmonis comparata, & in conservari a dæmone non dependeat, rectè docent *Sanch. l. 2. c. 41. n. 1. c. 42. n. 20. & Suar. l. 2. de superst. c. 15. n. 24.* posse habentem illis retentis uti. Quia in illarum usu nullam conservat cū dæmone societatem, nec res ipsæ ex dæmonis cōcessione ullam maculam contraxerunt.

Maleficiū & veneficium.

Bna acquisita ope dæmonis.

Dixi (in conservari a dæmone nō dependeat) quia si dependeat, illicitus erit, ex continuata societate cum Dæmone. Debet etiam constare utēti veras divitias esse, & ignorare fuisse ab aliquo sublatas. Tunc enim præsumandum est ex profundo maris, vel ex thesauro aut minerali sub nullius dominio existentibus deductas esse. Ita ex *Suar. c. 17. n. 3. & Sanch. c. 41. n. 2. Bonac. d. 3. ple. 1. Decal. prec. q. 5 p. 5. n 11. fine.*

Divitia data a dæmone.

542 Quando effectus maleficij nocivus alteri est, qui nocet, tenetur procurare remediū medijs licitis. Ut intelligatur quæ media sint licitā præmittendum est quædam esse supernaturalia, quædam naturalia, quædam superstitiosa. Patet esse licitum, & quandoque obligatorium uti medijs supernaturalibus, quæ versantur in triplici genere: nam alia sunt generalia pro quocunque impetrando beneficio, & vitando damno, qualia oratio, exercitium bonorum operum, Sacramentorum, & gestatio sanctorum reliquiarum. Alia sūt specialiter deputata ab Ecclesia ad talem effectū ut exorcismi, aqua, sal & panis benedictus. Alia ex ratione suæ significationis, ut signum crucis, invocatio S. Trinitatis, & nominis Jesv.

Naturalia remedia, seu medicinæ licent, sed rarò vim habent ut dæmon a nocendo desistat, quia dæmon facilé potest medicamentorum vim elidere appositis contrarijs. Superstitiosa remedia sunt quæ ex pacto dæmonis proveniunt, ac proinde nunquam licent: quia habere commercium cum dæmone intrinsecé malum est. Ex quo sequitur 1 nunquam mago esse licitum reparare damnum maleficij alio maleficio, quanvis aliter reparari nequeat. Sequitur 2. nunquam esse licitum judici causa curiositatis, vel alia quacunque præcipere mago ut coram se meleficium peragat. *Sanch. l. 2. c. 41. n. 34.*

Maleficij reparatio.

Difficultas est examinare sitne destructio maleficij remedium superstitiosum? Unde quæritur, an liceat, ut cesset maleficium, ejus signum destruere? Bené respondet affirmativé *Sanch. citat. cit. n. 19.* dummodó hoc non fiat animo servādi pactum cum dæmone, sed illud distruendi, & recuperandæ sanitatis. Quod procedit etiam si ex signo ablato damnū malifico proveniret. Imó maleficus ipse (ait *Sāch. n. 22.*) ex justitia, quicunq; alius privatus ex charitate tenetur auferre, si potest.

Maleficij destructio.

543 Licité potest interrogari maleficus an nòrit signum, ut destruatur: non tamen induci, ut sua arte investiget quodnam signum sit. Judex tenetur ex justitia cogere maleficum, ut signum destruat, & damna illata restituat. Est tamen dubium, an liceat ponere signum contrarium, ad cujus positionem se dæmon obligavir a nocendo desistere? Ex *Suario l. 2. de superst. cap. 17. n. 16. & Sanch. l. 2. decal. c. 41. n 25.* bene respondet affirmativé *Palaus tr. 17. d. 1. p. 11. n. 10.* dummodò tale signum bonum sit, vel saltē indifferēs, & apponatur ex intentione ut cesset a nocendo dæmon, & ejus confæderatio dissolvatur. Quia medium indifferens

Signum in maleficio.

differens ex bono fine honestatem capit. Si dubitetur an signum malum & superstitiosum sit, dubio persistente apponi nequit, etiam facta protestatione.

Infertur licere judicibus præcipere ut malefici laventur & eorum pili radantur, quando torquendi sunt, si vereátur in pilis ipsis aliquod occultari maleficium, quo reddantur insensibiles. Ita cum *Sanch. cit. n.* 11. *Lessius l. 2. c. 44. n. 44.* Quia subtrahere dæmoni fundaméta operãdi, licitũ est.

QUÆSTIO II.

An liceat a malefico parata ad solvendum maleficijs maleficia, id petere?

544 Illicitam esse talem petitioné recté docent *Navarrus sum. c.* 11. *n.* 29. *Covarr. cap. quamvis pactum* 1. *p.* §. 1. *n.* 10. *Martinus del Rio lib.* 6. *disquis. magic. c.* 2. *sect.* 1. *q.* 2. *dicto* 3. *Sanches cit. n.* 5. & *Suar. l.* 2. *de superst. c.* 18. *a. n.* 3. Nam talis petitio est cooperatio ad aliquid intrinsecè malum, nempe ad dissolutionem maleficij ope dæmonis faciendã. Unde nec judex potest imperio cogere magum ad illam maleficij dissolutioné, neq; ut dissolvat facta quadam benedictione. Nam illa benedictio cum non sit causa physica ad dissolvendum, sequitur ut superstitiosa censeatur.

Maleficij cooperatio.

Quid si dubitetur an superstitiosum sit mediũ, quo maleficium solvendum est? Non potest peti vel imperari ob periculum peccati, cui exposita petitio manet, & quia contra tale medium stat præsumptio. Idem est, si dubitetur an sciat maleficus aliquod medium licitum, quo maleficium dissolvat. Idé, si maleficij dissolutio petatur ab alio malefico, qui ignarus ubi, & in quo maleficiũ cõstitutũ est, novo maleficio id scire procuret. Ita *Suar. cit. c.* 18. *n.* 19. *Sãch. c.* 41. *n.* 7. & *Less. c.* 44. *n.* 46.

Superstitiosum medium dubio.

1 Difficultas est, an quando quis certò scit magum cognoscere alterum medium licitum, & alterum illicitum solvendi maleficium, possit petere ab eo solutionem, quanvis sciat eum usurum medio illicito? Negat *Caietan. tom.* 1. *opusc. tr.* 12. *de malef. q.* ... *in fine*, quasi tunc detur cooperatio ad rem intrinsecè malam.

Maleficij ablatio.

545 Affirmandum tamen est cum *Lessio l.* 2. *just. c.* 44. *n.* 46. *Suar. l.* 2. *de superstit. c.* 18. *n.* 9. & *Sanch. l.* 2. *c.* 41. *n.* 13. Ratio est, nam talis petit rem de se bonam, vel saltem indifferentem, qualis est ablatio maleficij, quæ sine peccato præstari a mago potest. Quod autem peccaturus ille sit, id per accidens ex sua malitia proveniet. Explicatur duplici exemplo, altero petentis mutuum ab usurario, quem scit non daturum sine usuris: altero petentis juramentum ab infideli, quem scit non juraturum nisi per falsos Deos: nam utraque petitio licet, cum alius per accidens peccando ex sua malitia præstabit.

Duo tamen citati authores monent, alterum ne detur ex parte petentis cooperatio ad executioné magicæ superstitionis, qualis dabitur si petens corpus suum exhibeat, vel pecora sua ad vanas medicinas accipiendas: alterũ, ut petat a mago solutionem maleficij modo licito, & expressè ad illud excitet, si speret obtenturum. Hoc enim suadet & præcipit charitas.

2 Difficultas est, an liceat a diabolo petere vel saltem, illi præcipere, ut a dæmonio cesset, vel dissolvat maleficium? Constat talem petitionem esse illicitam, & gravissimè peccaminosam. Nam petitio denotat indigentiam & submissionem in petente, & superioritatem in eo ad quem defertur proindeque directa ad diabolum honorem illi deferret. De præcepto est dubitatio, nam illud dæmoni molestum & dedecorosum est.

Petere à dæmone.

546 Nihilominus recté docent citati authores non esse hominibus licitum præcipere dæmoni absolutè, sed in nomine Christi & Ecclesiæ per exorcismos. Ratio est, quia secluso nomine Christi & Ecclesiæ dæmon nõ subditur homini mortali, nisi ex pacto, quod homo ineat cum ipso, vel cum dæmone superiore, qui inferiorem potest cogere; si igitur per exorcismos non præcipiat, satis invit præcipere in virtute talis pacti, ac proinde illicitè præcipit.

Præcipere dæmoni.

QUÆSTIO III.

Qualiter puniantur divinatores sortilegi, & malefici?

Oportet ut qui malitiam superstitiosæ divinationis, & maleficij exposuimus, divinatorum, & maleficorum exponamus pœnas, sive jure ipso latas, sive ferendas per judices. Ac primũ si loquamur de pœnis ipso jure latis, quales esse solent censuræ & censuris affines, nempe irregularitas & inhabilitas, solum dubitatur an divinatores, magi & malefici excommunicationem incurrant? Constat enim nullam ex alijs ipso jure subire. Affirmant *Martinus del Rio l.* 4. *disquis. c.* 2. *q.* 7. *sect.* 4. & *Tabiena v. Excommunicatio* 1. *casu* 4. Probant ex *c. aliquanti* 26. *q.* 5. & *c. si quis Episcopus ead. causa & quæstione.*

Divinatorum, oragorũ & maleficorum pœna.

Negandum tamen est cum *Lessio l.* 2. *cap.* 43. *n.* 29. *Azorio p.* 1. *l.* 9. *c.* 26. *q.* 3. *Suar. l.* 2. *de superst. c.* 19. *n.* 5. *Sanch. l.* 2. *c.* 38. *n.* 91. & *Bonac. disp.* 3. *de* 1. *Decal. præc. q.* 5. *p.* 3. *n.* 12. Ratio est quia nulla censura incurritur, nisi in casibus a jure expressis, & nulla excommunicatio, saltem quæ habeat modò vigorem, expressé fertur ipso facto contra divinatores & maleficos. Quæ enim in *c. si quis ariolos* 26. *q.* 5. reperitur imposita contra illos ob frequentiam ariolandi, jam consuetudine abrogata est. Quod intellige si crimen divinationis & maleficij separatum fuerit ab hæresi: nam si conjungatur, tunc ob hæresim excommunicatio ipso jure incurritur.

Excõmunicatio divinatorũ & maleficorũ.

547 Si loquamur de pœnis ferẽdis, & ab hoc delicto excludamus hæresim, & ipsius suspicionem, contra illud variæ pœnæ feruntur in jure canonico & civili. Nam si clericus tale delictum committat, præcipitur suspendi ob officio & detrudi in monasterium *c. si quis Episcopus* 26. *q.* 5. Icé. privari potest beneficio, & alijs aliqui pœnis juxta *c. Illud* 26. *q.* 2. & *c. admoneant* 26. *q.* 7. Addit *Anton. de Butrio ad c. At si clerici de judicijs, ex c. admoneant* 26. *q.* 7. talem clericum esse degradandum & curiæ sæculari tradendum. Hoc tamen bené improbat

Clericus ariolus.

bat Suarius citatus.

Si laicus sit, olim puniebatur pœna mortis & cremationis *l.Nemo, & l.Nullus, l. multi C. de malef.* verùm ut testatur *Farinac q.181.n.76.* hæc pœna hodie recepta non est, nisi cum illo delicto alia gravia comungantur, ut homicidij, vastationis domus, segetum & animaliũ. Præterea laici malefici & divinatores varijs textibus 26 *q.5.* jubentur excommunicari incarcerari, in exilium amandari, verberari. Consuetudo jam obtinuit, ut cum mithra, vulgo *carocha*, uncti melle & plumis circumdati circa Ecclesiam, vel domum Episcopi collocentur ut ab omnibus illudantur. Vide *Palaũ tr.17.d.1.p.13.n.5.*

Pœna contra maleficos.

548 Cum verò dixerimus cum divinatione & maleficio plerunque conjungi hæresim, vel ipsius suspicionem, rogabis, quando maleficus contrahat suspicionem hæresis? Benè respondent *Eymericius 2.p.direct.q.42 43. Julius Clarus l. 5. v. hæresis n.24. Simanc. de Cathol. instit. tit.30.n. 15.* per maleficium contrahi suspicionem hæresis manifestam, si maleficus cum dæmone expressè pactum ineat, vel si à dæmone petat quæ a solo Deo fieri & cognosci possunt. Item si dæmonem adoret, ei preces fundat, & cultum exhibeat: quia per hæc denotat non credere illum esse miserum. Item si in usu maleficij misceat res sacras, quia per hoc videtur credere res sacras habere virtutem ad usum execrabilem. Denique omnia crimina quæ ex sua ratione præferunt hæresim, illam sapiunt: v.g. Baptizare imagines, nam significat eas esse capaces baptismi: rebaptizare puerum, quia denotat baptisma unum non esse: flectere genuà idolo, quia innuit illud adoratione dignũ, & his similia.

Suspicio hæresis ex divinatione.

Extra relatos casus *Suar. l.2. de superst. c.19. n.10.* affirmat suspicionem hæresis cessare. Unde a manifesta suspicione hæresis liberatur qui absque ullo cultu dæmonem consulit in ijs quæ dæmon patrare potest secundùm proprias vires, præcipuè si non ex professo, & quasi ex officio consulat. Item qui absque cultu vocat dæmonem ut turpẽ amorem excitet. Ita *Pegna com.68. vers. si vero & vers. tertius.* quanvis oppositum probabile sit, & *Farinac. de hæres. q.181.a.n.73.* pro utraque parte multa afferat.

QUÆSTIO IV.

Ad quem forum spectet divinationis & maleficij delictum: seu quis illius sit judex?

549 Oportet distinguere inter delictum divinationis & maleficij quod sapit hæresim, & delictum quod omni omninò hæresis suspicione caret. Nam si careat omninò suspicione hæresis, cum sit delictum mixti fori, ut docet *Julius Clarus l.5. v. hæresis n.25. Suar. l.2. de superst. c.19. n.11. & Valent. 2.2. d.6. q.13. p.4.* si delinquens clericus sit, a suo judice Ecclesiastico puniri debet, si sit laicus vir aut fæmina, puniendum est a sæculari, vel Ecclesiastico judice ad præventionem.

Judex in divinatione vel maleficio.

Quod si prædictum crimen sapiat hæresim manifestam, ad Inquisitores privativè spectare, ex *c. accusatus de hæret. in 6.* rectè docet *Farinac. de hæresi q.181.n.101. fine.* Quid si dubitetur, an sapiat manifestè hæresim? Ex *Martino del Rio l. 5. disquis. sect.2. & Farin. cit. q.181.n.91.* tradit *Palaus tr.17. disp.1. p.13. n.9.* debere inquisitores ab illius cognitione abstinere. Addunt tamen vix incidere casum in quo nequeant procedere. Quia talis delinquens fere semper aliquid hæreticum credit vel aliquid sapiens hæresim committit.

Hæresim sapiens delictu m.

550 Accedit, quòd si de delicto judicato sapere hæresim manifestè, cœperũt cognoscere Inquisitores, & postea dubitetur an illam manifestè sapiat? posito quòd hæresim sapiat, posse de qualitate *manifesti* cognoscere, seque judices pronunciare, benè resolvunt *Pegna 2.p. direct. q.42. com. 67. & Squallicens. de fide cath. c.56.* Et generaliter de crimine maleficij posse cognoscere inquisitores ex constitut. Innocentij 8. edita anno 1484. quæ incipit *Summis desid. antes*, & ex constit. Adriani edita 1523. testatur *Farinac. cit. n.101.* ubi addit ex constit. Sixti 5. *contra Astrologos judicarios* posse inquisitores procedere contra artem superstitiosam profitentes, addiscentes, exercentes, & quomodolibet se ingerentes, etiam si in plerisque his casibus antea nec procederent, nec procedere possent.

Quòd attinet ad modum procedendi in hoc delicto, *Palaus tr.17.d.1.p.13.a.n.7.* ex multis citatis authoribus colligit, & paucis dicit: nos dicamus paucioribus. Infamia delicti orta ex fide dignis præcedere debet, ut judex adversus aliquem instituat de meleficio specialem inquisitionem. Ad quod sufficiet semiplena probatio, vel quòd adsint indicia plenè probata, sed ita urgentia, ut meritó illis fides adhiberi possit, qualia sunt, si apud maleficũ reperiantur res sacræ profanis mixtæ, humana membra, signum aliquod servitutis, qua se dæmoni obstrinxit, v.g. chirographũ scriptum manu propria, & similia.

Procedendi modus contra maleficos.

551 Deinde ut reus teneatur interrogatus respondere debet judex illi aperire fundamenta specialis inquisitionis, ad quam sufficit infamia publica, quæ ad esse censetur eo ipso quòd denũciatio juridicè facta est in judicio, vel urgẽtia indicia probata sunt. Hujusmodi semiplena probatio sufficit ut detrudatur reus in carcerem: ut autem torqueatur, alijs adminiculis juvari debet.

Infamia publica.

Sola testificatio unius malefici absque alijs indicijs non sufficit ad capturam, etiam si fiat in articulo mortis. Judex ex vi denunciationis metu tormentorum firmatæ potest investigare alia media. Si duo vel tres malefici denuncient, cum hujusmodi denunciatio sit plusquam semiplena probatio, sufficit ad interrogationem & torturam.

Tortura malefici.

Testium & denunciatoris nomina regulariter aperiri non debent reis, neque eorum advocatis ob periculum, sicut in causis fidei. At cessante periculo, quando causa non agitur in tribunali Inquisitionis, manifestari debent reo, ut ei concedatur integrè defensio. Reliqua vide in modo procedendi contra hæreticos.

Nomina testium aperiẽda.

552 Rogabis, quænam sit obligatio malefici resipiscentis? Imprimis oportet sciat adhuc per veram pœnitentiam ipsi patere aditum ad Deũ.

Maleficorum obligatio.

Et

Et quanvis se addixerit servituti dæmonis per chirographum suo sanguine obsignatum, quod illi tradidit, opus non est ad talem servitatem excutiendam talis chirographi redditio. Si adhuc habuerit chirographum, vel ejus exemplar, item aliquod signum artis diabolicæ, debet omninò cremare, & destruere. Libros omnes prædictæ artis vel comburere, vel tradere Inquisitoribus tenetur: aliter in currit pœnas impositas tenentibus seu legentibus libros prohibitos. Ita *Suar. l. 2. de superst. c. 19. & Sanch. c. 38. n. 83.*

Restitutio maleficorum. Quid de restitutione pro damno illato & pretio accepto? Non tenetur restituere quæ accepit pro manifestatione eorum quæ licitè & naturaliter investigare potuit. Si judicavit de re quæ nulla arte sciri valet, tenetur dedocere falsam doctrinam, & omnia damna ex ea secuta compensare: sicut medicus tenetur resarcire expensas ægroto si morbum immedicabilem noverat. Ita *Sanch citat. n. 94. & 95.*

Medicus casu sanans. Quid de pretio accepto? Si consulto dæmone respondit, pretium retinere potest, sicut medicus quãdo curavit juxta artis præcepta. Si de ijs quæ sciri possunt, saltem a dæmone, nulla diligentia adhibita judicium tulit, pretium restituere tenetur, etiam si effectus evenerit: sicut medicus qui ignarus curat, & casu sanat, non potest recipere pretium. Ita *Sanch. n. 96.* Addit *Palaus citatus n. 8.* pretium illud in sententia probabili posse restitui pauperibus, & non illi qui illud obtulit. Ille enim ob turpitudinem commissam videtur privatus jure recuperandi. Quod ego non admittam, nisi post sententiam latam.

SECTIO IV.

De tentatione Dei, & blasphemia.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit tentatio Dei, & quale peccatum?

Tentatio quid. 553 Tentatio accepta generaliter, ut ex *S. Thoma 2. 2. q. 97.* docet *Lessius l. 2. c. 45. n. 1.* est dictum vel factum ad capiendum de aliquo experimentum, ut sciatur qualem habeat scientiam, bonitatem, potentiam. Tentare enim apud Latinos est rem incertam, & nõ intellectam aggredi, seu experiri, & diligenter inquirere.

Tentatio Dei. Tentatio Dei sic definitur a *Sanch. l. 2. Decal. cap. 34. Est irreligiositas quædam, per quam ex dubitatione de aliqua Dei perfectione, sumitur experimentum verbis, vel factis, an Deus perfectionem illam habeat.* Dicitur irreligiositas, quia opponitur religioni. si quidem ex tali experimento valde læditur cultus ex religione Deo debitus. Ut cognoscatur, attendendus est finis, ob quem effectus a Deo speratur: si enim finis justus & rationabilis fuerit, non dabitur tentatio: secùs si non justus, vel inutilis.

Tentatio quotuplex. Quod attinet ad multiplicitatem, Tẽtatio cõmunissimè accepta prout in S. Pagina reperitur & notat *S. August. quæst. 58. in Exod.* est duplex, altera probationis, seu experimenti, altera inductionis, seu seductionis. Hac secunda raro tentabitur, Deus, quia nemo ita stolidus est, ut nesciat infinitam Dei bonitatem totius malitiæ incapacem esse. De prima igitur tentatione, seu modo tentandi nobis sermo est.

554 In qua acceptione Tentatio Dei vel est formalis, ut cum quis dubitando formaliter de aliqua Dei perfectione aliquid facit animo illius experiendæ: vel est interpretativa, quando quis id petit aut agit quod ex sua natura ad nihil aliud referri posse videtur, quàm ad Dei perfectionem experiendam: & dupliciter evenit, 1. cum quis media naturalia a Deo ordinata prætermittit, sperans a solo Deo effectum. 2. cum sponte periculum quærit, a quo vix liberari possit, nisi a solo Deo, sperans ab eo liberari ut si quis desiliat in puteum ea spe quòd a Deo liberetur. Vide *Suar. tom. 1. de relig. tract. 3. l. 1. c. 2. & Lessium citat. dub. 1.*

Rogabis 1. an sit tentatio Dei, ab eo petere ut aliquo miraculo ostendat suam voluntatem de aliquo futuro eventu? Negat *Valent. 2. 2. disp. 6. q. 14. p. 1. coroll. 3.* Quia tunc non fit probatio de aliqua perfectione Dei, sed de objecto suæ volũtatis. Affirmandum tamen est cum *Suar. tom. 1. de relig. tr. 3. l. 1 c. 2. n. 16. & Sanch. l. 2. Decal. c. 34. n. 8.* Quia divina voluntas solũ investigari potest per media ordinaria & debita, non veró per extraordinaria & indebita. Unde etiam inter homines qui alterius voluntatem & amorẽ explorat per media indebita, tentare eum dicitur.

555 Rogabis 2. an tentet Deũ, qui ab eo petit, ut divinam aliquam perfectionem non sibi, sed alijs manifestet per miraculum, vel medium extraordinarium? Respondeo affirmativé. Ratio est quia prætendens ut Deus se alijs manifestet per media extraordinaria & aliena a divina providentia, vult habere sibi Deum subjectum, & suæ voluntati conformem, cum potius ipse divinæ voluntati conformari debeat. *Tentationis Dei malitia.*

Quod attinet ad peccatum & malitiam dictæ tentationis, multum inter est inter eam quæ cum infidelitate conjuncta est, proceditque ex fide dubia, & eam quæ absque infidelitate contingit. Nam prior omnium pessima est, & materiæ levitatem non admittit. Posterior mala, & suo genere lethalis est. *Gravitas & levitas materiæ in tentatione Dei.*

An vero ex levitate materiæ venialis esse possit? Affirmant *Valent. 2. 2. d. 6 q. 14 p. 2. Sayrus in clavi l. 4 c. 7. n. 14.* nec dissentit *Lessius l. 2. c. 45. n. 4.* Nam qui ex sola curiositate videndi opus aliquod mirabile, id peteret ad Deo, ut illo fidei veritatem comprobaret: item qui levi morbo vexatus nollet uti medicinis sperans vané salutem a Deo absque petitione miraculi, solum peccaret venialiter, ut docet *Sanch. c. 34. n. 5.*

Nihilominus hanc interpretativam tentationem Dei non admittere parvitatem materiæ, ut venialis esse possit, docet *Suar. cit. tract. 3. l. 1. c. 2. n. 16.* cui subscribit *Palaus tr. 17. disp. 2. p. 1. n. 9.* Probat, quia tota malitia hujus tentationis sita est in eo quod fiat experimentũ de divina aliqua perfectione per media indebita: quod semper graviter injuriosum Deo est: quod autem fiat per opus

in se grave aut leve, per accidens se habet. Prima opinio probabilis est, sed hæc secunda mihi videtur probabilior.

Tentatio expressa & virtualis differunt.

556 Rogabis an tentatio expressa, qua petitur miraculum ad probationem divinæ excellentiæ, specie differat a tentatione virtuali & interpretativa, qua petitur miraculum pro declinando periculo? Rectè affirmant *Suar. cit. c. 3. n. 7. Sanch. l. 2. c. 34 n. 11. & Bonac. disp. 3 de 1. Dec. prac. q. 9. pun. unico fine*, si loquamur in genere moris, & in ordine ad confessionem. Quia una petitio procedit ex dubia fide, altera ex nimia fiducia in Deum: quæ duo valde differunt.

Ex dictis infertur 1. illicitum esse absque speciali Dei revelatione offerre aliquod miraculum faciendum ad probationem fidei, vel id petere: & a fortiori se comburendũ tradere sperans fore ut per miraculum liberetur. In petitione miraculi, ut liceat, semper (ut monet *Suar. tom. 1. relig. tract. 3. l. 1. c. 12. n. 13.*) subintelligẽda est conditio, si ita Deo fuerit placitũ, ejusque gloriam spectaverit.

Innocentiæ probatio per ignem.

Infertur 2. esse illicitam, utpote tentationẽ Dei illam innocentiæ probationem, quæ olim fiebat ferro candenti, aut aqua ferventi (*Cap. consulvisti 2. q. 5.* & *cap. 1. & 3. de purgat. vulgar.* Nec obstat Deum sæpe illam miraculis confirmasse, quia id potuit evenire vel ex speciali Dei instinctu, vel ex simplicitate & ignorantia petentis, vel ut Deus alicujus innocentiam ostenderet.

557 Infertur 3. esse tentationem Dei in morbo periculoso respuere medicinas extra tempus martyrij, sperata a Deo sanitate. Nam tempore martyrij ad indicandam promptitudinẽ ad mortem pro Christo laudabile foret: similiter, si quis extra mortis periculum respueret medicinas, ut plus pro Christo, ferret. Infertur 4. esse tentationem Dei se offerre martyrio temerè, & absque causa justa, quæ tunc datur quando illud est sub præcepto vel consilio. Infertur 5. nitentem sine causa impetrare a Deo bona temporalia, omissis medijs naturalibus, tentare Deum.

Oratio sine præparatione.

Infertur 6. esse tentationem Dei, si quis sine prævio studio & meditatione, & sine causa prædicare intendat, sperans fore ut Deus dicenda inspiret. Quod mortale erit si fiat animo tentandi Deum: veniale, si eo animo non fiat. Quid de eo qui accedit ad orandum absque præparatione? Videtur tentare Deum, juxta S. Paginam: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Ecclesi. 18 Certè ad orationẽ requiritur præparatio per cogitationem divinæ majestatis, per examen eorum quæ petenda sunt, & per depositionem odij & rancoris in proximũ. Unde si talis speret quòd Deus sua oratione indebitè facta concedat effectum, propriè tentabit Deum: secus, si speret quòd Deus ex sua liberalitate concedat. Vide *Sanch. & Palaum locis citatis.*

QUÆSTIO II.

Quid sit blasphemia: & quale peccatum?

Blasphemia quid sit.

EX *S. Thoma 2. 2. q. 13. Theologi* cum *Sanch. lib. 2. Decal. c. 32. n. 1. Suar. tom. 1. relig. tr. 3. lib. 1. c. 4 Lessio l. 2. just c. 45 n. 24.* & alij communiter blasphemiam sic definiunt: *Est locutio falsa cõtra Deum per modum convitij.* Explicatius: Est peccatum quo aliquid de divinæ bonitatis excellentia detrahitur dicendo falsè aliquid Deo inesse quod non inest: vel negando inesse quod inest: idque voluntate quadam detegandi hac ratione divinæ bonitati vel majestati.

Hujusmodi contumeliosa locutio cõtra Deũ, haberi potest corde, ore, & scriptura: laus enim & honoratio Dei, cui inhonoratio per blasphemiam opponitur, triplici illo modo exhibetur. Illud observandum est ad illam contumeliæ voluntatem non postulari omninò intentionem directam derogandi, qualem habent damnati, sed sufficere indirectam quando scilicet ex circũstantijs, & modo prudenter judicatur locutionem habere divinæ gloriæ contemptum & diminutionem.

Unde si proferatur seriò & ex quadam indignatione, quæ prudẽter credatur pertinere ad Deũ, erit vera blasphemia: secus, si joco, vel alio fine, veluti ad docendum. Ex prædicta illa duplici intentione lædendi divinum honorem, rectè sequitur, intra essentiam & speciem blasphemiæ contineri duplicem, alteram undequaque perfectam quæ ex odio Dei procedit, alteram imperfectam & informem quæ ex iracundia, vel alia prava affectione proficiscitur.

559 Illa particula definitionis (locutio) satis denotat blasphemiam peragi verbis, & non factis. Unde *Sanch. n. 5. Suar. n. 6. & Lessius n. 24.* rectè docent Judæos Christum conspuentes, flagellantes, & crucifigentes non comisisse blasphemiam, sed sacrilegium. Dicitur blasphemia locutio falsa, quãvis particula illa (falsa) non admittatur a *Suario citato cap. 4. n. 9. & Azorio p. 1. l. 4. cap. 28. q. 1.* qui absolutè affirmant de ratione blasphemiæ non esse falsitatem, cum sine hac rigorosa blasphemia stare possit, ut cernitur in blasphemia imprecantis Deo malum, aut membra Christi irreverẽter proferentis. *Falsitas in blasphemia.*

Contumelia in blasphemia.

Nihilominus ponendam esse talem particulam, & admittendam in omni blasphemia falsitatem ex *S. Thoma 2. 2. q. 13. a. 1. in corpore* docent cum multis *Valent. disp. 1. q. 13. p. 1. & Sanch. c. 32. n. 6.* Ratio est, quia licèt blasphemia quandoque exerceatur per modos imperativos vel optativos quibus nec enunciatio, nec proinde falsitas dari potest, & quandoque per nominationem pudendorum Christi & sanctorum, in quibus non est falsitas, tamen semper ex modo irrisorio & contemnenti denotat aliquid in Deo contemptibile, quod falsum est. Patet, quia omnis blasphemia continet rationem contumeliæ in Deum prolatæ: nihil autem verũ Deo cõtumeliosũ esse potest.

Infidelitas quid.

560 Datur discrimen inter infidelitatem & blasphemiam: nam infidelitas consistit in assensu aliquo interno falso de Deo, & externa asseveratione falsi, ex tali interno assensu orta: at blasphemia neutrum requirit: sed consistit in dictione falsa de Deo sive interna, sive externa. Possunt simul conjungi & invicem separari blasphemia & infi-

infidelitas: nam si quis dicat aliquid divino honori derogans credens ita esse, erit simul hæreticus & blasphemus: si credit & non dicit, erit solum hæreticus: si dicit & non credit, erit solum blasphemus.

Denique ut intelligas particulam illam definitionis (contra Deum) & qualiter intelligi possit blasphemia contra sanctos, rectè monent *Vasq. l. 1. de adorat. disp. 6. c. 4. Valent. 2. 2. d. 1. q. 13. p. 2. & Sanch. citat. n. 7. & 47.* sanctos dupliti titulo posse honorari, vel quatenus aliquid Dei sunt, nempe ejus servi, familiares & amici, vel quatenus vendicant perfectiones, ob quas digni sunt speciali honore, præciso illo ad Deum expresso respectu. Et hoc secundo modo coluntur non latria, sed dolia. Si igitur quis dehonestet sanctos quatenus sunt aliquid Dei, vere blasphemus est: si sub alio respectu, non propriè blasphemus est, tametsi gravissimè peccet.

Blasphemia in sanctos.

561 Quale peccatum sit blasphemia, constat esse peccatum contra religionem, & opponi Dei laudi & honori, quem religio præcipit. Unde est peccatum ex genere suo mortale, quòd nunquã fit veniale ex parvitate materiæ, sed ex solo plenæ deliberationis defectu. Ita *Valen. 2. 2. q. 13. p. 1. notab. 3. Suar. tom. 1. de relig. tr. 3. l. 1. c. 6. n. 2. Sanch. c. 2. n. 40.* & *Bonac. disp. 3. de primo Decal. præc. q. 8. p. 3.* Nam omnis blasphemia est contumelia, & nulla contumelia in Deum, vel sanctos levis esse potest, etiam si joco proferatur. Addit tamen *Sanch. cit.* si quis de sanctis non quá sanctis, sed quá hominibus diceret aliquid leve, v. g. diceret juro S. Crispinum fuisse sutorem, & S. S. Joannem & Paulum fratres eunuchos, proferret blasphemiam venialem.

Blasphemia quale peccatum.

Denique juxta citatos authores, quibus adde *Lessium l. 2. c. 45. dub. 5. & Banbez. art. 2.* omnes blasphemiæ quocunque modo prolatæ sive in Deũ, sive in sanctos sunt ejusdem speciei, si ex formali odio non procedant. Patet quia omnes ut sic sub una ratione virtuti religionis opponuntur. Si autem essent hæreticales, contra virtutem fidei: si ex formali odio Dei procedentes, contra charitatẽ, & inter se, & ab alijs specie different, ob diversas malitias, quas adderent.

562 Quæ blasphemiæ (addit *Sanch. n. 39.*) sunt ejusdem speciei, etiam in cõfessione explicari debent, si habeant circunstantiam nobiliter aggravantem: v. g. an procedant ex formali voluntate inferendi convitium Deo vel sanctis: an sint immediaté contra Deum, vel contra sanctos: an sint immediatè contra B. Virginem, vel contra alios sanctos: an sint per membra honesta vel pudenda: & sic de reliquis, quæ magis rectæ rationi dissonant.

QUÆSTIO III.

Quotuplex sit, & qualiter contingat blasphemia?

Omissa divisione blasphemiæ in Deum & in Sanctos, de qua in præcedenti quæstione: divisio præcipua est in blasphemiam hæreticalẽ, & non hæreticalem. Hæreticalis est, quæ continet expresse hæresim, scilicet vel tribuendo Deo quæ ei non competunt, vel negando quæ competunt, & proferri debet modo indicativo, utpote solo veritatem vel falsitatem proferente. Non hæreticalis est, quæ hæresim non continet, sed vel Deo malum imprecatur, vel illum indecorè nominat, aut ex modo loquẽdi cotumeliose tractat.

Blasphemia quotuplex.

Quod attinet ad primum divisionis membrũ, infertur 1. hæreticalem & diabolicam blasphemiam esse vocare Deum crudelem, mendacem, invidum, sicut denegare illi potentiam, scientiam, providentiam. Infertur 2. esse hæreticalem blasphemiam tribuere creaturæ quod Dei proprium est, ut si appelles omnipotentem, summè pulchram, vel summè scientem. Infertur 3. esse hæresim blasphemam dicere, Renego Deũ, aut Christum: quia Deo existentiam denegas. Idem est si denegas sacramenta crucem, vel aliam infallibilẽ veritatem. Infertur 4. esse hæreticalem blasphemiam jurare per falsos deos, aut per creaturam testendo in ipsa. Quia tunc infallibilem veritatem Dei propriam creaturæ tribuis.

563 Dubium est 1. an sit hæretica blasphemia sic jurare: *Renego Deum, si hoc ita non est?* Negat *Salazar de usu & consuet. c. 5.* Quia ille non actu negat Deum, sed solum se offert negare, si ita non sit quod asserit. Affirmandum tamen est cum *Covarr. de pactis 1. p. §. 7. n. 9. ver. 2. Lessio l. 2. de just. cap. 45. n. 27. & Sanch. d. 2. c. 32. n. 24.* Ratio est quia talis negat existentiam Deo, non de futuro, sed de præsenti sub conditione si ita non sit quod affirmat. Idem procedit, si ita juret: *Deus est injustus, si hoc non est verum,* aut nisi te occidero.

Renegatio Dei.

Dubium est 2. an sit blasphema hæresis comparare veritatẽ creatam veritati divinæ, ut si dicas, *Potest hoc credi sicut Evangelium: Hoc est verum sicut Deus ex Virgine natus, vel in cælo est.* Affirmant *Suar. l. 1. de blasph. c. 6. n. 12. Covarr. de pact. 1. p. §. 7. n. 9. & August. Barb. p. 3. de pot. Episc. alleg. 5. n. 92.* Ratio est, quia talis comparatio fit ad firmandam veritatem objecti creati illam æquando divinæ veritati, ac proinde tribuendo creaturæ quod creatoris proprium est.

Veritas humana comparata divinæ.

564 Rectè tamen monet *Suar. citatus* ex proferentis intentatione multum pendere illorum verborũ malitiam: nam si proferens velit objectis creatis tribuere æqualem cum Deo infallibilitatem, hæreticus blasphemus erit; si verò certitudinem non æqualem, sed similitudinariam, non erit blasphemus. Consentiunt *Azor p. 1. l. 11. c. 3. q. 2. Alcozer in sum. c. 15. & Bonac. disp. 3. de 1. Decal. præc. q. 8. pun. 2. n. 13. fine.* Cum verò proferens rarò habeat intentionem æquiparandi creatam certitudinem cum divina, rectè docet *Sanch. l. 2. Decal. c. 32. n. 32.* verba illa nõ esse blasphema, imo nõ cõtinere peccatum lethale, dum non constat de animo æquiparandi. Unde in foro externo blasphemia non est. Quia adæquandi animus non præsumitur.

Hæreticales blasphemiæ.

Dubium est 3. an sit blasphemia hæreticalis dicere *Renego S. Petrum, vel S. Paulum, S. Franciscũ,* vel alios cum Deo regnãtes? *Sanch. l. 2. c. 32. n. 36.* credit

Inquisitores circa blasphemos.

dit non esse hæreticalem blasphemiam. Quia per illa verba nō denegatur sāctis aliqua veritas spectans ad fidem, & ideo Inquisitores de illa & similibus non cognoscunt. *Palaus tr. 17. disp. 2. p. 2. §. 3. n. 5.* Sentit oppositum, præcipue si dicatur de S. Petro, Apostolis, vel alijs, de quibus ex S. Pagina constat sanctos esse, & cum Christo regnare. Qui enim sic loquitur negat talem S. existere, proindeque existere beatum, ex quo denegat Ecclesiæ proponenti authoritatem infallibilem. Et hoc mihi placet.

Blasphemiæ nō hæreticales.

565 Quod attinet ad secundū divisionis mēbrum de blasphemijs nō hæreticalibus, illud subdividitur in duo genera, aliud est cum malū Deo vel sanctis imprecatur, aliud cum indecore & inhonestè aliquid ipsius Dei vel sanctorum appellatur.

Sub primo genere collocantur sequentes: *Sit Deus maledictus. Pæniteat Deum. Tædeat Deum.* Item si quis dicat, *Sive Deus velit, sive nolit, hoc sum facturus. Suar. tom. 1. de relig. tr. 3. lib. 1. c. 5 n. 8. Sanch. c. 32. n. 25. Menoch. lib. 2. de arbitr. casu 375. n. 12. & Bonac. disp. 3. de 1. Decal. præc. q. 8. p. 2.* affirmant sub eodem genere collocari juramentum per vitam Dei, quasi sit execratorium, sicut quando quis jurat per vitam patris; facit enim hunc sensum: *Pereat Dei vita, illamque ultioni adstringo, si hoc ita non sit.* Existimo tamen cum *Palao citato n. 6.* non carere probabilitate hujusmodi juramentum blasphemū non esse: sicut & quod fit per vitam sanctorum. Videntur enim non esse execratoria, sed assertoria simpliciter, sicut quando sic juratur *Vivit Deus, vivit S. Petrus.* Adducitur enim in testem Deus vivens, & Deus resplendens in vita S. Patri. Vide *Decian. tom. 2. crim. l. 2. c. 2.*

Quid de illis verbis, *Peza tal, Renego de tal, Mal aja tal?* Cum in illis neque Deus neque sancti exprimantur, benè resolvit *Sanch. citat. n. 23.* pendere ex intentione proferentis, quæ quandiu nō patet, præsumendum est non fuisse prolata ex animo blasphemandi, ut affirmat *Palaus num. cit.* Et hoc satis de notat illa nominis Dei, & sanctorum suppressio. Imo in dubio facienda est interpretatio in favorem proferentis.

Maledictio creaturarum.

566 Quid de maledictione creaturarum, est ne blasphema? Ex *S. Thoma 2. 2. q. 76. a. 2. respondent Lessius l. 2. c. 45. n. 29. Sanch. l. 2. c. 32. n. 14. & Bonac. disp. 3. de 1. decal. præc. q. 8 p. 2. n. 5.* si creaturæ qua tales maledicātur, esse blasphemiam. Quia talis maledictio in creatorem refunditur. Si autem creaturæ sive irrationales, sive rationales absque ullo ad Deum respectu maledicantur, blasphemiam non esse, imò nec lethale, sed veniale peccatū, si alterius injuria absit, vel absq; animo fiat. Addit *Lessius ibid.* nullū esse peccatū, si maledicātur prout nobis fuerunt occasio peccandi, vel gravis alicujus calamitatis. Illi (*inquit n. 30.*) qui maledicunt ventis, pluvijs, vel animalibus, regulariter solum peccant venialiter: quia si animalia sunt aliena, abest animus ut mūdetur executioni maledictio.

Imprecatio mali.

Indecora locutio de Deo.

Sub secundo genere collocantur blasphemiæ, quibus Deus inhonestè & indecorè compellatur. Unde blasphemia erit, si Deus, per modum irrisionis vocetur justus vel sapiens: aut quæcunque res sacræ irrisoriè tractentur. Item si juretur per pudenda Christi, vel sanctorum: secus si per alia membra, ut caput, pedes, sanguinem, & absit contemptus: v. g. si juretur pro magna alicujus veritatis exaggeratione.

Unde displicent qui apud *Farinac. l. 1. prax. q. 20. n. 18.* dicunt blasphemare qui jurant per corpus aut membra Dei. Quasi denotent Deum in sua divinitate membra habere. Similiter blasphemus non reputatur qui ex indignatione dicit *Corpus Dei cum tali homine*. Talis enim loquendi modus Deo contumeliosus non est, quia solum significat postulari ut corpus Dei talem hominē puniat. Esset autem gravis blasphemia si ex ira & passione in Deum proferretur.

567 Rogabis 1. an sit blasphemum juramentum quod fit per S. Deiparæ Virginitatem Affirmant *Covarr. de pactis p. 1. §. 7. n. 9. Menoch. de arbitr. l. 2 casu 375. n. 15. & Azeved. lib. 8. Recop. tit. 4. leg. 5. n. 13.* Quia per illud tractatur irreverenter Deiparæ sexus. Negandum tamen est cum *Sanch. cit. c. 32. n. 3?. & Palao citato n. 8.* Quia ibi solus Deus in sua fidei veritate adducitur in testem, nec Deiparæ virginitas execratur, quasi postuletur deficere, si deficiat enunciationis veritas.

Falsū juramentū cum sit blasphemum.

Rogabis 2. an sit blasphemum omne juramētum falsum vel injustum? Videtur affirmandum ex quæst. 2. ubi exposuimus definitionem blasphemiæ: nam qui falsò jurat, vel contra justitiam, tractat irreverenter & contumeliosè Deum, si quidem illum petit vel in testem falsitatis, vel in assecuratorem injustitiæ, quanvis id eventurum non speret: si enim id crederet & speraret, hæreticus foret: sed omnis verbalis contumelia in Deū est blasphemia; ergo ille blasphemat.

Nihilominus ex *S. Thoma 2. 2. q. 13. a. 3. ad 2.* negat *Sanch. l. 2. c. 32. n. 33.* Nam qui falsò vel injustè jurat, non reputat Deum posse testem falsitatis vel assecuratorem injustitiæ esse, nec petit ut per aliquod signum Deus id testificetur. Hæc sententia valde probabilis est, saltem ex authoritate. Sed ego magis inclino ad priorem nullo quidem authore nixus, sed coactus ratione.

QUÆSTIO IV.

Quænam sit blasphemorum & audientium obligatio, ipsorum judex & pœna?

Blasphemantis obligatio.

568 Quod attinet ad obligationem, tenetur blasphemus post actam de crimine pænitentiam, omni dato scandalo satisfacere, & consuetudinem blasphemandi avellere, esto indeliberatè blasphemet. Quia (ut notat *Lessius l. 2. just. c. 45. n. 30. fine*) licèt blasphemiæ ex defectu deliberationis non excedant culpam venialē, tamen cum ex se sint valde scandalosæ, & Deo injuriosæ, qui non adhibuerit diligentiam ad eas vitandas, lethaliter peccabit. An blasphemare assueto sit deneganda, vel differenda absolutio? Diximus n. 302. agentes de assueto pejerare.

Au-

Audientes blesphemum duplici tenentur obligatione, altera illum corripiendi, altera denũciandi. Prior constat ex Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 9. ubi habetur: *Quicunque blasphemantē audierint, eum acriter verbis objurgare teneantur, si citra periculum suum id fieri posse contingat.* Ex quibus *Navar. sum. c. 12. n. 83. Petrus Ledesma to. 2. sum. tr. 1. c. 9. & Lessius citatus* inferunt ultra fraternam correctionem jure naturali debitam, teneri audiẽtes increpare blasphemantem, etiam si non sperent fore ut talis increpatio illi proficiat.

Audientes blasphemum.

569 Nihilominus *Azor tom. 1. l. 9. c. 28. q. 7. Sãchez l. 2. c. 32. n. 46. & Bonac. disp. 3. de 1. Decal. prac. q. 8. p. 1. vers. addo.* dicũt tale decretum esse jam consuetudine abolitum, proindeque audientes nulla alia adstringi obligatione, quàm correctionis fraternæ, quæ non obligat nisi quando fructus speratur, & non cum magno detrimento. Illud monet citatus *Sanchez c. 35. n. 9. post med. & Ægid. Bellanus disp. 28. de correct. frat. dub. 1. n. 4. & dub. 6. n. 108.* si ex repetitione blasphemiarum divinus honor subeat periculũ, obligatione charitatis & religionis teneri audientes illum defendere per delinquentis objurgationem.

Correctionis fraternæ obligatio.

Posterior obligatio de facienda judici denũciatione, traditur a multis, quos referũt ac sequũtur *Sanch. l. 2. c. 32. fin. & Bonac. disp. 3. de primo prac. decal. q. 8. p. 1. fin.* & habetur in *Concil. Later. & a Iulio 3. in sua Const.* quæ incipit *In multis* ubi præcipitur audientibus ut intra triduũ denũcient, alioquin subjaceant pœnis blasphemantis. Addũt citati authores, quibus subscribit *Palaus tr. 17. disp. 2. p. 2. §. 4. n. 4.* præmittendam esse fraternam correctionẽ, si per eam speretur emendatio: ita ut hac obtenta non liceat procedere ad judicialem.

Denunciatio de blasphemo.

570 Quod attinet ad judices, quibus oportet fieri denũciatio, & in hoc crimine procedunt, imprimis sũt Inquisitores hæreticæ pravitatis, si blasphemia contineat hæresim; nam de blasphemijs hæreticalibus solum cognoscũt, itaut in alijs se nequeant intromittere, ut tenẽt *Eymeric. 2. p. direct. q. 41. n. 2. Pegna ibi com. 66. Salz. pract. c. 113. Sanch. cit. c. c. 32. n. 37. & Aug. Barb. 3. p. de pot. Episc. all. 50. n. 89.*

Iudex blasphemiarum.

Quod si blasphemia hæreticalis non sit, judex illius est Episcopus tam circa clericos quàm laicos. Circa laicos judex sæcularis ita est, ut inter ipsũ & Episcopũ detur præventio. Ita præter citatos, *Covar. de pact. 1. p. §. 7. n. 12.* qui rectè docẽt in delictis mixti fori pœnam adæquatã delicto impedire ne alius judex procedat: quód si pœna delicto nõ adæquetur, aliũ judicẽ procedere ad condignæ pœnæ impositionẽ posse. Cũ verò pœnarum diminutio pendeat ex multis circunstãtijs, ex in dubio judici litẽ dirimenti standũ sit, fere nunquam per alium judicem fiet prædicta adæquatio.

Pœnarum impositio blasphemijs.

571 Quod attinet ad pœnas, rectè docet *Suar. t. 1. Relig. tr. 3. l. 1. c. 7.* nullam ipso jure esse impositam blasphemo, multiplicẽ verò imponendam a judice per jus civile & canonicũ. Nam jure civili blasphemus olim plectebatur capite *Auth. ut nõ luxurietur § præterea collat. 6.* Debuit tamẽ esse blasphemus ex cõsuetudine, ut notavit *Menoch. de arbit. casu 375. n. 27.* quam consuetudinẽ inducũt plures actus quã duo vel tres, ut affirmat *Aug. Barb. de pot. Episc. p. 3. all. 50. n. 101.* Sed *Menoch. l. co* citato refert hãc pœnam jam desuetudine evanuisse.

Pœnæ blasphemis infligendæ.

Per jus canonicũ pœna multiplex fertur cõtra blasphemos, pro laicis *c. 2. de maledicis*, pro clericis *c. si quis per capillũ 22. q. 1.* ubi fertur pœna depositionis. Apud *Farin. l. 1. prax. tit. 3. q. 20. n. 62.* variæ pœnæ tam pro laicis quàm pro clericis afferũtur in *Concil. Lateran. sub Leone 10. sess. 9. in Cõstitut. Iulij 3.* quæ incipit *In multis depravatis*, & alia Pij V. quæ incipit *Cũ primũ Apostolatus.* Verũ has constitutiones nõ fuisse usu receptas testatur *Suar. cit. l. 1. c. 7. n. 3.* Unde in blasphemi punitione attendi debẽt statuta civitatum, & recepta consuetudo, ut blasphemus judicetur & puniatur.

572 Si fuerit blasphemia hæreticalis, quæ punitur per Inquisitores, blasphemus tanquã de hæresi suspectus abjurare debet pro qualitate suspicionis, itaut si sæpe & levi turbatione ductus blasphemavit, abjuret de vehemẽti: si raro, vel gravi occasione ductus, abjuret de levi. Ita *Eymeric. 2. p. direct. q. 41. n. 5. & Pegna ibi com. 66 ubi* addit esse usu receptũ, si blasphemia sit atrox & blasphemus plebejus, quód ducatur in publicũ alligata lingua, infami diademate & cæsus flagellis mittatur in exiliũ. Si sit nobilis, solvat mulctã pecuniæ & in monasteriũ detrudatur ad certũ tẽpus, & quãdoq; abjuret. In levioribus blasphemijs pœna relinquitur arbitrio Inquisitorum, qui solẽt præcipere ut blasphemus die festo, sine pallio, nudis pedibus, capite detecto cum accenso cereo & chorda succinctus audiat sacrũ, & hoc peracto sẽtentiã, quæ mulctã pecuniariã, vel jejunia infligit.

Blasphemiæ hæreticalis punitio.

Pro blasphemijs nõ hæreticalibus circa clericos servatur constitutio Pij V. ut pro prima vice blasphemus privetur fructibus unius anni cujuscũq; beneficij possessi: pro secũda, omnibus beneficijs: pro tertia, dignitatibus omnibus spoliatus ablegetur. Quòd si beneficijs careat, pro prima vice afficiatur pecuniaria, vel corporali pœna, pro secunda mancipetur carceribus, pro tertia, degradetur verbaliter, & mittatur ad triremes.

Blasphemiæ non hæreticalis pœna.

573 Circa laicos sic animadvertitur: pro prima vice blasphemus producitur in publicum alligata lingua, & ablegatur: pro secunda afficitur verberibus, pro tertia addicitur triremibus. Si nobilis sit, & blasphemia nõ atrox nimis, nec frequẽs, mulctatur pecunia & tertia vice mittitur in exiliũ. Ita *Covar. de pactis p. 1. p. §. 7. n. 12. & Barb. de pot. Episc. p. 3. all. 50. n. 102.* Pœnæ blasphemiarum in sanctos, judicis arbitrio cõmittuntur.

Deniq; monent 1. authores cũ *Farin. l. 1. prax. tit. 3. q. 20. c. n. 66.* in punitione blasphemiæ attendẽdas esse circũstãtias. At nõ erit occasio minuẽdi, sed potiùs augendi pœnã, quód in provincia invaluerit blasphemandi cõsuetudo. Sẽper tamen sufficiet pro illa minuenda, levissima, vel nulla ferẽda, si blasphemus in continenti se retractet, & in eodem loco signa contritionis exhibeat.

Monẽt 2. blasphemũ post justã punitionẽ, non esse repellẽdũ a testimonio tanquã infamẽ. Quia post-

Testimoniũ blasphemi.

postquam resipuit, & punitus fuit, per pœnitentiam, facti infamiam abolevit, & nullam juris contraxit. Illius tamen testimonium non erit undequaque firmum. Quia ille non manet testis omni exceptione maior, qualis cui nihil objici potest quod falsitatis suspicionē ingerat. Nam blasphemo testificanti pro ipsius infirmādo testimonio objici potest blasphemia recens, non verò antiqua saltem post lapsum trium annorum.

SECTIO V.
De sacrilegio.
QUÆSTIO I.
Quid & quotuplex sit sacrilegium?

574 Sacrilegium juxta Isidorum l. 1. orig. est rei sacræ legiū, seu furtum: dicitur enim a sacris legendis, hoc est furandis. Apud Latinos in *Sallustio l. 4. c. 2.* est ipsū sacrarū rerū furtū. Apud Theologos duce *S. Thoma 2. 2. q. 99. a. 1.* latiùs accipitur nempe pro omni irreverentia quæ fit Deo indigna tractatione rei sacræ, & sic definitur, *Est læsio, seu violatio rei sacræ*: expressiùs, *Est peccatū quo res sacra polluitur, seu indignè & impiè tractatur.* Nomine rei sacræ intelligitur illa, quæ divino aut ecclesiastico jure destinatur ad cultum Dei, quale Sacramentum: aut vestis sacra.

Sacrilegiū quid sit.

Differt aliqualiter a Simonia, quia sacrilegium dicit circa rem sacram cōmutationē involuntariā respectu Dei: agitur enim inter Deū & hominē: & res sacra Deo, contra ipsius Dei volūtatē malè ab homine tractatur: Simonia verò agitur inter duos homines, & fit ex voluntario partiū cōsēsu.

Differt a perjurio, tentatione Dei, & ipsius odio, magia, superstitione, blasphemia, & quolibet alio peccato, quo Deus immediatè, directè, & in se offenditur: quia sacrilegiū nō respicit immediatè ipsū Deū tanquā materiā & objectū, in quod tendat, qualiter respicit perjuriū, superstitio, tentatio Dei, blasphemia, & similia peccata, sed respicit rem sacrā, nēpe rē creatā, quæ Dei cultui destinata fuit: ac proinde sacrilegiū offendit Deū nō in se, sed in rebus ipsi dicatis.

575 An sacrilegiū perfectè differat & præscindat a simonia, itaut simonia sacrilegiū nō sit? Affirmat *Caietan. ad 2. 2. q. 99. a. 1.* quasi simonia semper cōtrahatur per actionē voluntariā cōtrahentibus, scilicet vēditori & emptori, at sacrilegiū sēper per actionē involuntariam Deo, qui rei sacræ dominus est.

Simonia est sacrilegium.

Negandū tamen est cum *Azorio p. 1. l. 9. c. 27 q. 8. Suario de relig. tom. 1. tr. 3. l. 3. c. 1. n. 6. & Lessio l. 2. c. 45. n. 8.* Patet, quia in simonia datur mala et indigna tractatio rei sacræ, si quidem res sacra venditur tēporali pretio. Neque obstat consentire partes contrahentes, scilicet venditorem, & emptorē. Nam si ex tali cōsēsu Simonia sacrilegiū nō foret, cogeremur asserere nō fore sacrilegiū profanare locū sacrū & res sacras, clericos ve trahere ad laicū tribunal, si Episcopus consentiret: quod nemo dicere audebit.

Sacrilegiū quotuplex.

Quod attinet ad multiplicitatē sacrilegij, rectè docēt cū *S. Thoma 2. 2 q. 99. a. 1. & 3.* præter citatos authores, *Valen. disp. 6. q. 15. p. 1. & Bonac. disp. 3. de 1. decal. prac. q. 6. p. un. n. 1.* secundū triplicē ordinē rerū sacrarū, nēpe personarū, locorū, vestium ac similium, dari triplex genus sacrilegij, sub quo species multiplices cōtinentur.

576 Nam sub primo genere sacrilegij circa personas sacras, diversæ sunt species percussio clericorū, tributorū impositio clericis, & eorū compulsio ad tribunal laicū. Sub secūdo genere spectāte ad loca sacra, diversæ sūt species furtū, seminis aut sāguinis effusio, & judicialis strepitus in loco sacro. Sub tertio genere circa reliqua sacra, diversæ sūt species tractare irreverenter Sacramēta, imagines, reliquias, vasa sacra, & bona Ecclesiastica: de quibus latè *Suar. tom. 1. Relig. tr. 3. l. 3. c. 5.*

QUÆSTIO II.
Qualiter explicari debeat triplex sacrilegij genus?

Primū sacrilegij genus versatur in læsione, seu violatione personarū sacrarū: dicitur autē illa persona sacra, quæ tū ordine, tū religionis statu specialiter divino cultui addicitur, & Ecclesiastica est. Verū personarū sacrarū læsio nō videtur sacrilegiū, cū nō offendat virtutē religionis, sed aliam quæ dicitur observantia, seu dulia, cui opponitur dicta irreverētia: omne autem sacrilegium contra virtutem religionis est.

Persona sacra quæ.

Nihilominus id rectè explicat & distinguit *Suar. citat. l. 3. c. 6. n. 5.* nam Ecclesiasticæ personæ dupliciter accipiūtur 1. quatenus in se cōtinent aliquam excellentiā absolutā dignam reverētia 2. quatenus sūt specialiter destinatæ in cultum Dei tanquam ipsius ministri. Unde sicut qui tales personas primo modo acceptas colit, virtutē duliæ observat, qui autē lædit, cōtra duliā peccat: ita qui secūdo modo acceptas colit, virtutē religionis observat: qui autē lædit, contra religionē delinquit committens sacrilegium.

577 Cū autem personæ Ecclesiasticæ violari possint quadrupliciter 1. per manus violenter injectas. 2. per jurisdictionē usurpatam. 3. per furtū & rapinam. 4. per veneream actionē, constat duas priores irreverētias esse sacrilegas. Dubitatur 1. de rapina & furto cōmissis cōtra personas sacras, an cōtineant sacrilegiū? Affirmat *Valent. 2. 2. disp. 6. q. 15 p. 1. col. 1.* præsertim si fiat de bonis Ecclesiastico titulo cōparatis. Negandū tamē est cū *Azorio p. 1. l. 9. c. 27. q. 3. & Suar. citato l. 3. c. 2. n. 8.* quia furtum de bonis Ecclesiasticorū nullibi prohibitū, est tāquā specialiter personarū sacrarum offensivum.

Personarū sacrarū violatio.

Dubitatur 2. an fornicatio, & quælibet venerea actio, si a persona sacra fiat, cōtineat sacrilegiū? Affirmāt cōmuniter Theologi cū *S. Thoma 2. 2. q. 154. a. 1. Valen. disp. 6. q. 15 p. 1. Lessio l. 2. c. 45. n. 11. & Bonac. disp. 3. de 1. decal. prac. q. 6 pun. un. n. 3.* Quia per actus venereos specialiter maculātur personæ Ecclesiasticæ, præcipuē obligatæ voto, quales religiosæ, & sacro ordine initiatæ. Unde citati omnes dicunt cujuslibet voti violatiōnē sacrilegium esse. Quia omnis res per votum Deo dicata, eo ipso sacra manet.

Voti violatio an sit sacrilegium.

Negant

Negant *Suar. tom. 1. rel. tr. 3. l. 3. c. 3. a. n. 1. & Palau tr. 17. disp. 2 pun. 3. §. 2. n. 2.* Probant quia ad strictam rationé sacrilegij postulatur, quòd Deus non offendatur immediatè in se, sed in aliqua re sacra indigné tractata, ut constat ex dictis n. 574. Per violationem autem voti Deus peccato quodam infidelitatis offenditur immediatè in se, sicut per blasphemiam, per jurium, & similia, quæ ideo sacrilegia non sunt.

578 Prima sententia cõmunior est: hæc tamé secunda mihi videtur probabilior, ne compellamur asserere omnia peccata gravia, v.g furtum, & homicidium, quæ a persona sacra cõmittũtur, sacrilegia esse. Fateor omnem voti violationé cõtra religionem esse, proindeque ratione infidelitatis cõtra Deũ in violata promissione habere circunstantiam necessariò confitendam, at nõ omnia vitia opposita religioni sacrilegia sunt ea proprietate, qua sacrilegium in præsenti accipimus.

Peccata Ecclesiasticorũ.

Secundum sacrilegij genus versatur in violatione loci sacri, & potest coincidere cum alijs duobus. Unde triplex sacrilegium in confessione aperiendum cõmittit judex laicus qui violenter delinquentem clericum e loco sacro extrahit, ut judicandum suo tribunali sistat. 1. ob manus violenter iniectas. 2. ob extractionem & loco sacro. 3. ob jurisdictionem usurpatam.

Locorum sacrorũ violatio.

Tertium sacrilegij genus versatur in rebus sacris violandis, & pro ipsarum varietate *S. Thomas 2. 2. q. 99. a. 3.* varios constituit gradus, quos libet seorsim explicare. In primo gradu ponit Sacramenta, utpote inter res sacras sacratissima. Unde sacrilegus est qui Sacramenta indignè tractat, sive administrando, sive recipiendo. Rogabis an sit sacrilegium, & quale, podicem abstergere charta, ubi sint scripta verba sacra, vel depictæ cruces, aut sacræ imagines? Hunc casum, cum sit frequés in usu, non inveni apud authores. Dico breviter esse abominabile & gravissimũ sacrilegium, si quis abstergat ex intentione fœdandi ac sordidandi verba sacra, aut sacras imagines. Quia tũc dabitur formaliter indigna tractatio rerũ sacrarum. Si veró absit talis intentio, & nõ dentur ibi imagines, vel sacratissima nomina, peccaminosá nõ credo actioné. Sic judicavit D. sapientissimus, qué consului.

Sacrilegiũ circa res sacras.

579 Dubium est, an irreverentia facta S. Eucharistiæ sit in rigore sacrilegiũ, tanquam indigna tractatio rei sacræ? Negat *Suar. tom. 1. de relig. l. 3. c. 6. n. 1.* dicens talem irreverentiam esse ejusdem rationis cum illa qua Christus offenditur in persona propria, quia juxta *Trident. sess. 13. c. 5. & can. 6.* Christus in S. Eucharistia adoratur eodem cultu latriæ, quo adoratur in propria persona.

S Eucharistiæ offensio.

Affirmandum tamen est cum communi sentẽtia, quam cum *S. Thoma defendit Caiet. 2. 2. q. 99. a. 1. & 3. dub. 6. & Lessius l. 2. just. c. 45. n. 16.* irreverentiá factam Eucharistiæ esse sacrilegium propriũ, licet omnium gravissimum. Nam Eucharistia est res sacra, & quanvis Deum cõtineat, nõ est Deus formaliter, sed signum gratiæ Deum continens. Nec obstat adorari latria, quia etiam crux adoratur latria, & tamen læditur per rigorosum sacrilegium.

In secũdo gradu ponit vasa sacra, imagines Dei reliquias & imagines sanctorũ. Cõstat cõmitti sacrilegiũ in profanãdis vasis sacris, & imaginibus Dei, cum hujusmodi profanatio manifeste cedat in ipsius Dei injuriam. Dubitatur de reliquijs, & imaginibus sanctorum: an in rigore sacrilegiũ sit earũ indigna tractatio? Certé si sumantur ut sunt reliquiæ, & imagines amicorum Dei, sub hoc respectu illarum profanatio sacrilegiũ est: si verò ut aliquorum, qui ob peculiaré excellentiã veneratione sũt digni, minor quàm sacrilegij malitia in illarum irreverentia dabitur. Verborũ sacrorũ abusus & profanatio gravissimũ sacrilegiũ est, quia illa sunt quasi Dei reliquiæ vel imagines quæ Deũ loquenté repræsentant. Ita *Con. ec. cit. q. 6. p. un. n. 5.*

Reliquiarum & imaginũ abusus.

Verborũ sacrorũ abusus.

Detur ne indigna tractatio reliquiarum, & cõsequenter sacrilegium, in eo qui cõmittit peccatũ venereũ habés secũ reliquias sanctorũ? Vide dicenda n. 831. & 832.

580 In tertio gradu ponit ornamenta Ecclesiæ & ministrorũ quæ sũt, peculiariter per cõsecratiõné & benedictioné divino cultui destinata: horũ enim violatio, ut si cõburas, scindas, vel applices ad usus profanos, sacrilegiũ est: & idé procedit de destructione & profanatione tẽplorũ, & si hæc alias peculiares immunitates vendicet. Reliqua quæ ad ornatũ spectãt, & neq; cõsecrata neq; benedicta sunt, ut vasa in quibus ponitur vinũ & aqua, nõ cõputari inter res sacras, docet *Gomez to. 3. var. c. 5. n. 11.* violationé vasis sacri, ornamẽti, & tẽpli sacri esse eandé speciẽ, docet *Suar. tom. 1. rel. tr. 3. l. 3. c. 5 fine.*

Ornamẽtorũ sacrorum abusus.

In quarto gradu ponit bona Ecclesiastica, quæ ex eo sacra sunt, & Deo dicata, quia deserviũt sustẽtationi illorũ qui divino cultui cõsecrãtur. Unde sacrilegiũ est illa usurpare, vel alienãre extra casus permissos. Dubitatur an sit sacrilegiũ decimarũ, & legatorũ Ecclesiæ retentio? Affirmativã sẽtentiã cõmuné esse testatur Valẽt. 2. 2. d. 6. q. 15. p. 1. & de legatis tradit Lelius l. 2. c. 45. dub. 3. n. 18. Probãt, quia tales decimæ & legata sũt remote destinata ad cultum divinum.

Bonorum Ecclesiasticorum abusus.

Furtum sacrilegũ.

581 Distinguendũ tamé est inter legata & decimas, cũ *Palao tract. 17. disp. 2. pun. 5. §. 2. n. 9.* nam retentio legatorũ ante quám fuerint tradita Ecclesiæ, quanvis sit injustitia, sacrilegiũ nõ est: secus de decimis: nam ipsarũ retẽtio nõ solũ est injustitia, utpote violatio juris rigorosi quo Ecclesia illas exigit, sed est quædã irreligiositas sacrilegio deterior. Cũ enim solutio decimarũ sit formalis cultus Dei quo Deus ut supremus dominus recognoscitur, illarũ retẽtio tali cultui divino adversatur.

Decimarum retentio.

Rogabis an sit sacrilegiũ peccare in tẽpore sacro, v.g. die dominico & festivo, aut saltẽ illũ non observare? Videtur affirmandũ, quia sicut colitur & honoratur Deus in sacris vasis, & tẽplo sacro ita & in sacro tẽpore, seu die festo per auditioné sacri, & abstinẽtiã a servilibus; ergo sicut est sacrilegiũ indigna tractatio illorũ, ita & hujus, scilicet sacri temporis.

Tẽporis festi violatio.

Negandum tamé est cũ *Suario l. 3. c. 4. a. n. 3. & Les-*

Lessio l.2.c.45.n.18. Probatur, quia tēpus festū non cōputatur inter res sacras: neq; enim tēpus per sacra quæ in eo fiunt, sacratur, neq; auditio sacri, aut serviliū abstinētia mādatur in cultū tēporis, sicut mādatur in cultū tēpli abstinētia a forēsi judicio & mercatura: sed auditio sacri & abstinētia serviliū mandatur directè in cultum Dei, & quia necessariū est tēpus ut fiat, hoc designatur.

QUÆSTIO III.

Quale sit peccatum sacrilegium?

582 SAcrilegium esse peccatum ex suo genere mortale, proindeque grave in materia gravi, concors est Theologorum sententia apud *Valent. 2.2. disp. 6 q.15.p.2. Suar. tom.1. Relig. lib. 3.c.7.n.2. Lessium l.2. just.c.45.n.20. & Bonac. disp. 3. de primo Decal. prac. q.6 p.un.n.19.* Nam sacrilegiū excellenti virtuti, qualis est religio, opponitur.

Sacrilegiū quale peccatū.

Committitur 1. per excessum & per defectū per excessum quando cultus sacer publicè defertur rebus non sacris, v.g. reliquijs aut imagini alicujus hominis ab Ecclesia non approbati pro sancto. Per defectum, ut quando clericus percutitur, aut vasa sacra profanantur. Committitur 2. per commissionem & omissionem Per commissionem, quando persona sacra, templum, aut vas sacrum indigna tractatione violatur. Per omissionem quando debitus cultus & honor rei sacræ non exhibetur, ut si te non inclines S. Eucharistiæ, quam sacerdos adorandam proponit.

Ex quo judicat *Palau. citatus §.3.n.2.* esse sacrilegium omittere, seu non recipere Sacramenta tempore debito, quia tunc omittitur cultus debitus Sacramentis, omissa debita eorum receptione, qua coluntur. Secus est de omissione Missæ præceptæ, quia cum per Missam Deum directè & non aliquam rem sacram colamus, per illius omissionem, non a cultu alicujus rei sacræ, sed solius Dei deficimus: quæ est irreligiositas diversæ rationis a sacrilegio.

Sacramētorum omissio.

Missæ omissio nō est sacrilegium.

583 Difficultas est, an & quando sacrilegium sit peccatum veniale, data perfecta deliberatione & consensu? Constat in quacunque etiam levissima materia formalem contemptum rei sacræ esse lethalem. Si autem detur materialis cōtemptus, dabitur veniale peccatum ex parte materiæ in levi percussionem clerici, & in furto rei levis abstractæ a loco sacro. *Suarius verò tom.1. Relig.l. 3.tr.7.n.2.* non admittit peccatum leve in usurpatione jurisdictionis Ecclesiasticæ sive in imponendo tributum clerico, sive in illo judicando, sive ad judicium trahendo. Quia ibi non tam attēditur tributi vel temporis quātitas, pro qua usurpatur jurisdictio, quàm ipsa jurisdictionis usurpatio, quæ semper in se res gravis est.

Sacrilegij levitas & gravitas.

In confessione aperiēdus est non solus numerus, sed etiam diversitas specifica sacrilegiorum. Nam plura sacrilegia specie differūt juxta ea quæ de illorum triplici multiplicitate diximus quæst. 1. & exposuimus quæst. 2.

QUÆSTIO IV.

Quæ pœnæ sint imposita, vel imponenda committentibus sacrilegium?

SErmo nobis est tum de pœnis ipso facto impositis per jus, tum de imponendis per judicē. Si loquamur de prioribus, triplex tantum pœna, ut notant authores reperitur in jure. Prima est excommunicatio imposita committentibus sacrilegium per spoliationem rerum sacrarum cum effractione templi. Habetur *c. conquesti 22. de senten. ex commun.* Incurritur etiam si a templo nihil tecū auferas, sed vel totum templum destruas, vel solū res sacras comburas, posita effractione templi.

Sacrilegorum pœna.

584 Secunda est excommunicatio reservata imposita manus violentas injicientibus in clerum. Habetur *c. si quis suadente 17.q.4.* Tertia est excommunicatio quæ habetur in Bulla cœnæ, & imponitur violantibus immunitatem Ecclesiasticā præcipue tributorū impositione & exactione.

Sacrilegiū est mixti fori.

Si loquamur de pœnis imponendis per judicē, eas latè prosequuntur *Farinac. de furtis q.172.a.n.1. Menochius de arbitr. l.2. casu 384. Salcid. in pract. c. 87. & Decian. l.6. pract. crimin. c.33.* & conveniunt 1. sacrilegium esse crimen mixti fori, ita ut circa illud tam judex Ecclesiasticus, quàm secularis de laico possit cognoscere ad præventionem.

Conveniunt 2. dictam pœnam arbitrariam esse proqualitate talis vel talis sacrilegij, ita ut usq; ad mortem extendi possit. Habetur ex *l. Sacrilegij pœnam ff. ad leg. Jul peculat.* Ubi dicitur habendam esse rationem pœnæ pro qualitate, conditione, ætate, ac sexu personæ item pro ratione temporis, ut severiùs aut mitiùs puniatur: & additur multos etiā ad bestias damnasse sacrilegos nonnullos etiā vivos exussisse, alios verò in furca suspendisse.

TRACTATVS XXXIII. DE SIMONIA.

SECTIO I.

De essentia ac multiplicitate Simoniæ, & requisitis ad eandem constituendam.

QUÆSTIO I.

Quid sit Simonia, & quale peccatum?

585 QUANVIS superiori tractatu sect. 5. egerimus de sacrilegijs, inter quæ recensetur Simonia, tamen quia ipsa inter sacrilegia celeberrimum, & locupletissimum sacrilegium est, specialem de illa instituimus tractatum. Nomen habet a Simone Mago qui primus in lege gratiæ Act. 8. peccavit saltem affectu, intentione & conatu emendi & vendendi Spiritum S. nempe illam potestatem cōmunicandi Spiritum S. quam videbat relucere in Apostolis.

Simonia unde dicta.

Quid autem sit Simonia, patebit ex ipsius definitione. Igitur juxta Suarium tom. 1. relig. tr. 3.l.4.c.1. definiri potest: *Est sacrilegium, quod cōmittitur in emptione & venditione, seu in contractu quolibet quo res spiritualis ut talis est pro temporali commutatur.* Videtur optima explicatio illius cōmunissimæ

Simonia definitur.

simæ difinitionis, quam recipiunt Theologi a S. *Thoma in 4.d.25.q 5.a.1.* & habetur in hunc modum: *Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum.*

Loco generis ponitur (Sudiosa voluntas) non tantum quia omne vitium habet volũtaté pro subjecto proprio, sed etiam quia prima Simonia in Ecclesia sola voluntate & conatu commissa fuit. *Studiosa voluntas* (ut exponit *Lessius l.2.c. 33.n. 3.*) est idem atque voluntas deliberata. Reliquæ particulæ ponuntur loco differentiæ, & concidunt cum supra positis: in eis tamen significantur tria. Primũ est materia Simoniæ per illa verba *Aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Secundũ est id in quo maximé consistit realis Simonia, nempe actio indebita circa rem sacram, de qua dicitur esse emptionem vel venditionem ejus. Tertium est pretium, sine quo nec datio rei spiritualis esset venditio, nec receptio esset emptio, sed tantum gratuita donatio & acceptio, proindeque immunis a Simonia. Per illam particulam (*emẽdi vel vendendi*) intelligitur emptio & venditio laté accepta, ac proinde omnis contractus non gratuitus, sive sit permutatio, sive locatio, sive cõductio.

Simonia quale peccatum.

586 Quale peccatum sit Simonia, & quam vẽdicet malitiam, sumitur imprimis ex eo quòd adversetur religioni virtuti nobilissimæ, & prohibeatur jure naturali, divino, & humano, ut laté probat *Suar. l.4. de Simon. c.2.* deinde quod hoc vitium execrabile, & omninó detestandum appelletur *c. reperiuntur. c. eos qui 1.q.1.* Esse peccatum ex suo genere mortale gravissimum, constat ex *c. 1.1.q.3. & ex c. ult. 1.q.7.* & ex Patribus, a quibus valde exaggeratur.

Simonia quomodo possit malitiam exuere.

Malitia (inquit *Suar. citatus c.3. n.10.*) est adeo intrinseca actui Simoniæ est prohibita lege naturali, in quam nulla dispẽsatio cadere potest. Addit tamen probabile videri posse Deum ita donare spiritualia bona hominibus, & illis concedere absolutum eorum hominium, vel talem facultatem tribuere ut possint homines illa dispensare per venditionem. In quo eventu cessabit omnis ratio intrinsecæ malitiæ, quæ in Simonia nũc datur: vel potiùs non dabitur Simonia ex defectu materiæ.

Simonia an sit cõtra justitiam.

Rogabis 1. an in peccato Simoniæ detur etiam malitia contra justitiam? Constat dari injustitiam respectu Dei, utpote ex iniqua tractatione rei alienæ invito Deo Domino. Sed hæc malitia non est diversa a malitia contra religionem: quia justitia ad Deum non est nisi religio. Difficultas est, an Simonia contineat injustitiam respectu hominis? Affirmant *Sotus l.9. just. q.3.a.1. & Valent. t. 3. disp. 6.q.16.p.4.* Nam Deus spiritualium rerũ dominus, eas præcipit suis ministris gratis dare. *Gratis accepistis gratis date* Matth. 10. At dispensator, cui a domino mandatum esset bona aliqua gratis distribuere, committeret injustitiam vendendo. Placet hæc sententia, nec displicet *Palaus tr. 17.d. 3.p.1.n.6.* addens posse dispensatorem rei spiritualis absque injustitia recipere aliquid pro reparatione detrimenti, si quod accipiat in tribuenda re illa spirituali.

587 Rogabis 2. an Simonia possit esse venialis ex parvitate materiæ? Rectè negant *Sanch. l.1. Decal. c.4.n.1. & Suar. de Simon. c.3.n.5.* Patet, quia materia nequit esse levis ex parte rei spiritualis, nam hæc quantunvis in suo genere parva sit, ut medica aqua benedicta, est tamen gravis injuria illam venalem facere: nequit etiam esse levis ex parte pretij, nam quó pretium sit minus, eo infertur maior injuria rei spirituali pro qua datur. Neque obstat dari parvitatem materiæ in violatione voti, & observationis festorum, quia in his non per se & directè aliqua res divina violatur sicut in venditione rerum spiritualium, & in cõculcatione rei sacræ quantunvis minimæ.

Simonia an in sola lege gratiæ.

Rogabis 3. an vitium Simoniæ sit proprium temporis legis gratiæ? Negativa sentẽtia, quæ vera est, duplici conclusione explicatur a Suario citato c.5. 1. conclusio. Simonia repugnans juri divino in lege veteri dari potuit, & de facto data fuit. Ratio est, quia in lege veteri fuit sufficiens materia Simoniæ, nempe sacerdotium, & sacramenta, deinde illa fuit sufficienter prohibita *Exod.* 23. Denique quòd fuerit commissa constat ex 2. *Machab.* 4. ubi narratur Jasonem pro summo sacerdotio obtulisse Antiocho multa talenta: & additur multa mala inde evenisse, propter impij Jasonis nefarium & inauditum scelus.

Natura lex.

2 Conclusio. Vitium Simoniæ committi potuit tempore legis naturæ, prout hæc fuit in hominibus fidelibus ante latam legem Moysi, vel etiam post illam in his, qui non erant de stirpe Abrahæ per Isaac & Jacob. Ratio est, quia in illo tempore (ut multis exemplis confirmat citatus *author. n.3. usque ad* 14) dabatur sufficiens materia spiritualis, ut posita venditione & emptione Simoniacus contractus iniretur.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit Simonia.

Simonia juris divini.

588 Celebratur duplex Simoniæ divisio inter authores, ut videre est apud *Suar. l.4.c. 2.& 7. Lessium l.2.c.35.a. dub.2. & Palaum tr. 17. disp 3 p.2.* Prior divisio fit in Simoniam quæ est juris naturalis divini, & eam quæ est juris positivi Ecclesiastici. Simonia juris naturalis divini datur, quando res aliqua de se spiritualis venditur aut emitur, ut si vendantur Sacramenta, vel res consecrata aut benedicta vendatur pluris ob consecrationem, vel benedictionem. Simonia juris positivi Ecclesiastici est quæ a sola lege Ecclesiastica ortum habet: potest enim lex humana constituere materiam aliquam, ut necessariam in aliqua specie virtutis, quæ ex se necessaria nõ erat. Unde *cap. quæsitum cap. cum olim, de rerũ permutat. & cap. cum pridem & cap. de clericis, cum pactis.* Prohibetur commutatio rerum spiritualium, hoc est beneficiorum, ne permutantes labem simoniæ incurrant.

Simonia juris Ecclesiastici.

Accedit *cap. si quis Episcop. 1.q.1. & cap Salvator 1. q.3.* ubi statuitur esse Simoniacũ qui vendit œconomi, vicedomini, advocati sacristæ, & castaldi officium,

ficium, cum hujusmo di venditio juxta *Lessium l.2.c.35.n.26.* non sit contra jus divinum: sunt enim temporalia officia, quibus nec benedictio, nec consecratio inest, sed solum ad temporalem administrationem ordinantur. Cum verò Pontifex talium venditionem intuitu religionis prohibeat, sicut & percussionem clerici & effusionem sanguinis aut seminis in loco sacro, fit ut talis prohibitionis transgressio inducat veram simoniam juris Ecclesiastici, ut præter dictos authores docet *Roter. tom.2. sum.c.56.n.2.*

589 Posterior divisio (ut ex varijs Theologis exponit nostrum *Elucidarium n. 1316.*) fit in tria membra, scilicet mentalem, conventionalem & realem. *Mentalis* non est hoc loco propositum internum quo quis vult exteriùs Simoniacè cōtrahere, seu externam Simoniam facere: sed est propositum internum quo quis cum confert alteri spirituale, intendit illum obligare ad reddendum temporale: vel & contra quando confert tēporale intendit illum obligare ad reddendum spirituale, sine ullo pacto externo: ut si quis serviat Episcopo ea intentione ut in mercedem ei conferat beneficium, & tandem beneficiū conferatur, nulla tamen facta exteriùs conventione. Vocatur mentalis quia licēt externum effectū habeat, malitia non se prodit exteriùs, sed in mente manet.

Simonia triplex.

Mentalis Simonia.

Conventionalis dicitur illa in qua fit conventio, seu pactum dandi spirituale pro temporali vel & converso, nondum tamen ad executionem perducta est per traditionē, & duplex est, altera purè conventionalis, utpote neutra ex parte executioni mandata: altera mixta, quæ completa est, seu mandata executioni ex altera tantum parte, ut si pactione inita conferatur beneficium, altera parte nondum solvente pretium, vel & contrà.

Conventionalis Simonia.

590 *Realis* est, quando pactio ex utraque parte completa est saltem inchoatè, ut si conferatur beneficium, & saltem pars pretij solvatur. Unde realis addit traditionem rei supra conventionem & per hoc a conventionali distinguitur. Sub his continetur Simonia ficta & confidentialis. Ficta (ut exponit *Suar. l.4. de Simon. cap. 42. n.1.*) dicitur quando fit exteriùs promissio rei temporalis pro spirituali, vel spiritualis pro temporali sine intentione implendi promissum.

Realis Simonia.

Ficta Simonia.

Confidentialis (ut docet Suar. cit. c.43. vera Simonia est humano jure introducta, & pro speciali materia habet renunciationes & collationes beneficiorum. Committitur tum a renunciante tū a providente beneficium: a renunciante, quando renunciat in favorem alterius cum certa confidētia quòd ille postea renunciabit vel ipsi renunciāti, vel in favorem alicujus filij vel nepotis illius, & tunc dicitur *confidentia regressus*, scilicet ob spem quòd beneficium regrediatur. *Confidentia autem ingressus* vocatur, quando habens beneficiū jam collatum, & nondum possessum, illud alteri renunciat, reservando per similem confidentiam jus ingrediendi postea in possessionem ejus.

Confidentialis Simonia.

A providente vel a concurrentibus in provisionem committitur præsentando nominando, eligendo, conferendo, commendando, quando dicti aliquam ex his actionibus faciunt cum confidentia quòd ille quem eligunt, præsentant, cōfirmāt, instituunt, vel cui conferunt, vel commendant, postea illud renunciabit, vel omittet aliquo modo in alterius favorem: vel fructus ejus aut partē illi persolvet. Notat verò *Lessius l.2.c.35.dub.16.* ut detur vera Simonia, non sufficere spem & confidentiam quòd alter in meum favorem dabit, vel renunciabit, sed requiri intentionem eum obligādi ad id. In quo cohæret cum *Suario l.4. de Simon. c.43. n.12. & Sanch. l.2. consil. c.3. dub.34. n.2.*

QUÆSTIO III.

Quod nam & quale pretium requiratur pro cōstituenda Simonia?

591 Cum diximus Simoniam consistere in emptione & venditione rei spiritualis, vel in commutatione rei spiritualis pro tēporali, quæ proinde venditio, aut commutatio sine pretio, vel aliquid rationem pretij habente stare nequit, exponendum nobis est pretiū, & quæ res habeant rationem pretij, ut vera Simonia consistat.

Ex quibus monemus ad Simoniam non semper requiri pecuniam, quæ in rigore est pretium, sed sufficere rem aliam, quæ habeat rationem pretij, qualis erit res temporalis pretio æstimabilis. Unde non obstat *§. item pretium Instit. de empt. & vendit.* Ubi dicitur non esse propriè emptionem & venditionem quando una res pro alia cōmutatur nō interveniente pecunia, ex eo quia non est major ratio quare una potiùs quàm alia alterius pretium sit. Hoc (inquam non obstat, quia ibi J. C. loquitur de pretio inter commutationem rerum ejusdem ordinis. Secus est, quando temporale datur in commutationem rei spiritualis: tunc enim temporale propter affinitatem cum pecunia habet rationem pretij potius quàm spirituale.

Pretium in Simonia.

592 Quænam verò pro constituenda Simonia pretium vel quasi pretium esse possint, statuit Gregor. in *c. sunt nonnulli, & c. ordinationes 1.q.1. & c. Salvator 1.q.3.* ex quibus Doctores asserunt habere rationem pretij triplex donum, scilicet munus a manu, munus ab obsequio, munus a lingua: quæ tria munera, cū sub se contineant omne pretium sufficiens ad Simoniam, a nobis seorsim expediri debent.

Munus a manu est pecunia, sub qua quidquid possidetur in terra, comprehenditur, juxta *August. in c. totum 6. 1.q.1.* Sub hoc munere continetur 1. remissio debiti, aut promissio illud remittendi, ut cum multis citatis defendit *Parasien. l. 14. de resign. benef q.7.n.31.* Sumitur ex *c. per tuas 3 & c. pen. de simonia* Ex quo infert Suar. l.4. de Simon. c. 38. n. 5. committere Simoniam qui ex suis bonis constituit patrimonium, seu titulum ordinando, si ab eo recipiat promissionem de non postulando.

Munus a manu.

Patrimonium ordinis Simoniacum.

Mihi videtur probabilius in tali contractu solum dari peccatum indebitæ ordinationis, & nō Simoniæ. Ita quoad hanc secundam partē *Palaus tract. 17 disp. 3. punc. 3. n. 2.* cum *Toleto l. 1. sum. c. 48. n. 10.*

10. Fundantur, nō in eo quòd remissio debiti tanquam munus a manu nō sufficiat ad Simoniam, sed in eo quia datio patrimonij non est quid spirituale, nec propriè ad ordines præsentatio.

Simonia in beneficijs.

593 Continetur 2. mutuatio pecuniæ. Unde procul dubio erit simonia conferre beneficiū sub pacto accipiendi mutuam pecuniam. Idem est si petatur debiti solutio antequam debeatur, vel dilatio debiti solvendi hic & nunc. Continetur 3. pensio solvenda. Unde docet *Suar. cit. c. 38. n. 7.* Simoniā esse pensionem impositam accipienti beneficium, & solvendam collatori, vel præsentāti renuncianti, vel aliter procuranti, sive ex ipso beneficio, sive aliunde. Quia pretio æstimabilis est. Nam aliud est reservari ab Episcopo fructus beneficij vacantis, vel partem eorum, & aliud cum aliquo pacisci, ut pensionem soluat, solū pro collatione beneficij: hoc enim posterius Simonia est.

Pēsio Simoniaca.

Huc spectant casus apud *Navarr. in varijs cons. de Simon. cons. 47.* quando prætensor paciscitur cū curiali ut sibi ferat auxilium ad comparandum beneficium sub pacto solvendi illi pensionem & *cons. 57.* de eo qui paciscitur cum aulico, ut sibi de beneficijs vacantibus notitiam mittat, promittens se consensurum pensioni imponendæ in favorem ejus. Nam tali promissione ad beneficium via paratur. Vide de alijs Flamin. l. 4. q. 4. n. 5.

Continetur 4 sub munere a manu omne donū quod jure positivo prohibetur dari pro re spirituali, etiam si in se spirituale sit, habens temporale annexum, quale beneficium propter temporale annexum. Quare si pro collatione rei spiritualis petatur resignatio, aut permutatio beneficij, erit Simonia, saltem ex jure Ecclesiastico, quāvis cessio beneficij fiat absque designatione certæ personæ. An ordinarius in collatione beneficij possit exigere a collatario juramentum de non resignādo illud cum pensione, neque in alicujus favorē, sed liberè? Negat *Flamin. Paris. de cōsid. q. 52.* addēs tale juramentum fore nullum. Vide *ugolin. tab. 1. de Simon. c. 8. § 3. & Palaum citatum n. 5. & 7.*

Munus ab obsequio.

594 Munus ab osequio nihil aliud est quam obsequium præstitum per propriam personam, sive sit temporale, nempe omne opus hominis quod ordinatur ad alterius hominis temporalem usum & commoditatem: sive sit spirituale, & est omnis spiritualis functio. Erit igitur Simonia, si collator alicujus beneficij ipsomet beneficio intēdat solvere debita justitiæ contracta ratione obsequij.

Unde rectè docent *Emman. Roter. v. Simonia cap. 59. n. 9. & Suar. l. 4. c. 39.* Simoniacum fore Episcopum, si habens officialem cui tenetur singulis annis tribuere salarium, nec tribuit, beneficium cōferens intendat ab illo omni debito liberari. Idem est, si conferat beneficium sub pacto, ut beneficiatus ipsum doceat, vel præstet aliquod obsequiū nō annexum tali beneficio, v.g. gerere aliqua negotia, vel recitare aliquas preces. Secus, si Episcopus cum Capitulo apponant præbendæ vacanti onus, ut qui ad illam eligeretur, quotidie diceret Missam de S. Maria, *C. cūessent de Simonia* suadet priorem partem, & *c. significatum de præbendis,* posteriorem.

Obsequia & servitia ad Simoniam.

Ex quibus monet 1. *Suar. l. 4. de Simon. c. 39. n. 7.* debere Principes & prælatos tribuere obsequentibus vel servientibus justum stipendium, saltem minimum, ut vitent Simoniam in beneficijs conferendis, & hæc sint remunerationes gratuitæ. Monet 2. obsequium spirituale jam præstitum nō habere rationem pretij sufficientis ad Simoniam, nisi resolvatur in aliquid temporale, vel præcesserit pactum ab Ecclesia prohibitū. Si absit pactū nulla erit Simonia. Monet 3. licitū esse relinquere res temporales Ecclesiæ sub conditione & modo præstandi aliquod obsequiū spirituale, v.g. relinquere fundum, ut in eo ædificetur templum, vel in stipendium dandum sacerdoti, qui ex justitia obligetur ad Missas offerendas. n. 18.

Munus a lingua.

595 Munus a lingua dicitur quod per linguam confertur: temporale est, complectens humanas preces, supplicationes, intercessiones, laudes, adulationes, & similia, quæ omnia cum pretio æstimentur, & in rerum spiritualium commutationem venire possint, ad veram & rigorosam Simoniam sufficiunt. Semper tamen debet intervenire pactum inter conferentem spirituale & præstantem tale munus temporale.

Laudes preces ad Simoniā.

Explicatur, nam si Episcopus promittat beneficium sub ea conditione, ut alter apud principem ipsum laudet, vel pro ipso intercedat: item si nolit conferre nisi a tali persona rogatus, vel sub hoc pacto illud promittat, Simoniacus erit. Utraque rasolutio applicanda est alijs generibus verborum, nempe adulationibus, laudibus, signis benevolentiæ, honorum, & quibusdam fictionibus. Ut si Episcopus paciscens cum illustri, ut se profiteatur consanguineum suum, conferat beneficiū.

E contra non important Simoniam preces, supplicationes, & adulationes, quæ nullo interveniente pacto solum fiunt ad inflectendum animum conferentis. Tunc enim rationem pretij nō sortiuntur. Idem est, si conferatur beneficium familiari aut consanguineo quia familiaris, vel cōsanguineus est. Quia ibi conferens nihil expostulat. Erit tamen vitium acceptionis personarum, si consanguineus minùs dignus alijs dignioribus præferatur. Ita *(ovarr. l. 1. var. c. 5. n. 4. Flamin. de resig. l. 14. q. 7. n. 19. & Suar. l. 4. c. 37.*

QUÆSTIO VI.

Quinam contractus & qualiter ad Simoniam postuletur?

596 Cum ex Simoniæ definitione qua tradidimus q. 1. constet ad ipsam constituendam postulari emptionem & venditionem, de cujus pretio egimus proxima quæstione, restat ut exponamus qualis contractus requiratur & sufficiat, ut tanquam emptio & venditio Simoniam constituat. Duplici resolutione quæstio expedietur.

Cōtractus requisitus ad Simoniam.

Sit 1. resolutio. Ut detur emptio & venditio postulata ad Simoniam, debet ex natura rei intervenire contractus onerosus. Ita *Valen. disp. 6. q. 16. p. 3. Tolet. c. 90. n. 4. & Rotericus c. 59. n. 2. & c. 60. n. 5.*

n. 5. Ratio est quia intelligi nequit emptio, & venditio etiam accepta, quin contrahatur rigorosa obligatio ex utraque parte, ac proinde detur contractus onerosus.

Unde citati authores excusant à Simonia famulum qui Episcopo inservit tenuissimo ac fere nullo stipendio intendens absque ullo pacto conciliare illius animum, ut provideat de beneficio. Ex quo potest etiam obligationem antidoralem ob acceptum beneficium compensare obsequijs, & muneribus. Nec erit Simoniacus qui beneficium renunciet ea intētione, & spe ut aliud sibi á prælato conferatur, aliás non renunciaturus, dummodo non intendatur alia obligatio præter antidoralem, etiam si talem intentionem verbis declaret.

Antidoralis oblig. satis tio.

Pactū requiritur ad Simoniam.

597 Addunt cum multis citatis *Farinac. l. 1. consf. 75. n. 3. 44. 48. & Suar. l. 4. cap. 44. à n.* 11. non committi Simoniam etiam si munera, & obsequia temporalia propter cōsequendum spirituale principaliter exhibeantur, dummodo secludatur pactum: quiquid in oppositum dicant *Navarrus cap. 23. n. 101. & Covar. lib. 1. var. cap. ult. n. 3.* An sit Simonia deducere in pactum obligationē antidoralem, ut si aliquid spirituale tradatur cum pacto ut recipiens sit gratus, seu cum pacto ut impleat obligationem antidoralē? Negant multi apud *Dianam p. 6. tr. 7. resol. 42.* Affirmandum tamen est cum *Bonacina de Sim. d. 1. q. 6. punt. 1. n. 7.* Quia per tale pactum obligatio antidoralis afficitur obligatione justitiæ.

Stipendiū pro re spirituali.

2 Resolutio. Non sufficit ad Simoniacam emptionem constituendam quæcumque donatio temporalis cum obligatione, & pacto dandi spirituale. Ita communiter Theologi cum Gutier. Canon. quæst. cap. 29. n. 13. & Suar. lib. 4. cap. 46. à n. 4. Exemplis patet 1. quia licitum est pacisci de stipendio pro Sacramentis ministrandis, vel pro celebrandis Missis. Patet 2. quia licitum est relinquere redditus annuos in anniversarijs, & capellæ fundatione cum obligatione rigorosa celebrandi tot Missas.

Stipendiū pro Missis sine Simonia.

Ratio utriusque est, quia ad Simoniacam emptionem postulatur necessario voluntas commēsurandi rem corporalem cum spirituali, & illam tanti æstimandi: aliter res corporalis non habebit rationē pretij seu pecuniæ respectu rei spiritualis. Qui autem in dictis exemplis dat temporale pro spirituali exigendo Sacramenta vel Missas, non habet illam voluntatem scilicet cōmensurandi rem temporalem cum spirituali, sed solum solvendi stipendium operario, qui dignus est mercede sua.

Hæc procedunt ex natura rei. Nam jure Ecclesiastico ut videbimus, quæcunque donatio cū pacto, in materia beneficiorum, Simoniam constituit.

QUÆSTIO V.

Simonia de jure Ecclesiastico.

Sit ne ex jure Ecclesiastico Simoniaca aliqua donatio gratuita vel onerosa res temporalis pro spirituali?

568 Citra dubium est, ut docet *Suar. lib. 4. n.* *de Simon. cap.* 49. *n.* 1. posse Ecclesiā ob rerū Sacrarum reverentiam prohibere ne fiat donatio aliqua tēporalis sive onerosa sive gratuita pro cōsequendo spirituali: qua facta prohibitione donatio erit contra religionem, & consequenter Simoniaca.

An de facto existat talis prohibitio, & quæ nā sit? resolvit. *Palaus tract. 17. disp. 3. p. 5. n. 6.* rectè affirmans non inveniri donationem aliquā gratuitam, quæ prohibeatur intuitu religionis, proindeque evadat Simoniaca tam ex parte conferentis, quám recipientis, imo neque donationem onerosam, quæ non sit venditio aut emptio, extra materiam beneficiorum, & in foro conscientiæ. Nam in foro externo semper præsumetur Simoniaca donatio quæ fiat cum onere dandi spirituale, nisi talis donatio ab Ecclesia approbetur.

Patebit resolutio ex solutione eorum quæ objici solent. Opponitur 1. decretum. *Trident. sess. 21 cap. 1. de reform.* quo præcipitur ne pro collatione quorum cunque ordinum, nec pro litteris dimissorijs aut testimonialibus, nec pro sigillo nec alia quacunque de causa etiam sponte oblatum Episcopi, & alij ordinum collatores, & eorum ministri quovis prætextu accipiant. Ergo in his accipiendis muneribus committetur Simonia saltem de jure Ecclesiastico. Respondetur cum *Lessio lib. 2. cap. 35. n. 61. fine & Suar. tom. 5. in 3. p. disp. 31 sect. 4. n. 23. fine* si tales oblationes & munera spōte dentur, & non in commutationem nullam committi Simoniam etiā juris Ecclesiastici, quia finis ob quem prohibentur, non Simonia, sed affectus avaritiæ est.

Donatio gratuita ad Simoniam.

599 Opponitur 2. aliud decretum: *Trident. sess. 24. cap. 18. de reform.* ubi Synodales examinatores prohibentur occasione examinis in beneficijs facti quidquam ante, vel post recipere, alioqui dicuntur incurrisse Simoniam tam ipsi examinatores quàm dantes, a qua Simonia dantes absolvi nequeūt nisi dimissis beneficijs, quæ quomodo cunque antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur. Ex quibus judicat *Suar. lib. 4. Simon. cap. 49. n. 7.* gratuitam etiam donationē prohiberi. Nihil ominus *Palaus citatus n. 3.* censet neque donationem liberalem, imo neque quæ daretur in stipendium illo decreto prohibitam esse, quia ibi nullum est verbum expressivū illius.

Opponitur 3. duplex textus, alter in *cap. emendati 1. q. 1.* ubi videtur prohiberi omnis donatio pro Sacramento suscipiendo. Alter in *cap. 1. §. penult. de censib. lib. 6.* ubi prælati, ejus familiares & visitatores prohibentur, ne ultra procurationes debitas, aliquid qualitercunque oblatum recipiant. Respondetur in primo solum prohiberi exactionem nummorum in commutatione rei spiritualis. In secundo prohiberi etiam gratuitas oblationes, sed non tam ex odio Simoniæ, quám avaritiæ & turpis quæstus.

SE-

SECTIO II.
De materia Simoniæ.

600. QUÆSTIO I.
Qualiter sit Simoniaca venditio Sacramenti?

Certum est 1. pessimam & Simoniacã esse venditionem potestatis communicandi visibiliter Spiritum S. item gratiæ sanctificantis, characteris sacerdotalis, ac similium vẽditionem. Unde pessimus Simoniacus foret qui pluris vẽderet servum eo quòd Christianus, vel sacerdos esset. Tunc enim virtualiter baptismũ vel sacerdotium venderet.

Sacramẽtorũ vẽditio.

Certum est 2. omnia Sacramenta esse propriã materiam Simoniæ. Sunt enim dona supernaturalia nobis a Christo authore gratis collata, & respiciunt gratiam, quam conferunt. Habetur generaliter in *c. cum Ecclesia de Simon. &* de alijs sacramentis peculiariter *Can. 1. q. 1. c. baptizandis, c. nullus Episcopus de sacram. penit. & c. ult. 1. q. 3.*

Simonia materia.

Certum est 3. Eucharistiam, ut Sacramentum est, & sensibile signũ ad humanos usus accõmodatum, esse propriam & supremam materiam Simoniæ. Habetur *c. Nullus Episcopus 1. q. 1.* ubi ea ratio assignatur, quia tunc gratia spiritus sancti vẽditur. Sed quamvis textus loquatur de venditione ad usum Sacramentalem, nempe ad communicãdum: idẽ est dicendũ si vendatur ad pravos usus, vel magicos. Datur insuper in tali venditione malitia altioris ordinis quam Simoniæ, quatenus venditur Christus.

Eucharistia vẽditio.

601 Certum est 4. nõ esse Simoniacas varias pactiones quæ in matrimonio fiunt pecunia interveniente. Non enim hæc datur in matrimonio prout Sacramentum est, sed quatenus contractus humanus est, ut ad æqualitatẽ reducatur.

Rogabis 1. an Sacramentorum materiæ esse possint materia Simoniæ. *Suar. l. 4. de Simon. c. 11.* optimè respondet 1. materias remotas Sacramẽtorum præcisa consecratione & benedictione vendi posse absque vitio Simoniæ. Si verò habeant consecrationem ut chrisma & oleum vel benedictionem, ut aqua, de illis dicendum est quod de alijs rebus consecratis. Respondet 2. materiam proximam Sacramentorũ v.g. ablutionem, signationem, & prolationem verborum non posse vendi sine Simonia. Ratio est quia hujusmodi actiones sunt ministeria sacra, & præter religiosũ cultum Dei non habent aliquam utilitatem humanam pretio æstimabilem.

Materia Sacramentorũ ad Simoniã.

Rogabis 2. utrùm neganti Sacramentum in necessitate possit dari pecunia pro illius susceptione? Nunquam licet etiam in extrema necessitate offerre pretium pro ipso Sacramento. Est enim intrinsecè malum donum Dei pecunia possidere. In casu tamen gravissimæ necessitatis, v.g. quia non adest alius qui baptismum infanti vel adulto ministret, licitum est dare pecuniam, non ut in pretium Sacramenti, sed ut removentem impedimentum pravæ voluntatis & avaritiæ. Ita *Toletus l. 5. c. 98. n. 8. & Suar. sup. n. 16.* qui addit hoc procedere, etiam si improbus petat pecuniam sibi dari in pretium. Quia dans non ob id cogitur dare juxta intentione petentis. Adde quod tradũt *Valent. disp. 6. q. 16. p. 3. & Lessius l. 2. c. 35. n. 39.* licitum esse dare pecuniam tyranno habenti Eucharistiam captivam ut desistat ab injuria.

Pecunia pro susceptione Sacramẽti.

Vexationis redẽptio.

602 Maior est difficultas, an sicut sufficit ingens necessitas ad honestandam dationem pecuniæ pro administratione Sacramenti, ita sufficiat ingens utilitas? Negant communiter Doctores sed affirmat *Palaus tr. 17. disp. 3 pun. 7. n. 4.* id licere dummodo suscepturus Sacramentum manifestaret se non dare pecuniam pro illo, sed pro redimenda vexatione. Et rectè confirmat exẽplo Sacerdotis existentis in peccato & malè administrantis, quem parochianus in Sacramentorum susceptione vitare non tenetur cum proprio detrimento, ut docent *Suar. l. 4. de Simon. c. 19. n. 7. & Vasq. de scandalo q. 43. art. 8. dub. ult. n. 59.* & sic pro redimenda vexatione potest quis dare pecuniam, ne privetur Sacramentis.

QUÆSTIO II.
Qualiter sit Simoniaca venditio Sacramentalium?

Sacramentalia sunt in duplici genere: alia enim transeuntia, & alia permanentia vocantur. Transeuntia sunt quæ ita consistunt in actione, ut careant effectu permanente, qualis benedictio nuptiarum, in baptismo catechismus & exorcismus. Permanentia sunt quæ habent effectum permanentem, qualia benedictio aquæ, benedictio vel consecratio calicis, aut Ecclesiæ.

Sacramẽtalia quæ.

Constat Simoniam esse pro primis offerre & recipere pretium. Sunt enim sacra ministeria, & actus ordinis clericalis. De secũdis nonnulla dubitatio est, an eorum venditio a Simonia excusari possit. v.g. si vẽdatur aqua, aut Ecclesia benedicta, calix vel agnus Dei consecratus? Benè resolvunt ex *S. Thoma q. 100. art. 4. ad 1. Sylvest. v. Simonia q. 12. Navar. c. 23. n. 108. & Suar. cit. l. 4. cap. 14. n. 6.* illa omnia quibus consequenter spirituale annexum est, posse absque Simonia vendi, modò ratione benedictionis vel consecrationis chariùs non vendantur. Ratio est quia, calix consecratus, ecclesia, & aqua benedicta (& sic de alijs Sacramentalibus permanentibus) non amittunt suũ valorem ex consecratione; ergo secundùm illum pretio æstimari possunt. Idem procedit de imaginibus sanctorum, ut vendantur secundùm materiam & artificium, non verò secundùm repræsentationem sanctioris personæ.

Sacramẽtaliũ vẽditio.

Imagines sanctorũ ad Simoniam.

603 Dices, in *c. si quis objecerit 1. q. 3.* tam spirituale quàm corporale, quando sunt conjuncta, prohibetur vendi, & subditur ratio, quia quisq; horum alterum vendit, sine quo nec alterũ provenit, neutrum invenditum dereliquit. Ergo in Sacramentalibus, vendito temporali etiam spirituale venditur. Respondeo caput citatum intelligi vel de temporali quod sine spirituali non *provenit hoc*, est non subsistit, aut nihil valet, vel juxta *S. Thomam in 4. dist. 25. circa lit.* non intelligi de rebus quæ antecedunt cõsecrationem, & bene-

 dictionem

dictionem, & ante illam æstimabiles sunt, sed de subsequentibus consecrationem quale est jus percipiendi redditus beneficij, quod jus ipsius beneficij institutionem consequitur in quibus proinde neutrum sine altero vendi potest.

Sepultura venditio. Notandum est 1. quando ornamenta & vasa sacra, vel imagines venduntur hominibus laicis vel ad usus profanos, priùs esse confringenda, quando verò ad usus sacros, præcipuè Ecclesiasticis personis, posse vẽdi integra, quatenùs ob materiam & artificium æstimantur.

Notandũ est 2. dicta omnia procedere (seclusa prohibitione Ecclesiæ) quia *c. Abolendæ de sepul.* quando aliquis locus sacer communis est pro sepulturis fidelium, prohibet Ecclesia ne accipiatur prætium pro aliquo sepeliendo: unde esset simonia accipere. Quod extenditur juxta *C. in Ecclesiast. eod. tit.* ad illum qui locaret privatũ sepulchrũ proprium, & pro aliquo in illo sepeliendo pretium acciperet. Erit etiam simonia aliquid accipere pro loco sepulturæ honoratiori, ut quòd fit in Ecclesia, vel quòd altari sit propinquior.

604 Addit tamen *Palaus cit. p. 8. n. 4.* posse recipi quidquid ex præscripta consuetudine donatur. Tunc enim non exigitur in pretium. Unde hac ratione dicit excusari religiosos & clericos qui majorem summam petũt: pro sepultura, quæ loco digniore constituta est, sicut qui amplius petunt pro Missa majori. Vide *Sanch. l. 2. consf. c. 1. dub. 14.*

Chrisma distributũ gratis. Denique ut videre est apud *Suar l. 4. de simon. c. 14. à n. 23. in c. Placuit.* Præcipitur Episcopis, ut gratis & suis expensis chrisma jam confectum distribuant suis parochijs, & religiosis locis: proindeque esset simonia aliquid accipere pro tali distributione. In reliquijs sanctorum non distinguitur materiale a formali: quia illud non est pretio æstimabile: ornamentum veró si quod habeant, vendi potest. Locare res sacras etiam simpliciter acceptas simonia est: quia accipitur pretium pro usu, qui semper sacer est, ut si parochus accipiat pretium pro usu altaris, vel calicis: item si sacrista aliquid exigat pro ornamentis pretiosioribus præbendis, nisi interveniat labor vendibilis. Quando fur surripit oleum sanctum, & illud vendit pretio proportionato ipsi oleo, sacrilegus est, sed non simoniacus.

Sacrarũ rerum vẽditio & locatio.

Venditio rerũ sacrarum jure Lusitano. Observabis tamen cum *Fagund. de just. to. 2. l. 5. c. 19. n. 24* quamvis aurum & ornamenta Ecclesiarum possint vendi alijs Ecclesijs, tamen, etiam si antiquam formam amiserint, vendi non posse validè personis sæcularibus, neque ab his emi ad usus profanos aut in pignus accipi sine licentia Regis: alioquin accipientes in pignus, vel ementes compellũtur restituere ea gratis suis Ecclesiis, & insuper solvere novies valorem illarum partim, accusanti, partim in captivorũ redẽptionem.

QUÆSTIO III.

An sine Simonia divinũ officium, & exercitium cujusvis virtutis vendi possit?

TRACT. 26. satis exposuimus divinum officium, prout egimus de cultu erga Deũ per orationem, horas canonicas, adorationem, & sacrificium; atque adeo prout cõprehendit nõ solũ præcipuos actus potestatis ordinis, ut Sacramenta & Missam, sed etiam actus publicæ orationis, de quibus modò peculiaris sermo est.

Igitur quod attinet ad simoniam in hac materia, & latè resolvit *Suar. l. 4. de summ. c. 16.* paucis accipe. Officia divina prout in Ecclesia fiunt ex ipsius institutione, & per ministros Ecclesiasticos, sunt propria materia Simoniæ contra jus divinũ & naturale. Patet quia sunt res maximè sacræ & spirituales. Unde nec publica suffragia, nec funera, nec solemnes processiones vendi possunt. *Officij divini venditio.*

Distinguere tamen oportet inter stipendium & pretium: nam illud licet, hoc non licet: deinde inter oblationes spontaneas, & iniquas exactiones: quia non illæ, sed hæ prohibẽtur: denique inter actus merè temporales, ut sunt aperire sepulchrum, efferre cadaver, & similes, & actus sacri ministerij: nam pro illis, & non pro his pretium accipi potest. Si minister ultra id quod est consuetudine receptum (inquit *Palaus p. 9. n. 2. ex Lessio c. 35. n. 51.*) aliquid exigat, cõmittit propriam injustitiam, sed non Simoniam, nisi præsumptam.

Quod attinet ad actus virtutum, seu ipsarũ exercitium *Suar. cit. c. 15. n. 10.* sic resolvit. Actus virtutum prout juvant proximũ corporaliter, qualiter opera temporalia misericordiæ, nõ sunt materia simoniæ, proindeq; vendi possunt: at prout sunt meritoria & satisfactoria, juvãtq proximum spiritualiter, sũt materia simoniæ, & vẽdi nequeunt. Ratio est, quia opera virtutum priori modo facta sunt pretio æstimabilia, utpote corporalia, non ita si fiant posteriori modo. *Virtutum exercitiũ materia simoniæ.*

606 Rogabis 1. Utrùm actus spirituales soli operanti utiles possint esse materia simoniæ. v. g. si detur pretium alicui ut fiat Christianus, religiosus, aut sacramenta frequentet? Certum est, secluso pacto, & conditione, nõ solũ carere omni labe simoniæ, sed etiam honestũ & laudabile esse donare proximo aliquid de præsenti, illũ alliciendo, seu ab illo petendo ut faciat aliquid spirituale in bonum animæ suæ, etiã si apponatur modus nõ inducens obligationẽ. Ita expresse *Valent. disp. 6. q. 16. p. 3. ver. Tert. sequitur,* & constat ex *Can. debet 23. q. 4.* ubi ait Aug. debere quemlibet adducere proximũ suum ad Dei cultum non solum doctrina, sed etiam donis & beneficijs.

Dubitatio est quando in hujusmodi suasione intervenit pactum vel conditio. Illam duplici assertio resolvam ex *Molin tr. 2. de just. disp. 93. conc. 4. Suario de simon. c. 16. & Sanch. l. 2. consf. c. 2. dub. 16.* Dico 1. Promittere aliquid sub conditione expressa; si fidem suscipias, vel religionem ingrediaris, vel aliquid spirituale feceris, intendendo bonum spirituale operantis, & se obligare ad implendam promissionem, posita conditione, licitũ est, quando ex parte ejus, cui fit promissio, nulla oritur obligatio. Patet, quia ibi nulla est simonia cũ nullus fit contractus: deinde nulla datur coactio ad opus spirituale, sed est sola optio quæ homini gratis offertur sine alterius injuria. *Donum & pretio pro spiritualibus.*

607 Dico 2. Dare, vel promittere temporale

sub

sub conditione & pacto ut alter maneat obligatus determinate ad fidem, vel religionē, vel aliud spirituale, nec licitum est, nec immune a labe Simoniæ. Ratio est, quia eo genere venditionis indignè tractatur res spiritualis, dum per pretium fit ut talis res spiritualis in rerum natura existat.

Omissio actus simoniaca. Rogabis 2. an ex opposito sit Simonia recipere pretium pro omissione alicujus actus spiritualis, v.g. pro non absolvendo vel non audiendo sacrum? Hoc dubium inveni excitatum a *Sanch. l. 2. consil. c. 2. dub. 22.* & benè resolvit in hunc modū. Si omissio proveniat a potestate jurisdictionis v.g. si Episcopus audita judicialiter causa nō privet clericum beneficio ob pecuniam, vel sacerdos audita confessione, non absolvat ob pretium, Simonia est: si omissio nō procedat a potestate spirituali, v.g. non audire confessionem, non celebrare, immunis a Simonia est. Patet, quia nō posterior, sed sola prior omissio, quatenus procedit a potestate spirituali, quid spirituale censetur. Addit omissionem pretio factam quādo a potestate spirituali non provenit, & ex pretio fit, si actus non sit debitus, sed voluntarius, lethalem non esse, & quandoque nec venialem.

608 Rogabis 3. an sit materia Simoniæ ingressus religionis ad habitum, vel ad professionē? Cum eadem sit ratio, quoad præsens institutum de admissione ad habitum, & professionem, duo in considerationem veniunt, aliud beneficiū spirituale quod confertur admisso ad habitum vel professionem, quatenus Deo dedicatur, & aliud onus quod monasterium suscipit alendi religiosū.

Religionis ingressus materia Simoniæ. Certum est 1. admittere aliquem in religionē vendendo illi religiosum statum, seu spirituale bonum illius, esse Simoniam contra jus divinum. Certum est 2. ex natura rei nec simoniam, nec malum esse recipere aliquid ad sustentanda onera temporalia, quæ in se recipit religio admisso religioso. Nam sicut in matrimonio carnali, quod Sacramentū est, licet accipere bona temporalia pro sustentādis illius oneribus, ita in matrimonio spirituali quod inter religiosum & religionem cōtrahitur.

Dubitatio est, an hujusmodi acceptio sit Simonia saltem ex jure Ecclesiastico? Affirmant *Ugolin. de Simon. tab. 1. c. 4. 4. §. 1. n. 16. & Archid. 1. q. 2.* & probāt ex varijs capitibus, in quibus prohibetur ne offeratur quid quomodocūque pro ingressu religionis. Rectiùs negant ex *S. Thom. in 4. dist. 25, q. 3. a. 3. quæstiunc. 1. Suar. de Simon. c. 17. n. 7 & Lessius l 2. c. 35. n. 68.* Quāvis enim Urban. in *Extrav. 1. de Simon.* sub censura prohibeat, quod jam alijs decretis prohibitū erat, scilicet, ne facta pactione aliquid accipiatur pro victu & vestitu ingredientis religionem, hoc non intelligitur in casu necessitatis: ibi enim solum prohibentur exactiones quæ sine vera necessitate fiunt, & difficilē onerosumque reddunt religionis ingressum.

Moniales damnantes Monasteriis pro ingressu. 609 *Palaus tr. 17. disp. 3. p. 9. u. 4.* rectè ait Simoniam non esse, etiam si monasterium sit opulentum, quia illam jam abolevit recepta cōsuetudo, præcipuè in monasterijs monialium, in quibus nulla admittitur sine sufficiēti pecunia ad sui sustentationem: imo ultra eam summam, quæ dotis nomen obtinuit, aliquid ad usum præexistentium monialium erogatur. Addit *Sanch. l. 2. consil. c. 2. dub. 23. n. 6.* cōsuetudinem, quæ viget, ut præter dotem novitiæ, singulis monialibus dividantur certæ portiones pecuniæ, quas *propinas* vocant, cohonestari posse ex eo quòd reputentur pro complemento dotis, & intra ipsius taxam.

Confraternitas ad Simoniam. Rogabis 3. an sit Simonia dare pretiū, ut quis admittatur in aliquod pium sodalitium: seu devotionis causa institutam confraternitatem? Rectè *Sanch. citatus n. 8.* rogationi satisfacit negativé. Quia confraternitas non est religio, sed cōgregatio quædam ad beneficiendum. Unde potest quis causa honoris, vel alicujus utilitatis dare pretium ut fiat confrater misericordiæ, vel alterius cōfraternitatis. Addit laudabile esse aliquid ingressuris imponere pro sumptibus confraternitatis, & pijs operibus.

QUÆSTIO IV.

An sine Simonia vendi possit exercitiū cujusvis scientiæ?

610 Constat 1. non habere locum Simoniam in exercitio scientiæ naturalis qualis est philosophia: quia non est materia Simoniæ quodcunque spirituale, sed illud tantum quód habet conjunctionem cum vita æterna ad quam ordinatur. De quo vide *Sanch. l. 2. consil. c. 2. toto dubio 4.* Constat 2. fidem divinam esse materiam Simoniæ, quam quis committeret, si vel acciperet pretium ut crederet: esset enim venditio disciplinæ, vel acciperet pretium ut crederet formaliter quà talem, & ut doctrinam infallibilem, ut si Papa venderet definitiones fidei, vel propheta revelationes, vel prædicator miraculosam cōfirmationē. *Fidei venditio.*

Theologia an materia Simoniæ. Difficultas est circa doctrinam sacræ Theologiæ ex principijs fidei deductam, in qua distingui possunt quinque genera functionum. 1. est docere Theologiam ad instruendas mentes deducēdo conclusiones sive necessario, sive probabiliter absque ullo respectu ad probitatem morum. 2. interpretari sacras scripturas. 3. dare consilia in foro conscientiæ ad dirigendos mores. 4. concionari sive fideli sive infideli populo. 5. docere doctrinam Christianam, scilicet rudimenta fidei, seu catechizare.

De primo & secundo genere quod est docere deducendo conclusiones, & interpretando sacrā paginam, quāvis tradant *Antonin. 2. p. tit. 1. c. 5. §. 7. notab. 6. & Sylvest. v. Simonia q. 10.* esse Simoniam accipere pretium pro tali doctrina, oppositum rectiùs docent *Lessius l. 2. c. 35. n. 80. & Suar. cit. c. 18. n. 7.* Ratio est quia S. Theologia licet in se supernaturalis sit, & in auditoribus generetur interdū supernaturalis assensus, tamen actiones magistri docentis naturales sunt, & naturali modo cooperantur ad hoc ut auditores discant: nec venditur ipse assensus, sed labor in docendo collatus.

611 Infertur 1. accipere pretiū pro licentia docendi, si procedat a jurisdictione temporali, non esse simoniam, sicut nec vēdere cathedram Theo-

logiæ, vel suffragium in oppositione ad ipsam. Infertur 2. non esse simoniam vendere gradum Doctoris Theogi. Ita *Lessius & Suarius*, qui addit *n.* 17. fine, obligatum ratione beneficij ad cathedram Theologicam non fore Simoniacum, si pro eo munere pretium accipiat. Quia pro sola re temporali accipit.

Conscientiæ casus docere pro pretio. De tertio genere doctrinæ, quod consistit in decidendis conscienciæ casibus, quamuis *Lessius cap.* 35. *n.* 78. *&* 79. *& Sanch. lib.* 2. *conf. cap.* 2. *dub.* 5. *n.* 7. existiment esse Simoniam pro illo pretium exigere: oppositum tamen cum *S. Thoma q.* 100. *a* 2. *ad* 3. *& Nauarro cap.* 23. *n.* 100. docet *Suar. cap.* 18. *n.* 19. *&* 20. Ratio est, quia illa instructio naturalis est, & humano modo comparata; ergo vendi potest.

Catechizare pro pretio. De quarto genere doctrinæ, quod consistit in tradēda & inculcenda doctrina Christiana, rectè tradunt præter *Lessium & Suarium citatos, Sotus q.* 7. *act.* 1. *& Vgolin. tab.* 1. *cap.* 10. *§.* 3. *n.* 3. Simoniam esse docere pro pretio rudimenta fidei, & catechizare, si hoc vel fiat per modum exhortationis, vel catechismus tradatur per modum actus ordinis: secus, si solum assumatur ad juvandam memoriam alterius.

612. Denique pretium accipere pro quinto genere Theologicæ doctrinæ, quod consistit in concionando, sive quis infideles ad fidem persuadeat, sive fideles in fide roboret, & ad ipsius observandam excitet, Simoniam esse, rectè cum omnibus citatis, & multis alijs tradunt *Palaus n.* 17. *disp.* 3. *p.* 10 *n.* 7. *& Bonacina de Simon. disp.* 1. *q.* 4. *§.* 10. Ratio est quia concio refertur primo & per se ad consecutionem æternæ salutis, nam Uerbum Dei est maxime spirituale, & concionator est velut Legatus Dei missus ad tale munus, juxta illud Matth. 10. *Euntes prædicate.* Unde post pauca rectè subjungitur: *Gratis accepistis, gratis date.*

QUÆSTIO V.

An sit Simonia accipere pretium pro labore qui reperitur in operibus spiritualibus.

PRænotari debet laborem, qui interuenit operibus spiritualibus, esse duplicem, alterum intrinsecum operi, nempe sine quo opus fieri nequit, ut in Missa omnes actiones quæ præcipiuntur fieri: alterum extrinsecum, qui accidentarius est operi, seu per accidens cum illo conjunctus, v. g. iter unius leucæ, & expectatio duarum horarum ad sacrum faciendum.

Laboris vēditio ad Simoniā. 613. Si loquantur de labore intrinseco qui scilicet operibus spiritualibus intimus est, non esse Simoniam accipere pro illo pretium, dixere *S. Bonav. in* 4. *dist.* 25. *a* 1. 5. 4. *Adrian. quod l.* 9. *a* 1. *Altisiod.* 3. *p. q. penult. de Simon. Iulius Clarus V. Simonia n.* 2. *&* ex parte consentit *Lessius lib.* 2. *cap.* 35. *n.* 53. Fundantur in *Matth.* 10. *& Luc.* 10. ubi Christus dixit ministrantem in spiritualibus esse dignum mercede.

Dicendum tamen est cum *Valen. disp. & quæst.* 16. *p.* 2. *Toleto lib.* 5. *cap.* 88. *a n.* 5. *Gutierr. can q.* 6. 29. *n* 12. *Suar. lib.* 4. *de Simon. cap.* 21. *n.* 5. *& Sanch. lib.* 3. *cons. cap. dub.* 10. Simoniam esse recipere pro illo labore pretium, non verò recipere stipendium sustentationis. Patet, quia labor ille intrinsecus operi nullam aliam vendicat æstimationem præter ipsum opus.

Si loquamur de labore extrinseco conveniunt citati authores posse absque ulla Simonia pretium pro illo recipi, & pro obligatione talem laborem subeundi. Ratio est, quia tales labores per accidens conjunguntur operi spirituali, & sunt onera temporalia quæ privant laborantem alijs comodis temporalibus. *Ministeria vendibilia.*

614. Ex quibus *Sanch. a n.* 3. rectè infert 1. concionantem non posse pretium ferre pro labore actuali concionandi, neque pro antecedenti studio ad cōcionem requisito: secus de stipendio, vel labore accidentali. Infert. 2. cantores, citharædos, & pulsantes organa posse ferre pretium pro hujusmodi ministerijs, etiam si ea exequantur in cultu divino.

Infer 3. quanvis pauperes non possint absque simonia vendere laborem, quē subeunt necessariò conjunctum in fundendis præcibus, posse tamen pretium accipere pro obligatione quotidie recitandi, vel eundi ad sacellum ad recitandum. Infert. 4. posse clericos obligantes se ad toties in mense, vel hebdomada, tali tempore, & tali hora celebrandum, locare pretio suas operas, & talem obligationem personalem. Infert 5. si quis vocetur ut cum ægroto ducat noctem insomnem, quanvis debeat recitare psalterium, posse vendere hunc laborem, vtpote accidentarium. *Obligatio vendita.*

Notat benè *Suar. cit. cap.* 21. *a* 11. dari laborem accidētarium sacro ministerio, pro quo non licet ferre pretiū, qualis esset, si quis ob tarditatē vel senectutem nimis defatigaretur in Missa celebranda. Quia in nullo opere defatigatio est digna pretio distincto ab ipso opere. Non igitur procedit resolutio de labore accidentario ex parte operantis, sed ratione alterius operis, occupationis vel otij contingentis.

615. Difficultas est an sine Simonia possit familiaris vel amicus prælati accipere pretium pro labore apposito ad obtinendum tibi dispensationem, beneficium, ordines, aut quid simile? Pro parte affirmativa facit quod omnis illa industria & labor est extrinsecus, & accidentalis spiritualibus illis. *Intercessio cum prælato ad Simoniā.*

Nihilominus rectè docent *Lessius lib.* 2. *cap.* 35. *n.* 46. *Suar. de Simon. cap.* 53 *n.* 14. *& Sanch. lib.* 2. *conf. cap.* 3. *dub.* 26. *n.* 1. Simoniam esse saltem ex jure positiuo dare pecuniam, vel quod vis donum familiaribus prælati intercessuris ut concedat beneficium vel ordinem. Constat ex *cap. præsentium* 1. *q.* 5. ubi Papa Urbanus cognoscit Simoniam in eo quod pecunia fuerit data non Episcopo, sed cuidam ejus familiari. Deinde ex *cap. statuimus* 2. 1. *q.* 1. ubi Nicolaus Papa tres species ordinatorum Simoniace recenset, & una est quando ordinanti nihil datur, sed mediatoribus. Quod procedit, si pecunia detur in pretium ex pacto ad intercedendum: secus si detur gratis,

ris, ut ille benevolentia intercedat.

Nota 1. non esse Simoniacum talem familiarem, si pecuniam accipiat solum pro suscepto labore in eundo & redeundo ad prælatum, vel pro recompensatione lucri amissi, vel damni accepti dummodo munus non excedat talis lucri vel damni æstimationem. Nota 2. posse dictum familiarem accipere pretium pro officio præcisé informandi prælatum de meritis talis prætensoris, dummodo non assumat officium exhortantis ultra id quod merita simpliciter repræsentata possunt suadere.

616. Nota 3. non esse illicitum contra religionem dare pretium familiari, ut tribuat facilem aditum petituro beneficium a prælato: imò nec contra justitiam, si ultra id quod tenetur, aliquid faciat.

Nota 4. cum *Sancti lib. 2. consil. cap. 3. dub. 26. n. 7.* probabile esse non fore Simoniacum, qui conferret pretium cuidam tertio, ut intercedat apud alterum, cui non incumbit conferre, eligere, aut præsentare, ut talis tertius obsecret, ut detur illi beneficium. Quia datur pro re meré temporali, nec paratur via immediatè & proximé ad beneficium. Oppositum tamen probabilius est.

QUÆSTIO VI.

Qualiter Simoniaca sit venditio juridictionis Ecclesiasticæ?

Jurisdictio spiritualis ad Simoniã. CUM actus Ecclesiasticæ & spiritualis jurisdictionis pertineant ad forum tam internum quam externum, duplici explicata difficultate tota quæstio decidetur. 1. difficultas est qualiter in actibus spectantibus ad jurisdictionem spiritualem fori interni, quale est forum animæ, reperiri possit Simonia? Constat omnes actus hujusmodi jurisdictionis esse materiam Simoniæ, utpote valde spirituales. *cap. ad nostram, & cap. tuam, de simonia.* Quod cum in alijs, tum præcipuè verum habet in usu sacramenti pænitentiæ, in quo multipliciter committitur Simonia. *Simonia in sacramenta pænitentia.* 1. si accipiatur pretium absoluté pro audienda confessione. 2. si pro conferenda absolutione sive dignis. 3. si pro deneganda absolutione. 4. si pro imponenda levi satisfactione, vel augenda: item si confessor obliget pænitentem, ut sibi tribuat eleemosynam pro Missa dicenda in satisfactionem: secus si non obliget, etiam si intuitu accipiendi eleemosynam, talem satisfactionem imponat. 5. si pro commissione jurisdictionis, vel pro licentia audiendi confessiones in Ecclesia. Hæc omnia ex Suar. de Simon. cap. 19.

617. Quod diximus de absolutione a peccatis rectè procedit de absolutione a censuris. Erit enim Simoniaca, si pro pretio impendatur. Quando quis injustè alium vexat denegando absolutionem, ex cujus denegatione sequitur grave damnum, quia v. g. non eligi vel non eligere potest, licitum est pecunia redimere vexationem. Ita *Suar. n 7. & 8.*

Matrimonium ad Simoniã. Addit bene n. 11. Simoniam committere parochum, si pretium accipiat pro licentia, & quasi dispensatione in ordine ad præceptorum observantiam, v. g. ut parochianus laboret die festo vel comedat cibos vetitos. Item pro assistentia matrimonij, vel pro licentia data sacerdoti ad talem assistentiam, Nam talis assistentia ex institutione Ecclesiæ annexa est officio parochi & expostulatur, quia contractus sanctus est. Notat benè *Palaus tract. 17. disp. 3. q. 12. n. 5.* si pro tali assistentia aut benedictione nuptiarum aliquod stipendium vel lucrum parocho soleat evenire, posse absque Simonia negare licentiam illam & benedictionem donec sibi lucrum illud compensetur.

Quid de actibus jurisdictionis spectantibus ad concessiones indulgentiarum & gratiarum, quæ in ordine, ad indulgentiam consequendam solent a Pontifice in jubilæis concedi, ut per confessorios applicentur? Omnes (inquit *Suar. n. 9. & 10.*) sunt materia Simoniæ, quam committet confessor, si pro dispensatione aut commutatione votorum, aut absolutione a reservatis pecuniam accipiat. Item si quis charius vendat grana, cruces & imagines ratione indulgentiæ. Vide *Bonac. de Simon. disp. 1. q. 4. §. 16. & Filliu. tr. 45. cap. 4.* *Indulgentiæ ad Simoniam.*

618. 2. Difficultas est qualiter reperiatur Simonia in actibus jurisdictionis Ecclesiasticæ spectantibus ad forum externum? A Theologis pro generali regula traditur esse materiam Simoniæ omnes prædictos actus, quibus Ecclesiastica jurisdictio, vel confertur, vel administratur. Pro dilucida generalis regulæ expositione resolutio triplex apponetur.

1. Resolutio. Vendere aut emere actus communicandi jurisdictionem spiritualem est Simonia, quæ juri divino adversatur. Ita *Suar. cit. cap. 20. n. 4. & Palaus cit. n. 6.* Patet, nam illa jurisdictio est supernaturalis, utpote ad supernaturalem finem ordinata. Infertur 1. non posse vendi jus eligendi ad dignitates, vel beneficia Ecclesiastica, nec jus confirmandi electionem, aut conferendi talia beneficia, vel instituendi in illis. De jure præsentandi resolvetur infra. Infertur 2. nec posse constitui pretio Vicarium Episcopi, nec spiritualem judicem sive ordinarium, sive delegatum, nec vicarium alicujus Ecclesiæ, aut capelanum, etiam ad nutum amovibilem, cui parochialis cura demandatur, sive pretium detur a conferente, sive ab accipiente jurisdictionem. *Simonia in actibus jurisdictionis.*

Oppones usum frequentem, quo cernitur in Romana curia vendi clericatum Cameræ, & auditoratum Cameræ, quæ sunt munia constituta ad exercendam Ecclesiasticam jurisdictionem vice Pontificis. Respondeo in illis officijs distingui jurisdictionem spiritualem a temporali emolumento: unde quamvis illa jurisdictio nec a Papa vendi possit sine Simonia utpoté contraria juri divino, tamen emolumentum ex causa vendi potest ab eodem, ut Sumitur ex *cap. ult. ne Prælati vices suas.* Nam Papa se potest Eximere ab humana prohibitione, quecumque ibi detur. Secus est de inferioribus prælatis, utpote juri *Officiorũ Ecclesiasticorum venditio.*

Pontificio; ac proinde Simoniæ juris Ecclesiastici subjectis.

Dispensationes ad Simoniam. 619. 2. Resolutio omnes actus jurisdictionis voluntariæ, quâ ordinati ad effectum spiritualem, quales sunt dispensationes votorum, relaxationes juramentorum, & dispensationes in legibus Ecclesiasticis, irregularitate, impedimentis matrimonij, & similibus, sunt materia Simoniæ. Ita *Suar. cit. n.* 8. *& Sanch. lib.* 2. *consf. cap.* 3. *dub.* 17. *n.* 4. Sumitur ex *cap. ad nostram, & cap. Consulere, de Simonia.*

Nec obstat stylus Romanæ curiæ, & legatorum, qui obtinuit ut pro dispensationibus pecunia, & pro dificilioribus copiosior pecunia exigeretur, Quamvis enim exigere pretium pro dispensatione sit Simonia (inquit *Suar. cit. n.* 11.) in qua nec Papa dispensare potest utpote contra jus divinum, tamen potuit Papa exigere aliquid per modum tributi ab ijs cum quibus dispensatur, ad sustentanda onera status dispensantis, & pro reddendis dispensationibus onerosis.

Addit *Sanch. citatus n.* 4. voluisse Pontificem illam pecuniam exigere per modum pœnæ, quam apponit, eo quod a lege eximitur dispensatus; deinde per modum cômutationis: sicut enim petenti, commutationem voti licitum est votum commutare in quandam eleemosynam, ita petenti dispensationem in lege, aut vinculo matrimonij, fas est vinculum illud commutare in aliquam eleemosynam pecuniariam; quam suis sûptibus applicat Pontifex. Et quamvis *Triden. sess.* 24. *c.* 6. *& sess.* 15. *cap.* 18. *de reform.* præcipiat dispensationes gratis fieri, tamen leges Concilij non obligant Papam. Hæc potestas Episcopis non datur.

Iurisdictio contentiosa ad Simoniam. 620. 3. Resolutio. Actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, etiam contentiosæ & involuntariæ sunt materia Simoniæ. Ita citati *Suar. n.* 16. *& Sanch. n.* 10. Ratio est, quia in illis omnibus exercetur potestas supernaturalis a Deo gratis data ad gubernandam suam Ecclesiam, Procedit, etiam de actibus, qui versâtur in materia temporali & humana, qualis licentia studendi, legitimandi, & similes, dummodò egrediantur a potestate spirituali. Nam omnes sunt usus jurisdictionis spiritualis, & materia Simoniæ ex vi juris divini. Videatur circa prædicta omnia *Bonac ina de Simon. d.* 1. *q.* 4. *§.* 17.

Regabis 1. an ordinarij & alij officiales, quibus Apostolicæ Sedes committit dispensationes matrimoniales, possint aliquid exigere saltem per modum stipendij pro labore & examinatione? Quamvis *Sanch. lib.* 8. *Matr. disp.* 35. *n.* 11. *& Salas de legib. d.* 20. *sec.* 10. dicant posse recipi quidquid consuetudine introductum est. Dicendum tamen est cum *Garcia p.* 7. *n.* 102. *& alijs quos sequitur Palaus d.* 4. *p.* 12. *n.* 11. nihil posse recipi etiam per modum stipendij ab ordinario pro testium examinatione, & narratis verificandis, solum posse recipi a notario quartam partem aurei, seu ducati pro examinatione testium, & rerum aliarum informatione. Id enim constat ex prohibitione in ipsis literis inserta.

Nota 1. dispensantem, qui exit a suo domicilio pro examinandis testibus posse accipere pecuniam pro tali labore, similiter pro transumpto dispensationis, quod partes peterent. Nota 2. exactionem pecuniæ in stipendium pro dictis illis officijs non esse Simoniacam, sed solum illicitam ratione turpis lucri. Quia ut sic prohibetur. Nota 3. non esse prohibitam, proindeque nec illicitam receptionem pecuniæ in expeditione aliarum dispensationum a causa matrimoniali: si recipiatur in stipendium pro labore examinandi testes.

Advocati munus ad Simoniã. 621. Rogabis 2. an patrocinium & testimonium in causis spiritualibus sit materia Simoniæ? Posse advocatum accipere pretium pro suo patrocinio, & procuratorem pro suo munere rectè ex *Suario citato cap.* 53. *n.* 9. tradit *Palaus de Simon. d.* 3. *p.* 12. *n.* 14. Patet ex *cap. non sane* 4. *q.* 5. & ratione, quia hæc munera non sunt a potestate spirituali, neque ab aliquo illam habente, sed sunt temporalia, & rebus spiritualibus antecedêter annexa.

Testis Simoniacus. Maius est dubium de teste, quam *Suar. cit. cap.* 53. *n.* 11. affirmat Simoiarum esse, si suum testimonium in causa spirituali vendat: & idem esse de eo qui pretio talem testem corrumpit, nisi id faciat ad redimendam vexationem. Nihilominus testimonium veritatis in causa beneficiali venditum carere labe Simoniæ existimat *Palaus citatus n.* 15. probat, quia testimonium illud nihil est aliud quàm quædam manifestatio & comprobatio juris quod quis habet ad beneficium: qui autem pro pretio assumit munus informandi prælatum, eique manifestandi veritatem, Simoniacus non est. Hoc mihi valde probabile est, & fere certum quod ibi addit id absque dubio procedere, si testis aliquid accipiat non in pretium, sed in stipendium.

Simonia in omissionibus jurisdictionis. 622. Rogabis 3. quid dicendum de accipiente pretium pro omissionibus spectantibus ad potestatem spiritualem tam fori interni, quam externi? Dari Simoniam quoties negatio alicujus actus spiritualis a potestate spirituali egreditur, cô sentiunt Theologi cum *Suar. cap.* 22. *n.* 4. *Ugolino tab.* 1. *cap.* 30. *§.* 3. *& Lessio cap.* 35. *n.* 64. Explicatur assignatione talium omissionum. 1. in foro interno si parochus ob pretium acceptum negat absolutionem pœnitenti. 2. in foro externo, si prælatus ob pretium negat absolutionem a censura, quam tenetur petenti impendere. Idem est si corruptus pecunia omittat punire criminosum, ex jurisdictione sic tacitè condonans crimen. *Omissiones Simoniacæ.*

Dubium est 1. si sacerdos ob pretium omittat sacrum, vel auditionem confessionis, an sit Simoniacus? Affirmat *Ugolinus lib.* 1. *cap.* 40. *§.* 2. Negandum tamen est cum *Lessio cap.* 35. *n.* 64. *& Suar. de Simon. cap.* 22. *n.* 13. Quia tunc nulla jurisdictio exercetur, sed potius negatur illius usus.

Dubium est 2. ad committat Simoniam prælatus vel parochus qui ob pretium neget subdito justé petenti facultatem ut alteri confiteantur, &

& sic de alijs? Tanquam probabilius affirmat *Suar. cap 22. n. 16. cum Ugolino tab. 1. c. 36. §. 3. n. 6.* Negat *Palaus citatus §. 12. n. 19.* Quia tunc prædicta negatio non est exercitium potestatis, sed potius non usus illius. Utrumque probabile est.

623. Dubium est 3. Utrum sit Simonia ob pretium omittere denunciationem? Consta non esse, quando quis ex officio non tenetur denunciare. Procedit solum de eo, cui ex officio incũbit denunciare, ut si parochus non denunciet parochianum in paschate non communicantem. Affirmant nonnulli apud *Suar. cit. 22. n. 15.* qui id judicat valde probabile. Negandum tamen est cũ eodem *n. 14. & Lessio lib. 2 cap. 35. n. 64. §. neque obstat.* Ratio est, quia parochus in hujusmodi omissione non exercet jurisdictionem, cum nec per se, nec propriè absolvat pænitentem, ipsumque liberet a censura.

QUÆSTIO VII.

An sit Simoniaca beneficij Ecclesiastici venditio?

Officium in beneficio. IN beneficijs duo distinguuntur, nempe jus ministrandi spiritualia, & jus percipiendi emolumenta temporalia: quorum primum dicitur officium, secundum dicitur præbenda propter officium. Beneficium igitur ex utroque illo jure coalescens describi potest: *Est jus perpetuum ministrandi in Ecclesia, & pro ministerio recipiendi fructus annuos ex bonis Ecclesiasticis.*

Beneficiũ materia Simoniæ. Certum est 1. beneficium quoad jus spirituale quod includit, & in quo nititur, esse materiam Simoniæ, quæ juri divino adversatur. Certum est 2. esse Simoniam saltem juris Ecclesiastici vendere aut emere beneficium habito respectu ad emolumentum temporale quod in ipso est. Habetur *cap. ult. de pactis & cap. tua nos, & Simonia, & cap. unico 1. q. 3.*

624. Difficultas est, an hoc sit etiam prohibitum jure divino? Apud *Valent. disp. 6. q. 16. p. 2. & Suarium de Simon. cap. 24. n. 7. & 12.* communiter Theologi affirmant, Canonistæ negant. Utrosque rectè coniliat *Lessius lib. 2. cap. 35. n. 18.* supponens beneficium posse considerari vel formaliter prout est jus fructuum obveniens per officium sacrum, vel materialiter pro jure ad fructus, qui officio absolutè annexi sunt. Priori modo est invendibile etiam jure divino, posteriori modo est invendibile solo jure Ecclesiastico.

Pontifex quid posse vendere in beneficij. Ex quo sequitur 1. posse Pontificem utpote Supremum legislatorem Ecclesiasticum separare fructus beneficij, seu præbendam a titulo clericali, & officio spirituali, & sic eam vendere. Nam ut sic potest, licitè data causa præbendam laico conferre. Sequitur 2. posse dare beneficium alicui cum onere solvendi quotannis sibi vel alteri partem aliquam fructuum, ut patet ex usu Ecclesiæ.

Pensionis redemptio. Sequitur 3. probabiliter posse Pontificem quando confert beneficium cum pensione æstimare statim valorem pensionis, & illum sibi vel alijs accipere ab eo cui beneficium confert. Nam imposita pensio ut temporalis authoritate Pontificis redimi potest. Sequitur 4. solum facta separatione fructuum, seu præbendæ esse licitum Põtifici exigendo pecuniam dare beneficium: secus si nulla fiat separatio. Quia solum quando fit illa separatio rei temporalis a spirituali, non venditur spirituale, cujus venditio est Simonia contra jus divinum.

625. Sequitur 5. non posse Pontificem in datione benefici plus exigere quàm æstimantur moraliter illius fructus: nam si plus exigat, excessus convincetur exigi pro jure spirituali donato. Sequitur 6. inferiores prælatos non posse absque Simonia aliquid accipere pro fructibus beneficij, quod conferunt. Cum enim prohibeatur fructus beneficiorum suis usibus applicare *cap. Prohibemus de censibus* & nequeant disjungere fructus beneficij a beneficio, convincerentur exigere pecuniam pro titulo, cujus ratione fructus percipiuntur.

Locatio fructuum benefi.ij. Dubium est 1. an beneficiarius possit fructus sui beneficij locare & vendere pro sua vita? Partem affirmativam sequitur *Baleus & Simon. disp. 3. pun. 13. n. 5.* dicens *Extra. Ambitiosæ de rebus Eccles. non. alien.* in qua cavetur ne ultra triennium locentur, nullibi fere receptam fuisse *Suar. de Simon. cap. 24. n. 40.* tenet oppositum. Nos id jam decidimus n. 253.

Pensionũ venditio. Dubium est 2. an pensiores absque Simonia vendi & redimi possint? Nota pensionem in genere esse duplicem, alteram quæ confertur laico ad temporale officium, v. g. ad canendum in choro, aut pulsandas campanas. Et hæc procul dubio absque ulla Simonia vendi & redimi potest: alteram quæ soli clerico potest concedi, & adhuc est duplex, alia quæ absque determinatione personæ assignatur pro aliquo spirituali officio, v. g. pro visitatore, pro concionatore, pro coadjutore Episcopi: & hæc juxta *Suar. cit. cap. 26. n. 20. & Lessium cap. 35. n. 122.* vendi nequit a privata persona. At pensionarius retento munere ad officium poterit de tota pensione sibi danda, pro vita pacisci. Hoc enim erit elocare fructus percipiendos.

Pensio multiplex 626. Alia pensio determinatur soli clerico, & est quadruplex. 1. dari solet clerico pauperi ad sustentationem. 2. datur parocho non valenti servire, ejus beneficio alteri collato. 3. datur renuncianti beneficium, quod pacificè possidebat. 4. datur pro lite in beneficio componenda. Has omnes propria authoritate vendere, Simonia est juris divini, ubi recepta fuit *Bulla Pij V. edita anno 1571. & incipit Ex proximo.*

Redemptio pensionis. Difficultas est an hujusmodi pensiones authoritate propria redimi possint? Negant *S. Thom. lib. 9. de just. q. 7. a 2. Azor p. 2. lib. 8. cap. 10. & Flamin. lib. 6. de relig. q. 2. n. 128.* Affirmandum tamen est cum *Toleto lib. 5. cap. 92. n. 1. dicto 3. Lessio lib. 2. cap. 36. n. 124. & Suar. lib. 4. Simon. cap. 26. n. 24. & 26.* Ratio est, quia beneficiarius redimens pensionem solum acquirit libertatem ab onere solvendi quotannis partem fructuum: hæc autem n. 26. credit

dit id procedre spectato jure antiquo non vero motu Pij V. & stilo curiæ. Illud notabis non posse absque Simonia resignantem beneficium cum onere pensionis pacisci ut constituta pensio redimatur. Ita *Lessius citatus*, & *Palaus tit.* 17. *disp.* 3. *pun.* 13. *n.* 11.

Præstimonia ad Simoniam. Dubium est 3. an præstimonia vendi possint absque Simonia? Negativa resolutio videtur indubitata, & traditur a *Palao citato disp.* 3. *p.* 13. *n.* 12. Patet nam præstimonia vel sunt pensiones clericales. vel beneficia ut omnes fatentur: & certè beneficia esse, videtur convinci tum ex *cap. ult. de concesspræb. in* 6. tum ex ratione, quia conferuntur personis Ecclesiasticis a prælato Ecclesiastico purè, & sine pacto, & in perpetuum cũ onere ad aliquod munus spirituale: quæ omnia constituunt beneficium.

Commẽdæ ad Simoniam. 627. Dubium est 4. an comendæ vendi possint? Constat commendam clericalem, sive tẽporalem sive perpetuam, qualis illa per quam Ecclesia alicui commendatur, ut in ea sacramenta administret, absque Simonia vendi non posse. Quod procedit, inquit *Suar. tit. cap.* 27. *n.* 3. etiã si commenda detur, non ut commendarius v. g. puer illi per se inserviat, sed per Vicarium. Quia semper talis commenda ex sua institutione est ad titulum spiritualem. Ex quo manifestè patet coadjutoriam vendi non posse. *Coadjutoria ad Simonia.* Nam coadjuror est vicarius cui proprietarius committit suas vices: vel est datus a superiore cum jure succedendi, & congrua sustentatione, proindeque commendatario æquiparatur. Ita *Suar. prox. n.* 5.

Palaus tit. 17. *d.* 3. *q.* 13. *n.* 14. coadjutorias ex eo quod non sint beneficia existimat posse vendi & emi absque Simonia jure Ecclesiastico punibili: imo absque ulla Simonia posse obtineri, si pecunia non in pretium facultatis, sed in sustentionẽ cõcedentis tribuatur. Mihi displicet prius & placet assertum posterius.

Commẽdarum venditio. Quid de commendis militatibus? *Sanch. lib.* 2. *cons* 6. *cap.* 3. *dub.* 24. *n.* 8. asserit illarum venditionẽ esse Simoniacam de jure Ecclesiastico, in quo proinde dispensare valet Pontifex. Nihilominus, existimo probabilius cum *Suar. cit. n.* 9. & *Palao n.* 13. tales commendas in se spectatas non esse materiam Simoniæ; etiam juris Ecclesiastici. Quia nec sunt aliquid spirituale, nec spirituali annexũ, sed sunt temporalia subsidia, vel stipendia pro munijs temporalibus.

628, Observat tamen *Suar. n.* 9. & 10. quamvis non sit Simonia, esse tamen injustitiam illas vendere formaliter & directè, Quia nec Magistri ordinum vel Reges sunt domini, sed dispensatores, & non supremi, sed sub Pontifice: ipse verò commendatarius est quasi usufructuarius ad vitam. Dixi (formaliter & directè quia possunt dari cum onere ad aliquid temporale, v. g. eundi in Affricam vel Indiam, & cum onere solvendi pensionem alteri. Ex licentia Pontificis data justa causa justé vendi possunt.

Habitus Christi & alij militares ad Simoniã. Quid de habitibus Christi, S. Ioannis, S. Benedicti & alijs, quibus ornantur equites religionum militarium: eritne Simoniacà illorum venditio? Negant *Diana cum Vecbio ut* videre est in illius *Simoniam V. Simonia n.* 9. Ego probabilius affirmandum censeo cum *Azorio p.* 3. *lib.* 22. *cap.* 16. *q.* 5. Nec obstat quod proxime diximus, carere Simonia venditionem commendarum militariũ. Nam hæ sunt fructus omninò temporales propter ministerium temporale: at tales habitus sunt insignia quæ dantur in ingressu religionis; & dare pecuniam vel pro ingressu religionis, vel pro assumptione religiosi habitus, Simonia est.

629. Dubium est 5. an Rectoria, seu officiũ regendi hospitalia sit materia Simoniæ? *Hospitalia ad Simoniam.* Si hospitalia nec sint authoritate Episcopi constituta, nec sub illius cura existant, nullius Simoniæ materiam esse, indubitatum est. Quia licet pia loca dici possint, at Ecclesiastica non sunt. Solum dubitatur de hospitalibus Episcopi authoritate erectis quæ Ecclesica appellantur, & sunt in duplici differentia: nam alia important administrationem spiritualem, alia solum temporale regimen. Si de prioribus loquamur, certum est materiam Simoniæ juris divini esse, ut tradit *Selva de benef. p.* 1. *q.* 3. *n.* 3.

Si loquamur de posterioribus, quanvis non sint materia simoniæ juris divini, quia functionẽ spiritualem non habent, tamen sunt materia Simoniæ juris Ecclesiastici, quod habentur *cap. Salvator* 1. *q.* 3. Ita *Suar. cit. cap.* 27. *n.* 11. & *Gomez de expectativis n.* 93. *Verbo Existabunt notandæ.* Quid de capellanijs. *Capellaniæ ad Simoniam.* Si authoritate Episcopi sint erectæ, absque illius authoritate constituantur, posse absque labe Simoniæ pecunia obtineri, alijs relatis tenet *Gonzales reg.* 8. *cancel. glos.* 5. *in prin. n.* 25. Deniq; sæpe fuisse a Rota declaratum testatur.

QUÆSTIO VIII.

An sit Simoniaca venditio juris patronatus, & officiorum Ecclesiasticorum?

610. Quoad priorem partem de jure patronatus; sciré oportet il ud vel esse civile,, & jure civili introductum, quod convenit patrono respectu liberti & bonorum ejus, vel esse canonicum, quod ab Ecclesiá institutum fuit in remunerationem ejus, qui tanquam pater aliquã Ecclesiam fundavit. *Ius patronatus ad Simoniã.* Civile utpote merè temporale, materiam Simoniæ non esse, patet.

An canonicum sit materia Simoniæ? Considerari debet quoad proprietates & naturam. Est enim honorificum, quia patrono conceditur locus honorificus in sua Ecclesia. Est onerosum, quia patrono competit defendere suam Ecclesiam, ne bona ejus dilápentur, modo tradito *cap. Filius* 16. *q.* 7. Est utile, quia si patronus deveniat ad egestatem Ecclesia debet illi succurrere maiori cura, quã alijs pauperibus. Quod veró in hoc patronatu magis relucet, est jus præsentandi personas ad beneficia talis Ecclesiæ. De hoc procedit quæstio: nam reliqua ad Simonam non pertinent.

Sit 1. resolutio. Ius præsentandi ad beneficia Ecclesiastica non solum est materia Simoniæ cõtra jus Ecclesiasticum, sed etiam contra jus divinum

num naturale. 1. pars constat manifeste ex *cap. clerici.cap.de jure,cap.preterea* & alijs. *de jure patron.* 2.pars quanvis negetur a *Navar. cap. 23. n. 98. & Soto lib.9.q.7.a* 1.affirmatur tamen & probatur a *Lessio cap.35.n.128.& Suar.de Simon.cap.28. n. 7.* nam jus illud est spirituale, utpote concessum a potestate Ecclesiæ spirituali; ergo jure divino naturali prohibetur vendi.

Ius patronatus ad Simo. 631. 2. Resolutio. Quanvis prædictum jus vendi nequeat, tamen potest transire cum re vendita, dummodo ratione illius res non vendatur charius. Habetur exprese *cap. ex litteris & cap.cum secundum, de jure patron.* Sequitur 1. nullo humano contractu, solutione aut compensatione haberi posse rationem juris patronatus: nam eo ipso tale jus venderetur. Sequitur 2. jus patronatus non posse a patrono in alium transferri, nisi modo, & in casibus jure expressis.

Patronatus qualiter transeat. Modus autem, seu casus est triplex. Primus, ut transeat patronatus jure hæreditario, quod extenditur ad hæredes tum necessarios, tum voluntarios, tum consanguineos, tum extraneos, & habetur *in Clem.2.de jure patr.* Secundus ut transeat per liberalem donationem. Quia unusquisque potest in alium transferre jus quod habet, ut dicitur *cap. cura,de jure patron.* Tertius, ut transeat vendita re, juxta *cap.ex litteris, de jure patr.* Quia accessorium sequitur principale. Nec erit venditio rei Simoniaca,etiam si in illa exprimatur jus patronatus. Quanvis optima sit forma negativa,scilicet vendi villam non excepto jure patronatus.Quæ procedunt de jure reali,rebus scilicet inhærente:nam si sit personale, nempe inhærens soli personæ, etiam si vendantur omnia bona personæ,non transibit ad emptorem.

Quid si potius,bona cohæreant juri patronatus, quâm jus ipsis bonis, v.g.si restator instituit, ut qui esset patronus semper possideret talia bona? Respondeo,si illa bona ita sint annexa juri patronatus, ut eorum fructus omnes convertantur in usus Ecclesiæ, quasi spirituale servitium juris patronatus,non posse vẽdi sine Simonia:secus si tales fructus cedant in utilitatem temporalem patroni, etiam si hic teneatur providere Ecclesiæ in casu necessitatis. Ita *Suar.cap.28.a n.12. Vide Sanch. lib.2.Consil.cap.3.dub.48.& sequen.*

Officia Ecclesiæ ad Simoniam. 632. Quoad posteriorem quæstionis partem de officijs Ecclesiasticis temporalibus, quæritur an temporalia officia Ecclesiæ & eorum actus sint materia Simoniæ? Ut ex *Lessio lib.2.cap.35.dub.4. Palao pun. 14.n.9.* ac præcipué *Suario cap.29.* resolvam paucis,constat 1. hujusmodi officia & actiones ex natura rei & stando in jure divino naturali,non esse materiam Simoniæ.Constat 2. talia officia non posse vendi sine gravi peccato propter Ecclesiæ prohibitionem, quæ sumitur ex Cõcil. *Chalced.can.2.* & refertur in *cap. si quis Episcopus 1.q.1.*

Difficultas est, an hoc peccatum contineat rigorosam malitiam Simoniæ? Respondeo affirmative. Quia licet hæc officia nec sint spiritualia, nec habeant connexionem cum spiritualibus, ut sint materia Simoniæ naturalis, tamen sufficienter,conjunguntur spiritualibus,ut eorum venditio intuitu religionis prohibeatur: ideoque de facto prohibetur,& manet mala,quia prohibita. Procedit sive officia clericis, sive laicis committi soleant.

Cadunt sub dictam prohibitionem officia procuratoris, administratoris, Vicedomini, seu æconomi rerum Episcopalium,mensæ capitularis,seu rerum canonicorum: item defensoris,quem vocant Castaldum,seu Syndicum,& advocatum,& Ecclesia constituit ad suas causas tuendas: deinde judicis in temporalibus,mansionarij, qui præficitur clericorum mansionibus distribuendis. Denique officia Sacristæ, thesaurarij,& primicerij, qui est magister chori.

Venditio officium Ecclesiæ. 633. Rogabis 1. an sit Simonia vendere prædictorum officiorum functiones,vel opera? Respondeo negativè. Quia ea sunt merè corporalia, atquè adeo ex vi juris divini non sunt materia Simoniæ:deinde nullo jure Ecclesiastico eorum vẽditio, seu locatio prohibetur.

Ecclesiæ rerum venditio. Rogabis 2. an vendere bona Ecclesiæ, & quascunque res Ecclesiasticas sit Simonia, quia vendi prohibita,saltem quando vẽditio iniqua est? Respondeo negativè. Quia sacrilegium specifice acceptum,&Simonia habent diversitatem: injusta autem venditio rerum Ecclesiasticarum sacrilegiũ dicitur in jure,non Simonia,ut habetur *cap. omnes* cum alijs 17.q.4. Unde fur qui iniquè venderet rem sacram non ut sacram, Simoniam non committeret.Vide multo plura apud *Sanch.lib.2 cons.cap.3.a dub.48.*

QUÆSTIO IX.

Quænam permutatio in rebus spiritualibus Simoniaca esse possit.

Permutatio spiritualium SUpponendum 1. quanvis in permutatione spiritualium pro spiritualibus non detur aliqua Simonia & prohibitio juris naturalis & divini, posse tamen dari Simoniam & prohibitionem juris Ecclesiastici, ut constabit ex dicendis. Supponendum 2. extra materiam beneficiorum nullam permutationem esse Simoniacam,utpote nullibi prohibitam.Si enim res sint puré spirituales,ut sacramentum,sacrificium,consecratio & oratio, de iisdem inter se cõmutandis nulla est prohibitio: solum enim cavetur, ne pretio vendantur: si sint mixtæ, nempe habentes aliquid corporale antecedẽter annexum, ut vasa sacra, & vestes sacræ, nullibi prohibetur commutatio unius pro alia ejusdem ordinis.

634. Superest ut de sola permutatione in materia beneficiorum procedat quæstio,an scilicet illicita & Simoniaca sit permutatio beneficiorum, & cujusvis juris spiritualis beneficia concernentis, si fiat privata authoritate. Recté affirmant *Valent. d.5.q.16.p.3.pag.1639. Redoanus de Simon. p.3.cap.3.& Suar. lib.4. cap.31.n.8.* ex *cap.cum olim & cap quæsitum, de rerum permut.* Nam ibi & alijs capitibus exprese prohibetur dicta permutatio. Dixi (authoritate privata) quia talis permutatio

facta authoritate superiorum licita est, ut sumitur ex *cap. Inter catera, de praben.*

Simonia in permutatione. Sequitur 1. esse Simoniam juris Ecclesiastici facere commutationem in actionibus spectantibus ad provisionem beneficiorum, quæ a jure spirituali procedunt, v.g. si duo electores ita conveniant, Tu elige hunc, & ego eligam illum. Et sic de commutante obtentum beneficium pro jure quasi inchoato, v.g. pro præsentatione ad aliud.

Sequitur 2. neque Simoniacum neque illicitum esse, quod partes ante prælati cõsensum tractent de permutatione etiam sub pensionis onere, seque vicissim obligent conditionaliter sub futuro superioris cõsensu. Quia hujusmodi pactũ nullibi prohibetur. Sequitur 3. irritam & nullam evadere permutationem prædictorum factam sine authoritate prælati, qui in pœnam pòtest taliter permutantes beneficijs privare juxta *cap. Olim 7. de rer perm.* Vide *Flamin. lib. 6. de resign. q. 2. a n. 70. Suar. citatum cap. 31. & 32.*

635. Rogabis, quinam sit prælatus, seu quinam veniat nomine prælati, cujus authoritate facienda est permutatio simpliciter, & sine adjectione oneris, seu pensionis? Constat ex *cap. inter catera de praben.* esse Episcopum. Addit *Suar. cap. 32. n. 11.* nomine Episcopi venire habentem jurisdictionem Episcopalem, quale est capitulum sede vacante: vel quasi Episcopalem, ut sunt nonnulli Abbates. Subjungit *n. 14.* esse valde verisimile facultatem concedere ad permutationem spectare ad eum ad quam collatio & institutio pertinet, quanvis nullam habeat jurisdictionem quasi Episcopalem: in quo tamen (concludit) consuetudini standum est,

Episcopus ad permutanda beneficia. Certé sufficere prædicti approbationem, neque requiri consensum Episcopi, absolutè & expressè ut probabilius defendunt *Sylv. V. permutatio 2. q. 2. Sotus lib. 9. q. 5. a. 2.* quibus Subscrib. *Palaus tr. 17. d. 1 p. 15. n. 6.* & videtur decidi in *cap. Unico de rer. permut. in 6.* Ubi approbatio & consẽsus Episcopi postulatus in petmutatione benficiorum, quæ ipse conferre potest, non in alijs; hæc igitur non Episcopi, sed sui collatoris consensu permutari poterunt.

636. Circa positam doctrinam observandum est 1. permutationem beneficiorum faciendam, procedere de beneficijs propijs, & de quibus habetur jus in re, esto possessio eorum non dum obtineatur, ut ex multis tradit *Garcia 11. p. de benef. cap. 4. n. 15.* & sumitur ex *cap. olim & cap. quæsitum, de rerum permut.* Additur, talia beneficia, ut eorum permutationem ordinarius approbare possit, debere non esse reservata Sedi Apostolicæ.

Observandum est 2. ex proximè dictis, ordinarij authoritate non posse fieri permutationem inter jura ad rem, nempe inter diversas præsentationes ad diversa beneficia. v.g. si quis resignet suam præsentationem in favorem alterius eo pacto ut alter suam præsentationem, seu expectationem sibi resignet. Sunt enim hæc jura merè personalia.

Quid si consentiat patronus ut quis suam præsentationem in alterum resignet, & hic habeat a Papa facultatem transferendi suam expectativã: poterit ne fieri permutatio ex approbatione ordinarij? Affirmant *Suar. cit. cap. 31. n. 19. & Lessius cap. 34. n. 199.* Negandum tamen est cum communi sententia, quam tenent *Flamin. lib. de resig. q. 23. n. 15. Azor p. 2. c. 29. q. 22. & Garcia p. 11. cap. 4. n. 17.* Quia ut sumitur ex jure in capit. citatis ordinarius solum habet authoritatem ut admittat permutationes beneficiorum, & non electionum ad beneficia.

QUÆSTIO X.

An ex ordinarij consensu pòssit in permutatione beneficiorum compensari pensione vel pecunia inæqualitas fructuum?

637. Certum est posse fieri hujusmodi compensationem authoritate Pontificis. Ratio est, quia cum Pontifex possit sejungere jus fructuum a titulo spirituali, consequenter potest concedere habenti jus fructuum, ut ratione illius juris, ut sic temporalis aliquid temporale accipiat. Et cõtra cum Episcopus nequeat facere prædictam separationem, proindeque semper conferat jus ad fructus cum titulo spirituali, si pro tali jure consentiret pretium exigi, injustus & Simoniacus foret, ut benè docent *Suar. de Simon. cap. 34. n. 10. & Lessius cap. 35. n. 104.* *Compensatio permutationes beneficiorum.*

Dubitatio est, an solius ordinarij authoritate possit inæqualitas fructuum spiritualium, nempe decimarum, primitiarum, & oblationum compensari per impositionem pensionis? v.g. si permutetur beneficium pingue cum tenui, potest ne Ordinarius imponere pingui aliquam pensionem, ut sic permutatio fiat æqualis? Affirmant *Zerola in praxi Episc. 2. p. V pensio n. 1. Gigas de pensi. q. 6. & Gonzal. ad reg. 8. Canel. q. 5. 5. 5. a n. 27.* Quia compensatio talis inæqualitatis causa justa est,

Negandum tamen est cum communiori, & magis recepta sententia, quam defendunt *Valent. d. 6. q 16. p. 3. in fine Suar. cit. cap. 34 n. 16 & Garcia de benef. p. 1. cap. 5. n. 341.* Probatur tum ex consuetudine, quæ jamdiu Episcopis hujusmodi facultatem denegavit, tum ex decreto Pontificis, quo Episcopis prohibet, ne beneficia cum diminutione conferant. *Pensio ab Episcopo non imponitur.*

638. Sequitur 1. neminem solius Episcopi authoritate posse permutare suam pensionem cum beneficio alterius, nisi talis pensio in titulum beneficij erecta fierit. Ratio est, quia Episcopis solum committitur permutatio beneficiorum, & pensio beneficium dici nequit, nisi in titulum beneficij erecta fuerit. Deinde ordinarius cum non possit imponere pensiones, eas transferre non potest.

Sequitur 2. Simoniam committere partes si absque ordine ad consensum Pontificis conveniant, ut alter, is nempe cui resignatio facta est, solvat integrè bullarum ad utrumque pertinentiũ expensas. Siquidem a resignatario petitur aliquod onus prætio æstimabile, quod de jure non in est. Nam de jure quis tenetur solvere proprias bullas. Ita *Flamin. tom. 2. de resig. lib. 14. q. 7. n. 9.* qui addit *Bullarum solutio.*

dicta

dicta procedere in casu quo resignatarius nihil resignantis retineret quod expenderet in bullarum expeditione. Nam si retineat quod impendere debuit in primo termino pensionis solvendæ, stylus obtinuit, ut id expendat in expeditione bullarum resignantis. . Vnde potest resignatarius se obligare ad illas expensas integré solvendas, ea conditione ut se compenset in primo termino solvendæ pensionis.

Permutatio beneficij pro re temporali. 639. Observandum est 1. cum *Suar. cit. cap. 33. n.* 10. neque authoritate Pontificis posse fieri permutatione beneficij pro re aliqua temporali. Esset enim Simonia contra jus divinum. Licebit tamen ut qui reliquit beneficium in manu Papæ, ab eo petat, ut pro cura postorali sibi provideat de aliquo subsidio ad sustetatione, & sub hac ratione pesio assignari poterit, & quidquid aliud teporale.

Observandum 2. non posse beneficium permutari cum commenda vel officio temporali, ut notanonatu, etiam ex licentia Papæ: valebit tamen Papa alicui conferre beneficium cum onere dandi alteri sustantionem, vel aliquid loco illius: hoc autem esse potest commenda, vel teporale officium. Jta *Suar. cit. n.* 11.

Observandum est 3. cum eodem *citato cap.* 34. *n.* 18. quando unum beneficium est dignius alio in spiritualibus, si Pontifex in permutatione imponat pensionem dig niorem, apparere magnā speciem Simoniæ contra jus divinum: quia videtur compensari spiritualis excessus temporali. Factū tamen damnandum non est. Quia Papa præsumi debet id facere, non attendendo ad spiritualitate beneficij, sed ad indigentiam, vel qualitatem personæ, cui pensio solvenda est.

QUÆSTIO II.

Qualiter detur Simonia in beneficij resignatione.

640. Sensus propositæ quæstionis est, utrum & quomodo renunciatio beneficij in favorem tertij Simoniam contineat? Pro decisione supponendum est 1. quid sit resignatio, seu renuntiatio, & quotupliciter fiat. Renunciatio est libera beneficij cessio: seu est voluntaria beneficij abdicatio, qua quis se liberè spoliat beneficio suo, illudque dimittit. Quadrupliciter fieri solet. 1. puré & absoluté, scilicet sine onere pensionis & sine designatione personæ, cui conferatur. 2. puré & non absoluté, sed sub conditione ut beneficium detur Petro. 3. nec puré, nec absolutè sed ut detur tali cum tali pensione. 4. absoluté & non purê, sed cum pensione.

Renunciatio quid & quotuplex

Supponendum est 2. illicitam & invalidam esse renunciationem factam absque consensu superioris eam acceptantis *cap. admonet cap. quod in dubijs, & cap. fin. de renunciat.* Imo beneficium nondum vacat, etiam quoad ipsum renunciantem, sed verum illius titulū ejus possidet, donec resignatio a legitimo superiore fuerit admissa. Poterit tamen ille (ut docet *Garc. de benef. p. 11. cap. 4. §. 3. n.* 130, ob delictum commissum a resignante eum beneficio privare, & alteri conferre.

Beneficiū litigiosū, ut resignetur. Supponendum 3. dicta procedere de beneficijs jam pacificè comparatis, licet nondum possessis. Si enim beneficium sit litigiosum propter juris ambiguitatem, non postulatur superioris authoritas ut resignetur juxta *Flamin. de resig. lib. 7. q. 1. n.* 104. Idem est si beneficium nondum comparatum fuerit, sed solum jus ad illud. Unde non requiritur prælati authoritas, ut quis nominationi, electioni, aut præsentationi de se factæ renunciet.

641. Supponendum 4. resignationem beneficij jam pacificè acquisiti posse fieri authoritate legitimi superioris. Est autem legitimus superior ut resignationes simplices & absque ulla conditione factas admittat, non solus Pontifex & legatus a latere, sed etiam Episcopus, capitulū sede vacante, & habens jurisdictionem Episcopalem. Factas veró sub conditione aliqua, v.g. ut beneficium alteri conferatur, vel vel cum pensione, vel sine illa, solus Pontifex admittere potest.

Simonia a renunciatione. Dubium est 1. an contineat Simoniam juris Ecclesiastici resignatio conditionalis, vel non pura facta in manibus ordinarij, saltem post constitutionem Pij V. 55. quæ incipit *Quanta Ecclesia Dei*? Negant *Covarr. lib. 1. var. cap. 5. n. 5. Zerola in prax: p. 1. V. renun. iatio* §. 2. & inclinat *Lessius lib. 2. cap. 35. n.* 86. Quia cum ordinarius non arctetur ad renunciationem acceptandam, non apparet pactum, vel quid pretio æstimabile, pro quo renunciatio fiat. Affirmandum tamen est cum communi sententia apud *Suar. cit. cap. 35. Flamin. de resig. lib. 4. q. 6. & Garciam p. 11. cap. 3. a n.* 152. Ratio est, quia in *cap. fin. de pactis* prohibetur omnis pactio in spiritualibus ob Simoniam vitandam, cum veró pactio illa facienda coram ordinario prohibeatur, fit Simoniacam esse.

Renunciationes coram Episcop. Simoniam. Dubium est 2. an possit ordinarius rejecta illa conditione, conferre liberè Beneficium? Rectè negant *Lessius lib. 2. cap. 35. n. 68. Garcia p. 11. de benef. cap. 3. §. 2. n. 155. & Suar. cap. 35. n.* 11. Probatur ex *l. Aurelius §. idem quæsijt ff. de libert. legat.* ex qua habetur actum sub aliqua conditione & modo factum non posse admitti quoad unam partem, & non quoad aliam, sed debere totum recipi, vel rejici. Accedit constitutio citata Pij V. quæ aufert potestatem ordinario acceptanti prædictas resignationes. Si autem ordinarius privet sic resignatem beneficio in pœnam, poterit alicui conferre, non tanquam vacans ex resignatione, sed tanquam vacans ex pœnali privatione. Ita *Flamin. cit. lib. 1. q. 3. n.* 65.

642. Dubium est 3. an violet constitutionem illam Pij V. si quis liberé renuncians beneficium in manu Episcopi ab eo petat, ut certæ personæ conferat, vel ea intentione resignet? Affirmant *Emman. Roter. to. 2. sum. cap. 60. n. 1. & Suar. lib. 4. de Simon. cap. 35. n* 17. etiam si pactum non interveniat. Negandum tamen est cum *Gutierr. canon. quæst. lib. 2. q. 23. n. 75. Azorio lib. 7. cap. 21. q. 3. Flamin. lib. 14. de resig. q. 6. a n. 3. & Garcia p. 11. de benef. cap. 3. n.* 161, Quia in prædicta constitutione solum prohibetur illa designatio & intentio deducta in conventionem tacitam, vel expressam.

Reciproca resignationes. Ex resolutis infertur 1. prohiberi & puniri tāquam Simoniacas illas resignationes factas coram ordinario, quas vocant reciprocas, quando scilicet quis dicit: Resigno beneficium meum in favorem tui ne potis, ut tu in favorem mei resignes. Idem procedit de resignatione triangulari, qualis est, Renuncio meum beneficium Petro, ut renunciet suum Paulo, & Paulus suum mihi. Uide *Flamin. cit. lib.* 14. *q.* 7. *n.* 63.

Infertur 2. invalidam esse resignationem, quā quis intendit facere coram ordinario titulo permutationis cum tertia persona, si hæc non habeat beneficium, quod permutari possit. Quia tunc nē fiet permutatio ex defectu materiæ, nec resignatio ex defectu potestatis in ordinario.

643. Infertur 3. probabilius ex stilo curiæ nō posse ordinarium admittere resignationem simpliciter factam de beneficio cum reservatione pensionis quanvis ex causa probabiliter possit. Uide *Talaum tr.* 17. *d.* 3. *p.* 19. *n.* 13.

Infertur 4. dari Simoniam, si resignans obliget resignatarium ad aliqua onera, v.g. assignet hypothecam, præstet fidejussorem, solvat anticipate & similia quæ sunt pretio æstimabilia, & de jure non insunt. Infertur 5. resignantem committere Simoniam, si petat a resignatorio solutionem expensarum, quas ipse resignans fecit in beneficij acquisitione. Quod ita verum est ut addat *Suar. cit. cap.* 35. *n.* 43. quanvis ordinarius haberet commissionem imponendi pensionem, adhuc approbare talem contractum nequivisse.

QUÆSTIO XII.

Qualiter Simonia committi possit in confidentiali resignatione?

Confidentialis Simonia prohibitio. ANtequā per nonnullas expeditas difficultates quæstio dividatur, præmittenda est 1. seu potius recolenda explicatio confidentialis Simoniæ, quam exhibuimus sect. 1. q. 2. & videri potest in nostro Elucidario num. 1317. Præmittenda est 2. explicatio constitutionis Pij IV. quæ incipit *Romanum*, & constitutionis Pij V. quæ incipit *Intolerabilis*, cujus tenorem refert Navarr. cap. 23. n. 100.

Ut utramque cōstitutionem ex *Suario citato cap.* 43. *Lessio lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 16. *& Palao disp.* 3. *p.* 18. perstrictim explicem, Dico 1. materia prohibitam in utraque propter Simoniacam pravitatem esse tantum beneficium Ecclesiasticum. Unde his constitutionibus nec pensio, nec quod vis aliud a beneficij nomine exulans punitur, etiā si resignetur cum accessu vel regressu aut modo alio Simoniaco.

644. Dico 2. personas circa quas prohibitio versatur, esse tum beneficia resignantes, tum accipientes, deinde præsentatores, electores, & collatores illorum sic vacantium. Dico 3. actiones ibi prohibitas esse quaslibet resignationes & receptiones beneficij cum reservatione pēsionis aut fructus alij vel alijs factus: ita ut resignās nō omninó & absoluté beneficiū dimittat, sed velit sibi retinere aliquod jus, ut possit aliquando repetere, & accipiens teneatur reddere: item esse resignationes cum accessu, regressu, vel ingressu ad beneficium.

Expono hunc triplicem modum. Accessus dicitur, si mihi ob ætatem, vel causam aliam impedito prælatus conferat jus, ut quām primūm capax sim, ingrediar beneficium quod interim Petro confertur. Regressus vocatur, si beneficium a me possessum cedam alteri, servato jure regrediendi ad illud, si forte ille pensionem non solverit, aut præmoriatur, aut Episcopus vel religiosus fiat. Ingressus appellatur, si mihi collatum beneficium ante captam ejus possessionem, alteri renunciem servato mihi jure ingrediendi possessionem illius, si alter præmoriatur, aut fiat Episcopus. *Accessus ad beneficium. Regressus & ingressus.*

Dico 4. in constitutione Pij V. assignari indicia ad dicti criminis probationem: item assignari pœnas quibus afficiuntur transgressores. Cum nihil discutiendum suppetat circa materiam & personas contentas in prædictis constitutionibus, & de hujus criminis indicijs & pœnis infra agemus, modó circa actiones in illis prohibitas agendum nobis est.

645. 1. Difficultas petit, an prohibeatur non solum resignatio beneficij cum accessu, regressu, & ingressu, sed etiam permutatio, ut si permutantes ineant pactum regrediendi ad priora beneficia soluta permutatione? Si loquamur de prohibitione comprehendente permutantes, rectè negat *Suar. lib.* 4. *Simon. cap.* 43. *n.* 11. Quia Pontifex solum loquitur de beneficijs acceptis ex resignatione, cujus nomine non venit permutatio. Si autem loquamur de prohibitione in ordine ad collatores, rectè affirmat *Garcia p.* 11. *de benef. cap.* 4. *n.* 1. Quia Pius V. prohibet tali modo conferri beneficium quovis modo vacans: vacat autem nō solum resignatione, sed etiam permutatione.

2. Difficultas est, utrum sufficiat ad Simoniam prohibitam & punibilem constitutione Pij V. quód resignando fiat cum declarata intentione obligandi resignatarium, ut in favorem resignantis iterum resignet, etiam si non detur utrumque pactum? Negant, & quidem probabiliter *Lessius cap.* 35. *n.* 96. *Azor p.* 2. *lib.* 7. *c.* 27. *q.* 6. *& Suar. n.* 12. Quia sine pacto non datur Simonia. Sed nonminus probabiliter affirmāt *Garcia p.* 11. *cap.* 3. *a n.* 184. *& Flamin. de confiden. q.* 26. *n.* 39. quibus consentit *Palaus tit.* 17. *d.* 3. *p.* 18. *n.* 4. Quia ex intentione obligandi declarata per alterum præsumitur pactum.

3. Difficultas est, an detur Simonia confidentialis si quis renunciet beneficium sub conditione, ut sibi pensio solvatur. Negant *Ugolin tab.* 1. *c.* 22. *§.* 1. *n.* 8. *Menoch. de arbitr. cent.* 6. *casu* 556. *n.* 8. *& Lessius cap.* 35. *n.* 97. Quia in constitutione solum illa prohibetur, quando in resignatione ponitur onus solvendi pensionem alij, vel alijs, non autem sibi. *Pensio Simoniaca.*

646. Affirmandum tamen est cum *Garcia p.* 11. *de benef. cap.* 3. *n.* 194. *& Suar. de Simon. cap.* 43. *n.* 7. Ratio est, quia in Bulla Pij IV. habetur tanquā Simo-

Simoniaca confidentialis illa resignatio quæ fit cum onere solvendi pensionem, vel fructus eidē resignati & Pius V. sua constitutione Bullam Pij IV. confirmavit, ut ex illius proæmio constat.

QUÆSTIO XIII.

Quænam ad litem componendam in causis beneficialibus pactio liceat?

Compositio & transactio quid. COmpositio latius patet quàm transactio: habet enim locum etiam in remissione gratuita & in jure certo: secus transactio, cum hæc dicatur pactio non gratuita in dubia, & sub incerta lite constituta. Unde tria exigit, 1. ut res vel jus super quod transigitur sit incertum, & dubium saltem probabili æstimatione utriusque partis. 2. ut cōventio fit cum aliquo onere utriusque partis. 3. ut fit ad litam componendas.

Simonia in cōpositione litis. Supponimus igitur compositionem super litem de re spirituali, posse tripliciter fieri. 1. ut alter liberé & gratis omnino cedat juri suo in gratiam alterius absque recompensatione. 2. ut res divisibilis prudenti arbitrio inter contendentes dividatur. 3. ut res uni applicetur, ipse verò de alijs bonis recompensationem alteri faciat. Constat in primo modo nullam intervenire Simoniam, cum nulla rigorosa pactio interveniat.

647. Difficultas tantum est circa secundum & tertium modum, in quo ratio transactionis & onerosa pactio intervenit. Dico 1. transactio in materia spirituali non beneficiali cum aliqua cōpensatione per largitionem, vel cessionem alterius rei vel juris spiritualis proportionati non est Simoniaca, ex ideo ex consensu partiū fieri potest absque authoritate prælati. *Suar. de Simon. cap. 51. n. 10.* Patet quia illa transactio juri divino materiali non repugnat, utpote rei spirituali, deinde jure positivo Ecclesiastico non prohibetur; ergo licita est. Dico 2. transactio in quia jus spirituale pro aliquo temporali remittitur, vel retinetur, Simoniaca est. Patet ex dictis, quia tūc in illa permutatione venditur aliquid spirituale pro temporali.

Dico 3. In materia beneficiali non est licita trāsactio unius spiritualis pro alio spirituali, & a fortiori Simoniaca est, si fiat pro temporali, v.g. si quis cedat beneficio litigioso propter pecuniam, vel propter pensionem, vel propter beneficium non litigiosum. Sumitur ex *cap. Constitutus. de religiosis domib.* & explicatura *Suar. cit. cap. 51. a n. 11. usque ad 16.*

Litigiosi beneficij pactio. Procedit resolutio si hujusmodi compositio fiat propria authoritate: nam authoritate prælati licita est convētio & pactio onerosa ad componēdam litem, ut sumitur ex usu, & *cap. 2. de transaction.* cujus autē prælati authoritas postuletur, ex modo conventionis petendum est.

Pensio in compositione litis 648. Rogabis 2. an Episcopus in eo casu decernere possit, ut unus retineat beneficium, de quo lis est, & alteri parti solvat pensionem? Dupliciter considerari potest hujusmodi pensio constituēda 1. ex mero arbitrio & prudentia prælati. 2. ut partes inter se de tali modo compositionis conveniant in ordine ad approbationem prælati. Constat esse licitum primum modum ex *cap. Nisi de præbend.* Quod attinet ad secundum modum, distinguenda est pēsio clericalis a mere temporali & laica de quibus suprà, ut dicamus priorem posse constitui, non verò posteriorē. Ita *Suar. cit. n. 18.*

Rogabis 2. an dicta pensio ad vitam beneficiarij solventis, vel ad vitam personarij, cui nempe solvitur, imponi possit? *Azor p. 2. lib. 8 cap. 6. q. 1. & Garcia de benef. p. 1. cap. 4. n. 334.* negant etiam ex causa litis componendæ posse ordinariū inponere pensionem ad vitam pensionarij, & cōsequenter quæ ad successores beneficiarij solventis transeat. Affirmandum tamen est cum *Gambara de officio legati lib. 6. n. 7. Suar. cap. 51. & multis quos sequitur Giga. de pension. q. 6. & 85. n. 1.* & id benè sumitur ex *cap. de cæter. de transact.*

649. Rogabis 3. an dicta transactio in materia beneficiali possit fieri absque specie Simoniæ per arbitrium privatorum judicum ex solo consensu litigantium, & sine authoritate prælati, ita ut collitigātes eligant arbitros, qui litem decidant imponentes beneficiario pensionem, vel onus aliquod temporale? Respondeo cum *Suar. cit. 51. ad finem, & Palao tr. 17. d. 3. p. 19. n. 7.* non posse ab arbitris absq; approbatione ordinarij imponi pēsionem, aliud tamen onus temporale imponi posse. Sumitur ex *cap. 2. de arbitris* ubi supponitur clericos qui nec sint judices ordinarij, nec delegati, posse eligi in arbitros. *Arbitria beneficijs.*

QUÆSTIO XIV.

Qualiter in beneficijs liceat redemptio vexationis?

DE redemptione vexationis in sacramentis dictum est quæst. 1. n. 601. Dicemus modo de redemptione in beneficijs. Quæritur, an pactio, & traditio rei temporalis pro obtinenda spirituali excusetur a Simonia propter intentam redemptionem vexationis? *Suarius lib. 4. de Simon. cap. 50.* duabus regulis optimé quæstionem decidit. 1. regula est. Post jus acquisitum, seu post obtentū beneficium, aut aliud spirituale donum, non est Simonia redimere vexationem, quæ pro tali jure tollendo injustè infertur, vel probabiliter timetur. Ita *ex S. Thoma q. 100. a. 2. ad 5. Emman. Roter. to. 2. Sum. cap. 59. Lessius lib. 2. cap. 35. n. 100.* Et idem sentiunt, si post adquisitum beneficium per indubitatam institutionem quis a capienda possessione injusté impediatur. Ratio est quia redimens sic vexationem nō dat pecuniam pro re spirituali, quam de novo acquirat tali pecunia, nam supponitur acquisitam habere, sed talem pecuniam dat pro vitanda injuria, atque adeo pro temporali. *Vexationis redemptio in beneficijs.*

650. Notant verò citati authores, ut tradita regula rectè procedat, duo postulari, alterū quod jus illud plenè comparatum sit per certam & indubitatam institutionem: alterum quod vexatio sit injusta. Nam quotiescunque alter potest movere litem justé contra beneficiarium circa electionem, præsentationem, aut institutionem, aut quodvis aliud beneficij jus, non licet habenti be-

 neficium

neficium pecunia litem declinare. Quia tunc pecunia jus infirmum firmaret.

Ex dicta regula infertur 1. cum *Barbosa p. 3. de pot. Ep. aleg. 60. n* 54. oppositorem ad beneficium committere simoniam, si daret pecuniam competitori ne opponeret exceptionem quam jure opponere poterat. Sic enim pretio redderet securiorem viam ad beneficium. Infertur 2. esse Simonacum prætensorem beneficij, qui dat pecuniam competitori ut a justa prætentione desistat. Sic enim non redimet vexationem injustam pecunia, sed parat viam ad beneficium. Ita *Lessius c. 35. d. 18. & Palaus tr. 17. d. 3. p. 20. n. 2.*

Simonia in oppositione ad beneficiū.

2. Regula. Nondum acquisito jure, licitum nō est pecunia redimere vexationem, quæ impedit jus acquirendum, sed committitur Simonia, si talis redemptio fiat. Ita *Ugolin. tab. 1. cap. 9. §. 8. n. 3. Emman. Roter to. 2. sum. cap. 61. n. 1. & Lessius lib. 2. cap. 35. n.* 108. Ratio est quia intendens acquirere jus nondum habitum, & redimens pecunia vexationem quæ illud impedit, si non immediaté, saltem mediaté censetur illud emere.

651. Regulam benè explicat *Palaus citatus. n.* 4. ut procedat, si qui patiatur vexationem etiā injustam ab ijs qui beneficium conferre debent: secus si ab alijs, nempe abijs qui ad beneficij electionem præsentationem & collationem nō cōcurrunt. Unde non erit Simoniacus qui det pecuniam subornanti electores, & per hoc impedienti beneficium conferendum, ut a subornatione cesset, dummodo redemptio sistat in illa negatione. Nam positiva subornatione electorū contrariā subornationē impedire, Simoniacū est.

Subornationis redemptio.

Rogabis 1. an sit Simonia redimere injustam vexationem ab illo qui potest officium vel beneficium Ecclesiasticum conferre? v.g. si sciam electorem me vexaturum eligendo indignum, vel si sim præsentatus ad beneficium, & prælatus per claram injuriam nolit me instituere? Benè respondet *Suar. cit. n.* 28. esse Simoniam saltē contra jus positivum, quod habetur *cap. sicut tuis de Simon.* illudque interpretatur consuetudo & stylus curiæ.

Cum verò in beneficijs tria considerentur. 1. electio, præsentatio, nominatio, seu postulatio. 2. confirmatio, Institutio, seu collatio. 3. possessio. De primo maximè procedit regula, quia ante illud nullum jus proprium supponitur. De secūdo etiam procedit resolutio, quia confirmatio est quid spirituale, quæ solidat jus acquisitum per electionem.

652. Non procedit tamen resolutio de tertio, nempe possessione, quia licitum est acquisito certo jure per collationem, removere impedimenta acquirendæ possessionis. Possessio enim secundū se spectata non est jus aliquod spirituale, sed tantum factum corporale spirituali annexum quatenus ex titulo spirituali dependet. Unde si quis habens certum jus beneficij quod possidet, per vim & fraudem illius possessione spolietur, sine Simonia poterit redimere suam vexationem, ut restituatur.

Possessio ad Simoniam.

Rogabis 2. utrùm quando multi concurrunt in oppositione, & timetur electio indigni, licitum sit dare pecuniam, ut eligatur dignus, vel dignissimus in communi, seu nullo determinato? Communis & vera est affirmativa sententia, quā tenent *Valent. to. 3. disp. 6. q. 16 p. 2. Lessius cap 35. n. 113. Navarr. ca. 23. n. 102 & Suar. cit. cap. 50. n. 42. fine* Ratio est, quia tunc non emitur res spiritualis, sed solum datur pecunia, ut voluntas eligentis abtrahatur ab eligendis indignis vel minus dignis. Unde si quis vexaret Ecclesiam impediendo injusté ne electio fieret, absque ulla Simonia hujusmodi vexatio redimi posset.

Dixi (timetur electio indigni) quia si non timeatur, v.g. non appareat electores esse propensos ad faciendam electionem pravam, scilicet eligendo indignum, aut minùs dignum, erit Simonia dare illis pecuniam. Quia censebitur dati sub onere electionis spiritualis.

653. Rogabis 3. Utrum quando unus tantum reperitur dignus, & electores inclinant ad alios, liceat offerri pretium, ut talis eligatur pro vitanda prava aliorum electione? Negat *Suar. lib. 4. cap. 60. n 41.* quia daretur pecunia pro ejus electione, quod simoniacū est: sed offerri debet (inquit) sub conditione, ut indignus non eligatur.

Nihilominùs *Lessius lib. 2. cap. 35. n. 114. Basilius de Leon. lib. 5. de matrim. cap. §. 6. n. 43.* & alij quos sequitur *Palaus cit. n. 9.* dicunt posse absque illa distinctione, & scrupulo, quem injicit Suarius, absoluté dari pecuniam, ut eligatur unicus ille dignus, non tanquam pretium electionis, sed tanquam motivum ad effectum electorū, & pravam electionem tollendam. Quanvis enim electores illam accipientes pecuniam committant Simoniam, dantes ab ea manent immunes, cum redemptio vexationis sit causa talem largitionem honestans. Et hoc satis probabile & tutum est. Vide *Sanch. lib. 2. consil. cap. 3. dub. 30.*

SECTIO III.

De punitione, & restitutione, quibus Simoniaci obnoxij sunt.

QUÆSTIO I.

Quænam pœnæ sint contra Simoniacos ipso jure latæ, & quænam ferendæ?

Quod attinet ad pœnas contra Simoniacos ipso jure latas, conveniunt *Navarr. cap. 23. n. 111. Ugolin. lib. 1. tab. 1. cap. 12. Lessius lib. 2. cap. 35. dub. & Suar. lib. 4. cap. 55. n. 5.* pro nulla Simonia incurri pœnam aliquam ipso jure latam, nisi pro tribus, quæ scilicet versantur in ordine, beneficio Ecclesiastico, & ingressu religionis. Ratio est, quia nullum apparet jus quod pœnam ipso facto Simoniacis infligat, nisi in tribus assignatis materijs, quas infra distinctis quæstionibus expediemus.

Pœnæ impositæ Simoniacis.

654. Nec obstat *Extrav. 2. de Simon.* ubi renovantur omnes pœnæ antiquorum jurium, quas Pontifex ipso facto præcipit incurri Quia Paulus 2. ibi voluit, ut Simoniaci occulti incurrerent eas pœnas,

pœnas, quæ publicis per antiquum jus infligebātur, & probabile est (inquit *Palau tr. 17. disp. 3. p. 21. n. 3.*) nullam pœnam ipso jure fuisse impositam publicis Simoniacis.

Ex quo fit nullam incurri pœnam ipso jure per Simoniam patratam in venditione aut commutatione pensionis, & Vicariæ temporalis, nullam in conferendis & accipiendis sacramentis præter ordinem, & nullam in consecrationibus, benedictionibus, dispensationibus, delegationibus & jurisdictionibus impendendis. Quæ solum incurritur in ordine, beneficio, & religionis ingressu.

Pœnæ ferendæ cōtra Simoniacos. Quod attinet ad pœnas ferendas, cū pro qualitate criminis infligi debeat pœna, ut rectè notat *Menoch. de arbitr. cap. 401. in fine & Saizedo in praxi crim. cap. 91. pag. 264.* non potest certa & stabilis præscribi regula. Nonnullæ tamen designātur a jure. Posse a judice Simoniacum plecti excommunicationis, suspensionis & interdicti pœna, constat ex variis textibus relatis & referendis. Posse generaliter pro quacunque gravi Simonia imponi infamiam, docet Glosa in *cap. ex diligenti, de Simon.* Non debet tamen imponi, nisi casu quo procedatur via accusationis, juxta *cap. Sane 15. q. 3.*

655. Præterea Innocent. 3. & Alex. 3. in *cap. de hoc, de Simon. & in cap. cum super, de confess.* jubent Simoniacum ab officio & beneficio deponendū. Quod intelligitur de depositione cadente in crimen probatum. Certé in *cap. sicut, de Simon. & in cap. erga Simoniacos 10, 1. q. 1.* præcipitur Simoniacus ab Ecclesia Dei eliminari atque repelli. Nō tamen constat infligenda ne sit hujusmodi depositio, seù repulsa pro qualibet Simonia, non solum quando proceditur via accusationis, sed etiā quando via inquisitionis? Certum est a ministerio altaris debere arceri pendente infamia propter accusationem, vel inquisitionem, juxta *cap. accusatum, & cap. quoties, de Simon.* Quid quando delictum judici constat, est tamen secretum & occultum? Benè docet Greg. *Lopez. Leg. 11. tit. 17. part. 1.* non esse deponendum delinquentem, sed secretam eidem pœnitentiam injungendam fore.

QUÆSTIO II.

An postuletur complementum Simoniæ, ut contrahantur pœnæ ipso jure impositæ?

Simonia mentalis ad pœnam. Apud Theologos & Canonistas, ut videre est id *Suario de Simon. cap. 55. n. 10. Lessio cap. 65. n. 120. Pasq. de confiden q. 26. n. 40. & Garcia 7. p. de benef. cap. 1. n. 41.* certum est 1. nullam incurri pœnam pro Simonia mentali in quacunque materia, proindeque nullam contrahi obligationem amittendi beneficium aut pretium receptum. Sumitur ex *cap. mandato, de Simon.* Unde quanvis usurarius mentalis teneatur ad restitutionem *cap. consuluit de usur.* non ita Simoniacus mentalis, & disparitas est, quia in usura mentali infertur injuria danti involuntarié ultra sortem, at in Simonia mentali solum infertur injuria rebus sacris, quatenus tractantur ut venales.

Simoniæ complemētū ad pœnā 656. Certum est 2. in Simonia conventionali nullam pœnam ipso jure impositam contrahi, quando Simonia ex neutra parte completa est: v. g. paciscentes circa venditionem beneficij antequam tradatur pretium & beneficium, ex vi promissionis, nec excōmunicati, nec suspensi, nec alia pœna ipso jure affecti manent. Imo qui dedit pretium pro suscipiendo ordine aut beneficio, & non suscepit, nullam pœnam incurrit. Quia jura, præcipué *cap. presbyter 1. q. 1.* postulāt traditionem rei spiritualis.

Tota dubitatio est, an sufficiat ad pœnam incurrendam recipere beneficium, vel ordinem sub sola promissione dandi pretium? Conveniunt authores in sententia affirmativa, quando pretium ex parte solvitur, quanvis non integrè. Si verò nihil omnino solvatur, negant incurri pœnas ipso jure impositas *Zerola in praxi Episc. p. 1. V. Simonia §. 9. Covarr. in regul. peccatum 2. p. §. 8. n. 7. Gutier. canon. quæst. lib. 1. c. 9. n. 10. Flamin. de resign. lib. 7. q. 2. n. 16.* & est communis opinio ex stylo curiæ, & ex regula quód pœnæ restringi potiùs quā extendi debeant.

Affirmandum tamen est, probabilius incurri, ut tenent *Valent. to. 3. disp. 6. q. 16. p. 6. Tolet. in Sum. lib. 5. cap. 91. n. 3.* cum multis relatis *Garcia p. 8. cap. 1. a n. 28.* & inclinat *Suar. cap. 56. n. 26.* Sumitur ex *cap. eaque 1. q. 3. ex cap. 2. de confessis, & cap. penult. de Simon.* Item ex *cap. nobis*, eod. tit. ubi dicitur electionem sub promissione pecuniæ factam esse penitùs reprobandam.

657. Verùm quia prior opinio est satis probabilis, ea posita dubitatur, an qui beneficium consequitur post promissionem pecuniæ, & solvens illam post multum tempus, ita incidat in pœnas Simoniacorum, ut pœnæ quoad omnes effectus retrotrahantur ad tempus initæ pactionis? Affirmant *Navarus cap. 23. n. 104. & Lessius c. 35. n. 151.* proindeque taliter Simoniacus qui medio illo tēpore accepit beneficium, hujus collatio nulla fuit utpote facta inhabili. *Promissio pecuniæ pro beneficio.*

Nihilominus *Suar. c. 56. n. 37. & c. 57. n. 53.* quē *Palaus tr. 17. disp. 3. p. 22. n. 6.* negant tales pœnas retrotrahi, præcipue censuras quæ exigunt contumaciam. Sicut irregularitas ex homicidio non consummatur, nisi a puncto secutæ mortis, & nō retrotrahitur ad tempus illati vulneris proindeq; dicunt beneficij collationem fuisse validam, taléque beneficiatum nō teneri solvere fructus medio illo tempore collectos, nec dimittere beneficium nisi recepto pretio. Hoc videtur probabilius. Solum igitur in foro externo, & post sententiam condemnatoriam tenetur solvere fructus illo tēpore intermedio perceptos.

QUÆSTIO III.

Quas pœnas subeant qui Simoniacè religionem ingrediuntur, & qui sic ingressos recipiunt?

Pœnas pro Simonia ipso jure latas, solum incurri in religionis ingressu, in ordinis & beneficij susceptione, diximus supra n. 653 Has modó ut seorsim examinemus, imprimis pro Simoniaco religionis ingressu habetur in *Extrav.* *Pœnæ Simoniæ in ingressu religionis*

1. *de Simonia* excommunicatio cōtra personas singulares, quæ pro receptione in religionem aliquid ab ingressuro exigunt. Unde non incurretur hæc pœna, si sponte detur, vel in sustentationem propriam,

658. Habetur 2. *in cit. Extr.* suspensio generaliter contra capitulum, vel conventum qui consenserit in hanc Simoniam: quam pœnam si incurrerit, manebit capitulum suspensum ab officio capitulari quoad administrationem & jurisdictionem Ecclesiasticam, non quoad alia munia. 3. admissi Simoniaci præter reservatam excommunicationem, indigent dispensatione Episcopi, ut possint manere in eodem monasterio. Nam juxta *cap. quoniam, de Simonia* tenentur ex illo exire, & in alio arctiori remanere. Et hæc pœna etiam comprehendit recipientem. Non mandabitur tamen executioni (ut monent *Less. cap. 35 dub. 23. fine & Suar. cap. 57. n. 8.*) ante convicti condemnationem.

Professio religionis Simoniaca. Dices, ita se habet collatio beneficij Simoniaca atque ingressio & professio religionis Simoniaca: sed illa non indiget condemnatione judicis, ut pœna irritationis incurratur; ergo neque hæc, ut supra dicta pœna executioni mandetur. Respondeo negando maiorem, quia religiosa professio (ut ait *Suar. cap. 57. n. 7. & 9.*) etiam Simoniacè emissa valida est: secus de collatione beneficij. Quia status religionis media professione comparatus solum impropriè & largo modo beneficium est, & pœnæ extendendæ non sunt.

Observ. 1. cum Suar. lib. 4. cap. 56. n. 8. exigentem a monasterio aliquid pro suo ingressu, quamvis committat Simoniam, non comprehendi dicta pœna. Observ. 2. cum sit probabile solū in Extrav. citata puniri Simoniam, quæ committitur in ingressu religionis consummato, non incurri pœnam, si retractatur factum non recepta pecunia, vel ea reddita ante professionem. Observ. 3. cum *Lessio lib. 2. cap. 35. n. 131.* talem Extravagantem receptam non fuisse saltem quoad pœnam excommunicationis.

659. QUÆSTIO IIII.

Quibus pœnis afficiantur ordinem Simoniacè dantes & suscipientes?

Pœna ordinātium Simoniacè. QVod attinet ad dantes ordinem Simoniacè, quatuor reperiuntur pœnæ, quas ipso jure incurrunt. Prima est excommunicatio Pontifici reservata in *Extrav. 2. cum detestabile, de Simonia*, sed probabiliter ad collationem primæ tonsuræ non extenditur, sicut nec ad ministrum & notarium qui pro testimonialibus & dimissorijs litteris aliquid exigit: nec ad Episcopum, qui post ordinem gratis collatum aliquid accipit, quanvis hi omnes sint Simoniaci juxta *Triden. sess. 21. cap. 1. de reform.*

Secunda pœna est suspensio ipso jure a collatione cujuscunque ordinis, etiam tonsuræ, & ab executione omnium Pōtificaliū munerum. Tertia est interdictum ab ingressu Ecclesiæ ipso facto impositum ordinanti Simoniacè. Quarta est suspensio a regimine, & administratione suæ Ecclesiæ, & perceptione fructuū omnium suorum beneficiorum, si violaverint interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & suspensionem a Pontificali officio.

Illud notandum, a mediatoribus seu præsentatoribus ad ordinationem Simoniacā, nullam ipso jure incurri pœnam, præter excommunicationem. Nam suspensio illa per triennium a suorum ordinum executione, quæ habetur *cap. penul. de Simon.* non incurritur quousque ordinatio de facto fiat. Ita *Suar. cap. 56. n. 23. fine.*

660. Quod attinet ad suscipientes ordinem Simoniacè præter excommunicationem ipso facto, incurrunt suspensionem suorum ordinum. Ita in Extrav. supra citata. Hujusmodi suspensio est non solum ordinis quem sic suscipit, sed etiā omnium quos habet, ut rectè docet *Lessius n. 133. & Suar de censur. disp. 31. sec. 4. n. 33.* quanvis (ut ait *Palaus tract. 17. disp. 3. p. 24. n. 3.*) probabilitate non caret suspensionem illam sistere in ordine Simoniacè accepto, & non extendi ad alios. *Pœna Simoniacè ordinatorum.*

Rogabis, an ordinatus incurrat talem suspensionem, quando ipso ignorante Simonia commissa fuit, v. g. per amicum aliquem dantē pretiū ordināti? Affirmāt *Silvest. V. suspensio n. 7. & Felinus, cap. super tuas, de Simon. n. 3.* ubi dicit esse communē. Negandum tamen est cum *Navarro, Lessio, & Sá* quos citat & sequitur *Palaus cit. n. 3.* Quia id neque jure exprimitur, neque æquum videtur ut pœnam subeat qui culpam non commisit. Addūt citati authores taliter ordinatum, neque excommunicatum, neque suspensum manere, etiam si postea conferat amico pecuniam, quam pro sua ordinatione dedit: id enim tantum facit, ne sua causa amicus patiatur damnum.

Denique observabis in *Bulla Sixti V.* reservari Pontifici absolutionē harum censurarum, & inhabilitatum, simulque revocari facultates concessas religiosis & concessas Episcopis in *Trident sess. 24 cap. 6. de reform.* Nihilominus *Palaus cit. n. 4. Lessius n. 134. fine & Sa V. Simonia n. 12.* dicunt Bullam illam in hac parte non fuisse receptam,

QUÆSTIO V.

Quas pœnas incurrant dantes & recipientes Simoniacè beneficium?

661 SVpponendum est 1. cum *Lessio cap. 35. n. 137. & Suar. de Simon. cap. 57. n. 4.* pœnas, quæ imponuntur pro Simoniacis receptionibus, nominationibus, & collationibus beneficiorum & officiorum Ecclesiasticorum, procedere tantum de beneficijs & officijs Ecclesiasticis propriè acceptis: pœnæ enim restringi debent. Quare pensio & Vicaria amovibilis ad nutum, non subjacēt dictis pœnis. Quia beneficia non sūt.

Pœna Simoniacorū in beneficijs. Supponēdū est 2. cū citatis authoribus quibus accedit *Palaus tr. 17. disp. 3. p. 25. n. 1.* idem esse, seu intelligi officium atque beneficium Ecclesiasticū in decretis punientibus Simoniā in iisdem commissam. Vt enim pœnæ incurrantur, debet officium Ecclesiasticum esse propriè tale, & beneficium Ecclesiasticum esse propriè tale. Unde quā-

ris

vis peccent, non incurrunt pœnam, qui officium Inquisitoris, Legati, delegati, Vicarij ac similium vendunt aut permutant, quia beneficia non sunt. Nec obstat obtinentem Simoniacè regularium Abbatiam, Prioratum, Provincialatum, vel Rectoratū puniri pœnis illatis *Extrav. de Simon.* quia in hujusmodi decreto fit talium dignitatum expressa mentio, quanvis in rigore beneficia nō sint.

Duplex hujusmodi Simoniacis imponitur pœna. Prior est excommunicatio ipso facto, quam incurrunt conferens, & procurans alteri beneficium media electione, Præsentatione, postulatione, institutione, confirmatione, commendatione, si Simonia interveniat. Habetur in motu Pij V. & *Extrav. cum detestabile, de Simon.*

662. Eandem pœnam eodem modo impositam subeunt beneficium recipientes, & mediatores, v.g. parentes, amici, & illi omnes qui suam interponunt operam, ut Simoniacé beneficium comparetur. Illi mediatores & interventores nullam aliam concurrunt pœnam: & certé probabile est dictam excommunicationem solum incurrere quando Simonia ex utraque parte completur, sed probabilius quando recipitur beneficium sub ea conditione.

Irritatio collationis

Posterior pœna in eade in *Extrav.* est provisionis & collationis annullatio, seu irritatio, ex qua provisus nullum jus acquirit, nec fructus facit suos, & si quos recipit, tenetur restituere. Quod procedit juxta *cap nobis fuit, de Simon.* etiam, si te sciente & non contradicente Simonia ab aliquo tertio commissa fuit. At si scivisti, & contradixisti, beneficij collatio tibi facta valida est juxta *cap. Sicut tuas. de Simon.* Non proderit tamen contradictio, si ea non obstantē ante collationem scias pecuniam datam esse, & nihilominus beneficium acceptes. Iam enim recipis beneficium Simoniacè datum, neque contradicis. Unde quanvis evadas excommunicationem, quia non fuisti causa contractus Simoniaci, redderis ad beneficium inhabilis. Ita *Less. c. 35. n. 143. & Suar. c. 59. n. 29.*

Simonia commissa per aliquē tertium qualiter noceat beneficiato scienti vel ignorāti.

Quid si te ignorante, & non contradicente, quia nec suspicionem habuisti ad cōtradicendum, Simonia per tertium commissa fuit? Distinguendum est: si in tui odium Simonia commissa est, non teneris dimittere beneficiū: secus si per amicum commissa fuit. Tunc enim simul ac sciveris, teneris beneficium, & illius fructus dimittere, ut habetur *cap. Nobis fuit & cap. sicut tu s de Simonia.* Immo factus fuisti inhabilis ad beneficium retinendum: *cap. penul de elect.* Addit bene *Lessius c. 35. n. 14.* si talis amicus laboravit ignorantia inculpata, beneficiatum neque inhabilem effici: quia nulla culpa commissa fuit ob quam illa inhabilitas est constituta. Unde potest idem beneficium quod v. g. dimisit: sibi secundó conferri absque ulla dispensatione.

663. Notant 1. Ugol. tab. 4. cap. 6. §. 9. & Less. cap. 35. n. 140. §. 4. dari discrimen inter dictum ignorantem, & scientem: quia scienti non prodest regula de triennali possessione, sicut nec intruso, & probabiliús extenditur ad cōventionalem Simoniam ex parte rei spiritualis cōpletam; at ignoranti favet illa regula, si ignoranter per triennium possideat, itaut ei lis intentari nequeat. Notant 2. *Suar. de censur. disp. 14. sect. 2. & Garcia de benef.* electionem valere, quanvis Simonia commissa fuerit cum aliquo ex electoribus, si allij qui non delinquunt, sufficientes fuerint.

Pontificis electio Simoniaci ad beneficia.

Notat 3. *Suar. de Sim. cap. 57. n. 57.* a resolutione generali excipi electionem Summi Pontificis cui electioni nulla Simonia obstare potest ad valorem. Statuit enim jus commune ad vitandum maius periculum schismatis, ut contra illam electionem canonicè factam nulla exceptio admittatur. Quia non datur superior in terra, per quem error in electione Papæ commissus emendari possit. Oppositū tradit *Sanch. lib. consil. cap. 3. dub. 104. n. 12.* Vide *Lessium lib. just. cap. 35. n. 145.*

Inhabilitas Simoniaci ad beneficias.

Rogabis 1. an Simonia circa unum beneficium privet ipso jure Simoniacum beneficijs rite obtentis? Rectè negant *Emman. Roter. to. 2. Sum. cap. 56. n. 6. & Suar. cap. 58 n. 6.* Quia respectu beneficij acquirendi est lex pœnalis, quæ, non nisi post condemnationem sortitur effectum.

664. Infertur 1. non esse ipso jure restituendos fructus beneficiorum obtentos ante Simoniam. Quia ex jure ad beneficia habetur jus in fructus. Infertur 2. non irritari electionem vel præsentationem rite factam ob id quod electus commiserit Simoniam in confirmatione, quanvis per sententiam irritanda veniat. Vide citatos.

Rogabis 2. an Simonia commissa in uno beneficio ponat inhabilitatem ad beneficia in posterum obtinenda? Juxta cōstit. Pij V. probabilius est poni ipso jure. Ait enim Pontifex, *Beneficijs per Simoniam acquisitis sit ipso jure privatus, & perpetuo sit inhabili ad ea & quæcunque alia obtinenda.* Verùm *Suar. cap. 58. n. 11. & Lessius cap. 35. dub. 26.* credunt oppositum: quia in hac parte Constitutio illa recepta non est.

Confidentialis Simoniæ pœna.

Rogabis 3. quænam Simoniæ confidentialis numerentur pœnæ *Palaus tr. 17. disp. 3. p. 25. n. 8.* recenset septem. 1. est excommunicatio Papæ reservata tam in dantes quám accipientes. 2. interdictum Episcopis & collatoribus. 3. resignatio & collatio beneficij nulla. 4. inhabilitas ad idem, & alia beneficia obtinēnda. 5. beneficium illud in quo Simonia commissa fuit, reservatur Sedi Apostolicæ, ita ut se nequeat ordinarius intromittere in illius provisione. 6. Fructus malé percepti applicantur cameræ Apostolicæ. 7. privatio omnium beneficiorum, & pensionum, quæ antea obtinenda.

665. Notat has pœnas incurri ipso facto, duabus exceptis, nempe privatione beneficiorum antea obtentorum, & inhabilitate ad alia in posterum obtinenda. Nam hæ requirunt sententiam criminis declaratoriam. *Suarius Lessius & alij citat.* dicunt ad pœnas illas incurrendas non requiri Simoniam ex utraque parte completam, sed sufficere si beneficium detur ea conditione ut alteri resignetur, & ea intentione recipiatur.

QUÆSTIO VI.

An restitui debeant quæ per Simoniam comparantur?

NON est quæstio de Simonia mētali & conventionali. Quia certum est ante solutum pretium, tradentem rem spiritualem non teneri ad aliquid restituendum: & post solutum, ante traditionem rei spiritualis, teneri ad illud restituēdum ei a quo accepit. Quæstio solùm est de Simonia reali ex utraque parte completa, pro cujus decisione supponendum est acquisita per Simoniam versari in duplici differentia: alia enim sunt temporalia, & alia spiritualia. Quo supposito, decidetur per sequentes resolutiones.

Restitutio spiritualium ex Simonia. 1. resolutio. Spiritualia, exceptis Ecclesiasticis beneficijs, nullo jure manent obnoxia restitutioni. Ita *Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 29. & 30. & Suar. de Sim. cap. 59. à n. 28.* Ratio est, quia spiritualia, nempe religiosa professio, sacramentorum susceptio, sanctorum reliquiæ & similia validè accipiuntur etiam si pro pretio Simoniacè conferantur: tunc enim sola religio, & non justitia violatur; ergo retineri possunt, quin maneant obnoxia restitutioni. Dixi exceptis Ecclesiasticis beneficijs; quia hæc si comparentur Simoniacè, jure Ecclesiastico ei restitui debent.

Pretij restitutio in Simonia. 666. Quid de pretio Simoniacè accepto? 2. resolutio. Qui accepit pretium ut conferret beneficium aut quodcumq; spirituale, conditione non impleta, tenetur restituere danti, itaut nequeat repetere ob admissam turpitudinem. Ita præter citatos, *Navarr. cap. 23. n. 104. & Sotus q. 8. a. 1.* Ratio est, quia non apparet propter quid tale pretium retineri possit.

3. resolutio. Pretium acceptum pro præsentatione, collatione, vel confirmatione beneficij debet restitui etiam ante judicis sententiam. Ita *Suar. cap. 60. n. 3. & Lessius dub. 30. n. 169. ex cap. de hoc, de Simon.* ubi in pœnā expresſé deciditur. Hæc jam habēt maiorē vim post decretum Alexādri 7. dānantis hanc propositionem, quæ est 22. *Non est cōtra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis: quia collator conferens illa beneficia pecunia interveniēte, non exigit illam pro collatione beneficij, sed veluti pro emolumento temporali quod tibi conferre non tenebatur.*

Rogabis, cuinam facienda sit hujusmodi restitutio? Ex jure *cap. cit.* facienda est Ecclesiæ, in qua beneficium situm est. Sed jam ex recepta consuetudine pauperibus fieri potest. Addūt *Emman. Roter. to. 2. sum cap. 66. n. 4. Sotus lib. 9. q. 8. a. 1.* & alij pretium pro datione beneficij acceptum posse restitui ante sententiam judicis ei qui dedit, & post sententiam ei cui judex addixerit. Hoc dicit probabile *Lessius n. 171.*

667. 4. resolutio. Pretium pro qualibet alia Simonia acceptum, jure Ecclesiastico restituendū non est ante judicis sententiam: & sic de pretio accepto pro ordinis susceptione religionis ingressu ac similibus. *Ita Suar. lib. 4. cap. 60. à n. 9. & Lessius c. 35. dub. 3. ad finem.* Quia talis restitutio in nullo decreto expresſé habetur.

5. resolutio. De jure naturæ qui recepit pretiū pro sacramenti vel sacramentalium administratione non tenetur restituere. Ita *Palaus tr. 17. disp. 3. p. 26. n. 7.* Ratio est, quia minister recipiens pecuniam in pretium rei spiritualis solum peccat cōtra religionē, si pretiū illud non excedat cōgruā sustentationem: si veró excedat, peccabit cōtra justitiam, & ex ea tenebitur restituere excessum.

Sacramentalia vēdita. Quid de sacramentalibus permanentibus, qualia sunt agnus Dei, cerei, & coronæ benedictæ? Teneris ne restituere pretium quod pro illis accepisti ad reparandum damnum aliquod corporale vel spirituale, quod ex eorum datione subjisti, v.g. manens privatus eorum fructu spirituali? Affirmat *Suar. cap. 59. n. 42.* quia ibi committitur injustitia, nempe in acceptione pretij pro re quæ pretio æstimabilis non est: aliter potest quis sine injustitia ferre pretium pro carentia fructus in Missa, quem alteri applicat. Oppositum defendunt, & quidem probabiliter, *Lessius cit. n. 158, & Palaus n. 7.* Quia licet ille gravissimé peccet, non tamen committit injustitiam, quia non tenetur gratis tale incommodum pati.

QUÆSTIO VII.

Quali præcedente probatione Simoniaci puniantur?

Probatio Simoniæ. SImoniæ crimen sex modis probari solitum testantur *Mascar. de probat. concl. 1304. Farinac. cons. 75. Rodoan. de Simon. p. 4. cap. 6. & Flamin. de resign. lib. 14. q. 8.* Probatur enim 1 notorietate *cap. de manifesta & duobus seq. 2. q. 1.* 2. evidentia facti cum quis deprehenditur in crimine *cap. si quis diaconus 50. dist.* 3. ex partis confessione *cap. presbyter 15. q. 5.* etiam si confessio in judicio criminali fiat. 4. per famam. 5. per instrumentum in quo promissio vel pactum adest, *cap. placuit 16. q. 1.* 6. per correspectivitatem, quando scilicet unus actus sit propter alium, ut si renuncianti Petro beneficium, & ille consensit pensioni eodem tempore, in continenti coram eodem notario & iisdem testibus. Tunc enim sufficiens Simoniæ præsumptio inducitur. Secus si fiat diversis temporibus *cap. emendari 104. 1. q. 1.*

Præsūptiones Simoniæ. 668. 1. Difficultas est, an præsumptiones & conjecturæ sufficiant ad Simoniam probandam? Communis & vera est affirmativa sententia quam cum multis relatis sequitur *Flamin. de relig. lib. 14. q. 8. n. 1.* Suadetur quia Simonia computatur inter graviora crimina, nempe homicidium, idololatriam, & hæresim, quæ solis præsumptionibus & conjecturis probantur. Debent tamen illæ esse evidentes & plenè probari, itaut reum de crimine convincant.

Unde non sufficit probatio unius præsūptionis aut conjecturæ, sed necesse est quòd saltem duæ in suo genere perfectæ sint, & integrè probatæ. Quocirca jungendæ non sunt præsūptiones debiles, ut ex multis illegitimis una convalescat. Quæ igitur conjecturæ apponuntur in Bullis Pij IV. & Pij V. ad probandum crimē confidētiæ, si quælibet probata accipiatur, solū inducet præsūptionem, si cum alijs concurrētibus conjecturis afferet plenam probationem.

Complex testis. 2. Difficultas est, an in hoc probando delicto testis

testis esse possit particeps Simoniæ? Affirmativa resolutio, quæ vera est, sumitur ex *cap. Mediatores 1. de testib. in 6.* nam in criminibus exceptis socius criminis admittitur ad testificandum, si tamen non fuerit socius muneris, neque procedatur criminaliter, sed solum civiliter. Esto (ut videre est apud *Flamin. cit. q. ult.*) justa praxim, etiam si procedatur criminaliter, socius criminis admittitur ad testificandum contra socium, & ejus testimonium semiplené probat. Socius muneris idem valet atque socius doni. Est enim pretium Simoniæ donum temporale habens eum respectum, ut detur pro ipsa re spirituali, & in commutationē ejus. Est apud Canonist. *cap. Salvatur 1. q. 2.* in triplici differentia: dicitur enim munus a manu, munus ab obsequio, & munus a lingua. Vide Elucidarium. 1318.

669. Illud notabis ex Matanta de ordin indic. 6. p. act. 2. 187. probatione conclusa, sententiam contra Simoniacum pronunciatam non suspendi appellatione, sed mandari executioni in iis, in quibus ipso jure pœna imponitur. Quia in illis pœnis, quæ imponuntur ipso jure, declaratoria sententia facit transire in rem judicatam.

QUÆSTIO VIII.

Qualiter possit dispensari cum Simoniacis?

Dispensatio cum Simoniacis.

CUM nobis sermo esse possit de Simonia cōtra jus divinum & cōtra jus Ecclesiasticum, in quo dispensetur, sive quoad culpam, sive quoad pœnam, *Suar. de Simon. cap. 61.* bene resolvit 1. Simonia contra jus divinum naturale incapax est dispensationis humanæ, tum quoad culpam, tum quoad pœnam. Ratio est quia inferior in lege superioris dispensare nequit: & ibi solus Deus legislator superior est.

Resolvit 2. Solus Papa potest dispensare quoad culpam in Simonia contra jus Ecclesiasticum, quanvis moraliter loquendo nunquam id faciat. Prima pars constat, quia solus Pontifex est conditor juris communis Ecclesiastici. Secunda suadetur, quia fere nunquam expediet ut res Ecclesiasticæ venales fiant.

Reservatio censurarum Simoniæ.

670. Quod attinet ad pœnam, absolutio cadit in censuras, dispensatio in alias inhabilitates, & similes privationes. Quanvis igitur excommunicatio, suspensio, & interdictum Simoniacis imposita Papæ reserventur, solumque ab illo jure ordinario absolvi valeant, tamen (ut inquit *Suar. cit. n. 3. ad 8.*) veniunt sub generali concessione casuum reservatorum per Bullas, jubilæa, & privilegia, nisi specialiter excipiantur.

Quid de alijs pœnis? In pœnam irritationis, qua beneficij collatio, vel obtentio invalida est, nulla dispensatio cadere potest. Nam quod ab initio efficacia legis invalidum fuit, tractu temporis non convalescit. Inhabilitas ad idem beneficium Papæ omninó reservatur, si recipiens expresśé vel tacite consensit Simoniæ. At si recipiens bona fide ignovit Simoniam, & beneficium sit simplex, potest Episcopus post liberam ejus resignationē dispensare, & ei iterum conferre. Secus si non sit simplex. Habetur ex *cap. penult. de elect.*

Episcopi dispensatio in pœnis Simoniæ.

Cum inhabilitas ad alia beneficia non incurratur nisi post sententiam, postquam hæc lata fuerit, Episcopus dispensare non poterit. Difficultas est, an Episcopus possit dispensare in omnibus his inhabilitatibus, virtute Tridēt. sess. 24. de reform. cap. 6. quādo casus illi fuerint oculti, & nō deducti ad forum contentiosum? Negativa sententia videtur probabilior, & quidem tutior est. Sic enim fertur a *Farinacio Volum. 4. decision. Rotæ.* declaratum a Gregor. XIII. audita relatione Congreg. quasi talis casus occultus non pertineat ad absolutionem sacramentalem.

671. Nihilominus satis probabilis est resolutio affirmans posse Episcopum dispensare cum Simoniaco occulto in inhabilitate contracta propter Simoniam. Ita *Henriq. lib. 13. de excommun. cap. 56. n. 1. & in commen. lit. F. & Lessius lib. 2. cap. 35. n. 140.* quibus consentiunt *Suar. cit. cap. 61. n. 11. & Palaus tr. 17. disp. 3. p. ult. n. 4.* Probant, quia illa inhabilitas est veluti quædam irregularitas, & ideo concessio irregularitatum ad talem inhabilitatem extenditur. Deinde nec declarationes Cardinalium, nec decisiones Rotæ habēt vim legis, cui necessario standum sit.

Dispensatio cum Simoniacis.

Infertur igitur cum *Palao cit. n. 5. & Suario, quem citat to. 5. in 3. p. disp. 13. sect. 1. n. 34.* obtinentem Simoniacé beneficium, si ab Episcopo dispensetur in censuris & in hac inhabilitate, posse sine alia collatione illud retinere. Sumitur ex *cap. Expostulastis, de cleric. excom.* ubi dicitur non posse illum sic delinquentem retinere beneficium, nisi sit dispensatus. Addit *Azor p. 2. lib. cap. 7. q. 2.* hoc procedere sive beneficium sit de collatione Episcopi, sive de collatione Pontificis, quidquid neget *Gonzal. glos. 51. n. 110.* de beneficio ad Pontificem spectante.

672. Rogabis 1. an Papa dispensare possit ne fiat restitutio pretij Simoniacé accepti? Bené respondet Suar. cit. cap. 61. n. 12. affirmativé, si restitutio solum debeatur ut Ecclesiastica pœna: negativé si debeatur naturali jure: quanvis etiam in hoc casu valeat privare delinquentem jure ad exigendum pretium quod Simoniacé dedit.

Forma dispensationis.

Rogabis 2. quænam requiratur forma in dispensatione? Respondent *Suar. n. 13. & Palaus n. 8.* in prælatis Papæ inferioribus sufficere & requiri formam, quæ sufficienter declaret voluntatem dispensandi: necesse est etiam ut post causam cognitam id faciant. Nam si absque causa justa dispensent, invalida erit dispensatio, utpote in lege superioris: secus de Pontifice, quia in lege propria dispensat.

Rogabis 3. an Papa conferens beneficium ei quem scit fuisse Simoniacum, vel jure aliquo humano inhabilem, ipso facto dispenset, etiam si id non declaret? Rectè affirmant *Covar. reg. peccatum p. 2. § 8. n. 9. Molina tr. 2. de just. disp. 91. §. Illud & Suar. cit. n. 15.* Ratio est, quia decet beneficium Principis validum fore & permensurū juxta regul. juris 16. Unde quādo legislator scienter impeditum admittit ad actum, v.g. irregularem ad ordines, dispensare præsumitur.

673. Illud observa, quando Pontifex confert beneficium inhabili, ab illo non auferre inhabilitatem absolute, sed solum ad illum casum, & respectu illius beneficij. Sicut quando communicat cum excommunicato non censetur illum absolvere, juxta *Clement. unicam de sent. excom.* sed solū suspendere effectum excommunicationis quoad illum casum, ne scilicet peccet, & contrahat excommunicationem minorem communicando cum Pontifice.

Rogabis 4. An per consuetudinem induci possit dispensatio in Simonia? Negat *Suar. citatus n.* 16. Quia licét consuetudo præscripta legitimé possit humanam legem abrogare vel in totum, vel in partem, tamen hujusmodi abrogatio in rigore dispensatio non est.

TRACTATVS XXXIIII.

De nonnullis virtutibus moralibus & vitijs oppositis.

SECTIO I.

De virtutibus justitiæ annexis in quibus est debitum legale, & vitijs oppositis.

QUÆSTIO I.

Quid sit pietas & observantia, & qualiter se habeant?

Debitum legale & morale quid. CVM simus acturi de virtutibus justitiæ annexis in quibus reperitur morale & legale debitum; antequam pietatem, observantiam & reliquas expediamus, oportet ex nostro *Elucidario n.* 1443. declarare quid sit debitum legale, & debitū morale. Legale dicitur ortum ex lege naturali aut positiva, quod nunquam exhauriri potest reddito æquivalenti. Debitum morale est illud quod ita procedit ab intrinseca honestate virtutis, ut nisi illi satisfiat, honestas morum conservari nequeat, saltē decorē.

Pietas quid. 674. 1. quæstionis pars est quid sit pietas, & qualiter se habeat? Apud S. August. l. 10. de civit. Dei cap. 1. pietas tripliciter accipitur. 1. pro religione Græcè *theosebia* ita ut idem valeat esse pium, atque esse religiosum, seu divino cultui addictum. 2. pro misericordia, seu benigno affectu, præcipué erga filios opis nostræ indigos. Sic *l. 5. utrum ff. quæ in fraud. cred.* dicitur pietatem patris extra reprehensionem esse. 3. pro virtute speciali qua colimus parentes, tanquam vitæ & educationis nobis secundùm Deum authores.

Hoc tertio modo sumitur tum a legistis *l. in testamento ff. de fidei c. lib.* tum a Theologis apud *S. Thom.* 2. 2. q. 101. & definitur a *S. August. lib.* 83. *qq. q.* 31. ex Tullio in hunc modum: *Pietas est per quam sanguine junctis, patriæque benevolis offic um, & diligens tribuitur cultus.* Ubi notamus a pietate 1. respici parentes utpote a quibus immediaté accepimus vitam & educationē. 2. respici patriam, hoc est oppidum, vicum & provinciam) ut ait Lessius cap. 46. n. 3.) cum habitatoribus suis. Nam *Patriæ amor.* patria etiam in ortum influit, quatenus parentes fovet, opportuna ad ortum & educationem suppetit. 3. respici alio, consanguineos, quatenus in illis repræsentantur maiores nostri, a quibus ortum habuimus.

675. Ex quibus patet qualiter se habeat pietas, & quale sortiatur *objectum quod, & objectum cui,* & *rationem formalem objectivam.* Nam *objectum quod* pietatis est cultus, & obsequium externū ad quod ipsa pietas tendit. *Objectum cui* sunt parentes, patria, & consanguinei, quibus talis cultus, & obsequium exhibetur. *Ratio formalis objectiva* est motiva ratio, nempe honestas in objecto, quæ movet ad dictum cultum exhibendum. *Pietatis debitum.*

Quale sit debitum pietatis, seu obligatio quæ ex pietate oritur, petendum est ex primo loco, quem post religionem pietas vendicat. Nam sicut Deus, quem religio colit, est primus author, & principium rerum omnium, atque adeo filiorum, ita parentes sunt secundi authores, & secūdaria principia suorum filiorum. Unde sicut in decalogo priora tria præcepta ad religionem, ita sequens quartum de colendis parentibus spectat ad pietatem. Illud notandum cum *Less. io citato n.* 9. quæ diximus de pietate erga carnales parentes, accommodari posse cuidam virtuti, quæ etiā vocatur pietas, & respicit debitum, quo etiam tenemur erga parentes spirituales. Hi enim secundùm Deum sunt nobis authores vitæ spiritualis, per quam Christiani & religiosi sumus.

2 Quæstionis pars est quid sit observantia, & qualiter se habeat? Iuxta S. Thomam 2. 2. q. 132. observantia est virtus deferens cultum superioribus, & alijs personis excellentioribus, quæ nos gubernant, vel gubernare sunt idoneæ. Unde per S. *August. lib.* 83. *qq. quæst.* 31. ex Tullio sic definitur: *Observantia est, per quam homines aliqua dignitate excellentes cultu quodam & honore dignamur.* *Observātia quid sit.*

676. Ex qua definitione satis innuitur quid inter pietatem, & observantiam intersit. Pietas enim defert cultum debitum alteri ut principio ortus, & educationis, observantia debitum ut principio gubernationis. Diximus (gubernare sunt idoneæ) quia viri prudentia, probitate, & sapientia præstantes, quamvis actu non gubernēt, observantia coli debent, ex eo quia sunt idonei gubernare.

Ex dictis sequitur pietatem excellere observātiæ, & cæteris paribus, magis obligare, ut docet S. Thom. q. 102. art. 3. Quia malus est beneficium ortus & educationis, quàm gubernationis. Dixi (cæteris paribus) quia licét observantia colamus Principem, & pietate parentes, in extremaque necessitate plus tenemur succurrere Principi, quàm parentibus. Quia tunc non dantur paria, cum interveniat ratio boni communis *Observātiæ obligatio.*

in Principe.

Sequitur 2. observantiam esse in genere duplicem, altera est politica, altera religiosa. *Politica* est quæ defertur alicui ob excellentiam vel dignitatem politicam: & hac veneramur Principes, magistratus, & alios sæculari dignitate cõspicuos. Illa etiam coluntur magistri a discipulis, domini a servis, patroni a clientibus. *Religiosa* cultum exhibet alicui ob excellentiam vel dignitatem cũ religione conjunctam, vel Deum respicientem, ut siquis colatur ut beatus, ut propheta, ut sacerdos, ut sanctus. Vide quæ de adoratione diximus tr. 26. sect. 9.

QUÆSTIO II.

Quid sit obedientia, & qualiter se habeat in suis conditionibus & functionibus.

Obediẽtia quid & quotuplex

OBedientia (ut habetur in nostro *Elucidario num.* 1445.) dicitur quasi obaudientia, quód vox & præceptum superioris audiri & admitti debeat. Sumitur aliquando pro consensu 1. *q.* 1. *cap. præsentium*. Apud Theologos duce S. *Thoma* 2. 2. *q.* 104. est duplex, altera materialis, & altera formalis. *Materialis* est omne opus virtutis, quo impletur præceptum, etiam si non ea, intentione expressim fiat.

Obediẽtia perfectio.

Formalis est quæ ideo expresse aliquid facit, quia præceptũ est: & hæc dicitur specialis virtus habens pro objecto (quod) omne opus præceptum, & pro objecto (cui) superiorem, seu prælatum: huic enim dicimur obedire. Obedientia consistit in tribus 93. *aist. cap.* 1. ut sit perfecta: nam exigit cæcitatem, promptitudinem, & fortitudinẽ: quas conditiones exponit Lessius cap. 49. dub. 5.

Ratio formalis objectiva obedientiæ est jus imperandi, quod ex triplici radice pullulat. 1. ex ratione causæ & effectus: hac enim ratione Deus imperat creaturis, & pater filijs: & per potestatem participatam a Deo omnis superior suis inferioribus. 2. ex ratione totius & partis: totum enim habet potestatem in partes, sic republica in sua membra. 3. ex ratione agentis & patientis vel instrumenti: nam omne agens movet patiens, & omnis causa principalis suum instrumentum. Sic maritus imperat uxori; dominus servo, herus famulo

Voluntas prælati exequenda.

678. Ex dictis satis innotescit rigorosam obedientiam respicere præceptum superioris imperãtis. Addunt sancti Patres Basilius constit. monach. cap. 23. & Bernar. de præc. & dispen. col. 4. perfectam obedientiã non solum respicare præceptum, sed etiam nutum & inclinationem prælati. Accipitur enim tunc pro virtute, qua quis morem gerit superiori faciens quod intelligit illũ velle, sive præcipiat, sive non.

Hic tamen modus obtemperandi adeo perfectus est, ut rigorosę obedientiæ limites excedat, & quædam superobedientia appellari possit. Adde hujusmodi actum ita induere honesti laudem & rationem, ut imperatus a religione, charitate & alijs virtutibus esse valeat. Si enim pareas superiori ex reverentia erga Christum, cujus ille vices gerit, est actus religionis: si ex eo quod sit gratum Christo, actus erit charitatis: si ex reverentia ergã prælatum, erit actus observantiæ: & sic de alijs.

Quanta sit subjectio & qualis obedientia regularium erga suos prælatos, tractant qui exponũt dubia regularium. Quanta sit subjectio & obedientia servorum erga suos dominos, exposuimus tract. de servis. Quanta sit subjectio & qualis obedientia uxorum erga suos viros, exponemus tract. de matrimonio.

679. Quærimus modò qualiter subjiciantur, & teneantur obedire filij parentibus? Si loquamur de subjectione in ordine ad servanda præcepta divina & Ecclesiastica, certum est ita subjici, ut possit pater, imo ex charitate teneatur filios ad talem observantiam compellere. Hujusmodi tamen compulsio non ita rigida esse debet, ut (sicut docuit *Ledesma to.* 1. *tr.* 27. *c.* 2. *concl.* 9.) teneatur filios nolentes servare jejunium præceptum e domo ejicere. Poterit tamen, & debebit (ut ait Uegha to. 1, c. 14. casu 27,) illis negare cænam. *Pater imperans filijs.*

Si loquamur de subjectione in ordine ad mores & educationem, potest pater filiam impuberem cogere intrare monasterium, ut ibi educetur, sicut & filium ire ad scholam, vel artificium. Quia ætate illa tenera (ut docet *Suar. to.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 2. *n.* 15.) pueri non tam sua quam patris voluntate regendi sunt. Unde juxta Portellium add. ad V. Clausura monialium n. 4. & alios contra *Megalium to.* 2. *res.* 157. *n.* 5. patres habent jus offerendi filios impuberes religioni absque eorum consensu. *Filiorum subjectio erga parentes.*

Quid post pubertatem? Rectè cum varijs tradit *Diana p.* 2 *tr.* 15. *resol.* 56. non posse absque peccato mortali cogere puberem ad manendum in monasterio, etiam cum habitu sæculari usque ad opportunitatem nubendi. Quia juxta *Suar. de rel. n.* 3 *lib.* 5. *cap.* 9. *dub.* 4. fœminæ maioris ætatis sui juris sunt in iis quæ ad statum animæ pertinent, atque adeo cogi nequeant ad tam arctam custodiam, nisi ad breve tempus, si id judicetur necessarium ad decentiam.

680. Cum veró *Triden. sess.* 25. *cap.* 18. excommunicet compellentes fœminam ad monasterij ingressum, habitus susceptionem, vel professionis emissionem, dubium est an pater talem excommunicationem incurrat cogens filium puberem ad ingressum, etiam si nec ad habitum, nec ad professionem compellat? Affirmant cum multis *Barb. de potest Episc. p.* 3. *alleg.* 104 *n.* 5. & *Diana p.* 2. *tract.* 15. *res.* 56. quanvis compellat ad ingressum cum animo solius custodiæ & educationis. Mitiùs & forte probabiliùs negat *Suar. citatus*. Quia Concilium loquitur de illo tantum ingressu, qui a parentibus per se ordinatur ad habitus susceptionem. *Pater cogens filiã ad monasterium.*

Si loquamur de subjectione ob parentum necessitatem, pater in gravi necessitate constitutus (ut docet *Glos. ad l.* 2. *C. de patr. qui filios suos distrax.* & *Pinellus ad rubr. C. de bon. mater. p.* 2. *n.* 13.) potest filios vendere, permutare, vel modo alio alienare, jure naturæ & Cæsario, dummodo ad *Filius venditus a patre.*

lerit pro compensandis beneficiis. Quanvis enim justissimè ferre posset, noluit tamen, vel quia noverat sensus nostri debilitatem, vel quia sic voluit ut ratio gratitudinis perfectiùs servaretur.

Notabis 1. beneficium non esse statim referendum, sed expectandam opportunitatem: quia (ut ait *Seneca de benef. lib.* 4. *qui festinat reddere, non animum habet grati hominis, sed debitoris.* Ita enim solvit, ac si alter non gratis, sed intuitu compensationis dedisset. Notabis 2. spectandum nobis esse in reponendo potiús benefactoris animum, quàm rem datam, itaut beneficium quod reddimus potiùs adæquet animum, quám rem: & ideo oportet reddi amplius, ut ratione excessus sit beneficium, proindeque beneficium datum beneficio accepto correspondeat.

Innocens & pœnitens ex gratitudine erga Deum. Difficultas est qui nam magis teneatur ex gratitudine erga Deum, innocés an pœnitens: seu quis nam ex his maius accepit a Deo beneficium, pro quo plus teneatur reponere? Hanc quæstionem *Lessius cit. cap.* 47. *dub.* 2. discutit fusiùs quàm solet, & rectè decidit cum distinctione, innocentē scilicet plus teneri, si spectetur bonum acceptum absolutè secundùm se: è contra pœnitentem plus teneri, si spectetur bonum acceptum respectu ipsius. Est enim innocentia in se maius & optabilius bonum, cum includat continuam existentiam justitiæ in homine, at pœnitentia est maior gratia proindeq; maius beneficiū respectu pœnitentis: tū quia usque ad lapsum habuit a Deo innocētiam, quam ex libertate amisit, tum quia toleratus fuit a Deo toto tempore peccati habitualis, deinde excitatus ad gratiam, & perfectè restitutus ad sanctitatem & justitiam, quæ omnia maius conflant beneficium.

QUÆSTIO II.

Quid, & quale peccatum sit ingratitudo?

Ingratitudo quid & quotuplex. 685. Essentiam ingratitudinis quæ ex diametro gratitudini adversatur, nō possumus aptè explicare, nisi explicata simul illius divisione in formalem & materialem. Ingratitudo formalis est, seu datur quando beneficium, vel benefactoris animus contemnitur, ut non videaris ei debitor, vel omnoxius ratione beneficij accepti. Materialis est quando absque comtemptu vel omittitur debitum officium gratitudinis, vel committitur aliquid contra benefactorem.

Ex quo apparet ingratitudinem dupliciter existere, vel per omissionem, in qua habet tres gradus. 1. est beneficio non respondere. 2. dissimulare non agendo gratias. 3. nolle beneficium agnoscere: vel per commissionem, in qua alios tres gradus habet. 1. est retribuere mala pro bonis. 2. vituperare beneficium. 3. reputare beneficium loco maleficij.

Ingratido quale peccatū. Quod attinet ad alteram partem quæstionis inquirentis quale nam peccatum sit ingratitudo? Si loquamur de ingratitudine formali, rectè ex *S. Thoma* 2. 2. *q.* 107. *a.* 3. docet ibidem *Caietanus* esse peccatum ex suo genere mortale. Nam sinistra beneficij interpretatio, & contemptus benevoli affectus benefactoris involuunt judicium temerarium, cum absque fundamento judicetur affectus simulatus, & benefactor fictus: judicium autem temerarium ex suo genere lethale est. Adde contemptum hujusmodi plus lædere charitatem. Nam homines illo magis, quàm temerario judicio offenduntur.

686. Poterit tamen dictus contemptus esse venialis ob defectum deliberationis vel consensus, item ex parvitate materiæ, quando beneficium exiguum est: contemptus enim beneficij exiguij non reputatur notabilis injuria benefactoris, modo scandalum absit. Secus si fieret ex animo offendendi graviter benefactorem. Adde in omni contemptu esse judicium, quo res aut persona judicatur talis, & voluntatem tractandi illam exterius vel interius pro tali. Unde non erit contemptus gravis, seu lethalis, quando v.g. aliquod temporale beneficium, & benefactoris affectum reputes minoris momēti, ne illi maneas obligatus. *Ingratido levis.*

Si loquamur de ingratitudine materiali, peccatūm imprimis non est absolutè deesse retributioni beneficij, nisi quando quis benefactori egéti potest commodè succurrere, vel quando ex omissione benefactor rationabiliter offendendus est. Quia beneficium non inducit rigorosam obligationem, cum gratis conferatur. Faciliûs peccabitur in omittenda gratiarum actione, cum hæc sit facilis, & statim facienda: omissio tamen gravis nō erit, nisi benefactorem meritò graviter offēndat. Nolle agnoscere privati hominis beneficium, lethale non est, præcisa gravi & rationabili benefactoris offensione.

Quid de ingratitudine erga Deum summum & infinitum omnium benefactorem? Habet hujusmodi ingratitudo varios gradus. 1. est si quis se gerat negligenter, ut correspondeat divinis beneficijs pro sua capacitate. 2. si raró vel nunquam Deo gratias habeat. 3. si de divinis beneficijs raró aut nunquam cogitet. 4. si malum pro bono reddat: & sic facit semper quando peccat. 5. si extenuet, neget, aut vituperet beneficium Dei, ut si neget beneficium redemptionis, vel necessitatem gratiæ instar Pelagianorum. 6. si beneficium Dei loco maleficij ponat instar damnatorum, vel illorum qui non perpetuò frui hoc mundo, maleficium reputant. *Ingratitudo erga Deum.*

QUÆSTIO III.

Quid sit vindicatio & veritas & a qua proveniant virtute?

687. Diversum quid est vindicatio apud Iuristas & apud Theologos: nam apud Caium in *l. si pignore §. cum furti ff. de furtis* in hoc conveniunt vindicatio & condictio, quód utraq tendat immediatè vel mediatè ad rei recuperationem, tamen in hoc discrepant, quód omnis condictio est actio immediatè in personam, & omnis vindicatio est immediatè actio in rem. Itaque non ex tantum actiones, quibus rem nostram esse, sed & quibus pignori obligatam nobis esse intendimus, vindicationes appellantur. Derivatur *Vindicatio apud Iuristas.*

vin-

vindicatio a vindicare: est autem vindicare dominium vel jus aliquod sibi asserere.

Vindicatio apud Theologos

Apud Theologos vindicatio laté accipitur a *S. Augustino lib. 83. qq. q. 31.* & est per quam vis aut injuria, & omninó omne quod obfuturum est, defendendo aut ulciscendo propulsatur. Hac ratione complectitur vindictam & defensionem, quarum illa non nisi publica, hæc etiam privata authoritate haberi potest.

Vindicatio strictè accepta coincidit cum vindicta, & est actus peculiaris virtutis, quæ aptè describitur in hunc modum: *Vindicatio est ultio injuriæ quæ infertur authoritate publica ad reddendum malefactori pænā debitā, ut injuria reparetur, & satis factio exhibeatur.* Sicut enim honestū & congruū est laudare benefactorem, ita & malefactorem punire, & pæna debita coercere. Unde vindicatio erit actus specialis virtutis, si fiat eo intuitu ut injuria reparetur, & malefactor pæna debita coerceatur.

688. Notandum est 1. vindicationem, ut sit actus virtutis, debere exerceri a superiore, utpote habente authoritatem publicam. Si enim fiat a privato, erit actus vitij, cum per illam usurpetur aliena potestas. Notandum 2. quanvis privatus honestè expetat vindicationem, seu reparationem injuriæ sibi postulet fieri per superiorem, tamen multo meliús esse propter Deum ignoscere, nisi forte bonum publicum aliud exigat. Notandum 3. vindicationem sicut & reliquas virtutes morales consistere in medio, itaut per excessum illi opponatur crudelitas, & per defectum nimia in puniendis malefactoribus remissio.

Veritas seu veracitas.

Quod attinet ad veritatem, & ipsius functiones, veritas hic non accipitur Philosophicê, quatenùs est conformitas judicij ad rem judicatam, ita ut ejus operationes comparentur ad intellectum ut signa; sed accipitur judieé & Theologicê quatenus est pars, vel potius comes justitiæ: nam fundatur in hoc vel id intendit, ut operationes justitiæ comparentur ad intellectum tanquā ad regulam, & appellatur veracitas.

Est igitur veritas, seu veracitas virtus quæ affectat & procurat ut sit rectus usus signorum, nempe ut in sermone, scriptura, gestibus, alijsque signis, quibus mentem nostram alteri patefacimus, sit conformitas actus interni cum externo. Unde est specialis virtus quæ respicit speciale bonum rationis, scilicet veritatem in dictis & factis. Esse ejusdem speciei fidem humanam & veracitatem, virtutes morales docet *Caietanus 2. 2. q. 113 n. 1.* Oppositum tamen defendit *Molina to. 2. disp. 262.* arbitratus esse virtutes specie diversas. Quia alterius rationis est opere implere quod promissum conventūque est cum proximo: quod spectat ad fidē: & alterius verum dicere, ad quod tenetur quis in omnibus assertionibus, promissionibus, & conventionibus, dum proferuntur.

Veritatis functiones

689. Quinque veritatis (ut videre est apud *Lessium lib. 2. cap. 47. n. 32.*) recensentur functiones, 1. amor veritatis in dictis, & factis. 2. cautio ne quid significetur contra mentis judicium 3. ut quando mens patefacienda est, procurare, ut méti conformatur oratio. Non enim semper expedit mentem detegere, cum aliquando tegere oporteat. 4. quando aliquid negandum absoluté vel affirmandum est, veritatem rei inquirere. 5. promissa exequi.

QUÆSTIO IIII.

Quid & quotuplex sit mendacium. & quale peccatum?

Mendaciū quid.

TRIA expedienda proponit quæstio. 1. expediendum est, quid sit mendacium? Mendacium (ut habetur in nostro *Elucid. n. 1451.*) opponitur directè & formaliter veritati, & rectè definiri potest *locutio contra mentem*, cum nempe aliud loquimur exteriûs, aliud interiûs sentimus, sive significatio fiat verbis, sive fiat gestu & vocibus aut quacunque alia ratione. Unde duo postulat, aliud voluntatem dicendi falsum, aliud locutionem & significationem judicio mentis contrariam: ex quibus sequitur deceptio alterius.

Roganti an postuletur ad rigorosum mendacium in mentiente intentio decipiendi alterum? Affirmativè respondet *Filliucius tract. 40. cap. 2. n. 33.* Quia finis mentientis est deceptio audientis. Negandum tamen est cum *Azorio p. 3. lib. 13. cap. 1. & Lessio cap. 47. n. 33.* Ratio est quia licet regulariter mentiens intendat generare in altero falsum conceptum, tamen aliquando mentitur ne possit convinci propria confessione, quanvis norit alium non crediturum.

690. Illud rectè notat 1. *Lessius n. 34.* sicut actus veritatis est expressio veri opinione nostra, ita mendacium esse expressionem falsi opinione nostra. Nam si dicamus verum, cum putemus esse falsum, mentimur formaliter, & é contra si dicamus falsum cum putemus esse verum, formaliter veré loquitur. Quia in primo casu nostræ opinioni dissentimus ex affectu falsitatis, in secūdo essentimus ex effectu veritatis. Notat 2. non esse mendacium, cum quis utitur amphibollogia, seu restritione mentis. Quia non intendit falsum, nec loqui contra mentem, sed ex parte, vel ex toto mentem suam, aliter exprimere quâm alter intelligit. *Amphibologia ad veritatē.*

Mendaciū quotuplex

2. Expediendum est quotuplex sit mendaciū? Respondeo petendum ex duplici divisione. Nam dividitur 1. ex oppositione ad veritatem per excessum & defectum: si per excessum quo transcendit veritatem in maius, dicitur *jactantia*, cum quis maiora de se prædicat, quàm insint: si per defectum, quo a veritate deficit, vocatur *ironia*, cum maiora quám insint, vel cum laudabilia quæ insunt, negat. *Iactantia* *Ironia.*

Iocosum.

Dividitur 2. ratione finis, vel affectus in Iocosum, officiosum, & perniciosum. Iocosum est quod dicitur per Iocum causa voluptatis aut ipsius mentientis, aut alterius. Officiosum est quod profertur causa utilitatis propriæ vel alienæ, atque adeo alicui prodest, & nemini nocet. Perniciosum est quod injustè alicui nocet, sivé proferatur contra honorem Dei, ut in sacramentis & juramentis, sive contra honorem hominis, ut in detractione, falso testimonio, & iniquis contra- *Officiosum*

ctibus

Iocus, ludus, Scurrilitas, facetiæ multiloquium. ctibus. Est inter jocum, ludum, scurrilitatem, facetiam, & multiloquium discrimen. ut sciamus, an & qualiter liceant. Iocus in verbis, ludus in factis propriè accipitur a Molina to. 2. d. 510 pro dictis vel factis ad oblectationem animi ordinatis, & sic indifferens est, ut sit licitus, vel illicitus, nempe licitus, & honestus, si fiat servatis debitis circumstantijs juxta rectam rationem. Sic enim ab Arist. 4. Ethic. vocatur eutrapelia, Latinè urbanitas, quæ est virtus. Et in hoc sensu laudavit S. Gregor. Divum Basilium dicens *Quis in jocando subtilior.* Semper autem sunt illicita Multiloquium. vitium quod procedit a nimio cibo & potu, per quos offuscata ratio non perpendit quid loquendum sit. Scurrilitas est inepta lætitia quæ excitat ad indecentia, risus excitandi causa. Facetiæ apud Latinos sunt quædam sermonis, & dicta urbana sine scurrilitate: quanquam etiam in factis intelligi possunt Plat. in Mil. Unde ex se licitæ sunt.

Mendaciũ quale peccatum. 691 3. Expediendum est quale peccatum sit mendacium? Supponimus cum *S. Thoma* 2. 2. *q.* 110. *a.* 4. ex *cap. super eo, de usuris & cap. ne quis* 22. *q.* 2. mendacium ita esse intrinsecè malum, ut nũquam liceat: Hoc probe novit *Aristot. lib.* 4. *ethic. c.* 7. ubi sic habet: *Per se autem mendacium malum & vituperabile est: verum autem & honestum & laudabile.* Rectiùs intellexit quam suus magister *Plato, qui lib.* 3. *de repub.* dixit mendacium hominibus quandoque utile & necessarium esse, ut eo tanquam medicamento utantur.

Difficultas est, quodnam peccatum sit, mortale an veniale? Videtur esse mortale ex suo genere, juxta illud Sapient. 1. *Os quod mentitur occidit animam meam.* Et illud Psal. 5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* Dicendum tamen est cum *Azorio p.* 3. *lib.* 13. *cap.* 1. *dub.* 2. *& Lessio lib.* 2. *cap.* 47. *n.* 40. mendacium jocosum, & similiter officiosum, quod nulli nocet, esse solum peccatum veniale: perniciosum veró ex sua natura esse mortale, fieri tamen veniale ex accidenti nempe ex imperfecta deliberatione, vel ex parvitate materiæ. Ratio est, quia in primo & secundo genere mendacij non reperitur gravis deformitas, in tertio verò genere potest reperiri quando scilicet mendaciũ in gravi materia graviter nocivũ fuerit.

Hypocrisis quid sit. 692. Rogabis 1. quale mendacium & peccatum sit hypocrisis? Cum mendacium (ut diximus) committatur in perverso usu signorum, & signa consistant tam in verbis quàm in factis, simulatio, cujus species est hypocrisis, nihil aliud est quam mendacium in actionibus vitæ, quando nẽpe per illas quis intendit significare aliud quàm in animo sentit, Est igitur simulationis species hypocrisis, quæ licet juxta S. August. lib. 2. cap. 3. de serm. Dom. in monte, significet propriè fictionem alienę personæ, qualis in theatro & scena fieri solet, tamen in sacris litteris usurpatur pro ea, qua quis se justium simulat, cum non sit.

Hypocrisis quale peccatum. Quale autẽ pecatũ sit, Lesius lib 2. cap. 47. n. 45 rectè docet hypocrisim esse per se veniale sicut mẽdaciũ jocosum & officiosum, fieri tamen posse mortale dupliciter. 1. ratione finis, ut si quis fingat se sanctũ & Prophetam pro doctrina falsa inculcanda, ut faciunt hæretici. Item si opinione falsæ sanctitatis curet indignus ad Ecclesiasticam dignitatem, vel beneficium evehi. 2. si religionis & sanctitatis internæ contemptum involvat: ut si quis solum curet exteriùs videri justus & catholicus, & internam religionem nihil æstimet.

Simulatio quale peccatum. Rogabis 2. an sit mortale se fingere justum, aut egenum ut comparet uberiores eleemosynas? Hanc dubitationem *Azor p.* 3. *lib.* 13. *cap.* 4. bené resolvit 1. si quis habeat bona sufficientia pro vitæ sustentatione cõpetenti peccat mortaliter, si egestatẽ simulet, ut extorqueat eleemosynas. Tunc enim datur simulatio in re gravi; & accipiens manet obnoxius restitutioni. Restituẽdum ne sit alijs verè pauperibus, an illis a quibus eleemosynæ sunt acceptæ? Dixi tract. 8.

693. Resolvit 2. si quis verè egeat, & fingat se justum, ut capiat eleemosynas non valde excedentes egestatem, solum peccabit venialiter: peccabit tamen graviter, si capiat eleemosynas notabiliter excedentes suam egestatem. Qùia in priori casu fraus levis, in posteriori gravis est.

Simulatio quando liceat. Rogabis 3. an & quomodo liceat aliquando simulatio? Respondetur cum Azorio citato licere sæpe illam simulationem quæ a Iuristis bonus dolus appellatur, si fiat cum debitis circunstantijs. 1. in re militari, quando hostis decipitur. 2. in ludo quando collusores pro obtinenda victoria se invicem decipiunt. 3. licita est deceptio ad vitandũ periculum famæ, honoris & fortunarum. Unde ex causa justa licitum est simulare sexum & conditionem mutato habitu, imo & simulare virginitatem. 4. licitus est larvarum seu personarum usus, si fiat ex bono fine, v. g. in festo publico, vel privatim laxandi animi causa: si fiat ex sola animi levitate erit veniale, si animo nocendi graviter, mortale. *Dolus bonus.*

Rogabis 4. qualiter peccet ille qui est causa ut alter mendacium dicat putans bona fide se vera loqui? Respondetur quanvis inductus non peccet, quia procedit bona fide, peccare tamen inducentem. Quia hic novit veritatem, & suadet peccatum materiale. Unde peccabit venialiter, si alter leve mendacium absque juramẽto proferat: mortaliter verò si illud confirmet juramento. Ita *Azor cit. dub.* 7.

QUÆSTIO V.

Quid sit affabilitas, quæ illius obligatio: & quæ vitia illi opposita?

Affabilitas explicatur. 694. Mutuabimur a nostro Elucidario num. 1458. quæ modò de nomine & essentia affabilitatis dicenda sunt. *Affabilitas*, alio nomine Latino *Comitas* a fando nomen habet. Quanvis enim non in solo alloquio consistat, sed in alijs etiam actionibus & officijs, tamen ostenditur præcipué in affatu, a quo proinde appellationem habet. In summa Dianæ V. eodem sic definitur. *Est Virtus, quæ conversationem hominibus juxta rectam rationem præscribit.*

Fusiùs a *Lessio lib.* 2 *cap.* 47. *dub.* 7. sic explicatur. Affabilitas est virtus, quæ procurat, ut conversa-

tio nostra in rebus serijs sit grata & talis, qualem esse decet, spectata conditione nostra, & personarum quibus cum agimus, negotiorum, & reliquis circumstantijs, itaut neque nimis blandé, neque nimis asperé in congressibus nos geramus. Unde differt ab eutrapelia, quia hæc juxta Aristot. 4. Ethic. cap. 9. nos facit decoré uti jocis & ludicris quæ animi laxandi causâ assumuntur: affabilitas veró solum in serijs versatur.

Eutrapelia.

Differt ab amicitia, quia hæc est quædam mutua benevolentia, quæ fundatur in quadam cōmunione & consociatione, ex qua quis alterum amat sicut se ipsum, & comiter cum illo tractat: affabilitas veró non requirit talem communionem, imò nec benevolentiam. Sed ideo habetur, quia congruit ad vitam socialem.

Amicitia.

695. Differt Affabilitas a benignitate, quia hæc est virtus propria superioris, quæ exercetur in correctione, & commendatur a jure canonico, *Clem. de jurejur. cap. uno & 45. dist. cap. disciplina.* Dicitur autem *benignitas* a bono & gignat, quasi bonum gignat. Sic tellus benigna dicitur, cum bonos gignit fructus: è contra maligna dicetur, si malignos genuerit.

Benignitas.

Qualis & quanta nascatur obligatio ex affabilitate, & qualiter contra illam peccetur, non aliunde meliús percipi potest, quám explicatis vitijs, quæ affabilitati opponuntur, qualia sunt blanditiæ & morositas: nam contra dictam virtutem peccatur excessu delectandi, blanditia, & peccatur defectu delectandi, morositate.

Est autem *blanditia* vitium illorum, qui in convictu nimis student esse placidi & blandi, itaut in omnibus se accommodent alijs, omnia probando, omnia commendando, & sunt in duplici differentia: nam si id faciant solo intuitu placendi, nomine peculiari appellantur placidi & blandi: si autem id faciant causâ utilitatis, Græcè vocantur *colaces*, Latiné *adulatores* Nam adulatio est blandiri ob spem vtilitatis, quæ præsertim exercetur simulatione vultus, & gestu corporis: ducta metaphora a canibus, qui cum cibi quidpiam veluti poscunt, motu caudæ adulantur. Nam apud Iuristas *L. 1. & 2. C. de statuar. & imag.* adulari est proprie canum, cum gesticulatione corporis & motu caudæ nobis blandiuntur.

Blanditia & adulatio.

696. Ex opposito *morositas* est quædam morū difficultas, cum nulla pene res quantumvis exacta animo alicujus satisfacit: & cum quis nullo omninó placendi alijs studio tenetur. Sunt enim morosi homines asperi & difficiles, ad humanum convictum & societatem parum idonei, qui cum frequenter evadant pugnaces & contentiosi, hinc est quòd morositas veluti causaliter appelletur litigium.

Morositas quale vitium.

Quale peccatum sit utrumque emplicatum vitium rectè decidit *Lessius lib. 2. cap. 27. n. 52. & 53.* dicens 1. adulationem per se solum esse peccatū veniale. Quia excessus in studio placendi & oblectandi in communi congressu gravis deformitas non est. Poterit tamen evadere peccatum mortale tripliciter. 1. ratione materiæ, ut si laudetur peccatum alterius præsertim mortale, v. g. quód quis fuerit constans in hæresi. 2. ratione finis, ut si fiat adulatio ad nocendum, vel pertrahendum ad libidinem. 3. ratione effectus, ut cum præbeatur occasio gravis peccati ex adulatione.

Adulatio quale peccatum.

Dicens 2. morositatem, seu litigium per se esse peccatum veniale. Quia licét reddat socialem vitam minùs suavem afferens proximo molestiā & tædium in congressibus, illam tamē non evertit, nec charitatem graviter offendit. Addit tamē n. 53. si utrumque vitium intér se conferatur, & spectetur in se, morositatem esse peiorem adulatione: nam pejus est molestum esse in congressibus, quám nonnihil excedere blanditijs. Cum veró adulatio ratione finis & materiæ plus noceat, ideo ex S. Pagina sancti Patres plus ab adulatoribus quàm ab asperis ingenijs cavendum monent.

Litigium seu morositas quale peccatū.

697. Rogabis, qualiter peccetur contra affabilitatem vel socialē convictum ex defectu salutationis, & allocutionis? *Lorca 2. 2. q. 25. n. 6. sect. 3. disp. 25. mem. 3. n. 18.* rectè docet omnes salutatos teneri respondere salutantibus, anticipatam veró salutationem non deberi, nisi quibusdam personis magnæ authoritatis, causâ honoris: conversationem & allocutionem convictoribus solum deberi. Addit non esse peccatum mortale salutationem & resalutationem omittere, etiam quando debentur, nisi illa omissio pareret grave scandalum, vel cederet in gravem injuriam ex circunstantia personæ. Quia virtus affabilitatis ex se gravem obligationem non gignit.

Salutationis obligatio.

Vrbanitatis debitū

Citatus *author n. 30.* ait certum non esse peccare mortaliter eum, qui occurrente inimico inter multos, salutat omnes, præter ipsum. Probat, quia salutationis etiam debitæ omissio lethalis nō est: deinde quia potest omittere salutationem nō ex odio, sed ex significatione acceptæ injuriæ, aut gravaminis. Hoc tamen rectè displicet *Filiucio to. 2. tr. 28. c. 1. n. 19.* præsentim si inimicus priûs salutavit.

Inimici salutatio.

Quanvis *Mendoça vol. 1. disp. 153. sect. 4. §. 64.* judicet absoluté per se peccatum esse non salutare inimicum, tamen a salutationis obligatione liberat 1. prælatum aut parentem qui inimicum non salutaret in pænam justam. 2. illum non posset absque propria infamia suum hostem salutare. 3. eum qui oculos distractos aut mentem distractā haberet, aut ita dissimularet, ut prudenter æstimaretur salutationem ex inadvertentia omisisse. 4. eum qui accepit injuriam atrocem, v. g. appellatus Iudæus, fur, aut Sodomita: debet enim reputari salutationem omittere non ex odio, sed ex justo dolore, qui justé tollit urbanitatis indicia. 5. eum qui videns inimicum inter tres vel quatuor amicos, illos insalutatos alloquitur tecto capite. Nam illa allocutio censetur omnium salutatio, quanvis non ad omnes dirigatur.

698. Ex his sequitur a confessario absolvendū esse patrem, qui ad colloquium recusat admittere filium, qui contra ejus voluntatem contraxit matrimonium indignum, aut valde inæquale, etiam si talem recusationem familiæ præcipiat, dummò

do-

do id faciat ad tempus, & in castigationem absque ulla iracundia. Sic ex *Laymano lib. 1. tr. 3. cap. 4. n. 3. Diana p. 4. tract. 4. ref. 182.*

Clementia.

Crudelitas, sevitia.

Rogabis, quid sit clementia & Crudelitas. Pro utriusque explicatione consulendum est Elucidar. ubi n. 1518. apud Theol, clementia versatur circa punitionem externam, eam diminuendo, quãtum norma justitiæ patitur, & sic definitur a Seneca lib. 2. de clem. cap. 3. *Est temperantia animi in potestate ulciscendi: vel lenitas superioris adversus inferiorem in constituendis pœnis.* Clementiæ n. 1519. opponitur per defectum *remissio*, & per excessum *crudelitas*: hęc est excessus in pęnis exigẽdis, & prętendit speciẽ quandã justitiæ, in quo distinguitur a feritate & sævitia: nam *feritas & sævitia* dantur, quando quis in cruciatibus alterius delectatur.

Certum est in materia crudelitatis & sævitiæ dari posse peccatũ lethale ex ipsius materiæ gravitate, quando versentur circa personas rationales. Dubitatur, an idem sit dicendum, quando crudelitas & sævitia dentur circa bruta animantia, v. g. si aliquod vivum excorietur, minutim pungatur, aut fervente oleo frigatur? Non inveni hunc casum: sed consultis doctis, Dico 1. si detur causa rationabilis, qualis erit confectio medicamenti, vc. pro conficienda theriaca, vivos figere, aut cremare scorpiones, nullum erit peccatum. Quia tunc rationabiliter exercetur propriũ dominium in bestiis. Dico 2. si non detur causa rationabilis, erit solum peccatum veniale, talem exercere crudelitatem in brutis, quæ sub proprio, vel nullius dominio sunt. Ratio est, quia tunc nulli fit injuria, seu tantum datur levis deordinatio contra rationem.

Dixi (in brutis quæ sub proprio, vel nullius dominio sunt) quia si fiat in brutis alterius dominio subjectis, poterit esse peccatum lethale, & dari obligatio restitutionis ratione damni gravis, si domino brutorum inferatur.

QUÆSTIO VI.

Quid sit liberalitas, & quæ vitia illi opponantur.

Liberalitas in quo consistat.

Liberalitas apud Latinos duce *M. Tullio de offic.* idem valet atque munificentia, quæ a pręstãdis muneribus seu donis nomẽ habet. Apud *Speusippum* est habitus qui in quærendis, erogandisque pecunijs modũ servat. Apud Theologos, ut ex *Aristot. 4. ethic. cap. 1.* docet *S. Thom. 2. 2. q. 117. a. 1. 2. & 3.* est virtus quæ moderatur æstimationem & amorem divitiarum, utrique modum imponendo, & reddendo nos proclives & faciles ad divitias expendendas, quando dictante ratione occasio postulaverit.

Ex quo satis constat liberalitatem ex sua specifica ratione inclinare ad modum qui in largiendo servari debet, quatenus hic congruit illius affectui, & vitæ sociali. Nam si quis alicui largiatur quà egeno, est misericordia: si quà amico, est amicitia: si quà benefico, est gratitudo: si quà creditori est justitia.

Largitio quotuplex.

Largitas & largitio.

699. Differunt largitas & largitio tum inter se, tum a liberalitate. Largitas enim est rationabilis, & definitur liberalitatis effectus, v. g. quæcunque donatio proveniens a liberalitate quà tali. Largitio verò est propriè expensa, quæ fit ad aucupandum favorẽ in petitione magistratuum, ut videre est apud *Tullium lib. 3. de legib.* Largitiones pro donationibus sumuntur in jure 01. *Const. C. s. 1.* Accipitur largus pro liberali, qualis est medius inter prodigum & avarum.

Avaritia quid.

Liberalitati opponitur per defectum avaritia, per excessum prodigalitas, alio nomine profusio. *Avaritia* dicitur ab avendo, idest cupiendo, & apud Latinos est cupiditas pecuniæ & argẽti, Græcè appellatur *Philargyria*, quæ sic describitur a *Tullio 4. Tuscul. Avaritia est opinatio vehemens de pecunia, quasi valde expetenda sit, inhærens, & penitùs insita.* Apud Iuris interpretes nomen habet ex ære, & propriè versatur in retinendo, sicut *cupiditas* in acquirendo. Rectiùs tamen utrunque continet.

Avaritia definitur a Theologis, teste Azorio p. 1. lib. 4. cap. 8. q. 1. id hunc modum: *Est nimia præter modum pecuniarum & divitiarum libido.* Nam (ut benè notat *Lessius lib. 2. cap. 47. n. 59.*) excedit in æstimatione & amore divitiarum, & consequẽter in illis nimium retinendis, vel in modico studio quærendis per media tam licita quam illicita. *S. Gregor. lib. 3. moral cap. 31.* septem avaritiæ filias recenset, nempe Proditionem, Fraudem, Fallaciam, Perjurium, Inquietudinem, Violentiam, & Obdurationem cordis contra misericordiam.

Prodigalitas.

700 Profusio, alio nomine *Prodigalitas* est vitium oppositum liberalitati tum per defectum in opibus conservandis, tum per excessum in erogandis. Prodigus enim est qui dat quibus non oportet, ut adulatoribus: & plus quám oportet, ut cum magnis expensis facit quod parvis fieri poterat. A Caio vocatur prodigus Eversor *lib. 1. Instit. tit. 8.* Et in jure civili est qui neque finem, neque modum expensarum advertit: sed bona dilapidando, & dissipando profundit *l. 1. ff. de tut. fur.* Apud Iuristas hoc distant prodigi a furiosis, teste Barone Proggmn. for. tit. 8. quòd furiosis, simul atque inceperint furore, mox ipso jure agnati sunt curatores: prodigis autem, non sint priùs curatores quàm ipsis a judice bonis sit interdictũ.

Avaritia quale peccatum.

Quòd attinet ad peccata quæ committuntur contra liberalitatem per duo illi opposita vitia, avaritia (ut docet *Lessius lib. 2. cap. 47. n. 59.*) per se non excedit culpam venialem, cum sit inordinatus divitiarum amor. Quanvis enim in S. Pagina gravissimè increpetur: nam dicitur ab *Apostolo 1. ad Timoth. 6. radix omnium malorum cupiditas* & ab Ecclesiastico 10. *Avaro nihil est scelestius*: tamen avaritia gravem illam malitiam non continet formaliter, sed solum radicaliter, seu in radice, & ideo inter peccata capitalia recensetur, tanquam fons multorum aliorum. Solet enim avarus omnia propter aurum perpeti, quasi plus auro, quàm Deo affectus. Unde solum peccabit mortaliter quando pro consequendis aut retinendis divitijs sit paratus transgredi grave præceptum.

Prodigalitas quale peccatum.

Prodigalitas, seu profusio per se solum est peccatum veniale. Quia homo est suarum fortunarum dominus, & pecunia numeratur in bonis in

finis. Et certè levius est quam avaritia. 1. quia liberalitati vicinior est profusio quàm avaritia. 2. quia prodigus est utilis multis, avarus nec prodest alijs, nec sibi. 3. quia facilius emendatur. Adde ignominiosiorem esse avaritiam, quàm profusioné.

701. Peccatum tamen mortale potest evadere profusio 1. si cedat in gravem offensionem proximorum. 2. ratione finis, si ad mortale peccatũ referatur. 3. ratione effectus, ut si quis prodigendo se impotentem reddat ad solvenda debita, vel ad faciendas eleemosynas in casu extremæ, vel gravis necessitatis 4. ratione peculiaris obligationis expendendi superflua in causas pias: quod in bonis Ecclesiasticis contingit.

SECTIO III.

De fortitudine virtutibusque ipsi annexis, & vitijs oppositis.

QUÆSTIO I.

Quid sit fortitudo, & qualiter contra ipsam peccetur.

Fortitudo quid sit. FOrtitudo apud Latinos tam de corpore, quàm de animo dicitur, & apud Tullium 2. de inven. *est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio.* Ab eodem 4. Tuscul. sic describitur. *Est scientia rerum perferendarum, vel affectio animi in patiendo & perferendo summa legi parens sine timore.* Apud Iurisperitos sumitur tum in bonam partem pro virtute, tum in malam pro violentia. *Authen. Ut omnes obed. judic. provinc. in princ.* Et ut ex Aristot. 3. eth. tradit Ægidius de regim. princ, cap. 13. est sexcuplex, nempe civilis, servilis, militaris, furiosa, consuetudinalis, & bestialis.

702. Apud Theologos, duce S. *Thoma* 2. 2. q. 123 a. 2. semper accipitur in bonam partem, licet dupliciter. 1. latè pro firmitate animi in bono honesto, & sic transcendit per omnes virtutes. Omnis enim virtus cum pervenit ad statum perfectum firmiter adhæret suo objecto. 2. strictè & propriè pro firmitate in subeundis, perferendis & declinandis iis, in quibus difficillimum est retinere statum rationis, & animum regere: qualia sunt pericula vitæ, & omnium fortunarũ.

Fortitudinis definitio. In qua acceptione sic definitur. *Est virtus quæ motus animi in rebus terribilibus, præsertim periculis mortis sustinendis, vel repellendis moderatur.*

Quod attinet ad actus, potissima functio, & potissimũ quid fortitudinis versatur circa passiones timoris, audaciæ, & tristitiæ in periculis mortis, illis debitam rationis mensuram imponendo, & imprimendo, ut antequam malum evenerit, timorem & audaciam moderetur: postquam evenerit, & superari nequeat, tristitiam temperet, ne præ nimia afflictione & dolore aliquid indecorum geratur.

Inter fortitudinis actus præcipuus est *martyriũ*, Latinè testimonium, cum pro testificanda veritate fidei, vel alterius virtutis per mortis tolerantiam subeatur. Martyrium igitur ex doctrina S. *Thomæ* 2. 2 q. 124. a. 5. *Suarij to. 3. in 3. p. disp.* 29. & *Bonacina de sacram. disp. 2. punct. 1. prop.* 1. & 2. sic definitur: *Est passio, seu cruciatus lethalis susceptus pro Christi fide, aut pro vera virtute.* Quanvis sit actus elicitus a virtute fortitudinis, imperatur tamen ab alijs virtutibus, pro quibus conservandis sustinetur: sed præcipué imperatur a charitate. Functiones quas habet, & cõditiones quas requirit, & dubitationes spectantes ad martyrum, exponemus tract. peculiari.

703. Ut exponantur peccata, quæ committi possunt contra fortitudinem, oportet scire vitia quæ illi opponuntur, tria reperientur in nostro *Enchir. n.* 1465. quæ afferunt S. *Thomas* 2. 2. q. 135. a. 2. & *Arist.* 3. *eth. cap.* 7. scilicet Timiditas, Intimiditas, & audacia. *Timiditas*, alio nomine Ignavia, est vitium excedens in timendo, ut si quis timeat quod non oportet, vel quando non oportet, vel plus quâm oportet: item si non audeat aggredi quando ratió dictat, aut sicut dictat. *Timiditas seu ignavia.*

Intimiditas est vitium oppositum fortitudini per defectum in timendo, ut si quis non timeat quá do, & quod timere oportet. Fortitudo enim non solum comprimit timorem, ne excedat, sed interdum illum excitat, ut malum declinetur. *Intimiditas.*

Hoc vitium ex triplici radice pullulat. 1. ex contemptu propriæ vitæ, quando quis vitam minoris facit quâm oportet. 2. ex superbia & contemptu aliorum, ut si quis sibi præfidat, quasi ab alijs lædi non possit. 3. ex stoliditate, quando per vecordiam, & quamdam hebetudinem non concipit animo quid sit mors, & quæ mortem sequantur. *Audacia* alio nomine *temeritas*, opponitur fortitudini per excessum in aggrediendo: & datur quãdo quis ut malũ repellat imminés, aggreditur aliquid quod non cõvenit, vel quãdo noncõvenit. *Audacia & temeritas.*

704. Advertit bené *Lessius lib. 3. cap. 1. n.* 66. ex dictis potiùs recenseri quatuor vitia quæ fortitudini opponuntur, scilicet duo per excessum, quæ continentur sub audacia, qualis est timoris vacuitas, quando instat periculum, & temeritas in aggrediendo: duo per defectum, qualis est timiditas & ignavia, quæ aliqualiter distinguuntur: illa enim dicit præcise eximium timorem, hæc solum defectum aggrediendi. *Ignavia.*

Quomodo autem peccetur contra fortitudinem per defectum, & excessum, rectè exponit *Lessius lib. 3. cap. 1. dub.* 6. Quando timiditas (in quit) seu ignavia in se ipsa sistit, nec ad alium pravum affectum vel consensum impellit, est solum peccatum veniale, sicut excessus aliarum passionum, qui nullum aliud infert damnum, nisi quód mentem perturbet, & inutilibus curis implicet. Si verò impellat ad consensum alterius peccati, erit mortale aut veniale pro ratione illius ad quod impellit. V. g. si quis timore mortis, ut illam evadat sit paratus aliquid facere, vel omittere, cujus commissio vel omissio peccatum mortale sit, erit dicta timiditas mortalis, si sit peccatum veniale, erit venialis. *Timiditas quod peccatum.*

Si loquamur de peccato per excessum, intimiditas, seu defectus timoris est pecatum mortale vel veniale pro ratione mali & periculi, cui se quis defectu timoris exponit. Si enim defectus timoris

ris afferat periculū mali notabilis, qualis est mors, peccatum erit mortale: si afferat periculum mali levis, peccatum erit veniale. Idem dicendum est de audacia, quæ ex jactantia, aut vecordia, seu quadam animi stoliditate procedit, ita tamen ut ad peccandum detur sufficiens advertentia & libertas.

QUÆSTIO II.

Quid sit magnanimitas, & quibus offendatur?

705. CVM fortitudo habeat munus bipertitum scilicet ad aggrediendum & sustinendum: pro aggrediendo illi maximè inserviunt fidentia, securitas, magnificentia, magnanimitas: pro sustinendo patientia, constantia, longanimitas, & perseverantia. Hæc omnia simul cum oppositis explicantur in nostro *Elucidario a n.* 1469.

Magnanimitas quid.

Magnanimitas, de qua nobis sermo est, apud Latinos dicitur præstantia & sublimitas animi. *A Speusippo* definitur in hunc modum. Magnanimitas est moderatus contingentium usus: urbana cum hominibus conversatio, magnificentia cum ratione. Apud Theologos duce S. Thoma q. 129. est virtus inclinans ad opera magna & heroica in omni virtutum genere: cujus proinde officium principale est efficere opera magna & honore digna, non quidem ob honorem humanum, sed ob ipsorum operum præstantiam.

Magnum quid,

Magnum enim (ut optimé notat *Lessius lib. 3. cap. 2. n. 6.*) solum intelligitur intra metas alicujus virtutis: nihil enim in rebus humanis magnum, nisi bonum, & ornamentum hominis quá homo est: reliqua, ut divitiæ, voluptates, & honores mundani meritó parva censentur, & parvi momenti, utpote quæ ad solam temporalem vitam spectant,

706. Est magnanimitas virtus specialis habens pro formali ratione tendere ad magnum & arduum. Quanvis enim reliquæ virtutes moveant ad opera magna sui generis, v.g. religio ad magna pietatis officia erga Deum, & abstinentia ad magna jejunia, tamen magnanimitas specialiter & formaliter respicit magnum: unde opera aliarum virtutum respectu illius se habent instar materiæ, cui illa suam formam inserit, nempe esse magnum & arduum. *Aristoteles lib. 4. Ethic. cap. 3.* recenset vinginti conditiones magnanimitatis, seu mores viri magnanimi, quos breviter exponit Lessius citatus a n. 14.

Præsumptio quid & quale peccatum.

Circa alteram quæstionis partem, quibus offendatur magnanimitas, sciendum est illi opponi per excessum tria vitia, scilicet præsumptionem, ambitionem & inanem gloriam; & unum per defectum, nempe pusillanimitatem. Ut singula expendamus, *Præsumptio* alio nomine *Præfidentia* est immodica confidentia suarum virium qua quis aggreditur, vel paratus est aggredi quod proprias vires excedit. Nomine virium suarum, intellige quas quis in se ipso, vel in alijs habet: v. g. pater in filijs, dominus in servis, amicus in amicis. Quænam sit illa præsumptio quæ est peccatum contra Spiritum sanctum declarat nostrū Elucidar. num. 561.

Quod præsumptio absolutè sumpta sit peccatum prout a nobis explicatur, docet *S. Thom. 2.2. q. 130.* nam per illam frangitur lex æterna, quam servant res naturales ex divina ordinatione, ut nihil supra suam facultatem conentur, sed solum tendant ad opera suis viribus paria: præsumptio autem impellit ad ea quæ propriam facultatem superant. Unde rectè ex *Caietano*. docet *Lessius cit. n. 20.* si proveniat ex errore contra fidem, qualis præsumptio hæreticorum, vel habeatur cum injuria gravi alterius, qualis in medico, judice, & confessore, esse lethalem, in reliquis casibus fere semper venialem.

707. *Ambitio* est inordinatus appetitus, quo quis appetit honorem, & tripliciter solet evenire hujusmodi inordinatio. 1. si appetat honorem ob excellentiam, quam non habet, v.g. doctoratum, vel sacerdotium, quibus caret. 2. si appetat honorem ob rem, quæ sibi non licet, v.g. ob rebellionem, vel artem magicam. 3. si ita appetat honorem, ut sit paratus Deum offendere causa illius obtinendi, vel conservandi. In primo est solum veniale, nisi accedat gravis alterius injuria. In secūdo est mortale aut veniale pro ratione materiæ ex qua honorem appetit. In tertio similiter pro ratione mediorum, quibus uti paratus est, vel utitur.

Ambitio quid & quale peccatum.

Inanis gloria, quæ a Græcis cenodoxia appellatur, est idem atque cupiditas vanæ gloriæ. Potest autem gloria esse vana tripliciter. 1. si opinio & fama quæratur de ficta excellentia: qualem quærit hypocrita de sanctitate, & idiota de sapientia. 2. si quæratur maior quám par est, aut de rebus indignis. 3. si quæratur apud eos, qui de rebus non possunt judicare. Inanis gloria (ut docet *Caietan. in sum. V. Gloria humana*) perse peccatum veniale est. Erit autem mortale 1. si quæratur ex facto, cui inest peccatum mortale, v.g. ex duello, adulterio, magia. 2. si propter illam comparandam negligantur necessaria ad salutem, vel pro illa comparanda quis paratus sit lethaliter peccare.

Inanis gloria quid, & quale peccatum.

Magnanimitati per defectum opponitur *Pusillanimitas*; & est vitium, quo quis omnia bona tanquam nimis magna, & suas vires excedentia detrectat ex falsa apprehensione: ut si vocetur a Deo ad religionem, quam ut nimis difficilem, vel intolerabilem apprehendit: item si refugiat officium, quod admittendum recta ratio postulat. Est peccatum etiam si committatur circa rem, quam quis non tenetur amplecti: quia ex pusillanimitate rejicere, quid vitiosum & inordinatum est. Non erit tamen mortiferum, nisi id quod quis detrectat, tale sit, ut ad illud suscipiendum sub lethali obligetur.

Pusillanimitas quid, & quale peccatum.

QUÆSTIO III.

Quid sit magnificentia, & quo vitio offendatur?

708. MAgnificentia apud Theologos, ut ex S. Thoma 2.2. q. 134. a 1. deprehenditur, accipi solet bifariam. 1. latè & veluti in genere; comprehenditque omnem virtutem, quæ facit res magnas; nam tunc verbum *facere* tum res factas,

Magnificentia acceptio. factas, tum ipsas effectiones significat. Sic specialis virtus non est, sed quadrat specialiter in Deum, prout illius magnificentia in creationis, gubernationis, sanctificationis, & glorificationis operibus splendescit. 2. accipitur pressè ab Aristotele 4. Ethic. cap, 2. pro virtute humana, quæ in externa materia magnis sumptibus aliquid magnum efficit, & prout sic ex *M. Tullio S. Augustinus q.3 . tract. 82. quest.* illam definit in hunc modum : *Magnificentia est rerum magnarum & excelsarum, cum ampla quadam & splendida propositione cogitatio atque administratio.*

Magnificentia quid. Distinguitur igitur juxta Caietanum art. 2. a magnanimitate, quòd hæc in actione virtutis magnitudinem intendat, at magnificentia velit magnitudinem in opere externo, quatenus opus artis est humanis usibus accommodum, & postulans magnos sumptus, v.g. in extruendis templis, palatijs, vel in parando publico epulo quando id recta ratio præscribit.

709. Virtutis hujus officium est efficere res magnas, ad quas magno sumptu opus est, quando id suadet & postulat ratio. Insuper causa prædictarum rerum efficiendarum moderari affectum copiosæ pecuniæ ad id necessariæ, ne per talem affectum, vel opus magnũ non suscipiatur, vel non decorè perficiatur.

Sumptus immodici. Quód attinet ad ea quibus dicta virtus offenditur, rectè docet *Lessius lib. 3. cap. 2. n. 35. & 36.* magnificentiæ adversari duo vitia, alterum per excessum, alterum per defectum. Prius appellatur indecora diligentia in faciendo sũptu, ut si hic fiat ultra id quod res ipsa & ratio postulat, qualem faciebat ille qui in filij epulo natali projiciebat in Tiberim omnes cibos cum patinis argenteis, quãdo referebantur è mensa. Videtur non excedere in suo genere culpam venialem, instar prodigalitatis, de qua diximus num. 700.

Posterius per defectum vocatur a *S. Thoma q. 134. parvificentia* & datur quando quis præ angustia animi operi magno non æquat sumptus, seu parvos & improportionatos exhibet, ut si templo quod suscepit extruendum, ut parcat sumptibus, faciat cratitios parietes, aut tectum stramineum. Non excedit per se veniale peccatum, nisi forte accedat voti aut testamenti, vel similis obligatio gravis.

QUÆSTIO IIII.

Quid sit patientia & longanimitas: quibus, & qualiter offendatur?

Tolerantia. 710. HÆ voces *tolerantia* & *patientia* frequentissimé pro eodem accipiuntur, quamvis tolerantia interdum pro sustentatione & conniventia, seu permissione usurpetur, *Tolerare* enim non solum est patienter ferre juxta *Terent. in Phorm.* sed etiam est sustentare, alere, nutrire apud *Cæsarem l. Bello Gal. & Alphenum l. censor. ff. de verb. signif.* significat etiam permittere, in quo significatu dicitur 23. q. 1. cap. 1. *Toleramus nonnullos, quos corrigere, vel punire non possumus.*

Patientia quid & quotuplex. Quidquid autem de tolerantia dicant Jurisperiti, apud Theologos in *S. Thoma 2.2. q. 136.* patientia duplex est, altera quæ dicitur pars integralis fortitudinis, & firmat animum contra timores & dolores malorum inferẽtium mortem, & præcipuè in martyribus relucet. Altera est virtus fortitudini annexa quæ in alijs malis animum roborat moderando tristitiam, quæ ex illis concipi solet, ne faciens aliquid indecorum, v.g. in morte parentum, aut filiorum a rationis præscripto discedat.

Hæc posterior, si habeatur ex affectu honestatis peculiaris virtutis, quæ per nimiam afflictionem labefactatur, non est virtus, diversa a reliquis, & sic definitur ab *Augustino tract. 83. qq. q. 30.* ex Tullio. *Patientia est honestatis, aut utilitatis causa rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio.* Si habeatur ex affectu solius honestatis, quæ relucet in moderando tristitiam, conservando in æquanimitate quadã mentem, statumq; externum corporis illi conformem, peculiaris virtus est a cæteris distincta, habetque suos gradus, quos numerat. Less. cit. n. 44.

711. *Longanimitas* nõ est virtus (ut docet *S. Thomas q. 136. a. 5.*) omninò distincta a patiẽtia, sed est patientia ipsa inadæquaté accepta, nempe est patiẽtia in expectando, seu perferendo longam moram, seu molestiam, quam parit diuturna expectatio. Nam inter mala quæ patientes tolerant, unum est molestia, quæ ex dilatione rei expectatæ percipitur. *Longanimitas quid.*

Quod attinet ad vitia quibus patientia offenditur, cum illa sit virtus moralis, quæ proinde consistit in medio, per excessum læditur impatientia, per defectum insensibilitate. Datur Impatientia, cum quis nimium dolet, aut ex dolore a recto deflectit. Unde vocatur impatiens, qui justum dolendi modum quem præscribit patientia, excedit: item qui ex mærore, & dolore ita indignatur, ut motum animi indecoré foris ostendat. Hoc vitium per se non excedit culpam venialem: quia solum consistit in excessu doloris per externum signum expressi. Erit autem lethale vel ratione scandali, vel ratione mali quod ex impatientia nascatur. *Impatiẽtia & insensibilitas.*

Insensibilitas committitur per defectum doloris, qui rationabiliter in hac vel illa opportunitate concipi debet. Et enim vituperabile, & rationali naturæ humanoque convictui dissentaneum nullis malis, neque proprijs, neque alienis commoveri. Est nãque vel brutæ stoliditatis, vel inhumanæ duritiei manifestum indicium. Nihilominus ex se venialem culpam non excedit, & ex accidenti mortalem rarò attinget. Gradus patientiæ, & impatientiæ incommoda recenset Lessius citatus a n. 43. *Insensibilitas.*

QUÆSTIO V.

Quid sit perseverantia, & constantia; & quibus contrarijs lædatur?

712. DE perseverantia & constantia agit *S. Thomas 1.2. q. 137. & 128. Perseverantia*, quantum mutuari possumus a nostro Elucidario n. 1471. apud Latinos duce *Tullio Verr. 5.* est in ratione benè considerata, stabilis, ac perpetua

tua permansio. Nam *perseverare* componitur ex per & severus, & quasi quandam severitatem cōtinuare. Apud Legistas sumitur aliquando in malam partem, & dicitur quis perseverare in obstinatione *l. diffamari C. de ingen. & manum.*

Apud Theologos dupliciter accipitur 1. pro continuatione justitiæ usque ad mortem: & sic teste *S. August. lib. de bono persev.* est donum peculiare electorum, dicente Christo Domino Matth. 10. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* 2. proposito continuandi in bono opere, quandiu ratio dictabit. Et tunc si fiat ex effectu honestatis peculiaris, quæ relucet in tali opere. V.g. jejunio, oratione, aut eleemosyna, non distinguitur a virtutibus, ad quas prædicta opera spectant. Quælibet enim virtus ex affectu proprij boni potest velle durationem sui operis usque ad finem. Si autem tale propositum oriatur ex affectu ipsius continuationis, & durationis usque ad finem: nam in hujusmodi duratione specialis honestas & laudabilitas relucet, tunc virtus peculiaris est, quæ a reliquis distinguitur.

713. Constantia apud Latinos est quędam animi firmitudo. Dicitur a verbo constare quod juxta *Tullium 1. Tuscul.* est constanter permanere, perseverare, ratum habere. Apud Theologos (ut tenet *Less. lib. 1. c. 2, n. 48.*) parum distat a perseverantia, cum sub hac comprehendi videatur. Nihil enim aliud est in re ipsa constantem esse, seu in bono sibi constare, quàm perseverare.

Constantia quid sit.

Ratione vero & conceptibus discriminantur constantia & perseverantia. Constantia enim propriè nuncupatur quæ facit hominem in proposito sibi constare, & permanere contra omnes difficultates occurrentes, quandiu ratio dictat: perseverantia verò solum dicitur, quando quis ab incepto opere bono non desistit, donec ad finem usque perducat. Unde habet pro materia omnia opera bona virtutum, & pro forma, dictis operibus inferenda moralem illam continuationem usque ad finem, quem recta ratio dictaverit.

Pertinacia quid & quale peccatum.

Duobus vitijs extremé contrarijs læditur utraque virtus a nobis explicata. Tam enim perseverantiæ adversatur per excessum pertinacia, & per defectum inconstantia, alio nomine animi mollities. *Pertinacia* juxta *Aristotel. 7. Ethic. cap. 9.* datur quando quis manet firmus in proposito, ubi non oportet, vel plus quàm oportet. Quis dicatur *pertinax* in jure, tradit Barth. *in l. 3. §. tutores ff. de super. tut.* A pertinaci solum distinguitur *pervicax*, quia hic dicitur contentiosus, quasi nulli cedens & perseverans cum quadam vi.

714. Quale peccatum sit pertinacia, desumitur ex materia gravi aut levi, in qua versatur, si enim quis persistat in jurando verum absque necessitate, peccabit venialiter: si persistat in jurando falsum peccabit mortaliter: similiter Rex si nolit mutare legem quam tulit graviter perniciosam, ne videatur inconstans.

Inconstantia quid & quale peccatum.

Inconstantia datur, cum quis facilè & sine causa mutat propositum justum & honestum. Si autem id faciat tędio diuturnitatis, vel similis incommodi, *mollis* appellatur, & hoc vitium *mollities*. An sit, & quale peccatum mutarę bonum propositum, ex S. *Gregor. homil. 3. in Ezechiel. & Caietanus V. Inconstantia* declarat *Lessius lib. 3. cap. 2. n. 49* Si quis nullo modo tenebatur ad servandum bonum propositum, & mutet exercitium illius, nullo modo peccabit, nisi forte ex aliqua passione inordinata mutet. Erit tamen peccatum mortale, si ad rem continuandam detur obligatio ex voto, aut præcepto in materia gravi: erit veniale, si materia sit levis.

SECTIO IIII.

De temperantia, ejusque partibus, & vitijs oppositis.

QUÆSTIO I.

Quid sit temperantia, & quenam illi regula imponenda?

Temperantia, ut imploremus opem a nostro Elucidario n. 474. derivatur a verbo *tempero* quod significat rem suo ordine ac mensura administro item abstineo: nam temperare a vino & temperare ab injuria, est abstinere. Definitur a *M. Tull. lib. 2. de Invent* in hunc modum: *Temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi firma & moderata dominatio.*

Temperantia quid.

715. Apud Iurisperitos sumitur temperantia pro moderatione sive in cibo, sive in potu, ut 45. *dist. cap. de disc ipl.* sive in pœnis *l. si quos C. de custod. reor.* Similiter *temperare rigorem*, pro moderari *Clem. de pæn. cap. 1. §. pen.* Item temperare pro administrare *l. 1. de prap. sacr. scrin. lib. 2.*

Apud Theologos duce *S. Thoma 2. 2. q. 141. a. 2.* dupliciter sumitur. 1. latè pro virtute quæ refrænat, & compescit affectum ab iis omnibus, quę ipsum movent contra rationis præscriptum. In qua acceptione non distinguitur ab alijs virtutibus moralibus. Omnes enim id conferunt, nempe justitia retardat affectum a furtis & contractibus illicitis iniquis: fortitudo a fuga, magnanimitas a rebus caducis sectandis.

Sumitur 2. stricte pro virtute quæ apetitum refrænat in his quæ maximé alliciunt, quales sunt corporales delectationes, non omnes, sed quæ tactu percipiuntur ex esculentis, poculentis, & rebus Venereis. Sic autem est virtus specialis, & quarta cardinalis. Versatur igitur temperantia primarió in moderandis voluptatibus gustus & tactus, quæ cum vehementissimæ sint, a ratione deturbant, & cum sint bestijs etiam communes, maximam gignūt turpitudinem. Secundarió versatur in cohibenda oblectatione aliorum sensuū, quatenus horum objecta ad voluptatem tactus & gustus mediante imaginatione provocant.

716. Quod attinet ad regulam temperantiæ, rectè desumitur ex S. Pagina Ecclestici 29. *Initium vitæ hominis aqua & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem.* Et August. 1. ad Timot. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Et explicatur a S. August. lib. de moribus Eccles. c. 21. *Habet (inquit) vir temperans in hujusmodi*

Temperantiæ regula

di rebus mortalibus & fluentibus, vitæ regulam, utroque testamento firmatam, ut eorum nihil deligat, nihil per se appetendum putet: sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem, quantum satis est, usurpet, utentis modestia, non amantis affectu.

Necessaria ad vitam.

Hanc regulam *Lessius lib. 4. cap. 1. n. 8.* sic exponit, ut sub necessitate intelligat utilitatem & convenientiam. Non enim illud solum vitæ humanæ, ejusque officijs dicitur necessarium, sine quo quis vivere, & ea officia obire nequit, sed etiã sine quo non potest commodè & convenienter suo statui, spectata conditione loci, & personarũ quibus cum vivit, & occurrentium negotiorum.

Illud observabis regulam diverso modo esculentis & poculentis applicandam esse, atque venereis, scilicet pro ratione finis, ad quem illa ordinantur. Unde usus in cibo & potu haberi debet ea moderatione, quam postulat finis ad quem ordinantur, qualis est bona corporis valetudo, & mentis ad suas functiones idonea dispositio, itaut nec plus nec minus edatur, aut bibatur, quám ad ea requiratur. In venereis autem regula extra conjugium est, ab illis prorsus abstinere: in conjugio autem solum eis uti quantum expedit causa prolis aut mitigandæ libidinis.

QUÆSTIO II.

Quæ vitia opponantur temperantiæ: & quæ partes illius?

717. ADversantur temperantiæ duo vitia, alterum per excessum quod dicitur *intemperantia*, & alterum per defectum, qui *stupor* vocatur. Hic raró evenit (ut ait *Arist. l. 2. ethic. cap. 7.*) dari tamen potest, quando quis ita fugiat delectationes tactus & gustus, vel tam parum sẽtiat, ut eis uti nolit quando, ubi, vel quantum recta ratio præscribit. Unde erit peccatum lethale, si ex illo quis omittat ad quod graviter tenetur, v. g. capere cibum ad vitam necessarium, vel reddere debitum conjugi exigenti. Erit veniale, si ad illud leviter obligetur.

Stupor quod vitium.

Intemperantia est excessus in delectationibus gustus, vel tactus appetendis, aut fruendis, ut cũ appetuntur, vel capiuntur quando, vel ubi non oportet, vel plus quám oportet, vel non eo modo quo oportet, vel quas non oportet. Unde erit peccatum mortale aut veniale juxta conditionẽ materiæ in qua versantur delectationes.

Intemperantia quod peccatum.

Circa intemperantiam *Aristot. lib. 3. cap. 12.* observat 1. hoc vitium inter puerilia referri. 1. quia sicut puer absque ullo rationis ductu fertur in ea quæ oblectant, ita intemperantia. 2. sicut puer a pædagogo non repressus, sed suo arbitrio permissus instar equi indomiti fit præceps & refractarius, ita concupiscentia, si suis motibus permittitur, indies augescit, & rationi magis ac magis reluctatur.

Observat 2. intemperantiam inter omnia vitia esse homini maximè infame & probrosum. 1. quia homo per intemperantiam victus in delectationibus, quæ sunt communes brutis, in eorum redigitur ordinem, manetque humana dignitate spoliatus, & fit ventris, aut Veneris mancipium. 2. quia in intemperantia datur solus absque ratione brutalis impetus, & cæca sui ad pastum & venerem abjectio, ita ut nihil in illa reluceat industriæ, nihil generositatis sicut in alijs vitijs, v. g. furacitatis, & crudelitatis.

718. Quod attinet ad partes temperantiæ, eas S. Thomas 2. 2 constituit in triplici differentia numerans integrantes, subjectivas, & potentiales. *Integrantes* nimirum ex quibus integratur & coalescit temperantia, sunt duæ, scilicet Verecundia, & honestas: illa enim integrum suum officium rectè obit, his duabus partibus, nempe fugiens turpitudinem intemperantiæ per verecundiam, & prosequens decorem sui objecti per honestatẽ.

Temperantiæ partes.

Verecundia, quanvis non sit in rigore virtus, sed passio, de qua diximus in *Elucidar. n. 112.* tamẽ latè virtus dici potest quatenus fugere turpia, & probro digna, ut fugit verecũdia, laudabile est. De verecũdia & pudore vide Pegas to. 1 ad Ord. gloss. 166. *Honestas* si accipiatur generatim pro conformitate cum judicio rectæ rationis, tanquam regula operationis naturæ rationalis, & cum ipsa natura rationali ut fundamento talis regulæ per omnia opera virtutis transcendit. Si sumatur strictè pro eo in quo decor temperantiæ peculiariter elucet (habent enim opera temperantiæ specialem pulchritudinem, quatenùs excludunt voluptates brutorum, quæ hominem maximé deturpant) temperantiæ pars integrans est.

Verecundia & honestas.

Partes subjectivæ sunt species quæ sub temperantia tanquam genere continentur, quales abstinentia, sobrietas, castitas, & pudicitia. Materia enim temperantiæ, ut diximus, sunt voluptates tactus & gustus, quarum duo sunt genera: nam aliæ spectant ad alimentum, quod cibo & potu constat: & in his quoad cibum versatur *abstinentia*: quoad potum *sobrietas*. Aliæ spectant ad vim generativam, & ex his quædam principalis percipitur ex ipso actu conjunctionis: & circa hanc versatur *castitas*: quædam secundaria percipitur ex osculis, tactibus, & amplexibus, & circa illam versatur pudicitia.

Abstinentia & sobrietas.

719. *Partes potentiales* sunt omnes aliæ virtutes quæ frænant appetitum in aliquid inordinatè tendentem, ut, sicut temperantia cum suis speciebus frænant voluptates maximas, & veluti primarias, ita illæ moderentur secundarias, & minùs vehementes, tales censentur continentia, humilitas, mansuetudo, clementia, & duplex modestia. Nam tribus modis illa refrænatio, seu moderatio fieri potest. 1. in motibus internis. 2. in motibus externis. 3. in rebus externis.

Quoad motus internos, si voluntas excitatur impetu passionis, illum refrænat *continentia*. Si erigitur inordinatè in spem excellentiæ, hunc coercet *humilitas*. Si motu iræ accenditur ad vindictam, illum compescit mansuetudo, cui propinquat *clementia*. Quoad motus externos, sub quibus comprehenduntur verba, illos temperat virtus, quæ *modestia morum* vocari potest: quoad res externas, venit in considerationem omnis externus cultus & apparatus, quẽ refrænat & moderatur alia virtus, quæ modestia cultus appellatur.

Humilitas.

Modestia.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quid sit abstinentia, & sobrietas: & hujus quale officium?

Abstinentia quid sit. ABstinentia apud Latinos accipitur pro virtute, quæ opponitur rapacitati. Dicitur enim quis abstinens cum ab alienis abstinet, nihil rapiendo ab aliquo. Sic inter abstinentiam & continentiam est discrimen, quód illa in innocente, hæc in temperato reperiatur. Apud Canonistas abstinentia vera est a peccatis abstinere *De consecr. dist. 5. cap. jejunium & cap. nihil enim.*

720. Apud Theologos cum *S. Thoma* 2. 2. *q.* 146. sumitur pro virtute temperantiæ circa cibos, & sic accepta definitur in hunc modum: *Est virtus quæ inordinatas voluptates esculentorum refrænat, & in ipso usu debitam moderationem constituit.* Verum quidem est quòd abstinentia juxta modum loquendi sanctorum Patrum in materia temperantiæ dicat proprié talem alimentorum substractionem, quæ sit maior quàm ratio temperantiæ per se postulet. Qui enim moderato cibo utitur vescens bis carnibus per diem, sumpto forte jentaculo, & si dicatur in rigore temperans, non dicitur abstinens.

Abstinentia qualis. Notandum est 1. illos qui sunt dediti abstinentiæ, oportere ut caveant a duobus potissimùm vitijs, nempe impatientia, & superbia, ut monet S. Gregor. 3. par. pastor. admonit. 20. *ab impatientia*, quia abstinentia exsiccat corpus, humores accendit, & biliosos reddit. *A superbia*, quia abstinentes, cum præ se ferant speciem eximiæ sanctitatis, magnifiunt ab hominibus.

Notandum est 2. in abstinentia oportere dari talem moderationem, quæ congruat valetudini, & mentis officijs, juxta illud *S. August. lib.* 10. *confess. cap.* 31. *Hoc me docuisti* (alloquitur Deum) *ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam* Sumenda enim est tali moderatione, ut carni domandæ prosit, & valetudini notabiliter non noceat. Aliquando tamen expediés erit plus abstinere, quàm valitudini congruit, ut nempe dometur caro, & satisfiat pro paccatis, etiam si vires debilitentur, dummodo valitudo brevi non intereat.

Sobrietas quid sit. 721. Quod attinet ad sobrietatem, Sobrietas apud Theologos teste *Lessio lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 12. trifariam sumitur. 1. latissimé pro virtute temperantiæ. Sic accipitur Sapien. 8. *Sobrietatem & prudentiam docet.* Et Apost. ad Titum 2. *Sobriè justè & pie vivamus.* Sumitur 2. minùs latè pro temperantia cibi & potus: sic vocantur sobrij non solum qui parcé bibunt, sed etiam qui parcé manducant. 3. strictè & proprie pro moderatione potus valentis inebriare: in qua acceptione sic definitur. *Est virtus, quæ affectum & usum potionis inebriare valentis debitè moderatur.* Sic *sobrij* sunt qui in potu inebriante sibi temperant, ut judicium expeditum retineant: sicut ex opposito *Ebrij* qui debitam mensuram transgrediuntur cum judicij offuscatione.

Ex dictis patet distinctio sobrietatis ab abstinétia: nam hæc temperat ab immoderato cibo & potu inebriante, sobrietas verò a solo potu inebriante: unde est pars abstinentiæ. Verum quidem est quòd appellari possit specialis virtus, quatenus vincit specialem difficultatem quæ datur in temperando ab immoderato usu vini, de quo dicitur, *Ingreditur blandè, & in novissimo mordebit ut coluber.* Prov. 23.

Patet etiam resolutio quæstionis quoad ultimam partem de officio sobrietatis: habet enim pro officio ut sobrius ita se gerat conformatus præscripto rationis, ne bibat ea intemperantia, quæ mentem obruat, vel rationem obtenebret. Sobrietatis officium. Hujusmodi officium quod præstare debet in omnibus rationis usum habentibus, præcipuum habet locum in Episcopis, Principibus, senibus, fœminis, adolescentibus, ut docet S. Thom. art. 9. Nam sobrietas, cum sit necessaria omnibus pro superandis carnis tentationibus juxta illud *Luxuriosa res vinum.* Prov. 20. omninó necessaria est Episcopis, Principibus, & senibus in quibus præcipua requiritur mentis serenitas, quam turbat vinositas. Postulatur denique in adolescentibus & fœminis. Quia in illis fervor sanguinis ultra modũ vino augebitur, in his mentis debilitas vino facilè superabitur.

QUÆSTIO IIII.

Quid sit castitas & virginitas: & hæc quibus modis deperdatur?

722. CAstitas apud Latinos idem valet atque pudicitia, quæ virtus præcipuè versatur in cohibendis tactibus impudicis. Castitas quid sit. A Poeta Æn. 6. usurpatur pro religione. *Quique sacerdotes casti.* Apud Canonistas virtus est sub temperantia contenta, quæ turpes corporis voluptates moderatur juxta rationis præscriptum, & imperatur sacerdotibus 31. *dist. cap. sacerdotibus.*

Apud Theologos sumitur 1. latissimé, & metaphoricè prout importat quandam puritatem alienam ab omni labe peccati, & omni inordinato creaturarum amore: in quo sensu dixit Apost. 2. ad Corint. 11. *Despondi vos uni viro Virginem castam exhibere Christo, & S. August. lib. de mendac. cap.* 20. *Castitas animi* (inquit) *est amor ordinatus non subdens maiora minoribus.*

Sumitur *a S. Thoma* 2. 2, *q.* 151. *strictè* & proprié pro virtute quę versatur circa voluptates carnis reprimendas. Nam sicut abstinentia temperat affectum & usum in esculentis, Sobrietas in poculentis, ita castitas retardat voluptatem in venereis, ne sumantur ultra normam rationis.

Iuxta *Lessium lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 93. castitas est duplex, altera perfecta, altera imperfecta. Perfecta castitas est quæ perfectè excludit omnem omninò voluptatem carnis, etiam matrimonialem, itaut per illam quis ab omni appetitu venereo tam licito quàm illicito abstineat. Imperfecta est, quæ solum illicitas carnis voluptates excludit, licitas verò admittit cum moderatione. Consistit autem moderatio in eo quód capiatur voluptas debito tempore, loco, modo, & fine.

723. Habet castitas pro materia proxima in-

ternos motus concupiscentiæ: pro materia remota externos actus prævios cōjunctioni & ipsā cōjunctionē. Habet pro officio omnes tam internos illos motus, equam externos actus cōprimere, & juxta rationis normam componere. Ex quibus patet discrimen inter castitatem & pudicitiam. Nam prout versatur circa conjunctionem ipsam revocando ab ea affectum, vel ea utendo modo debito, castitas est: prout versatur circa actus prævios conjunctioni, pudicitia vocatur. Addit *Lessius citat. n. 95.* prout amputat Venereorum affectum & usum inordinatum, castitatem appellari, quatenus pudori, qui in usu illorum esse solet, conformis est, pudicitiam.

Pudicitia quid.

Circa alteram partem de virginitate, hæc nomen habet a virore, quasi semper vireat immunis a concupiscentiæ adustione. Apud Latinos virginitas est castitas Virginis, cui nullum fuit cū viro commercium. A Canonistis sumitur tripliciter 1. pro integritate corporis & non mentis, ut quando integri corpore, fornicantur in mente, scilicet per desiderium 32. *q.* 5. *cap. sicut enim.* 2. e contra pro integritate mentis & non corporis, ut quando virgo sine consensu tolerat quod alius operatur. Et de hac dicitur 32. *q.* 5. *§.* 1. Cum Virginitas sine consensu corrumpitur, meritum castitatis duplicatur. 3. pro integritate simul mētis & corporis, quám complectitur voluntas, & dicitur gloriosa virginitas. *Cap. sicut enim.* 32 *n.* 5.

Virginitas quid sit.

724. Apud Theologos duce *S. Thomas* 2.2. *q.* 152. dupliciter accipitur virginitas. 1. pro carnis integritate libidinosæ contagionis experte: in qua præcisā acceptione non est virtus, sed quid naturale cum quo nascimur. 2. pro voluntate & proposito dictæ integritatis & puritatis custodiendæ, sive in perpetuum, sive ad tempus connubij: & in hac acceptione virtus est: at non utroque hoc modo in rigore virginitas. Nam teste *Caietano a.* 1. *§. ad evidentiam,* quando corpus non sit voluntarié pollutum, & detur propositum sic permanendi, nisi matrimonio jungatur, non est proprié virginitas, sed status quidam castitatis.

Virginitas in rigore ita importat firmum propositum integritatis semper servandæ, ut omne propositum copulæ tam illicitæ, quàm licitæ excludat. Sic enim a S. Augustino, definitur lib. de virg. cap: 13. *Virginitas est in carne corruptibili in corruptionis perpetua meditatio.* Dicitur *meditatio*, quia est propositum, quod multam curam & meditationem requirit, ut nunquam excidat. *Incorruptio perpetua* importat exclusionem omnis voluptatis carnalis, itaut debeat Virgo habere propositum abstinendi in perpetuum ab omni voluptate carnali tam licita quàm illicita.

Virginitatis definitio.

Unde recte docet & probat Lessius lib. 4. cap. dub. 15. statum Virginitatis esse præferendum conjungio, non solum ob commoditatem vitæ temporalis, sed etiam propter vitam æternam rationem majoris meriti apud Deum. Ex quibus optimé infert tria, scilicet esse Virginitatem anteponendam conjugio: esse anteponendam propter vitam æternam, & esse per divinam gratiam in nostra potestate virginitatem sic præponi, illamque servare.

Virginitatis nobilitas.

725. Quod attinet ad amissionem, imprimis certum est Virginitatem amitti omnibus modis quibus amittitur castitas, ac proinde non solū carnali copula volūtaria, sed etiam turpibus desiderijs, ut docet *S. August. lib.* 1. *de civit. cap.* 18. Adde quando violatio integritatis carnis sive per copulam, sive per aliam turpitudinem fuit voluntaria, amitti Virginitatem irreparabiliter, ut ex SS. Patribus cum *S. Thoma a.* 3 *ad* 3. docent Theologi. Ratio est quia sicut innocentia denotat animā nunquam peccato lethali fuisse inquinatam, ita Virginitas denotat carnem nunquam voluntarié fuisse violatam.

Virginitatis amissio.

Rogabis 1. an deperdatur Virginitas sola voluntate nubendi? Respondeo affirmativé. Quia licet maneat corporis integritas, & ipse status, qui communiter appellatur Virginitas, tamen deperditur in rigore Virginitas quæ consistit in proposito abstinendi perpetuo ab omni venerea voluptate, etiam concessa.

Rogabis 2. an deperdatur Virginitas per involuntariam carnis violationem, quando Virgo per vim oppressa est? Respondeo negativé ex S. Augustino citato. Unde docet S. Thom. a. 1. ad 3. posse Virginem vi oppressam consecrari, & accipere velum Virginitatis, dummodo res sit occulta, & illa delectationi nullo modo consenserit. Quia membri pudendi corruptio, si præter intentionem eveniat, non magis præjudicat Virginitati, quám si manus aut pes corrumpatur.

Velum Virginitatis.

726. Rogabis 3. an deperdatur Virginitas per pollutionem contingentem in somnis? Respondeo negativé, si talis pollutio nullo modo fuit voluntaria patienti: secùs si fuit voluntaria, & procurata in vigilia v. g. per turpes cogitationes, vel alio modo, ut si quis ea intentione usus fuit certo cibi aut potionis genere. Notat veró *Lessius citatus n.* 120. talem qui culpa sua, etiam accedente externo contactu polluta fuit, si carnis retinet integritatem, posse velari. Quia licét corā Deo Virgo non sit, tamen Virgo reputatur ab hominibus illa quæ illæsum servat claustrum Virginale.

QUÆSTIO V.

Quid sit gula, & quale peccatum.

Apud Latinos gula, duce *Plinio lib.* 11. *cap.* 37. in radice proprietatis, est fistula colli interior, constans ex carne & nervo, per quam cibus & potus in ventriculum descendit. Translatitié a *Cicerone* 1. *in Sallust.* usurpatur pro voracitate, & nimio delicatorum ciborum appetitu. Apud Theologos, prout est vitium capitale, & author est S. *Thom.* 2.2. *q.* 148. ex *S. Greg. lib.* 30. *Moral. &* 27. dupliciter accipitur. 1. laté & complectitur omnem inordinationem etiam externam, quæ contingit tam in cibo quám in potu: in qua acceptione dividitur a nonnullis in duas species, scilicet comessationem & ebrietatem: de quibus meminit Apost. ad Roman. 13. *Non in comessationibus & ebrietatibus.*

Gula quid sit

727.

727. 2. strictè prout est habitus vitiosus, qui adversatur virtuti abstinentiæ. Sicut igitur hæc virtus est habitus, quo moderatè appetimus, & utimur cibo & potu non inebriante: ita gula est vitium quod in appetitione & usu delectationis cibi & potus præscriptum rationis excedit: in qua acceptione definitur a Sylvestro V. gula n. 1. in hunc modum: *Gula est appetitus sensitivus edendi & bibendi inordinatus*, nempe contra ordinem a ratione postulatum.

Gulæ species. Gula exercetur quinque modis, quos tanquã illius species recenset *S. Thomas 1.2. q. 148. a. 4.* & complectitur hoc carmine: *Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.* Nam si excessus fiat ratione temporis scilicet debitum tempus præveniendo, datur 1. species, quam significat *Præproperè*. Si fiat ratione substãtiæ, cum appetuntur cibi delicatiores quàm statum deceat: ut si religiosus velit semper edere gallinas vel perdices, datur secunda species, quam significat *lautè*. Si fiat ratione quantitatis, cum nempe manducatur, plusquam natura postulat, datur tertia species, quam significat *Nimis*. Si fiat ratione modi circa sumptionem, ut si quis instar canis aut leonis voraciter comedat cibos non mansos deglutiendo, datur quarta species, quam significat *Ardenter*. Si fiat ratione qualitatis, ut cum in condimentis, & studio præparandi exceditur modus, datur quinta species, quã significat *Studiosè*.

Gulæ filiæ. 728. Quod attinet ad alteram quæstionis partem, qualenam peccatum sit gula: certum imprimis est gulam esse vitium & peccatum capitale. Nam ab hoc vitio tanquam a radice pullulant multa alia velut rami, quos Theologi vocant filias, & *S. Gregor. lib. 31. Moral.* recenset quinque scilicet hebetudinem mentis, ineptam lætitiam, scurrilitatem, stultiloquium, & immunditiam, quas explicat nostrum *Elucidarium num. 1487.*

Gula quale peccatũ. Est etiam gula ex suo genere peccatum lethale, quod præcipué committitur, quando quis suũ ultimum finem ponit in illa delectatione: & hoc solet tripliciter contingere 1. expresse quando voluptatem illam summum esse bonum existimet, sicut olim Epicurei 2. implicitè, quando id non expresse judicat, erga illam tamen sic affectus est, ut propter eam non dubitet jura omnia divina & humana perfringere. Tales (rectè monet *Lessius lib. 4. c. 7. dub. 1. n. 6.*) sunt multi hoc tempore hæreseos ministri qui sanam doctrinam, & religionem propter ventrem adulterant, cauponantes Verbum Dei: de quibus *Apost. ad Phil. 3. Quorum Deus venter est.* 3. interpretativè, cum quis gulæ affectu paratus est peccatum aliquod mortale committere. Nam eo ipso quo quis tunc lethaliter peccat, facto ipso suam voluptatẽ Deo anteponit.

Polutio ex gula. Unde in multis casibus tertius hic modus locum habet. 1. quando quis furatur aut iniquè cõtrahit ad indulgendum palato & ventri. 2. quando jejunium præceptum violat. 3. quando ex nimio esu grave damnum valetudini advertenter infert. 4. quando timet probabiliter aliquod peccatum lethale ex cibi quantitate, vel qualitate. 5. si sequatur grave scandalum. 6. quando quis talẽ cibum animo habet ad nocturnam pollutionem, cum periculo consentiendi in delectationem: secus si absit talis animus, & tale periculum.

Humana carne vesci an liceat. 729. Difficultas est an liceat in aliquo eventu carne humana vesci? Constat esse peccatum lethale extra necessitatem gravissimam vesci humane carne. Sumitur ex sacra pagina *Genes. 9.* & ex ipso naturali horrore, quo gentes omnes, apud quas aliquid civilitatis viget, talem esum detestantur. An veró id saltem liceat in extrema necessitate? Negat *Victoria in relect. de temperan. n. 6. Fagundes in quinc. præc. 3. lib. 1. c. 1. n. 7.* & quidem probabiliter. Affirmandum tamen est cum *Caietano, Abulensi, Toleto*, & alijs, quos citat & sequitur *Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 2.* Quia licitum est pro necessario medicamento uti mumia, quæ est caro corporis humani sepulti cum unguentis aromaticis; ergo licebit uti tali carne pro alimento in necessitate extrema.

Carne cruda vesci. Quæres 1. an sit peccatum mortale comedere absque necessitate carnes animalium crudas, & potare illorum crudum sanguinem? Videtur affirmare *Azor p. 1. lib. 7. cap. 33. q. 4. & Victor. relect. de temperan n. 5.* Utrũque citat *Diana p. 8. tract. 7. resol. 84.* & refert concepta verba Azoris: sed ego (ut sæpe mihi accidit in authoribus per Dianam citatis) illum quæsivi, & non inveni in loco per illum citato, sed *cap. 21.* ejusdem libri. Mitiùs tamen & rectius a peccato mortali liberat Idem Diana loco citato cum *Fagundez & Machado*, si absit notabile damnum sanitatis. Quia non est notabilis deformitas: cum passim videamus a nostris cruda ova vorare, mandere sardinias crudas, & potare crudum lac, quod solo colore differt a sanguine.

Sanguinem potare.

Vomitus ut peccatum. 730. Quæres 2. qualiter peccet, qui advertenter comedit usque ad vomitum? Bené respondet *Ioan. Henriq. in compen. casuum cap. 19. n. 6.* cui subscribit *Diana p. 5. tract. 13. res. 40.* talem comestionẽ non excedere culpam venialem, nisi ex illa timeatur damnum notabile sanitatis, vel in eadem collocetur ultimus finis. Quia nullum grave præceptum violat. Addo nullam omnino fore culpam, si fiat intuitu sanitatis, ad noxios humores expellendos.

Delectatio seu voluptas ex esu & potum. Quæres 3. An sit peccatum, saltem veniale, comedere vel potare absque necessitate ob solam delectationem? Negat Ioan. Sanch. in select. disp. 2. n. 14. dummodò absit nocumentum corporis & salutis. Probat, quia licitum est velle appetitum frui suis actibus, qui rectæ rationi non dissonãt, cum nullum peccatum dari possit quod rectæ rationi non adversetur; ergo nullum erit peccatum velle capere delectationem ex cibo, vel potu. Aliter dicemus esse peccatum velle odorari florem, vel aromata ad capiendam voluptatem sine necessitate. Hæc habet Diana p. 3. tract. 5. res. 6. sed non affert suum proprium judicium. Mihi tamen omninò placet doctrina Sanch. citati dummodo actio illa sit dissonans capiendi voluptatem

ordinetur ad aliquem honestum finem, ut dicatur agens operare rationabiliter, & humano modo.

Quæres 4. an peccet lethaliter qui diebus prohibitis delectatur liberè & sensibiliter sola cogitatione carnis comedendæ? Affirmant *Medina* & alij. Quia esus carnium illis diebus graviter prohibetur; ergo similiter illius delectatio. Negandum tamē est cum *Layman in. Theol. mor. lib. 1. tract. 3. c. 2. n. 9. Vasq. 2. 2. disp. 110. cap. 1. & Lessio lib. 4. cap. 3. dub. 15. n. 114.* Ratio est, quia præceptum positivum humanum non prohibet, nec prohibere potest actus merè internos, qualis est illa delectabilis cogitatio sine desiderio transgressionis.

QUÆSTIO VI.

Quid sit ebrietas, & quale peccatum?

Ebrietas quid.

731. Ebrietas dicitur quasi extra briam, quod debitam vini mensuram excedat. Est enim bria mensura quædam proportionata. Apud Latinos ebrietas est mentis alienatio nimio potu. A Catone dicebatur insania voluntaria. Apud Canonistas ad *cap. ante omnia dist.* 35. est per qua inducitur mentis exilium, & libidinis provocatio.

Apud Theologos, vt docet S. Thomas 2.2. q. 150. a. 1. sumitur dupliciter. 1. pro defectu usus rationis, qui nimio potu inducitur, & sic non est proprie peccatum, sed effectus peccati. 2. pro ipsa potatione, quæ dictum effectum gignit. In qua acceptione opponitur sobrietati, & est peccatum, definiturque in hunc modum: *Ebrietas est excessus in potando causa voluptatis usque ad violentam usus rationis privationem.* Alio modo sic: *Est violenta rationis interceptio per nimium potum causa voluptatis assumptum.*

Gula & ebrietatis distinctio.

Distinguitur igitur a gula: quia sicut hæc consistit in excessu cibi & potus non inebriantis, ita ebrietas in excessu vini, aut alterius liquoris, qui inebriat. Unde non erit ebrietas si quis odore lupuli salictarij (ut ait *Lessius lib. 4. cap. 3. n. 13.*) aut suffitu tabaci, aut opio privetur usu rationis. Item nimius ille potus sumendus est causa voluptatis. Nam si sumatur causa medicinæ magnus haustus vini generosi v.g. contra frigidum venenum, aut contra cantharides, etiam usque ad privationem rationis, nec erit ebrietas, nec peccatum, ut cum *Caietano, Sylvestro & Navarro* tenet *Lessius citatus.* Tum quia ille potus non censetur immoderatus respectu subjecti, illum in tali quantitate exigentis; tum quia abest intentio voluptatis. *Azor p. 3. lib. 7. cap. 2.. q. 5. fine*

Ebrietas pro medicina.

Ebriositas, crapula.

732. Ab ebrietate distinguitur ebriositas, crapula, temulentia. Nam sicut ebrius opponitur sobrio, & denominatur ab una ebrietate, ebriosus autē non nisi a pluribus, & est qui sæpe fit ebrius ita ebriositas non coincidit cum una, sed cum multa, frequenti & repetita ebrietate. Crapula apud Latinos non est quæcunque ebrietas, sed quæ caput dolore & gravedine torquet: potestque stare sine mentis alienatione. Apud Canonistas *cap. a crapula, de vita & hon. cler.* est ciborum superfluitas: & dicitur crapula quasi cruda epula.

Temulentia quid.

Apud Legistas *l. unica C. qui Imperator contradixerit.* Sumitur *temulentia* simpliciter pro ebrietate, sicut temulentus pro ebrio. Apud Latinos temulentia est ebriositas: neque enim (inquit Plin. lib. 14. cap. 1.) una ebrietas temulentiam facit. Hinc temulentus quòd vinolentus & ebriosus. Temulentiæ nomen dedit Temetum vinum generosum, sic dictum quod mentem tentet & labefactet. Plura quære in nostro Elucid. n. 1493.

Ebrietas quale peccatum.

Quod attinet ad peccatum, sunt qui putēt nullum esse peccatum inebriari, quando ex ebrietate nullum peccati periculum immineat, ut si ebrius nihil unquam mali faciat, vel ita idonea priùs adhibeat, ne quid mali in ebrietate eveniat. Nam privare se ad tempus libertate, malū non est ut patet in eo qui se pro libito somno tradit. Hæc tamen doctrina improbabilis est, & cum *S. Thoma 2.2. q. 150. a. 2. Azorio p. 3. lib. 7. cap. 22. q. 5. & Lessio lib. 4. cap. 3. dub. 3. n. 13.* omninó dicendum ebrietatem, si voluntaria sit, sive directé sive indirecté, esse peccatum mortale. Directé se privabit intendendo ipsam ebrietatem: indirectē quando licet expresśé non velit inebriari, tamē bibit quātum potest, & satis est ad ebrietatem, cujus periculum advertens pergit bibendo.

733. Constat primo ex S. Pagina *Prov. 23. Ecclesiast. 19. Isaia 5. Apostol. 1. ad Corinth. 6.* in quibus locis vitium ebrietatis graviter objurgatur. Deinde ratione, quia valde dissonum rationi est, quod quis absque gravissima causa se privet non solum usu rationis, sed etiam potestate proxima utendi, suam mentē impediēdo, ita ut etiā vigilans ratione uti nequeat manens instar bruti.

Dices. Licitum est cuilibet citra peccatum mortale absque ulla necessitate indulgere somno, in quo privatur usu rationis; ergo eodem modo licebit indulgere vino, etiam si inebriatus privetur usu rationis. Respondeo concesso antec. neg. conseq. dispar ratio est, quia somnus est a natura institutus, ut per illam quietem reficiantur vires tū motivæ, tum sensitivæ, quod non cernitur in ebrietate: deinde per somnū non privatur quis proxima potestate utendi ratione, sed solo usu, cum maneant organa expedita, ut statim data vigilia mens possit ratiocinari: secús de ebrietate, quę mētem ita oblidet, ut etiam in vigilia impediatur.

Provocatio ad bibendum.

Quæres 1. an sit licitum ad æquales calices provocare, & respondere? Respondeo negativè cum *Lessio citato num. 32.* ubi ex sanctis Patribus Basilio, Augustino & Ambrosio rectè probat talem provocationem esse peccatū lethale si fiat animo se vel alios inebriādi: siquidē mortale est directa vel indirecta volūtate inebriari: & sic æqualis calicis provocatione cooperari aliorū ebrietati.

734. Quæres 2. an liceat se inebriare ad vitandum periculum mortis, quā alter inferet, nisi immodicus vini potus sumatur? Negant *Azor p. 3. lib. 7. cap. 22. q. 5. fine Caietan 2.2. q. 150. a. 2. & Uigers cap. 2. de temper. dub. 5. n. 26.* Quia non sunt facienda mala, ut veniant bona. Oppositum judicat probabile *Layman lib. 3. lect. 4. n. 5.* & probabilius *Lessius citatus n. 37.* cui acquiesco. Quia ebrietas, ut præcisé dicit privationem usus rationis

cx

ex potu, non est quid intrinsecè malum: siquidē (ut diximus n. 331.) cohonestari potest, quando sumitur per modum medicinæ ad vitandum vel pellendum gravem morbum; ergo similiter poterit cohonestari ad vitandum periculum ab extrinseco.

Quæres 3. an liceat alios inebriare, provocando ad æquales calices, ut quis vitet grave damnū vel proprium, vel alienum, præcipuè publicum? Affirmat, & quidem valde probabiliter *Lessius cit. n.33.* Quia licitum est suadere & inducere ad minus malum, ut vitetur maius. Hec obstat quòd tunc mens inebriati non avertitur a maiori malo per ebrietatem. Hoc enim est per accidens, & patet in alijs eventibus: nam licitum est suadere paranti urbem prodere, ut priùs expilet ærarium, quo interim impediatur proditio. Item licet suadere paranti occidere Petrum, ut domum ejus spoliet, quo interim Petrus evadat: & sic in alijs.

Suasio ebrietatis.

735. Quæres 4. qualiter imputari possint ad culpam quæ in ebrietate fiunt? Prænotandum est ebrietatem fuisse voluntariam & culpabilem, vel non: item mala inde secuta potuisse prævideri, vel non. Si fuit omninó in culpata, quidquid ex ea fuerit secutum, culpa vacat. Quia nullo modo, etiam in causa liberum est. Si fuit modo aliquo culpabilis, & prævideri malum poterat: quia v.g. talis expertus se in ebrietate talia patrare solitū, non cavit, ea ad culpam imputantur, juxta mensuram causæ, ut nempe si ebrietas fuit solum venialiter peccaminosa, illa non excedant culpam venialem. Si secuta nullo modo prævideri poterant, culpa omni vacabunt, etiam si ebrietas lethaliter culpabilis sit. Ita *Less. n. 29. usque ad 28.*

Ebrietate cōmissa peccatum.

Qualiter puniri possint & debeant quæ culpabiliter accidunt in ebrietate, vel per censuras, vel alias pænas, diximus tr. 1. & 4. & dicemus tr. 47. Qualiter teneatur uxor debitū reddere viro ebrio? *Fagund. to.2. in decal. lib. 6. cap.4.n.50.* negat teneri. Nos dicemus tract. 45.

Quæres 5. quibus indicijs deprehendatur quem fuisse ebrium? Tria rectè statuit *Lessius cit. num. 30.* Statuit 1. magnū esse signū hesternę ebrietatis, quādo quis postridie non recordatur quid dixerit egerit: quomodo in domum venerit, a quo deductus & adjutus, cum aliàs id probè recordari soleat. Statuit 2. si quis alioqui modestus & lenis, fecit aut dixit turpia, & sæva, signū est hæc processisse ex prudentia vino consopita, perturbata vino imaginatione. Statuit 3. quanvis vestigio titubante non procedat rectà, & omnes ei domus verti videantur, non censeri ebrium, si interim novit inter bonum & malum, licitum discernere, bonum eligere, declinare malum.

Ebrietatis indicia

TRACTATVS XXXV.

De jejunio naturali, & Ecclesiastico.

SECTIO I.

De jejunio naturali.

QUÆSTIO I.

Quid sit jejunium naturale, sub quod preceptum cadat, & quando.

Iejunium unde dictū & quid.

Ejunium apud Latinos ex *Livio lib. 6. belli Maced.* sumitur pro tempore, quo a cibis abstinemus. Iuxta Panorm. in *rub. de observat. jejun.* nomen habet a quodam intestino, quod ut plurimùm vacuum, & exinanitum est. Apud Theologos accipitur 1. metaphoricè pro abstinentia vitiorum. Sic Isaiæ 58. *Nonne hoc est jejunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis.* Unde S. August. tract. 17. in Ioan. *Iejunium* (inquit) *magnum ac generale est, abstinere ab iniquitatibus.*

Accipitur 2. & propriè prout importat quādam victus abstinentiā quæ vel est omni moda cibi & potus carentia, vel parsimonia in capiendo cibo & potu, atque adeo sic acceptum jejunium comprehēdit naturale & Ecclesiasticū. Omisso igitur Ecclesiastico in sequentes sectiones, jejunium naturale potest definiri in hūc modū: *Est perfectissima abstinentia ab omni cibo & potu, ita ut nihil omninò illorum sumatur, vel per modū cibi, vel per modum potus.*

Unde *Marchinus tract. 3. de sacrif. Missæ cap. 3. n. 4.* ex Concilijs & sacris canonibus & *S. Thoma 3 p. q. 8. a. 8.* rectè deducit pro multis casibus decidendis hanc regulam: Quoties (inquit) quis actione propria & vitali per modum cibi vel potus, vel per modum medicinæ aliquid, quantunvis minimum deglutit, frangit jejunium naturale: secus si per modum salivæ vel respirationis aliquid attrahat. Regula hæc ex dicēdis innotescet.

737. Circa alteram quæstionis partem de præcepto jejunij naturalis, certum est inter catholicos aliquod dari præceptum, quo tenentur Missam celebraturi, & quicunque sacram Eucharistiam sumpturi, de quo dicemus *tract. 38.* Constat etiam tale præceptum neque naturale, neque divinum esse. Non enim fuit impositum a Chisto Domino, qui potiús post esum agni paschalis corpus suum Apostolis dipensavit. Est ergo præceptum humanum Ecclesiasticum.

Ijunij naturalis præceptū.

Quando verò seu a quo tempore inceperit, verisimilius est illud ab Apostolis dimanasse, ut late probant *Vasq. in 3. p. disp. 211. cap. 1. Suar. disp. 66. sect. 3. & Lugo de Euch. disp. 15. sect. 2.* qui id præcipuè desumunt ex *can. 29. Tullano Sextæ Synodi*, ubi revocatur facultas Concilij Cartaginensis 3. can. 29. in quo feria 5. in cæna Domini excipiebatur. Alia insuper concilia nempe Bracharen. 1. & 2. c. 16. & can. 10. & Toletan. 7. can. 2. idem præceptum confirmant, & quanvis solum id exprimant

de sacerdotibus celebraturis, tamen Ecclesiastica consuetudo id intellexit de omnibus fidelibus communicaturis, & illam declararunt *PP. in concil. Conft. sess.* 11.

Jejunium quale ante Eucharistiam. Quod hujusmodi præceptum sit de jejunio naturali, & non de Ecclesiastico, itaut per solum naturale, & non per Ecclesiasticum illi satisfiat, ita certum est, ut contrariũ sit erroneum, teste Suar. de Euch. disp. 68. sect. 4. Sumitur ex *cap ex parte de Missar. celebr. & cap. Ut illud. de consecr. dist.* 1. Unde frangetur, si aliquis verè cibus, vel aliquis vere potus per modum cibi & potus etiam in modicissima quantitate sumatur, vel etiam per modum medicinæ.

Ex quibus patet hoc jejunium, prout ab Ecclesia præcipitur, non admittere parvitatem materiæ. Cum decreta cõciliorum, & praxis Ecclesiæ quemlibet cibum vel potum minimum prohibeant. Ita *Lugo de Euch. disp.* 15. *sect.* 2. *n.* 32. Ratio est, quia ibi non prohibetur directè illa materia cibi vel potus, sed communio post quemlibet cibum vel potum: & materia in se levis potest gravitatem aliunde habere ut graviter prohibeatur. Sicut gutta aquæ in calicem mittenda in se levis est, sed propter mysterium & significationem gravis manet.

QUÆSTIO II.

Quænam spectant ad cibum & potum ut tale jejunium violetur?

Cibus & potus quid sit ad violandũ jejunium. 738. Constat ad violationem jejunij naturalis duo postulari, alterum quod quicunque cibus vel potus sumatur: cibus & potus ille est, qui in stomacho alteratur, seu digeritur, vel ad digestionem pertinet: alterum, quod id fiat per actionem, quæ sit comestio vel potatio: & certè talis non erit, nisi quid ex cibo vel potu assumatur, & in stomachum trajiciatur.

Quæres 1. quænam veniant cibi nomine, ut possint frangere jejunium naturale? Non venire cibi nomine ad violandum jejunium naturale, ossicula sive fructuum, sive alterius generis, frustrũ ligni solidi, monetam auream, globulum plumbeum, frustrum unguis, filum ex ferro, vel serico, vel lana, etiam si sumantur in magna quantitate, rectè tradit *Tamborinus in methodo expeditæ communionis cap.* 2. §. 6. *n.* 17. ex *Lugone de Euchar. disp.* 15. *sect.* 2. *n.* 32. Ratio est quia prædicta in stomacho etiam valido non alterantur, cum eo modo quo deglutiuntur, integra, soleant egeri in excremẽtis.

Tabacum ad jejuniũ. E contra idem *Tamborinus loco citato* ex *Praeposito in* 3. *p. q* 80. *a.* 8. *dub.* 1. *n.* 39. rectè monet venire cibi nomine, & violare jejunium naturale Tabacum per os assumptum, si deglutiatur, pilulas medicinales, & similia, quia sunt cibi quanvis medicinales, quibus semper admixtæ sunt particulæ ad digestionem & nutritionem accommodæ. Dixi tabacum per os assumptũ, si deglutiatur. Quia de illo per nares sumpto, vel de fumo illius sumpto per os, dicemus sequenti quæstione.

Papyrus terra & cera ad jejunium. 739. Quæres 2. an veniant cibi nomine, ut violent jejunium naturale papyrus, seu charta, filum ex lino, terra, seu creta, quam edunt fœminæ, item cera? Affirmat de his omnibus violare tale jejunium, *Tambor. cit n.* 19. & 20. Probat de papyro & filo lineo, quia ducunt originem ex herbis, quæ non minus digeruntur quam musca, culex, vel fœnum.

Probat de terra & creta, quia cum non sit purum elementum, alterari & digeri potest in stomacho. Confirmat, quia nemo dubitabit frangi illud jejunium pulvere terræ Cypriæ, vel lapidis Bezuar, etiam si sine jusculo deglutiatur; ergo idem de terra & creta. Probat de cera, quia hæc in stomacho magis alterabilis est quam creta, cum semper aliquas mellis partes admixtas habeat.

Hæc sententia securior est, & quidem meo judicio probabilior quàm opposita negans per prædicta frangi naturale jejunium. Huic tamen non audeo negare probabilitatem, cum illam defendant viri docti, quos allegant, & sequuntur *Ioann. de la Cruz in direct. p.* 2. *de Euch. q.* 5. *dub.* 4. *Ioan. Sanch. in select. disp.* 42 *n.* 23. *Diana to.* 1 *tract. de celeb. miss. resol.* 51. & *to.* 2. *tract.* 4. *de sacram res.* 38. & *Cordeyro par.* 2. *tract.* 2. *q.* 4. *n.* 7. De cera non frangente, solùm inveni expressum in *summa Diana. V. Commun. dispos. n.* 33. Ratio pro hac sententia esse potest: quia licèt serpentes & buffones (ut fertur) terra alantur, & cervi ac mures papyrum edant, tamen hujusmodi cibus humanus non est: secùs dicetur ignem cibum esse, cum feratur vermes illos qui vocantur pyraustæ, igne vivere & vesci. Ex quibus etiam existimo carbonem non violare naturale jejunium. A fortiori cal nullo modo violat: quia cibus naturalis non est. *Carbo ad jejunium. Cal ad jejunium.*

Avellana devorata Quid si avellana, vel pinea nux cum cortice integra deglutiatur? *Ioan. Sanch. in select. disp.* 22. *n.* 23. *fine* affirmat frangi jejunium. Quia illa materia est comestibilis, & per accidens non alteratur. De hac tamen resolutione dubitat *Tambor. cit. n.* 21. Et meritò, quia ut trajicitur, & servatur nucleus in cortice, nec alterabilis, nec digestibilis est, proindeque cibus non est in actu, sed in pòtentia.

Potus violans jejunium. 740. Quod attinet ad potum, hic sive sit vinum, sive aqua, & quicunque alius liquor, etiam in modicissima quantitate guttulæ, si de industria sumatur, ad violandum jejunium sufficit, sicut ex cibo sufficeret minutissimum anisi granum. Item sufficit potio medicinalis, aurum potabile, & similia. Item si quis a suo digito vulnerato sanguinem sugeret. Quia per modum potus assumeret. In *Lugo cit. n.* 32. Quid si quis aquam hauriat, & statim ejiciat ab stomacho? Censendus est non jejunus. Quia semper rationabiliter præsumitur aliquid in stomacho remansisse. Ita *Tambor cit. n.* 22.

QUÆSTIO III.

Qualis censeatur vera comestio & potatio ad violationem jejunij naturalis?

Comestio & potatio quid. Diximus n. 738. ad violationem jejunij naturalis postulari quòd cibus vel potus in stomacum descendant per veram comestionem, aut potationem. Quid sit autem vera comestio, & vera potatio exponamus. Datur igitur quando ve-

rus

rus cibus, aut verus potus per modum cibi aut potus capiuntur: atque adeo quando aliquid hujusmodi quod potest nutrire, vel juvare nutritionem per os sumitur, itaut proprié ac per se actione vitali comedendi aut bibendi in stomachū trajiciatur. Unde nec vera comestio, nec vera potatio datur, quādo cibus, vel potus in stomachum descendit per modum salivæ, vel per modum respirationis. In his conveniunt Theologi cum *Suar. de Euch. d. 68.*

Infertur 1. non frangi naturale jejunium, quādo gutta aquæ commiscetur salivæ in ablutione oris, vel gutta jusculi commiscetur salivæ in probatione, seu gustatione, sitne bene conditum, etiā si in stomachum fiat descēsus, dummodo quis sumendo in ore aquam illam, vel jus ad percipiendum saporem, statim exputat. Ita *Suar. citatus.*

Tabachus ad jejuniū

741. Infertur 2. non violare illud jejunium humorem descendentem etiam in magna quantitate ex capite, vel gingivis, etiam non admixtum salivæ, si deglutiatur. Idem est dicendum de habente ampullam, vel ulcus intra os, si resolvatur & intret stomachum. Quia non sumitur ab extrinseco per os. Ita *Tambor. n. 23. ex Lugone n. 33* Nec dissentit *Suar. citatus.* Idem dicendum est de sumptione tabachi per nares, sive in folio, sive in pulvere, sive in fumo. Ita *Granad. in 3. p. contr. 6. trac. 10. disp. 8. n. 4.* qui addit non solvere illud jejunium aliquantulum aquæ attractæ per nares. Quia hæc omnia non sumuntur per os, & non per modum cibi. Secus, diceretur frangere jejunium quod per infernum orificium per clysterē infunditur. Item cibus qui positus in umbilico nutrit per juxta positionem: hæc autem dici nequeunt. Infertur 3. non frangere hoc jejunium muscam, culicem, si attrahantur per modum respirationis, etiam si nutrire possint.

Musca & culex ad jejunium.

Dubitabis 1. an musca vel culex intrantes os violent jejunium, si potens expuere, in ventrem trajicit? Respondeo affirmativé ex doctrina *Lugonis n. 33.* Ratio est, quia illa sunt verus cibus, & in illorum trajectione datur vera comestio. Nec obstat quód involuntarié ab extrinseco venerint, & intrarint. Nam si decidens in puteum aquam invitus bibat, vel ægrotans per vim & involuntarié cibetur, jejunus non manet. Quia tunc verus potus & cibus descenderunt per comestionem & potationem.

Fumus ad jejunium.

Dubitabis 2. an odor & fumus per os in stomachum trajectus frangat jejunium? Affirmat *Antonius de Leone p. 2. §. 4. n. 10.* id generaliter asserens de tabacho, sive in pulvere, sive in folio aut pulvere sumatur. Fumus enim nutrit, cum feratur solo fumo & odore vitam nonnullos protraxisse. Et quanvis fumus non sit potabilis, per modum nutrimenti & potus sumi potest. Negandum tamen est cum *Granado in 3. p. contr. 6. tr. 10. disp. 8. n. 4. & Tamburino citato n. 23.* Quia præterquam quód fumus & odor nec cibus nec potus sint, non sumuntur per modum cibi aut potus, sed per quandam afflationem & attractionem.

Aromatica grana ad jejuniū

742. Dubitabis 3. an frangant jejunium aromata ori imposita, & dentibus fracta, item tabacum in folio sumptum per os? Negativa resolutio quoad utranque partem est satis probabilis. Prior pars de granis aromaturæ, traditur ab *Ægid. Bellano q. 80. art. 8. n. 48. Bonacina dè sacr. disp. 4. q. 6. pun. 2. n. 9. & Diana p. 5. tr. 13. res. 1.* & intelligitur dummodo nihil deglutiatur. Addit *Tannerus to. 4. disp. 5. q. 8. a. 8. not. 1.* nec frangi jejuniū, si modicum quid ex illis salivæ incorporatum in stomachum decidat. Posterior pars de tabaco defenditur a *Diana citato, & Alphonso de Leone de offic. Capel. q. 8. sect. 17. casu 2. a n. 134.* contra *Antonium de Leone in q.q. moralibus de chocolate p. 2. § 4. n 10.* Intelligitur similiter, modo nihil deglutiatur.

Dicunt aliqui non frangi jejunium, quanvis granum aliquod casu in stomachum decidat, sicut quando musca vel culex in illud intrant: & idem dicent de folio tabaci. Hanc tamen extensionem recté improbat *Tamborinus cit n. 26.* quia ille grani descensus est vera comestio, licet non volita: secus muscæ, vel culicis ingressus: nam culex mittitur in stomachum per respirationem: granum, illud per veram trajectionem.

Reliquiæ cibi ad jejunium.

Dubitabis 4. an frangat jejunium qui post mediam noctem deglutivit reliquias, quæ inter dentes manserunt ex cibo diei antecedentis? Conveniunt omnes cum *Vasq. disp. 211. c. 3. n. 30. & Filliucio to. 1. tr. 4. cap. 8. n. 1.* non frangere, si tales reliquiæ casu trajiciantur. Tota difficultas est, quando voluntarie, & advertenter trajiciuntur. Adhuc non frangere tenent *Tabien. V. communicare §. 49. Henriq. lib. 8. c. 10. §. 4. in glos. lit. F.* Et hoc probabile judicant *Ioan. de la Cruz in dir. rect. consc. p. 2. q. 5. & Diana p. 2. tr. 7. res. 37.*

[...]us accbat ad jejūni

743. Dicendum tamen est cum *Suario disp. 68. sect. 4. §. Dices ergo. Lugone disp. 15. sect. 2. Hurtado de Euch. disp. 9. diff. 15. Vasq.* & alijs frangere, acproinde teneri eas expellere, qui advertit esse in periculo ut trajiciantur. Ratio est, quia sic ille descensus æquipollet comestioni, & parum refert quod non hac die, sed hesterna assumptæ fuerint. dummodò comedantur. Ex quo recté deducunt citati authores violare jejunium saccharum, si ante cubitum ponatur in ore ad tollendum raucedinem, & post mediam noctem liquescens decidat in stomachum.

Dubitabis 5. an ut quis sit jejunus naturaliter, requiratur quòd hesternus cibus sit digestus, vel saltem quód post cænam dormierit? Recté negant *Suar. disp. 68. sect. 4. Lugo. cit. n. 39. Bonacina de sacr. disp. 4. q. 6. p. 2. n. 11. & Tambor. n. 27.* cum alijs, quos citant. Ratio est, quia illa digestio & dormitio nullo jure cavetur. Ex quo sequitur sacerdotem, qui in vigilia nativitatis sumpsit prope mediam noctem collationem serotinam, posse statim post mediam noctem celebrare Dei his tamen & alijs requisitis ad præparationem celebrationis & communionis, dicemus *tract. 38.*

SECTIO II.

De jejunio Ecclesiastico quoad essentiam, & requisita ut observetur.

QUÆSTIO I.

Quid sit jejunium Ecclesiasticum?

744. Qualis sit ethymologia hujus nominis (jejunium) qualis acceptio, & qualis divisio in naturale & Ecclesiasticum, diximus sectione 1. ubi etiam de jejunij naturalis essentia, requisitis, & observantia egimus. Superest agere de jejunio Ecclesiastico, & imprimis de illius essentia, quæ, explicata definitione, innotescet.

Iejunium juris naturalis & Ecclesiastici. Sed ante illius definitionem, supponimus ex nostro Elucid. n. 1481. sicut datur diversitas inter jejunium naturale, & jejunium juris naturalis, ita dari inter Ecclesiasticum & juris Ecclesiastici. Nam jejunium naturale est quale definivimus q. 1. jejunium juris naturalis (ut docet *Azor p. 1. lib. 7. de jejun. c. 8. q. 1.*) est id quod ratio naturalis præscribit, quo subtrahimus corpori escam, ut animo imperanti commodiùs obtemperet, & libidinis impetus frænetur. Iejunium Ecclesiasticum est quale mox definiemus. Iejunium juris Ecclesiastici est omne quod suo jure præcipit Ecclesia, præcipit autem etiam naturale ante communionem, seu S. Eucharistiæ receptionem.

Ut quæstioni propositæ satisfaciamus, jejuniū Ecclesiasticum in hunc modum definiri solet ab authoribus: *Est voluntaria abstinentia a cibo juxta præscriptum Ecclesiæ, vel receptam consuetudinem.* Dicitur *voluntaria*, quia qui invitus a cibo abstinet, vel quia illo caret, vel quia habens impeditur a capiendo, non jejunat: voluntas enim jejunandi, seu faciendi opus præceptum, requiritur. Dicitur *a cibo* Quia jejunium Ecclesiasticum non consistit in abstinentia a potu, sed a solo cibo, qui sit verus cibus contra famem, sive sit densus ut panis & caro, sive sit liquidus ut lac & jusculum. *Potus ad jejunium.*

Iejunij descriptio. 745. Ultima particula (juxta *præscriptum Ecclesiæ, vel receptam consuetudinem*) optimè patebit ex quadam jejunij Ecclesiastici descriptione, seu explicatione, quam juxta *cap. Denique dist. 4.* a Canonistis conficimus in hunc modum: *Est prandij, & post cœnam cujuslibet cibi subtractio usque ad diem sequentem: & abstinentia a carnibus, & ab iis quæ a carnibus originem trahunt, ut a lacte, caseo & ovis.*

Ex his constat ad jejunium Ecclesiasticum postulari tria. Primum est abstinentia a cibis certi generis, nempe a carnibus propriè dictis, & ab iis quæ a carne ducunt sementinam originem, qualia sunt ova & lacticinia. Qualiter verò consuetudo hoc mitigaverit, & an spectet ad essentiam jejunij abstinentia a carnibus, dicemus infra. Secundum est, abstinentia plurium refectionum, itaut intra spatium diei naturalis detur unica comestio, quæ cæna vocatur: quanvis ex usu jam liceat serotina collatio, vulgo *consoada*, quam infra exponemus. Tertium est certa refectionis hora: quæ olim erat circa nonam diei, id est, tertiam pomeridianam *cap. solent, de consecr. dist. 1.* hodie ex usu recepto est circa meridiem. Sed jam hæc omnia per sequentes quæstiones expediamus.

QUÆSTIO II.

Qualiter ad jejunium ita requiratur abstinentia a solo cibo, ut potus liceat?

746. NON loquimur de potu, qui solo nomine & in modo potus est, & in realitate cibus, utpote natura sua ordinatus ad alendum. Qualia sunt lac, jusculum, amidū amygdalarum, & alia similia nutrientia. Nam hæc omnia frangunt jejunium, ut omnes fatentur. Non loquimur etiam de vero potu, qui non ordinatur ad alendum, sed solum ad distributionem cibi per corpus, & refrigerium sanguinis, qualis est aqua. Quia certum est non frangere jejunium: cum Ecclesia non prohibeat abstinentiam a vero potu. *Potus ad jejunium.*

Dubium est 1. an vinum frangat jejunium? Affirmant *Covar. lib. 4. var. cap. 20. vers. 6. Ricchard. in 4. d. 15. a. 3. q. 7. Antoninus p. 2. tit. 6. c. 2. §. 9.* & alij quos sequitur *Regnal. in praxi to. 1. lib. 4. c. 13. sec. 1. n. 153.* Et certé veterum Christianorum jejunia carnium cibo, & vini potu carvisse, ex sanctis Patribus docet *Azor. p. 1. lib. 7. cap. 10. q. 7.* Idque aperté insinuat *Clemens Roman. lib. 5. constit. Apost. cap. 17. A vino* (inquit) *& carnibus abstinete vos his diebus* Loquitur de diebus quadragesimæ. *Vinum ad jejunium.*

Nihilominus vino jejunium frangi, negandum est cum *Azorio citato, Sanch. tract. de jejun. dub. 23. Fagund. de 4. præc. Decal. lib. 1. cap. 2. n. 15. Bonacina de præc. Eccl. pun. 1. n. 7. Palao tract. 30. disp. 3. p. 2. q. 2. n. 4.* & multis apud eosdem citatis. Et procedit quocunque tempore intra diem jejunij vinum sumatur. Ratio est quia vinum non alit per se, sed per accidens, quatenus valde conducit ad cibi decoctionem, & roborat spiritus vitales. Addunt citati authores, quanvis vinum intemperanter, & in quantitate immodia sumatur, non violare jejunium, sed solam temperantiam.

747. Dubium est 2. an Zythum, seu cervisia frangat jejunium? Videtur affirmandum. Quia cervisia conficitur vel ex succo pomorum, vel ex hordeo & tritico ac similibus, quæ sunt verus cibus. Nihilominus id expresse negant *Filliucius tract. 27. parte 2. cap. 2. n. 42. & Bonacina citatus n. 7.* & a paritate rationis debent consentire in potum qui dicitur ptisana, & conficitur ex hordeo, sicut cervisia ex alijs similibus. Huic opinioni non denego probabilitatem, tum quia duo citati authores illam absoluté tenent: tum quia sicut vinum censetur verus potus, quanvis fiat ex vero cibo, nempe uvis, ita cervisia erit verus potus, licèt fiat ex pomis. De ptisana id non audeo asserere. Quia non inveni authorem, quo nitar, & illa sine sacchato potari non solet. Secùs si per modum medicinæ, de quo infra. *Cervisia & ptisana ad jejuniū* *Ptisana ad jejuniū* *chocolate ad jejuniū*

Dubium est 3. an frangat jejunium potio Hispana quæ dicitur *chocolate*? Negat *Turrianus in summa p. 1. cap. 256. dub. 24. concl. 4. & 7.* & pro hac sententia facit magnum tractatum *Thomac*

nus Hurtado. Affirmandum tamen eſt cum *Sylvio in 2.2. q. 47. art. 6.* & alijs, quos citat & ſequitur *Diana p. 4. tract. 4. reſol. 194. & p. 5. tr. 5. reſ. 11.* Nam dicta potio conſtat ſaccharo, fructu qui vocatur *cacao*, & alijs ingredientibus, quæ habent veram rationem cibi, ac per ſe nutriunt. Excuſare tamen poterit tranſgreſſionem vel parvitas materiæ, quam exponemus num. 359. vel ſumptio per modum medicinæ, ut dicemus num. 357. Hurtado ſuo magno tractatu nihil probat, niſi forte ex reſponſione Pontificum, quos allegat, eos voluiſſe tanquam dominos juris Eccleſiaſtici, talem potationem ſtare cum jejunio. Quare ego approbare non audeo talem potionem in die jejunij, niſi detur aliqua ex dictis cauſis, vel conſuetudo legitime præſcripta.

Pharmacum ad jejunium.

Dubium eſt 4. an violet jejunium pharmacum, & electuaria quæ potari ſolent? Negativa reſolutio vera eſt & clara in pharmaco. Quia cũ hoc ſit capienti valde moleſtum, nunquam ſumitur per modum potus, aut cibi, ſed ſemper per modum medicinæ. Secus in alijs electuarijs, quæ palato grata ſunt. Hæc enim ſi ſumantur intra juſtam menſuram per modum medicinæ, non frangunt: ſi extra menſuram, poſſunt graviter aut leviter frangere, attenta quantitate exceſſus. Ita *Azor p. 1. lib. 7. c. 10. q. 7. fine Leſſius lib. 4. c. 2. dub. 2. n. 8. & 10. Abulenſis Reginal. Navarr.* & alij quos citat & ſequitur *Bonacina de præc. Eccl. diſp. ult. p. 1. n. 7.*

Potus repetitur.

748. Dubium eſt 5. an violet jejunium, qui non ad ſedandam ſitim, ſed potius ad expellendam famem ſæpe bibit? Affirmant *Medina cod. de jejun. q. 11. Verſic. in his Reginal. lib. 4. n. 153. Abulenſ. in cap. 6. Matth. q. 164. in reſpon. ad 1.* & alij, quibus videtur conſentire *Azor cit. q. 7. fine* Quia vinum ſæpe bibens pro ſedanda fame, hoc facit in fraudem legis. Negandum tamen eſt cum *Navarro cap. 21. n. 13. & Filliucio*, quem citat & ſequitur *Bonacina citatus n. 8.* quibus accedit *Sanch. to. 2. conſil. lib. 5. c. 1. dub. 13.* Quia non cenſetur agere in fraudem legis qui utitur jure ſuo: utitur autem jure ſuo qui ſæpe bibit die jejunij, cum neque potus, neque externa actio potandi prohibeatur: quidquid autem ſit de intẽtione, ſeu actu meré interno, quẽ humanus legiſlator prohibere nequit.

QUÆSTIO III.

Qualiter abſtinentia a carnibus requiratur in Eccleſiaſtico jejunio?

ABſtinentiam a carnibus poſtulari in jejunio Eccleſiaſtico, omnium catholicorum eſt ſententia apud *Azorium p. 1. lib. 7. cap. 10. q. 6. Laymanum lib. 4. tr. 8. cap 1. n. 12. Filliucium tract. 27. cap. 3.* & alios. Nam Eccleſia prohibet omnem eſum carnium diebus jejunij. Quoad jejunia Quadrageſimalia; habetur prohibitio in *cap. ſtatuimus diſt. 4.* in 6. ſynodo generali can. 56. in concil. Tolet. 8. cap. 9. Quoad reliqua jejunia ſumitur ex *cap. de eſu carnium, & conſec. diſt. 3.* & ex *Concil. Gerundenſi cap. 3.* Nam intentio Eccleſiæ fuit per jejunium frænare libidinem, & concupiſcentiam

Carnis abſtinẽtia jejunio.

carnis, debilitato corpore, quod proinde retraxit ab eſu carnium: ſunt enim carnes magis nutritivæ quám piſces, & illarum eſus communiter magis voluptuoſus.

749. Eſt difficultas, an abſtinentia ab eſu carnium ita ſit de eſſentia Eccleſiaſtici jejunij, ut hoc ſine illa ſtare nequeat, ex quo ſequatur diſpenſatum ad edendas carnes non teneri jejunare? Negant *Corduba in ſumma q. 143. Medina C. de jejunio q de his qui ad jejun a tenentur §. de infirmis, Ledeſma 1.4. q. 17. art. 3. Bonacina p. 2. n. 3. & inſinuat Leſſius lib 4. c. 2. n. 45. & Pedraza in ſumma 3 præc. §. 14.* qui proinde exiſtimant diſpenſatum in carnibus teneri ad jejunium quoad reliqua. Probant, quia non potens in omnibus, tenetur in eo quod poteſt. Alij diſtinguunt inter neceſſitatem præſentem & futuram: dicuntque diſpenſatum ratione neceſſitatis præſentis non teneri jejunare, ſecus ſi diſpenſetur ratione neceſſitatis futuræ, qualiter ſolent diſpenſari Principes.

Hæ opiniones ſunt probabiles. Affirmandum tamen eſt cum probabiliori, quam abſoluté defendunt *Azor p. 1. lib. 7. c. 10. q. 3. Fagundez præc. 4. lib. 1. cap. 2. n. 3.* & cum multis *Sanch. conſil. lib. 5. cap. 1. dub. 29.* aſſerentes diſpenſatum ad edendas carnes, non teneri ad jejunium. Ratio eſt, quia abſtinentia a carnibus pertinet ad eſſentiam jejunij, juxta ipſius definitionem: qui enim edit carnes manet impotens ad jejunandum; ergo non tenetur. Confirmatur, quia non eſt magis de eſſentia jejunij unica comeſtio quàm abſtinentia a carnibus: ſed diſpenſatus in unica comeſtione non tenetur jejunare, ut patet; ergo neque diſpenſatus in eſu carnium.

Notant *Henriq. lib. 7. de Indulg. cap. 13. n. 12. & Abulenſ. ad cap. 6. Matth. q. 171.* ſi quis carnes in extrema neceſſitate comedat, quia alio cibo caret, & eſt dies jejunij, ab hoc non excuſari; ex eo quia nõ utitur carnibus ut carnes ſũt, ſed ut inſtrumẽtum ſuſtentãdæ naturæ. His tamẽ non acquieſcit *Sãch. n. 4.* & meritò ob rationem, quã attulimus.

750. Obſervat bené *Fagun. cit n. 7.* quamvis ſit de ſubſtantia jejunij abſtinentia a carnibus, non è converſo oportere, quòd jejunandum ſit quoties a carnibus abſtinendum eſt. Patet in omnibus ſextis ferijs, in quibus, excepta in quam incidat Natalitium Domini, ex præcepto Eccleſię a carnibus datur abſtinentia, & tamen non ſemper datur jejunium.

Levis difficultas non eſt examinare quid veniat carnis nomine, ut intelligatur quid ſit prohibitum in Eccleſiaſtico jejunio? Sunt enim quædã animalia, de quibus dubitatur ſub piſcis ne an carnis appellatione cõtineantur, qualia ſunt v.g. chamæleon, ranæ, teſtudines, limaces, ſcytale, Luſitani dicunt *rato cego.* fiber ponticus, Luſitani dicunt *Lontra*, & animalcula ſimilia.

Animalia de quibus dubitatur an ſint piſces.

Generalis regula eſt ab omnibus recepta, nomine carnis venire quæ a piſcibus contradiſtingũtur. Quænam veró animalia inter piſces numerẽtur, ſi occurrat dubium, ſtandum erit communi Chriſtianorum uſui, & hujus defectu, medici periti

riti sunt consulendi. Non fit autem leve judiciū (inquit *Bonacina cit. p 2. n. 1. cum Azorio & Reginaldo* citatis) si attendatur, an animalia naturaliter extra aquas diu vivere possint, ut judicentur carnes. Unde ex hac regula tenendum omnino est inter carnes numerari chamæleonem, aves aquaticas, quæ in aquis solent cibum quærere, nēpe fulicas, corvos marinos, & similes, quanvis habeant saporem piscium. Idem (ait *Fagund. cit. lib. 1. c. 2. n. 9.*) dicendum est de lontris, & similibus quæ in aquis cibum quærunt.

Lontra & aves aquaticæ.

751. Illud rectè advertit author proximé citatus, perquirēdū a philosophis & medicis fore, an sint aliqua animalia quæ neque ad pisces, neq; ad carnes pertineāt? Nam si hęc dētur, non cēseri debent prohibita. Et fortassis hac ratione cochleæ, seu limaces absq; scrupulo comeduntur a nōnullis diebus vetitis, præsertim in Italia & Hispania: cū hujusmodi animalia diu conserventur ac durent extra aquas.

Cochleæ & limaces.

QUÆSTIO IIII.

An & qualiter in jejunio Ecclesiastico requiratur abstinentia ab ovis, & lacticinijs?

Ovorū & lacticiniorum esus.

CUM supra in descriptione, seu explicatione jejunij Ecclesiastici num. 345. posuerimus tanquam ad illius observationem requisitam abstinentiam non solum a carnibus, sed etiam ab iis, quæ a carnibus sementinam originem trahunt, difficultas est, an diebus jejunij prohibeatur esus ovorum, & lacticiniorum? Procedit absoluté nō attenta consuetudine legitimè præscripta, quæ tātæ efficaciæ est, ut sicut leges inducere, ita etiam abrogare possit. Unde *Bonacina de prab. Eccl. disp. ult. q. 1. pun. 2. n. 2.* testatur comedentem Romæ lacticinia jejunij tempore graviter peccare. Quia ibi recepta consuetudo grave præceptum indūxit, & ita declaravit quædam congregatio. Possū ego testari ex contraria consuetudine non peccare in Transtagana regione eos qui in jejunio etiā Quadragesimali vescuntur ovis & lacticinijs, si habitent in locis mediterraneis.

752. His positis, si loquamur de diebus jejunij extra Quadragesimam, & a fortiori de illis in quibus solum præcipitur abstinentia a carnibus, quales sunt sexta feria, & sabbathum, posse absq; peccato dari esum ovorum & lacticiniorum, cōmunis sententia est, quam tenent cum *S. Thoma 2. 2. q. 147. a. 4. Sylvest. V. jejunium q. 5. Azor to. 1. lib. 7. c. 10. q. 2. Valen. to. 3. disp 9. q. 1. pun. 3. Reginal. lib. 4. n. 144. Filliuc. Less.* & alij quos citat & sequitur *Bonac. cit. p. 2. n. 2.*

Si loquamur de jejunio Quadragesimali, probabilis est opinio negans sub culpa gravi prohiberi ova & lacticinia, quam sequitur absoluté *Fagun. in 4. præc. quinc. lib. 1. cap. 2. n. 11. & 12.* adductis pro se *Palacio in annot. super Caietan, c. 4. Ferdin. Perez in contract. in instit. de jejunio* & Glos. in Gratian. ad *cap. denique de consec. dist. 4.* Nec obstat huic probabilitati decretum Alexandri 7. anno 1665. dānātis hanc propositionem: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obligat.* quia citati authores admittunt aliquam obligationem, nempe sub veniali. Probabilius tamen est illorum esum prohiberi sub culpa gravi. Ita ex *S. Thoma 2. 2. q. 147. a. ult. Valent disp. 9. q. 2. p. 3. Lessius lib. 4. c. p 2 dub. 2. n. 5. Ioan. Sanch. in select. disp. 51. n. 18. Layman. lib. 4. sum. tract. 8. c. 1. 4.* & alij quos citat & sequitur *Palaus tract. 30. disp. 3. punc. 1. § 1. n. 6.* qui rectè notat quanvis non omnes ex citatis dicant abstinentiam hanc præcipi sub mortali, id manifestè supponere. Probatur ex *cap. denique dist. 4.* ubi Gregorius 1. id satis declaravit rogatus ab Augustino Anglorum Episcopo. Habetur expresse in *Constit. Archiep. Olysip. lib. 2. tit. 3. § 2.* ubi dicitur dari Ecclesiasticam prohibitionem ovorum & lacticiniorum tempore Quadragesimæ, a qua solum eximit in locis tam maritimis quàm a mari remotis consuetudo quadraginta annorum legitimè pręscripta; Illud rectè notat *Pasqualigus de jejun. decis. 78. n. 4.* in Quadragesima diversum esse præceptum jejunij a præcepto abstinēdi ab ovis & lacticinijs. Unde tunc etiam diebus Dominicis prohibetur esus ovorum & lacticiniorum: item ab illis tenentur abstinere etiam qui a jejunio exempti sunt, vel ob ætatem, vel aliunde.

Quadragesimæ jejunium ad lacticinia.

753. Dubium est 1. an diebus abstinentiæ, vel jejuniorum quibus ex consuetudine, dispensatione, seu privilegio licitus est esus ovorum & lacticiniorum, etiam liceat comedere pinguedinem anserum, sagimen seu laridum porcinum? Affirmant *Sylvest. V jejunium q. 5. Glos. in cap. presbiter 82. dist. V. sagimine, Abbas in cap. consuluit, de ludicris.* Inclinat *Azor to. 1. lib. 7. cap. 10. q. ult. & Fagund. citatus n. 20.* Quia pinguedo non est caro, ut docet *Arist. 2. de gener.* finito enim naturali augmento augetur pinguedo. Ergo computatur inter ova & lacticinia. Oppositum tenent *Villalobos in suma p. 1. tr. 24. dub 8. n. 16. Filliucius to. 2. tr. 27. p. 2. cap. 3. n. 61. & Palaus citatus n. 8.* Probat quia lardum porcinum, & pinguedo anserum si attenté consideratur non ex carne trahit originē, sicuti ova, lac, & caseus, sed est ipsa caro pinguis liquefacta.

Pinguedo & sagimē inter lacticinia.

Hæc secunda sententia probabilior est, & certè tutior; prima tamen probabilis, sed practicanda, ubi fuerit usu recepta, sicut in Sicilia, ut testatur *Diana p. 1. tr. 9. resol. 21.* Illam notat *Layman lib. 4. sum. tract. 8. cap. 1. n. 4.* prodesse ad effectum triplicem. 1. ut prælati facilé dispensent cum pauperibus in usu sagiminis. 2. ne divites illo utentes damnētur ad mortale: videtur enim levis materia. 3. ut excusentur servi qui ex dominorum imperio loco butyri sagimen adhibent. Illud non approbo quod *Palaus & Villalobos citati* dicunt, nēpe authores prioris sententiæ esse intelligendos non de sagimine porcino, sed de illo quod fit ex lacte, & butyrum vocatur. Nam tales authores præsumi non debent ignari linguæ Latinæ.

754. Dubium est 2. an ex præcisa carnium prohibitione censeantur prohibita lacticinia? Affirmant *Covarr. 5. Var. cap. 20. n. 14.* Negandum tamen est cum *Reginald lib. 4. n. 145. & 61. Azorio lib. 7. cap. 10. q. 2. & 5. Bonacina cit. p. 2. n. 4.*

Ratio est, quia caro & lacticinia sunt res distinctæ: tum etiam quia interdicto usu ovorum non censetur interdicta caro.

Dubium est 3. an quibus conceditur facultas comedendi carnes, etiam censeatur concedi ad comedendum ova & lacticinia? Rectè affirmant *Azor cit. q. 4. & Filliucius cit.* quibus adhæret *Bonacina n.4.* Ratio patet, nam cui conceditur majus censetur minus concessum, quando sunt ejusdem ordinis: at ova & lacticinia, cum a carne dicant originem, illi subordinantur.

Ova & lacticinia.

Dubium est 4. an cui datur facultas ut in quadragesima comedat ova, possit tutò comedere lac caseum & butyrum? Aliqui negant. Quia cum privilegia juri communi derogent, strictiùs sunt interpretanda, & non extendenda. Affirmandum tamen est cum *Medina in suo instruct. confessor. lib. 1. cap. 14. §. 10. & Azorio p. 1. lib. 7. cap. 10. q. 4.* Ratio est quia ova & lacticinia videntur ejusdem penitùs rationis, cum ea ex carne ducant originem.

Ova simul cum piscibus.

755. Dubium est 5. an qui dispensatus est ad comedendum ova & lacticinia, possit unà cum ovis & lacticinijs pisces edere? *Navarr. de observ. jejun. to. 1. cons. 5.* quamvis fateatur ei licere uno die uti solis ovis, & alio die piscibus, vel saltem in prandio solis piscibus, & in cœna solis ovis, negat tamen licere in eodem prandio vel in eadem cœna utraque illa simul edere. Quia si pisces ei nocent, non licet eos edere, si non nocent, non habuit causam ut dispensaretur. Mitiùs tamen, & quidem probabiliter sine illa distinctione affirmativé respondet *Azor. citatus q. 5.* quia talis utitur suo jure, & forté illius valetudini conferet talis commixtio: vel si noceat, peccabit quidem, sed non contra jejunium.

Lacticinia in jejunijs ex voto vel pœnitentia.

Dubium est 6. an possint edi lácticinia in jejunijs voti, pænitentiæ, & jubilæi? *Sanch. lib. 4. Decal. cap. 11. n. 30.* bené affirmat satisfacere jejunijs ex voto, pænitentia sacramentali, vel præcepto debitis, eum qui vescitur lacticinijs, si habeat Bullam. Imó (addit *n. 53.*) extra quadragesimam, quanvis Bullam non habeat. Idem (ait *n. 53.*) etiam valde probabile est de jejunijs quadragesimalibus, voto, pænitentiæ, vel Iubilæo indictis, nisi Pontifex in jubilæo, vovens in voto, vel confessarius in pænitentia injuncta expresse usum lacticiniorum interdicat. Addit optimé ibidem, si quis vovit jejunare in Quadragesima, dubitat tamen, an voluerit a lacticinijs abstinere, & illa comedit, non fieri reum voti, sed peccare côtra præceptû Ecclesiæ. Vide *Dian. p. 1. tr. 9. res. 41.*

QUÆSTIO V.

Qualiter ad Ecclesiasticum jejunium postuletur unica refectio?

Comestio unica in jejunio.

756 Postulari unicam comestionem a jejunio Ecclesiastico non ita debet intelligi, ut præcipiatur quis cibum capere intra diem naturalem jejunij: solum enim præcipitur ne detur repetita comestio, scilicet ne post unam, detur alia. Est enim hoc præceptum negativum potiùs, quàm affirmativum, ut notant *Vasq. 1. 2. q. 77. a. 6. n. 21. Salas de legib. d. 9. sec. 1. n. 12. & Ioan. Sanch. select. disp. 34. n. 41.* Unde ad essentiam Ecclesiastici jejunij pertinere non repetitam comestionem docent cum *S. Tho. 2. 2. q. 147. a. 6. Bellarm. cont. 3. lib. 2. cap. 2. & Lessius lib. 4. c. 2. n. 9.* Quod licet in jure expressum non sit, habetur tamen ex usu Ecclesiæ, ut notat *Navarr. lib. 4. Vat. c. 20. n. 11.* Et satis deciditur ab Alexandro 7. qui anno 1665. damnavit hanc propositionem. *In die jejunij, qui sæpius modicum quid comedit, & si notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Igitur prohibetur multiplicata comestio propter carnis mortificationem, permittitur unica propter corporis sustentationem. Quanta esse oporteat, designabit regula temperantiæ, contra quam, & non contra jejunij præceptum excessus erit peccaminosus.

Comestio repetita in jejunio

Dubium est 1. qualis repetita comestio sufficiat ad violationem jejunij? Optimè respondet Palaus tr. 30. disp. 3. p. 2. §. 2. n. 2. sufficere repetitionem illius comestionis, quæ apta sit humano corpori reficiendo, & sit diversa a prima.

Infertur 1. cum *Reginal. to. 1. praxis lib. 4. n. 177. Azorio p. 1. lib. 7. c. 9. q. 2. Palao d. 3. p. 2. §. 2. n. 2. & Joan. Sanch. select. d. 52. n. 4.* non violare unicam comestionē qui refectione sumpta e mensa surgit aliquod negotium breviter expediturus, animo revertendi & continuandi refectionem, quia moraliter censetur eadem comestio. Addit *Ioan. Sanch.* quanvis spatium duarum horarum intercedat, dummodo adsit animus redeundi. Imo *Lessius cit. n. 11.* credit non violari jejunium, quanvis surgat animo non redeundi, dummodo nondum finito prandio redeat ad socios convivas, mutata intentione. Illis tamen non acquiescit *Palaus n. 2.*

Observant benè *Fagundes in 4. Eccl. præc. lib. 1. cap. 3. n. 5. & Tamburinus lib. 4. decal. cap. 5. §. 2. n. 15.* comestionem, ut censeatur unica, non posse extendi ultra duas horas: & ideo violare jejunium qui comestionem protrahit a meridie usque ad têpus vespertinum: quia tunc est virtualiter multiplex talis comestio.

Cibus non frangens jejunium.

757. Infertur 2. non violari jejunium sumptione illorum quæ corporis refectioni & nutritioni instituta non sunt, quanvis aliunde nutrire possint. Ex hoc capite *Thom. Sanch. to. 2. Consil. lib. 5. cap. 1. dub. 22.* censet non violari jejunium 1. ab illis qui sumunt medicinam non solum puré curativam ut pharmacum, sed etiam cõservativam, ut electuaria confecta ex saccharo, vel viginti quatuor uvas passas. 2. ab illis qui sumunt aliquid ex causa, & parva quantitate ne potus noceat. 3. ab illis qui sumunt aliquid mane, ne os fœteat, vel quia sunt cantores, ut habeant vocem accommodam, vel quia ministraturi sunt mensæ, & differetur prandium. 4. a principum famulis, qui ex officio cibos etiam vetitos, ut carnes degustant, vulgo *tomam a salva.* 5. ab illis qui ad excitandum appetitum ægrorum, aliquid edunt.

His omnibus acquiescit *Palaus cum multis,* quos *citat n. 3.* Meritó tamen non probat sententiam

Medina in sum. lib. 1. *cap.* 14. §. 10. *& Fagund. de jejun. cap.* 4. *n.* 3. excusantium ab omni culpa eos qui rogati ab amicis aliquid sumunt, ne inurbani videantur. Nam invitatio, seu petitio illa amici iniqua est, utpote contraria præcepto Ecclesiastico, acproinde comestioné illam cohonestare nequit. Hoc tamen poterit sustineri, si statim post prandium ad amici petitionem aliquid sumatur, cum talis sumptio reputetur pars prandij.

Comestio ex inadvertentia. 758. Dubium est 2. an violetur jejunium per repetitam comestionem, quando quis secunda vice per ignorantiam, seu inadvertentiam comedit? Negant communiter authores, quos referunt ac sequuntur *Vivaldus cap.* 15. *n.* 60. *Ioan. Sanch. disp.* 52. *n.* 2. *Filliuc. to.* 2. *tr.* 27. *cap.* 2. *n.* 24. *& Lessius lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 3. *n.* 19. Quia illa comestio utpote procedens ex ignorantia jejunij non fuit illius transgressio. Oppositum tenent *Layman lib.* 4. *sum. tract.* 8. *cap.* 1. *Bonac. de praec. Eccl. disp. ult. q.* 1 *pun.* 3. *n.* 8. *& Palaus cit. n.* 9. Quia talis inadvertentia non fecit quòd illa non foret vera & repetita comestio cum qua jejunium stare nequit. Utraque sententia potest conciliari, si dicamus jejunium illud non fuisse violatum formaliter, seu imputabiliter ad culpam, fuisse tamen violatum materialiter, itaut maneat ulterius impossibilis illius observatio. Ex quo sequitur non peccare illum qui postea eadem die iterum atque iterum comedat.

Quid si ignorans diem esse jejunij sumpsisti sufficiens jentaculum? *Navarro, Sylvestro, Vivaldo & Fagundio*, quos citat *Palaus d.* 3. *p.* 2. §. 2. *n.* 10. placet te posse gerere, ac si non comedisses, acproinde hora consueta refici, simulque cum alijs prandium sumere. Quia prior sumptio non venit in considerationem, utpote facta ex ignorantia. Hoc tamen meritò improbant *Lessius lib.* 4. *c.* 2. *n.* 18. 19. *Bonac. de praecep. Eccl. disp. ult. q.* 1. *p.* 3. *n.* 8. *Ioan. Sanch. in select. d.* 52. *n.* 3. & alij quos sequitur *Palaus cit. n.* 10. affirmans ut verissimum eum qui sufficiens jentaculum sumpsit prope horam consuetã, non posse jejunij conscium iterum manducare. Idem erit si jentaculum sufficiens mane sumpsit, & potest absque gravi incommodo ab alia comestioné abstinere.

Materia gravitas & parvitas in jejunio. 759. Dubium est 3. quæ sit sufficiens quantitas ut per repetitam comestionem graviter violetur jejunium? Respondeo ex doctrina, quam defendunt *Aloysius Turrianus in sum. Theol. moral. p.* 1. *c.* 256. *dub.* 27. *n.* 2. *& Dian. p.* 5. *tr.* 5. *res.* 11. sufficere illam quantitatem, quæ excedat pondus duarum unciarum. Nam hi authores locis citatis dicunt quantitatem duarum unciarum communis cibi non sufficere ad peccatum mortale, subintelligẽdo talem quantitatem esse terminum parvitatis.

Nota tamen plures comestiones parvas eadem die sufficere ad fractionem gravem, si gravé quantitatem constituant. Ad quod requirit *Salas prima secundae tr.* 13. *disp.* 16. *sect.* 26 ut omnes illæ comestiunculæ sint unius volitionis objectum, seu intendantur simul. Displicet tamen, quia illæ omnes etiam non interruptæ tanquam una magna reficiunt comedentem. Aliter posset quis plures per plures actus ad modum plurium refectionũ intendere & sic fraudare præceptum.

QUÆSTIO VI.

Qualis & qualiter serotina refectiuncula liceat?

Collatio serotina. Supponimus cum *S. Thoma* 2. 2. *q.* 147. *a.* 8. *Navarro cap.* 21. *n.* 12. *Covar. lib.* 4. *Var. cap.* 29. *n.* 11. *Azorio p.* 1. *lib.* 7. *c.* 8. *q.* 4. *& Filliucio to.* 2. *tr.* 27. *c.* 2. *n.* 25. consuetudine legitimé præscripta in die jejunij introductam esse refectionem nocturnam, quam vocant collationem. Hæc quanvis eo nomine fuerit permissa, ut capi posset somnum, & ne deficerent vires debilium, tamen frequens consuetudo eam jam concessit indiscriminatim omnibus etiam robustissimis, & non indigentibus. Superest igitur solum expedienda duplex difficultas circa illius qualitatem & quantitatem, quale & quantum liceat sumere.

Qualitas ciborum in collatione. 760. Quod attinet ad qualitatem, sunt qui affirmant in collatione serotina nullam esse habendam rationem de qualitate, sed posse in ea sumi quemlibet cibum in die jejunij non prohibitum. Ita *Bonac. de praec. Eccles. disp. ult. q.* 1. *p.* 3. *n.* 3. & favet *Caietan. V. jejunium cap.* 1. in fine ubi sic ait, *Non refert quid quisque in serotino jentaculo sumat, si modum non excedat. Ioan. Sanch. cit. in select. etiam* favit, ausus asserere in collatione illa sumi posse integram mediam libram ex placentis confectis ex farina, sacchato & ovis.

Edulia permissa in collatione. Omninó tamen displicet hæc sententia, quam *Summa Diana V. jejunium* quoad collationem n. 62. falsam & improbabilem vocat, & *Palaus cit. n.* 6. nullatenus probandam censet: quibus accedit *Turrianus cent.* 2. *dub.* 94. dicens esse doctrinam scandalosam, temerariam, & bonis moribus contràriam asserere quòd pro collatione liceat edere duo ova. Certé hujusmodi collatio solum permittitur ex consuetudine, & consuetudo solum permisit certum genus ciborum, & non omne quod in prandio jejunij sumi potest.

Qualitas igitur ciborum permissa ex consuetudine in cænula illa, seu collatione, ut bene ex *Azorio p.* 1. *lib.* 7. *c.* 8. *q.* 7. docet *Palaus n.* 6. sunt herbæ, arborumquæ fructus etiam melle saccharoque conditi, addito pane. Addit *Azor cit. q.* 8. sumi posse jusculum ex fructibus, herbis, & pane. Hoc non reputat improbabile *Layman lib.* 4. *sum. trac.* 8. *cap.* 1. *n.* 8. si in jusculo exres contineantur tantum, quæ impermixtæ & incoctę sumi in cænula possunt. Quia ex sola coctione & permixtione ineptæ reddi nequeunt. Addit citatus *Azor q.* 7. posse sumi parvum pisciculum.

Caseus butyrum & ova in collatione. 761. Hoc tamen ultimum *Palaus cit. n.* 6. *cum Fagund. c.* 4. *n.* 18. *Laym. Filliucio & alijs* non approbat affirmans sibi non constare quód alicubi sit consuetudo legitimé præscripta assumendi pisciculos parvos, vulgo ostras, camoroẽs, & similes. Idem affirmat de ovis, caseo & lacticinijs, butyro, nisi forte permittatur in aliqua provincia, ut fertur permitti in Belgio Ego subscribo *Thoma Sanch. in consil. tract. de jejunio dub.* 25. ubi, collatio (inquit)

(inquit) nequit fieri in caseo, lacte, cremore amygdalino & triticeo, vulgo *amendoada & amido*, licet non sint damnandi qui nihil aliud habent, vel id faciunt ad dormiendum.

Denique non dissentior *Palao citato n. 6.* censenti permittendum esse jusculum ex lactucis, alijsque herbis similibus confectum sale, oleo, & aceto tantum adhibitis. Ait tamen se non videre permissum edulium ex fabis, ciceribus, lentibus, & afortiori ex oriza, utpote quia maximé nutrit, ut tradit *Vallalobos tr. 23 diff.7.n.3.* Subjungit citatus *Palaus n. 6. in fine* se reprobare collationem, si fiat integrè ex placentis, quas dicunt vulgo *biscoutos*. Quia in dimidia libra placentarum illarum, quatuor ad minus ova requirantur, & tres vel quatuor unciæ lactis & butyri.

Quantitas collationis serotinæ. 762. Quod attinet ad quantitatem, multiplex est authorum sententia, quæ videri potest apud Summam Dianæ V. *Jejunium quoad collationem*, ubi *Graffius* permittit tres uncias, Homo bonus quatuor, Villalobos sex, Fagundes octo. Alij in tanta discrepantia opinionum cum *Reginaldo to.2. prax. lib.4. n. 185. Layman lib.4. sum. tr.8. cap.1. n. 9. Filliucio tr.27.cap.7. q.7.n.32.* pro regula assignant quartam vel quintam partem eorum, quæ pro communi refectione sufficerent.

Hæc regula est valde incerta, imò tam dubia, ut quasi nimis laxam reprehendens Turrian. Theol. cent. 3. dub. 27. appellet improbabilem, dicatque a viris doctis Hispaniæ judicari temerariam : nam quarta pars cœnæ ordinariæ (inquit) est notabilis, ut videre est apud Hispanos, Gallos, Flandros, Germanos: ex opposito *Palaus tract.30. d.3.p.2.§.2.n.7.* judicet nimis rigidam, cum ipse putet quantitatem unius libræ sufficere pro communi refectione, proindeque quartam partem libræ esse valde tenuem.

In hac varietate existimo sentiendum cum illis, qui dicunt proportionatam & aptam quantitatem esse, quæ semilibram, seu octo uncias non excedit. Ita *Fagund. de jejunio cap. 4. n. 18. Azor p.1. lib. 7. c. 8. q 8. Bonac. de prac. Eccl. disp. ult. q.1. pun. 3. n.2. Ioan. Sanch. disp. select. d. 52. n. 7.* quos citat & sequitur *Palaus citatus n.7.* Est tamen advertendum cum Thoma Sanch. in consil. tract. de jejun. dub. 25. non quemlibet, sed notabilem excessum in collatione esse peccatum mortale.

Collatio in vigilia Nativitatis. 763. Quid de collatione in Vigilia Nativitatis Domini? Licet ne facere maiorem, & in qua quantitate? Certum est licere tunc collationem duplo vel triplo maiorem, ut docet Thom. Sanch. cit. dub. 20. qui tamen panem excipit; & limitat, ut fiat in fructibus, herbis, vel electuarijs. An verò ex prædictis fructibus liceat sumere quantamcunque quantitatem? Benè idem Sanch. respondet affirmativé ex consuetudine recepta, dumodò sit unica collatio, & non fiat meridie dilato prandio ad noctem. Aliter enim frangeretur jejunium. Quia usus id non obtinuit. Ita circa quantitatem quantamcunque sentiunt *Medina 1. p. Instr. confess. cap.14.§.1. Ludov. Lop. 2. p. Instr. cap. 112. Filliuc. tr.27. cap.2.n.14. Villal. de jejun. tr.23. diff.7. Ioan. Sanch. disp.52. n.10.* & alij quos citans non rejicit *Palaus citatus n.7. in fine.*

An quæ diximus de ampliori refectiuncula sumenda in pervigilio Nativitatis, extendatur ad pervigilium Paschatis? Affirmat *Pasqualigus in praxi Iejunij decis. 93. n. 2.* assignãs pro ratione magnam diei Paschalis lætitiam, quæ incipit in vigilia, & propter eandem rationem id extendit ad Vigiliam Pentecostes. Hæc tamen resolutio sic absoluté prolata mihi improbabilis est, tum quia nititur futili ratione : tum quia caret authoritate. Nam pro vigilia Pentecostes nullum citat Pasqualigus authorem : & pro vigilia Paschatis affert *Azorium*, sed male citatum *p.1. lib.7. c.8.q.8.* Quia Azor id non affirmat absoluté, sed ubi fuerit consuetudine receptum. Quod ego fateor ex *Filliucio to.2.tr.27. p.2. cap.3. n.34. & Fagun. de 4. prac. Quinc. lib. 1. c.4. n.19.* Unde ob consuetudinem licent in Romana curia refectiunculæ ampliores, de quibus citatus *Pasqualigus decis. 96.*

QUÆSTIO VII.

Quænam hora postuletur in jejunio Ecclesiastico ad refectionem sumendam?

Hora mãducandi in jejunio. Ex *cap. solem de consec. dist.1.* probant Theologi horam refectionis fuisse olim nonam, quæ a nobis numeratur tertia post meridiem, in qua Dominus Iesus Christus expiravit. Quia volebant jejunantes significare se per abstinentiam a cibo pati cum Christo patiente in cruce. Hodiè tamen permittente Ecclesia, jam consuetudo obtinuit, ut hora undecima diei perfecta refectio sumeretur. Ita *Sanch. in consil. de jejunio dub.28.*

Anticipatio horæ in jejunio. 764. Dubium est 1. an peccet mortaliter qui antevertit præfixam horam prandij v.g. illud mane sumens? Affirmant *Azor p.1. lib.7. cap.11. q.4. Covard. lib.4. Var. cap. 20. n.14. Navarr. cap.21. n. 27. Sylvest. V. jejunium n. 13. Fagun. de jejun. cap.3. n.4. & Joan. Sanch. in select. disp.53.n.2.* quibus accedit *Thom. Sanch. in consil. de jejun. dub. 28.* Qui addit hæc procedere quando nulla datur causa justa anticipandi: nam si detur causa justa, v. g. ob pias occupationes, vel iter, vel stomachi debilitatem, nullum erit peccatum. Addit n.5. in dilatione etiam sine causa nullam esse culpam.

Quænam censeatur notabilis anticipatio? *Palaus cit. §. 3. n.2.* putat notabilem esse anteversionem, si quis duabus horis ante meridiem comederet. Thom. Sanch. loco citato dicit horæ dimidium ante horam undecimam non esse notabilem anticipationem.

Prædicta sententia quòd peccet mortaliter qui sine causa notabiliter anticipat, communis est, & consulenda. Verùm opposita, quæ solum admittit peccatum veniale in notabili anticipatione, etiamsi refectio, seu comestio integra fiat mane, probabilis est, ut censet *Palaus n.3.* & eam defendunt cum multis antiquis *Tolet. lib. 6. c. 2. Filliuc. tr.27. c.4. q.3. n. 66. Less. de jejun. lib.4. c.2. dub.2. n.13. Bonac. de prac. Eccl. disp. ult. q.1. pun. 4. n.3. & Laym. lib. 4. sum. tract.8. n.11.* Probatur, quia esto notabilis anticipatio sit contra jejunij præ-

ceptum, tamen non videtur materia gravis sed levis: quia fini legis, qui est abstinentia longiori coercere motus concupiscentiæ carnalis, non adversatur graviter notabilis illa anticipatio. Suadetur ex eo, quia ut admittatur sine peccato, sufficiũt leves causæ, quales solent authores assignare, v.g. legere ad mensam, hospitibus inservire, se amicis urbanum ostendere.

Violatio jejunij quã omninò destruit.

765. Dubium est 2. utrum posito quòd per notabilem horæ designatæ anticipationem jejuniũ violetur graviter, ita corruat ut amplius servari nequeat; atque adeo violator possit deinde absque peccato edere iterum atque iterum? Affirmant *Paludan. in 4. d.15.q.4. ar.5.& Caietan.2.2. q.147.c.7.* quos sequitur *Joan. Sanch. in select. disp. 53.n.2.* Probant, quia hora prandij legi jejunij essentialis est, vel saltem (ut docet *Thom. Sanch. lib. 4. Decal. cap. 11.n.50.*) est circunstantia ei intrinseca; sed deficiente essentiali vel intrinseco res corruit; ergo & jejunium. Ex quo inferũt a lege jejunij solutum manere qui putans se iter facturum, vel laboraturum, mane sumpsit jentaculum, quanvis post modum ad iter & laborem impeditus maneat.

Dicendũ tamẽ est, sive ex malitia sive ex advertẽtia, aut causa legitima detur illa notabilis anticipatio, adhuc dari obligationẽ jejunãdi, & abstinẽdi a secũdo prãdio, si absit grave incõmodũ. Ita *Lessius cit. dub.3.n.18. Azorp.1.lib.7.c.11.* aliàs *21.q.7. Laymann lib.4 tr.8. cap.1. fine Fagund. cit. cap. 3 in fine Bonac. de jejun. q.1.pun.4.& Sanch. cit. in consil. dub. 28.* & alij quos sequitur *Palaus cit.n 5.* Ratio est, quia hora designata ad prandium non est de essentia jejunij, vel saltem non constituit essentiã adæquatam; ergo lex jejunij quanvis jam nequeat observari quoad illam partem de non anticipando, potest quoad alias partes de abstinendo a carnibus & a secunda refectione.

Anticipatio collationis.

766. Dubium est 3. qualiter liceat anticipatio collationis serotinæ? Tempus hujus cænulæ, seu collationis sumendæ juxta consuetudinem præscriptam est post solis occasum, vel prope: ex quo Palaus n. 6. rectè arguit falsitatis sententiam *Josephi Anglis q.9. de jejun. art. 2. diff. 5. & Joannis Sanch. in select. disp. 53. n. 10.* asserentium absque ullo peccato posse pro libito sumi in meridie collatiunculam dilato prandio ad noctem. Quasi sic augeatur difficultas jejunij. Nam talis illa anticipatio licèt augeat difficultatem, abhorret tamen a consuetudine Ecclesiæ.

Collationis tẽpus in jejunio

Quare (ut rectè docent *Azor p.1. lib.7. cap.8.q. 6. Lessius lib.4. c.2. dub.2.n.11.& Filliuc. tr.27.c.2. n.24.*) peccatum est saltem veniale absque ulla causa illam refectiunculam sumere mane, dilato prandio ad noctem. Posita autem causa honesta (ut benè cum alijs tenet Palaus cit. n. 6.) qualis esset confectio itineris, facilior expeditio negotiorum, dimissio vel receptio hospitum, item venatio & piscatio etiam ob finem tantum animi relaxandi, absque ullo peccato veniali poterit sumi mane, vel in meridie dilato prandio ad noctem.

SECTIO III.

De obligatione, quam inducit jejunium Ecclesiasticum.

QUÆSTIO I.

Qualiter obliget præceptum jejunij Ecclesiastici?

Obligatio ad jejunium.

767. DARI aliquando obligationem jejunandi sive ex jure naturali sive ex jure positivo, & jejunium Ecclesiasticum cadere aliquando sub præceptum, indubitatum est. Dubitatur 1. an jejunium cadat aliquando sub præceptum, naturale divinum? Videtur affirmare *S. Thomas 2.2. q.147. a. 3.* quem sequitur *Ledesma 2. 4.5.17. a.2. dub.2. Alulerf. in Matth. 6. q.128. & Covarr. lib.4. Var. cap. 10.n.2.* Probant, quia jure naturali tenemur adhibere ea quæ fuerint omninò necessaria ad vitandum peccatum: sed evenire potest ut jejunium sit medium unicum advitandum grave aliquod peccatum, v.g. ad comprimendos illicitos carnis motus; ergo tunc jus naturale obligat ad jejunium.

Huic doctrinæ subscribens addit *Fernandez p.4. cap.12.§. 6.n. 1.* juxta positum fundamentum prægnantes teneri jejunare cum periculo prolis: quia salus spiritualis propria præferenda est saluti corporali aliorum. Id tamen rectè non admittunt *Hommobonus p.2. tr.8. cap.7. q.17. & Diana p.1. tr. 9. resol.30.* Quia prægnans non debet tantæ jacturæ prolem exponere, cum possit se armare contra carnis stimulos sacramentorum frequentia, pijs consilijs, alijsque spiritualibus armis.

Sententiam de obligatione jejunij ex jure naturali amplector ea limitatione & explicatione, ut non capiamus jejunium cum tribus requisitis ut sit Ecclesiasticum, importans nempe abstinentiam a carnibus, unicam comestionem, & horam competentem, sed solum prout denotat subtractionem de cibo & potu, quantum opus fuerit, ut quis se a carnis motibus tueatur. Nam data carnis sufficienti compressione, cessat omninò tale præceptum.

Quadragesimalis jejunij obligatio.

768. Dubitatur 2. an obligatio ad jejunium Ecclesiasticum in Quadragesima sit de jure divino, an de jure Ecclesiastico, seu canonico? Esse de jure divino a Christo Domino institutum & inductum, videtur docere sancti Patres. Nam S. Maximus homil. de jejun. *Quadragenarium* (inquit) *jejunium non tam ab hominibus institutum, quam a Deo consacratum, calesti majestate præceptum.* S. August. in psal. 110. post. initium. *Præcipitur vobis* (inquit) *jejunium quadragesimum. & ex lege, & ex prophetis, & ex ipso Evangelio.* In eundem modum & rationem loquuntur *Leo Magnus, Isidorus, Beda, Ambrosius,* & alij.

Dicendum tamen est neque Quadragesimale jejunium, neque aliquod aliud fuisse determinatum, & præceptum jure divino per Christum Dominum. Ita *Valent. disp. 9. q.2. pun.4. Less. lib.4. c.2. dub.5. n.30. Azor p.1. lib. 7. c. 12. q.1. Fagun. cit. cap.5. n.4. & Bonac. de præc. Eccl. disp. ultima q. 1.*

1. *p.5. n.1.* Patet ratione, quia non constat Christum Dominum præcepisse aliquod jejunium: ex eo autem quód suo exemplo nos docuerit jejunare, & incitaverit ad jejunium, hoc non præcepit. Sācti Patres non sunt intelligendi de præcepto rigoroso per Christum imposito, sed de solo exēplo quod Christus dedit: ex quo Apostoli moti fuere ad præcipiendum.

Jejunij violatio quæ pec catum.

769. Dubitatur 3. an præceptum jejunij obliget graviter? Negativam partem sequitur Caietan. in summa V. *jejunium.* ubi sic habet: (*Quantū est ex jure scripto, nulli in agnosco inveniri peccatū mortale in fractione jejunij Ecclesiæ, si desit contemptus.*) Idem V. (Clericus) in fine *Nec naturalis* (inquit) *nec divini nec humani juris præcepta omnia obligant ad mortale, sed ea solum, quorū transgressio contra charitatem est.* Quod autem transgressio jejunij contra charitatem non sit, tradit idem *Caietan. 2. 2. q. 147. a. 3.*

Hanc tamen sententiam *Valent. a* ait esse temerariam, & aliqui recentiores erroneam. Dicendū est igitur cum *Azor p. 1. lib. 7. cap. 8. q. 2. Covar. lib. 4. Var. cap. 20. n. 10. Lessio lib. 4. c. 2. n. 53.* & alijs obligationem jejunij ex se gravem esse, & illius violatores peccati mortalis reos, ut sumitur ex can. 68. Apost. & ex concil. Gangrensi can. 19. His accedit Alexander 7. qui anno 1665. damnavit hanc propositionem. (*Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur; non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat: puta quia non vult se subjicere præcepto.* Quod manifestum est, si quis solvat jejunium edendo carnes, vel repetendo comestionem. Secus de anticipatione notabili prandij: cum probabile sit hanc non excedere culpam venialem. Qualis autem sit parvitas materiæ in comestione, ne detur peccatum mortale, diximus n. 759.

Jejunij violatio duplex.

QUÆSTIO II.

Quando obliget jejunium Ecclesiasticum: seu quibus temporibus?

IURE communi Pontificio, item jure peculiari diœcesano constat decretos esse varios jejunij dies pro diversitate locorum & temporum, ut videre est apud *Bellarm. lib. 2. de bonis operibus in partic. cap. 7. Valent. disp. 9. q. 2. p. 4. & Laymann lib 4. sum. tr. 8. c. 2.* Quod attinet ad jus commune, ex *cap. quadragesima de consecr. dist. 3.* constat quadragesimale jejunium fuisse institutum ab Ecclesia ad imitationem jejunij Christi Domini. Circa illius inceptionem variæ olim fuere consuetudines: sed a tempore S. Gregorij Magni incepit a feria quarta Cinerum, & (exceptis Dominicis, in quibus a sola carne abstinemus) durat usque ad sabbatum proximum Paschæ.

Dies jejunij qui.

770. Constat etiam ex *cap. statuimus dist. 76.* decretum ab Ecclesia fuisse jejunium quatuor tēporū, verni, æstivi, autūnalis & hyberni. In his tēporibus jejunatur tribus tātū diebus feria quarta, sexta, & sabbatho. Quia juxta *cap. jejunia de consecrat. dist. 3.* sic aptius conformamur passioni Christi qui feria 4. fuit venditus & traditus, feria 6. occisus, Sabbatho sepultus.

Jejunium quatuor tēporum.

Insuper ab Innocentio 3. in *cap. parte, & cap. consilium, de observ. jejun.* indicitur jejunium in pervigilio Natalis Domini, & Assūptionis Deiparæ, S. Matthiæ, & Sāctorū Apostolorū. Excipitur tamē ab hac indictione Vigilia Sāctorū Apostolorū Philippi & Iacobi, & S. Ioannis Evangelistæ: nā illorum festa celebrantur infra solemnitatem Paschalem, istius infra Natalem Domini. Excipitur etiam vigilia S. Bernarbæ. Ita *Sancti in consil. de jejun. dub. 18.* Prævaluit autem in aliquibus provincijs mos (ut testatur *Laymann lib. 4. sum. tr. 8. cap. 2. n. 6.*) non jejunandi vigilia S. Bartholomæi, S. Matthiæ, & S. Iacobi Maioris.

Præter assignatos, in nullo die jejunium jure communi indictum est, quamvis ex consuetudine ubique fere recepta extat jejunandi obligatio in pervigilio Pentecostes. Ex eadem consuetudine fuisse statutum jejunium in prævigilio S. Ioannis Baptistæ, S. Laurentij, & omnium Sāctorū tradunt citati authores. Quod si aliquod ex pervigilijs dictis inciderit in Dominica, jejuniū mutatur in præcedens sabbathum, ut monet Innocent. in *cap. consilium, de observ. jejun.*

771. Fuit etiam olim per jus commune indictum jejuniū feria 4. 6. & Sabbatho, ut de quarta & sexta feria expresse habetur in *cap. jejunia, de consec. dist. 3.* & de sabbatho constat ex *cap. Sabbatho de consec. ead. dist.* Verum consuetudo jam abolevit omnino jejunium feriæ quartæ, & ita tēperavit jejunium feriæ sextæ, & sabbathi ut solum obliget ad abstinendum a carnibus, & non a multiplici refectione.

Abstinentia a carnibus.

Adde in aliquibus Galliæ partibus (ut testatur *Covar. lib. 4. Var. cap. 20. n. 4.*) cessare obligationem abstinendi a carnibus in sabbathis, quæ occurrunt a natalitio Domini usque ad festum Purificationis. In Hispania posse in sabbatis edi pecorum intestina, & extremitates ubique fere receptum est. Ex *cap. explicari, de observ. jejun. & cap. quia dies de consecr. dist. 5.* habetur si festum natalis Dominici incidat sexta feria, vel sabbatho, cessare obligationem abstinēdi a carnibus. Per quod privilegium non eximuntur qui ex voto, aut regulari instituto tenentur.

Quid de jejunio litaniarum, quas dicunt *de Mayo* in triduo ante festum Ascensionis? Illius causam & originem refert *Gregor. Turonen. lib. 2. hist. Franc. cap. 34.* & approbavit *Concil. Aurelianum cap. 29.* relatum *in cap. rogationes de consecrat. dist. 3.* Unde liber inscriptus Ordo Romanus *cap. de letania minore* testatur in Ecclesia Romana eo triduo jejunium & supplicationes celebrari. Obtinuit igitur mos, qui perseverat in multis Ecclesiæ provincijs celebrandi rogationes, & jejunandi saltem semiplene, hoc est abstinendi a carnibus, nempe pro declinando periculo, cui se illo tempore hominum sanitas, & terræ fructus incipiunt exponi.

Litania jejunium.

Rogationes cum jejunium.

772. Quid de jejunio adventus Domini? Quāvis tale jejunium in desuetudinem abierit apud populum, ut observat *Azor p. 1. lib. 7. cap. 16.* aliàs 27. *q. 3.* tamen fuisse olim usitatum in Ecclesia Romana, constat ex concil. Maticonensi 1. can. 6. & ex Innocent. in *cap. consilium, de observ. jejun.* &

Adventus jejunium.

& ideo Adventus tempore recitatur officium divinum cum precibus sicut in Quadragesima, & alijs vigilijs, quem jejunij morem observant plures religiones.

Dominica die jejunare. Hæc jejunia quæ hactenus retulimus obligationem inducunt, vel olim induxere ex jure cōmuni. At ex devotione vel ad debilitandam carnem, vel ob alium honestum finem suscipi jejunium potest quolibet die, etiam Dominica. Quāvis enim jejunare Dominica die fuerit olim prohibitum per Gelasium *cap. jejunium, de consecr. dist.* 3. & in *cap. post. Paschæ.* 76. *dist.* 5. & ob id excipiuntur a jejunio quadragesimali dies Dominicæ, in *cap. quadragesima dist.* 5. tamen prohibitio illa jam cessavit extincta penitus hæresi negantiū resurrectionem Christi, & in illius contemptum jejunantium. Prohibitum enim erat tale jejunium ne catholici viderentur consentire hæreticis.

Jejunia Olysiponensia. 773. Quod attinet ad jus peculiare diœcesanū, nec est otium, nec est possibile percurrere omnes diœceses, sufficiat pro omnibus Olysiponensis, quæ in *Constit. lib.* 2. *tit.* 3. §. 1. præcipit jejuniū in tribus pervigilijs scilicet S. Vincentij 21. Ianuarij, S. Antonij 12. Iunij, & translationis S. Vincentij 14. Septembris. Sed notandum quod inter jejunia quæ proponit ibidem observanda de mandato Ecclesiæ, præter ea quæ assignavimus supra a n. 169. assignat nonnulla pervigilia festorum Deiparæ, nempe Purificationis 1. Februarij, Annunciationis 24. Martij, nisi incidat tempore Paschali, Nativitatis 7. Septembris, & Expectationis Natalis Domini 17. Decembris.

Statuit insuper, si aliquod jejunium sive commune Ecclesiæ, sive peculiare hujus Archiepiscopatus inciderit in Dominico die, observetur precedenti Sabbatho, si autem incidat in aliquo quocunque die festo, in eodem observetur, excepto pervigilio S. Antonij, vel S. Ioannis Baptistæ si inciderint in die Corporis Christi, quia tunc in venerationem tanti festi, in eo non jejunabitur, sed 4. feria.

QUÆSTIO III.

Quas personas obliget jejunium Ecclesiasticum?

Obligatio jejunij ad quos extendatur. PRænotandum est jejunium vel sumi inadæquatè prout solum dicit abstinentiam a carnibus, alijsque vetitis, vel adæquaté prout ultra talem abstinentiam, prohibet iteratam refectionem. Si sumatur primo modo, obligat omnes Christianos usu rationis pollentes. Ex quo sequitur graviter peccare illos, qui prædictis cibos vetitos absque causa subministrant. Esse receptam ab omnibus sententiam, testantur *Azor p.* 1. *lib.* 7. *cap.* 27. *q.* 2. *fine Sanch. lib.* 1. *Dec. cap.* 12. *n.* 6. & *Fagun. de jejun. cap.* 8. *n.* 8.

774. Si sumatur secundo modo, nempe adæquatè prout illud definivimus num. 345. obligat omnes Christianos qui tertiū septennium, nempe vigesimum primum ætatis annum impleverunt. Nam Ecclesia mater benigna noluit ante illam ætatem obligare, quia usque ad illud tempus natura crescit, proindeque frequentiori cibo indiget. Ita de consuetudine ad illud tempus restringente obligationem restantur unanimiter Doctores. Ratio motiva seu finis indicendi jejuniū, quod obliget omnes prout exposuimus, fuit castigare & mortificare corpus, ut spiritui subjaceat.

Hæretici ad jejunium. Infertur 1. eos qui Christiani non sunt, quales ethnici, Iudei, & Mauri, non obligari præcepto jejunij utpote Ecclesiastico, quod solos subditos ligare potest. Christianorum nomine ad hunc finem veniunt hæretici, cum per baptismum Ecclesiæ januam ingressi fuerint.

Pueri & insani ad jejunium. Infertur 2. pueros ante usum rationis non teneri hoc præcepto etiam inadæquatè sumpto quoad abstinentiam a carnibus. Insani vero & amentes quanvis post ætatis septennium subjaceant humanis legibus, tamen ob defectum usus rationis ab illis & consequenter a jejunio excusantur. Notat verò *Sanch. lib.* 1. *Decal. cap.* 12. *n.* 16. licitum esse dare cibos vetitos v.g carnes in die jejunij amentibus, non veró ebrijs. Nam amentibus utpote infirmis, seu non sanis utiles sunt carnes: ebrij autem quia brevi privantur usu rationis, cibo illo non indigent.

Regulares ad jejunia Episcopalia. 775. Dubium est 1. an regulares a jurisdictione Episcoporum exempti teneantur observare jejunia quæ Episcopi in sua diœcesi indicunt, si degant in eadem diœcesi? Videtur affirmandum; quia tales regulares tenentur observare dies festos, quos Episcopus transeunter aut permanenter observandos indixit: item locale interdictum, quod comprehendit omnem civitatem, oppidū, aut locum, intra quem monasteria sita sunt; ergo similiter indicta jejunia.

Negandum tamen est cum *Azorio p.* 1. *lib.* 7. *cap* 30. *q.* 2. & *Fagund. de jejun. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 4. Ratio est, quia regulares sunt exempti a jurisdictione Episcoporum in omnibus casibus, præterquam in illis, qui a jure excipiuntur, jus autem non excipit jejunia ab Episcopis indicta, sicut excipit dies festos indictos, & interdicta localia dicto modo imposita. Ex quo patet disparitas rationis.

Consuetudo ad inducendum jejunium. Dubium est 2. an religiosi teneantur observare jejunia, quæ per consuetudinē legitimé præscriptam fuere introducta? Bené respondet *Sanch. tract. de jejun. dubio* 3. in hunc modum: Conventus religiosorum non tenentur stare præceptis, aut consuetudinibus particularibus oppidi, ubi resident, sed tantum generalibus præceptis, & consuetudinibus. Ita Martina Angles, & Sylvester, qui dicunt quòd consuetudo sæcularium non ligat clericos, nec consuetudo clericorum religiosos. Sunt enim diversi status, qui proinde diversis legibus & moribus reguntur. Imò (addit n. 1.) Compluti non comedunt aliquando carnes cives, & scholastici comedunt. Poterunt tamen regulares, clerici & similes teneri scandali vitādi ratione.

Pueri ad jejunia. 776. Dubium est 3. an votiva jejunia alicujus civitatis cōprehendāt pueros, & jejunia regularia pueros religiosos? Quod jejunia votiva alicujus civitatis non comprehendāt pueros, recté docet *Sanch. in consil. tract. de jejun. dub.* 2. Maius est dubium

bium de jejunio ex regulari observantia. *Mecina lib. 1 summae cap. 14. §. 10.* negat professos in ordine Minorum teneri ad regulae jejunium donec expleat vigesimum primum aetatis annum. Rectiùs tamen affirmant teneri *Azor p. 1. lib. 7. cap. 27. q. 3. Emmanuel Rodr. to. 1. sum. edit. 2. cap. 24. n. 1.* & alij quos citat & sequitur *Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 11. n. 56.* Ratio est, quia ante illam aetatem se ligarunt professione ad omnia quae continentur in regula.

Forenses ad jejunia. Dubium est 4. an viator possit licitè carnibus vesci in illis locis, in quibus permittuntur, quanvis statuto patriae suae interdicantur? Videtur negandum ex doctrina *Thoma Sanch.* qui retractans opinionem suam, quam tradiderat *lib. 3. Matrim. disp. 18. n. 7.* docet *lib. Decal. cap. 12. n. 39.* Castellanum tráseuntem per Lusitaniam teneri sabbatho abstinere ab omni esu carnium, etiam minutarum; ergo similiter Lusitanus tenebitur in Castella sabbatho abstinere ab omni carne, praesertim quia abstinentia illa a carnibus est de jure communi.

777. Nihilominus dicendum est cum *Azorio p. 1. lib. 7. cap. 30. fine, Sanchez lib. 3. Matr. disp. 18. n. 19.* & alijs quos citat, & sequitur *Fagun. de jejun. lib. 1. pr. ca. 7. n. 14.* posse Lusitanum transeūtem per Castellam edere sabbatho intestina animalium. Probatur quia licet abstinentia a carnibus pro tali die sit de jure communi obligās omnes fideles, tamen per consuetudinem praescriptā jam in illo regno mitigata est illa obligatio. Et quanvis viatores non teneantur legibus locorum quoad paenas, utpote odia restringenda, gaudent tamen favoribus, sicut Novitij privilegijs religionis fruuntur, quin obstringantur statutis.

Qualiter forenses & peregrini, teneantur specialibus jejunijs propriorum locorum, quando ab illis absunt, & qualiter obligentur ad jejunia locorum, in quibus versantur, item hujusmodi obligatio qualiter vagos comprehendat, intelligi poterit ex iis quae tradidimus tract. 4. sect. 3.

SECTIO IIII.

De causis excusantibus à jejunio Ecclesiastico.

QUAESTIO I.

Quaenam aetas excuset à jejunio Ecclesiastico?

Aetas excusans a jejunio. 778. AD septem capita reduci solent causę excusantes a jejunio, nempe ad aetatem, paupertatē, infirmitatem, laborem, necessitatem, pietatem, & dispensationem. Exponimus modò excusationem ratione aetatis, quae vel puerilis, vel senilis est. Quod attinet ad pueritiam, vel adolescentiam, *Durand. dist. 15. q. 10. n. 4. Angelus V. jejunium n. 13. & Sylv. V. eod. q. 6.* affirmant pueros & adolescētes ante vigesimum primum, aetatis annum compellendos esse jejunare. Quia sunt doli capaces, & in illa aetate fervida proni ad vitia, praecipuè carnalia. Rigorem hujus opinionis temperant *Paludanus in 4. dist. 15. q. 4. a. 2. Maior n. 3. dist. 15. q. 3. & Abulensis in Matth. 6. quest. 139.* dicentes, quanvis pueri in illa aetate non teneantur ad omnia jejunia Ecclesiae, teneri tamen ad aliqua taxenda prudentis arbitrio, v.g. ad tres vel quatuor dies in hebdomada Quadragesimae.

Dicendum tamen omninò est cum communi sententia, quam multis citatis tenent *S. Thomas 2. 2. q. 147. a. 4. Azor p. 1. lib. 7. cap. 27. q. 2. & Sanch. lib. 2. Matr. disp. 41. n. 38.* qui *tract. de jejunio dub. 2.* addit etiam si adolescentes sint robustissimi, nullo jejunio Ecclesiae teneri ante completum annū vigesimum primum. Ratio est, quia Ecclesia non intendit obligare ad jejunandum cum notabili detrimento, hoc autem inferretur hominibus si compellerentur jejunare in illa aetate, in qua datur status augmenti, quod stare nequit cū subtractione cibi. Notat vero *Sanch. citatus dub. illo 2.* quādo quis intra quadragesimam implet vigesimum primū aetatis annum, teneri jejunare residuum. Inveniis qui aetatem illam complet die jejunij, etiā si illam compleat mane, est exemptus per totū diem. Nam praeceptum diem totum respicit. Ita *Sanctius disp. 54. n. 4.* contra *Portellium V. jejunium in ad n. 4.* Nota insuper Doctores in hac sententia nullū ponere discrimen inter mares, & faeminas. Adolescētes ad jejunium.

779. Quod attinet ad senes, constat inter omnes Senectutem excusare a jejunio Ecclesiastico. Est enim quidam morbus incurabilis. Sola est difficultas a quo tempore senectus incipiat, ad effectum excusandi. Nam *Sylvest V. jejun. q. 6. & Tolet. lib. 6. sum. cap. 4. n 12.* postulant septuaginta aetatis annos, eo modo quo illos postulant leges civiles *l. vnic. C. qui aetate l. 10.* ad excusandum ab oneribus personalibus. Alij solum postulāt quinquaginta annos. Aetas senilis ad jejunium.

Sententia tamen probabilior & communior, quam tenent cum multis citatis *Fagun. sit. cap. 8. n. 9. Palaus. de jejun. disp. 3. p. 2. §. 5. n. 4. & Sanch. tr. de jejun. dub. 4.* est media affirmans senectutem, quae a jejunio excusat, incipere ab anno sexagesimo. Ratio est, quia tunc incipit dari caloris nativi debilitas, ob quam datur necessitas cibi frequentioris, itaut non sufficiat unica refectio.

Quid si in sexagenario detur & constet manifestum robur & firmitas ad jejunandum? Teneri affirmant *Azor p. 1. lib. 7. cap. 17. alias 28. q. 4. Layman lib. 4. tr. 8. cap. 3. n. 3. Lessius lib. 4. cap. 2. n. 41. & Fagun. cit. n. 9.* Quia tota excusationis causa est debilitas, haec autem non datur in tali sexagenario. Haec sententia est tutior & consulenda. Nihilominus satis tutè & probabiliter dicendum. est cum Palao citato n. 6. *Thoma Sanch. lib. 7. Matr. disp. 32. n. 17. & tract. de jejun. dub. 4. Granado p. 2. contr. 7. tr. 3. p. 1. disp. 6. lect. 5. n. 39. & Ioan. Sanch. in select. d. 54. n. 8.* sexagesimum annum esse infallibilem terminum obligationis Ecclesiastici jejunij. Ratio est quia in omnibus etiam robustissimis ab anno sexagesimo natura decrescit, atque adeo semper illa aetas naturae occasus est. Addit *Joan. Sanch. n. 10.* sufficere sexagesimum annum inceptum, ut quis maneat deobligatus. Quia in Sexagenarius ad jejunium.

favorabilibus habetur pro completo dies vel annus inceptus.

780. Dubium est an eadem ætas sexagenaria quæ sufficit ad excusandos viros a jejunio, postuletur ad excusandum fæminas? Affirmant authores cum *Layman lib. 4. sum. tr.8. c.3. n. 2. Fagun. cit. n. 11. & Joan. Sanch. in selec. d. 54. n. 11.* Hoc dubium movet, sed relatis alijs non resolvit Palaus cit. n. 7 Difficultatem hanc latè discutit *Sanch. lib. 7. Matr. disp. 32. n. 17.* & quanvis rationibus ostendat senectutem in fæminis incipere ab anno quinquagesimo, cum illis, utpote debilioris conditionis senectus adveniat citius, & tepescat calor naturalis ad cibum decoquendum, solum cōcludit opinionem hanc speculativè veram videri, eam tamen in praxi minùs tutam credit quia est contra Doctorum placita, eandem in viris ac fæminis ætatem postulantium.

Nihilominus idem *Sanch. lib. 5. Consil. cap. 1. dub. 4.* quanvis se referat ad locum proximè citatum de Matr. ubi ait se dixisse in fæminis citius contingere senectutem quàm in viris, nulla facta mentione de opinione speculativè vera, & practicè minus tuta, sic concludit: *Et ideo feminæ quinquagenariæ desobligantur a jejunio. Sic Caiet. Pedraza, & aliqui juniores.* Hæc sunt concepta Verba Principis Doctorum in re morali, cui libenter subscribo.

QUÆSTIO II.

Qualiter a jejunio excusent paupertas & infirmitas?

Paupertas excusans a jejunio.

781. Quod attinet ad paupertatem, hæc est causa sufficienter excusans a præcepto jejunij. Unde cum *S. Thoma in 4. dist. 5 q. 3. a. 2. quæstiun. 4. ad 2. Sylvest. V. jejun q. 9.* consentiunt *Azor p. 1. l. 7. c. 27. q. 7. Sanch. in consil. de jejun. dub. 15. & Fagund. de eod. lib. 1. c 8. n. 11;* non teneri ad jejunium pauperes, qui mendicando ostiatim victum quærunt. Hi enim non habent quantum necesse est, ut hora competenti unicam refectionem capiant. Idem procedit de illis, qui non habent nisi cibum in diebus jejunij prohibitum. Quia pia mater Ecclesia neminem vult accipere detrimentum in vita & valetudine.

Addit *Sanch. cit.* prædictos excusari etiam si habeant magnam copiam panis, olerum & pomorum. Ad illos reducuntur qui nec possunt parare nec habent parantes necessaria ad jejunandū. Pauper die, qua habet prandium sufficiens, tenetur jejunare, nisi ex præcedenti inedia adeo debilitatus sit, ut jejunium commodè ferre nequeat. Ita *Sanch.* loco citato.

Infirmitas excusans a jejunio.

Quod attinet ad infirmitatem, communis & vera sententia est, in qua conveniunt *S. Thom. cit. q. 4. Navar. cap. 21. n. 16. Azor p. 1. lib. 7. cap. 27. q. 7. Less. lib. 4. cap. 2. n. 40. Layman lib. 4. tr. 8. cap. 3. n. 3. Filliuc. tr. 27. cap. 6. q. 5.* excusari à jejunio non solum ægrotos, sed etiam debiles, & qui vel stomachi, vel capitis dolore laborant, aut patiuntur vertigines, aliasque similes ægritudines, quas absque gravi sanitatis in commodo sustinere nequeunt abstinendo à cibis quadragesimalibus, vel utentes unica refectione. Monent autem citati authores in casu dubio medici consilio, vel superioris authoritate standum esse.

782. Idem procedit de Valetudinarijs, & de habentibus tam debilem complexionem, ut per stomachi inanitatem subeant ægritudinem aliquam, vel nocte calefieri, & dormire nequeant. Addit *Maior in 4. dist. 15. q. 3. col. 4.* non referre, quòd ipsius ægroti culpa morbus, vel ægritudo venerit. Iuxta citatos authores idem dicēdū est de prægnantibus, & nutrientibus cum debeant capere cibum accōmodum & sufficientem sibi & puero, ad quod cōmuniter non sufficit unica comestio. Addit *Caietanus in summa V. Iejun. n. & 2. 2. q. 147. a. 4.* etiam in dubio an sufficiat, excusari. Ex quo rectè infertur cum *Navar. cap. 21. n. 15.* eas peccare lethaliter, si cum periculo fætus jejunent. Adde cum *Molfesio to. 1. tr. 10. cap. 4. n. 40.* prægnantes quandoque appetere aliqua, quæ si non dentur, imminet periculum proli.

QUÆSTIO III.

Qualis & quantus labor a jejunando excuset?

Labor excusans a jejunio.

Conveniunt tanquam in doctrina certa authores, excusare a jejunio laborem illum honesto fine susceptum, cum quo difficulter jejuniū sustineri potest, qualis est ille labor, quem subeunt agricolæ, fossores, fabri, ferrarij & lignarij, figuli, sculptores, pelliones, maceratores, fullones, cæmentarij, sutores, & alij qui exercent similes artes æquè laboriosas. Ita *Navar. cap. 21. n. 16, Tabiena V. Iejunium n. 19. Azor p. 1. lib. 7, cap. 27. q. 8 Fagundez lib. 1. cap. 8. n. 15 Palaus tr. 30. disp. 3. p. 1. §. 5. n. 10. & Sanch. de jejun. dub. 7.* Certum etiam est non excusari omnes artifices reipublicæ quia Alexander 7. anno 1665. dānavit hanc propositionem *omnes officiales qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunij, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.* (Sicut etiam damnavit hanc: *Excusantur absolutè a præcepto jejunij omnes qui iter agunt equitando, ut cumque iter agant, etiam si iter necessarium non sit, & etiam si iter unius diei conficiant.*

Artifices ad jejunium.

Dubitatur de aliquibus qui exercent officia non admodum laboriosa. *Sanch. cit. dub. 7.* sartores, barbitōnsores, buratarios, brosllatores, pictores, & scribentes etiam ex officio non excusat ex præcisa ratione officij, nisi aliqua circunstantia cōcurrat, ut vigilia, ex qua gravetur caput, vel debilitetur stomachus. Addit n. 9. quando officium habet quædam opera laboris gravis, & quædam laboris levis, excusari exercentes gravia, non verè exercentes levia. *Gordonus to. 2. lib. 6. q. 18.* apud Typographos excusat versantes prælum, non tamen colligentes typos.

Sartores & barbitonsores ad jejunium.

783. Nihilominus *Ledesma 2.4. q. 17. a. 3.* dicit excusari sartores & barbitonsores: non ex magno labore, sed ex usu. Angles fol. 404. excusat scribentes ex officio. Certè vàlde probabile est quod tradunt *Fagun. cit. n. 15. & Palaus n. 10.* excusari indiscriminatim omnes artifices mechanicos, tum ex consuetudine, tum quia, sic declaravit Euge-

nius 4. teste Navarro cap. 21. n. 16. Addit recté Palaus loco citato, quanvis aliqui non excusent famulos, vel famulas nentes, fila ducentes, vestimenta sarcientes, se veriùs credere excusatos esse, si mayori parte diei his officijs incumbant, tum quia instar artificum exercent mechanicam arté tum quia labor ille ex assiduitate frequentiorem cibũ postulat. Palaus cit. n. 10. nõ excusat pictores quia eorũ ars liberales antes imitatur, nec multum laboriosa est. Quod (inquit) a fortiori procedit in scribis, ad vocatis, notarijs: tamen Lud. de Suan. 1. p. sum. tr. de jeju. a. 6. scribas huic muneri ex obligatione incũbẽtes excusat. Quod freqũẽter (addit Palaus) admitendum non est.

Iter facientes ad jejunium. Dubium est 1. an & qualiter excusentur qui faciunt iter? *Ortis in sum. cap. 19.* omnes itinerantes excusat, quæcunque sit itineris causa, etiam si nõ multum laborent. Loquendum tamen est cum distinctione: nam pedestres (inquit *Sanch. dub. 10.*) si iter faciant per magnam partem diei (addit *Palaus eod. num.*) si quinque leucas pertranseant) secus si per unam & dimidiam leucã, excusantur a jejunio: etiam si id non faciant ex officio, nec ex magna necessitate. Addit *Palaus* excusari qui curru vel lectica peragunt iter, quia eo modo itinerandi valde membra concutiuntur. Ita etiam Bonac. disp. ult. de Eccles. præc. q. 1. p. ult. n. 11. Qui autem equo vecti iter agunt, non excusantur, nisi forte sint ita debilioris naturæ ut equitãdo nimiũ defatigẽtur. Cursores equciũ, vulgó *correyos de posta*, excusantur.

Ego in omnibus obedio Sũmo Pontifici Alexãdro Septimo, qui anno Domini 1666. de 23. Martij damnavit hanc propositionẽ. Excusãtur absoluté a præcepto jejunij omnes illi qui iter agunt equitãdo: si utrunq; iter agãt, & si iter nõ sit necessariũ & etiam si iter unius diei conficiant.

Operarij ad jejunium. 784 Dubiũ est 2. an peccẽt lethaliterq; die jejunij cõducunt operarios, v. g. fossores aut messores sub ea cõditione ne jejunent? Affirmant *Paludan. in 4. dist. 5. a. 2. q. 4 Gabriel, Rosella, Sylv.* & alij. Quod impediunt voluntatẽ illorũ ne possint jejunare, si velint. Mihi tamẽ placet Fagun. de jejun. l. 1. c. 8. n. 16. affirmãs illos nec venialiter peccare. Ita etiam *Sanch. cit dub.* 8. Ratio est, quia solũ peccarẽt, si pacto illo & cõditione apposita impedirẽt observationẽ præcepti, ad quod ipsi tenerẽtur: sed illi quãdo laborãt, nõ tenẽtur ex præcepto ad jejunandũ, ut diximus n. 382. ergo non impediũtur ab observatione præcepti, acproinde qui illos cõducunt sub illa cõditione nõ peccant.

Dubiũ est 3. an hujusmodi operarij, & similes qui exercẽt continẽter officiũ valde laboriosũ, teneantur jejunare eo die, quo nõ laborant, si talis dies sit jejunij? *Medina de instruct. pro confessar. l. 1. c. 14. §. 10.* id relinquit prudẽtis arbitrio definiendũ. Nihilominus *Azor p. 1. l. 7. c. 27. q. 8.* cui subscribit *Fagun. cit. n. 16.* bené illos probabiliter excusat. Quia valde durum est eos assiduo labore fractos, una die, qua a labore quiescunt, ut vires compa-rent, ad jejunium compelere.

Labor voluntarius excusat a jejunio. 785 Dubium est 4. an labor ut excuset a jejunio, esse debeat necessarius, an possit omninó spontaneus & voluntarius esse? Communis sententia est solum excusare laborem, qui necessitate suscipitur, non veró qui ex mera voluntate. Ita *Rodriguez de jejun. c. 23. n. 7. Filliuc. tr. 27. n. 135. Laym. lib 4. sum. tr. 8 cap. 3. n. 5. Reginal. l. 4. n. 201. Fagund. de jejun. cap. 8. n. 17.* & favet *Azor tom. 1. lib. 7. cap. 17.* alias *28. q. 8. & Sanch dub. 7. n. 11.* Ratio illorum est, quia contra præceptum est, impedimentum voluntarium ponere illius observationi, & videtur factum hoc in fraudem præcepti.

Nihilominus ex ijs quæ tradidimus *tract. 4. sect. 5.* dicendum est cum *Ioan. Sanch. sect 54. n. 14. & Palao de jejun disp. 3. p. 2. §. 5. n. 10.* laborem honestum cum quo jejunium difficulter sustineri potest, quanvis sit omninó voluntarius & nullo modo necessarius, excusare. Unde ludus pilæ, venatio aut piscatio assumpta recreationis causa excusant, ut bené docet *Sanch. citat. dub. 1. n. 16.*

Confirmatur ex communi asserentium cum *Sylvestr. v. jejunium q. 21. Lessio lib 4. c. 2. dub. 6. n. 42. Toleto l. 6. cap. 4. n. 5. Bonacina disp. ult. de præc. Eccl. q. 1. pun ult. n. 9.* & alijs, non teneri artifices otvites supersedere ab officio, ut jejunio possint vacare. Quia non semper tenemur auferre impedimenta voluntaria, seu incõpatibilia cum observatione præcepti. Unde docet *Sanch. cit. n. 13.* qui intentione non jejunandi sumit nociva ut ægrotet, & si peccet mortaliter id intendendo, at post morbum non peccat edendo carnes. Si ille non intendit vitare jejunium, solum peccat contra præceptum salutem conservandi. Vide *Fagun. n. 17.*

786 Dubium est 5. an labor inhonestus, v. g. furandi, aut meretricandi, aut persequendi inimicum excuset a jejunio, quando cum illo non consistit? *Sanch. cit. n. 15. & 16.* bené respondet in hunc modum. Si labor fuit assumptus ob finem inhonestum a prævidente se cum illo jejunare non posse, præter peccatum finis v. g. furti, datur aliud contra jejunium. Quia injusta fuit inhabilitatio. Addit *Palaus n. 10.* fine, eximi ab obligatione jejunij opere inhonesto, in honestũ esse, & rationi dissonũ. Quia lex jejunij ex recepta consuetudine Doctorum firmata authoritate prohibet suscipere eum laborem honestate destitutum, quo cum jejunium non consistit. Quanvis pro hac parte stet *Ortiz cap. 19. n. 17.* oppositum tenent *Medina lib. 1. cap. 14. §. 10. & Ioan. Sanc. d. 4. n. 20.* *Labor inhonestus ad jejunium.*

QUÆSTIO IV.

Qualiter a jejunio excusent necessitas, & pietas?

Excusant insuper a præcepto jejunij observando tum necessitas, tum pietas. Necessitas sufficiens ad excusandum tunc dabitur, quando ex jejunio rationabiliter timeatur proventurum damnum considerabile. Quia begnina & pia mater Ecclesia non intendit filios suos obligare cum notabili ipsorum in commodo. *Necessitas excusans a jejunio.*

Infertur 1. cum *Navarro cap. 21. n. 16. Hisp. n. 17.* & alijs, quos citat & sequitur *Sanch. lib. 9. Matr. disp. 3. n. 10.* uxorem & maritum excusari a jejunio, quando hoc illos potest impedire a reddendo debito. Nam fortius est vinculum justitiæ quæ obligat ad reddendum debitum. quàm vinculum temperantiæ & religionis, quæ obligat ad jejunium.

Vxor ad jejunium. 787. Infertur 2. cum *Ludov. Lopez 2. p. Instr. cap. 411. & Sanch. n. 12.* fæminam volentem nubere, si jejunio fiat deformis, vt multò difficiliús nubat, excusari ab illo. Nam hoc reputatur damnum notabile. Infertur 3. cum eodem *Sanch. n. 11. & Philiarcho de offic. sacerd. to. 1. 2. par. lib. 3. cap. 5.* excusari a jejunio uxorem ob conservandum amorem mariti erga seipsam, ut si minùs diligatur a marito ob deformitatem ex jejunio macerante contractam.

Quod attinet ad pietatem: an pietatis officia quibus cum jejunium facile non sustinetur, ab eo excusent? Distinguendum est inter opera obligatoria nempe ex obligatione suscepta, & non obligatoria, quæ scilicet ex devotione suscipiuntur. Si loquatuur de prioribus, facilis est resolutio, in qua consentiunt *Valens. disp. 9. q. 2. p. 5. Bonac. de prac. Eccl. disp. ult. q. 1. pun. ult. n. 13. Fagun. de jejun. lib. 1. cap. 8. n. 19. & Palaus de eod. disp. 3. p. 2. §. 5. n. 1.* excusare. Ratio est, quia jejunium opponi non debet operi præstantiori aliás debito, & præstando ex necessitate.

Cōcionatores & infirmarij ad jejunium. 788. Infertur 1. excusari infirmarios, seu ministrantes infirmis, quibus illorum ministratio necessaria est. Infertur 2. cum *Navarro cap. 21. n. 16. Silv. V. Iejun. n. 26. Valent. disp 9. q. 2. p. 5. & Bonac. disp. ult. de prac. Eccle. q. 1. pun ult. n. 13* excusari concionatores, si ex officio, aut obedientia concionentur, aut conciones fiant necessariæ populo edocendo. Unde *Sanch. de jejun. dub. 13.* ait concionatores qui in Quadragesima concionantur ter vel quater in hebdomada, regulariter nullo quadragesimæ die teneri jejunare: & hoc maximè si cum fervore concionentur. Inter annum excusantur vigilia concionis, & in ipso die.

Magistri ad jejunium. Infertur 3. cum *Layman cap. 3. n. 4. Fagun. cit. n. 19. & Navar. cap. 21. n. 16.* excusari magistros qui docent publicè, quando nimis defatigantur studendo. *Maior in 4. dist. 15. q. 3.* non excusat omnes regentes cathedram, sed illos, quorum labor est continuus, vel qui ita sunt debiles, ut si jejunent, nec sufficienter studere, nec lectionem explicare cum satisfactione possent. Unde *Palaus cit. n. 11.* existimat in Societate excusari Magistros, qui singulis diebus quatuor, vel quinque horas laborioso docendi muneri incumbunt, quales magistri linguæ Latinæ: poterat addere a fortiori magistros Philosophiæ in Lusitania.

Sanch. cit. *dub. 13. n. 7.* Magistri (inquit) grāmaticæ in Societate, qui quatuor lectiones legūt, quanvis fortes & robusti, non tenentur jejunare totam quadragesimam. Sufficit quòd jejunent tribus diebus in hebdomada. Si aliquis fuerit debilior, minus aut nihil jejunet. Superiores ad tollendum omnem scrupulum, debent facile cum illis dispensare. Magistri Theologiæ (*addit n. 8.*) utriusque juris, & medicinę non excusantur ex vi laboris: nec similiter Scholasticus ob studium. Quia potius indigent cibo modico. At si quis propter jejunium amitteret totum studium quadragesimæ, excusaretur. Uide quæ laté egimus de jejunio Scholarium in nostra *academ. an. 1492.* *Scholasticorum jejunium.*

789. Infertur 4. cum *Sanch. n. 11.* extraordinarium laborem actus publici in Academijs, vel examinis laboriosi excusare, si commodé cum jejunio haberi nequeat. Infertur 5. cum *Tabiena V. jejunium n. 16. Sa à n. 9. Fagund. Bonac. & Palao citatis* confessarios qui assidue excipiunt confessiones pænitentium, a quibus nisi desistant, jejunare nequeunt, excusari a jejunio. Quia Ecclesia præcepto jejunij non intelligitur velle impedire præstantiora charitatis & religionis opera. Non dissentit *Sanch. cit. dub. 13. n. 11.* ubi sic: Confessor (inquit) communiter non habet tantum laborem ut excusetur: ob magnam tamen frequētiam & defatigationem excusabitur. *Confessarius ad jejunium.*

Si loquamur de operibus pietatis & religionis non ex obligatione, sed ex devotione susceptis, qualis est peregrinatio ad invisenda loca sancta, vel publica flagellatio feria 5. indulgentiarum, sūt authores qui negant excusare a jejunio. Ita *Navarr. cap. 21. n. 18. Tolat. lib. 6. cap. 41. n. 8. & Layman lib. 4. sum. tr. 8. cap. 3. n. 5.* Probant, quia exerceri non debent opera consilij omissis operibus præceptis: & regulariter animæ salubrius est jejunare, quàm peregrinari. *Pietas excusans a jejun.*

790. Dicendum tamen est cum authoribus, quos citavimus num. 385. §. *Nihilominus*, opus quantumuis non obligatorium, dummodo sit honestum, & incompatibile cum jejunio, ab illo excusare. Quia tale opus non impedit jejunium per se, ac proinde nemo ex præcepto jejunij tenetur illud vitare. Palaus n. 11. notat discrimen inter pia illa opera non obligatoria & obligatoria: quia non obligatoria solum excusant postquàm suscepta sunt, & non antequam suscipiantur sola intentione suscipiendi: secus obligatoria: hæc sola intentione suscipiendi eadem die excusant.

Nonnulli ex citatis authoribus limitant nostrā resolutionem; dummodo illud pium opus non suscipiatur in fraudem jejunij, scilicet intentione non jejunandi. Hanc limitationem bené rejicit *Palaus cit. n. 11.* Quia si suscepto illo opere pio nulla est obligatio jejunandi, nihil fraudis vel culpæ committit contra præceptum, qui suscepto illo opere intendit non jejunare: siquidem talis intentio est de re licita & honesta.

Rogabis 1. an sit causa sufficiens ad excusandum a jejunio stimulus carnis: quando scilicet quis experietur se jejunantem esse procliviorē ad libidinem, & seminis fluxum? Hoc dubium excitat *Sanch. dub. 11.* & bené resolvit negativé *num. 6.* addit tamen prædictum habere sufficientem causam, ut cum ipso dispensetur.

791. Rogabis 2. an metus ab extrinseco illatus excuset a jejunio? Hæc excusandi causa ad ne- *Metus excusans a jejun.*

cessitatem, vel pietatem spectare p... st, & vera resolutio, quam tradunt *Caiet. V. Iejun. cap.* 3. & *Azor to.* 1. *lib.* 7. *cap.* 38. *alias* 39. *q.* 7. est a jejunio excusare metum justum, qualis est cadens in virum constantem, v.g. metus mortis, servitutis, captivitatis, carceris, tormentorum, bonorum omnium, vel partis considerabilis jactura.

Infertur 1. cum *Navar. in sum. Lat. cap.* 21. *n.* 10. & *Sanch. lib.* 9. *Matr. disp.* 3. *n.* 13. non sufficere præceptum mariti, ut uxor excusetur, nisi accedant minæ, aut timeantur graves discordiæ inter ipsam & virum: tunc enim, si non præcipiatur solutio jejunij in contemptum, licita erit.

Infertur 2. cum *Azorio citato Angelo V. Iejunium n.* 17. & *Sylv. ibid. q.* 9. solutam esse a lege jejunij fæminam, quæ nupsit hæretico eo pacto, ut omnes ritus catholicos posset observare, excepto præcepto jejunij, non in religionis contemptum, sed ut talis vir suum & familiæ suæ detrimentũ evitaret.

Infertur 3. catholicum, qui iter agit per terras paganorum, Turcarum, vel hæreticorum, oblatos sibi vetitos diebus jejunij cibos, quos si recuset, se manifestabit Christianum, aut catholicum cum vitæ, captivitatis, vel carceris periculo, posse edere, modò absit contemptus, & exploratio religionis per authoritatem publicam. Ita cum alijs *Fagun. cit. n.* 11.

QUÆSTIO V.

Qualiter dispensatio excuset a jejunio?

Dispẽsatio in jejunio.

792. Certum est relaxari legem jejunij, utpote positivam & humanam, per legitimam dispensationem. Difficultas est, a quonam prælato talis dispensatio licité & validé impendi possit. *Fagun. de jejunio lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 1. *Palaus disp.* 3. *p.* 2. *n.* 12. & *Sanch. dub.* 5. conveniunt 1. summum Pontificem in lege jejunij posse etiam sine causa validé dispensare. Nam est legislator juris Ecclesiastici, quod proinde ab eo pendet in fieri & conservari quoad abrogationem & dispensationem. Peccabit tamen saltem venialiter si absque causa dispenset, at nullo modo dispensatus utens dispensatione. Idem procedit de Episcopo in ordine ad suæ diœcesis peculiaria jejunia, quorum ipse legislator est.

Conveniunt 2. Episcopum, quanvis in jejunijs juris communis sine causa validé dispensare non possit, tamen data rationabili ac sufficienti causa, validé & licitè posse. Constat ex approbato usu Ecclesiæ, qui potuit annuente tacitè Pontifice eam potestatem prælatis inferioribus impendere. Notat bonè *Caietan. V. Iejun.* Episcopũ cauté se gerere pro supplendo aliquo causæ defectu, si commutationem faciat injungendo aliquam eleemosynam, vel preces.

Parochus dispensans in jejunio.

Difficultas est an parochus possit in jejunio dispensare cum suis parochianis? Negant *Angelus V. jejunium n.* 20. *Tabien. V. eod. n.* 15. & *Butrius in cap. consilium de observat jejun.* Quia jurisdictio parochi solum spectat ad forum animæ, & non extenditur ad forum externum, in quo est dispensatio jejunij. Affirmant *Sylv. V. jejun. q.* 7. *Navar. cap.* 21. *n.* 20. *Lessius lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 6. *n.* 45. Quia id quanvis non constat ex jure scripto, habetur tamen ex jure consuetudinario.

Utranque sententiam *Fagund. cap.* 9. *n.* 2. & *Palaus p.* 2. *n.* 12. rectè mittunt in concordiam asserentes parochum non posse dispensare in jejunio, quando Episcopus facile adiri potest, posse tamen quando ad Episcopum facilis aditus non patet. Consentit *Azor to.* 1. *lib.* 7. *cap.* 28. *alias* 29. *q.* 3. affirmans usu & consuetudine receptum esse, ut parochus dispenset, quando Episcopus facile adiri nequit.

Medici consiliũ.

793. Dubium est, an postuletur medici consilium, ut parochus possit dispensare? Si causa excusans a jejunio est manifesta, tunc nec medici consilium, nec aliqua dispensatio requiritur, cum cesset obligatio præcepti. Si autem parocho evidenter constet non subesse causam, medicus consulendus est, & tunc parochus ejus consilio potest acquiescere, & dispensare. Si causa manifestè fuerit dubia & incerta, absque ullo medici consilio poterit dispensare juxta restrictionem sententiæ proximè traditam, quando scilicet Episcopus adiri non possit.

Confessarius ad jejunium

Quid de confessario? Rectè docet *Azor cit. q.* 4. quando certo & evidenter causa excusationis ipsi ægroto dubia est, sufficere solius confessarij, vel medici, vel alicujus viri docti consilium, ut quis a lege jejunij etiam quadragesimalis censeatur liber. Quia illi tunc non dispensant, sed solum declarant præceptum non urgere.

Quod diximus de potestate Episcopi erga sæculares, procedit de Generali, Provinciali, & superiore locali erga regulares subditos, ut cum his dispensare in jejunio possint. Quia sunt veré illorum prælati. Ita *Fagun* & *Palaus citati*: quibus accedit *Sanch. dub.* 4. *n.* 20. & addit *n.* 21. dicta de dispensatione extendi ad præveniendam horam, & comedendos cibos vetitos, ut carnes, ova, & lacticinia.

Causa dispẽsãdi in jejunio.

794. Rogabis 1. qualis & quãta esse debeat causa ad dispensandum in jejunio? Respondeo certam omnino regulam præscribi non posse, cum multa cõsiderari debeant, ut judicetur causa sufficiens. Cum enim in lege jejunij (ut monent citati authores) tria interveniant: abstinentia a carnibus, unica comestio, & illius designata hora, minor causa postulatur, ut in designatione horæ dispensetur, maior ut gemina refectio sumatur, maxima ut carnibus vesci liceat. Si dispensatio non uni tantum, sed toti communitati impẽdenda est, graviorem exigit causam, & talem quæ ad communitatem spectet. Qualis verò sufficiat hìc & nunc prudens superior arbitrabitur. Uide *Palaum cit. n.* 4.

Transmutatio jejunij.

Rogabis 2. quæ causa & potestas sufficiat ad transmutationem jejunij, ut nempe jejunium juris communis de die in diem transferatur? Cum *Panorm. ad cap.* 1. *de obser. fest. n.* 10. & *Azor p.* 1. *lib.* 7. *cap.* 18. consentiunt *Fagund. cit. n.* 4. & *Palaus cit. n.* 12. posse Episcopum jejunium Ecclesiæ

transmutare de uno die in alium, si detur causa sufficiens, qualis erit, si jejunium incidat in festum aliquod solemne, v.g. si vigilia S. Ioannis Baptistæ incidat in festum Corporis Christi, sufficiens causa erit, ut Episcopus illam cõmutet in diem præcedentem.

Adde quanvis festum illud non sit solemne in tota Ecclesia, sicut in Gallia (inquit *Fagundez n.* 4.) ubi sunt Ecclesiæ S. Quintini ibi celeberrimi, vigilia omnium Sanctorum, quæ incidit in festo die illius sancti, authoritate Episcopi transfertur in diem antecedenté. Apud Lusitanos etiam observatur in diœcesi Ulyssip. juxta *Constit lib.* 2. *tit.* 3. §. 1. ut si pervigilium S. Antonij, vel S. Ioannis Baptistæ inciderit in die Corporis Christi, non jejunetur ea die, sed quarta feria.

795 Prædictis superaddit *Palaus citatus* sufficientem causam esse ut ab Episcopo transferatur jejunium, si vigilia occurrat ea die, qua credatur a multis non observanda, sicut accidit quando vigilia S. Marthæ incidit in feria secunda, vel tertia Quinquagesimæ: tunc (ait) consultum erit illam commutare in sabbathum præcedens Quinquagesimã. Certè pro his omnibus intelligendis, & rectè observandis vigili, ac prudenti cautela opus est. Si velis probè agnoscere prudentiam, sic definitur: *Est virtus intellectus, qua in quovis negotio occurrente novimus quid honestum sit, quid turpe.* Hanc definitionem affert & præclaré exponit Lessius l. 1. cap. 1. dub. 1. ubi de prædicta virtute fusé & eleganter. *Prudentia quid sit.*

TRACTATVS XXXVI.

De luxuria, & peccatis ex concupiscentia carnis provenientibus.

SECTIO I.

De fornicatione simplici, concubinatu, & annexis intra eandem speciem.

QUÆSTIO I.

Quid sit luxuria, & quotuplex?

QUÆ apud Græcos dicitur *Asotia*, apud Latinos appellatur *luxuria*, & nomen habet a luxu, id est solutione & fluxu, quasi solutio, seu dissolutio in voluptates. A M. Tullio 5. verr. & Marone 1. Æn. accipitur pro omni excessu rei venereæ: item pro omni superfluitate, & nimia profusione cibi, vestitus, & aliarum rerum. Est igitur in hac acceptione impensa profusa & supervacua, cui opponitur frugalitas. Sic etiam a legistis usurpatur *Lex damn. ff. de dam. infect.* Apud eosdem sumitur pro crapula & vinositate *l.* 1 *ad fin. ff. de adilit. edict.* & pro abusu cujuscunque rei *l.* 1. §. *Idẽ Iulian. eod tit.* *Luxuria quid sit.*

796 Apud Theologos ducibus *S. Thoma* 2. 2. *q.* 153 *a.* 4. & *Alensi* 2. *p. q.* 113. *memb.* 3. est vitiũ capitale oppositum castitati, quod consistit in immoderata rerum libidinosarum cupiditate extra legitimum conjugium. Est ex suo genere peccatum lethale, ut sumitur ex *Apost. ad Gal.* 4. & ex ratione, quia usus rei venereæ est graviter & notabiliter necessarius ad naturam propagandam, sicut usus cibi ad conservandam; ergo inordinatio illius datur in re gravi. Habet luxuria octo filias internas, & quatuor externas, quas parere solet. Internæ sunt Cæcitas mentis, præcipitatio, Inconsideratio, Inconstantia, Amor sui, odium Dei Affectus præsentis sæculi, horror futuri. Externæ sunt Turpiloquia, Scurrilia, Ludicra, Stultiloquia. Utrasque numerat & exponit *Lessius lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 5. *Filiæ luxuriæ.*

Quod attinet ad multiplicitatem luxuriæ, septem illius species a Theologis recensentur, ut ex *Gratiano* 36. *q.* 1. *cap. lex illa* & *S. Thoma* 2. 2. *q.* 154. *a.* 1. desumunt *Azor p.* 3. *lib.* 3. *cap.* 3. & *Lessius l.* 4. *c.* 3. *dub.* 6. scilicet fornicatio, Adulterium, Incestus, stuprum, Raptus, vitium contra naturam, & sacrilegium. Eas omnes dari probat *Lessius citatus c.* 45. colligendo in hunc modum. Inordinatio (inquit) luxuriæ vel fit circa actum principalem, quód ita fiat, ut nõ possit sequi generatio, & est vitium contra naturam: aut quòd ita fiat ut non possit sequi commoda institutio, & promotio prolis usque ad statum perfectum: & tunc, si detur commixtio solum cũ soluta, est *fornicatio*: si cum propinqua, est *incestus*, si cum alterius cõjuge, est *adulterium*: si cum ea quæ adhuc vivit in Potestate patris, est *stuprum*: si illa non consentit, est raptus. Si cum persona Deo sacra, est *sacrilegiũ.* *Luxuriæ species.*

797 Rogabis 1. an omnes numeratæ species tales sint intra genus luxuriæ? Negativa resolutio vera omninò est, quam tenẽt *Villalobos tract.* 30 *cap.* 2. *q.* 2. & *Azor p.* 3. *l.* 3. *cap.* 38. *q.* 1. Quia licèt intra genus luxuriæ sint tres veræ species nempe stuprum, fornicatio, & peccata contra naturam, ita ut hæc peccata nullius alterius generis species possint esse, nisi accidentales, tamen aliæ pertinẽt ad alia genera, & sunt etiam contra alias virtutes, scilicet adulterium contra justitiam alterius conjugis, incestus contra pietatem, & raptus contra justitiam debitam proximo.

Rogabis 2. quomodó se habeant omnes numeratæ luxuriæ species in gravitate malitiæ? Ex *S. Thoma* 2. 2. *q.* 154. *a.* 1. bene *Azor citat a c.* 29. *q.* 6. respondet assignando hunc ordinem. Peccata (inquit) contra naturam sunt graviora alijs. Secundo loco gravius cęteris est incestus. Tertio adulterium cum uxore: Tertius rapta. Quarto adulterium simplex. Quinto stuprum cum Virgine rapta, Sexto struprum simplex. Septimo fornicatio *Gravitatis malitiæ ordo in peccatis luxuriæ.*

nicatio simplex.

Infertur peccata contrà naturam (inquit) gravissimum omnium est bestialitas. Secundo loco Sodomia in qua non est servatus debitus sexus. Tertio est Sidomia, in qua non est servatum debitum vas fœminæ. Quarto, quando non est servatus debitus coeundi modus. Quinto, quando datur pollutio voluntaria. Notat bené ad finem capitis, dicta intelligi ex natura rei & objecti: nam ex circunstantijs post, gravitas se aliter habere. Nam incestus cum matre vel sorore est gravior adulterio: item gravius adulterium cum affine vel consanguinea in quarto gradu.

QUÆSTIO II.

Quale peccatum sit, & quomodo se habeat fornicatio simp.ex?

Fornicationis acceptio.

798 VT perspicuè pateat resolutio dubiorũ hujus quæstionis, prænotandum est fornicationem accipi tripliciter. 1. metaphoricé, & sic quando mens nostra adhæret alteri præter Deum, fornicari dicitur *Ierem.* 5. 2. cõmuniter, sicut in *cap. qui ergò* 32. *q.* 3. & cõplectitur omnem illicitum coitum. 3. propriè quatenus species luxuriæ ab alijs distincta, & definitur *concubitus naturalis soluti cum soluta.* Intelliguntur autem soluti, qui a conjugio, voto, ordine sacro, religione, & cognatione sũt liberi. Fornicationis simplicis deformitas in eo cõsistit, quòd ex ea non possit sequi commoda institutio & promotio probis usq; ad perfectum statum.

Fornicatio est peccatum mortale.

Dubium est 1. quale peccatum sit fornicatiõ simplex? Bené respondent *Lessius l.* 4. *c.* 3. *dub.* 7. *Azorp.* 3. *l.* 1. *c.* 2. *c.* 4 *& Filliuc. tr.* 30. *cap.* 2. *q.* 4. esse peccatum mortale. Est de fide, ut habetur ex *Clem. Ad nostrum de haret. errore* 7. & Apost. 1. Corin. 6. *Neque fornicarij, neque idolis servientes & regnum Dei possidebunt.* Deinde ex ratione, quia omnis concubitus viri & fæminæ extra matrimonium fraudat in re magni momenti finẽ, qui est bona prolis educatio: hæc enim esset magno periculo exposita, nisi vir & fæmina matrimonij lege forẽt constricti: nam multum indiget ope utriusque parentis bona prolis institutio.

799 Dubium est 2. an fornicatio simplex sit prohibita sola lege positivâ, an etiam naturali? Fuit sententia aliquorum; quibus accedit *Durant.* 4. *dist.* 3. 33. *q.* 2. asserentium fornicationem prohiberi quidem lege positiva divina, sed non naturali, proindeque non esse prohibitam, quia mala; sed & contra esse malam, quia prohibita. Dicendum tamen est cum *S. Thoma* 2. 2. *q.* 154. *a.* 2. *& Azorio citato cap.* 4. *init.* fornicationem lege naturali prohibitam esse, & ideo intrinsecè malam; est enim, præcisa omni lege positiva, cõtra bonam educationem, & institutionem prolis nasciturae.

Copula fornicaria explicanda in confessione.

Ex dictis sequitur explicandam esse in cõfessione fornicariam copulam, nec satisfacere qui solum diceret, commisi grave peccatum cõntra castitatem: præcipué quia Papa Alexander VII. anno 1665. damnavit hanc propositionem: *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*)

Fornicatio an liceat in aliquo casu.

Dubium est 3. an possit dari casus in quo liceat fornicari? Affirmabunt illi, quos proximé citavimus, asserentes fornicationem non prohiberi lege naturali, sed sola positiva. Unde licere dicent 1. in supremæ necessitatis casu, scilicet ad vitandã mortem. 2. ex divina dispensatione, & allegabunt exemplum Oseæ 1. cui Deus præcepit ut sumeret uxorem fornicariam, & faceret filios fornicationum: ipse autem obtemperavit.

Negandum tamen est cũ citatis, & præcipué *Filliucio tr.* 30. *c.* 2. *n.* 45. Quia fornicatio ex sua intrinseca ratione prava est, utpote includens omissionem debiti ordinis, ac proindé inordinationẽ repugnantem complemento prolis. Unde fornicatio non est per se, ac natura suâ medium ordinatum ad vitam conservandam, aut mortem vitãdam: casus enim quicunque oblatus, erit per accidens. Præceptum Dei impositum Oseę, non arguit Deum dispensasse in fornicatione. Quia ut cum Ribera bené exponit *Palaus tr.* 3. *disp.* 3. *pun.* 7. *§.* 2. *n.* 2. Oseas fæminam illam fornicationi assuetam in uxorem assumpsit, & ex ea genuit filios, qui propterea, dicti filij fornicationis, quia idola erant culturi. Nam cultus idolorum fornicatio dicitur. Addit *Palaus* ex *Layman lib.* 3. *sum. sect.* 4. *n.* 10. eo ipso quód Deus potestatem faceret alterius corpore utendi, tolleret fornicationis malitiam, quæ sita est in accessu ad non suam: ea enim cõcessione propria utentis mulier fieret. Sicut furti malitia cessaret, si Deus alienam pecuniam suscipienti concederet.

Fornicatio finè peccato.

800 Dubium est 4. an quando committitur fornicatio, dari possit excusatio peccati ex parte alterius? Duplex occurrit casus, alter ignorantiæ, alter violentiæ. Quod attinet ad ignorãtiam, eam etiam invincibilem de malitia fornicationis posse dari saltem inter rusticos, Doctoribus & scientia morali destitutos, bené docet *Tannerus* 1. 2. *disp* 4. *q.* 9. *dub.* 1. *n.* 14. *& Filliuc. citatus n.* 50. qui addit *n.* 51. vix credibile esse posse dari inter Christianos in civitatibus & oppidis, ubi frequenter fiunt cõciones de Christiana doctrina, & visitationes Episcopi.

Fæmina passivè se habens ad copulam.

Quod attinet ad violẽtiam, non peccare mortaliter fæminam, si absque animo consentiẽdi resistens corporis declinatione, & clamoribus vim patiatur, rectè docet *Tannerus* 1. 2. *disp.* 2. *q.* 1. *dub.* 4. *n.* 56. quem citat & sequitur *Deana p.* 2. *tr.* 6. *res.* 31. Addit *Molsesius tom.* 1. *tr.* 8. *cap.* 2. *n.* 78. quanvis mulier fornicationi violentæ cooperari nequeat ex quovis periculo, tamen pro morte aut infamia vitandis posse corrupti onem externam pati, dummodo non consentiat, sed merê passivè se habeat. Quia præceptum resistendi est positivũ, & in omni eventu non obligat, sed intra rationis metas.

Pollutio per vim.

Addit *Salas p.* 2. *to.* 1. *tr.* 3. *disp.* 3. *sec.* 1. *n.* 31. hoc esse verum, etiam si in muliere vim patiente, adesset periculum consentiendi. Quia sæpe licet non fugere periculum peccandi pro declinanda morte,

te infamia, aut alio gravissimo incommodo. Hæc additio merito displicet multis quos sequitur Diana citatus, quibus ego consentio ventus sequelam, quæ potest fieri de fœmina ad marem: ut nempe liceat viro ob metum mortis aut infamiæ passivè se habere cum periculo consensus, ad propriam pollutionem ab altero illatam.

801 Dubium est 5. an fornicatio inter regulares sit peccatum contra bonum commune, seu publicum religionis? Publicum delictum (ut exponimus in *Elucid. n.* 141.) dicitur illud, cujus accusatio cuilibet conceditur, ex eo quòd illius punitio ad publicam utilitatem spectet *l. 1. & 2. ff. de publ. judic.* circa illud (inquit Diana p. 3. tr. 2. resol. 69.) potest judex procedere, per viam inquisitionis contra delinquentem particularem, etiam si contra ipsum non sit aliqua probata infamia. — *Publicũ crimen quod.*

Sit ne igitur fornicatio inter regulares delictũ publicum? Negant *Rodrig. de ordine judic. cap. 3. n. 5. & Spathartus in praxi corrig. regul. tr. 3. c. 8. n. 9.* Affirmant *Miranda de ord. judic. tom. 1. q. 11 concl. . & Aldorete de relig. resp. enend. l. 1. cap. . s. 4. n. 29.* Mihi placet utrumque conciliare incedendo media via cum *Ioane Valero in differ. utriusque fori v. Inquisitio differ. 1. n.* 6. Assero igitur fornicationem in regularibus, si prudenter timeatur publicatio, censeri delictum publicum, & vergere in damnum totius religionis: secus, si fuerit adeo secreta & cum tali persona, ut credatur verisimiliter nunquam detegenda.

Dubium est 6. an sit fornicatio simplex clerici in sacris constituti coitus cum soluta? Negant *Grilland. de divers. crim. q. ult. & Corrad. . in pract. f. l. 376. n. 14.* Affirmant *Caccialupus. in repert. auth. n. 31. & Iul. Clar. lib. 5. select. v. fornicatio. n.* 16. Dicendum tamen cum *Filliuc. cit. n.* 54. si loquimur de foro externo quoad pœnas, reputari fornicationem simplicem: secus in foro interno quoad malitiam culpæ. Quia in foro externo saltẽ civili impunitum manet: in interno addit malitiam, vel sacrilegij juxta communem sententiã vel infidelitatis in violatione voti contra promissionem Deo factam, ut diximus n. 577. — *Presbyteri coitus cum soluta.*

802 Dubium est 7. an sit fornicatio simplex concubitus christiani cum soluta infideli. *Navarr. cap. 16. n.* 3. indicat non esse simplicem fornicationem. Quia leges tum canonicæ tum civiles illam gravius puniunt. *Lessius cap. 3. n.* 45. revocat ad sacrilegium. Melius *Filliuc. tr. 30. c. 2. n 52. & alij ex Azorio cap. 29. q* 3. dicunt talem concubitũ antè revocari ad speciem fornicationis simplicis. Quia talis accessus, seclusis omnibus extrinsecis, scilicet scandalo, periculo subversionis, & contemptus religionis, cõtinet malitiam fornicationis, graviorem tamen in eadem specie. — *Copula fidelis cũ infideli.*

Dubium est 8. an sit fornicatio simplex accessus ad sponsam alterius de futuro? Negant aliqui, apud *Sanch. lib. 1 de Matr. disp. 2. n. 2.* asserentes talẽ copulam esse adulterium. Affirmandum tamen est cum *Filliucio n.* 54. *Azorio p. 3. l. 3. c. 4. q. 6. & Sanch. citato*, talẽ copulam non esse adulterium, sed fornicationem simplicem, habere tamen circunstantiam necessariò fatendam, quando se tenet ex parte fœminæ, itaut si quis fornicetur cum spõsa alterius de futuro, tam ipse quàm sponsa teneantur fateri: quando autem se tenet ex parte viri, quia sponsus de futuró fornicatur, hanc circunstantiam non esse necessariò aperiendam. Quia nõ hęc fornicatio, sed illa censetur gravis injuria. — *Copula cum spõsa alterius.*

803 Dubium est 9. Qualis sit gravitas fornicationis comparative ad alia peccata? Quanvis fornicatio ratione quadam videatur esse maximũ peccatum, quia ob ingenitam homini concupiscẽtiam, illum maxime detinet, & ab illo difficillimé superatur. Unde S. *Isidorus lib. 2. de sum. bono cap.* 39. *magis* (inquit) *per carnis luxuriam humanũ genus subditur Diabolo, quàm per aliquod aliud peccatum*: tamen in rigore multa sunt peccata graviora quàm fornicatio: cum enim peccata sumant gravitatem ex bono maiori cui opponuntur, sequitur omnia peccata contra virtutes Theologicas & religionẽ graviora esse fornicatione, quæ opponitur inferiori virtuti, nempe temperantiæ. Sequitur etiam omnia peccata contra proximum, quę illi inferũt rigorosam injuriam, quale homicidium, contumelia, detractio, furtum, & similia graviora esse quám fornicatio. Ita *Filliuc. n.* 42. 43. — *Gravitas fornicationis.*

QUÆSTIO III.

Quid sit concubinatus, quale peccatum & qualiter puniendum?

Concubinatus (ut exponimus In *Elucid. n.* 1505.) dicitur à concubitu, seu concubãdo, hoc est simul dormiendo: & est cõsuetudo, usus & quasi vita simul cubandi, seu concubandi. Cõcubinatus (inquit *Azor p. 3. l. 3. c. 5.*) est quando vir fœminam aliquam carnaliter consuetudine quadã tanquam uxorem cognoscit. Unde ad concubinatum non sufficit unus vel alter actus coeundi cum fœmina sed requiritur cõsuetudo coeundi. — *Concubinatus quid sit.*

804 Habentes hujusmodi consuetudinem appellantur concubinarius & concubina. Neque refert ad hujusmodi denominationem, quod vir sit solutus, conjugatus, vel clericus: neque quód fœmina sit soluta, conjugata, consanguinea, vel monialis. Olim apud Hebreos concubinæ fuere legitimæ uxores, sed sine solemnitate ritus. Illis enim permissum fuit, ut quis ducendo uxores, unam publico ac solemni ritu acciperet, quæ dicebatur uxor simpliciter: alias verò absque solemni & publico ritu, quæ dicebantur concubinæ, & uxores secundariæ. — *Concubina.*

Hinc honestior fuit apud veteres (teste *Alciat. de verb signif.*) Concubinæ appellatio, quám amicæ: hæc enim comprehendit quascunque pellices & meretrices, ita ut licitum coitum nunquã habuerit: illa verò solum habitam loco uxoris, & aliquando licuit.

Apud Azoriũ loco citato concubinarius in jure civili solum censetur qui fœminam concubinam domi retinet. At in jure canonico concubinarius clericus consuetudinem coeundi cum certa fœmina, etiam si domi eam non retineat, sed quæ- — *Concubinarius qui.*

quærat in aliena domo. Vide *Bernard. Dias in sua pract. crim. Canon. cap. 73.* Addit ex *Azorio Filliucius n. 55.* clericum dici concubinarium, quanvis fœminam domi habeat tanquam pedissequam matris suæ, vel sororis, dummodo retineat in concubinam.

Concubina ejiciendi.

805 Quod attinet ad qualitem criminis, satis constat ex *Triden. sess. 24. can. 8.* concubinatum esse peccatum grave, & nimis obnoxium periculo æternæ damnationis. Concubinarius enim nō solum graviter peccat, sed manet in statu peccati lethalis, & in continuo proposito saltem virtuali peccandi. Ex quo (ut docet *Filliucius n. 56.* non est absolvendus antequam ejiciat concubinam, etiam in articulo mortis, si tempus adsit, & non sit magna necessitas eam retinendi citra scandalū: tunc enim firmum propositum sufficeret. Ut enim non possit absolvi, debet concubinatus ille esse proxima occasio peccandi, voluntaria quidē, & non necessaria, de qua *Bonac. de usu matrim. q. 4. pun. 14. n. 11.* Unde merito summus Pont. Alexan. 7. anno 1665. damnavit hanc propositionē: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarij vulgo (regalo) dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficile inveniretur.*

Quod attinet ad punitionem hujus criminis, rogabis 1. an laicus concubinarius possit a locorū ordinarijs puniri? Affirmativa resolutio vera est, quam tradunt *Ricius decis. 378. Azor p. 3. lib. 3. c. 6. Filliuc. tr. 30. cap. 2. n. 58. & Bonac. de usu matr. q 4. pun. 14. n. 18.* asserentes laicum concubinarium posse puniri, & excommunicari post trinam monitionem, ut constat ex *Triden. sess. 24 cap. 8.* Ubi adjicitur quascunque fœminas sive conjugatas, sive solutas, si concubinariæ fuerint, posse ejici extra oppidum, vel diæcesim, si ter admonitæ parere noluerint.

Concubinariorum poena.

Rogabis 2. quibus pœnis afficiatur præsbyter qui fuerit notorius concubinarius? *Azor. citatus 5. secundo notandum.* Affirmat illum ante ullam admonitionem suspensum esse ipso jure *Cap. presbyter dist. 32. & cap. Sacerdos dist. 50.* & addit tandiu manere suspensum quandiu durat in vitio: quod si interim celebret, fieri irregularem, & egere dispensatione Papæ. Idem ex *Sylvestro & Navarro.* Extendit ad diaconum, subdiaconum, & clericos in sacris minoribus constitutos.

Presbyter concubinarius.

806 Nihilominus *Bonacina citatus n. 19.* Cum varijs, quos eodem loco citat, existimat presbyterum notorium concubinarium suspendendum esse ab Episcopo, ut habetur in *Triden. sess. 25. cap. 14 de reform.* Et notat jus antiquum, quo notorius concubinarius erat ipso facto suspensus, correctū esse seu abrogatum per novum Tridentini jus. Vide *Garcian de benef. p. 7. cap. 14. n. 7. 20. & 21. Barb.* ad locum Trid. cit.

QUÆSTIO IV,

Quænam peccata committantur in turpiloquio, in benefactis osculis, tactibus, & aspectibus?

De delectatione morosa, quæ ex pura cogitatione turpium accidit, & de sensualitate egimus *tract. 3. sect. 3.* Ut modo exponamus delectationem illam, quæ ex verbis, osculis, tactibus & aspectibus inhonestis capitur, imprimis turpiloquium, scilicet turpium loquutio & auditio, scriptio & lectio, ex se actiones indifferentes sunt, ut bené docet. *Sanch. de Matr. lib. 9. disp. 46. n. 34.* Nam earum honestas & malitia pendet ex circunstantijs adhibitis, & fine proferentis. Alioqui nec præceptor de turpibus loqui posset, imonec pœnitens examen facere & confiteri.

Turpiloquium.

Cum veró turpium verborum malitia pēdeat ex fine & circunstantijs, rectè ex *Sanch. citato n. 35.* docent. *Rebel. lib. 3. de matr. q. 19. sect. 5. Filliuc. tr. 30. cap. 10. a n. 208. & Bonacina cit. propos. 3. n. 18.* dicere vel audire, scribere vel legere turpia deliberato animo captandi delectationem veneream, ex ipsis turpibus narratatis, & imaginationi objectis, esse peccatum lethale. Si autem delectatio absque affectu venereo, capiatur ex præcisa narratione, non excedit culpam venialem, nisi adsit circunstantia gravis scandali

Verba turpia.

807 Addit. *Sanch. n. 37. & 38.* Loqui & audire verba amatoria, vulgo *requebros* ob vanum, non autem turpem amorem conciliandum, non esse culpam mortalem: similiter non peccare mortaliter qui audit turpia etiam cum peccato mortali dicta, quanvis videat, nisi talis persona sit quæ suo risu grave scandalum generat. Dicta procedunt de cantilenis turpibus, si extra loca, & officia sacra edantur. Nam si inter divina officia voce aut organo turpia proferantur, bené docet idem *Sāch. lib. 2. Decal. cap. 37. n. 7.* præter mortalem malitiam provocationis, habere aliam gravis injuriæ contra divinum cultum.

Quod attinet ad oscula, amplexus, & tactus si fiant ex causa solius benevolentiæ, juxta consuetudinem patriæ, certum est 1. excusari a peccato, ut sumitur ex *Apost. ad Thessal. 5 Salutate fratres in osculo sancto.* Secus si prætextu exhibendæ amicitiæ, quis amplexibus & osculis vacans, animū libidinosum ostenderet. Unde *Lessius lib. 4 c. 3. dub. 8. n. 56.* Rectè monet ecclesiasticos, & precipué religiosos viros dedecere hac via exhibere amicitiam erga fœminas, etiam consanguineas, item circa pueros ex quibus aliquid scandali, vel periculi esse possit.

Oscula & amplexus

808 Insuper excusantur 1. a culpa lethali qui exosculantur molles infantium carnes. Hoc enim regulariter non ex libidine nascitur, sed ex tenero infantilis ætatis amore, cujus indiciū est per id non excitari motus venereos Ita *Navar. c. 16. n. 12. Sanch. disp. 46. n. 13. & Filliuc. tract. 30. c. 9. q. 3. n. 171.* Excusantur 2. qui causa medendi alicui infirmitati, tangunt partes etiam pudendas, quādo talis tactus necessarius est, etiam si inde præter voluntatem motus inordinatus, & delectatio venerea

Tactus pudendorum.

 nerea

nerea insurgit. Ita S. *Thomas 2.2.q.154.a.4.* cui teste *Sanch.lib.9.Matr disp.46 n. 3.* nemo cōtradicit.

Inferunt *Thom. Sanch.lib.9.Matr.d.45.n.9.Ioan. Sanch.disp.21.n.30. Filliuc. tr. 30.c.8.n. 150.Regin. prax.lib.21.sec.9.n.42.* & *Bonac. de Matr. q.4.p.10. prop.1.n.8.* Licere viro vel fœminæ confricare verenda ut magnum pruritum sedet, tametsi pollutionis adsit periculum, sed non consensus: sicuti licet mūdare pudenda a lanugine, sanguine menstruo, ne sentiat pruritum, aut fætorem, quāvis præter intentionem pollutio sequatur. Addunt *Thom. Sanch. disp.17.n.19. Ioan Sanch. disp.21. n.30. Bonac.n.12. Filliuc. citatus,* & *Villalob.tr. 40. diff. 16.n.4.* Licitum esse pudenda confricare ad semen corruptum expellendum, quanvis præter intentionem effusio seminis prolifici sequatur: licereque fœminis ad prædictum finem, sedandumque pruritum intromittere digitos intra vas. *Seminis corrupti effusio.*

809 Huic tamen addito meritò repugnat *Palaus tr.30.disp.3.pun.7.§ 2.n.5.* Quia ut talis effusionis procuratio liceat, necesse est agnoscere quód semen ita sit corruptum, ut in aliam prorsus naturam transierit: quod moraliter vix possibile est: cum talis humor seminis naturam retineat qualitatibus peregrinis Infectam: in quo casu non licet effusio.

Excusantur 3. a culpa lethali oscula, amplexus, & tactus qui non fiunt circa pudenda, si absque ullo periculo pollutionis, ex joco, animi levitate, vel ex curiositate fiant. Ita *Sanch.lib.9.Matr.d.46.n. 10. Filliuc.tr.30.c.9.q.10.n.169. Rebel. 2.p. de oblig. just.l.3. q. 19. sect.3.* & *Laymann.lib. 3. sec 4. n.10.* Quam doctrinam *Sanch.n.14.* cui adhæret *Filliuc. citatus.* Extendit ad tactum sui ipsius in pudendis, si assumatur ex mera curiositate, levitate, aut gratia manum calefaciendi. Idē uterque tradit de cōtrectatione obscænarū partiū brutorū, etiā animo, ut brutum ejiciat semen. Idē sentit Comitolus l.4. q.20.n.1. de tactu in pudendis alterius, si leviter fiat. nec dissentit *Sanches n. 12.* dūmodo tactus sit personarū ejusdem sexus habitus ex quadā levitate, qualis evenit pueris joco pudēda arripientibus, si desit animus libidinosus. *Oscula & tactus ex joco.*

Hanc extensionem regulariter probandam nō esse ob gravissimum periculum consentiendi in veneream delectationem, meritó affirmat *Palaus tr.30.disp.3.p.7.§ 2.n.8.* Addens id se credere verissimum, si tactus in illis partibus replicentur, & ex proposito assumantur.

810 Certum est 2. oscula, amplexus, tactus immo aspectus inter solutos, si fiunt animo provocationis ad copulā vel hujus cogitatæ delectationē, esse peccatū mortale. Ita *Lessius l.4.c.3.dub.8.c.3. dub.8.n.57.* & *Filliuc.tr.30.c.q.4 n.172. ex Sanch.cit. n.4* Ratio est, quia sumuntur ut media ad finem mortalem, qualis est copula fornicaria. Idem est de osculis & tactibus causa delectationis ex commotione partiū pudendarū. Quia talis voluntaria commotio est inchoata pollutio. Ex quibus, vel alijs fundamentis adductus Papa Alexander 7. anno 1665. damnavit hanc propositionem. (*Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo pollutionis*)

Difficultas est, an oscula, amplexus, & tactus assumpti causa solius delectationis sensibilis, quam ipsi secum afferunt, absque ulla intentione & periculo progrediendi ad ulteriorem delectatiocnē sive inter personas ejusdem, sive diversi sexus, excusentur a lethali? Affirmant *Azor.p.3.lib. 3. capit.25.not.3. Layman lib.3.sum.sect.4.n.10. Filliuc. c.1.q.5.* & *Comitol. lib. 4.q.20.n.6.* Quia delectatio illa quæ provenit ex tactu qui fit in rebus mollibus prout sensationi gratis, non videtur notabiliter deformis. *Delectatio præcisa ex tactibus.*

Dicendum tamen est cum *Valent.to.3.disp.9.q. 3.p.3. Lessio lib.4.cap.3.dub.8.n.59.* & *Palao citato.n. 10.* Tactus illos etiam in partibus honestis ob illam præcisam delectationem assumptos & replicatos efficere peccatum lethale. Probatur, quia licet tales tactus non sint formaliter venerei, ex eo quod non assumantur ob delectationem concubitus, vel commotionis spirituum generationi subserventium, sunt tamen virtualiter & implicitē venerei, cum sint causa venereæ delectationis, quando replicantur. Si autem sit unicus & veluti instantaneus amplexus raró excitabit illam commotionem.

811 Quod attinet ad aspectum certum est 1. quando aspectus etiam de se honestus, v.g. personæ pulchræ assummitur ob delectationem veneream esse peccatum lethale. Patet ex illo Mathæi 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, mæchatus est in corde suo.* Certum est 2. aspectum personæ alicujus pulchræ ob solam pulchritudinis curiositatem, etiam si fiat propter delectationem, quæ sensu capitur, non esse lethalem, modo non adsit periculum consensus in delectationem veneream. Ita ex *Lessio*, *Filliucio*, & alijs *Bonacina cit q.4.p.9.n. 13.* Ratio est quia aspectus non æquè provôcat ad libidinem, atque tactus, proindeque non æqualis in aspectu atque in tactu cernitur turpitudo. *Aspectus peccaminosus.*

Controversia est circa aspectus de se impudicos, v.g. si aspiciantur partes pudendæ viri aut fœminæ: an sint peccaminosi lethaliter, quanvis non fiant ob malum finem? ex *Sanch. citat. disp.46. n 23.* & *29. Layman lib.3. sum. sect 4 n. 14.* & *Lessio lib.4.c.3.n.65.* Benè resolvit *Palaus tr.30.disp.3.p.7. § 2.n.13.* Si aspectus pudendorum diversi sexus non sit transiens & instantaneus, sed permanens & diuturnus, & evicino loco, esse lethale peccatum. Ratio est quia talis aspectus per se, & efficaciter ad coitum excitat. *Aspectus pudēdorū*

Idē rectē affirmat de aspiciēte virū coeūtē cū fœmina, vel se polluētē, ob efficatiā, quā habet provocādi ad similē actū. Secus (addit) dicēdū de aspectu propriarū partiū, vel alterius ejusdē sexus, vel coitus brutorū. Quia hæc regulariter nō vehemēter cōmovent. Adjungit *Bon. c. cit. n.13.* si aspectus etiam nimis impudicus fiat ob curiositatem tempore brevissimo, posse excusari a lethali. Quod intelligitur si nec detur periculum cōsensus in libidinem, nec magna indecencia, *Impudicus aspectus.*

quæ

qualis esset inter dicos Episcopos nudos, se intuentes. Ita *Sanch.citat.n.22.24.27.& Fillius.n.218.*

812 Rogabis, an circunstantia personæ, circa quam delectatio mortalis in aspiciendo habita fuit, debeat necessariò aperiri in confessione? Ex *Sanch citato* affirmat. *Bonac.n.16.* Probat, quia delectatio est ejusdem malitiæ, cujus est actus consummatus: tendit enim ad actum consummandum. Et idem est delectatione ex tactibus, ut declaretur persona, in qua fiunt. Vide dicenda num. 1169.5. Rogabis 4.

Delectatio circa personam talis.

Ex supradictis infertur 1. peccare mortaliter qui componunt turpes cantiones, vel turpia pingunt, aut scribunt, aut repræsentant comœdias turpes. Ita *Sanch.d.46.n.46.n.42.& seq.* Nam dicti ut plurimum sunt causæ ruinæ multorum. Vide quæ de scandalo diximus tract.6.sect.7. Infertur 2. cum *Fillincio tr.30.c.10.in fine* & *Palao citato n.15.* Excusari a mortali choreas publicas inter mares & fœminas, dummodo non fiant cum periculo excitandæ libidinis, & nõ fiant in loco sacro cum speciali illius contemptu. Horum periculum (ut notat Palaus) regulariter non intercedit in choreis, quas instituunt rustici diebus festis post auditam Missam.

Pingentes turpia.

Chorea.

Infertur 3. cum *Sanch n.38.* Audientem turpia cum risu, & signis exterioribus lætitiæ, quæ sint approbativa turpium, esse peccatum mortale: si autem signa illa ostendant solum placere modũ narrandi, venialem culpam non excedere. De osculis, amplexibus & tactibus inter conjugatos, vel sponsos de futuro, dicemus tract.43.&45.

SECTIO II.

De peccatis luxuriæ habentibus circumstantias contra alias virtutes.

QUÆSTIO I.

Quid sit incestus, & quale peccatum?

813. Cum sint peccata in materia luxuriæ quæ habẽt circũstãtias mutãtes speciẽ cõtra alias virtutes, qualia sũt adulteriũ, incestus stuprum, raptus, & sacrilegium, egerimusque jam *tract.10.de stupro & adulterio*, sequitur ut reliqua modo discutiamus, & imprimis incestum.

Inquirit igitur 1. quæstionis pars, quid sit incestus? Pro resolutione notandum est, quanvis incestus computetur inter peccata luxuriæ, habere tamen speciem distinctam, ab alijs ex nova malitia contra pietatem debitam cognatis, & propinquis sanguine conjunctis, quibus specialis quidam honor & observantia debetur. Unde in cap. *Lex illa 36.q.1.* Incestuosi appellantur qui consanguineis, & affinibus abutuntur.

Incestus quid sit.

Sit resolutio. Incestus est concubitus cum persona cognata intra gradus, in quibus matrimonium celebrari non potest. In hac definitione incestus conveniunt Theologi. Pro explicatione notandum est, dari triplicem cognationem, legalẽ, spiritualẽ, & carnalẽ. Legalis est quæ cõtrahitur per leges civiles, & datur cum quis ad optat, vel arrogat in filium proprium, filium extraneum.

Cognatio quotuplex

814 Spiritualis solet oriri ex sacramento Baptismi & confirmationis ex statuto Ecclesiæ: & post *Trident.sess.24.cap.2.* Contrahitur inter baptizatum & baptizantem, inter baptizati patrem & matrem, & ipsum baptizantem & suscipientem eum in baptismo, & inter susceptorem ipsum baptizati & patrem & matrem ipsius baptizati. Similiter in sacramẽto cõfirmationis eadẽ proportionaliter fit cõtractio spiritualis cognationis.

Carnalis cognatio est tam consanguinitas quã affinitas: consanguinitas, quæ definitur propinquitas duarum personarum eo quod una ex altera, vel ambæ ex eadem tertia genus ducunt, extẽditur ad quartum gradum. Affinitas est propinquitas duarũ personarum, quarũ una cũ alterius cõsanguinea copulã habuit: & quãdo copula licita, seu cõjugalis est, cõtrahitur usq; ad quartum gradum: quando autem fornicaria, solum usque ad secundum. Vide dicenda tract.46.

Unde cum *Azorio, Rodrig.Sa, & alijs* quos citat *Sanch.lib.7.Matr.disp.5.n.9. & 10.* rectẽ infert *Bonac.de Matr.q.4.pun.16.n.2.* Committere incestum, qui fornicatur cum cognata legali, nẽpe filia quã adoptavit, vel cũ cognata spirituali sive ex baptismo, sive ex confirmatione intra gradus in quibus dirimitur matrimonium. Et sic de cognatione carnali sive sit consanguinitas, sive affinitas.

815. 2. quæstionis pars inquirit quale peccatum sit incestus: Benẽ docent Theologi ex *S.Thom. 2.2.q.154.a.9.* Incestũ esse peccatũ mortale gravissimũ. Sumitur tũ ex testamento veteri. *Levitici 18.& novo 1.ad Corin.5.* Tum ex ratione, quia per incestum gravissimẽ & turpissimẽ violatur reverẽtia debita cognatis. Observat *Bonac.citatus n.5.* Hoc peccatũ eò gravius esse, quò persona, cũ qua habetur copula, est magis conjũcta. Unde ceteris paribus, gravius est peccatũ incestus cum consanguinea, quàm cũ affine, & gravius si cõmittatur in primo, quàm in secundo gradu.

Incestum quale peccatum.

Reservatio incestus.

Addit citatus author ibidem meritò incestũ ob suam gravitatẽ reservatũ esse in Mediolanensi diœcesi usque ad secundũ gradũ, non solũ in consanguinitate & affinitate, sed etiam in cognatione spirituali. Subdit, ut incurratur reservatio, debere incestũ esse completũ, scilicet per seminis immissionem intra vas. Quia cũ reservatio illa sit odiosa, & odia restringenda, nisi constet de mente contraria reservantis, solus incestus consũmatus reservari censendus est.

Dubiũ est 1. an omnes incestus sint ejusdem, vel diversæ speciei? Tres sunt sentẽtiæ. Prima quã ex *Caietano 2.2.q.154.a.9.* defendit *Bonacina cit.q.4. punc.16.* Absolutẽ affirmat omnes omninò incestus esse ejusdẽ speciei, sive cognatio triplex, nẽpe carnalis, spiritualis legalis cõparetur inter se, sive cõparentur inter se gradus cujuslibet v.g. gradus consanguinitatis inter se, & gradus cognationis spiritualis inter se. Ratio est, quia omnes incestus offendunt unicam bonitatem moralem in specie, scilicet reverentiam debitam cognatis, quanvis secundum magis, & minus, quod denotat extensionem, & non specificam diversitatem,

Differentiam ter incestus.

816 Secunda est *Navarri cap. 16. & Valentia to. 3. disp. 9. q. 5. p. 3. ver. atque hic not.* Asserentium ex opposito omnes gradus consanguinitatis specie differre non solum a gradibus affinitatis, & cognationis legalis, sed etiam inter se, atque adeo dari discrimen specificum tam inter ipsas cognationes, quàm inter gradus cujuslibet. Mihi placet tertia, ut pote media inter utramque statués gradus cōsanguinitatis differre specie a gradibus affinitatis, cognationis legalis & spiritualis, gradus vero cōsanguinitatis non differre specie inter se, sicut nec inter se specie differunt gradus affinitatis, & gradus aliarum specierum, atque adeo talem differētiam communicari incestibus. Ita *Azor. p. 3. lib. 3. cap. 9. q. 1. & Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 11. n. 79.* Ratio est, quia longé gravior & detestabilior reputatur incestus cum propria matre, quàm cum noverca, & cum alia cognata legali vel spirituali, siquidem gradus ille consanguinitatis dirimit matrimonium jure naturæ, alij jure Ecclesiastico.

Confessarius coitēs cum pænitente. Dubium est 2. an committat incestum sacerdos habens copulam cum fæmina, quam audivit confitentem sacramentaliter? Videntur affirmare. *S. Thom. in 4. dist. 42. q. 1. a. 2. ad 8. Tabiena V. circunstantia n. 12. Bernard. Dias in praxi crimin. cap. 76. & Sanchez lib. 7. Matr. d. 55. n. 4.* Quia ibi intervenit paternitas & filiatio spiritualis. *cap. omnes 30. q. 1.*

817 Negandum tamen est cum *Azor. citato q. 5. & Bonacina citato pun. 16. n. 8. Filliucio tr. 10 p. 2. cap. 5 q 5 n. 187. & alijs.* Ratio est, quia incestus solum committitur inter cognatos, spiritualis autem cognatio solum contrahitur ex duobus sacramentis, scilicet Baptismo & Confirmatione. Unde *cap. Omnes.* cit. loquitur de incestu metaphorico & improprio, quatenus Sacerdos dicitur pater spiritualis.

Parochus copulam habens cū parochiana. Dubium est 3. an committat crimē calificatū, & depositione dignum presbyter qui habet copulam cum sua parochiana? Affirmant *Sylva tract. de benef. p. 3. q. 3. Abbas, Felinus, Decius, Andreas & alij.* Quod citat *Bernardus Dias in sua pra. crimin. c. 76.* Quamvis ipse non consentiat, nisi adhibita distinctione. Distinguit igitur *Azor. citat. q. 6.* Si presbyter parochus coeat cum sua filia spirituali, quam baptizavit, aut quam in confirmatione vel baptismo tenuit, verum incestum ac crimen qualificatū & depositione dignum committit: secus, si cum alia parochiana. Et hoc tenendum est. Quia filiatio spiritualis sufficiens ad incestum punibilem, solum insurgit ex duobus relatis sacramentis.

Cognatio spiritualis & legalis. Dubium est 4. an coitus cum cognatis spiritualibus, & legalibus, sint in rigore ac proprié incestus? *Azor citato cap. 9. q. 3.* bené respondet 1. coitus cum cognatis spiritualibus esse incestus quoad impediendum, ne valide matrimonium contrahatur. *Cap. Martinus. cap. Iuanon. & cap. ex litteris, de cognat. spirit.* Respondet 2. tales coitus post matrimonium contractum, esse incestus ad conjugale debitum impediendum. *Cap. si vir, de cognat. spirit. & cap. de eo 30. q. 1.* Respondet 3. hos coitus non esse proprié incestus ex natura rei, sed ex humana institutione, quatenus per leges humanas specialiter prohibentur & puniuntur. Idem aperit cum proportione asserendum esse, si coitus habeantur cum cognatis legalibus.

Incestus ex solis impudicis tactibus. 818 Dubium est 5. Utrum incestus committatur, non solum per copulam naturalem, sed etiam per alios actus impudicos contra naturam, v. g. per impudicos tactus, per mollitiem, & Sodomiam? Ex *Caietano 2. 2. q. 154. a 12. & Filliucio 30. n. 166.* bené resolvit *Bonac. p. 16. n. 3.* Committi incestum quoad malitiam. Nam tales actus adversantur reverentiæ cognatis debitæ. Qualis autem sit illa malitia, & an detegenda in confessione, dicemus infra num. 1174. Dicit 11.

QUÆSTIO II.

Quibus pœnis afficiantur incestuosi?

Pœna incestus. Adverte incestuosos vel esse laicos, vel clericos, & utrosque puniri a jure. Quod attinet ad laicos, Dico 1. Incestuosi puniuntur per jus canonicum in facultate nubendi, seu privatione talis facultatis, ut nempe qui commiserunt incestum, matrimonium contrahere absque dispensatione nequeant. Ita ex *Cap. Transmissa, de eo qui cognov. consan. uxoris,* Tradunt omnes communiter.

Rogabis, an intelligatur hæc pœna de committente incestum cum affine sua, nempe cum aliqua suæ uxoris consanguinea, an etiam de committente cum aliqua sua propria consanguinea? Intelligi de committente in uno vel alio proposito casu, affirmant *Navar. cap. 22. n. 74. & Angelus V. Incestus,* loqui enim videntur probare ex cap. *Si quo 35 q 6.* & multis alijs. Et in hanc partem inclinat, *Azor p. 3. lib. 3. cap. 10. q. 1.*

819 Nihilominus hanc pœnam debere solum intelligi de incestuoso cum affine, & non cum sua propria consanguinea, tenent *S. Thom. in 4. dist. 34. q. 1. Sylvest. V. Matr. 7. § ult. & Covar. in Epito. in 4. c. 6. in prin. n. 4.* Et hæc est satis probabilis & communis Theologorum sententia. Quidquid tamen sit de his opinionibus, addit citatus Azor. Certum esse apud omnes posse Episcopum dispensare cū incestuoso, ut matrimonium ineat. Addit *Navarr. cap. 22. n. 75.* Non esse in more talem dispensationem petere.

Debiti impeditio per incestum. Dico 2. Incestuosus non potest licité debitum exigere ab uxore, quam habuit antequám committeret incestum. Constat ex *Cap. Qui dormivit 27. q. 2.* Ac proinde ut illi liceat debitum exigere, dispensationem obtinere debet, quam præstare Episcopus potest.

Rogabis an hujusmodi pæna limitetur ad cōmittentem incestum cum affine, scilicet cum cōsanguinea suæ uxoris intra quartum gradum, an extendatur ad omnem incestuosum, qui patravit incestum cum propria consanguinea? *Navarr. Abbas, Prepost. & Canonistæ.* Communiter supracitati dicunt extendi ad omnem incestuosum. At *S. Thom. Richar. Paludan. Covarr. Anton.* apud *Azorium citatum q. 2.* Affirmant intelligi solum de incestuoso, cum affine, quæ est consanguinea suæ uxoris. Utraque sententia probabilis est.

Clericus incestuosus. 820. Quod attinet ad clericos, *Azor citatus q.4.* Rectè docet clericum incestuosum notorium, postquam notorius *est*, ipso jure pœnam suspensionis contrahere, & pœnam irregularitatis, in qua nec Episcopus dispensare potest. Probat, quia incestus secundum genus suum est peccatū gravius adulterio; Sed ex *Cap. si clerici, de judiciis.* Episcopus solum dispensare potest in irregularitate proveniente ex notorio adulterio & peccatis minoribus adulterio; ergo in irregularitate incestus dispensare nequit. Quanvis Azor non probet, neque afferat caput juris per quod illa suspēsio & irregularitas infligatur clerico incestuoso, videtur supponere illam dari ex infamia quam attulit notoreitas incestus. Qualiter Lusitani inquirant de incestu, & illum puniant, vide, *Ord. lib. 5. tit. 17. §. 5. & Cab. p. 1. Arest. 19. & p. 2. Arest. 7. & Fag. in 6. prae. Decal. lib. 6. c. 6. n. 41.*

QUÆSTIO III.

Quid sit raptus, & qui raptores?

Raptus quid Apud *Molinam to. 4. tr. 3. disp. 105. n. 1. Sanch. de Matr. lib. 7. disp. 12. Azorium p. 3. lib. 3. cap. 14. & Lessium lib. 4. cap. 3. n. 66.* Raptus, ut desumunt ex jure canonico *36. q. 1. cap. lex illa.* Tūc committitur, quando aliqua persona causa contrahendi matrimonij, vel causa libidinis abducitur ab aliquo loco, sive ipsa renuat, sive renuant illius parentes, aut illi sub quorum cura est.

Unde raptus locum habet tum in masculo tū in fœmina, sive nupta, sive non nupta, dummodo tria illa concurrant, nempe vis illata, abductio de loco, & animus concubitus, vel alterius libidinis, Non igitur dicetur raptus, si vidua, vel innupta sui juris consentiat, quanvis fratres & alij conjuncti resistant. Item si invita in eodem loco violetur, non erit raptus, sed stuprum. Denique si in-

Plagium quid. vita abducatur, non causa libidinis, sed ut vendatur, vel captivetur, non erit raptus, sed *plagium*.

821 Quare rectè notat Azor citatus cap. 16. esse discrimen inter raptorem, & oppressorem.

Oppressor & raptus Nam ille oppressor est mulieris qui ejus pudicitiæ vim infert illa abutendo ad turpitudinem: & & talis stuprator dici potest. Opprimere enim quanvis sit gravare & offendere *l. 1. C. de priv. carcer.* Tamen est violare virginem *27. q. 2. cap. si quis sponsam.* Raptor verò est qui mulierem abducit a domo parentum, vel loco ubi est, ut vel cum ea matrimonium ineat, vel copulam fornicatiam habeat.

Dubium est 1. An sit raptus, quando fœmina consentiens abducitur ignorantibus parentibus, vel sorore, vel marito, vel fratre, sub quorum potestate est? Negat *Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 9. n. 66.* Quia ad raptum postulatur quòd inferatur vis vel fœminæ abductæ, vel saltem ijs ad quos pertinet: at tunc nec vis illata fuit fœminæ ut pote cōsentienti, nec parentibus aut alijs, quia tales utpote ignorantes, dici nequeunt restitisse. Hoc valde probabile est: sed assentior *Sancio de Matr. lib. 7. disp. 12. a n. 12.* Asserenti raptum esse, puniendum tamen extraordinaria pœna judicis arbitrio, & nō ordinaria.

Dubium est 2. an sit verus raptus abductio fœminæ repugnantis quando ejus parentes consentiunt? Bené respondet affirmativé. *Sanch. lib. 7. Matr. disp. 12. n. 8.* Quia parentes non habent dominiū in corpus puellæ, ut in violentiam illi factam cōsentire possint. Constat ex *l. unica §. & si quidem C. de raptu virg.* Ex quāvis vers. *pœnas autem*, dicatur raptum admitti, *sive mulier velit, sive nolit*, Intelligendum est ex præsumptione quadam, quia jus præsumit vim illi inferri importunis & dolosis suasionibus.

822 Dubium est 3. an sit raptus, si fœmina ex causa libidinis virum aut fœminā rapiat? Respondeo esse raptum Thæologicé, non tamen juridicè: Primum constat, quia tota malitia raptus, circa quam Theologia versatur, in eo consistit, quod alicui cum abductione inferatur vis causa libidinis. Secundum suadetur, quia in *L. unica C. de rapt. virg.* Solius viri rapientis fit mentio: & fœminum sub masculino non clauditur, præsertim in odiosis & pænalibus. *L. 1. § quare ff. de vent. in pos. mitt.* Favet igitur nostræ resolutioni. *Sanch. citatus n. 25.* Decēs casus illos ut pote raros non ordinarijs juris pœnis, sed extraordinarijs subjacere. *Fæmina cōmitens raptus.*

Dubium est 4. an post Tridentinum sit raptor in jure canonico, qui sponsam per verba de futuro abduxit a domo parentum, etiam consentientem, ad matrimonium cum ea consummandum? *Azor p. 3. lib. 3. cap. 14. q. 2.* Bené resolvit 1. talem non esse raptorem, ut raptoris pænas incurrat, si matrimonium contrahat, servata Tridentini solemnitate. Quia tunc illud non clandestiné, sed juxta ritus Ecclesiæ celebrat. Resolvit 2. matrimonium sic celebratum non esse irritum. Quia *Trident. sess. 24. c. 6.* Solum irritavit matrimonium raptoris, quando rapta in illius potestate involuntarié est, vel fuit rapta ad clandestiné celebrandum, vel ad fornicandum. *Raptorus matrimonium.*

823 Dubium est 5. an sit raptor qui sponsam de futuro renitentem abduxit a domum parentum, ut cum ea rite ineat & consument matrimonium? Respondeo affirmativé cum *Azor. citato q. 3.* Quia talis tam puellæ, quàm ipsius parentibus violentiam infert. Idem resolvit. *q. 4.* quando post matrimonium ratum abduxit a domo parentum puellam renitentem, & volentem uti spatio duorum mensium sibi a jure concesso ante consummationem matrimonij.

Infertur 1. cum *Sanch. lib. 7. Matr. disp. 12. n. 6.* Non dari raptum quando puella sub nullius potestate constituta volēs adducitur. Quia juxta *L. nemo videtur ff. de reg. jur.* Sciēti & cōsētiēti nulla fit injuria, nec dolus. Quod procedit etiam si vir armatis comitatus abiret, ne aliqui impedimento sibi essent. Infertur 2. cum eod. *n. 7* non esse raptum, quando fœmina abductioni consensit, licét postea copulæ restiterit: & contra esse raptum si abductioni restitit, & si postea copulæ annuerit. Quia in his spectatur initium. *L. Divus ff. ad C. Iul. de sicar.* In hoc tamen eventu raptor non subjacebit pænæ ordinariæ. *Raptus multiplex.*

Violentia & preces ad raptũ. Infertur 3. dari raptum quando fœmina sui juris importunis precibus abducitur: dummodò illæ preces æquiparentur violentiæ. Infertur 4. ad incurrendum pœnas *L. unica C. de rapt. Virg.* statutas raptoribus, sufficere, si dolosis persuasionibus, aut quibuscumque fraudibus mulier abducatur. *Sanch. n.* 11. qui bene observat n. 19. pœnis extraordinarijs plectendum esse, qui domum armatus invasit, sed omnem adhibuit vim ut raperet, sed non rapuit.

Fæmina honestas ad raptũ. 824. Infertur 5. desiderari ad raptum, ut detur traductio de loco ad locum. *l. mariti lenocinũ in fin. ff. ad l. Iuliam, de adult.* Nec sufficit (inquit *Sanch. n.* 21.) quæcumque traductio de loco ad locum, sed esse debet ad effectum abducendi, & non gratia commodioris coitus. Infertur 6. cum eodem n.23. ad raptum pœnis juris subditum postulari honestatem mulieris, sive virgo, sive nupta, sive vidua sit. *l. unica C. de rapt. virg.* Unde raptor meretricis, nec pœnitentis, nec conjugatæ, pœnis ordinarijs non subjacebit.

QUÆSTIO IV.

Quasnam pœnas incurrant raptores tam jure Civilis, quam Canonico?

Pœnæ juris civilis in raptores. CUM raptus crimen sit nimis atrox, & reipublicæ bono infestum, tam jus civile quàm canonicum varias pœnas contra raptores decernunt. Imprimis jus civile, ut habetur *Authen. de raptu mulierum collat. 9. §. Item lex Iulia Instit. de publ. judic. & l. Raptores C. de raptu virg.* & exponunt *Menochius pe arbitr. lib. 2. cent. 3. casu 291. Azor p. 3. lib. 3. c. 15. Fillincius tr. 30. cap. 6. & Sanch. lib. 7. Matr. disp. 13.* statuit raptorem mulieris honestæ, quæ scilicet non vivit impudicè, capitis pœna afficiendum. Extenditur eadem pœna ad comitantes raptorem, ipsumque juvantes in eodem delicto. Item permittitur fæminarũ raptarum parentibus, consanguineis, tutoribus & curatoribus impunè occidere deprehensos in eodem delicto, illis ipsis sufficienter cognito.

825. Item si fæmina rapta sit ingenua, tam raptor quàm comites ejus perdunt sua bona applicanda raptæ mulieri, aut monasterio, si sit monialis, dummodo rapta non consentiat in matrimonium cum raptore: quòd si consentiat, applicantur parentibus raptæ: si autem consentiant tales parentes, fisco. Raptus fæminæ viventis impudicé, cum verus raptus non sit, non ordinaria pœna legis, sed arbitrio judicis punitur.

Mulieris in honesta raptus.

Lusitanũ jus punit raptorem. Qualis sit pœna in jure civili Lusitano afficiens raptorem fæminæ honestæ, statuitur in *Ord. lib. 5. tit. 18. §. Ese algum homem enganar.* ed cujus explicationem Cabedus p. 1. decis. 55. notat juxta Ordinationis mentem, vocari fæminam honestam, quanvis aliquando inhonestè vixerit, si post pœnitentiam triennio correcta & pudica maneat, ex textu in *Authen.* de monach. §. sancimus coll. 1. Quòd raptor virginis gaudeat immunitate Ecclesiæ, tradit. *Thab. dec. 8. n. 20.* Vide *Molinam tr. 3. disp. 105. 106. & Fagun. in Decal. præc. 6. lib. 6. cap. 10.*

Pœnæ juris canonici contra raptores. 826. Quod attinet ad pœnas juris canonici, de quibus *Azor p. 3. lib. 3. cap. 15. & Bonac. de Matr. q. 4. p. 18. prop. 3. Triden. Sess. 24. de Matr. cap. 6.* aliquor contra raptores statuit, quas laté expositas a *Sanch. de Matr. lib. 7. cap. 13.* mittimus in cõpendium. Statuit nimirum, ut matrimonium inter raptorem & raptum consistere nequat, quandiu rapta in potestate raptoris manserit: secus, si extra illã in loco tuto ac libero collocetur. Deinde ut raptores, ac consilium, auxilium, aut favorem præbentes sint ipso jure excommunicati, perpetuo infames, ac omnium dignitatum incapaces: & si clerici fuerint, de proprio gradu decidant.

Tandem ut raptor teneatur raptam decenter arbitrio judicis dotare, sive eam duxerit, sive non. Excommunicatio illa est latæ sententiæ, ut ostendit particula (ipso jure) non tamen reservata est. Dos conferenda, perpetua infamia, descensus a proprio gradu, & incapacitas dignitatum exigũt sententiam judicis. Infamia incurritur etiam si raptor raptæ nubat.

Matrimonium contractum inter raptorem & raptam quandiu in loco tuto & libero extra raptoris potestatem rapta non collocatur, nullum est: atque adeo raptus pro eo tempore est impedimentum dirimens. Nam Triden. decernit nullum posse consistere matrimonium inter raptorem & raptam pro eo tempore.

827. Maior difficultas est, qualis raptus hujusmodi pœnis subjaceat? Quanvis satis probabile sit dictis pœnis subjacere omnem raptum sive fiat causa ineundi matrimonij, sive causa solius explendæ libidinis: tamen probabilius est solum subjacere raptum, qui fit causa ineundi matrimonij. Ratio est, quia *Trident. citato cap. 6.* incipit verba facere de matrimonio contrahendo inter raptorem & raptam: quod indicium est de illo solo raptu agere, qui causa matrimonij contrahendi admittitur. *Raptus qualis punitur.*

Infertur 1. non puniri hoc decreto raptum qui est species luxuriæ, & fit causa libidinis, nisi simul fieret causa ineundi matrimonij. Unde non punietur similiter, si quis proprio motu fæminam rapiat, non ut secum, sed ut cum alio delicti hujus immuni matrimonium contrahat. Nam si delicti particeps fuit, matrimonium erit nullũ, & punietur tanquam verus raptor per interpositam personam, & qui raptum exercuit, tanquam auxilium ferens.

Infertur 2. esse locum his pœnis, quanvis quæ fuit rapta causa matrimonij, non perducatur ad locum destinatum, sed in ipso itinere raptor resipiscat, dummodo ad fuerit violentia, quæ nec per dolum, nec per quascunque importunas preces infertur. Infertur 3. non dari locum his pœnis, quando fæmina volens abducitur, sive parẽtes nesciennt, sive etiam repugnaverint. Quia Tridenr. libertati matrimonij favere intendit. Infertur 4. comprehendi hoc decreto raptum cujuscunque fæminæ, sive ligatæ, sive solutæ, honestæ vel inhonestæ.

828.

828. Infertur 5. non comprehendi hoc decreto raptum propriæ sponsæ de futuro reclamantibus parentibus, si ipsa consentiat: secus si renitatur. Infertur 6. probabile esse comprehendi hoc decreto fæminam raptricem viri, sed probabilius oppositum. Infertur 7. decreto illo irritari non solum matrimonium, sed etiam sponsalia. Quia in utrisque militat eadem ratio, nempe libertas plena in contractu illo servanda.

Raptor fit servus raptæ. Denique per jus canonicum, quod ante Tridentinum conditum fuit *cap. de raptu virg 36. q. 1.* & exponitur ab Azorio citato cap. 15. raptor afficitur pœna servitutis: efficitur enim servus mulieris raptę cum facultate seipsum redimendi, solvendo pro libertate pretium competens, quando rapta est fæmina contra ipsius voluntatem: quando enim abducitur consensu fæminæ ejusdem, extra domum paternam, fit servus parentis ejusdem mulieris cum facultate se redimendi pretio competenti oblato. Item tam raptor quàm fautores incidunt in sententiam excommunicationis non latæ, sed ferendæ, ut tenent *Cajetan. 22. q. 154. a. 7. & Sylv. V. luxuria q. 6.*

QUÆSTIO V.

Quid sit, & qualiter se habeat sacrilegium in materia luxuriæ?

Sacrilegiũ in materia luxuriæ. Egimus supra *tract. 32. sect. 5.* de sacrilegio in genere accepto prout est peccatum contra moralem virtutem, quæ dicitur religio. Agendũ modò nobis est de sacrilegio determinato, prout in materia luxuriæ reperitur, & duabus virtutibus nempe castitati, & religioni adversatur. In hac acceptione definitur: *violatio rei sacræ per actum Venereum.* Nomine rei sacræ intelligitur communiter tam persona dicata Deo per votum castitatis, quàm locus, vel res alia consecrata.

829. *Violatio* (inquit *Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 12.*) tunc evenit, quando aliquid agitur quod specialiter repugnat sanctitati, aut reverentiæ illius rei, in qua Deus colitur: tunc enim ex facto hominis contaminatur, & quasi profana redditur. Quamvis igitur per hujusmodi violationem offendi soleant aliæ virtutes, v.g. justitia & pietas, ut si pater sacerdos, aut mater monialis percutiatur, modò solum agimus de sacrilega offensione castitatis, acproinde de violatione rei sacræ per actum Venereum.

Sacrilegiũ luxuriæ quo tu plex. Committi solet hujusmodi violatio (addit Lessius n. 84) quinque modis. 1. si persona sacra consentiat in turpe opus externum, vel etiam in internam delectationem. 2. si persona non sacra in opus turpe circa personam sacram consentiat. 3. si inter duas personas sacras datur actus Venereus: tunc enim datur duplex sacrilegium, sicut inter duos matrimonio duplici copulatos datur duplex adulterium. Hi tres modi procedunt juxta opinionem communem asserentium committere sacrilegium qui castitatis votum, quo obstrictus est, violat: & non in opposita, quæ nobis magis placuit *Tract. 32. sect. 5. q. 2.*

4. modo committitur sacrilegium luxuriæ, quando copula fornicaria habetur in loco sacro, imo & conjugalis habita extra casum necessitatis, de qua laté *Sanch. de Matr. lib. 9. disp. 15.* 5. modo; cum actus venereus fit circa aliam rem sacram, vel ejus interventu: ut olim (inquit citatus *Lessius n. 84.*) fecerunt pessimi quidam hæretici excipientes sperma calice, horrendo prorsus sacrilegio.

830. Dubium est 1. an sit sacrilegium habere in loco sacro copulam sive fornicariam, sive conjugalem, aut pollutionem occultam? *Vasq. 1. 2. disp. 98. cap. 3. n. 6.* negativam sententiam videri non satis probabilem dicit. Quia locus sacer solum polluitur notoria seminis aut sanguinis effusione: quasi sola notoria cedat in gravem illius injuriam. Hanc opinionem indicant *Angles in flori. bus de ... art. pag. 315. & Sotus in 4. dist. 33. col. pen.* *Copula vel pollutio occulta in templo.*

Dicendum tamen est cum *Lessio lib. 4. cap. 3. dub. 12 n. 86.* per talem copulam vel pollutionem etiam occultam in loco sacro committi sacrilegium, ipsumque locum sacrum pollui, ita ut indigeat reconciliatione postquam res in notitiam & famam publicam venerit. Sumitur ex *cap. significasti de adulter.* & ratione, quia hominum notitia non polluit locum, sed factum præcedens, quamvis post hujus publicam notitiam, a loco illo polluto teneamur abstinere, sicut a commercio hominis excommunicati post denunciationem, quamvis antea excommunicationem incurrerit.

Dubium est 2. an sit sacrilegium contra locum sacrum, seu templum in eo libidinosé concupiscere personam aliquã ejusdem aut diversi sexus? *Azor p. 3. lib. 3. cap. 27. q. 15.* benè respondet 1. si quis existens in templo, vel extra templum, desideret habere copulam carnalem vel pollutionem in templo, committit sacrilegium. Nam peccatum internum desiderij est ejusdem rationis cum actu externo circa idem objectum. *Turpe desiderium in templo.*

Respondet 2. si quis existens in templo desideret habere dictos actus extra templum, non committit sacrilegium. Ratio est, quia illud desiderium non terminatur ad objectum sacrilegii. Idem existimat, si quis concupiscat fæminam existentem in templo, abstrahendo tamen omninò a loco, in quo copula habenda sit. Quia talis præsumitur illam velle in loco ordinario, acproinde non sacro.

831. Dubium est 3. an sufficiat ad sacrilegium, & violationem loci sacri, coitus contra naturam inter personas ejusdem, aut diversi sexus, vel etiã habitus modo indebito? Communis & vera est affirmativa sententia, quam sequitur *Azor citatus q. 16.* Nam talis coitus quia turpior, magis polluit sacrum locum. *Sacrilegiũ luxuriæ.*

Dubium est 4. an sicut venereus actus copulę & pollutionis est sacrilegus in loco sacro, sit etiam sacrilegus, si fiat in tempore sacro? Resolutio hujus dubitationis, quæ negativa est, fere coincidit, vel saltem probatur ex illa quam tradidimus n. 581, ubi ostendimus peccata commissa in

die

die festo non esse sacrilegia, quia tēpus non est res sacra, sicut templum, & locus sacer, sacra res est.

Dubium est 5. an committat sacrilegium qui committens peccatum luxuriæ habet secum agnum ceteum benedictum, calculos benedictos, vel reliquias sanctorum? Bene respondet negativè *Azor p. 3. lib. 3. cap. 27. q. 4.* Quia taliter peccans non agit specialiter contra rem sacram, ut sacra est, sed tantum res illa sacra comitatur actū venereum, seu habet se comitanter ad illum. Esset autem grave sacrilegium, si quis dicto modo peccaret ex intentione agendi contra res sacras: vel si erga rem sacram exerceret actum luxuriosum.

Reliquia in luxuriante.

831. Dubium est 6. an sit sacrilegium dare aliquem Agnum Dei sacrum, vel reliquias, aut res alias sacras ob actum venereum habitum cum aliqua persona? Respondeo affirmativè cum *Azorio cit. 5.* Quia tunc fit specialis injuria rei sacræ, eam convertendo in usus profanos, ut nempe detur in pretium turpitudinis. Addo posse tunc cōmitti Simoniam, si benedictio, consecratio & sanctitas illius ingrediatur rationem pretij, ut nēpe totum coalescat ex rei materialis, & sanctitatis valore.

Reliquiæ datæ in pretium turpitudinis.

Dubium est 7. an committat sacrilegium clericus sacris ordinibus initiatus, si fornicetur? Affirmat *Azor cit. q. 7.* addens esse sacrilegium sive clericus ille teneatur ad servandam castitatem ex voto, ut sumitur ex *cap. 1. de voto in 6.* sive ex sola constitutione Ecclesiæ, ut ex *Canon. & Panorm.* tenet *Selva de benef. p. 3 q. 5. n. 7* Quia per fornicationē agit cōtra sanctitate speciali Ecclesiæ cōstitutione inductam. Iudico hoc peccatum habere circumstantiam in confessione necessariò aperiendam, at in rigore non esse sacrilegium, etiā si admittamus violari votum, juxta dicta n. 821

Dubium est 8. an fornicatio cum moniali non solum sit sacrilegium, sed etiam incestus & adulterium? Affirmativè respondent *S. Thom 2. 2. q. 154. a. 10. ad secundum, & Gloss. in cap. Virginibus 27. q 1.* Nam si accipiatur monialis prout Deo consecrata per votum, est sacrilegium, si prout sponsa Christi, est adulterium, si prout filia, & Deus pater omnium, nosque omnes cognati, est incestus. Negandum tamen est cum *Azorio q. 8.* Quia licét juxta communem sententiam detur ibi in rigore sacrilegium, tamen adulterium & incestus non dantur, nisi valde metaphoricé. De pœnis quas imponit jus Lusitanum dormientibus cum monialibus, vel earum monasteria intrantibus, vide *Ord. lib. 5. tit. 15. & remiss. Emman. Barb. ad eum locum.*

Monialis fornicatio.

833. Dubium est 9. an sacris ordinibus initiatus, qui simul est religiosus solemniter professus, si fornicetur, committat præter peccatum contra castitatem, aliud duplex contra religionem, vel saltem cum duplici circunstantia necessario aperienda in confessione? Esse duplex peccatum contra religionem cum duplici circunstantia specie distincta tenent *Ledesma cap. 19. de pænit. & Bellanus de sacramento ordinis disp. 10. dub 13. n. 131.* Nam aliter dicitur clericus ille persona sacra, & aliter religiosus: hic enim agit contra votum castitatis, ille contra præceptum Ecclesiæ.

Sacerdos simul religiosus fornicans.

Esse duplex peccatum, item in uno dari duas circunstantias specie diversas, negat *Azor cit q. 9.* assent tamen circunstantias esse notabiliter aggravantes, ac proinde juxta probabilissimam opinionem in confessione aperiendas. Nihilominus non teneri prædictum illas explicare, sed satisfacere si dicat se esse religiosum professum, vel si solum dicat se esse clericum in sacris, tenent *Henriq. lib. 5. pænit. cap. 9. n. 6. littera G. Sanch. lib. 7. Matr. disp. 27. Filliuc. tr. 30. n. 124. & Bonac. de Matr. disp. 4. pun. ult. n. 28.* & est sententia communior & probabilior.

Dubium est 10. utrum qui habet votum simplex & solemne castitatis, si committat peccatum luxuriæ, satisfaciat illud confitendo, & dicens se habere votum castitatis, non explicata solemnitate? Negant *Rodrig. 1. p. cap. 53. n. 5. Bellanus de pænit. disp. 7. dub. 4. n. 20. Azor cit. q. 10. & Bonac. n. 30.* quasi votum solemne differat specie a simplici. Affirmandum tamen est cum *Sanch. proximè citato n. 31. Fillincio n. 127.* satisfacere si post manifestatum peccatum luxuriæ, dicat se habere votum castitatis. Ratio est quia votum simplex & solemne sunt ejusdem speciei, & solum accidentaliter differunt.

SECTIO III.

De peccatis luxuriæ contra naturam.

QUSTIO I.

Quid sit, & quotuplex peccatum luxuriæ contra naturā?

834. PEccatum, seu vitium contra naturam (ut videre est in nostro *Elucidario n. 1511.*) non ex eo præcisé appellatur, quòd sit contra dictamen rationis naturalis; hoc enim generale & commune est omnibus peccatis: sed quia est contra ordinem, quem natura etiam in reliquis animantibus postulat, ut generatio sequi possit. Unde *Palaus tract. 30 disp. 3. pun. 7. §. 3.* vitium contra naturam sic definit: *Est effusio seminis generationi obstans.* Natura enim tam viro quám fœminæ potentiam generandi impendit ad propagationem humani generis. Unde tam vir quám fœmina peccatum contra naturam committit, quoties per abusum dictæ potentiæ generationem impediens naturæ adversatur.

Peccatum contra naturam quid.

Quotuplex autem sit peccatum luxuriæ contra naturam, exponunt *Azor p. 3. lib. 3. cap. 17. & Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 13.* a quibus quinque species recensentur, nempe Bestialitas, Sodomia propria, Sodomia impropria, Modus indebitus, & Mollities. Singulas libeat seorsim explicare.

Peccatum contra naturam quotuplex

Bestialitas est coitus hominis cum alio alterius speciei supposito, sive sit bestia, sive dæmon. Ita Azor citatus cap. 22. ubi addit quanvis supposita inter se, etiam dæmonis, varientur specie, tamen in omnibus esse turpitudinem ejusdem speciei, & sufficere quód dicatur in confessione fuisse coitū cum re alterius speciei.

Bestialitas quid.

Sodomia propria. 835 *Sodomia propria* (ut definit *S. Thomas. 2.2.q. 154.a.11.* est coitus inter duos non servato sexu debito; ac proinde committitur per concubitum masculi cum masculo, aut fœminæ cum fœmina. *Sodomia impropria* est quando datur coitus in diverso sexu ejusdem speciei, sed non in vase, vel instrumento congruo: ut quando masculus, coit cum fœmina extra vas naturale.

Iuxta *S. Thomam, & Cajetanum*, quos citant ac sequuntur *Lessius n.89. & Azor. cap.18.q.1.* Hæ Sodomiæ, scilicet propria, & impropria sunt diversæ speciei, ita ut prima sit gravior & turpior quam secunda: nam in illa peccatur simul contra sexum & vas congruum: in hac non contra sexum, sed solum contra vas peccatur.

Modus indebitus in luxuria. *Modus indebitus* datur, quando conjunctio quoad cætera naturalis est, sed inordinatio committitur in modo, ut si aversé seu retro fiat, aut viro succumbente, ita ut generatio sequi non possit. Quod si tanta perversio in modo non fit, ut impediatur generatio, non erit ex se peccatum lethale, nec dicetur contra naturam. Imo inter cōjuges (ut docet *Sanch. lib.9. Matr. cap.16.n.7.*) Si detur causa rationabilis, sic coeundi, nulla erit culpa.

Mollities Pollutio. *Mollities* est voluptas carnalis, qua quis voluntarié se polluit absque conjunctione. *Pollutio* enim magis laté patet, & describi solet: *Seminis emissio sine copula.* Est duplex, altera voluntaria, quæ proprie appellatur mollities, juxta *Apost. 1. ad Corint. 6.* Ubi dicit quód *Molles* non possidebunt regnum Dei. Altera involuntaria, quæ in somnis aut vigilia contingit præter intentionem. Ad hanc spectat *Pollutio naturalis* quæ a Græcis vocatur *Gonorrhæa* & est vitium membrorum genitalium, cum cuiquam præter voluntatem sperma, seu semen effluit.

Gonorrhæa.

Distillatio quid 836 Observandum denique est distillationem, de qua Sanch. lib.9. Matr. d.17. n. 18. non esse seminationem veram & perfectam, quanvis inchoata & imperfecta dici possit. Datur (ut notat Salas to.2. in 1.2. tr.13. disp.6. sect.13.) quando ex genitalibus profluit quidam humor semini similis in colore, verúm magis fluidus, tenuis, & aqueus, & minus mordax, quia minori corporis motu & delectatione stillatur: interdum imperceptibiliter, & sine carnis & imaginativæ motu. Notat *Sanch. cit. disp.45.n.1.* ex *Caietano*, nihil magis curandum de hac distillatione, nisi ipsam committetur carnis rebellio, quam de sudore. Rogabis an peccata luxuriæ contra naturam sint omnia ejusdem, an diversæ speciei? *Filliucius tr. 30. cap. 8.n.141.* Sequitur tanquam probabile esse ejusdem speciei infimæ. Ratio est quia in omnibus apparet una malitia, scilicet, quod exerceatur actus venereus modo, quo generatio, sequi non possit. Probabilius tamen esse fatetur *n.143.* Omnia illa peccata contra naturam, uno excepto qui modus indebitus appellatur, esse diversæ speciei? Quia habent distinctam turpitudinem repugnantem castitati, & rectæ rationi. Vide *Dianam p.3. tr.4. resol.159. in fine*, Verum in hoc puncto jam non licet opinari. Quia Pontifex, & Dominus noster Alexander VII. anno 1665. Octobris die 2. inter viginti octo damnavit hanc propositionem, quæ est vigesima quarta. *Mollities, Sodomia & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ ideoque sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem.*

QUÆSTIO II.

Quale peccatum sit bestialitas, & quali pœna afficiendum?

Diximus n.834. bestialitatem esse coitum hominis cum alio alterius speciei supposito, sive sit bestia, sive dæmon. Pro cujus explicatione observandum est cum *Philiarcho de offic. Sacer. tom.1.p.2.lib.3.c.8.* Diversis modis posse cōmitti bestialitatem, quando fit congressus cum dæmone; nam hic vel apparet in forma bruti, vel in forma viri, vel in forma mulieris, & tunc si dæmon coeat ut vir, dicitur incubus, si coeat ut mulier, dicitur succubus. *Dæmonis coitus.*

Quale autem in gravitate sit hoc peccatum, recte ex *Caietano 2.2.q.15.a.11. Emman. Sá v. luxuria n.6. Capeavilla c.15. & Filliucio n.162.* Exponit *Bonacina de matr. q.4. pun.12. n.3.* Affirmans congressum cum dæmone habitum, præter malitiam bestialitatis, habere malitiam superstitionis, prout continet societatem cum dæmone, quæ circunstantia in confessione necessarió aperienda est. Addit quandó in congressu cum dæmone transfertur ab ipso semen alicujus hominis in vas naturale mulieris, non solum committi peccatum bestialitatis & superstionis, sed etiam speciem aliquam fornicationis, quatenus recipitur humanum semen, ex quo fœtus aliquis industria dæmonis generari potest. Super addit bené quando fit concubitus cum dæmone gerente speciem viri, aut fœminæ solutæ, vel conjugatæ, præter malitiam bastialitatis, & irreligiositatis, committi culpam pro qualitate personæ, quæ apprehenditur, & ad quam affectus dirigitur. *Dæmonis coitus.*

837 Dubium est 1. an coitus cum dæmone succubo vel incubo sit ejusdem speciei cum bestialitate, quæ committitur cum brutis? Affirmativé respondet *Azor p.3 lib.3. cap.21. ex Caietano 2.2.q.154.a.1.* Quia licet dæmon secundum esse naturale specie differat a brutis, tamen ejusdem rationis turpitudo est, nimirum coitus cum alterius speciei supposito. Hoc recté procedit de circunstantia contra castitatem, at non de circunstantia superstitionis contra religionem quæ (ut diximus) necessario in confessione aperienda est.

Dubium est 2. an coitus cum bestijs sit ejusdem speciei, an diversæ pro diversitate bestiarum, cum quibus committitur? Esse coitum ejusdem speciei, recté ex *Azorio p.3. lib.3. cap.22. Finellio casu 8.n.5. & alijs* tradit *Bonacina de matr. q.4. pun.12. n.4.* Probat quia diversitas beluarum solum infert di- *Coitus ejusdem speciei cū diversis bestijs.*

 sitatem

versitatem materialem & physicam, non verò formalem & moralem: cum turpitudo & malitia sit ejusdem ex concubitu cum supposito diversi generis, vel speciei. Ex quo infertur, non oportere in confessione explicare bestiam cũ qua fuit habitus concubitus. Quid si infusio seminis facta fuit per vas præposterum bestiæ? Non inveni casum hunc in authoribus. Arbitror tamen dari circunstantiam diversæ speciei & aperiendam. Quia tunc bestialitati additur Sodomia.

838 Dubium est 3. an quando Sodomia est peccatum reservatum, censeatur etiam reservata bestialitas? Affirmant *Rodrig. 2. parte sum. cap.* 220. *& Quaranta V. Sodomia.* Dicentes in locis ubi est reservata Sodomia, bestialitatem esse casum reservatum. Quia hæc, peccatum gravius est & Sodomiam includit. Negandum tamen est cum *Bonacina citato n.*5. Probatur, quia bestialitas non est propriè Sodomia, sed species contradistincta: non enim committitur cum persona ejusdem sexus: reservatio autem strictè accipienda est.

Pœna bestialitatis. Quod attinet ad pœnam, notat *Azor. p.* 3. *lib.* 3. *cap.* 21. secundum leges civiles in quibusdam provincijs hoc peccatum bestialitatis ea affici pœna, ut talis criminis reus unà cum bestia ipsa extirpetur in detestationem & horrorem nefandi sceleris. Apud Lusitanos juxta *Ordin. lib.* 5. *tit.* 13. *n.* 3. Prædicta pœna flagitium hoc detestabile afficitur. Notat verò *Emmanuel Barb. in remis. ad Ord.* 5. 2. Quando propter hoc crimen animal alicujus interficitur, pretium animalis solvendum esse domino de bonis delinquentis, si solvendo est defunctus: secus, si non est solvendo: nam tunc solvi debet ex pecunia fiscali. Ita *Ignat. de Villar in Sylva resp. lib.* 1. *resp.* 4. *a n.* 11.

Clerici ad crim. bestialitatis. Notat etiam citatus *Barb.* Clericos propter crimen bestialitatis non incurrere pœnas, de quibus *Pius* 5. *in sua constit.* Ut affirmant *Garcia de benef. p.* 11. *cap.* 10. *n.* 204. Quanvis oppositum teneat Quaran. quem citat *Farin. in praxi crim. q.* 148. *n.* 47.

QUÆSTIO III.

Quale peccatum, & quam enorme sit Sodomia propriè dicta.

839. QUanvis de hoc crimine omninò tacere nos moneat illius nomen, dicitur enim *peccatum nefandum*, quasi de illo fari non liceat, ne prolatum ab ore & calamo etiam pudicis pudicas offendat aures: nam fœdum est adeo, ut ipsos fœdissimos dæmones in horrorem, & fugam convertat. teste *Assijct. in constit. Neapol. l.* 3. *rub.* 42. *n.* 11. tamen necesse est (ut benè notat *Bonacina de matr. q.* 4. *p.* 11. *init*) ut pudorem vincat necessitas, & verecundiam superet utilitas: atque adeo scriptor de illius gravitate & fœditate cruciat confessarium, quò hic terrorem incutiat pœnitentibus, eosque a tanto scelere deterreat.

Loquimur in præsenti de Sodomia propria, qualem supra num. 835. diximus committi per coitum inter personas ejusdem speciei, & ejusdẽ sexus, quando v.g. coeat vir cum viro, vel fœmina. *Sodomiæ propriæ gravitas.* Quanta sit gravitas hujus sceleris, patet tũ ex dissonantia, quam habet illius turpitudo cum recta ratione, tum ex vindicta, qua Deus illud olim fuit insectatus sulphureo igne cælitùs immisso in Pentapolim *Genes.* 19.

Gradus gravitatis inter peccata contra naturam. Dubium est 1. in quonam gravitatis gradu cõstituatur Sodomia, si comparetur cum alijs luxuriæ peccatis contra naturam? Benè respondet *Lessius lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 92. Statuens hunc ordinem, nempe ut collocetur in primo gradu tamquam gravissimus concubitus cum dæmone: dæmon enim cum sit spiritus longissimè abest a debita proportione inter congredientes requisita. In secundo gradu bestialitas: in tertio Sodomia cum eodem sexu, quam dicimus propriam, & nunc explicamus. In quarto, cum diverso sexu, quam dicimus impropriam, & sequenti quæstione exponemus. In quinto, quando modus est contra naturam, ita ut per illum impediatur generatio. In sexto, pollutio simplex.

840 Dubium est 2. utrum hujusmodi luxuriæ species sint peiores & graviores quàm reliquæ? Benè respondet citatus *Lessius n.* 93. Affirmativè si considerentur qua parte sunt contra castitatem: non autem si spectentur absolutè prout involvũt malitiam alterius speciei, v.g. cõtra justitiam, pietatem, & religionẽ. Non enim est maius peccatũ simplex pollutio, quàm concubitus cũ matre, vel moniali. Et hoc modo debẽt intelligi Doctores qui peccata cõtra naturã reliquis esse maiora affirmant.

Sodomia an differant specie. Dubiũ est 3. an omnes coitus masculi cũ masculo sint ejusdem speciei? Vera est affirmativa resolutio, si solum attendatur malitia cõtra castitatẽ: si verò cõtra alias virtutes (ut docent *Azor p.* 3. *l.* 3. *cap.* 18. *Fmellius de casib reserv. casu* 10. *n.* 10. *& Bonacina citat. n.* 6.) Variantur specie, ut si coitus habeatur cum masculo habente votum castitatis, erit Sodomia sacrilega: si violenter per abductionem, erit raptus: similiter different specie si fiat cum cognatis, vel conjugatis, ac similibus. Tunc enim offenduntur virtutes diversæ speciei, nempe pietas & justitia, atqueadeo dabitur malitia incestus & adulterij.

Sodomia incestuosa. Dubiũ est 4. an Sodomitici coitus inter cognatos sint incestus. Negat *Caietanus* 2. 2. *q.* 154. *art.* 11. Quia incestus non committitur, nisi intra vas debitum debiti sexus. Melius distinguit *Azor citatus q.* 3. Affirmans non esse incestus quantum ad impediendum aut dirimendum matrimoniũ: esse tamen actus incestuosos, ut pote contra pietatem cognatis debitam: sunt enim abusus luxuriæ inter cognatos. *Grassis de casib. reser. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 9 Affirmat impuberes commiscentes se cum affinibus, & consanguineis non esse inclusos in casu reservato incestus, licet oppositum tradat *Florentus de casib. reserv. p.* 2. *casu* 6. *n.* 28.

841. Dubiũ est 5. an coitus Sodomitici inter cogna-

qui solam cognationem habent ex lege humana, sive Ecclesiastica inducente spiritualem, sive civili inducente legalem, addant specialem malitiam? Bene negant *Azor q. 5. & Bonac. n. 8.* Quia nulla datur lex specialis quæ illos prohibeat, præter naturalem prohibentem omne peccatum Sodomiticum. Unde non contrahet specialem malitiam, si quis coeat cum eo, quem baptizavit, aut ex baptismo levavit. Item si quis coeat cum eo, quem in filium adoptavit. Item si coeat cum aliquo, & postea cum illius fratre.

Incestus Sodomiticus ad cōfessionem. Dubium est 6. an specialem malitiam explicandam in cōfessione contineant Sodomitici coitus inter cognatos, qui sunt consanguinei, vel affines? Ex *Azorio q. 5. & Bonacina n. 10. & 11.* respondeo 1. affirmativè, si loquamur de primo gradu affinitatis, vel de primo & secundo gradu consanguinitatis in linea transversali: secus si de tertio & quarto gradu ejusdem lineæ. Ratio est quia copula nefaria habita cum consanguineo in primo & secundo gradu, vel cum affine in primo gradu offendit graviter jus naturale: non sic in tertio & quarto gradu. Respondeo 2. si cognati sint in linea recta, qualis datur inter ascendentes & descendentes, explicandus est gradus cognationis etiam tertius & quartus: imò juxta Azorium citatum, ulteriores. Nam tunc maior in illis appa ret difformitas. Vide *Dianam p. 3. resol. 101. & p. 7. tr. 12. resol. 17.* ubi contra *Dicastillum de ,ust. lib. 1. disp. 3. dub. 18. n. 303.* dicit non requiri explicationem talis vel talis gradus consanguinitatis, vel affinitatis in confessione, sed sufficere si dicat: habui copulam Sodomiticam cum affine, vel consanguineo. Vide dicenda num. 1174.

842. Dubium est 7. an Sodomiæ in eodem gradu cognationis sint diversæ speciei, & in confessione explicandæ propter diversitatem lineæ rectæ & transversalis? Videtur affirmandum cum *Alphonso de Leone tract. de officio & potest. confess. par. 1. recollec. 9. n. 224.* ubi respondet copulam Sodomiticam inter cognatos mutare speciem, quando illi invicem sunt tales in linea recta: in linea autem transversa esse circunstantiam aggravantem. Favet *Bonacina citatus n. 11.* dicens explicandam esse circunstantiam affinitatis, quando Sodomia commissa est cum consanguineo lineæ rectæ, in quocumque gradu consanguineus existat. Vide *Dianam p. 3. tr. 4. resol. 101. & 159.*

Agens & paciens in Sodomia. Dubium est 8. an in Sodomia sit circunstantia mutans speciem, quod quis fuerit agens, vel patiens? Quanvis sententia affirmativa sit probabilior & tutior ex eo quód datur magna diversitas inter agentem & patientem, cum ex vi nefarij concubitus agens seminet, & patiens non seminet, tamen opposita negativa probabilis est. Eam absoluté defendunt *Alphon. de Leone citatus num. 216. 218. Machad. de perf. confess. to. 1. lib. 2. p. 3. tr. 19. docum. 8. Caramuel de regul. D. Bened. disp. 66. n. 983. & Diana p. 7. n. 10. resol. 8.* justa quos authores non est necessarió aperienda in confessione agentis vel patientis circunstantia, sed sufficiet dicere se peccasse peccato Sodomiæ, Ratio est, quia licét agens graviùs peccet quàm patiens, utpote seminans, confessaris intelligit de Sodomia activa, acproinde non oportet explicari. Deinde patiens non tenetur explicare se patientem: quia hæc circunstantia est minuens, & minuentes circunstantiæ intra eandem speciem non sunt necessarió aperiendæ.

QUÆSTIO IIII.

Quibus pœnis per utrumque jus afficiantur Sodomitæ?

843. Atrocitas flagitij nefandi postulat, ut jus utrumque conspiret in authorum tanti sceleris ultionem. Quare jus civile imperiale jam a temporibus Constantini *ff. ad legem Iulium de adul.* jubet Sodomitas, quos vocat infames, subsidii pœnis exquisitis. Pœna capitis esse puniendos statuitur *Authentic. Vt non liceat contra natur. collat. 6.* Flammis ultricibus aboleri jubentur per Imper. Valentinianum, Theodosium & Arcadium Cod. Theodos. lib. 9. tit. 7. in hunc modum, *Hujusmodi scelus spectante populo flammæ vindices expiabunt.* Addit *Azor lib. 3. p. 3. cap. 19. ex Glossa ad cap. cum secundùm leges, de haeret. in 6.* alicubi confiscari illorum bona. Vide *Covar. ad Clem. de homicidio 1. p. §. 1. n. 6.* *Pœna juris civilis in Sodomitas.*

Ius civile regium in Lusitania *lib. 5. Ord. tit. 16. init.* punit Sodomitas capitali pœna ignis, ne maneat (ut ibi declarat) eorum memoria in sepulchro: item confiscatione omnium suorum bonorum, etiam si habeant descendentes: nam eorum filij & nepotes manent infames. *Addit §. 1.* habere locum has pœnas in fœminis inter se contra naturam luxuriantibus. Pœnæ tamen hujusmodi limitantur in minoribus, qui judicis arbitrio sunt puniendi juxta *Menoch. de arbitr. casu 286. n. 19. & Farin. in praxi crim. q. 92. n. 83.* Quæ sit pœna pueri Sodomitati? Vide Cavalcan. lib. 3. dec. 13. An dictum talis pueri sufficiat ad torturam? Vide *Farin. de judic. & tortura quæst. 43.* *Pœna juris Lusitani cōtra Sodomitas*

844. Quod attinet ad jus Canonicum, hoc, *in cap. clerici, de excess. prælat.* jubet laicum Sodomitam excommunicari, & separari a cœtu fidelium usque ad condignam satisfactionem. Contra clericum cujuscunque dignitatis Sodomiam exercentem Pius V. in Extrav. quam citat *Navarr. cap. 27. n. 249.* statuit ut privetur omni privilegio clericali, omni beneficio, & dignitate Ecclesiastica.

Dubium est 1 an incurrat pœnas hujus constitutionis ille clericus qui semel, bis, aut ter Sodomiam commisit? Affirmant *Alterius to. 2. disp. 15. cap. 3. sub finem Salsedo apud Bern. Dias cap. 86. Vers. verum tamen,* & alij. Quia Pius V. in prima Bulla non utitur verbo *exercere*, sed *perpetrare*, quod verificatur etiam de unica vice. *Clericus Sodomita punitur.*

Negandum tamen est cum *Navarro cap. 27. n. 250. Garcia de benef. p. 11. cap. 10. §. 2. n. 198. in Rivio sua praxi decis. 353. & Suario de censur. disp. 31. sect. 4. n. 22.* Quia pœnæ illæ statuuntur exercentes Somiam, & verbum (exercere) significat aliquid frequenti usu, & quasi ex consuetudine facere. Unde Pius V. in secunda Bulla

satis indicat quo pacto velit primam intelligi.

Dubium est 2. utrum ad pœnas illas incurrendas postuletur consummatio Sodomiæ? Rectè affirmant. *Suar. cit. n. 21 Ugolinus de irregul. cap. 43. Rodrig. 1 par cap. 209.* E aliis quos citat, & sequitur *Bonacina de matr. q. 4. pun. 11. n. 2.* Ratio est quia verba legis pœnalis ut pote odiosæ, intelligenda sunt strictè & in toto rigore proprietatis: Sodomia autem non dicitur propria, nisi consummetur. Vidè *Pegue. decis. 7 n. & Farin. in prax. q. 148. a n. 56.*

Reservatio Sodomiæ.

845 Ex hac resolutione Bonacina citatus rectè infert in Mediolanensi diœcesi, ubi Sodomia est peccatum reservatum, non subjacere reservationi, nisi consummetur, proindeque non sufficere quancunque seminis effusionem, nisi fiat intra vas talis delicti. Addit tamen reservationem comprehendere tam agentem quam patientem. An vero comprehendat masculum Sodomiticè abutentem fœmina? Negat idem author n. 5. & benè, quia reservatio illa pœnalis intelligi debet de sola propria, qualis non est masculi cum fœmina. Vide *Dianan p. 7. tr. 12. res. 13.* Ubi enumerat varios casus in quibus inciditur vel non inciditur in Sodomiam reservatam. Quid si postuletur ad reservationem complex delicti: incurret illam, qui coit cum viro dormiente? Existimo negandum. Quia idem valet complex atque socius criminis, seu particeps ejusdem delicti, quod alter committit. Qui autem dormit, in delicto non participat. Vide nostrum Elucidarium. 1996. Et idem erit, si alter omnino invitus patiatur. Quia tunc non participat in delicto.

Complex in Sodomia.

Dubium est 3. an clericus exercens Sodomiam ipso facto ante omnem judicis sententiam pœnas illas incurrat? Ratio dubitandi sumitur ex verbis Pontificis: | *Presentis canonis authoritate privamus.* Ob quam Navarr. citatus hæret dubius. Aliqui distingunt asserentes delinquentem clericum incurrere ante judicis sententiam privationem omnis officij, dignitatis & beneficij Ecclesiastici, sed degradationem, non nisi post sententiam. Melius *Azor p. 3 lib. 3. cap. 19. q. 5.* Dicit pœnam degradationis, seu privationem clericalis privilegij non incurri nisi post judicis sententiam, antequam nec cedere beneficio, officio, aut dignitate, nec fructus beneficij restituere tenetur: sententia tamen lata retrotrahitur ad diem commissi criminis.

Suspensio & irregularitas ex Sodomia.

Dubium est 4. an clericus Sodomia notorius maneat ipso facto suspensus & irregularis? Respondeo affirmativè cum *Azor. cit. q. 6. & Bon n. 3.* Patet ex communi doctrina *Sayri lib. 7. de censuris c. 12. Reterus 2. par. cap. 210. & Suarij de cens. disp. 48. sect. 1.* Probantium omne crimen infame & enorme inducere irregularitatem. Cum igitur Sodomia inter crimina infamia & enormia recenseatur, procul dubio ex notoreitate irregularitatis pœnam incurrat.

846 Dubium est 5. an clericus Sodomita occultus maneat suspensus & irregularis etiã quãdiu occultus est? Rectè negant *Azor cit. q. 7. Nav. cap. 27. n. 149. & Lazarus de Sodomia n. 3.* Patet, quia neque suspensio neque irregularitas contrahitur, nisi sit in jure expressa: & nulla reperitur expressa in jure contra Sodomitas. Vide quid sentiant *Covar. in Clem. si furiosus 1. par. §. 1. & Ricius in sua praxi decis. 353.*

QUÆSTIO V.

Quale peccatum, & quàm grave sit Sodomia impropria?

Diximus num. 835. dari Sodomiam impropriam, quando personæ ejusdem speciei, sed diversi sexus, qualis vir & mulier, coeunt in vase incongruo, quale est præposterum. Quanvis enim *Covarr. in Epitome in 4 parte 2. cap. 7. §. 5. n. 7.* Propriam esse Sodomiam dicat, atque probare contendat ex *Cap. omnes causationes, & cap. usus 27. q. 7.* Tamen Caietanus ex S. Thoma 2. 2. q. 154. a. 11. rectius judicat veram Sodomiam non esse, sed peccatum contra naturam distinctum specie a Sodomia. Quia in Sodomia propria non servatur debitus sexus personarum, sicut in hac servatur, quæ proinde impropria est. Unde hæc Sodomia impropria non est æqualis, sed inferioris gravitatis cum propria, ut ex S. Thoma citato docet Azor cap. 20. q. 2.

Dubium est 1. an sit necessariò aperienda in cõfessione circunstantia Sodomiæ quando commissa est cum mare, vel cum fœmina? Negat Cælestinus in compen. Theol. moral. tract. 1. cap. 9. n. 5 diff. 4. Quem citat, nec impugnat Diana p. 5. tract. 14. resol. 96. q. 1. Rectius Bonacina de usu Matr. q. 4. pun. 11. n. 7. affirmat explicandam esse in cõfessione personam cum qua Sodomia commissa fuit, utrum habita a masculo cum masculo, vel a masculo cum fœmina.

Sodomia impropria qualis peccatũ.

847 Dubium est 2. an sit necessarió aperienda in confessione circunstantia virginitatis, quando scilicet masculus coivit Sodomiticè cum virgine? Rectè negant Azor citatus q. 5. & Bonac. n. 9. asserentes sufficere, si quis dicit se peccasse Sodomiticè cum fœmina. Ratio est, quia per Sodomiticum coitum non violatur claustrum Virginale, ac proinde non committitur in rigore stuprum, si quod forte in confessione aperiendum esset.

Virginitatis circũstãtia.

Dubium est 3. an vir conjugatus peccans Sodomiticè cum fœmina soluta, teneatur in confessione explicare se conjugatum esse? Respondetur affirmativé cum Azorio citat. cap. 20. q. 3. nam talis in actu committit duas deformitates, alteram adulterij contra propriam uxorẽ, alterã Sodomiæ.

Dubium est 4. an vir coiens Sodomiticè cum varijs fœminis possit ultra malitiam nefandam contrahere alias specie diversas pro diversitate fœminarum? Respondeo affirmativè cum citato Azorio q. 5. nam si coeat cum uxorata dabitur malitia adulterij, si cum moniali vel alia votum castitatis habente, dabitur malitia sacrilegij juxta cõmunem doctrinam, si cum consanguinea, dabitur malitia incestus, si violenter cũ resistente, dabitur malitia violentiæ. Vide qui contra afferat Diana p. 7. tract. 12. res. 23.

848 Dubium est 5. an peccet lethaliter vir conjugatus qui propriam uxorem incipit cognoscere

Uxoratus Sodomita

noscere actu præpostero, sed actum perficit seminando in vase naturali? Negant Navarr. cap. 27. Vers. quinto. Affirmandum tamen est cum Sanchez lib. 9. Matr. disp. 17. n. 4. & Bonacina citato n. 12. Ratio est quia cum vir possit alia via minús turpi se præparare ad copulam, utitur vase indebito a quo ipsa natura abhorret.

Dubium est 6. an pœnæ civiles & canonicæ in utroque jure statutæ contra committentes Sodomiam propriam, de quibus egimus quæst. 4. extendantur ad Sodomiam impropriam, de qua in hac quæstione actum est? Affirmat Covar. in Epitome in 4. per. 2. cap. 7. §. 2. n. 7. Melius tamen ex Alciato negat Azor p. 3. lib. 3. cap. 20. q. 4. Quia rigor legis pœnalis potiús restringendus est quàm ampliandus: leges autem civiles solum loquuntur dè Sodomia propria, & non de impropria, qualis illa de qua modò loquimur: præsertim quia impropria minoris gravitatis est, quám propria.

Hæc resolutio procedit secundùm jus. civile imperiale, & jus canonicum: item secundùm regium Lusitanum. Nam in *Ord. lib. 5. tit. 13. §. 1.* statuitur pœnas statutas contra masculos inter se coeuntes extendi ad fœminas habentes inter se nefariam conjunctionem: quasi utraque sit vera & propria Sodomia; at de masculo Sodomiticé cognoscente fœminam non loquitur. Vide *Gomez l. 80. Tauri n. 34. & Cardos. in praxi Iud. V. Sodomia n. 4.*

QUÆSTIO VI.

Quale peccatum sit concubitus habitus per modum indebitum?

Modus indebitus copulæ.

POtest concubitus esse in sustantia naturalis, quando nempe servatur sexus debitus, & vas debitum inter masculum & fœminam, & tamen modus esse indebitus, v. g. si fœmina incumbat masculo, & masculus sucumbat: item sit fiat præposterè retró accedendo, vel si stando aut sedendo.

849. Dubium est 1. an sit peccaminosus lethaliter concubitus, in quo masculus succumbit fœminæ? affirmant *Asensis l. 8. tit. 9. Paludan. & Henric.* apud *Sylvestrum V. debitum conjugale q. 2.* Quia fœmina incubans non potest cõmode semen viri recipere & retinere. Negandũ tamen est cũ *Azorio p. 3. lib. 3. cap. 21. q. 1. & Sanch. lib. 9. Matr. disp. 16. n. 3. 4. 5.* dicentibus talem modum coeundi solum continere venialem culpam gravem. Ratio est, quia solum datur ordinis perversio in accidentalibus: non enim impeditur generatio, data scilicet retentione seminis per matricis attractionẽ.

Quod procedit (inquit *Sanch. n. 6.*) etiam si sciát conjuges, sic coeuntibus non edendam prolem ita certam, dummodò non intendant illam impedire. Addit *n. 7.* nullam omnino dari culpam, si detur causa justa invertendi situm, v. g. ob viri pinguedinem, vel ne fœtus opprimatur.

Copula habita modo indebito.

Dubium est 2. an sit lethalis concubitus viri cum fœmina in vase congruo, si vir accedat retror, vel fiat sedendo aut stando? Affirmant *Paludanus*, *Henricus*, *& Asensis* locis supra citatis. Quia in tali concubitu moraliter impeditur generatio ex non retentione seminis. Negandum tamen cum *Navarro*, *Sylvestro*, *Armilla* & multis alijs, quos citant, ac sequuntur citati *Azor, & Sanchez.* Propter eandem rationem, quam proxime attulimus, & ob eandem modò addimus nullam omninò dari causam sic coeundi.

850. Dubium est 3. utrum dictus modus indebitus additus alijs speciebus luxuriæ, illas transferat in aliam speciem, an solum augeat? Bené respondet *Azor citatus quæst. 3.* illas solum augere. Hoc sic exponit: si vir coeat cum sua cognata modo indebito, est incestus, sed gravior: si coeat cum moniali modo indebito est sacrilegium, ut communiter asseritur, sed gravius: si coeat cum meretrice modo indebito, est fornicatio sed gravior. An coire tali modo indebitus sit circunstantia necessario aperienda in confessione? Benè negat citatus *Azor.* Quia talis modus indebitus solum addit malitiam venialem, & non mortalem.

QUÆSTIO VII.

Quale peccatum sit pollutio voluntaria, quæ appellatur mollities?

QVando datur pollutio voluntaria, alio nomine mollities, planum est dari pecatum contra naturam. Quia tunc seminis effusio est contra ordinem, quem natura postulat in actu seminandi, ut ex eo generatio sequi possit. Esse autem peccatum mortale patet tum ex gravi deformitate explicatæ perversionis, tum ex illo Apost. ad Corinth. 6. *Neque molles regnum Dei possidebunt.* Non enim a regno Dei excluderentur, nisi mortaliter peccassent.

Pollutio voluntaria quod peccatum sit.

Dubium est 1. Utrum voluntaria seminis effusio, seu pollutio ita sit intrinsecé mala, ut in nullo eventu liceat, etiam causa sanctitatis & vitæ tuendæ? Existimare poterit aliquis pro vita conservanda licitam evadere procurationem pollutionis atque adeo excisionem seminis, sicut licet excisio membri, etiam genitalis: & a fortiori, quia membrum animatum est, semen autem humor inanimatus & solum ordinatus ad productinem rei animatæ. Nec obstat dicere semen esse datum a natura ad communem conservationem speciei, membrum autem solum pertinere ad integritatem individui, atque adeo hujus, & non illius excissionem procurari posse. Nam in tali eventu plus expedit communi conservationi speciei expulsio talis seminis, quàm retentio: cum ex tali retentione (ut supponimus) pereat individuum, & in eo omnis officina seminis ordinati ad conservandum speciem.

Pollutio procurata.

851. Nihilominus ita esse intrinsecè malam pollutionem, ut in nullo eventu procurari liceat, vera omninò sentẽtia est, quam defendunt cum multis *Vasq. 1. 2. disp. 115. cap. 3. Sanch. lib. 9. Matr. disp. 17. n. 16. Lessius lib. 4. cap. 3. n. 96. Palaus tr. 30. disp. 3. pun.*

7.§.3.n.2.& Bonac. de Matr.q.4.pun.10. Ratio est quia, cum semen datum sit ad conservationem speciei, & in eo effundendo summa voluptas detur, ne daretur occasio id sæpe prodigendi, si aliquando liceret, natura & ipsius anthor obviaverunt prohibentes in omni eventu illius effundendi voluntariam procurationem. Ex quo patet ad rationem oppositam. Quia in abscissione membri non voluptas, sed dolor sentitur Unde non potest medicus recitare medicamentum, quo natura impellatur ad semen expellendum voluptuosé : secus, si absque voluptate expelli posset. De quo Lessius cit. n.96. Poterit autem medicus (ut ait Bonac. de Matr. q.4. p.10. n.12.) adhibere medicamen, quo resolvatur semen in sanguinem, vel alium humorem.

Dubium est 2. an sit lethale procurare etiam per media licita notabilem commótionem spirituum vitalium pollutioni, vel notabili distillátioni inservientem? Recté affirmant Sanch. citatus. n. 18. & Bonac. pun.10 n.13. Quia talis commotio est ex se veluti inchoata pollutio, vel proxima præparatio ad pollutionem. Secus de levi commotione & distillatione.

Pollutio desiderata. Dubium est 3. an liceat simplici affectu desiderare quòd pollutio contingat naturaliter, & de illa contingente gaudere? Anthores communiter ex Vasq. 1. 2. disp. 115. c. 3. Lessio lib. 4. c. 3. n. 105. Fillincio tr.30. c.8. q.5. n.144. Bonac. citato n. 14. & Palao n.4. recte statuunt. 1. desiderare pollutionem, vel de illa gaudere ob delectationem, & ex affectu libidinis mortale esse. Nam hoc est directê consentire in pollutionem, quæ intrinsecam malitiam vendicat. Statuunt 2. desiderare naturalem pollutioné, vel de illa gaudere ob finem honestum, v g. ob sanitatem, vel sedandam tentationem, licitum esse. Quia tunc ipsa sanitas, vel tétationis sedatio est quæ intenditur, & non pollutio, sicut quando datur gaudium de morte tyranni ob levamen reipublicæ.

Pollutiones an sint diversæ speciei. Dubium est 4. an omnes pollutiones sint ejusdem speciei, vel distinguantur specie ratione diversi consortis? Bené hoc dubium resolvunt cum distinctione Navarr. cap. 16. n 6. Azor p. 3. lib. 3. cap. 23. q.2. Fillinc. tr. 30. cap.8. q.5. n. 155. & Bonacina de Matr. q.4. pun. 10. n. 15. nimirum si accipiantur secundùm se, omnes esse ejusdem speciei : secus si accipiantur cum aliqua circunstantia per accidens advenientе, & speciem mutante. Ratio prioris partis est quia omnes pollutiones in se sumptæ habent eandem deformitatem contra rectam rationem. Posterior explicatur, nam si pollutio habeatur cum alijs personis ex delectatione morosa, desiderio, & cooperatione illarum diversam speciem induet, ut si habeatur cum solutis, vel conjugatis, voto castitàtis obstrictis, ac similibus. Unde in confessione explicanda est circunstantia personæ cum qua, & cujus ope habita fuit pollutio, si fuit virilis aut muliebris sexus, etiam si fuisset habita cum puero nondum doli capace, vel cum fæminà dormiente, & a fortiori si cum bestia extra concubitum. Vide Dianam p. 7. tr. 12. resol. 15.

852. Dubium est 5. habeat ne rationem solius pollutionis, an alterius speciei contra naturam, habere copulam cum fæmina mortua? Existimant Be izarius de regul to.1. tr.4. cap.3. sect.4. n. 70. & Gesualdus to.3. tract. 12. cap.1. n. 34. hujusmodi peccatum includere malitiam bestialitatis Quia bestialitas est conjuctio carnalis cum re alterius speciei. Displicet tamen, quia bestialitas ut ex communi sententia statuimus num. 834. est turpis coitus hominis cum vivente alterius speciei. Unde Sanch. to. 3. Matr. lib. 10. disp.4. n. 14. cum docuisset bestialitatem cõmissam a viro præbere uxori justam causam divortij, adjecit hoc nõ procedere in concubitu intra vas cum fæmina, aut bestia mortuis, quasi ille non foret bestialitas.

Affirmandum igitur talem copulam esse reducendam ad speciem luxuriæ, quæ dicitur voluntaria pollutio, seu mollities. Ita expresé Diana p. 9. tract. 9. resol. 1. Id videtur sentire Sanchez loco citato, prout ait dictam copulam non includere aliam malitiam in genere luxuriæ, quâm malitiam pollutionis, sicuti qui iniret concubitum cum pictura vel statua. Favet Tamburinus opusc. 1. lib. 2. cap. 7. §. 10. n.63. dicens inanimatum instrumentum, quo quis se polluit non facere mutationem speciei.

853. Ex quibus infert Diana citatus §. ult. juxta sententiam probabilem asserentium circunstantias aggravantes non esse necessarió aperiendas in confessione, illum qui talem copulam habuerit, satisfacere, si dicat se habuisse pollutioné. Hæc tamen illatio mihi omninó displicet. Quia licét demus illum concubitum in genere luxuriæ non mutare speciem, addit tamen circunstantiam tam notabiliter aggravantem, & quæ judicium cofessoris taliter mutat, ut necessarió aperienda sit. Nam ille actus procedit ex appetitu vehementissimo, & tali ut vincat naturalem horrorem mortis & cadaveris, quo viso solet venereus appetitus retardari. *Copula cũ fæmina mortua.*

Accedit, ibi præter malitiam luxuriæ contra naturam, dari alias diversæ speciei ex indigna tractatione cadaveris, per quam fit injuria defuncto, ita ut possit violari justitia, pietas, & religio : nam in violatione cujuscunque cadaveris, violatur justitia ; si cadaver sit personæ consanguineæ, pietas, si personæ sacræ, religio. Ex opposito sequetur notabile absurdum, nempe eum qui concubuerit cum sua matre defuncta, satisfacere in confessione, si dicat se habuisse pollutionem : quod nemo audebit admittere.

Dubium est 6. an genus libidinis quod a veteribus dicitur irrematio, & fit per effusionem seminis intra os alterius, differat specie a pollutione seu mollitie? Affirmabit aliquis. Quia hæc mõstrosa libido videtur habere non minorem, sed maiorem deformitatem, quàm Sodomia: hęc autem a mollitie differt specie ; ergo & illa. Valde inclino in hanc partem : sed quia pro illa non inveni patronum. acquiesco Bonacin. de matr. q.4. pun. 10. n. 15. ubi postquam asservit omnes pollutiones *Mollities & irrumatio.*

lutiones seu mollities secundum se esse ejusdem speciei, addit illum qui se polluit inter alterius crura, inter mamillas, vel brachia, vel manus, vel in ore, seu alia corporis parte, non teneri talem partem in confessione aperire, cum partes illæ materialiter se habeant.

Pœna mollitici. 854. Dubium est 7. Utrum qui committit mollitiem, vel se polluit cum altero, certas aliquas, & in jure determinatas pœnas incurrat? Nullas invenio in jure canonico, vel civili Imperiali statutas contra molles: at in jure regio Lusitano (est enim Lusitanis execrabile omne genus libidinis cōtra naturam) animadvertitur cōtra molles *Ordin. lib. 5. tit. 13. §. 3.* in hunc modum: *Eas pessoas, que com outras do mesmo sexo commetterem o peccado da mollicie, seram castigadas gravemente com degredo de gales, e outras penas extraordinarias segundo o modo e perseverança do peccado.* Vide *Anton. Gom. l. 80. Tauri n. 34. Farin. in praxi crimin. q. 148. n. 38. & Sayr. in clavi Regia lib. 8. cap. 5. a n. 2.*

QUÆSTIO VIII.

An, & quale peccatum sit pollutio involuntaria, seu non procurata, sive in vigilia, sive in somno eveniat?

Conveniunt authores effusionem seminis, sive in vigilia, sive in somno eveniat, ut imputetur ad peccatum, debere esse voluntariam saltē in causa, itaut non *sufficiat pura illius permissio. Quia peccatū absq; voluntate dari non potest.* Sed difficultas est intelligere, quando dicatur sufficienter voluntaria, ut imputetur ad culpam mortalem.

Pollutio involuntaria Communis & vera resolutio est apud *Vasq. 1.2.d. 115. cap. 3. n. 9. Lessium lib. 4. cap. 3. dub. 14. Sanch. de Matr. lib. 9. disp. 45. Filliuc tr. 30. c. 8. q. 6. & Palaum tr. 30. disp. 3. pun. 7. § 3.* pollutionem sufficienter voluntariam ad culpam mortalem non censeri, quando provenit ex aliqua causa necessaria, vel utili, vel honesta: censeri autem voluntariam, & consequenter peccaminosam lethaliter, quando provenit ex causa quæ neque necessaria, neque utilis, neque honesta est, dummodò proveniat ex causa proxima in eandem notabiliter influente. Si enim (inquit *Bonacina cit. n. 5.*) causa sit remota, vel notabiliter non influat, pollutio ad lethale non imputabitur, nisi detur periculum, vel intentio pollutionis.

855. Infertur 1. te non teneri abstinere a cibo & potu moderato, nec a convenienti equitatione, nec a commodiori accubatione in lecto, nec ab studio rerum turpium, illarumque excipienda confessione, nec ab osculis, amplexibus, & tactibus necessariis, quales facit chirurgus in curatione pudendorum, tametsi prævideatur subsequenda pollutio. Nam tunc per accidens subsequetur. Vide *Palaum cit. n. 5. & Ioan. Sanch. in select. disp. 21. n. 12.* *Tactus impudici quando liceant.*

Pollutio ex nimio ctu. Infertur 2. cum *Filliucio to. 2. tr. 30. cap. 10. n. 198. & Dianā p. 2. to. 10. res. 54. & p. 3. to. 5. res. 22.* non peccare mulierem, quæ in choreis publicis permittit se tangi tactibus licitis ab aliquo, a quo scit impubice tangi. Infertur 3. cum *Vasq. citato n. 9.* quanvis opus sit illicitum, sed non in genere luxuriæ, quia non concurrit graviter ad pollutionem, hanc sequendam inde, & prævisam, sed non intentatam non esse peccatum mortale. Quare peccans mortaliter in nimio cibo aut potu non tenetur confiteri pollutionem inde sequutam præter intentionem.

Dubium est 1. an quando causa est illicita in genere luxuriæ, sit semper mortalis pollutio quæ ex illa sequitur? Rectè negant apud *Palaum n. 6. Sanch. disp. 45. n. 19. Lessius lib. 3. c. 3. dub. 14. n. 102. Filliuc. tr. 30. c. 8. q. 6. n. 152. & Layman. dub. 3. sum. sect. 4. n. 16.* asserentes ex sola causa in genere luxuriæ illicita lethaliter, qualis est osculum, amplexus, & turpis tactus ob veneream delectationem, ortam pollutionem lethalem esse: venialem tamen si sequatur ex causa in genere luxuriæ veniali, qualem ex *Sanch de matr. lib. 9. disp. 46. n. 76.* refert *Diana p. 2. tr. 13. res. 31.* scilicet verba amatoria vulgo *requebros*, quæ fœmina viro sibi in matrimonium jungendo dicit, vocando illum cor suum, animam suam.

856. Dubium est 2. an quis teneatur sub mortali expergefactus reprimere pollutionem, quæ in somnó cœpit? Affirmat *Toletus lib. 5. cap. 13. n. 1.* quia homo in vigilia perfectam habet deliberationem & libertatem. Negat *Sà V. luxuria n. 10.* Quia cum pollutio cœperit sine peccato, effusio illa quæ sequitur in vigilia, causæ illius inculpabilis effectus est. Consentit benè huic negativæ sententiæ *Azor p. lib. 3. cap. 24. q. 5.* dummodó homo jam vigilans non cōsentiat pollutioni. Addit *Fagund. pr. 3. lib. 3. cap. 6. n. 11.* vigilantem illum solum posse non reprimere, quando est certus de non consentiendo. *Pollutio in somno cœpta.*

Dubiū est 3. an pollutio eveniēs in somno dici possit aliquando peccatum, & quomodo? Vera & communis sententia *S. Thomæ 2.2. q. 154. a. 5. Caiet. to. 1. Opusc. tr. 22. & Navarr. cap. 16. n. 8.* docet pollutionem contingentem in somno nec in se, nec secundùm se peccatū esse. Quia illa prout sic nec in se, nec secundùm se voluntaria est. Poterit tamen (ut benè notat *Azor cit. cap. 24. q. 1.*) dici peccatum, quatenus fuit voluntaria in alio, nempe in causa antecedenti, v.g. cogitatione turpi in vigilia, ante somnum: sic enim pollutio illa imputabitur culpæ, sicut cæteræ actiones, quę in somno eveniunt, & in causa antecedenter peccaminosa voluntariæ sunt. *Somnium qualiter peccare possit.*

Unde (ut rectè docet citatus author) est peccatum mortale in confessione aperiendum, nocturna pollutio, si fuit ante somnum intenta, vel procurata in aliqua causa ad eam ordinata, vel ex sua natura, vel intentione ejus, qui somnum cepit. Item si in vigilia fuit deliberatum desideriū, ut in somno pollutio contingeret. Denique si ante somnum non fuit intenta, post somnum verò opprobatur, & placet. Tunc enim est mala, sicut redderetur malum, & culpæ imputaretur homicidium, quod fecit quis dormiens, si in vigilia placeret, & approbaretur.

857. Dubium est 4. utrum & qualiter peccaminosa sit pollutio, quæ incipit in vigilia post sōnum in homine recenter excitato? Bené ex Navarro *Pollutio statim post somnum.*

varro cap. 16. n. 8. respondet *Azor cap. 24. q. 6.* sæpe non esse peccatum mortale, sed tantum veniale. Ratio est, quia sæpe in homine sic recenter experge facto non adest plena deliberatio, nec judicium plenum. Item quia plerunque evenit talis pollutio, quando semen in somno decisum est, licet in vigilia effundatur, in quo eventu difficillimè talis effusio impediri potest.

Destillatio seminis an peccatum. Notat bené *Palaus tr. 30. disp. 3. p. 7. §. 3. n. 7.* quæ dicta sunt de pollutione, etiam suo modo procedere de destillatione, quæ est effusio cujusdam humoris, qui assimilatur semini, & generationi non sufficit. Hæc enim destillatio quamvis nullam contineat culpam, si absque ulla spirituum commotione, & delectatione eveniat, tamen lethalis est, si intendatur in causa proxima, prout cum tali commotione & delectatione contingit.

TRACTATUS XXXVII.

De Sacramentis in genere: de Baptismo & Confirmatione.

SECTIO I.
De Sacramentis in genere.

QUÆSTIO I.
Quid & quotuplex sit Sacramentum?

Sacramentum quid. 858. Sacramentum apud Latinos dicitur quod jurisjurandi sacratione interposita geritur: & fuit juramentum quo milites scribendi a sacerdotibus adigebantur. Apud Theologos duce *Suari to. 3. in 3. p. d. . sec. 1.* etiam accipitur pro signo sacro & religioso: ita ut voci Latinæ *Sacramentum* vox Græca *Mysterium* respondeat. Deinde quantum ex notatione ipsius nominis deprehendi potest sicut vestimentum dicitur quo vestimur, ornamentum quo ornamur, ita Sacramétum satis convenienter dicitur, quo sacramur, seu quo initiamur.

Sacramẽti definitio. Missis alijs definitionibus, quæ videri possunt apud *Bellarminum lib. 1. de sacr. a cap. 11.* sic in Catechismo Pij quinti definitur. *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibile signum ad nostram justificationem institutum.* Quæ definitio juxta *Suarium cit. disp 1. sec. 4.* potest competere soli Sacramento novę legis, si per ultimam particulam intelligatur vera sanctitas, quam Sacramentum animæ conferat.

Cum tamen investigemus definitionem, quæ omne Sacramentum tam antiquę quam novæ legis complectatur, nulla nobis videtur aptior ad illud in tota sua latitudine explicatiùs describendum, quàm illa quæ affertur ab *Ægidio Bellan. q. 60. a. dub. 1.* in hunc modum. *Sacramentũ est res vel ceremonia sacra sensibilis ad aliquam sanctitatem pro statu Ecclesiæ tunc existentis convenientem hominibus suo usu conferendam, & ad veram sanctitatem significandam legitime stabiliterque instituta.* Uberiorem hujus definitionis explicationem, vide apud citatos.

859. Dubium est 1. utrùm sacramenta veteris & novæ legis participent univocé rationem Sacramenti? Negant *Magister in 4. dist. 1. ubi S. Thomas q. 1. a. 1. & Scotus q. 6. § de potentia.* Affirmandum tamen est cum *Bellarm. lib. 1. de sacram. c. 12. Bellano 3. p. q. 60. a. 4. Vasq. ibid. d. 128. cap. 5. n. 49. & Suar. d. 1. sect. 2. §. Atque hinc,* Sumitur ex *Triden. sess. 7. can. 6. & Florent. in litteris unionis,* vocant enim vetera simpliciter sacramenta, & ea cũ novis comparant. Deinde ratione. nam propria & absoluta ratio sacramenti in eo consistit, quod sit res vel cæremonia sacra instituta a Deo ut sanctitatem aliquam sive impropriam, sive propriã conferat, & propriam ac veram significent: hæc autem communis ratio æqualiter cernitur in sacramentis tam veteris quàm novæ legis.

Dubium est 2. an omnia sacramenta novæ legis quæ in usu consistunt, componantur ex rebus tamquam materia, & verbis tanquam forma. Negat *Durand. in 4. dist. 1. q. 3.* Affirmandum tamen est cum *S. Thoma 3 p q. 60. a. 1. Vasq. ibid. disp. 129. c. 1. Suar. disp 2. sec. 1. & a nobis to. 7. d. 2. sect. 1.* Sumitur ex *Concil. Florent.* in decreto unionis, ubi sic: *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur. Videlicet rebus tanquam materia verbis tanquam forma & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum.* *Materia & forma sacramẽtorum.*

860. Apposui in resolutione (quæ in usu consistunt, propter S. Eucharistiam, quæ si accipiatur in fieri, ejus materia transiens est substantia panis & vini, permanens eorum accidentia, forma sunt verba consecrationis: si autem sumatur in facto esse, continet specialem difficultatem suo loco decidendam.

Quod attinet ad alteram quæstionis partem de multiplicitate, probabile est ante adventum Christi fuisse in lege naturę duplex sacramẽtum, alterum instar Circuncisionis, vel Baptismi consistens in aliquo signo externo a Deo instituto per quod liberaretur infans a peccato originali: alterum instar ordinis consistens in aliqua cæremonia (ut docet Valent. disp 3. q. 2. p. 2.) sacra per quam consecraretur sacerdos, qui Deo verum sacrificium offerret. Nam hujusmodi cæremonia fuit divinitùs instituta ad moralem sanctificationem conferendam, & veram significandam. *Sacramẽtum quotuplex.*

In lege scripta præter Circuncisionem, triplicis generis sacramenta recenset *S. Thomas 1. 2. q. 102. a. 5.* scilicet consecrationem sacerdotum, esum agni paschalis, & quasdam lustrationes, quibus Iudæi a sordibus legalibus mundabantur. Post Christi adventum in lege gratiæ septennarium esse

esse sacramentorum numerum a Christo servatore institutum, paucis & perspicuis verbis definit *Triden. sess. 7.* de sacr. in genere can. 1. *Si quis dixerit sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Iesu Christo domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium, ut etiam aliquod horum septem non esse verum & proprium sacramentum, anathema sit.*

QUÆSTIO II.

Quænam postuletur simultas inter materiam & formam sacramentorum?

Simultas materiæ & formæ. 861. CUM duplex detur simultas, altera loci, quando scilicet duo eodem loco extrinseco, vel superficie ambiente continentur: altera temporis, quando duo eodem têporis puncto existunt: præterea cum duplex illa simultas accipi valeat physicé, idest in toto rigore naturæ, aut moraliter, idest humano more: difficultas est quænâ ex dictis simultatibus requiratur & sufficiat inter materiam & formam sacramêtorum? Quidquid dicant *Scotus in 4. dist. 6. q. 3. & Caietan. to. 1. Opusc. tr. 26.* dicendum est sufficere, ut in sacramento exerceatur materiæ & formæ munus, simultatem moralem, maiorem, minoremve pro sacramentorum diversitate.

Hæc sententia defenditur a *Suar. in 3 p. to. 3. d. 2. sec. 2. Bellano q. 60. a. 6. n. 4. & Amico to. 7. d. 2. sect. 3. n. 19.* Probatur, nam ea simultas requiritur & sufficit ad materiam & formam sacramentorum quæ postulatur & sufficit ad actus humanos, cum Christus in actibus humanis sacramenta instituerit: sed ad humanos actus sufficit moralis simultas, ut v.g. contractus fiant, & homines inter se convictum habeant; ergo inter materiam & formâ sacramentorum simultas moralis sufficiet.

Quoniam verò sacramentis inserviunt diversi actus humani, quorum alij postulant ex natura sua minorem, alij maiorem simultatem, nulla certior regula potest definiri, quám tradita a *Soto in 4. disp. 3.* nempe eam requiri, & sufficere conjunctionem & simultatem, quæ juxta modum significandi formæ, & qualitatem materiæ satis est, ut humano more censeatur forma supra suam materiam cadere. *Materiæ & formæ simultas in sacramentis.* Unde maiorem simultatem exigunt quæ perficiuntur per pronomina demonstrativa, & verba de præsenti, sicut Baptismus, Côfirmatio, Ordo, Eucharistia, Extrema-unctio: minorem Pænitentia, quę peragitur per modum judicij, in quo sententia absolutoria accusationem supponere debet: minimam, seu valde exiguam Matrimonium, quod, quia est civilis contractus, inter absentes peragi potest.

862. Quare noster *Tamburinus lib. 1. de sacram. in gen. cap. 1. §. 1.* bené resolvit in sacramento pœnitentiæ post factam confessionem, data integra hora interruptionis, validé fuisse impensam absolutionem, sacerdotem tamen, qui in Missa protulerat *Hoc est corpus*, & impeditus fuisse post semiquadrantem protulit *meum*, invalide consecrasse. *Interruptio tracta in sacramento.* Vide similia loco citato, & quod n. 12. recté monet, quando nempe dubium est, an interruptio sive per verba, sive per silentium notabiliter orationem diviserit, itaut minister pusillanimis id non audeat decernere, magis congruum ac tutum esse totam formam repetere.

Quid si proferantur verba data interruptione, inter syllabas? Exemplum sit. Sacerdos in consecratione prolatis *Hoc est cor.* tussivit, vel silvit, vel locutus est, deinde protulit *pus meum.* Si intercapedo inter illas syllabas fuit notabilis, certum est sacramentum non confici. Quid si fuit breviuscula interruptio? Fieri sacramentum affirmat *Leander tr. 2. de sacram. Baptis. d. 3. q. 38.* negat *Bonac. disp. 1. de sacram. q. 2. p. 1. n. 23.* Utrumque bene conciliat *Tambor. cit. n. 14. & 15.* ut si sacerdos unica respiratione, vel tussi momentanea quiescat, sacramentum conficiat: secus de locutione, ut si dicat, *Ego te b p.* & deinde interponat *O Deus* denique addat *tizo*, vel *Hoc est cor* O Virgo-*pus meum.* Tunc enim non conficiet.

863. Addo ex eodem n. 16. si quis (ut solent balbi) repetat aliquam primam syllabam in forma, v.g. Hoc est *cor* corpus meum. Hic est calix sanguinis *me* mei, conficere sacramentum. Quia brevissimo illo tempore talis syllaba repetita sensum formæ non distrahit.

QUÆSTIO III.

Quænam mutatio materiæ & formæ sacramentum irritet?

DUplex accidere potest mutatio in materia & forma sacramentorum, altera substantialis, altera accidentalis. Substantialis accidit, quando variatur essentia materiæ & formæ a Christo instituta, & ab Ecclesia usitata. Accidentalis datur, quando essentia materiæ & formæ persistit, esto varietur secundùm quid, nempe secundum affectionem, aut exiguam sui partem. *Mutatio materiæ & formæ in sacramentis.*

Quæstionis igitur vera & cômunis resolutio est, mutationem substâtialem materiæ & formæ sacramentû irritum efficere: non ita mutationê accidentalem. Traditur a *Francisco Amico to. 7. d. 2. sect. 5. ex Suario to. 3. in 3. p. disp. sec. 4.* Prior pars constat authoritate Concilij Nisseni can. 19. & Innocenti 1. Epist. 22. cap. 1. Posterior desumitur ex *Zacharia Papa Epist. 1. ad Bonif.* & habetur in *cap. retulerunt, de consecrat. dist. 3.* Ratio utriusque partis est, nam mutatio substantialis non relinquit id quod a Christo Domino pro sacramento fuit institû: accidentalis veró id simpliciter relinquit, & si aliquâtulû immutatum.

Ad utranque dignoscendam assignabimus regulam duplicem, alteram pro forma, alteram pro materia sacramentorû. Esto prima regula. Illa formæ mutatio est essentialis, & destruit formę essentiam, quæ variat sêsum verborum, itaut non maneat is qui fuit institutus: illa veró accidêtalis, quę non variat sensum, quanvis alioqui magna videatur. Ita *S. Thomas 3. p. q. 60. a. 8. Scotus in 4. d. 3. q. 2.* & alij, quos refert ac sequitur *Suar. cit. sec. 4.* Patet, *Forma mutatio.*

quia sensus est veluti omnia verbi, nam verbum non propter sonum, sed propter sensū profertur; variato igitur sēsu dabitur mutatio substātialis, variato sono tantum, accidentalis.

Sensus formæ in sacramentis. 864. Observa 1. cum *Bellarmino cap. 21.* tunc variari sensum, quando qui adsunt prudenter judicāt per verba prolata non significari id quod per integram formam significatur: & è contra tunc nō variari, quando qui adsunt, idem significari existimant. Observa 2. cum S. Thoma cit. art. 7. non multum referre, an idem sensus qui persistit, relinquatur ex prima verbum institutione, an ex accommodatione, dummodo sit cōmunis & usitatis: si enim peculiaris sit ex privata impositione, non valebit forma.

Formæ mutatio multiplex. Ut regula illa generālis applicetur ad particulares eventus, sex potissimū formæ accidere possunt mutationes. 1. ab uno idiomate in aliud vel totaliter, vel partialiter: hæc, dummodo servetur eadem significatio & sensus, nullo modo est substantialis: imo (ut docet Caietan. a. 9. ad 2.) si in rigore loquamur, nec accidentalis est: alioqui oporteret conficere sacramenta ea lingua, qua Christus locutus est Hebraicè vel Syriacè. Ex quo patet errare hæreticos nostri temporis asserentes necessarium esse, ut sacramenta conficiantur lingua vulgari in singulis provinciis ac regnis.

Baptismi forma. 2. Si intra idem idioma verba formæ in alia mutentur omninò synonyma: ut si quis baptizans dicat: *Ego te abluo in nomine genitoris geniti & spirati.* Vel si dicat, *Ego te baptizo in nomine Trinitatis.* In priori forma datur solum mutatio accidētalis, quia perseverat idem sensus & expressio: in posteriori datur mutatio substantialis quia non servat eandem expressionem: nomine enim *Trinitatis*, solū implicitè Pater, Filius, & Spiritus S. significantur.

Corruptio verborum. 865. 3. Si verba formæ corrupte proferantur, ut in hoc exemplo, quod *canonizarunt* affert Zacharias Papa: *Ego te baptizo in nomine Patri & Filius & Spiritus Sanctus*: quæ mutatio accidentalis est. Monet tamen Pontifex: si tanta sit corruptio, ut mutet sensum, mutationem esse substantialē. Addit *S. Thomas 3 p. q. 6 0. a. 7. ad* 3. magis suspectā esse depravationem initio vocabuli quàm in fine, ut si dicat *In nomine Matris*: nam per solam mutationē unius literæ *P.* in *M.* quanvis ex ignorātia, variatur significatio & sensus. Eodem modo judicādum est, si vitio linguæ, aut nationis, aut festinationis multum aut parum depravata proferatur forma. Semper enim attendēdum est ad cōceptus, quos humano more in audientibus ingenerant.

Interruptio verborum. 4. Si interruptè proferantur verba quod: fieri potest, aut silentio, aut alicujus orationis disparatæ interpositione. In quo eventu illa regula servari debet, ut si interruptio ita parva sit, ut forma continuatum sensum moraliter enciat, mutatio accidentalis censeatur: substantialis autem, si ita longa, ut sensum moraliter disjungat. Semper igitur dividetur sensus, & destruetur forma, si una ejus pars ab uno ministro, alia ab alio proferatur: tunc enim una oratio non perseverat. Ex quo patet diversitas, cur in extrema unctione possint proferri singulæ unctiones a singulis sacerdotibus: ibi enim (ut observat *Henriq. cap. 9. n. 9.*) dātur variæ formæ ac materiæ, proindeque diversæ orationes.

Baptismi forma. 5. Si transposite proferantur verba: ut si dicas: *Ego baptizo te*: vel in passiva significatione: *Tu baptizaris a me.* Est hæc mutatio regulariter accidentalis. Quia fere nunquam mutat sensum. 6. si per additionem, vel per subtractionem alicujus verbi. Hæc mutatio erit accidentalis, si non mutetur sensus, ut in hac forma: (*Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, Filij unigeniti, & Spiritus Sancti ab utroque procedentis.*) Imo si addatur *in nomine Virginis.* Valet enim idem in bono sensu, quòd per ejus intercessionem.

Eucharistiæ forma sine enim. 866. Aliud exemplum afferri solet in forma Eucharistica, si dicatur (*Hoc est corpus meum*) sublato (*enim*) quæ mutatio solum accidentalis est. Quanvis enim censeatur variari essentialiter propositio, & mutari de causali in non causalem: tamen hæc variatio grammaticalis, vel solum logica est, & non destruit sensum sacramentalem: adhuc enim manet sensus a forma sacramentali intentus, nempe quòd significetur conversio in corpus Christi.

Materiæ mutatio in sacramento. Esto secunda regula pro materia. Tunc dabitur substantialis, seu essentialis mutatio in materia, cum qua stare nequibit sacramentum, quando illa secundùm communem usum, & modum moralem non censeatur manere eadem cum illa quā Christus instituit: tunc dabitur accidentalis, quādo post aliquam mutationem judicetur manere eadem moraliter. Explicatur in materia baptismi, quæ est aqua elementaris: nam si hæc mutetur in rosaceam, non manet eadem materia: quia rosacea nō est simpliciter aqua, ac proinde subit mutationem substantialem: si verò transeat de frigida in calidam, manet eadem essentialiter cum sola accidentali mutatione.

Intentio ministri. Dixi (secundum communem usum, & moralem modū) quia potest evenire, ut mutatio physicè accidentalis, judicetur moraliter essentialis, nempe secundùm communem usum: ut cōstat in aqua gelata, quæ solum accidentaliter differt a liquida: & in massa triticea, quæ accidentaliter differt a pane, & tamen nec gelu est sufficiens materia Baptismi, nec massa triticea Eucharistiæ.

867. Rogabis, an ex precisa intentione ministri possit fieri substantialis mutatio in forma sacramenti? Respondeo cum *Suario to. 3. in 3. p. d. 2. sec. 5. & Amico to. 7. d. 2. sect. 5.* intentionem ministri nec destruere formam, nec in illa ponere mutationem substantialem, si mutatio facta in verbis secundùm se, & ille intentione sublata, solum est accidentalis: quanvis minister intendat novum ritum introducere. Quia priora intentio non destruit essentiam formæ prolatæ: siquidem non everti sensū illius, in quo talis essentia cōsistit.

Quid si cum errore proferatur sacramenti forma? Rectè distinguit *Tamburinus noster lib. 1. de sac. cap. 1. §. 2. n. 3.* inter errorem expressum exteriùs in ipsa forma, & retentum in mente; & hic benē

ne resolvit 1. quando ex intentione ministri exprimitur in forma aliquid quod substantialiter mutet sensum, ut si Arianus dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij creaturæque*, non fiet sacramentum: si non mutet substantialiter, sed solum accidentaliter, ut si dicat *Ego te, vel te Antonium Baptizo &c.* existimans necessariam esse talem repetitionem, vel illud nomen, sacramentum fiet. Quia significationi verborum talis error extrinsecus est.

Resolvit 2. si retento in mente errore hæreticus proferat formam legitimam, v.g. Arianus putans Filium esse creaturam, dicat *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* & Calvinista putans in Eucharistia solum adesse figuram Corporis Christi, proferat veram formam, *Hoc est corpus meum*, distingui oportet: nam si intendat facere quod Christus instituit, & Ecclesia catholica facit, validè sacramentum conficiet: secus si intendat facere secundum suum errorem.

868 Illud denique observandum cum S. *Thoma 3.p.q.60.a.9.* quamvis omnis accidentalis mutatio cum sacramenti valore fiat, nullum fieri sine peccato. Nam in re tanti momenti usum Ecclesiæ omittere, aut præceptum violare, peccatum est. Qualenam, lethale an veniale? paucis accipe. Quoties magna sit mutatio, qualis si omitterentur illa verba: *Qui pro vobis & pro multis effundetur.* Esto non spectant ad essentiam, vel si parva, sit tamen cum scandalo, aut contemptu, peccatum mortale est. Si autem mutatio sit exigua, & absit scandalū & contemptus, solum est veniale. Quod dictum est de peccato mutilationis formæ & materiæ, procedit de mutilatione rituum, quos instituit universalis Ecclesia pro sacramentorum administratione, ut constat ex *Triden. sess. 7. can. 13.* Semper tamen maior culpa judicabitur formam, aut materiam sacramenti a Christo institutam, quam omittere aut innovare ritum Ecclesiasticum.

Mutatio formæ vel materiæ illicita.

QUÆSTIO IIII.

Quanta & qualis fuerit, ac sit necessitas sacramentorū?

Omissa explicatione duplicis necessitatis, medij scilicet & præcepti quæ videri potest in in nostro Elucidario num. 51. postquam essentiam sacramentorum exposuimus, ut eorum scitemur necessitatem, non erit in præsenti nobis sermo de necessitate ipsorum post uniuscujusque institutionem: hæc enim generalis non est, sed in unoquoque sacramento ab ejusdem peculiari institutione desumitur. Igitur agemus modò de necessitate ipsius institutionis, quæquidem non est necessitas simpliciter; cum Deus potuisset hominum salutem operari absque ullis signis sensibilibus: est tamen necessitas secundùm quid, vel secundùm aliquam convenientiam. Hanc scrutabimur discurrendo per singulos status, in quibus fuit homo ante & post naturam lapsam.

Necessitas sacramentorum.

869. Dubium est 1. an futura fuissent sacramenta in statu innocentiæ, in quo vixerunt aliquandiu Adamus & Eva, si ille perseverasset? *Suar. to. 3. in 3. p. d. 4. sec. 3.* affirmat in eo statu futura fuisse sacramēta, posito quòd in eo esset futurus Christus. Negandū tamē absolutè est cum cōmuniori & probabiliori sententia, quam defendunt *Valent. d. 3. q. 2. p. 2. & Vasq. 3. d. 130. cap. 2.* Ratio est, quia etiam si in statu innocentiæ Verbum incarnaretur adhuc non daretur motivum, propter quod de facto instituta sunt sacramenta, quæ peccatum supponunt: deinde nulla ratio cogit asserere danda esse alia quæ peccatum non supponunt.

Dubium est 2 an in statu legis naturæ fuerint sacramenta? Negat *S. Thomas in 4. dist. 1. q. 2. a. 2.* Affirmat *Scotus ibid. q. 3. a. 3.* Dico 1. In statu legis naturæ fuit aliquod remedium a Deo institutum pro parvulorum justificatione. Ita *Vasq. in 3. p. d. 165. c. 1. n. 3.* probat ex SS. Patribus, & ratione, quia si Deus parvulos legis naturę reliquisset absque remedio, quo liberarentur ab originali, censeretur nolle omnes homines salvos fieri, quod dissentaneum est infinitæ illius misericordiæ, & verbis Apostolis ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri.*

Naturæ legis sacramentum

Dico 2. Remediū illud pro mundandis parvulis fuit actus internus ministri conjunctus cum actu externo protestativo fidei Messiæ venturi, & cōsequenter sacramentū: actus verò ille externus nō fuit a Deo in specie, sed in genere tantū determinatus. Ita *Amicus to. 7. d. sp. 3. sect. 3.* qui n. 82. ex *Suario citato disp. 10. sec. 1.* contra *Vasq cit. d. 165. c. 4.* rectè docet non oportere quòd fides illa in Christū fuerit explicita, supernaturalis, infusa, & formata charitate, sed sufficere implicitam, objectivam, etiā informem, quæ continebatur in voluntate universali faciendi quòd faceret Ecclesia.

870. Dico 3. Excepto sacramento deletivo peccati originalis, quod exposuimus, nulla alia fuerūt in lege naturæ sacramenta. Ita Amicus cit. n. 111. Ratio est, quia sacramēta neq; astruēda, neq; multiplicāda sūt absq; sufficiēti authoritate & ratione: pendēt enim ex volūtate Dei instituētis, qui illa sine necessitate non instituet: nulla autē est authoritas in S. Scriptura, & nulla necessitas & ratio, ob quā cōpellamur astruere & multiplicare sacramēta in lege naturę: ergo solum fuit unicum delectivum peccati originali.

Dubiū est 3. Vtrū circūcisio fuerit verū sacramētū, & quale ejusdē munus? Circūcisio in lege scripta instituta nō est, sed in Abrahā cœpit ut illa populus Dei cōgregari inciperet: mānsitq; in lege scripta tanquā propriū Israelitice gentis character. Manet igitur facilis prioris partis dubij resolutio, nēpe circūcisionē fuisse verū ac propriū sacramentum. Traditur a *Suario citato disp. 5. sec. 1.* tanquā certa de fide ex varijs locis *Apostoli in Epist. ad Roman.* Probatur ratione, quia erat signū sensibile a Deo institutū ad significandā invisibilem gratiam, & aliquam sanctitatem causabat.

Circumcisio quid & ad quid fuerit.

Circa alterā partem est duplex sententia: prima asserentium circuncisionem fuisse institutam primariò ut consignaret, consecraretque peculiarem Dei populum, eumque a cæteris gentibus distingueret. Secunda affirmantium Circuncisionem fuisse institutū ad delendū originale pecatū: ita ut

quod remedium legis naturæ de se indifferés erat ad extrinsecam cæremoniam, determinatū fuerit ad ritum circuncisionis pro filijs & posteris Abrahæ. Utranque sententiam rectè conciliat *Suar. to. 3. in 3. p. disp. 5. sect. 1.* Dicens circuncisionem fuisse institutam primariò ad consignandum & distinguendum populum Dei a cæteris populis: secundario autem & consequenter in remedium, quo peccatum originale parvulis remitteretur. Primarius ille finis sumitur ex *S. Pag. Genes. 17. & Apost. ad Rom. 3.* Secundarius ex *Innocent. 3. cap. Maius de Bapt.*

Sacramētorum numerus in lege veteri. 871. Dubiū est 4. quot fuerint Sacramenta in lege veteri, seu Mosaica? Ex *S. Thoma 1. 2. q. 102. a. 5. & Suar. to disp. 5. sect. 2.* bene resolvit *Amicus to. 7. d. 3. sect. 4. n. 119.* In lege veteri solum quatuor extitisse Sacramenta, nempe circuncisionem, cui successit Baptismus. Agnum Pascalē, cui successit Eucharistia? Purificationes, quibus respondet nostrum Sacramentum Pænitentiæ: denique consecrationem Pontificis, reliquorumque sacerdotū, quibus respondet Sacramentum ordinis. De numero septenario sacramentorum novæ legis, diximus n. 860.

QUÆSTIO V.

Quid, qualiter, & quo tempore causent sacramenta?

Effectus sacramētorum. SErmo nobis tantum erit de Sacramentis novæ legis, ut pote solum spectans ad dubia moralia, quæ possunt occurrere decidenda. Quod attinet ad primam quæstionis partem, facilis & brevis est resolutio, scilicet a Sacramentis novæ legis tres provenire effectus, duos communes, nēpe gratiam justificantem cum virtutibus & donis supernaturalibus ipsam gratiam comitantibus, & gratiam sacramentalem diversam in singulis, quæ addit speciale auxilium ordinatum ad proprium finem, cujuslibet Sacramenti: tertius est character, qui datur in solis tribus, nempe Baptismo, confirmatione, ordine.

Gratia collata a sacramētis. 872 Circa secundam partem quæstionis, constat de fide sacramenta novæ legis esse non principales, sed instrumentales causas gratiæ, quam ex opere operato conferunt. Ita ex *S. Pagina, & Trid. sess. 7. can. 6. 7. & 8.* probant *Suar. to. 3. in 3. p. disp. 7. sec. 1. Vasq. 3. p. disp. 131. cap. 1. 2. 3. & Amicus to. 7. di. 4. sect. 6.* Ibi observari debet ex *Suar. disp. 8. sect. 1. & Amico sect. 7. n. 134.* Ut sacramentum conferat gratiam ex opere operato, non sufficere in voto suscipi, sed requiri quód actu suscipiatur. Dubium est causet ne gratiam physicé an solum moraliter? *Vasques disp 132. cap. 5.* pugnat pro concursu morali. *Suar. disp. 9. sec. 2.* cui olim subscripsi, pro cōcursu physico.

Tempus quo sacramenta conferunt gratiam. Circa tertiam quæstionis partem de tempore, quo sacramenta conferunt gratiam, triplex venit in considerationem, primum ante realem sacramenti susceptionem. Secundum in ipsa susceptione: tertium post susceptionem. De primo jam diximus sacramenta ante realem susceptionem in solo voto suscepta non conferre gratiam ex opere operato. De secundo, quod datur in ipsa susceptione, difficultas est, utrùm conferant gratiam tempore, an momento; & si momento, quonam? copulativone ipsius actionis successivæ, an terminativo? Conveniunt Theologi gratiam non produci a sacramento successive, nec in instanti copulativo partium essentialium sacramenti, nempe instanti ultra quod expectatur pars, quæ sit de sacramenti ratione: superest igitur asserere cū *Bellarm. lib. 2. de Sacr. cap. 11. & Suar. d. 8. sect. 2.* Sacramenta conferre gratiam in ultimo instanti intrinseco, in quo essentialiter completur, & perficitur sacramentum.

873 De tertio tempore quod datur post susceptionem, scilicet postquam sacramenta suscepta fuerunt, & jam non existunt, difficultas est, an sacramenta cum fictione suscepta postea revivi scant, itaut recedente fictione, & sublato obice gratiam conferant? Extra dubium est sacraméta quæ imprimunt characterem, scilicet Baptismum, cōfirmationem & ordinem sublato obice reviviscere, & conferre gratiam: ut videre est apud *Suar. disp. 8. sec. 3. & Bellarm. q. 62. a. 1. dub. 5. n. 5. n. 75.* Addunt bené citati authores probabile esse matrimonium, & extremam unctionem sublato obice reviviscere, & certé probabilius in sacramento Pænitentiæ. De venerabili autem sacramento Eucharistiæ probabilius est nullam conferre gratiā, si tollatur obex post consumptas species sacramentales, deficiente Christi præsentia. *Obex in sacramētis.*

Queres, an sacramenta vivorum primam gratiam conferre valeant? Sacramenta mortuorum dicuntur quę fuere instituta ad revocandum hominem a peccato mortali ad vitam gratiæ, qualia Baptismus & Pænitentia. Sacramenta vivorum sunt, quæ fuerunt instituta ad augēdam gratiam, proindeque hominem gratum seu vivum supponunt. Vide *Elucidarium n. 1532. & 1533.* Respondeo igitur ad quæsitum cum *Suario d. 7. sect. 4. & disp. 63. sect. 1. & Amico to. 7. d. 4. sec. 5. n. 106.* Sacramenta vivorum non primariò & per se, sed secūdariò & per accidens habere vim conferendi primam gratiam, & consequenter delendi peccata mortalia. Sumitur ex *Trident. sess. 7. can. 6. & 7.* Ubi de sacramentis absoluté loquens definit ea habere vim conferendi gratiam non ponentibus obicē: qui autem accedit in peccato mortali, quod invincibiliter ignorat habens generalem attritionē, non ponit gratiæ obicem. *Vivorum sacramēta.*

QUÆSTIO VI.

Quænam fuerit causa instituens sacramentorum, & quæ sit causa ministrans.

Sacramētorū causa instituens. 874. CUM sacramenta sint signa ex instituto, duplicem exigunt causam, alteram remotam, quæ scilicet sacramentum imponendo significationem instituat, alteram efficientem proximam, quæ conficiat, & administret. Igitur quoad priorem quæstionis partem sit resolutio, Deus immediaté instituit sacramentum legis naturæ pro mundandis parvulis a peccato ori-

originali: item sacramenta omnia legis veteris: deinde Christus Dominus immediatè instituit omnia sacramenta legis novæ. De sacramentis novæ legis habetur ex Trident. sess. 7. can. 1. De antiquioribus cōstat ex traditis per authores citatos.

Rogabis an pura creatura sacramentum possit instituere? Certa est negativa resolutio, si loquamur de creatura, quæ authoritate propria, & a nullo dependenti instituat. An verò id possit authoritate aliena, scilicet potestate a Deo communicata? Negant *Scotus in 4. dist. 1. q. 3. a. 2. & Vasq. 3. p. disp. 135. c. 2.* Affirmandum tamen est cum *Suario cit. disp. 12. sect. 2. ex S. August. tract. 5. in Ioan.* Probatur, quia nulla apparet contradictio in eo quod Deus promittat alicui rationali creaturæ se daturam gratiam ad illius arbitrium, posito nempe signo quod illa instituerit. Tunc ergo pura creatura posset instituere sacramentum.

Quoad posteriorem quæstionis partem, certū est de fide illum tantum de facto esse posse ministrum sacramentorum, quem Christus instituit. Ita *Valent. q. 5. pun. 3. & Suar. disp. 13. sec. 1.* Dubium est 1. quinam de facto censeantur ministri sacramentorum a Christo designati? Ea fuit insanientis Lutheri impietas, ut asseruerit non solos homines, sed etiam dæmones esse ministros omnium sacramentorum: ex hominibus verò solos baptizatos. Dicendum tamen est cum *S. Thoma 3. p. q. 64. a. 7. & Bellarmino de sacram. in gen. cap. 24.* Solos homines esse sufficientes ac necessarios ministros sacramentorum, ita ut nec creatura irrationalis, nec intellectualis angelica sacramentum ministrare valeat. Sumitur ex varijs locis Sacræ Paginæ, sed præcipuè ex *Apost. ad Ephes. 5. & 1. ad Corint. 4.*

Homines soli ministri sacramentorum.

875 Dubium est 2. utrum quilibet homo sine discrimine cujuslibet sacramenti minister esse possit? Erravit impiè Lutherus quatenus asseruit omnes Christianos esse sacerdotes, atque adeo omnia sacerdotum munia posse obire. Dicendum tamen est cum orthodoxa fide apud *Vasq. 3. p. disp. 138. c. 1.* Quinque sacramenta, quæ ministrum consecratum exigunt, nempe confirmationem, Pœnitentiam, Eucharistiam, Ordinem, & extremam unctionem, non nisi ab hominibus masculis, ijsque consecratis exerceri posse; reliqua duo scilicet Baptismum & matrimonium a quibuscunque etiam sine sexus discrimine.

Ministri sacramētorū qui

Dubium est 3. Utrum homines non solum in via, sed etiam in patria sacramenta ministrare possint? Certum est 1. neque animam separatam, neque hominem damnatum posse ministrare aliquod sacramentum. Certum est 2. si anima post separationem redeat ad suum corpus, illudque verè informet manens in statu viæ, posse tale suppositum ministrare sacramentum. Dixi (ad suum corpus) quia si anima sacerdotis redeat ad corpus fœminæ, neque poterit consecrare, neque absolvere a peccatis. Sola est difficultas circa perfectos homines qui existunt extra viam in anima & corpore gloriosis: an possint conficere sacramenta.

Affirmativa sententia tribuitur *S. Thomæ 3. p. q. 64. a. 7.* & defenditur a *Suario ibid. d. 13 sect. 1. §. Atque ex his omnibus.* Mihi tamen videtur probabilior negativa, quam tuentur *Vasq in 3. p. disp. 134 cap. 5. n. 93. & Bellar. de sacram. q. 64. a. 7. n. 56* Quia juxta S. Paginam sacramentorum administratio committitur solis hominibus viatoribus. Sicut enim pro solis hominibus viatoribus sacramenta fuerūt instituta, ita soli homines viatores instituti sunt eorum ministri.

QUÆSTIO VII.

Utrùm, & qualis intentio faciendi sacramentum in ministro requiratur.

876 PRO resolutione prioris partis adverte 1. intentionem prout a nobis accipitur, esse voluntatem faciendi sacramentum ex quocunque fine extrinseco procedat. Adverte 2. sacramentum sumi dupliciter, vel materialiter pro externo illo actu, v.g. profusione aquæ & prolutione verborum in baptismo, vel formaliter quá sacramentum est secundùm materiam & formā sacramentalem.

Certa igitur & communis sententia est non sufficere intentionem seu voluntatem efficiendi actum illum externum materialem, sed requiri intentionem faciendi sacramentum, qua sacramentum est, vel sub hoc conceptu expresso, vel saltem sub aliqua ratione confusa æquivalenti, ut si quis intendat facere quod Christus instituit, vel quod Christiani faciunt. Ita *Bellar. lib. 1. cap. 27. Vasq. 3. p. d. 138. c. 3. n. 34. & Suar. d. 13. sec. 2* Patet, nam ad conficiendum sacramentum, debet quis agere ut minister Christi: quod sumitur ex *1. ad Corinth. 4.* Ubi Christus dicitur baptizare, & *Ioan. 4.* Ubi dicitur baptizare non per se, sed per discipulos; nemo autem agit ut minister alterius, nisi intendat facere quod alter intendit, ea intentione, qua intendit.

Intentio requisita ad sacramentum.

Maior est difficultas explicare & statuere qualitatem formalis illius intentionis requisitæ. Pro explicatione notandum est duplicem in genere dari intentionem, alteram conditionalem, alterā absolutam: illa fieri potest sub conditione necessaria, vel contingenti, eaque præsenti, præterita, vel futura. Hæc nēpe absoluta, quadruplex est. 1. dicitur actualis, & nōtātū datur quādo minister actu super intentionem suam reflectit, sed etiam quoties actu cogitans quid agat, volens sacramentū administrat.

Intentio quotuplex.

877. 2. Virtualis tunc datur, quando præcessit actualis, quæ jam non existit, aliquid tamen ab ea relictum fuit in quo illa manere censetur, v.g. incipit quis sacrum actuali intentione celebrandi: & postea omnino distractus totum sacrum ordine suo perficit: in hoc eventu censetur perseverare virtualiter illa actualis intentio, quatenus in tali serie omnes actiones ab illa secundum modū agendi humanum procedūt, in ratione imaginationis, quam ipsa prima voluntas applicavit.

Tertia dicitur habitualis, & est duplex, altera quando quis habuit voluntatem faciendi aliquid, & illam non revocavit: talis enim voluntas cen-

sequitur perseverare habitualiter, quandiu non retractatur. Altera quando quis ex repetitione actuũ voluntatis eum habitum acquisivit, ut postea nihil cogitans, sed dormiens, vel ebrius, vel amens ad aliquid faciendum se applicet. Quarta dicitur interpretativa, & habetur in alio, quando quis aliquid vult tantum in causa: ut qui sponte se inebriat prævidens se commissurum homicidium in ebrietate. Tale enim homicidium censetur intentum, seu volitum interpretativè & in alio.

Certum est 1. intentionem actualem sufficere, sed non requiri ad sacramentum conficiendum. Certum est 2. intentionem interpretativam non sufficere ad conficiendum validè sacramentum. Unde sacerdos qui prævidit se in ebrietate consecraturũ, vel absoluturum a peccatis, in illa nec consecrat, nec absolvit validè.

Virtualis intentio sufficit. 878 Dubium est 1. an sufficiat intentio virtualis? Benè ex *S. Thoma 3. p. q. 64. a. 8. & Scoto in 4. dist. 6. q. 6.* Respondent affirmativè *Suar. cit. disp. 13. sec. 3. § Dico 2. & Bellarmin. q. 64. a. 8. dub. 2. n. 7.* Nam sufficit illa intentio ex qua dicitur quis humano modo agere: Christus enim instituit sacramenta, ut humano modo fierent: & quidem humano modo cẽsetur operari, qui in virtute alicujus relicti ex actuali intentione operatur.

Habitualis intentio non sufficit. Dubium est 2. utrùm ad conficiendum sacramentum sufficiat intentio habitualis aliquo ex modis superiùs explicata? Affirmant *Valent. to. 4. d. 3. q. 5. punc. 3. § Intentio autem Henr. in sum. lib. 1. cap. 10. n. 2. & Solus in 4. d. 1. q. 5. a. 8.* Negandum tamen omninò est cum *Vasquio 3. p. d. 138. Suar. disp. 13. sect. 3. Bellarm. citato dub. 2. n. 73. & Amico to. 7 disp. 9. sect. 2. n. 18.* Ratio est, quia intentio sufficiens ad sacramentum debet esse principium proximum sacramentalis actionis, itaut talis actio censeatur ab illa imperari: at intentio habitualis non est principium proximum sacramentalis actionis, cum possit esse in dormiente, qui neque moraliter neque rationabiliter agit.

Conditionata intentio. Dubium est 3. utrùm sufficiat intentio conditionata? Dicendum omninó est ad valorem sacramenti necessariam esse intentionem absolutam, nec sufficere conditionatam, nisi talis sit, quæ statim transeat in absolutam. Ita ex *Suario disp. 13. sect. 3. Amicus sect. 2. n. 16.* Probatur, quia intentio ministri esse debet principium operativum actionis sacramentalis, ac proinde efficax & operativa: qualis esse nequit merè conditionalis, sed sola absoluta, vel conditionalis quæ statim in absolutam transeat, ipsique æquipolleat. Quandiu enim pendet conditio, dari nequit operatio.

Determinatio intentionis. 879. Dubium est 4. utrùm intentio ministri semper dirigi debeat ad certam materiam & personam, ut sacramentum conficiatur? Vera & indubitata est affirmativa resolutio apud *Henriq. lib. 1 cap. 10. n. 6. Suar. to. 3. in 3. p. disp. 13. sect. 3. § sed quæres & Villaloboum ce sacram. tr. 1 cap. 5. n. 79.* Constat ex his formis (Baptizo te. Absolvo te) ubi pronomen ostendit determinatam personam. Et ex forma Eucharistiæ, ubi pronomen (hoc) demonstrat materiam determinatã. Ostenditur ratione, nam intentio necessaria ad sacramentum, operativa esse debet: sed operativa non erit, si sumatur vagè & indifferenter, itaut neque ad certam personam, neque ad certam materiam dirigatur.

Personæ error in sacramentis. Est tamen discrimen inter matrimonium & reliqua sacramenta: nam in matrimonio intentio ita dirigitur & restringitur ad certam personam, ut si alia sit quàm esse existimatur, matrimonium sit nullum: in alijs verò sacramentis intentio solum dirigitur ad præsentem personam & materiam, quæcunque illa sit, dummodo sit capax sacramenti, etiam si per errorem credatur alia. Ratio discriminis est quia propter gravissimum onus, quod in matrimonio suscipitur, ratio postulat, ut contrahentes limitent suam intentionem ad certam personam excludendo reliquas: quæ quidem ratio in alijs sacramentis non militat.

QUÆSTIO VIII.

Qualiter bonus & fidelis esse debeat minister sacramentorum, & quibus præceptis teneatur?

Bonitas & fides ministri ad valorem sacramenti. 880. Nomine bonitatis (ut prior quæstionis pars expediatur) intelligitur non solum quæcumque habitualis virtus, sed etiã actualis honestas ipsius operis, quo sacramentum peragitur. Nomine fidei intelligitur non solum habitualis fides circa alia mysteria, sed etiam specialiter actualis circa ipsum sacramentum quod faciendum est. Quo posito, sit brevis resolutio. Valor sacramenti neque a bonitate neque a fide ministri dependet: atque adeo sacramentum collatum a malo ministro, schismatico, hæretico, vel ab Ecclesia præciso validum est, si dentur cætera requisita. Ita cum *S. Thoma 3. p. q. 64. a. 9. & 10. Bellarmin. lib. 1. de sacram. cap. 26.* & tanquam de fide expressè traditur a *Suario to. 3. in 3. p. disp. 13 sect. 4.*

Constat ex varijs locis S. Paginæ, quos referunt citati authores: deinde ex definitione Tridentini sess. 7. can. 12. de sacr. in gen. & can. 4. de Baptismo: tandem ex ratione, quia sacramenta non accipiunt valorem a ministro, ejusve fide & probitate, sed a Christo, ejusque meritis, ut docet S. August. contra Donatistas: ex quo infertur ministrum sacramenta conficere divina authoritate, seu potestate a Deo accepta: hæc autem nõ tollitur per peccata, cum sit gratia gratis data.

Min. in sacr. sacramentorũ quibus teneatur. 881. Circa alteram quæstionis partem de præceptis, quibus tenetur minister, observandum est, cum sacramenta sint res maximè sacræ, in ijs præcipuè versari illud præceptũ negativũ a virtute religionis profectum, quo jubemur non inferre injuriam, nec tractare indignè res sacras, cui annectitur aliud affirmativũ conditionatũ, nẽpe tractandi dignè res sacras, si eas dispensare vel recipere debeamus. Utrumque rectè expedietur, expeditis sequentibus difficultatibus, ante quas prænotatur non posse ministrare licitè eum, qui validè ministrare nequit, itẽ illũ qui licet validè ministrare possit, tamẽ neque facultatem, neque jus habet ad ministrandum.

1. D. f-

Obligatio ministri sacramentorum. 1. Difficultas est, qualis detur obligatio ministrandi sacramenta? Respondetur cum *Suario to. 3. in 3. p. d. 16. sect. 1.* omissis alijs obligationibus extrinsecis, quæ ex voto, obedientia, & similibus oriri possunt, duplicem dari posse obligationem in ministro sacramentorum, alteram quæ oriatur ex charitate, alteram quæ oriatur ex justitia. Illa est generalis quatenus extenditur ad omnes, qui validé conferre possunt, & pro tempore, loco, alijsve circunstantijs, attenta necessitate tenentur. Hęc solum cadit in illos qui ex officio, vel ratione pacti, promissionis, aut stipendij ministrare tenentur.

Utraque obligatio ex suo genere gravis est, & sub mortali obligat: posterior gravior censetur; cum enim ex justitia commutativa nascatur, restituendi onus illius transgressio interdum inducit.

882. 2. Difficultas est, quid facere debeat minister dubius de potestate, vel jurisdictione? *Dubius potestate qui ministrat sacramenta* Dico 1. si minister sit dubius negativé, ita ut in neutram partem inclinari possit probabiliter, sacramentum licité ministrare nequit. Nam tunc operabitur irrationabiliter, cum se exponat manifesto periculo nihil faciendi. Dico 2. quando minister ita hæsitat pro utraque parte, ut judicet probabilius se habere potestatem ministrādi, si non sequatur injuria tertiæ personę, licité ministrare potest. Quia tunc prudenter agit, cum sequatur judicium humano modo certum, & sufficiens ad regulandas humanas actiones. Dico 3. quando minister ita est dubius, ut probabiliter judicet se habare potestatē, sed oppositum judicet probabilius, non ministrabit licité, nisi gravi causa & næcessitate urgente. Quia extra hujusmodi necessitatē, non agit prudēter exponēs se periculo nihil conficiēdi. Has tres resolutionis tenet & laté probat *Suar. loco citato.*

Gratiæ status ad ministrādū sacramentum. 3. Difficultas est, an teneatur esse in gratia qui sacramenta ministrat? Notandum 1. Ignorantiam, vel necessitatem gravem urgentē excusare a peccato mortali illum qui in peccato mortali sacramentū ministrat. Notandū 2. solum sacerdotē peccati mortalis sibi cōsciū teneri se ponere in gratia per confessionem, antequam, celebret. Notandum 3. sacramentum dupliciter ministrari posse, primò per se, ut quando confertur a ministro, qui ex officio deputatur & consecratur ad tale ministerium, vel ad sacramentum proprio ac solemni ritu ministrandum: veluti quando sacerdos pænitentiæ sacramentum confert, vel baptismum solemniter ministrat: secundò per accidens, ut quando laicus privatim in necessitate baptizat.

883. Dico 1. qui sacramentum ministrat tanquam minister per se ad illud deputatus, tenetur se disponere ad gratiam, ut licité ministret: aliter peccabit mortaliter, si sciens in statu peccati mortalis ministret. Ita S. *Thoma 3. p. q. 64. a. 6. & Suario in 3. p disp. 16. sec. 3. Fillimcius tr. 1. c. 5. n. 86.* Habetur ex *cap. Necesse est 1. q. 1.* & ratione, tum quia sic agit contra suam consecrationem, tum quia sancta non tractat sancté, tum quia agens ut instrumentum, non se cōformat suæ causę principali, scilicet Christo authori. Unde sacerdos conferens in peccato lethali quodlibet sacramentū, etiam baptismum solemniter, peccat lethaliter, nisi excusetur ratione urgentis necessitatis.

Dico 2. qui ex accidenti & non ex officio, confert sacramentū, v. g. in necessitate laicus, vel sacerdos privatim baptizat, non tenetur se præparare ad gratiam, ut illud ministret. Ita ex *Valen. to. 4. d. 3. q. 5. p. 3. & Suar. t. 3. in 3. p. d. 16. sec. 4. Filliu. de sacr. tr. 1. c. 5. n. 85.* contra *Vasquum 3. p. d. 136. c. 3. n. 26.* Ratio est, quia non videtur dari tanta obligatio in eo qui ex necessitate, quantá in eo qui ex officio, & peculiari deputatione ministrat.

Infertur 1. licèt contrahentes matrimonium in peccato mortali peccent prout sacramentū suscipiūt, non peccare mortaliter prout illud sibi invicem ministrant. Unde a fortiori non tenetur sacerdos esse in gratia dum assistit matrimonio, & cōtrahentes benedicit. Infertur 2. ministrū qui nō cōficit sacramentū, sed conficientē adjuvat, licèt ex officio id faciat, non teneri sub mortali ad suum munus in gratia obeundum.

884. Infertur 3. non peccare lethaliter Episcopum vel sacerdotē ex officio sacramētalia conficientē in peccato mortali, v. g. chrisma, dantem primā tonsurā, ministrantē consecrationē tēpli, calicis, & aquæ benedictæ: neq; diaconū & subdiaconū solēniter canentē Evangeliū vel Epistolam, secluso scandalo. *Sacramētalū ministratio.* Idem affirmandū de concionāte, de prælato etiam per censuras corrigente subditū, & de judice ferente sententiā: quanvis hi omnes id faciant ex officio: sintq; ad prædicta munia deputati & consecrati. Infertur 4: non esse lethale prædictos actus sæpius & longo tēpore in peccato mortali exercere: nec etiā venerabile sacramentum tāgere, non ut alijs distribuāt, sed ut vel hostiā de loco in locum mutet, vel in processione deferat, vel elevando populo benedicat, vel a fortiori lapsam ab humo elevet. Sic ex citatis authoribus.

Distractio in cōficiendo sacramētis 4. Difficultas est, an & qualiter peccet minister qui distractus conficit sacramentū? voluntariam mentis distractionē in confectione sacramentorū, excepta S. Eucharistia, non lethalē, sed solū venialē rectè arbitratur noster *Tamburinus de sacram. lib. 1. cap. 1. n. 5.* Quia non videtur gravis irreverentia, si absit contēptus, qualis virtualiter daretur, si minister semper proferret oscitāter & distractè se habere. Hæc generalis resolutio procedit etiam in confectione Extremæ unctionis, cujus forma tota deprecatoria est, proindeq; rationē veræ orationis continet. *Oratio cū distractione.* Quia apud *Leonem de Euchar. d. 22. sec. 2. a n. 25. & Bellanum de sacr. in. q. 88. a. 6. dub. unico a n. 289.* satis probabile est in oratione etiam ex obligatione facienda voluntariam distractionem non esse lethalem.

Dixi, (excepea S. Eucharistia) quia *Tamborinus de sacrif. Missæ lib. 2. cap. 3. n. 9.* existimat peccare mortaliter sacerdote qui cōsecrat cum voluntaria distractione, propter gravem irreverantiam, quæ Deo fit, dum in sacrificio opere omniū prętantissimo, alio animam intendit sacrificans. Ego, salvo meliori judicio, non auderem reum culpę lethalis asse-

asserere eum qui semel voluntarie distractus consecraret: secus, si multoties.

Ritus servandi in sacramentis. 885. Difficultas est, quomodo teneatur minister in sacramentis observare ritum ex solius Ecclesiæ institutione decretum? Ex *Tridentino sess. 7. can. 13. de sacram. in genere*, recte *Suar. to. 3. in 3. p. d. 16. sec. 5.* tradit tanquam de fide, esse præceptum in Ecclesia, ut ministri sacramenta ministrent servata solemnitate, & ceremonijs ab Ecclesia præscriptis. Dubitatur, sit ne sẽper lethalis hujusmodi præcepti transgressio? Recté negat Suar. loco citato. Quia præceptum illud pertinet ad virtutem religionis, cujus obligatio ex suo genere gravis censetur: acproinde pro ratione materiæ gravis aut levis, graviter aut leviter obligat.

Roganti quando judicanda sit materia gravis & quando levis? respondemus nullam ad hoc posse præscribi regulam infallibilem: sed prudentis arbitrio id relinquendum esse. Oportebit tamen advertere cæremonias institutas propter sacram significationem culpabiliûs omitti, quàm illius, quæ ad ornatum & decentiam pertinent: similiter ex his graviores esse, quæ respiciunt locum & tempus, cum hæ ad externum ornatum valde conferant. Denique cum prædicta obligatio sit humana, minor est quàm illa quæ oritur ex præcepto divino: acproinde cessare potest ob necessitatem urgentem, ut quandoque accidit in baptismo.

QUÆSTIO IX.

Qua requiratur capacitas & dispositio in recipiente sacramentum, ut valide recipiat?

Sacramẽtorum capacitas in quibus. 886. Prior resolutionis pars de capacitate, per duplicem resolutionem decidetur. Sit 1. resolutio. Soli homines viatores sacramentorum capaces sunt. Tanquam certa ex principijs fidei defenditur a *Suar to. 3. in 3. p. disp. 14. sect. 1.* Resolutio cum sit exclusiva, habet duas partes. Prima est affirmativa quæ asserit homines esse capaces sacramentorum: & patet quia Deus instituit sacramenta pro salute hominum: supponitur ergo capacitas in hominibus, ut recipiant.

Viatores qui. Secunda est negativa, & dum solos homines capaces asserit, triplicem capacitatem negat, primam creaturis irrationalibus, secundam angelis, tertiam hominibus extra viam positis. Pro hujus tertiæ explicatione notabis extra viam censeri non modo illos qui adhuc producti non sunt, & qui ita sunt corrupti, ut nihil eorum in hac vita superfit, sed etiam (ut docent *Suar. disp. 14. sec. 1. §. Dico 2. & Henr lib. 2. cap. 21.*) pueros in utero. Quanvis enim puer in utero coram Deo sit viator, quatenus est persona a matre distincta, capax originalis culpæ, & sanctificatioris, si Deus illam conferre velit, tamen quoad nos viator non est: cum nequeat attingi visibiliter a ministris Ecclesiæ.

Capaces sacramẽtorũ qui. 887. Sit 2. resolutio. Omnes homines viatores sunt capaces alicujus sacramenti: omnes etiam spectata natura humana secundûm capacitatem naturalem sunt capaces omnium: secundûm vero capacitatem moralem, ex Christi & Ecclesiæ limitatione, sunt capaces aliquorum, & non omnium. Constat priores resolutionis partes. Explicatur tertia, nam Baptismi capaces sunt omnes homines immediaté; aliorum veró sacramentorũ nullus nisi baptizatus capax est. Sacramentum confirmationis & Eucharistiæ post baptismum etiam pueris conferri potest: posse etiam utrumque conferri amentibus, docet *Henriq. lib. 1. cap. 21, n. 5* & Supponit *Suar. d. 14. sec. 1. & 2.* Extremæ unctionis incapax est puer ante usum rationis, item qui caret morbo, senio aut vulnere periculoso, quanvis statim occidendus sit. Ordinis incapax est fæmina, & qui dubio sexu ad eam inclinat. Matrimonij sunt incapaces pueri ante usum rationis, sacris initiati, professi in religione approbata, religiosi Societatis etiam ante solemnem professionem: eunuchi, aut maleficiati, quorum impedimentum facta diligentia constat esse perpetuum: denique consanguinei in primo gradu, ut parens cum prole, & frater cum sorore.

Quoad posteriorem partem de dispositione in ordine ad valorem, non est quæstio de Eucharistia; quia hæc cum consistat in re permanente, semper, etiam sine intentione validé recipitur. Idem procedit de infantibus & perpetuò amentibus, etiam in ordine ad alia sacramenta. Sunt enim incapaces proprij consensus, & volitionis aut nolitionis liberæ: cum tamen illis hodie conferatur baptismus, & olim confirmatio atque Eucharistia conferri soleret. *Dispositio sacramẽtum.*

888. Dubium est circa adultos, utrum ad valorem sacramenti quod exercetur per modum actionis transeuntis in illis requiratur intentio? Affirmativa sententia, quæ vera est, ex S. *Thoma 3. p. q. 68. a. 7. & S. Bonav. d 4. a. 2. q. 1.* defenditur a *Suar. disp. 14. sect. 2. & Bellano a. 8. dub. 5. n. 100.* Sumitur ab *Innocentio 3. cap. Maiores §. Item quaeritur, de bapt.* & ex traditione Ecclesiæ, quæ semper in adultis exigit consensum. *Intentio in recipiẽte sacramentum.*

Roganti qualisnam intentio postuletur & sufficiat, ut in adulto recipiente, sacramentum validé conferatur? Bené respondet *Suar. disp. 14. sect 2.* requiri intentionem formalem, vel saltem interpretativam, quæ cum virtuali aut habituali coincidat. Hæc resolutio absoluté & in genere prolata per sequentes exponetur. 1. sit: Adultus qui ratione aliquando usus est, invalidé suscipit sacramentum quod nullo modo expetijt. Ita Zachius de Bapt. cap. 6. prop. 5. Nam qui sacramentum nunquam expetit, nullam omninò habuit intentionem. 2. resol. Non exigitur ad valorem sacramenti, ut quis illud actu intendat, quando suscipit: sed sufficit ut id aliquando actu intenderit, & hanc voluntatem nunquam revocaverit. Ita *Bellan. q. 64. a. 8. dub. 5. n. 102.* Sumitur ex *Concil. Arausic. 1. c. 12.* & *Carth. 3. c. 34.* *Intentionis qualitas ad sacramẽtum.*

Observat tamen citatus *Bellan. n. 103. 104. 105.* ad sacramenta pænitentiæ & ordinis necessarió requiri quód præcesserit intentio explicita, ex eo quód actus pænitentis sunt pars hujus sacramenti: & ordo magnam status mutationem continet: *Implicita intentio in sacramentis.*

tinet:

tinet: ad baptismum veró, extremam unctionem, & confirmationem sufficere quód in recipiente implicita intentio daretur.

889. Unde citatus author existimat ad baptismum sufficere quód quis velit fieri Christianus, qualis censetur omnis qui veram contritionem aut attritionem de peccatis habuerit; quanvis nihil unquam de baptismo audierit. Similiter ad confirmationem & extremã unctionem credit sufficere quòd post baptismum pié & catholicé vivat, & non sciatur certó esse in peccato mortali. Nam qui ita vivit censetur velle omnia sacramenta, quæ pro salute animæ ab Ecclesia conferri solent.

3. resol. Ad sacramentum valide suscipiendum neque sufficit intentio merè interpretativa & indirecta, neque conditionata sub conditione de futuro. Ita Bellan. cit. n. 106. & 107. Constat prior pars, quia voluntas merè interpretativa & indirecta stare potest cum expressa contraria: nam potest quis habens expressam voluntatem non recipiendi baptismum, sponte se inebriare prævidens fore ut in ebrietate baptizetur. Constat posterior, quia per intentionem de futuro suspenderetur sacramentum, quod fieri repugnat.

Dispositio ad sacramenta. Quid de dispositione per actus fidei, & aliarum virtutum? Certa omninò, & inter catholicos indubitata sententia, quæ traditur a *Suarto disp. 14. sect. 2.* docet, excepto sacramento Pœnitentiæ, in reliquis nullam dispositionem fidei, aliarumque virtutum requiri, ut sacramentum validé recipiatur. Pænitentia excipitur, quia in hoc sacramento actus supernaturales recipientis, pertinent ad illius materiam, quæ consurgit ex peccatis confessis detestatis, ac proinde ad pænitentiæ valorem necessarius est dolor pænitentis & si quis alius actus ad hunc dolorem postulatus.

QUÆSTIO X.

Quæ postuletur dispositio in suscipiente ut sacramentum cum fructu recipiat?

Doctrina communis & tenenda, quam ex *S. Thom in 4. d. 6. q. 1. a. 3.* tradunt. *Vasq. 3. p. d. 158. c. 4. & Suar. to. 3. in 3. p. disp. 7. sect. 4.* Docet ad Baptismi & Pænitentiæ effectum recipiendum sufficere attritionem: ad cætera sacramenta pere loquendo exigi contritionem, interdum tamen attritionem sufficere. Hæc doctrina patebit explicata per sequentes resolutiones.

Dispositio ad sacramentorum effectum. 890. 1. resol. Ad recipiendum effectum Baptismi, & pænitentiæ necessarius est aliquis actus recipientis, quo se ad illum præparet: ad effectus veró aliorum necessaria & sufficiens est gratia, santificans. Prior pars est de fide, ex *Triden. sess. 6. c. 5. & 6.* & patet ratione, quia decet omninò, ut qui per actum voluntatis liberè a Deo ad creaturam conversus est, se iterum ad Deum per actum voluntatis liberè se convertat. Posterior constat, nam ad recipiendam gratiam collatam ex opere operato, qualis confertur per dicta sacramenta, non exigitur actio bona & meritoria, sed solum ut tollatur obex, qui per gratiã sanctificántem sufficienter tollitur.

Adultus ad fructũ sacramenti. 2. resol. Ad sacramenti effectum accipiendum a peccatore, nequaquam sufficit actus voluntatis meré naturalis. Ita *Ægid. Bellanus q. 62. a. 1. dub. 2. n. 26.* Qui existimat esse veritatem definitam a Concilio *Milevitano cap. 4. & Arausicano can. 7.* Satisque probatur ex Triden. sess. 6. can. 3. 3. Resolutio. Adultus accedens ad baptismum sine peccato mortali cum solo originali, ut capiat fructum, indiget actu spei vel alio perfectiori, & nullo propriæ pænitentiæ vel doloris. Ita *Vasq. 3. p. d. 128. c. 1. n. 2. & Suar. disp. 28. sec. 1.* Ratio est quia Deus in suam amicitiam non recipit ex adultis, nisi eum qui talem amicitiam cum proposito perseverandi serio desideret: deinde pænitudo & dolor cadere debet in peccata propria, quale non censetur originale.

891. 4. resol. Ut adultus existens in peccato mortali comparet gratiam per Baptismum & pænitentiam, sufficit tũ ex parte medij, tũ ex parte præcepti, quód habeat perfectam attritionem, etiam cognitam ut talem. Ita citati authores ex *Trident. sess. 14. cap. 4.* Et ratione: nam Baptismus & pænitentia dici solent sacramenta mortuorum, ex eo quód inveniant subjectum mortuum, illudq; vivificent: sed si omninó exigerent contritionem, semper invenirent subjectum vivum, sola enim contritio vivificat: ergo cum sola attrione causant gratiam.

5. resol. Ut adultus sibi conscius peccati mortalis comparet gratiam per quinque alia sacramenta, saltem necessitate præcepti exigit veram contrionem. Ita Henr. lib. 1. c. 22. n. 6. Suar. cit. d. 7. sec. 4. §. Occurrebat & Bellanus n. 39. Suadetur, quia dicta sacramenta id circo appellantur vivorum, quia in recipiente vitam supponunt, ut patebit discurrenti per singula: neque enim sunt instituta ad conferendam primam gratiam, sed ad ejus augmentum: atqui per solam contrictionẽ peccator comparat gratiam, ergo contritio exigitur. Dixi (saltem necessitate præcepti (quia per accidens possunt conferre gratiam (ut cum *Navarro c. 22. n. 3. docet Suar. citatus*) accedenti, cum sola attritione: si v. g. invincibiliter aut ignoret se esse in peccato mortali, aut putet se esse contritum.

QUÆSTIO XI.

Utrùm liceat accipere sacramenta ab indigno ministro, itaut ejus indignitate non obstante fructus sacramenti recipiatur?

Sacramenti acceptio ab indigno ministro. PRO quæstionis multiplici resolutione notabis, quatuor modis posse ministrum peccare in administratione sacramenti. 1. quia illi deest necessaria facultas, jurisdictio, aut quid simile, ne possit licité, vel etiam validé administrare sacramentum. 2. quia licet potestatem habeat ministrandi validé, de facto tamen non est administraturus validé propter malitiam: quod hæreticis interdum accidit. 3. quia ob censuram illi ministrare prohibitum est. 4. quia ex sua malitia in peccato ministrabit, cum possit peccatum abjicere, ut licité ministret.

892. Sit. 1. resol. Nunquam licitum est accipere sacramentum a ministro qui, in administratione peccaturus est vel primo modo ex defectu potestatis, vel secundo modo, ministrando invalidè ex malitia, & si validè ministrare posset. Ita *Suar. to. 3. in 3. p. disp. 18. sect. 1. §. suppono 1. Bellanus de Sacram. q. 6. p. a. 6. dub. 2. n. 74. & Fillluc. tr. 1. de sacr. c. p. 8. n. 71.* Ratio est, quia sic petens & accipiens cooperari actioni sacrilegæ, & intrinsecè malæ in materia gravi: ergo peccaret mortaliter.

Sacramētorū susceptio ab excomminicato, & hæretico. 2. resol. Licitum est petere & accipere sacramēta ab excommunicatis toleratis, si parochi sint, si id postulet aliqua necessitas & notabilis utilitas recipientis. Ita *Hen. de sacr. cap. 30. n. 3. & Bellanus citat. n. 49.* Sumitur ex Bulla Martini V. quam citat *Sotus in 4. d. 22. q. 1. a. 4.* Ubi decernitur neminem in posterum teneri ejusmodi excommunicatos vitare in sacramentorum administratione & susceptione. Nomine excommunicatorum intelligit *Suar. disp. 18. sec. 1.* Etiam hæreticos, quandiu ab Ecclesia non declarantur.

Hæc doctrina quamvis habeat præcipuum locum in subdito erga parochum, a quo subditus habet jus petendi & recipiendi sacramentum, extendi potest ad non subditum erga non parochū, qui aliunde habeat jurisdictionem. Hoc probabile credit *Bellanus n. 49.* ubi citat *Suar. de censur. disp. 11. sect. 4. Sa V. Sacramenta & Can. ac. ab. auream de sacram. in gen. cap. 15.*

893. 3. resol. Non licet accipere sacramenta ab excommunicatis non toleratis, aut notorijs clerici percussoribus, nisi solum baptismum & pœnitentiam in articulo mortis. It. *Bellan. citat. n. 46.* Ratio est, quia Ecclesia præcipit nobis non communicare cum illis, præcipue in rebus sacris, & solum excipit baptismum & pœnitentiam in articulo mortis, in quo proinde solum hæc duo sacramenta, & non alia a præscriptis recipi possūt. Vide *Sayrum de censur. disp. 11. sect. 1. a. 2.*

4. resol. In quarto modo, quando scilicet minister posset licitè ministrare, tamen in peccato ministraturus est, sive parochus sit, sive non: sive omninò paratus ad ministrandum, sive non paratus, potest quis ab eo licitè petere & accipere sacramentum, quando id notabilis necessitas aut utilitas exigat. Ita *Suar. to. 3. in 3. p. disp. 18. sect. 1. & disp. 72. sect. 4. & Fillluc. tr. 1. cap. 8. n. 152.* Quia unicuique licitum est ad suum commodum capiendum, vel detrimentum vitandum, petere & accipere quancunque actionem, quæ non est necessariò cōnexa cum malitia.

QUÆSTIO XII.

Quæ præcepta absoluta observari debent a recipiente sacramentum?

Recipiens sacramentum ad quid teneatur. PRæcedenti quæstione exposuimus præcepta respectiva, scilicet recipientis in ordine ad conferentem; exponamus modò absoluta, quæ nēpe spectant ad ipsum recipientem. Advertendum tamen est, illa continere duplicem obligationem, quarum prima versatur circa sacramenta recipienda, secunda circa modum recipiendi.

894. Pro explicatione primæ, sit 1. resol. Ad sacramentorum usum tam divino, quàm Ecclesiastico præcepto tenemur. It. *Suario to. 3. in 3. p. disp. 17. sect. 1.* Probatur, nam Christus instituit sacramenta ad medelam animarum, in ordine ad salutem fidelium, & bonum regimen totius Ecclesiæ: ad talem igitur comparandum finem, illis, adjungi præceptum oportuit. Quale & quantū, patebit in singulis, quando egerimus de illis. 2. resol. Etiam si aliquando peculiare, alicujus sacramenti præceptum non obliget, potest quis teneri ad usum talis sacramenti ex circunstantia, vel fine extrinseco. Ita *Suar. cit. d. 17. sect. 3. §. Dico 2.* *Præcepta de recipiendo sacramētis* Ratio est, quia sacramenta possunt aliquando judicari media valde accommodata & moraliter necessaria ad fines extrinsecos occurentes, v. g. ad superandam tentationem poterit censeri necessarius Pœnitentiæ, & Eucharistiæ frequens usus. Quo eventu tenebitur quis, ne in peccatum incidat, sacramentum recipere.

Pro explicatione secundæ obligationis, quæ versatur circa modum recipiendi sacramenta, sit 3. resol. Recipiens sacramentum tenetur ex præcepto non solum applicare illa omnia quæ ex sua parte ad valorem sacramenti necessaria sunt, sed etiam adhibere decentem modum, qui vel ex natura rei, vel speciali Ecclesiæ mandato præscribitur. Traditur a *Suario to. 3. in 3. p. disp. 17. sect. 2.* & patet ex terminis.

4. resol. Accedens ad sacramentum tenetur esse capax effectus principalis, scilicet gratiæ sanctificantis: unde tali effectui obicem ponere est peccatum mortale, nisi excuset invincibilis ignorantia. *Obex in sacramentu.* Ita Suar. citat. sect. 3. Constant ex S. Pagina: nam quod Apostolus ait de recipiente Eucharistiam 1. ad Corin. 11. *Qui indignè manducat & bibit, judicium sibi manducat & bibit.* Ad reliqua sacramenta ob paritatem rationis extendi potest.

895. Ex dictis colligitur recipientem sacramentum, si accipiatur absolutè sine ullo ordine ad ministrantem, posse commitere triplex sacrilegium in recipiendis sacramentis. Primum erit, si recipiat sacramentum, cujus non est capax. Secundum, si absque intentione recipiat. Tertium, si ponat obicem principali effectui, seu gratiæ sacramenti.

QUÆSTIO XIII.

Quid sit sacramentale? a quo institutum? & ad quem effectum?

Sacramētale quid SAcramentalia a sacramentis nomen habent, & dicuntur actiones vel circunstantiæ religiosæ, quibus Ecclesia utitur in administratione sacramentorum, vel in sacrificij oblatione, præter illa quæ sunt de essentia Sacrificij, vel sacramenti, ut se habent in Baptismo exorcismus, unctio, & similia. Quare in hunc modum sacramentale describi potest. Est actio exterior religiosa, aut circunstantia seu conditio ejus, instituta ad ornatū, vel debitum cultum sacramentorum, aut sacrificij. Hæc pro prima parte quæstionis.

Quod

Quod attinet ad 2. quanvis Christus Dominus immediatè non instituerit sacramentalia, contulit tamen suæ Ecclesię potestatem illa instituendi, nempe sacramentales cæremonias, quas proinde partim Apostoli, partim eorum successores instituerunt. Constat ex *Trident. sess. 7. can. 13. & sess. 21. cap. 2.* Quod proinde de fide esse tradit *Suar. citat. disp. 15. sect. 3. §. Dico ergo.* Unde sicut ad Ecclesiam pertinet sacramentalia instituere, ita & illorum ministros designare.

Sacramētalium effectus. 896. Maior est difficultas circa tertiam quæstionis partem de effectibus sacramentalium, non quidem ex opere operantis, sed si qui sint per modum operis operati. Venire possunt in considerationem 1. gratia habitualis 2. auxilium vel excitatio gratiæ prævenientis 3. remissio culpę saltem venialis 4. remissio pœnæ temporalis quæ manet post culpā, 5. expulsio vel cobibitio dæmonis, ne offendat, 6. temporale aliquod beneficium, ut sanitas, vel tempestatis mitigatio.

Dico 1. Per sacramentalia non confertur gratia habitualis ex opere operato. Ita *Sua. to. 3. in 3. p. d. 15. sect. 4. & Æged. Bellan. q. 71. a. 3. dub. un. n. 21.* Nam effectum ejusmodi præstare est proprium sacramentorum legis novæ. Dico 2. Nulla sacramentalia habent vim ex opere operato conferendi auxilium spirituale: possunt tamen naturaliter per modum objecti excitare fideles, qui eorum institutionem & consecrationem noverint ad quandam pietatem & reverentiam. Deus etiam per modum impetrationis specialiter confert aliquem effectum ad quem in sua benedictione specialiter ordinātur per orationem Ecclesiæ. Ita citati auhores.

Dico 3. Sacramentalia non præstant tertium effectum, scilicet remittendi peccata mortalia, aut venialia ex opere operato. Ita citati authores, & præter illos *S. Thomas 3. p. q. 87. a. 3. & Petrus Soto de pænit. sect. 18.* Ratio est, quia Ecclesia, a qua sacramentalia instituuntur, nō habet potestatem instituendi aliquid quod ex opere operato peccata etiam venialia remittat. Unde effectus remittendi venialia qui a nonullis tribuitur aquæ lustrali, intelligendus est comparatiā Deo per modum impetrationis: & quia per aquæ lustralis inspersionem excitatur in nobis pius aliquis motus & quædam virtualis peccatorum displicentia. *Venialiū remissio aquam lustidem.*

897. Dico 4. In Ecclesia datur potestas ad applicandum ex suo thesauro aliquam satisfactionem, propter quam ultra meritum, & satisfactionem operantis remittatur aliqua pœna temporalis. Unde potuit S. Pontifex concedere dictam satisfactionem utenti aliquo sacramentali: concessisse tamen de facto non constat, ut docet *Suar. cit sect 4. s. circa 4.*

Potestas Ecclesiæ in dæmones. Dico 5. Nonnulla sacramentalia præstant quintum effectum, scilicet cohibendo & fugando dæmones. Sumitur ex *S. August. lib. 10. de civit. cap. 22. & Lactancio lib. 2. c. 16.* Nam Ecclesia habet a Christo specialem potestatem in dæmones, ut eos expellat vel coerceat, juxta illud Marci 16. *In nomine meo dæmonia ejicient*, & Lucæ 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnē virtutem inimici.* Ecclesia autē applicuit hujusmodi potestatē nōnullis sacramētalibus, v.g. aquæ lustrali & exorcismis, ut tenēt citati authores

Tempestatis & animaliū fugatio. Dico 6. Nonnulla sacramentalia præstant sextum effectum scilicet beneficium temporale, quale v.g. est corporis sanitas, fuga animalium nocivorum, & procellæ tranquillatio. Ita *Suar. disp. 15. sect. 4. s. circa sextum & Bellanus citatus n. 33.* Probatur, nam Ecclesia instituit aliquas benedictiones & cæremonias ad hujusmodi effectus impetrandos, ut laté prosequitur *Waldensis to. 3. de sacram. cap. 163.* Ergo illos directé præstabunt per modū impetrationis. Dixi (directé) quia etiam per accidens & indirectē sacramentale aliquod, v.g. exorcismus potest removendo prohibens, nempe dæmones, causare mitigationem tempestatis, quam ipsi dæmones immittebant.

SECTIO II.
De Baptismo.

QUÆSTIO I.

Quid sit baptismus, qualis illius institutio, & necessitas?

Baptismus quid & quotuplex. 898. NON inquirimus de multiplicitate baptismi: quia certū de fide est, si loquamur de baptismo qui est sacramentum, unū tantū esse, juxta illud Apostoli ad Ephes. 4. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Et nobis modo exponentibus sacramenta sermo pręcipuus esse debet de baptismo sacramento, quod appellatur baptismus fluminis? Nā baptismus flaminis & sāguinis, quāvis baptismi vices suppleát, sacramēta nō sūt: est enim baptismus flaminis (de quo in *Elucid. n. 1545*) idē atq; Spiritus Sācti, qui flamē appellatur, & idē valet atque baptismus charitatis & pænitentiæ, quando quis per actum charitatis, seu contritionis, cum proposito suscipiendi baptismum sufficienter disponitur ad gratiam 1. de quo agemus in tract. 39. baptismus sanguinis est martyrium, de quo in ultima quæstione hujus sectionis. *Flaminis & sanguinis Baptismus.*

Baptismi definitio. Igitur baptismus fluminis, quod est verum sacramentū, immo principium & janua sacramentorum, recté definiunt Theologi cum *Magistro in 4. dist. 3.* in hunc modum: *Est ablutio corporis exterior a Christo instituta ad regenerationem spiritualem sub præscripta forma verborum, cum debita intentione.* Dicitur *ablutio*, quanvis alicubi fiat, & fieri possit per immersionem, quia per baptismum sordes peccatorum abluuntur & purgantur. De his tamen quæst. 2. Dicitur *instituta ad regenarationem spiritualem*, ut distinguatur a baptismo Ioannis, qui non fuit verus baptismus, nec verum sacramentum, juxta *S. Thom. in 4. d. 3. & Bellarm. de baptismo lib. 1. cap. 20.* Quia non conferebat gratiam justificantem, sed solum disponebat ad illam.

Baptismi institutio. 899. Quod attinet ad institutionem, de fide est Christum instituisse sacramentū baptismi, sicut & reliquū, ut definit *Triden. sess. 7. can. 1.* Difficultas est circa tempus, quo fuit institutum. Nam graves authores cū *Tertul. lib. de Baptismo c. 11. n. 86. &*

Ruperto lib.4.in Ioan. c.3. dicunt fuisse institutum post resurrectionem, quando præcepit discipulis, *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij*, & *Spiritus Sancti.*

Dicendum tamen est cum sententia communi, longéque probabiliori, quam ex Ss. Patribus defendunt *Vasq.disp.140.c. 3. Suar. disp.19.sect 1. & Palaus tract. 19.disp un pun. 2.n.1.* Christum Dominum ante suam mortem instituisse baptismũ. Suadetur ex illo Ioan. 1. *Post hac* (inquit) *venit Iesus. & discipuli ejus in Iudaam terram, & ibi demorabatur cum eis, & baptizabat.* Ex quibus rectè colligit *Suar. cit.sect.2.* baptismum non fuisse institutum ante quam Christus a Joanne baptizaretur, sed ipsomet die quo baptizatus fuit. Nam materia id est aqua tunc sanctificata, & forma ob S. Trinitatis præsentiam designata est.

Quod attinet ad necessitatem, quæ duplex, est altera medij, alterá præcepti, de quibus in nostro *Eludic.n.51.* sit 1. Resolutio. Baptismus est necessarius necessitate medij, in re, vel saltem in voto, quando in re suscipi nequit. Ita *Valent.to.4.disp.4. q.3.p.4. Reginal.lib. 27.n.7.& Sayrus lib.1.de sacram. cap.8.q.2.a.1.* Sumitur ex illo Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poterit intrare in regnum Dei.* Si ergo defectus baptismi in re, aut voto suscepti, impedit consecutionem salutis, plane sequitur ipsum esse medium ad salutem.

Necessitas baptismi.

900. 2.resolutio. Baptismus est necessarius necessitate præcepti. Ita præter citatos Bonacina de bapt.q.2.p 2. n.4. Summitur ex illo *Math. 28. Docete omnes gentes baptizantes eos &c.* Cum enim Christus præcipiat Apostolis ut baptizent, consequenter præcipit gentibus ut velint baptizari, ut obtineant salutem, ad quam ex præcepto naturali divino obtinendum teneutur.

Dubium est 1. quando inceperit obligare præceptum suscipiendi baptismum? *Bonacina citatus n.11.& 12.* Bené redpondet 1. non incepisse statim atque baptismus institutus est: imó neque ante mortem Christi. Quia jugum Christi, cum sit suave, & lex vetus duraverit ante illius mortem, non est credibile voluisse pijssimum Dominum, ut homines eodem tempore duplici lege tenerentur. Respondet 2. obligationem baptismi respectu eorum, quibus baptismus fuerat promulgatus, cæpisse post Christi passionem. Quia tunc cessavit lex vetus, & incepit nova, ut constat tum ex scissione veli templi: tum ex illis verbis *consummatum est.* Respondet 3. obligationem baptismi generaliter, & quoad omnes incepisse post sufficientem Evangelij promulgationem factam orbi universo. Vide *Vasq.3.p.d.149.c.3.*

Dubium est 2. quas personas comprehendat obligatio baptismi? Respondetur 1. cum *Suario disp.31.sect.2.& Filiucio tr.2.c.6.q.5.n.130.* obligari adultos, ut baptismum recipiant quám primũ commode & digné possint, vel saltem ut non differant longo tempore. Ratio est quia cum per baptismum tollatur originale, regeneretur homo, & fiat membrum Ecclesiæ, sitque sacramentum necessarium ad spiritualiter vivendum, obligat adultos, etiam ante mortis articulum.

Præceptũ de suscipiendo baptismũ

901. Respondetur 2. obligari parentes ad curandum ut filij & domestici baptizentur quám primum. Nam tenentur consulere necessitatibus familiæ. Unde *Bonacina citatus p.2.n.6.* testatur Concilio *Mediolanensi n.1 p.2.* ferri excommunicationem contra eos qui non curant baptizari infantem ante nonum diem. Nam (ut docet *Suar. sec.2.*) potest Ecclesia suo præcepto determinare tempus ut baptizentur filij Christianorum: quia ratione parentum, acquisivit jus in filios. *Bon.cit.* putat non peccare mortaliter qui baptismum infantis per tres vel quinque dies differat, si absit mortis periculum.

Infertur 1. catechumenum, quanvis in gratia sit per actum contritionis, teneri sub lethali baptismum suscipere opportuno tempore. Infertur 2. non salvari pueros, si morte præoccupentur sine actuali baptismi vel martyrij susceptione, quãvis parentes voluissent ipsos baptizari, & habuissent omnia parata ad baptismum. Infertur 3. si detur casus, in quo puer justificetur in utero matris, qualis B. Virgo, & S. Ioannes Baptista, adhuc teneri sic justificatum suscipere baptismum. Quia sine baptismo non essent capaces aliorum sacramentorum.

Catechumeni obligatio adli baptismũ

QUÆSTIO II.

Quanam sit materia remota ut baptismus validè & licitè administrari possit?

Altera pars quæstionis versatur in materia remota circa valorem, altera circa licitum usum baptismi. Circa priorem est 1. difficultas, quænam materia remota certò sufficiat ad valorem baptismi? Sit resolutio. Aqua sensibilis, elementaris, & usualis est materia necessaria ac sufficiens baptismi. Sumitur ex illo *Ioannis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua.* Et definitur a *Triden.sess.7.can. 2.de baptismo.*

Materia remota baptismi.

902. Infertur 1. sufficere aquam quanvis aliqua qualitate affectam, v.g. calidam, frigidam, odoratam, etiam si sit aliquantulum crassior, & pauco luto immixta, dummodo maneat apta ad abluendum. Infertur 2. sufficere aquam expressam ex luto, habitam ex grandine, glacie, aut nive liquefactis: item aquam decurrentem ex balneo, quãvis sulphurei odoris. Infertur 3. sufficere absque ullo dubio aquam maris, fluminis, fontis, stagni, putei, cisternæ, pluviæ. Infertur 4. sufficere aquam illam, quæ reperitur in tegumento ollarum, quãdo illis aqua elementari plenis ignis subjicitur: item, rorem, & pruinam non concretam, quæ ex vaporibus confluit, qualis est quæ in hyeme ex parietibus exudat. Hæc omnia ex doctrina authorum quos citavimus a n.898.

Aqua ad baptismũ

2. Difficultas est quæ sit materia remota certò non sufficiens? Respondeo esse illam, quæ nec elementaris, nec usualis aqua est. Unde materia sufficiens baptismi certò est 1. succus herbarum, seu liquor qui ex herbis, vel radicibus, vel fructibus concussis, aut compressis efluit. Quia talis

Humores qui non sufficiũt ad baptismum.

talis liquor non est aqua elementaris, sed substantia rei confusæ. 2. aqua ita alterata, vel cum alio corpore adeo confusa, ut aquæ naturam & denominationem perdiderit, quale lixivium forte, jus seu brodium, saltem quando spissum: item aqua multo vino imixta, lutum densum, nix gelu, glacies. 3. omnes liquores qui specie differunt ab aqua, quale mel, oleum, vinum, lac, urina, lacrymæ, saliva, sudor, & quæ vulgo dicitur aqua ardens: item humor ille instar aquæ, qui stillat ex incisione vitis, ex cucumeribus, & peponibus. Verùm (inquit *Castrop tr. 19. p. 3. n. 2.*) quia aliqualiter probabile est liquores ex herbis expressos, salivam, aquam ex sale resolutam, cervisiam, & jusculum non differre specie ab aqua elementari, non audet Ægid. Coninch. condemnare eum, qui supradictis in extrema necessitate uteretur. Hoc improbat *Tamburinus de bapt. tr. 2. cap. 1. n. 5.*

903. 3. Difficultas est quænam sit materia remota baptismi dubia? Respondeo cum *Tamburino proximè citato à n. 8.* Ubi diligenter examinavit, & citavit authores, materiam baptismi remotam videri dubiam 1. illam aquam, quæ ex vi ignis per stillicidia defluit ex radicibus, herbis, floribus, qualis aqua rosacea, & similes. 2. aquam, quæ (ut tradit *Vecherus lib. 3. de secretis naturæ cap. 4.*) artificio quodam extrahitur a vino, cui antea fuit admixta aqua, cum dubitari possit sit ne aqua vera, an vini partes puriores.

Dubium materia baptismi

3. Ius seu brodium non valde coctum & spissum, aquam luto non valde denso confusam, & lixivium leve 4. aquam resolutam a sale marino, & a fortiori a sale montano, quo Sicilia abundat. 5. aquam existentem in linteo, vel digito, nisi exprimatur. Quia dubitari potest, an sit apta ad abluendum.

Circa posteriorem partem de materia remota quoad licitum baptismi usum, generalis regula est, ut baptismus administretur licitè, debere observari consuetudinem Ecclesiæ: atque adeo semper adhibendam esse aquam benedictam sacri fontis, si absit necessitas.

Baptismi licitè administratio.

Rogabis, an sit lethale baptizare solemniter àqua communi calefacta, ne lædantur tenelli artus infantis? Videtur affirmare *Bonac. pun. 3. n. 7.* Quia tunc in re gravi deseritur consuetudo Ecclesiæ. Oppositum defendit acriter & fusè. *Quintanadueñas de bapt. signi. 2.* Ratio est, quia in hac re nullum extat præceptum: vel si datur, est in re levi. Hæc sententia valde probabilis est, & certè mihi omninò placebit, si parochus adhibuisset aquā calidam sacri fontis, illam calefaciens.

904. Dixi (baptizare solemniter) nam si baptismus privatim conferatur ob necessitatem, & aqua benedicta facilè adhiberi nequeat, rectè affirmat *Tambur. n. 4.* aquam non benedictam omninò esse adhibendam. Addit bené, si urgeat necessitas, materiam dubiam esse adhibendam, si certa haberi non possit. Quod certè faciendum erit cum conditione mente concepta in hunc modum. *Si materia hæc idonea est, Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* At quando posteà aqua elementaris habebitur, baptizari debet iterum sic; *Si non est baptizatus, Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Si forte quis fuit baptizatus materia omninò insufficienti, v.g. vino aut oleo, baptizari iterum debet absque ulla conditione.

Conditio lio baptismus.

QUÆSTIO III.

Quænam sit materia proxima baptismi quoad valorem, & licitum usum?

VT expendatur prior quæstionis pars de materia proxima quoad valorem, conveniunt Theologi cum *Suar. to. 3. in 3 p. disp. 20. sect. 2.* baptismi materiam proximam esse ablutionem, quæ proinde fieri debet per contactum physicum aquæ ad corpus baptizati, cum successiva effusione partium aquæ per partes corporis. Nam sacramentum hoc in usu consistit, & ideo aqua ad usum ablutionis reduci debet.

Ablutio in baptismo.

905. Dubium est 1. quanta esse debeat ablutio? Respondeo cum *Suario disp. 20. sect. 2. & Bonacina de baptismo p. 3. n. 4.* Non sufficere quencunque contactum, & quod corpus quantulacumque aqua tingatur, sed requiri eam aquæ quantitatem ita successive corpus tingentem, ut per eam simpliciter ablui dicatur. *Coninck lib. 1. q. 12. Filliucius to. 2. c. 2. q. 4.* Cum alijs dicunt sufficere ad valorem, si mulier baptizet infantem, moribundum impresso signo crucis in frōte, digito aquæ madefacto. Observat Bonacina cit. n. 15. non requiri quòd auferantur sordes corporis, cum baptismus ad solas animæ auferendas sordes fuerit institutus.

Dubium est 2. qualiter fieri debeat ablutio? Consentiunt authores cum *Suar. sect. 3.* sufficere quòd fiat per aspersionem, vel immersionem. Quia in alterutra dari potest sufficiens aquæ contactus successivus. Unde rectè notat *Hurt. d. 3. de bapt. diff. 2.* & cum multis *Lezanier de bapt. disp. 2. q. 21.* si obstetrix manu immissa in uterum baptizet infantem in parte principali, valere. Addit bené *Tambur. lib. 2. cap. 1. §. 3. n. 5.* validè baptizari infantem, si prolata forma ligatus fune immittatur in flumen, & extrahatur: non ita si ipse puer ex se cadat in fluvium, & alter proferat formam. Quia tunc non abluitur ab alio. Affirmat rectè n. 11. sufficienter baptizari puerum si minister in eum linteum aqua imbibitum exprimat. Et idem est de glacie vel luto expresso; nam si solum imprimat, dubia erit ablutio. De immersione absque emersione, dicemus infra.

Ablutio qualis.

Dubium est 3. In qua parte corporis debeat fieri ablutio? Apud *Bonacinam de bapt. p. 3. n. 23.* non desunt graves authores qui asserunt sufficere ad valorem baptismi quòd quis in quacunque sui corporis parte abluatur. Nam sicut homo dicitur vulneratus, si in pede, digito, vel quacunque parte vulneretur, ita dicetur ablutus, si in quacunque parte abluatur. Dicendum

Ablutio in qua parte.

tamen est cum multis quos citat & sequitur citatus author, solum esse indubitatam ablutionem, quæ fiat præcipua hominis parte, qualē *Suar. de bapt. disp.* 20. *sect.* 2. putat, caput pectus, humeros vel scapulas. Unde si puer baptizatur ob necessitatem in pede, vel manu, iterum sub conditione baptizari debet.

906. Ex dictis infertur 1. cum *Tamborino lib.* 2. *de bapt.* §. 3. *a n.* 12. esse certó insufficientem ablutionem, quæ fit tantum circa baptizandi vestes, aut matris uterum, in quo est infans, vel linteum, aut corium in quibus infans forte involutus est. Secus si imergatur & emergat puer vestitus indusio, linteo, aut similibus vestibus porosis, per quas aqua permeet, & sufficienter abluat. Tunc enim docent Castrop. d. 2. & *Tamb. n.* 6. ablutionem sufficere.

Infertur 2 non esse validum baptismum, si aqua solos capillos attingat. Ita DD. communiter contra *Sotum in* 4. *d.* 3. *q. unica art.* 7. *Henricum c.* 7. *n.* 2. & *Toletum lib. cap.* 2. 1 *b. n.* 10. Quia capillus non est hominis pars, seu quædam superfluitas, & excrementum rationali anima carens.

Dubia ablutio in baptismi

Dubium est 4. quando censeri possit ablutio dubia in ordine ad valorem baptismi? Benè *Tambor. citatus a n.* 16. respondet posse censeri dubium ex triplici capite. 1. ex parte baptizantis, ut si submittat puerum sub tegulas vel alium locum, unde aqua decidat, & tunc formam proferat. Tunc enim puer largè & remotè videtur ablui saltem juxta bonos authores. 2. ex parte baptizati, ut si baptizetur quis in solis capillis: si infans in secúdina qua nascitur involutus, si in digito, imo in sola manu, vel solo pede: denique si quis immergatur in aquam, sed non emergat. Quamvis enim Suar. cit. sec. 3. non postulet emersionem ad valorem baptismi, tamen graves authores illá postulant. 3. ex parte aquæ, ut si sit una gutta vel altera tantum, etiam tertia, quamvis successivé fluat corpus attingens: cum graves authores pro utraque parte sentiant.

Immersio sine mersione.

907. Circa posteriorem quæstionis partem de licito materiæ proximæ usu, dubium est 1. an quis peccaverit infantem occidendo é projectione in puteum, vel immersione in aquam ferventem, cum aliter baptizari non potuerit. Respondeo affirmativè cum *Vasq disp.* 145. *c. p.* 3. *Suario cit. disp.* 20. *sect.* 3. & alijs quos sequitur *Palaus de bapt. pun.* 4. *n.* 12. Quia homicidium est quid intrinsece malum: & non sunt facienda mala, ut bona eveniant. Ex quo rectè cum ijsdem infertur non licere matris moribundæ uterum secare, ut baptizetur infans.

Homicidium ut baptizetur qui.

Dubium est 2. an liceat ministrare baptismum infanti moribundo cognita mortis acceleratione? Bené respondent 1. *Palaus cit. p.* 4. *n.* 14. & *Tambor* §. 4. *n.* 4. hunc casum moraliter impossibilem esse. Cum vix possit evenire ut baptismus aqua modica & calida administratus, mortem acceleret. Respondent 2. etiam si supponatur eventura illa acceleratio, baptismum esse ministrandum. Quia tunc per accidens eveniet mors, & talis acceleratio ut leve damnum contemni debet, ne baptizandus pereat æternaliter.

Mortis acceleratio ex baptismo.

Dubium est 3. an incurrat irregularitatem, qui baptizat occidendo infantem, vel accelerando ejus mortem? Respondeo 1. cum *Tamborino citato n.* 6. eum qui baptizavit projiciendo in puteum, vel immittendo in aquam ferventem, incurrisse irregularitaté. Quia vere patravit homicidium. Respondeo 2. cum eodem *n.* 7. *Hurtado d.* 1. *de bapt. diff.* 5. & *Diana p.* 5. *tr.* 3. *resol.* 8. eum qui baptizando prædicto modo solum acceleravit mortem, non incurrisse irregularitatem. Quia non fuit homicida.

Irregularitas baptizantis.

QUÆSTIO IIII.

Quænam sit forma necessaria & apta baptismi?

908. CUM ad necessariam & essentialem rationem formæ baptismi tria distinctè explicari debeant, scilicet actio exterior, seu actus baptizandi, unitas Dei, & trinitas divinarū Personarum, rectè Ecclesia Latina utitur hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ut ex Matth. cap. ult. definiunt Alexan. 3. in *cap.* 1. *de baptismo, Concil. Floren. in decreto Eugen. & Triden. sess.* 7. *c.* 4. Nam illa tria satis explicantur in assignata forma.

Forma baptismi.

Ibi enim satis explicatur actio exterior per illam particulam (Ego te baptizo) qua significatur ablutionem cōferri in actu exercito. Nec refert ad valorem quòd ponatur verbum in secunda vel tertia persona, v. g. *Baptizaris, baptizatur.* Quia de essentia formæ non est quòd ponatur persona ministri, sive explicité sive implicitè. Nam in forma Græcorum, quæ certò sufficians est, ponitur *Baptizetur servus Christi.*

Exprimenda in forma baptismi.

Deinde satis explicatur unitas Dei per particulam (in nomine) sive vox (nomen) ibi significet invocationem, sive virtutem & authoritatem. Unde non valebit, si dicatur (In nominibus.) Denique satis explicatur Trinitas personarū, expressis personis *Patris, Filij & Spiritus Sancti.* Unde non sufficit ad valorē si dicatur, *Bapt. zo te in nomine Trinitatis*: nec hæc *Baptizo te in nomine trini & unius*: nec hæc *Baptizo te in nomine trium Personarum*: nec hæc *In nomine omnipotentis, Sapientis & Boni.* Ita *Suar. disp.* 21. *sec.* 3.

909. Dices, Olim Apostoli baptizabant in nomine Christi, ut habetur *Act.* 2. *n.* 38. & *cap.* 8. *n.* 12. & *cap.* 10. *n.* 48. & *cap.* 19. *n.* 5. ex quibus locis *S. Ambros. lib.* 1. *de Spiritu S. cap.* 3. *S. Bern. Epist.* 34. & alij docent valere baptismum, si ministretur in nomine Iesu Christi. Idem videtur definire *Nicolaus* 1. *respon.* 104. ad Bulgaros, & refertur in *cap A quodam Iudæo de consec. d. st.* 4. ubi sic: Si hi (inquit) in nomine Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in actis Apostolorum legimus, baptizati sunt, constat eos non esse denuo baptizandos; ergo non est simpliciter necessaria ad valorem baptismi expressio omnium personarum Trinitatis.

His non obstantibus respondeo, invalidam omninò esse formam, qua quis baptizaret, dicens *Ego te baptizo in nomine Iesu Christi.* Unde ad illud

Baptismus in nomine Iesu.

quod

quod fertur de Apostolis baptizantibus in nomine Iesu, respondet *Suar.cit.sec.* 3. quanvis cõmunis sententia sit Apostolos baptizasse in solo nomine Christi ex speciali dispensatione, tamen probabilius esse semper fuisse usos forma consueta. Quia illud *Act. 19. n.5. Baptizati sunt in nomine Domini Iesu.* & similia in alijs locis, solum indicat baptizatos fuisse baptismo instituto per dominũ Iesum. Dicitur etiam Apostolos usos hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij Domini nostri Iesu Christi & Spiritus Sancti.* Vide *Bellar.l.1.de Bapt. a cap.* 3.

Ad illud quod affertur ex authoritate Pontificis Nicolai relati *in cap. a quodam*, bené respondet *Palaus tr. 19. disp. unica p. V. n.13.* Nicolaum ut Pontificem solum definire baptismum collatum a Iudæo sub debita forma non esse repetendum eo quod a Iudæo fuerit collatus: nam de hac solum quæstione fuerat interrogatus. Quod veró adjecit (inquit) baptismum collatum sub expressione Trinitatis vel Christi fore validum, non definivit, sed supposuit adhærens tanquam Doctor particularis Ambrosio & alijs, immemor definitionum Pelagij & Zachariæ Pontificum, quæ referuntur *cap. si revera. cap. multi cap. in synodo, de consec. dist.* 4.

910\. Pro maiori explicatione, & praxi baptizantium, faciam cum *P. nostro Tamburino lib. 2.c.* 1. §. 5. tres divisiones, & apponam sub triplici titulo formas certo non sufficiẽtes, & formas dubias: quibus addam (si invenero) nonullas quas ille non affert.

TITULUS I.

De formis certo sufficientibus.

1\. Ego te baptizo in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

2\. Ego te baptizo in nomine Patris: Dei Filij: vel Christi Dei Filij: & Spiritus Sancti.

3\. Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filij, in nomine Spiritus Sancti *Etiã in si bis adderetur vox (et) scilicet ante Personas Filij & Spiritus Sancti.*

4\. Ego te baptizo nomine Patris omnipotentis, & Filij sapientis, & Spiritus Sancti boni, vel Paracliti. (*Quia*) (*in*) *non est de essentia.*

5\. Ego te baptizo virtute Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

6\. Ego te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis, & Filij sapientis & Spiritus Sancti boni, vel Paracliti.

7\. Ego te baptizo in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti. Quia illud (et) non est de essentia.

8\. Baptizo te, vel baptizo hunc in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti.

9\. Ego te abluo, vel lavo in nomine &c.

10\. Ego sacerdos: Ego Petrus te baptizo in nomine &c.

11\. Baptizetur servus Christi, vel baptizeris, vel baptizetur hic in nomine, Patris &c.

Verbum in hac forma, quæ Græcorum est habet modum indicativum, vel imperativum, & nunquam deprecativè proferri potest.

12\. Ego in nomine Patris, & Filij & Spiritu S. baptizo te: vel In nomine Patris baptizo te, Filij & Spiritus Sancti.

13\. Ego te baptizo in nomine Patris, Ego te baptizo in nomine Filij, Ego te baptizo in nomine Sancti Spiritus.

14\. *Nos, authoritatis gratia*, te baptizamus in nomine patris, & Filij, & Spiritus S.

Illud enim *nos* idem vadet atque Ego.

15\. Ego baptizo vos, seu Dominationem vestrã, Altitudinem, Excellentiam vestram in nomine &c.

Nam ex usu loquendi intelligitur una ipsa persona baptizanda.

16\. Ego baptizo servum Christi Ducem talem, in nomine &c.

17\. *Ego baptizo te Petrum in nomine &c.*

Ego baptizo vos (si sunt multi in necessitate baptismi, ut in repentino naufragio) in nomine Patris &c. *Quia (vos) idem significat atque te, te, & te.*

911. TITVLVS II.

De formis certo non sufficientibus.

1\. Ego te baptizo in nominibus Patris & Filij & Spiritus S.

Ibi enim significatur pluralitas Deorum.

2\. Ego te baptizo in nomine Christi, Amen.

3\. Ego te baptizo in nomine Dei, Amen.

4\. Ego te baptizo in nomine Trinitatis. Amen.

5\. Ego te baptizo in nomine trium divinarum personarum. Amen.

6\. Ego te baptizo in nomine Omnipotentis, Sapientis, & Boni.

7\. Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Imaginis ejus, seu splendoris gloriæ ejus, & Doni seu Flaminis.

8\. Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & Filij minoris, & Spiritus Sancti.

9\. Ego te baptizo in nomine Dei & Sãctę crucis.

10\. Ego te baptizo in nomine Patris & Filij, & gratiæ Spiritus Sancti.

11\. Ego te bapizo in nomine Sanctissimæ Virginis, & Sanctorum. Amen.

12\. Ego te baptizo in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti, B. Virginis & Sanctorum.

Si minister intendat baptizare ind.visibiliter in nomine omnium: secus si solum implorat auxilium Virginis, Sanctorum.

13\. Baptizetur a Christo, seu a Deo talis servus Christi. *Quia tunc minister nec implicitè ponitur.*

14\. Baptizetur (deprecativè) servus talis Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

15\. Ego Baptizo in te nomine Patris & Filij, & Spiritus S.

Nam ea transpositio mutat essentialiter.

16\. Baptiza Petrum servum Christi in nomine Patris & Filij, & Spiritus S.

Nam est de essentia ut qui profert verba baptizet, & non alius ad illius mandatum.

17\. Ego intendo te baptizare in nomine Patris &

& Filij & Spiritus S.
Debet enim explicari actus, & non sola intentio.

18. Ego me baptizo in nomine Patris &c.
Nam debent esse diversa persona baptizans & persona baptizata.

19. Quid si duo simul baptizent? Si alter independenter ab altero intendat baptizare,& simul ponantur omnia requisita, uterque baptizabit: sicut quando duo consecrant eandem hostiam: si requisita non ponantur simul, ille solum baptizabit, qui prior fuerit. Si vero alter dependenter ab alio intendat baptizare, invalidus erit baptismus.

912. TITULUS III.
De formis dubiè sufficientibus.

1. EGo te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis, seu Spirati ab utroq;
2. Ego te baptizo in nomine Ungentis, uncti, & quo unctus est.
3. Ego te baptizo in nomine Patris, & Iesu Christi, & Spiritus Sancti.
4. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus. *Quia nomen Spiritus est commune Deo & Angelis.*
5. Ego te baptizo in nomine Patris, & Verbi, & Spiritus S.
6. Ego te baptizo cum nomine Patris, cum nomine Filij, cum nomine Spiritus Sancti.
7. Ego te baptizo sub nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.
8. Ego te baptizo per nomen Patris & Filij & Spiritus Sancti.
9. Ego te baptizo cum Patre, Filio, & Spiritu Sancto.
10. Ego te baptizo in Deo Patre, vel in essentia Patris, vel In uno Deo Patre, Filio & Spiritu Sancto.
11. Ego te baptizo In Patre, Filio & Spiritu Sancto.
12. Ego te baptizo in essentia Patris & Filij & Spiritus Sancti.
13. Ego te baptizo in uno Deo, Patre Filio & Spiritu Sancto: vel in unum Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, vel Per unum Deum Patrem,Filium, & Spiritum Sanctum.
14. Ego te baptizo in virtute,authoritate & fide Patris, Filij, & Spiritus Sancti.
Ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti, Filij, & Patris.
15. Ego te baptizo in nomen Patris, Filij & Spiritus Sancti.
16. Ego te tingo, Intingo, Mergo, Immergo, aspergo, Aquam infundo, Balneo, conjicio in aquam in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti.
17. Baptizat, vel baptizet (*imperativè*) te Deus, vel Christus in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti.
18. Baptizaris, seu baptizeris (*item imperativè*) a Deo, vel a Christo In nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti.

Has omnes formas judico dubias propter authores qui circa illas diversé sentiunt. & citantur a Tamborino lib. 2. de baptismo c. 1. §. 5. Ubi ad finem n. 51. & 52. prosequitur vim & significationem Verbi Siculi *Ingravattare* quo obstetrices solent uti, quando baptizant in re subita.

QUÆSTIO V.
Quando possit ac debeat fieri iteratio baptismi sub conditione?

913. COnstat absque peccato iterari, seu repeti baptismum sub conditione, quãdo extat rationabile dubium juris vel facti,an fuerit baptismus collatus? Nam conditio apposita facit ne detur vera illa iteratio, quæ prohibetur. Quia (ut dicitur *cap. solemnitatis 1. dist. 1. de consec.*) non intelligitur esse iteratum, quod ambigitur esse factum.

1. Difficultas est quale nam de suscepto baptismo judicetur dubium veré rationabile? *Suar. disp. 2. sec. 2. §. sed quæres, Vasq. disp.* 146. *c.* 4. *n.* 20. *& Bonac. de sacram. in gen. disp. 2. q. 2. p. 1. n. 36.* docent rationabile dubium esse quod rationi consonum, & homine cordato dignum est. Qualiter verò illud adesse judicetur? Respondet *Palaus tr. 19. disp. un. pun.* 13. in dubio juris spectandum esse,an pro contraria parte sit opinio probabilis: ea enim stãte judicatur probabiliter non fuisse baptismum collatum, atque adeo erit repetandus. In dubio facti (ait) nulla firma regula dari potest,sed prudentis arbitriò stabitur. *Iteratio baptismi.*

Tamborinus citatus lib. 2. de bapt. cap. 1. §. VI. tres apté regulas assignant pro baptismo iterando. 1. regula est, quoties confertur baptismus materia vel forma dubié sufficientibus, est necessariò iterandus sub conditione. Si veró fuerit collatus forma, aut materia, aut modo aliquo certò non sufficientibus, erit omninó repetendus, sed nulla apponetur conditio. 2. regula: quoties pro utraque parte datur opinio probabilis sive ex jure, sive ex facto circa valorem baptismi, toties poterit iterari baptismus, sed absque obligatione. Vide *Hurt. de bapt. diff. 2. & Lugo in resp. lib. 1. c.* 33. Unde *Tambor n.* 3. putat ut quis obligetur non iterare hoc sacramentum debere adesse moralem certitudinem jam collati validé baptismi, nec sufficere quancunque probabilitatem.

3. Regula. Quoties quis est moraliter certus se baptizatum esse, quanvis habeat suspicionem, vel scrupulum levem de carentia baptismi, rebaptizari nequit. Ratio est, quia imprudenter operatur qui absque probabilitate agit contra moralem certitudinem. Unde non placet *Quintãnad. de bapt. sing.* 8.

914. 2. Difficultas est quænam censeri debeat moralis certitudo de suscepto baptismo? *Tambur. sec. 5.7.* moral éillã certitudinẽ rectè affirmat desumi ex eo quòd quis fuerit natus inter fideles. Quia inter hos datur usus conferendi infallibiliter baptismum parvulis, & validé conferri præsumitur. Secus inter hæreticos, Nam si inter illos & ab illis *Certitudo moralis de baptismo.*

illis fuerit quis baptizatus, debet rebaptizari, quando ex circunstantijs sufficientia reddatur suspecta.

Expositorum puerorũ baptismus.

Ad moralem certitudinem baptismi sufficit unus testis, de quo non detur mandacij suspicio; qui affirmet se certó scire te esse baptizatum. Fortior est fides baptismi quæ habetur ex libris parochi. Pro maiori intelligentia hujus moralis certitudinis sunt decidendi nonnulli casus.

Rogabis 1. an & quomodo expositis, vulgo engeytados, baptismus conferri debeat? *Tambur. cit. §. 7. n. 4. & Palus de bapt. pun. 13. n.* 6. consentiunt cum *Vasquio disp.* 140. *cap.* 4. *n* 26. infantem expositum, qui secum affert testimonium baptismi v. g. in schedula ipsius collo appensa, etiam a nullo subscripta, baptizandum non esse etiam sub conditione. Quia hujusmodi testimonium inducit moralem certitudinem.

915. Nihilominus *Quintanaduenñas lib. de bapt. sing.* 9. absoluté censet omnes infantes inter Catolicos ubicunque expositos, etiam si habeant scriptum testimonium de baptismo, esse sub conditione baptizandos. *Tambor. n.* 2. illi acquiescit quoad partem, scilicet posse tales infantes sic baptizari, sed non dari obligationem, ut baptizentur. Ego media incederem via, negans esse sic baptizandos, si nascantur inter catolicos in iis regionibus in quibus non degunt infideles, v. g. Iudæi, Mauri, vel hæretici. Quia tunc non est periculum deceptionis. Affirmans verò esse baptizandos, si nascantur inter catolicos, in iis regionibus in quibus degunt infideles. Quia periculum est ne exponatur ab infidelibus, in quibus detur præsumptio deceptionis. Ita Palaus n. 6. Quando verò infans expositus est sine testimonio baptismi, semper baptizandus est sub conditione, ut affirmant citati authores.

Obstetrins baptismus

Rogabis 2. an sit baptizandus sub conditione infans domi baptizatus ab obstetricibus, vel alijs rudibus personis? Quintanad. loco supra citato dicit absoluté repetendum esse baptismum sub conditione, quando constat fuisse ab obstetricibus collatum: fortasse quia in ejus regionibus fœminæ illæ sunt imperitæ, vel ut plurimùm aut veneficæ, aut de errore vel hæresi suspectæ. Cautiùs loquuntur *Tambor. n. 7. & Palaus n. 7.* quibus adhæreo. Nam si obstetrices, aut personæ rudes juxta decretum Cathecismi Romani 2. p. c. 2. §. 45. examinatæ a parocho, qualiter contulerint baptismum, non respondeant rectè & firmiter, baptismus omninò repetendus est.

Examene obstetricũ

916. Examinari autem debent præcipué in quatuor. 1. quam formam proferant. 2. quam, & quantam infundant aquam. 3. an simul simultate morali formam pronuncient & abluant. 4. quá habeant intentionem. Unde si in hujusmodi examine certò deprehendatur nihil defuisse substantiale, baptismus repetendus non est: si secus, sub conditione repetatur. *Tambor. n.* 5. nec in proxi casu damnat ut illicitam repetitionem.

Iterari etiam debet (inquit *Palaus citatus*) si obstetrices fuerint veneficæ, sagæ, seu maleficæ. Quia ab his præsumitur non rectè administratus. Ex quo facile damnari non debet consuetudo aliquarum diœcesum, maxime Antuerpensis præscribens rebaptizari sub conditione omnes infantes, qui fuere ab obstetricibus baptizati. Quia regulariter adest periculum baptismi invalidi in regionibus hæresi infectis. Et in casu dubij (inquit Palaus n. 7.) semper in favorem baptismi inclinandum est. Seclusis veró (concludit) supradictis rationibus dubitandi nequaquam baptismus repetendus est, ex eo præcisé quòd fuerit ab obstetricibus collatus. Præsertim quia obstetrices (ut ait *Tamb n.* 10.) tenentur sub lethali scire quidquid spectat ad valorem baptismi.

Obstetricum obligatio.

Rogabis 3. quid dicendum sit de infante inter fideles nato, qui tamen ab infidelibus arreptus est, & inter ipsos nutritus, quando nemo est qui baptizatum esse testetur? Esse sub conditione rebaptizandum decidit *Gregor.* 13. *in Epist.* 4. ac Bonifac. quæ refertur in *cap. parvulos de consec. dist.* 4. Secus est de eo qui inter fideles educatus existit. Quia (ut definit *Innoc.* 3. *in cap. veniens, de presbytero non baptisató*, illum carere baptismo absque conjecturis & indicijs gravissimis, credi non potest. Ita *Suar. d.* 22. *sect.* 2. *in fine & Laymen lib. sum. 5. tr. 2. cap* 5.

Adultus dubitans de suo baptismo.

917. Ex dictis infertur 1. nullatenus esse repetendum baptismum stante unico teste omni exceptione maiori qui de collato baptismo testificetur. Ita *Palaus n.* 9. *ex Suario d.* 22. *sec.* 2. *& Agid. Bellano q.* 66. *a.* 9. *n.* 97. Infertur 2. cum *Palao citato n.* 11. adultum de suo baptismo probabiliter dubitatem esse obligatum ex præcepto charitatis propriæ procurare baptismi repetitionem sub conditione, quoad fieri possit. Infertur 3. cum *eodem n.* 10. *& Vasquio disp.* 146. *cap.* 4. *a n.* 28. in casibus, in quibus potest repeti baptismus, teneri parentes infantis repetitionem procurare, & parochum requisitum, vel eo deficiente, quenlibet alium sacerdotem concedere.

Conditionalis baptismus.

2. Difficultas est, qualiter baptismus in prædicta repetitione conferri debeat? Respondeo in *cap. de quibus* 2. *de baptismo* poni formam servandam in baptismo conditionali, & est hæc: *Si baptizatus es, non te baptizo. Sed si non dum baptizatus es, ego te baptizo in nomine &c.* Palaus *cit. pun.* 13. *n.* 72. recte docet nullum esse peccatum, si priori parte suppressa solùm proferatur posterior: *Si nondum es baptizatus, ego te baptizo*, &c. quia his Verbis satis declaratur non intendi collationem baptismi, si hic jam veré collatus fuit.

Additur ex *Suar. disp.* 22. *sect.* 2. *Var. Sed quares & Vasq. disp.* 146. *cap.* 4, *in princ.* quando baptismus secretó conferendus est, sufficere quòd conditio mente concipiatur. Rectè monet.

Baptismus conditionatus qualiter conferendus. *Laymann. lib. 5. sum. tr. 2. cap. 5. in fine*, quantum fieri poterit scandalum vitandum esse: unde si occasio rebaptizationis sit secreta, baptismum in Ecclesia foribus clausis ministrandum esse, praesentibus tantum patrino & parentibus, vel tutoribus baptizati, quibus declaranda est a ministro causa repetitionis, & baptismus sub expressa conditione conferendus.

Patrinus in conditionato baptismo. 918. *Tambur. lib. 2. de bapt. cap. 1. §. 8.* pro hujusmodi praxi notat 1. dictum baptismum posse conferri domi, vel in quocunque loco privatim, etiam occultissimé, ubi maneat solus cum solo. Notat 2. posse conferri a quopiam, sed certè perito, etiam si facile sacerdos haberi possit. Notat 3. non esse adhibendum patrinum; si tamen adhibeatur, non contrahi cognationem spiritualem. Quia haec solum contrahitur in baptismo absoluto: quidquid in oppositum dicat *Perez de Matr. disp. 29. sect. 3.* Notat 4. necessarias non esse aliquas Ecclesiae caeremonias. Quia ceremoniae & solemnitates fuere solum institutae pro baptismo absoluto. Addit cum *Quintanad. sing. 18.* nec etiam inter baptizantem & baptizatum oriri cognationem spiritualem. *Vide Dianam p. 11. to. 8. resp 57.*

Confessio post baptismum conditionatum. Observat bené ipse *Tambur. cit. §. 8. n. 1.* quando adultus sub conditione rebaptizatur, si de lethali sit sibi conscius, se disponere per contritionem, vel attritionem, sed non necessario per sacramentalem confessionem, ut gratiae obicem avertat: deinde suscepto iam certo baptismo, debere eundem ea peccata ante hunc certum baptismum, & post illum dubium commissa aperire confessario, & ab illo absolvi sub conditione: ut si forte fuit verus primus baptismus, servetur Christi praeceptum, quo jubemur clavibus subjicere omnia lethalia commissa post baptismum.

QUAESTIO VI.

Qualis esse possit, & debeat minister baptismi?

Minister baptismi. 919. Accipere debemus dupliciter ministrum baptismi nempe quoad valorem sacramenti, & quoad licitum illius usum. Si loquamur de valore, quilibet homo, qui sciat lavare, & verba proferre cum debita intentione minister esse potest, sive sit sacerdos, sive laicus, sive vir sive faemina, sive baptizatus, sive non baptizatus. Est de fide, & definitur ab *Eugenio 4. in Concil. Florent. post ult. session. §. primum*, [illegible]turque ex *cap. ad limina 30. q. 1. cap. Romanus cap. In necessitate de consec. dist. 4. & cap. Firmiter, de summa Trinit.* Ratio a priori est institutio Christi declarata per usum & consuetudinem Ecclesiae. Congruentia patet ex hujus sacramenti necessitate, ob quam fuit congruum, ut daretur potestas illud ministrandi cuilibet ratione utenti, sicut fuit congruum quód institueretur sub materia communi, omnibus obvia, & sub forma facile perceptibili.

Si loquamur de licito usu baptismi, minister ordinarius illius est proprius sacerdos, nempe parochus. Unde extra casum necessitatis, quicunque alius etiam sacerdos, imo parochus alterius parochiae illicité baptizabit, nisi baptismum conferat de licentia Episcopi qui est parochus supremus suae diaecesis, vel de licentia proprij parochi, quae sola sufficit, neque requiritur (inquit *Tamb. tom. cap 2. §. 1. n. 1.*) approbatio Episcopi, sicut requiritur ad sacramentum paenitentiae.

Vicarius generalis. 920. Dubium est 1. an Vicarius Generalis absque speciali Episcopi concessione possit licité baptizare oves parochi suae diaecesis, alijsq; hanc cōcedere licentiam, contradicente parocho? *Tambur. cit. n. 6.* affirmativam resolutionem colligit ex *Barbosa de pot. Episc. p. 3. all. 54.* Semper tamen observandum est, ut conferatur parocho ea eleemosyna, quae illi cedit ex collatione baptismi.

Dubium est 2. quale peccatum sit Baptizare absque licentia parochi? Respondeo cum *Navarro cap. 27. n. 7.* esse lethale ex genere suo. Nam sic agens offendit justitiam, facitque contra officium alterius, nisi forte excusetur ex praesumpta facultate parochi, quae sufficit. Dixi (ex genere suo) quia si fiat semel aut bis non contradicente parocho, nec de hoc multum curante, videtur *Tamburino n. 3.* ex parvitate materiae esse ad summum veniale.

Religiosi baptizantes. Dubium est 3. an religiosi ex privilegio possint baptizare absque licentia parochi? Bené cum *Suaro* resolvit *Palaus de bapt. disp. un. p. 9. n. 3.* illos extra casum necessitatis solum posse baptizare in terris infidelium, ubi non dum sunt Ecclesiae fundatae: in alijs veró locis baptizare solemniter non posse. Unde si in hujusmodi locis baptizent ex licentia parochi, non peccabunt contra illius justitiam, sed solum contra prohibitionem, quae datur in sacris canonibus: & tunc solum venialiter: quod peccatum (ut sentit *Quintanad. de bapt sing. ult.*) poterit excusari ex sola voluntate patris id ex devotione, a religioso petentis.

Baptizantium ordo. 921. Dubium est 4. qualisnam servari debeat ordo inter baptizaturos qui adsunt in casu necessitatis? Nota prudentis arbitrio reliqui quando detur hujusmodi necessitas, ad quam probabilis timor mortis sufficit. Respondeo cum citatis authoribus, & *Hurtado de bapt. disp. 2. diff. 3.* servari debere hunc ordinem, ut parocho absente baptizet quilibet sacerdos, hoc absente Diaconus, & simili ordine inferiores in gradu, nempe subdiaconus, deinde Acholitus, deinde Exorcista, deinde Lector, deinde Ostiarius, demum clericus primae tonsurae. Quod si nullus ex dictis praesto sit, baptizet homo laicus, deinde faemina, & in praedictorum defectum haereticus, infidelis, apostata. Praeferendum esse Sacerdoti excommunicato non tolerato laicum docet *Hurtadus de bapt. diff. 3.* sed oppositum

poſitum cum *Henriquez* tenet *Tambur. cit.* §. 2. n. 2.

Dubium eſt 5, quale peccatum ſit inverſio prędicti ordinis? *Tamburinus* §. 2. n. 3. exiſtimat non eſſe peccatum grave, ſi præſcindatur ab inconveniente, quale eſſet, ſi hæreticus præferretur catholico cum ſcandalo, vel cum periculo baptizandi invalidé: & ſic de alijs. Nihilominus dicendum eſt cum *Suario diſp. 31. ſect. 4.* peccare graviter non paſtorem baptizantem præſente & invito paſtore: ſimiliter laicũ baptizantem præſente & invito ſacerdote, non ita reliquos: quia non in his, ſed in illis gravis inverſio committitur. Addit bené ex *Suario Palaus p. 9. n. 12.* vix excuſari a mortali qui relicto fideli paganum ad baptizandum invitaret. Adverte ordinem prædictum non eſſe mutandum ad hoc ut fœmina juſta præferatur viro injuſto, vel laicus juſtus ſacerdoti iniquo v. g. publicé concubinario. Quia jam diximus n. 883. non teneri ſe diſponere ad gratiam etiam ſacerdotem qui baptizat privatim ex neceſſitate.

Præcedentia in baptizando.

921. Dubium eſt 6. an, & cum quibus baptizans contrahat cognationem ſpiritualem? Conſtat ex definitione Ioannis 8. *cap. ad limina* 30. *q.* 1. baptizantem etiam in neceſſitate contrahere cognationem ſpiritualem cum baptizato, & cum ejus parentibus. Eſt autem (inquit *Tambur. n.* 8.) notabile diſcrimen inter baptizantem & patrinum ſuſcipientem: nam baptizans in neceſſitate certo contrahit cognationem, at ſuſcipiens ſolum contrahit probabiliter, cum aliqui authores id negent.

Cognatio ſpiritualis baptizantis.

Limitatur illa definita reſolutio a textu citato, ut videre eſt apud *Sanch. de Matr. lib. 9. diſp* 26. *n.* 2. quia quando conjux in neceſſitate baptizat filium communem, ſcilicet ſuum & alterius conjugis, certò non contrahit cognationem, nec proinde impeditur a petitione debiti. Hoc *Tambur. n.* 8. ex *Hurtado de Matr. d.* 18. *diff.* 6. intelligit etiam ſi adſint alij qui poſſint & velint baptizare. Rectius tamen negat *Sanchez citatus*: quia tunc ceſſat neceſſitas: addit veró excuſari ne impediatur, ſi indeliberatò accurrens baptizet.

Procedit dicta limitatio ut non contrahatur illa cognatio ſpiritualis, quando unus conjux baptizet filium ſolius alterius conjugis: ſimiliter, ſi jam ad fidem converſus baptizet uxorem, quam infidelem duxerat. Hactenus dicta ſolum procedunt de baptiſmo filij legitimi. Nam ſi filius ſit illegitimus, ut ſi pater baptizet filium ſuum ex ſua concubina, proindeque illegitimum, contrahet cum illa cognationem ſpiritualem, itaut non poſſit ei poſtea nubere. Quia in *cap. Ad limina* ſolum excipitur baptizans in neceſſitate filium ſuum natum ex ſua conjuge & ob paritatem rationis natum ejuſdem conjugis, quamvis non ſuum: at concubina conjux non eſt.

QUÆSTIO VII.

Ad quid obligetur miniſter, quando baptiſmum extra neceſſitatem confert.

923. CUM *Suario de bapt. diſp.* 31. *ſect.* 5. ſupponendum eſt 1. peccare graviter baptizantem, ſi omittat aliquid ſpectans ad baptiſmi ſubſtantiam. Unde quantum fieri poſſit, materia & forma certæ anteponi debent dubijs, ut tollatur periculum irritationis. Supponendum eſt 2. graviter peccare qui in peccato mortali ſolemniter baptizat: ſecus, ſi abſque ſolemnitate in caſu neceſſitatis. Supponendum 3. illũ qui interdictus eſt aliqua censura ſi baptizet abſque neceſſitate peccare mortaliter: ſi autem ſit clericus, & baptizet ſolemniter, manebit irregularis: ſecus ſi abſque ſolemnitate. Supponendum eſt 4. miniſtrum teneri non conferre baptiſmum niſi homini convenienter diſpoſito. Quia tenetur non dare ſanctum canibus.

Baptiſmi miniſtri obligationes.

Præcipua difficultas eſt explicare obligationem, qua tenetur in baptizando obſervare ritus Eccleſiaſticos, quando quis ſolemniter baptizat. Nam ille omittens (inquit *Suar. cit. diſp.* 31. *ſect.* 5.) peccat mortaliter, niſi ex parvitate materiæ ſolum veniale committat. Addit *Tambur n. lib.* 2. *de b. pt. cap.* 2. §. 3. *n.* 1. miniſtrum, quando extra neceſſitatem baptizat, teneri ſub mortali ex ſuo genere obſervare ſolemnitates Eccleſiæ, ita ut tam peccet ipſe omittens, quám baptizandus adultus, & quicunque fuerit cauſa talis omiſſionis.

924. Solemnitates, quas laté exponit *Caſtro-pal. de bapt. diſp. un. p.* 12. ſunt quindecim. 1. adhiberi debet aqua naturalis, non tamen quælibet, ſed in ſacro fonte benedicta. 2. Adhibendus eſt patrinus. 3. Imponendum nomen. 4. Profeſſio fidei, ſeu publica recitatio Apoſtolici Symboli fieri debet. 5. Impreſſio ſigni crucis in fronte, & pectore baptizandi. 6. Abjuratio dæmonis, & trina inſufflatio. 7. Appoſitio ſalis exorcizati in ore baptizandi. 8. Terna tinctio aurium, & narium. 9. Impoſitio manus ſacerdotis ſuper caput ejuſdem, & benedictio. 10. Unctio pectoris, & ſcapularum ejuſdem cum oleo benedicto. 11. Unctio verticis ejuſdèm cum Chriſmate & quidem illius anni, niſi neceſſitas cogat. 12. Coopertio dicti verticis jam uncti cum veſte candida. 13. Porrectio cerei accenſi ipſi jam uncto, & ſic cooperto. 14. Hæc debent fieri in Eccleſia. 15. Superpellicio & ſtola veſtitus eſſe debet ſacerdos.

Solemnitates baptiſmi.

Rogabis 1. quid agendum ſit quando domi ob neceſſitatem fuit collatus baptiſmus? Oportere eas ſolemnitates in Eccleſia poſtea ſuppleri, rectè cum valijs affirmat Palaus ſupra citatus n. 12. non tamen exponit ſub qua culpa detur obligatio. *Quintaned. de bapt. ſing.* 18. *n.* 4. ex *Soto. Viguerio & Zambrano* dicit hanc culpam eſſe mortalem, poſſe tamen excuſari, ſi timeatur aliquod grave damnum, vel ſcandalum in iis ſupplendis. *Medulla Theol. de bapt. cap. 1. dub. 5. n. 5. ex Poſſevino de off.*

Ceremoniarum ſuppletio in baptiſmo.

 cur.

cur.cap.6.n.23.tenet solum esse culpam venialem illas cæremonias non supplere, secluso contemptu. Addit ex Laym.c.8.n.10. non esse supplandes illas cæremonias in hæreticis conversis, ne plebs putet nos eorum baptismum improbare.

925. Rogabis 2. quale peccatum sit omittere unam vel alteram ex dictis cæremoniis? Tamburinus lib.2.de bapt cap.2.§.3.n.3. bene resolvit solum esse peccatum veniale, secluso contemptu & gravi scandalo unam vel alteram ex dictis levem cæremoniam omittere: omnes tamen vel gravem aliquam esse mortale, quamvis benignius loquatur Possevinus citatus & non improbatus a Medulla citata. Uti aqua naturali, sed non benedicta carere lethali culpa, probabile est: secus de omissione patrini.

Locus baptizandi. Quid de loco? Locus ad baptizandum solemniter, ut habetur in jure Clement. 1. de bapt. est Ecclesia. Unde Suar. de bapt. disp. 30. sect. 2. existimat peccare mortaliter illum qui sine necessitate aliquem baptizat extra Ecclesiam, v.g. domi etiam in privato oratorio. Quia res est gravis. Excipiuntur in citato jure filij Regum vel principum, ut possint baptizari in domo privata, pro qua Suar. citatus intelligit oratorium privatum, & cum solemnitatibus consuetis.

Princeps qui Qui ad talem finem censendi sint filij Principis, valde late & benigniter interpretatur Quintan. de bapt sing. 21. Hanc tamen benignitatem non amplectitur Tambur. citatus n.7. dicens cum Suario illa voce plus videri significari quàm nomine Ducis & Marchionis: & videtur verum quando Duces & Marchiones non sunt supremi, sed sub regibus constituti. Addit bene ex Glossa Regis vel Principis filios & nepotes quo pacto intelligerentur descendentes per lineam rectam, qui nomine liberorum veniunt. Numquid in infinitum. Nequaquam, ait: sed solum donec regia majestas, regiusque splendor in nepotibus conservetur.

926. Rogabis 3. an sint repetendæ cæremoniæ prædictæ, quando baptismus solemniter celebratus deprehendatur fuisse nullus? Affirmat Palaus de bapt. pun. 12. num. 24. cum S. Anton. 3.p.tit.13.cap. 14. Reginal. lib. 28.n.3. & alijs. Negandum tamen est cum Suario disp. 3.§. septimo in quo potest. Ægido Bellano q. 66.a.9.dub.1.n.99. & Bonacina disp. 2.q.2. pun.7.n.22. Sumitur ex Innocent. 3. cap 1. de sacr. non iteram. Ubi ait in sacramentis imprimentibus characterem non esse iterationem faciendam, sed caute supplendum defectum, scilicet substantialem.

QUÆSTIO VIII.

Qui possint designari in patrinos, & quale sit eorum munus ac obligatio?

Patrinus in baptismo. IN baptismo solemni præter baptizantem, adhibendum esse patrinum qui levet baptizatū a sacro fonte, gravis obligatio est, quæ præcipue obstringit parochum baptizantem, ut recte docent authores ex Trident. sess. 24. cap. 2. de reform. Ad hujusmodi patrini susceptoris munus exercendū non postulari certam & determinatam ætatem, docet Sanch. lib.7. Matr.d. 61.n.11. Certū tamē est postulari usum rationis: cum debeat patrinus intelligere quod munus gerat, & quam obligationem subeat. Unde muneris hujus sunt incapaces infantes, mente capti, ebrij. Quilibet igitur baptizatus, rationis compos, sive vir, sive fæmina, patrinus esse potest saltem quoad valorem & contractionem cognationis spiritualis, ut habetur ex cap. in baptismate de consec. dist. 4.

Rogabis 1. qualiter requiratur baptismus ad patrini munus? Respondeo ita requiri, ut nec gentilis, imò nec cathecumenus validé tenere possint baptizandum, quacunque intentione teneant: proindeque nullam contrahere cognationem. Nam carens baptismo non subjicitur statutis Ecclesiæ. Quod procedit de quocunque non baptizato baptizante, etiam si postea baptizarentur. Nam quod ab initio irritum fuit, tractu temporis non convalescit, ut tenet Sanch. l. 7. Matr. d. 61. contra Toletum lib. 2. sum. c. 23. Sic se habet non cōfirmatus ad hoc ut nequeat suscipere confirmandum. Quanvis Leander de confr. d. 5. q. 4. probabile reputet oppositum. *Baptizatus ut sit patrinus.*

927. Rogabis 2. an & qualiter possit hæreticus esse patrinus? Respondeo ex Sanch. citato, & Palao de bapt. pun. 11 §.1.n.75. posse valide suscipere, proindeque contrahere spiritualem cognationem, illicite tamen graviter. Nam hæreticus ineptus est ad instruendum puerum in fide, cum ipse in fide erret. Unde melius erit baptizare solemniter sine patrino, quando catholicus non adest, quám admittere hereticum. Quid si petat pater a catholico Sacerdote ut filium suum baptizet, sed velit admitti patrinus hæreticus? Non poterit admitti, nisi forte ad evitandum grave detrimentū, ut v.g. si timeretur filius adducendus ad sacerdotem hæreticum. Quia tunc permitteretur minus malum, ad evitandum maius. Unde in simili necessitate bene notat Tamburinus de bapt. lib. 2. cap. 5 §.2.n.8. te posse esse patrinum in baptismo conferendo per hæreticum, dummodo protesteris te suscipere ad ritum Romanæ Ecclesiæ, ne videaris te obligare ad instruendum infantem more hæretici baptizantis. *Hæreticus patrinus.*

Rogabis 3. qualis esse debeat patrini unitas & designatio? Ex Trid. sess. 24. de reform. matr. c. 2. cōstat in patrinis requiri simul unitatē. & designationē. Circa unitatē statuitur quòd patrinus sit unus tātū. sive vir, sive mulier: vel ad sūmū unus & una, scilicet unus tātū vir, & una tātū fæmina. In quo (ut docet Sanch. lib. 7. Matr. d. 57. n. 5) vel ut plures patrini sint, nec Episcopus dispensare potest, cum sit lex Concilij Generalis: ejus tamen (addit) trāsgressio lethalis non est: quidquid in oppositum teneat Leander de bapt. disp. 7. Quid si maritus & uxor sint patrini alienæ sobolis? Suar. ad q. 67. de bap. a. 8. ver. 2. credit esse peccatum veniale ex prohibitione Urbani 2. Dicendum tamen cum Sanch. lib. 7. matr. d. 57. n. 5. Nullum esse peccatum: quia vel Urbanus id non vetat, vel constitutio jam in usu non est. *Patrinorū unitas* *Maritus & uxor patrini an esse possint.*

928. Circa designationem, certum est eam

primo

Designatio patrinorum. primò ac per se spectare ad parentes, seu ad eos, quibus incumbit, ut quis baptizetur, & in horum defectum, ad parochum. Quid si omittatur designatio? Olim contrahebant cognationem qui tangebant, etiam non designati: at post *Triden.* unum solus legitimè designatus contrahit: quia (ut docet *Sanches citatus*) designatio spectat ad formā substantialem. Quid si designentur plures quam postulat *Trident.* & illos admittat parochus? Quāvis *Sanch l.7. matr. disp. 57. n.14.* dicat peccaminosam venialiter esse talem admissionem, sed omnes contrahere spiritualem cognationem: nihilominus probabile est lethalem esse admissionem, & neminem cognationem contrahere. Ita *Tamburinus de bapt. lib 2. cap. 4. §. 2. n. 13.* ex *Suario de sacram. ad q. 67. a. 8. ver. 2.* Quia tunc non servatur forma a Tridentino præscripta. Quod intelligitur, si simul designentur: nam si successivé, ille unus, vel ille unus & illa una contrahent qui prius fuerint designati, & non alij. Quid si se ingerat quis ad hoc munus, & non rejiciatur a parentibus vel parocho? *Diana p. 9. tr. 7. ref. 50.* ex *Palao* bené resolvit contrahere, tanquam legitimé designatum, sed tacité. Quod intelligitur quando facilé rejici potest, & non rejicitur.

Patrinorum multitudo.

Rogabis 4. quinam ab hoc munere patrini repelli debeant? Respondeo 1. cum *Tambur. de bapt. lib. 2. cap. 4. §. 2. n. 16.* repelli patrem & matrē, quādo non datur necessitas. Si enim datur, & pater vel mater baptizet filium: nec peccabit, nec cognationem contrahet, ut privetur jure petendi debitum. Respondeo 2. cum eodem *de confirm. cap. 4. a n. 12.* nec repelli fratrem, nec sororem etiam extra necessitatem. Unde possunt suscipere, & tūc contrahent cognationem. Respondeo 3. repelli, seu prohibere a tali munere religiosum vel religiosam ex *cap non licet, de consec. disp. 14.* Si tamen suscipiant, contrahent cognationem. Quia licet prohibeantur, non fiunt inhabiles ad suscipiendum.

Pater & mater ad patrini munus

929. Rogabis 5. an per procuratorem possit quis subire patrini munus, ita ut contrahat veram cognationem? Negat cum multis *Sanch. lib. 7. matr disp 59. n. 4.* Quia cognatio spiritualis ut contrahatur, personalem susceptionem patrini desiderat. Nam canones eam inducentes utuntur his verbis. *Suscipit accipit, tenet, levat,* quæ denotant perpersonalem actionem.

Patrinus per procuratorem.

Affirmandum tamen est cum *Basilio Ponce lib. 7. matr. cap 39. n. 10. Rebello de just. 2. p. lib. 3. q. 6. Bellano disp. 32. matr. n. 4. Barbosa 2 p. de potest. Episc. all. 30. n. 5.. & Palao de bapt. p. 11. §. 2. n. 16.* quod fatetur probabile *Sanch. citatus.* Sumitur ex generali regula, scilicet medio procuratore præstare quis potest quæ per se ipsum potest, si alijs non prohibeatur, regul. *potest quis de reg jur. in 6.* At in jure non invenitur prohibita constitutio procuratoris ad patrini munus. Illud compertum est solum principalem, & non procuratorem contrahere cognationem.

Quod attinet ad munus, & obligationem patrini in ordine ad baptizatum, videtur desumenda ex nominibus quibus illum appellant SS. Patres, nempe. *S. Dionys. eccl. hier. lib. 2. & Hiero. ibid.* vocat fidejussorem, quia is vi hoc a sacro fonte baptizatum fide jubet spondens se illius curam habiturum S. August. relatus in *cap. Vos ante omnia de consec. dist. 4.* dicit susceptorem, quia de manu baptizantis baptizatum suscipit erudiendum, & *S. Thom. q. 67. a. 7.* nuncupat pædagogum, quia instruere debet puerum in fide, ejusque vestigia dirigere.

Patrini munus quod.

930. Notat bené *Tamburinus de bapt. lib. 2. c. 4. §. 2. n. 23.* obligationem instruendi in fide & Christianis moribus non urgere nisi in casu necessitatis, quæ hodie vix adest: quia puer communiter supponitur sufficienter instructus a parentibus, vel parocho, quibus hæc cura magis incumbit.

QUÆSTIO IX.

Utrùm in omni baptismo patrini contrahant spiritualem cognationem, & qualiter?

Prior quæstionis pars supponit baptismū administrari solemniter, & quandoque privatim. Jam diximus num. 926. in baptismo solemni adhibendum esse patrinum ex gravi obligatione, quæ præcipué urget parochum. Addimus modò in baptismo privatim collato opus non esse patrino, adhiberi tamen posse. Igitur quærimus an patrinus in baptismo privatim administrato cōtrahat spiritualem cognationem? Affirmant *Ægidius Bellanus de sacram disp. 32. dub. 1. concl. 2. & Zambranus 1. de sac. bapt. dub. 18. a n. 4.* ex paritate rationis, nam baptizans contrahit, ergo & patrinus tenens baptizatum. Negandum tamen est cum *Sanches lib. 7. matr. disp. 62. & Hurtado de matr. disp. 18. diff. 6.* Quia jura inducentia talem cognationem, de solo baptismo solemni intelliguntur, ut docent interpretes. Unde nec etiam talis cognatio contrahitur, quando in Ecclesia suppletur solemnitas baptismi privati. Quia tunc patrinus nō est veré susceptor in baptismo. Idé omninó procedere, quando sub conditione baptismus confertur, recté tradit *Tambur. cit. cap. 5. §. 3. n. 6.*

Patrinus in baptismo privato.

931. Circa posteriorem quæstionis partem, qualiter a patrino contrahatur spiritualis cognatio, nempe qua intentione, cognitione, & actione? Imprimis requiritur intentio, non quidem contrahendi spiritualem cognationem, imo nec expressa faciendi munus patrini, sed solum implicita faciendi scilicet quód alij faciunt, vel Ecclesia intendit. Quid si quis teneat baptizandum, habeat tamen expressam voluntatem non contrahendi cognationem? Respondeo cum *Palao de bapt. pun. 11. §. 2 n. 4.* si solum teneat materialiter nolens esse patrinus, non contrahere cognationem, quia tunc patrinus non est, in quo solo fundatur cognatio: si teneat formaliter volens esse patrinus, necessario contrahere cognationem, etiam si nolit. Quia illa per Ecclesiam patrino affigitur.

Intentio faciendi munus patrini.

Quid de cognatione, si interveniat error, v.g. si quis suscipiat Petrum existimans, atque adeo intendens suscipere Paulum? Respondet *Palaus cit. §. 2. n. 5.* cū *Basilio Ponce lib. 7. matr. cap. 39. n. 9. &* alijs

Error in patrino.

alijs esse verum patrinum Petri, & cum eo contrahere veram cognationem, non obstante errore illo. Quia sicut similis error non obstat baptizanti, ita obstare non debet suscipienti. Hoc probabile est: sed existimo oppositum probabilius, scilicet probabiliorem partem negativam cum *San b.lib.7.matr.d.58.n.5. & 6.* Talis enim patrinus non fit ex defectu intentionis. Est autem disparitas in baptizante & suscipiente in ordine ad errorem personæ: nam baptizans tenetur dirigere intentionem ad præsentem, ne sacramentum tam necessarium evadat irritum: non ita suscipiens, præcipuè quia ex vera susceptione subit onus docendi, & forte indecorum sibi erit docere talem personam.

Tertio & susceptio patrinus. 932. Quid de actione? *Sanch.lib.7.matr.d.56.* ex *cap.1.de cognat.spirit.in 6.* & alijs textibus rectè docet unum ex duobus requiri ad contrahendam spiritualem cognationem, scilicet vel teneri puerum, dum baptizatur, seu aqua abluitur, vel suscipi de baptizantis manibus, ubi primum baptizatus est. Unde nec sufficit tenere puerum super fontem ante baptismum, nec suscipere de susceptoris manibus. Item non sufficit quicunque tactus momentaneus digito vel manu: sed requiritur sic tangi ut verè teneatur, aut levetur de sacro fonte, etiam si vestibus contectus sit. Quod procedit tam de infantibus, quàm de adultis. Addit *Sanch.n.10.* non postulari responsionem patrinorum pro puero, dum fit catechismus.

QUÆSTIO X.

Quodnam sit baptismi legitimum subjectum?

Baptismi subjectū. Certum est 1. legitimum baptismi subjectum esse solum hominem viatorem. Ita Theologi cum *S.Thom.q.68.a.11.* Nam Christus Dominus pro solis hominibus viatoribus sacramenta instituit. Ut veró quis pro habenda capacitate ad baptismum censeatur viator, debet extra matris uterum natus esse, saltem secundùm aliquam sui partem. Quia dum in utero inclusus manet, immediaté ablui nequit. Certum est 2. quenlibet hominem, quomodocunque egrediatur matris uterum, statim manere baptismi capacem, ita ut opus non sit expectare rationis usum. Definitur a *Tridentino sess.7.can.13.* Appellatione hominis venit etiam mulier, quæ etiam baptizari debet: in quo patet discrimen inter baptismum & circuncisionem: nam baptismus complectitur utrumque sexum, circuncisio emplectebatur solum virilem.

Monstrū ad baptismum. Rogabis 1. an & qualiter monstrum baptizari possit & debeat? Dupliciter evenire solet monstrum 1. ex coitu bruti cum muliere 2. ex coitu viri cum muliere. Dicitur autem monstrum a monstrando, quód aliquid significando demonstret. & a *Conimb.2.Phys.c.9.q.5.a.1.* definitur naturalis effectus a recta & solita secundùm speciem dispositione degenerans. Sed ut sic latiùs patet quàm prout illud hoc loco accipiamus.

933. Sit igitur 1. resolutio Si monstrum eveniat primo modo, nempe genitum ex bruto & muliere, baptismi incapax est. Ita *Possevinus de bapt. cap.6.n.13. Bonac.disp.2.q.2 p.un.3. & Palau disp. un.pun.6.n.4.* Patet, quia baptismus fuit institutus pro solis hominibus ad tollendum peccatum originale: at tale monstrum non est homo, nec habet peccatum originale: hoc enim ab Adamo in posteros traducitur per semen virile.

2. resolutio: Si monstrum eveniat secundo modo nempe genitum ex viro & muliere, baptizari debet. Ita præter citatos authores *Filliucius tr.2.c.6.q.10.n.150.* Quia tale monstrum est verus homo ex corpore & anima rationali constans. Imo si appareat duplex homo, quia habet duo capita, & duo pectora, duplex ei baptismus coferendus est. Quid si constat hominem esse, dubitetur tamé, sit ne unus, an duplex: quia v.g. habet duo capita in uno pectore, vel duo pectora sub uno capite? Bené ex *Toleto lib.2.cap.21.n.6. Reginaldo lib.27.num.65.* & alijs respondet *Bonacina citatus n.4.* duplicem baptismum illi conferendum esse, unū absoluté in ea parte in qua perfectius caput vel pectus cernitur, alterum sub conditione in alia parte. Quid si dubium cadat in unum monstrum, itaut dubitetur sitne genitum ex viro & muliere, an ex bruto, & muliere. Baptizandum est sub conditione.

934. Rogabis 2. quid possit & debeat fieri ne infans in matris utero moriatur absque baptismo? Constat mortuum baptizari non posse. Quia subjectum baptismi est homo viator constans ex corpore & anima rationali. Cum veró homo quandiu latet in matris utero viator non sit, proindeque baptismi incapax, quærimus an detur casus in quo mater secari debeat, ne infans absque baptismo moriatur? Conveniunt cum *S.Thoma in 4.d.6.q.1.a.1. Sylvester v.baptismus 4.n.2. Navalens de b.pt.c.5.n.21.* & alii communiter, si mater moriatur, & puer in utero credatur vivere, matrem ipsam scindendam esse, ut baptizetur extractus puer, & sic non maneat salute æterna destitutus: quandiu veró mater vivit, nō esse secandam pro extrahendo & baptizando puero, quanvis illa credatur moritura ob partum. Quia non sunt facienda mala ut veniant bona. *Viator homo ad baptismū* *Mater secāda ut baptizetur infās*

Quid si mater gravida juridicé damnetur ad mortem: Ex *L.prægnantis ff.de pœnis* sententiæ executionem differendam esse, recté docent *Covarr.4.variar.cap.4 & Reginal.lib.27.n.17.* Difficultas est quid agendum, si ex dilatione prædictæ executionis immineat reipublicæ grave damnum? Bené ex *Filliucio tr.2.cap.6.q.7.n.139.* & alijs resolvit *Bonacina citat.pun.6.n.10.* Uterum matris aperiri posse, ipsa vivente, ut infans extrahatur & baptizetur. Id enim tunc fiet authoritate publica, ex justa causa. Quidquid dicat *Palaus tract.19.disp.un.p.6.n.2.* intendens probare casum esse moraliter impossibilem. De matre procurante aborsum causa sanitatis, egimus in priori parte. n.673.

QUÆS-

QUÆSTIO XI.

Qualiter baptizari debeant infantes tum qui ex fidelibus nascuntur, tum qui ex infidelibus?

935. PRO expedienda priori quæstionis parte, imprimis quòd liceat, & expediat baptizare filios Christianorum ante usum rationis, docet *Suar. de bapt. disp.* 25. *sect.* 2. tanquam certum de fide; definitum a *Trid. sess.* 7. *can.* 13. *de bapt.* Constat quòd sit licitus talis actus; nec enim per se, & ex objecto est intrinsecè malus; nec positivo jure prohibitus. Constat, quòd sit expediens; nam baptismus confert pueris gratiam, qua liberantur a potestate Diaboli, & præveniuntur, ne casu aliquo obruantur & pereant. Quare urgente necessitate tenentur baptizare infantē exteri ex charitate, parentes ex pietate, pastores Ecclesiæ ex justitia. Imò baptizari debet infans ante perfectam nativitatem, juxta proximè dicta n. 934.

Infantiũ baptismus.

Extra necessitatem (ut docet *Suar. prox citat.*) nullum est præceptum divinum baptizandi pueros ante usum rationis: est tamen Ecclesiasticum consuetudine introductum: juxta quod parentes tenentur filios offerre, & pastores Ecclesiæ baptizare, etiam invitis parentibus. Unde *Tambur. de bapt. lib.* 2. *cap* 3. §. 1. *n.* 1. benè affirmat teneri parentes sub mortali suorum infantium baptismum non valde differre.

Quale autem sit hoc *valde*, seu ista nimia dilatio ad gravem culpam requisita, non consentiūt authores. *Bonacina de bapt. d.* 2. *q.* 2. *p.* 2. *n.* 6. credit, si in ea diœcesi, non detur speciale præceptum, non esse lethalem dilationem trium, vel quinque dierum, aut plurium: immo (addit) absolutè baptismum differri posse, nonnulli docent, dum rationabilis causa subest, nec periculum mortis imminet. *Barthol. de Ledesma diff.* 14. quem sequitur *Leander de bapt. q.* 14. dicit posse differri in diem octavum: imò usque ad decimum & duodecimum. *Petrus Ledesma de bapt. cap.* 7. judicat esse nimis & mortale differre quindecim aut viginti dies sine urgenti causa. Tu ex dictis sententijs elige, quæ pro circunstantijs occurrentibus tibi videbitur probabilior.

Baptismi dilatio a quanta.

936. Quod attinet ad baptismum infantium, qui nati sunt ab infidelibus, difficultas est an liceat baptizare infantes filios infidelium, ipsis parentibus invitis? Constat posse Ecclesiam ratione potestatis spiritualis dare baptismum filijs infidelium sibi subditorum, quales sunt apostatæ, qui in hæresim, Judaismum, vel paganismum inciderunt. Quæstio est de infidelibus nullo modo Ecclesiæ subditis: in qua apud *Palaum de bapt. punt.* 6. *n.* 5. certum est 1. baptizando esse filios infidelium rationis compotes, si velint, etiam repugnante utroque parente. Nam sui juris est unusquisque in ijs, quæ ad salutem animæ pertinent. Si autem dubitetur de usu rationis, & urgeat necessitas, baptizari debent: si non urgeat, expectanda est maior cognitio. Sic docet *Suar. sect.* 3. ubi asserit, si parens infidelis offerat baptizandum filium, de cujus usu rationis dubitatur, & ipse nolit, baptizari non debere.

Baptismus infantium qui sunt filij infidelium.

Certum est 2. baptismum collatum quacunque ratione filijs infidelium ante usum rationis, validum esse, si adsint omnia substantialiter requisita, scilicet materia, forma, & debita intentio ministri. Certum est 3. Infantes illos etiam per injuriam baptizatos, segregari debere a parentibus, adveniente usu rationis. Quia tunc perversionis adest periculum.

Resolutio tamen quæstionis negativa, scilicet neque privata, neque publica authoritate baptizari posse infantes filios infidelium parente utroque repugnante, vera est. Ita cum *S. Thoma* 2. 2. *q.* 10. *a.* 1. *Suar. de bapt. d.* 25. *sect.* 3. *concl.* 1. *& Vasq. d.* 155. *cap.* 2. *an.* 10. Ratio est, quia tunc vel baptismus conferretur eripiendo infantem parentibus, vel relinquēdo illum: si primum, infertur injuria parentibus: si secundum, datur sacrilegium, quia puer educatus ab infidelibus, horum erroribus involvetur. At (notat *Suar. sect.* 3.) si talis infans ita ægrotet, ut de illius vita moraliter desperetur, baptizari poterit invitis parentibus, tamen secretò sine manifesta vi, & scandalo. Idem cum *Palao num.* 15. *& Layman lib.* 5. *tr.* 2. *cap.* 6. de perpetuo amente: hic enim invitis parentibus baptizari poterit ob ejus extremam necessitatem. Deinde si jure, vel injuria sit infans extra potestatem parentum, vel tutorum infidelium, & nulla detur spes, & obligatio, ut illis restituatur, baptizari poterit.

Parentes ad baptismum filiorum.

937. Rogabis 1. an sufficiat consensus unius parentis, altero invito, ut possit infans baptizari? Benè cum *Suario citato* affirmant *Bonacina disp.* 2. *q.* 2 *pun* 6. *num.* 12. *Palaus disp. cit. pun.* 6. *n.* 11. *& Tamburinus cap* 3. §. 2 *n.*... sive alteruter parens ante natum filium esset fidelis, sive post natum converteretur, sive nunquam. Ratio est, quia cum ille consensus sit in favorem religionis, & bonum filij, præferri debet. Quod intelligitur per se: evenire enim potest, ut non expediat baptizare, altero invito propter periculum apostasiæ, vel alicujus sacrilegij.

Infideles ad baptismum filiorum.

Rogabis 2. an liceat baptizare infantes invitis tutoribus infidelibus, quando illi sunt parentibus orbati? Benè negat *Tamburinus citatus n.* 3. Quia tutores jure naturali succedunt patri, quando pater eos constituit, sicut eidem patri, ex eodem jure succedit avus. Unde observat rectè, quando tutores sunt jure civili constituti, & Principi Christiano subjecti, posse dictos infantes baptizari, ipsis tutoribus invitis. Quia tunc Princeps poterit ab illis auferre potestatem, eamque conferre tutori Christiano: in quo casu (ut ait *Hurtadus de bapt. d.* 3. *diff.* 4.) separandus est puer ab infidelibus, ne periculum subeat perversionis.

Rogabis 3. an infantes filij hæreticorum possint ritu catholico baptizari invitis parentibus? Respondeo affirmativè cum *Suario sect.* 5. *Hurtado d.* 3. *diff.* 4. *Palao p.* 6. *n.* 9. *& Tambur.* §. 2. *n.* 5. Ratio est, quia cum parentes hæretici per baptismum maneant subditi Ecclesiæ, possunt ab eadem cōpelli ad servanda omnia præcepta naturalia, divina,

Hæreticorum filij ad baptismum.

na, & Ecclesiastica, atque adeo ad servandum præceptum de baptismo. Si autem detur periculum subversionis, a parentibus separari debent.

Infideles subditi Christianorum principum

938. Rogabis 4. utrum jure possint baptizari invitis parentibus filij infidelium, qui subduntur Christianis principibus? Supponendum est dupliciter posse tales infideles subjici, 1. politicé, quando sunt aut fiunt vasalli & subditi principum Christianorum. 2. serviliter quando eorum sunt & fiunt servi, vel si pretio emantur, vel si justo bello capiantur v. g. gentiles, Saraceni, & Turcæ. Dico 1. si parentes infideles solum politicè subdantur, ipsis invitis eorum filij infantes baptizari nequeunt, Ita *Suar. sect.* 4. Ratio est quia parentes infideles politicè subditi privari nequeunt jure patriæ potestatis in filios: talis enim subjectio non operatur tantam vim. Dico 2. si dicti parentes, vel filij subdantur Christiano principi serviliter, ita ut eorum maneant servi, poterunt eorum filij illis invitis baptizari. Ita citati authores. Patet, quia Dominus ex vi dominij potest separare filium servum a parente servo, sive vendendo, sive aliò mittendo, ac proinde potest eo invito filium infantem baptizare. Procedit resolutio loquendo per se & seclusis extrinsecis incommodis.

Servi Christianorum infideles ad baptismum.

Rogabis 5. An detur obligatio baptizandi prædictos infantes in omnibus casibus, in quibus licite baptizari possunt invitis parentibus? Affirmat *Vasq.* 3. *p disp.* 155. *cap.* 7. ductus illo generali principio, quo omnes tenentur liberare proximum a summa miseria, qualis est carentia baptismi, si commodè possint. Negandum tamen est cum *Suario sect.* 6. *Bellano q.* 68. *a.* 10. *dub. unico*, *Layman lib.* 5. *tr.* 2. *cap.* 6. *q.* 5. *conc.* 2. *& Bonacina d.* 2. *q.* 2. *pun.* 6. *n.* 14. Ratio est, quia sæpe incommoda quæ timentur ex collato baptismo ita possunt esse dubia & incerta, ut meritò sub opiniorem cadant, an præponderent utilitati, quæ ex baptismo provenit: in quo eventu datur optio ut baptismus conferatur, vel non.

939. Rogabis 6. An semper domini teneantur baptizare infantes infidelium filios bello captos, & non reddere parentibus empturis? Negativa resolutio vera est & communis, quam defendunt *Suar. disp.* 25. *sect.* 6. *Ægid. Bellan. q.* 68. *a. dub. un. Laym. lib.* 5. *tr.* 2. *cap.* 6. *q.* 5. *concl.* 2. *& Bonac. disp.* 1. *q.* 2. *p.* 6. *n.* 14. placuit *Tamborino §.* 2. *n.* 17. contra *Hurtadum d.* 3. *diff.* 5. Ratio est, quia nullum apparet jus ex quo teneantur: imprimis nulla datur obligatio ex vi dominij: quamvis enim dominus teneatur habere curam servi, tamen non tenetur conservare dominium: deinde non datur obligatio ex charitate, quia ultra temporale incommodum, postulat maior libertas baptismi. honor nostræ religionis & jus gentium, ut filij parentibus reddi possint. Addit ex opposito periculum ne detineantur apud infideles catholicorum filij, ex quo incidant in apostasiam.

QUÆSTIO XII.

Qualiter se habeat baptismus adultorum?

Adultorũ baptismus

AD perfectam doctrinam circa baptismum adultorum satis erit explicare quænam & qualis dispositio in illis requiratur ad valorem & fructum baptismi seu ut baptismus validè, & licite suscipiatur. Quod attinet ad priorem dispositionem, quæ scilicet postulatur in adultis, ut baptismum validè suscipiant, certum est requiri voluntarium consensum cum intentione suscipiendi baptismum. Ita cum S. Augustino lib. de bapt. cap. 24. ex Innocent. 3. in *Maiores de bapt.* probat *Suar. disp.* 24. *sect.* 1. Deinde ratione, quia homo adultus est Dominus suorum actuum, ac proinde sine proprio consensu, nec spiritualiter regenerari, nec membrum Ecclesiæ fieri potest. Nom enim expediebat (inquit *Palaus pun.* 7. *n.* 1.) Christum involuntarios milites habere, suisque præceptis renuentes obstringere.

Intentio baptismi qualis.

940. Difficultas est an sufficiat consensus, seu intentio habitualis, quæ cõsistit in eo quòd præcesserit actualis, & hæc non fuerit per contrariam retractata? Rectè affirmant *Suar. disp.* 24. *sect.* 1. *Bonacina de bapt. d.* 2. *q.* 2 *p.* 6 *pag.* 2. *n.* 17 *& Palaus de bapt. p.* 7. *n.* 2. Sumitur ex consuetudine Ecclesiæ declarata per Innocent. III. in *c. p. maiores, de bapt.* Nec obstat (inquit citatus Palaus) hanc voluntatem esse insufficientem pro baptismi administratione: quia minor voluntas ad recipiendum baptismum, quàm ad ministrandum requiritur.

Amens ad baptismũ.

Ex hac resolutione bené inferunt citati authores sufficere habitualem consensum, ut validé baptizetur qui incidit in amentiam, phrenesim somnum, vel inadvertentiam, etiam si in ipsa amentia aut phrenesi resistat: quia tunc hæc resistentia actus humanus non est. Licité autem fiet (ut notat *Suar.*) si necessitas urgeat, ut homo in tali statu baptizetur. At non licebit extra casum necessitatis prædictis baptismum conferre, tum ob imperfectam suscipientium voluntatem, tum ob reverentiam sacramento debitam. Quid si dubitatur de amente, an baptismum ante amentiam petierit? Bené respondet *Bonac. cit. n.* 21. cum *Heriq. & alijs* baptizandum esse sub conditione, si petijt baptismum, modò non constet permansisse in statu peccati mortalis. Quia melius est decedere cum baptismo dubio, quam sine ullo baptismo. Si autem constet permansisse in statu peccati mortalis, v g. in concubinatu baptizandus non est.

Cõsensus in baptismum.

941. Quid quando non præcessit actualis consensus, & quis sui compos, & advertens baptizari, meré negativé se habet, nec resistens, nec consentient? Bené docet citatus *Suar.* irritum esse baptismum. Quia talis nec ante baptismum, nec in eodem veré & positivè consensit. Quid si consensus fuit positivus & voluntarius simpliciter, sed invo'untarius secundùm quid, nempe vi aut metu extortus? Bené resolvũt *Suar. & Palaus* locis citatis, talem baptismum esse validum: sive (addit *Suar.*) metus fuerit datus ab intrinseco & absq; injuria, sivé ab extrinseco per injuriã. Quod tradit

Metus in baptismo.

tradit de fide definitum ab *Innocent.3. cap. Maiores de baptismo.* Addit sufficere voluntatem ejus qui baptizatur absque dependentia ab alio humano consensu. Unde filius familias validè baptizabitur repugnante patre, & servus repugnante domino, & quicunque repugnante superiore. Sunt enim sui juris in ijs quæ ad salutem pertinent.

Dispositio in suscipiente baptismum. Quæres, utrum fides, vel aliqua alia dispositio præter declaratam requiratur in suscipiente baptismum ad ipsius valorem? negativè respondet. *Suar. de bapt. disp. 24. sect. 2.* & rectè colligit ex *Cap. Maiores, de baptismo*, probatque ratione, quia non expedit ut substantia rei pendeat ab accidentibus extrinsecis, & causa ab effectu, nec proinde a dispositione, quæ ad effectum ordinatur.

942. Quod attinet ad posteriorem dispositionem, ut quis licitè & cum fructu baptismum suscipiat: cum sit duplex, altera ad intellectum, altera ad voluntatem pertinens, Dico 1. ut adultus licitè, & cũ fructu m baptismum suscipiat in intellectu debet habere fidem, quæ est virtus supernaturalis infusa, qua revelatis mysterijs assentimur. Ita *Bonac. cit. n. 24. Palaus pun. 7. n. 3. & Tamb. §. 3. n. 2.* Sumitur ex Mat. ult. *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Ubi ante baptismum jubenter gentes instrui in fide, & præceptis. *Fides & præcepta edocenda ante baptismum.*

Unde extra mortis periculum, rectè cum alijs affirmat *Sanch. lib. 2. decal cap. 3. n. 24.* esse peccatum mortale, adultum baptizare, ante quam intelligat mysteria fidei, scilicet Trinitatis, Incarnationis, & Passionis Christi Domini; item quin notitiam habeat saltem in genere præceptorum tum decalogi, tum Ecclesiæ. Addit Palaus n. 3. debere credere virtutem baptismi, ut illius effectum sperare possit, & se ad illum suscipiendum disponere. Iuxta ea quæ resolvimus ad finem n. 941. rectè observat *Bonacina n. 22.* posse evenire, ut quis non habens fidem infusam, recipiat verũ baptismum & characterem, v.g. si instructus ab hæretico, atque adeo non sufficienter dispositus ad fidem, habeat intentionem recipiendi baptismum a Christo Domino institutum.

943. Dico 2. Ad licitam & fructuosam susceptionem baptismi in adulto habente conscientiam peccati mortalis requiritur saltem attritio. Hæc tanquam de fide traditur à *Suario disp. 24. sec. 2. & Bonacina multis citatis num. 25.* Sumitur ex *Trident. sess. 6. can. 6. & Act. 2.* ubi dicitur *Pænitentiam agite, & baptizamini.* Dixi saltem attritio: quia cum baptismus sit sacramentum mortuorum, ad illud suscipiendum non præexigitur gratia nec proinde contritio, quæ est dispositio causans gratiam, sed sufficit attritio, cum qua illud gratiam confert. *Attritio in baptizando.*

Rogabis 1. Utrum attritio naturalis, seu naturalis dolor de peccatis sufficiens dispositio sit, ut cum ea baptismus conferat gratiam? Affirmant *Sotus dist. 6. q. 1. a. 7. & d. 1. 14. q. 2. a. 5.* & alij apud *Henr. lib. 2. cap. 26. n. 3.* Negandum tamen est cum *Valent. tract. 4. disp. 4. q. 3. pun. 3. Suario disp. 28. sect. 2. Filliucio tr. 2. cap. 5. q. 7.* Sumitur ex Trident. sess. 6. cap. 6. & sess. 14. cap. 4. ubi dicitur attritionem esse donum Dei; ex quo docent Theologi requiri attritionem, quæ procedat ex auxilio supernaturali propter metum gehennæ, aut turpitudinem peccati, ac proinde supernaturalem. Imo nec sufficit quòd talis attritio sit putata, sed requiritur quòd sit vera & realiter existens. *Pænitentiæ actus in adulto baptizando.*

Rogabis 2. Utrum teneatur elicere actum saltem attritionis adultus qui recipit baptismum cum solo peccato originali, & sine actuali mortali? Respondeo negativè cum *Suario* proximè citato, *Henriq. lib. 2. cap. 24. n. 3. & Filliucio tr. 2. c. 5. q. 7.* Constat ex *S. Augu. lib. de vera pænit. cap. 8.* & ratione, quia pænitentia, qualis est attritio vel contritio, est de peccatis a pænitente commissis, cum sit retractatio prioris voluntatis: at peccatum originale non est commissum ab adulto, sed solum transmissum ab Adamo parente primo. Sufficiet igitur in tali adulto propositum servandi legem Dei, cum intentione suscipiendi baptismũ, & fide.

944. Rogabis 3. an adultis baptizandis qui actu pænitentiæ indigent, sit aliqua satisfactio imponenda? Benè cum *S. Thoma, Valentia, Suario,* & alijs citatis respondet negativè *Bonacina disp. 2. q. 2. p. 6 n. 28.* Ratio est, quia per baptismum, quando adest verus actus detestationis peccatorum, remittitur non solum culpa, sed etiam pœna peccatis debita, & ideo non est imponenda satisfactio, sicut imponitur in sacramento pænitentiæ. Ex dictis rectè monet *Tamburino §. 3. n. 6. ex Quintanad. sing. 23.* Quando infidelis damnatus ad mortem convertitur ad Christum, posse differri ejus baptismum ad locum patibuli, ut sic obtineat securiùs æternam vitam.

QUÆSTIO XIII.

Quales sint effectus baptismi?

NON est nobis sermo de extraordinarijs effectibus baptismi, qui sunt speciales gratiæ & beneficia, solentque a Deo aliquando concedi suscipientibus baptismum, v.g. sanitas, miraculosa, qualis Constantino Imperatori collata. Item non loquimur de effectibus secundarijs, qualis v.g. ablatio irregularitatis ex delicto, obligatio servandi præcepta Ecclesiæ, & ablatio servitutis corporalis, quam benè negat *S. Thom. in 4. dist. 39. a.* & solum admittit *Bonacina n. 17.* in loco, ubi id fuerit receptum in favorem fidei. Inquirimus solum effectus baptismi ordinarios, & veluti primarios, qui sunt tres, scilicet gratia habitualis remissiva peccatorum, remissio pœnarum, quæ peccatis debentur, & charecter. *Effectus baptismi.*

Quod attinet ad 1. effectum, baptismus non ponenti obicem confert gratiam remissivam peccati originalis, & quorumlibet actualium sive mortalium, sive venialium, & simul virtutes ac dona, quæ gratiam consequuntur. Est de fide, ut sumitur ex *Florentino sub Eugen 4. decreto de Armenis, & Trident. sess. 5. in decreto de peccato Orig. item sess. 7 de sacr. in gen. can. 6.* ut videre est apud *Suar. disp. 6. Bonacina de bapt. d. 2. q. 2. pun. 7. n. 2. & Palaũ tr. 19. pun. 9. n. 2.* Dicitur gratia illa remissiva,

hoc est potens remittere: non enim semper actu remittit, sicut de facto non remisit in Beata Virgine, quando suscepit baptismum, ut pote immaculata ab omni labe peccati originalis & actualis.

Gratia collata per baptismũ quæ. 945. Conferat ne omnibus æqualem, vel inæqualem gratiam? Rectè præter citatos, respondent *Valent. to. 4. disp. 4. q. 4. pun. 1. Reginal. lib. 27. n. 60. & Filliuc. tr. 2. cap. 5. q. 8 n. 109.* pueris æqualem conferre, adultis veró inæqualem pro ratione maioris, vel minoris dispositionis. Est etiam hujusmodi gratia remissiva peccatorum venialium, quarum baptizatus complacentiam non habeat, ut rectè sumitur ex Concilio definiente baptizatos veterem hominem exuere, & induere novum, qui secundùm Deum creatus est, efficique innocentes, immaculatos, puros.

Dixi gratiam illam collatam per baptismum esse remissivam omnium peccatorum actualium: quod intelligitur de peccatis ante ipsum baptismum commissis, & non de illis quæ post baptismum committuntur. Nam quæ post baptismũ committuntur, spectant ad pænitentiam, quæ ideo appellatur secunda tabula post naufragium. *Peccata quæ delẽtur per baptismũ* Quid de peccato commisso in ipsa baptismi susceptione? Respondet *Bonacina citatus pun. 7. n. 4. §. ult.* non deleri per baptismum, sed esse subjiciendum (intelligit de mortali) sacramento pænitentiæ.

Quod attinet ad 2. effectum, baptismus remittit omnem pænam æternam & temporalem pro peccatis debitam. Ita citati authores, & esse de fide affirmat *Bonac. citatus n. 5.* Sumitur ex *Florent. in decreto Armen.* ubi statuitur baptizatis nõ imponi satisfactionem pro peccatis præteritis item ex *Trident. sess. 5. §. 5. de peccato orig.* Ubi dicitur baptizatos exuere veterem hominem, & induere novum, qui secundùm Deum creatus est, efficique innocentes, immaculatos, puros, hæredes Dei & cohæredes Christi, itaut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur. *Pœnarum remissio in baptismo.*

Pœnalitates non tolluntur per baptismum. 946. Dixi (omnem pænam pro peccatis debitam (quia sunt nonnullæ pænalitates, ex originali peccato nos consequentes, nempe concupiscentia, seu rebellio carnis contra spiritum, infirmitas & mors, quæ per baptismum non auferuntur. Illæ enim non sunt pænæ debitæ peccatis: siquidem in statu puræ naturæ evenirent. Imo consonum fuit, ut manerent post baptismum: quia ad patientiæ exercitum, & augmentum virtutum non leviter conferunt. Deinde quia cum Christus habuerit corpus passibile in hac vita, dissonum valde foret, quòd illius membra, quales nos sumus, immortales & impassibiles essemus.

Quod attinet ad tertium effectum, quia est character signum quoddam spirituale indelebile, per quod baptizatus manet distinctus a non baptizatis, constat ex *Florent. decreto de Armenis, & Trident sess. 7. de baptismo* per charecterem reddi baptizatum incapacem suscipiendi denuo baptismum. Congruentia patet; quia baptismus est quædam regeneratio spiritualis: fuit igitur congruum, ut sicut nemo bis nasci potest, ita nec bis renasci posset. Characteris igitur indelebilis perpetuitas facit, ut baptismus iterari nequeat. Qualiter autem & quando fieri possit ac debeat illius iteratio sub conditione, diximus tota *quæst. 5.* An baptismus susceptus cum obice & fictione suum effectum producat sublato obice, & recedente fictione? Affirmativé resolvimus *sect. 1. q. 5. n. 873.* De pænis malè, vel bis baptizantis, agemus *tract. 50.* qui erit de irregularitate. *Character effectus baptismi.*

QUÆSTIO XIV

De baptismo sanguinis seu martyrio quid sit: quos effectus, quomodo, & quando habeat?

947. Quod apud Græcos martyrium, apud Latinos testimonium sonat, & est præcipuus fortitudinis actus, cum pro testificãda veritate fidei, vel alicujus virtutis mors sustinetur. Sic martyr idem valet atque testis. Martyrium igitur ex doctrina *S. Thomæ 2. 2. q. 124. a. 5. Suarij to. 3. in 3. p. disp. 29. sec. 1. & Bonacina de sacrament. disp. 2. pun. 1. prop. 1. & 2.* sic definitur: *Est passio, seu cruciatus lethalis susceptus pro Christi fide, aut pro vera virtute.* Quanvis enim martyrium sit actus elicitus a virtute fortitudinis, imperatur tamen ab alijs virtutibus, pro quibus conservandis subitur: sed præcipuę imperatur a virtutum regina charitate. *Martyriũ quid.*

Ad rationem veri martyrij solent ab authoribus quinque conditiones postulari. 1. est voluntas illud suscipiendi in adultis. 2. in ijsdem, dolor legitimus de peccato, si aliquod lethale commiserunt. 3. passio lethalis: non enim erit martyrium absque letho 4. est causa honesta, qualis v.g. conservatio fidei catholicæ, castitatis, vel alterius veræ virtutis. 5. ut adsit tyrannus qui mortem inferat in odiũ Christi, vel cõtẽptũ fidei, aut virtutis *Martir conditiones.*

Singulas libet paucis expendere. 1 requirit voluntatem liberam in adultis, non veró in infantibus, utpote voluntatis illius incapacibus: & quia sicut in illis sola reperitur culpa originalis quæ aliena voluntate contracta est, ita propria voluntas neque ad baptismum, neque ad martyrium postulatur: & sic Ecclesia infantes occisos ab Herode colit tanquam martyres. *Voluntas martyrij.*

948. 2. conditio in adultis peccati lethalis reis dolorem legitimum de peccato requirit. Dubium est an sufficiat supernaturalis atritio sine cõtritione? Rectè affirmatur cum *Suario de bapt. disp. 29. sect. concl. 2. Bellarm. cap. 6. de bapt. & Lessio lib. 3. cap. 1. dub. 3. n. 48.* Ratio est quia patiens martyriũ sufficienter per attritionẽ peccandi voluntatem rectrat, & inordinatum affectũ ad creaturam, revocat; cum veró hujusmodi retractatio attritionis (sufficiat in baptismo flaminis, cui Patres æquiparant, vel anteponunt baptismum sanguinis, seu martyrium, cum hoc sufficiet attritio. *Attritio cum martyrio.*

Huic resolutioni facilé acquiescit *Palaus de bapt. pun. 14. n. ult.* sed quia partem oppositam, quam absoluté defendunt *Vasq. disp. 153. a cap. 3. Layman lib. 3. sum. sec. 3. n. 6.* & alij plures judicat probabilem, recté monet adultum conscium peccati mortalis nõ esse rite dispositũ, sicut esse ad

baptis-

baptismum suscipiendum. Quia in tali casu tenetur conari ad contritionem ex præcepto charitatis propriæ, ne se exponat periculo probabili damnationis æternæ. Ita *Suar. disp. 29. sect. 3.*

Vulnus lethale in martyrio. 3. Conditio est passio lethalis, scilicet cruciatus per vulnus, percussionem, afflictationem, aut subtractionem illorum, quæ necessaria omnino sunt ad vitam conservandam, ita ut ex tali passione seu cruciatu sequatur infallibiliter mors. Unde non erit martyrium, si tyrannus in odium fidei infligat leve vulnus, ex cujus vi non moriatur vulneratus, sed ex incuria; quia noluit illi adhibere medicamenta, cum posset, & deberet. Talis enim mors non tam ex vulnere, quàm ex incuria evenit.

949. 4. Conditio est causa honesta ob quam quis mortem subeat: qualis erit (inquit *Bonacina n. 12.* *Hæreticus martyriū.* conservatio fidei catholicæ, virtutis religionis, castitatis, immunitatis Ecclesiasticæ, aut alterius veræ virtutis ex motivo supernaturali. Unde non erit martyr qui pro servanda veracitate aut fidelitate inter homines mortem sustineat, ex motivo vitandi dedecoris. Deinde (ut docet *Lessius lib. 3. cap. 1. n. 38.*) non erit martyr schismaticus aut hæreticus qui pro aliquo fidei articulo mortem subeat. Quia schismaticus non habet conjunctionem cum Ecclesia, hæreticus nō habet fidem: & Deo placere nequit qui extra Ecclesiam, vel sine fide est.

An sit veré martyr qui occiditur in bello pugnans contra illos qui in odium Christi, seu Christianæ religionis volunt civitatem destruere, vel ipsummet se defendentem? Non invveni in authoribus. Ego puto esse verum martyrem: quia fuit occisus in odium Christi: & ipse non tam pugnavit pro se defendendo, quam pro defendenda religione Christiana. Iudicent doctiores, quorum judicio me submitto.

Tyrannus ad martirium. 5. Conditio, quam requirit Bonac. n. 13. est, ut detur tyrannus addicens aliquem morti in odium Christi, vel contemptum fidei, aut sanctitatis. Unde objicienti bonum latronem appellari martyrem, cum absque tyranno subierit mortem ob sua scelera, respondet ex *S. Thoma*, quem citat & sequitur *Henriq. lib. 2. cap. 27. n. 4. Bellanus*, & alij, recté appellari martyrem bonum latronem quia, illi a tyrannis Judæis fuit accelerata mors in odium & ignominiam Christi. Fateor hanc conditionem tyranni requisiti ad martyrium, me non invenisse in *Vasquio*, *Suario*, aut aliquo ex primarijs Theologis, *Peste servientes.* fortassis quia noluerunt excludere a ratione martyrij servientes, & morientes in peste ob charitatem.

Martyrij effectus 950. Quod attinet ad effectum martyrij, duplex est, alter gratia habitualis remissiva in infantibus peccati originalis, & in adultis peccarorum, etiam actualium tum quoad culpam, tum quoad pænam. Ita *Valent. to. 4. disp. 4. q. 3. pun. 4. Suar. 3. p. disp. 29. sect. 2. & Bellar. de bapt. cap. 6.* Sumitur ex Sanctis Patribus & Augustino 1. de bapt. cap. 21. comparantibus & anteponentibus martyriū baptismo: hic autem confert gratiam remissivam peccati originalis, & actualis quoad culpā & pænā.

Ex quo advertendum est cum *Suario & Lessio* citatis posse evenire in martyrio, ut quis in actuali ipsius susceptione peccet venialiter, v.g. habens affectum vanæ gloriæ: in quo casu talis culpa, quæ potest stare cum gratia habituali, non tollitur per martyrum; siquidem in ipso non retractatur voluntas, sed adhæret objecto peccaminoso venialiter. *Martyriū cum peccato veniale.* Alter martyrij effectus est laureola, præmiū quoddam accidentale collatum martyribus, ad ornamētū, cōsistēs in quibusdam insignibus, ut videre est in meo Elucidario num. 40. *Laureola*

Qualiter veró conferat martyrium suum effectum, nempe gratiam peccatorum remissivam, conveniunt præter citatos authores *Reginal. lib. 17. n. 3. Filliuc. tr. 2. cap. 1. & Palaus tract. 19. p. 14. §. 2. n. 2.* illam conferre ex opere operato, seu ultra meritum operantis. Ratio est, quia, martyrium in conferenda gratia dicitur opus privilegiatum tam in ordine ad infantes, quàm ad adultos: sed conferre nequit infantibus ex opere operantis, cum sint incapaces merendi: deinde confert adultis instar baptismi, cum saltem ex privilegio æquipolleat; ergo illam confert omnibus ex opere operato: conferat ne physicé eo modo, quo baptismus confert, an moraliter? Rectè cum *Henriq. lib. 2. c. 34. n. 4.* respondet *Bonacina pun. 2. n. 5.* conferre moraliter, quatenus Deus intuitu martyr j illam cōfert: & merito hoc discrimen est inter baptismum & martyrium: nam baptismus actio sacra est prout a ministro exit: martyrium actio impia & sacrilega prout egreditur a tyranno.

951. Maior est difficultas circa tempus in quo martyrium suum effectum præstet. *Effectus martyrij quando detur.* Aliqui cum *Caietano 2. 2. q. 125. a. 4. ad. 4.* dicunt martyrium præstare suum effectum in instanti mortis. Hoc tamen sustineri nequit. Quia ultimum instans hominis juxta meliorem philosophiam est extrinsecum, cum in eo dicatur, non est homo, sed immediaté ante fuit: si ergo tunc daretur effectus, seu gratia baptismi, illam homo acquireret quando jam non est.

Rectiùs igitur sentiunt alij cum *Henriq. lib. 1. cap. 39. n. 1. Suario disp. 29. sect. 3. & Lessio n. 59.* scilicet talem effectum dari, quando martyr accepit lethale vulnus, seu talem cruciatum, ex quo mors fiat naturaliter inevitabilis. Ratio est, quia per illum ita homo existit vivus ad recipiendam gratiam, ut reputetur mortuus moraliter, seu in causa. Hæc sententia mihi placet, dummodo addamus cum *Bellano q. 66. a. 12. dub. 13. & Palao tr. 19. pun. 14. §. 1. n. 3. in fine*, esse insuper necessarium, ut ex cruciatu illo, sic usum sensuum & libertatis amittat, ut eam sine miraculo recuperare nequeat. Aliter cōpellamur fateri quempiā veré martyrem posse in peccatum, & statum damnationis incidere.

Observabis 1. cum *Suario citato* non privari fructu martyrij eum qui per miraculum evasit mortem infallibiliter eventuram ex

 lethali

lethali cruciatu. Imò consentaneum est divinæ misericordiæ,& pie credi potest,ita manere confirmatum in gratia,ut sit infallibiter gloriam cõsecuturus.

952. Observabis 2.cum *Henriq.lib.2.cap.36.n.1.* probabile esse ante Christi adventum extitisse *Martyres ante adventum Christi.* veros martyres, v.g. Machabæos,qui in fide Christi consecuti fuerunt justitiam, & cum eo postea obtinuerunt cælestem gloriam. Observabis 3. dari aliquando grave præceptum subeundi martyrium, quando nempe occasio & necessitas postulat,ut quis se offerat pro Christi & fidei honore defendendo. In quo adverte appellari martyres in affectu,illos qui martyrio non defuerunt, sed potius illis martyrium defuit. Observabis 4. cum *Sanch.lib.2.decal.cap.34.n.15.* Graviter peccare illos qui tyrannos irritant, & se martyrio offerunt temere & absque causa justa. Tales enim Deum tentant, & Dei tentatio peccatum in suo genere grave est.

SECTIO III.

De Sacramento confirmationis.

QUÆSTIO I.

Quid sit confirmatio: qualis ejus necessitas; ad quid,a quo,& quo tempore instituta?

953. *Confirmatio quid sit.* Confirmatio sic appellatur,quia baptizatos confirmat in fide recepta; rectè definitur ab *Henriq l.1.cap.6.n.4. Sacramentũ, quo homo viator baptizatus inungitur in fronte ab Episcopo,cum chrisinate, & præscripta verborum forma ad fidei robur consequendum.* Est optima hæc definitio, quia traditur per omnes causas. Nam particula (*homo viator baptizatus*) ostendit subjectum, quod est homo post susceptum baptismum, degens in hac vita. Particula (*inungitur in fronte ab Episcopo cum chrisinate*) præter causam efficientem, nempe Episcopum,denotat materialem remotam, quæ est chrisma,& proximam,quæ est unctio. Particula (*& præscripta verborum forma*) significat causam formalem,quam exponemus q.3. Denique particula (*ad fidei robur consequendum*) ostendit causam finalem, nempe acquisitionem virium in fide.

Ex quibus patet Confirmationem esse Sacramentum novæ legis a reliquis distinctum. Quod tanquam de fide docet *Suar.disp.32.sect.1.* & tradit definitum a *Florentino in decreto Eugenij & Trid. sess.7.& sess.23.cap.4.* ex illo Ioan.14. *Ego rogabo Patrem,& alium Paraclitum dabit vobis.* & Act.8.ubi Samaritæ ab Apostolis fuerunt confirmati. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanct.*

954. Quod attinet ad necessitatem, certũ est hoc sacramentum non esse necessarium necessitate medij,tum quia hujusmodi necessitas non cõstat ex verbis Christi,tum quia multi sine confirmatione salvantur, ut patet in infantibus moribundis, quibus non solet hoc sacramentum conferri. *Confirmationis necessitas.*

Addit rectè *Bonac.de bapt.disp.3.pun. 2.* ex *Suario disp.,8.sect.1.Reginal.q.72.a.8.n.88. & Toleto lib.2. cap.24.n.11.* non esse necessarium necessitate præcepti.Ratio est,quia nullibi apparet tale præceptum.Unde qui omiserit confirmationem, secluso contemptu,non peccabit mortaliter,etiam quando fidem coram tyranno protestari debet. Nam licèt Cõfirmatio vires tribuat ad fidem profitendam,tales vires alia via nempe oratione, confessione,& Eucharistia obtineri possunt.Nec obstat peccare lethaliter Episcopum notabiliter negligentem in administranda confirmatione; quia Episcopus habet obligationem administrandi, subditus verò non habet obligationem recipiendi. *Episcopus negligens in dando confirmatione.*

Ad quid autem fuerit hoc sacramentum institutum,seu qualis finis illius fuerit,rectè colligitur ex definitione, quam posuimus num.953. & ex illo Act.8. *Tunc imponebant manus super illos,& accipiebant Spiritum Sanctum.* Ex quibus (ut docet *Suar. disp.32.sect.1.*) constat non solum hoc sacramentum, sed etiam ejus finis, scilicet roboratio in fide suscepta per Spiritum Sanctũ:deinde ostenditur modus,quo id sacramentum confertur, nempe per manuum impositionem. Congruentia est, quia sicut Imperator non solum signat militem, sed etiam armis competentibus instruit, sic Christus per baptismum nos describit militiæ suæ, & per confirmationem nobis vires,arma,&adjumẽta militiæ impendit. *Finis cõfirmationis.*

955. Supersunt expediendæ posteriores quæstionis partes;a quo, & quando fuerit institutum hoc sacramentum. Imprimis compertum est fuisse hoc sacramentum institutum a Christo Domino:id enim habetur ex *Trident.sess.7.can.1.* Ubi definit omnia sacramenta a Christo instituta fuisse. Cum enim sacramenta conferant gratiam, a solo potuerunt institui, qui solus gratiam dare potest. *Confirmatio a quo & quando instituta.*

Maior est difficultas quando, seu quo tempore institutum fuit; & certè institutum ante ascẽsionem constat,quia Christus non prius ascendit in cælum,quin suam Ecclesiam plenè & perfectè fundaret.Quo autem tempore ante ascensionem, rectè docet *Henriq. lib.3. c.1. n.9.* designatum & significatum fuisse Matth.19. quando Christus parvulis imponebat manus: institutum tamen quoad materiam & formam in die ultimæ cænæ. Tunc enim Christus promittens Spiritum S. eddcensque modum, quo ille Ecclesiæ communicandus erat,chrisma conficere docuit. Sic esse traditionem Ecclesiæ ex *Fabiani Papa Epist.2.* & varijs concilijs testatur *Bellarm cap.8.*

Cum verò ad plenam & perfectam sacramẽti institutionem non sufficiat designatio materiæ & formæ,sed ulterius requiratur designatio ministri: & Christus solum post suam resurrectionem Apostolos creaverit Episcopos cum potestate administrandi tale sacramentum,quando dixit? *Sicut misit me vivens Pater,& ego mitto vos.* Ioan.20. sequitur tunc evasisse plenè institutum;& ejus usum cæpisse. An verò Apostoli cum impositione manuum uterentur chrismatis unctione, *Falaus tr.20.pun 1.n.4.* fatetur non constare,sed credit esse vero similius.

QUÆS-

QUÆSTIO II.

Quæ non sit materia remota & proxima Confirmationis.

Confirmationis materia remota. 956. Materiam remotam hujus sacramenti esse chrisma, tanquam de fide à *Tridentino sess.* 1. *can.* 2. definitum, consentiunt omnes, ita tamen ut chrisma sit confectum ex oleo & balsamo ab Episcopo benedictum, saltem ex præcepto Ecclesiæ: An verò talis confectio fieri debeat ex necessitate, & Christi institutione? Non planè certum est. Negant enim graves authores, *Sotus in 4. dist.* 7. *q. uni. a.* 2. *Navarr. cap.* 22. *n.* 8. *Valent. to.* 4. *disp.* 5. *q.* 1. *p.* 2. *Sa v. confirmatio n.* 7. & *Barb.* 2. *p. de potest. Episc. all.* 31. *n.* 3. Affirmandum tamē est cum probabiliori sententia, quam cum multis defendunt *Suar. disp.* 33. *sect.* 1. *Bonacina d.* 3. *q. uni. pun.* 3. *n.* 2. & *Palaus pun.* 2. *n.* 3. Patet ex *Concil. Florentino sub Eugenio* 4. per hæc verba: *Secundum sacramentum est confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopū benedicto.* Propter hoc decretum *Tambur. de confir. c.* 7. *n.* 3. Putat Suario oppositam sententiam esse falsam.

Oleum in confirmatione. Ex quibus notabis 1. oleum, quod ingreditur materiam hujus sacramenti, debere esse oleum olivarum. Quia oleum ex nucibus, amygdalis, semine lini, vel ex piscibus, in utiliens est. Notabis 2. balsamum quod sufficit, esse Palæstinum, vel Syriacum, vel Indicum: sic enim declarasse *Paulū* 4. *Pium* 4. *Gregorium* 13. & *Sixtum* 5. testatur *Bellarm. l. b. de bo. sacr. cap.* 8. Notabis 3. cum *Hurt. de conf. diff.* 4. & *Tambur. n.* 3. sufficere parum balsami, quanvis in multo oleo, ita tamen ut olei partes odorem balsami recipiant.

Benedictio Episcopi in chrismate. 957. Notabis 4. cum eodem *Tamb. n.* 6. spectare ad necessitatem & sufficientiam hujus materiæ, tam oleum quàm balsamum, quod unico vocabulo dicitur chrisma, esse ab Episcopo consecrato benedictū: secus inepta materia est. Quod rectè probatur ex antiquissimo & continuato ecclesiæ usu. Unde *Suar. disp.* 33. *sect.* 2. rectè negat posse Papam dare potestatem simplici sacerdoti ut benedictionem chrismati impendat, quanvis possit dare, ut confirmationem ministret. Nam benedictio illa collata per Episcopum spectat ad materiam sacramenti, in qua Papa dispensare nequit, quia de jure divino est.

Notabis 5. debere Episcopū esse consecratū, ut validé conferat benedictionem chrismati. Si enim sit solum confirmatus Episcopus, & non consecratus, benedictio ab eo collata non constituet sufficientem materiam. Notabis 6. cum *Suario disp.* 33. *sect.* 2. Chrisma confectum & benedictum ab Episcopo hæretico, schismatico, vel excommunicato verum esse, & sufficientem ac legitimā materiam hujus sacramenti.

Forma benedictionis in chrismate. Rogabis 1. an sit ad benedictionem chrismatis forma aliqua præscripta, qua Episcopus teneatur uti? Respondeo cum *Suar. disp.* 33. *sect.* 2. *§. restat vero. Bellarm.* 3. *part. q.* 72. *n.* 47. & *Filliucio tract.* 3. *cap.* 1. *q.* 6. *a.* 12. Nullam à Christo fuisse determinatam formam ad hujusmodi benedictionem, sed solum in genere præscriptum, ut fieret per invocationem S. Spiritus. Unde colligit 1. *Bonacina p.* 3. *n.* 3. fuisse à Christo demandatum Ecclesiæ, ut peculiarem formam institueret. Colligit 2. *Tamburinus §.* 1. *n.* 10. quanvis ad valorem sufficiat quælibet Dei invocatio, teneri Episcopum sub mortali usurpare benedictionem ab Ecclesia præscriptam.

Chrisma novum unius anni. 958. Rogabis 2. qua necessitate debet chrisma esse novum, seu benedictum præsenti anno? Respondeo cum *Suar. disp.* 33. *sect.* 1. *§. Hic vero. Bonacina citato n.* 3. & *Tambur. n.* 11. Non postulari chrisma novum, seu unius anni necessitate valoris, sed necessitate præcepti. Unde ad valorem sufficiet chrisma vetus, nisi appareat corruptum; apparebit autem tale, itaut censeatur materia dubia, si totam balsami fragrantiam amisit. Semper tamen usus chrismatis veteris erit lethaliter illicitus, ut pote nulla necessitate cohonestatus: Non enim Confirmatio est necessaria sicut baptismus.

Materia proxima confirmationis. Quod attinet ad materiam proximam confirmationis, ex concilijs varijs, sed præcipué ex *Florentino sub Eugen.* 4. *decreto de Armenis* rectè docent *S. Thom.* 3. *p. q.* 72. *a.* 9. *Suar. sect.* 3. *Palaus pun.* 3. & alij citati, materiam proximam confirmationis esse unctionem ex chrismate, quæ ab Episcopo per modum, seu figuram crucis, ipso Episcopi dextero pollice fiat in fronte confirmandi. Hujusmodi tamen materiæ proximæ explicatio patebit ex resolutione dubiorum sequentium.

Unctio chrismatis qualis. Dubium est 1. in qua quantitate fieri debeat talis unctio? Respondeo cum citatis authoribus *Bonac. n.* 6. *Palao n.* 5. & *Tamburino n.* 2. tantum esse debere, quanta requiratur & sufficiat, ut cum illa possit formari crux sensibiliter in fronte, atque adeo verificari forma, quam sequenti quæstione exponemus.

959. Dubium est 2. an requiratur omninò quòd unctio illa fiat in formam crucis? Respondeo affirmativè cum *S. Thom. q.* 72. *a.* 4. *ad* 3. & *Suar. disp.* 33. *sect.* 3. Quod benè desumit Palaus n. 2. ex *Cap. presbyteris de consec. dist.* 4. & congruentia nam hoc sacramento munimur ad crucem Christi palam confitendam, decuit igitur illud in formam crucis recipire. Unde non satisfaciet Episcopus, si confirmandum signat cruce, & post modum ungat.

Dubium est 3. an talis unctio necessariò in frōte confirmandi fieri debeat, itaut alibi facta non teneat? Bené ultra citatos, respondent affirmativé *Ægid. Bellanus art.* 3. *dub.* 1. *concl.* 5. *n.* 53. & *Paulus Layman l. b.* 5. *sum. tr.* 3. *cap.* 2. *n.* 4. Sumitur ex Patribus *August. ad Psal.* 141. *Cyrillo Heros. cathec.* 3. *Gegor. Turonens. lib.* 2. *de gestis Franc. cap.* 13. *C onc. Flor. decreto de Armenis*, & *Innoc.* 3. *in cap. unico de Sacra unctione.* Congruentia assignatur a Concilio: Ideo (inquit) in fronte ubi verecundæ sedes est confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipué crucem ejus, quæ Iudæis est scandalum, gentibus autem stultitia secundū Apostolum.

Dubium

Dubium est 4. an necessariò hæc unctio fieri debeat Episcopi pollice dextræ manus tincto chrismate? Affirmativa resolutio omninò tenenda est, saltem quoad necessitatem præcepti. Quia ita fieri cavetur in Pontificali Romano, & perpetuo observatum ab Ecclesia. Ideo dixit *Durandus lib. 6. rationalis cap. 84.* ob eam præcipue rationem consecrari pollicem Pontificis. Unde lethalis erit transgressio utpote in re gravi juxta *Tamburinum §. 2. n. 7.* si fiat unctio contra instructionē, v. g. gossipio, penicillo, calamo, aut virgula argentea.

960. Maior est difficultas circa valorem, an scilicet valeat hoc sacramentum, si fiat unctio medijs dictis instrumentis? Affirmant *Henr. Vival.* quos citat & sequitur *Hurtad. de conf. diff. 4. & Quintanad. sing. 3. n. 5.* Quia non est credibile Christum Dominum instituisse, ut essentia tanti sacramenti dependeret ab hujusmodi immediatione. Negant *Suar. Ægid. Bellarmus, Layman & Bonacina*, quos citat & sequitur *Palaus* de *confir. pun. 3. n. 4.* Quia constat a primis Ecclesiæ exordijs, & ipso Apostolorum usu administratum fuisse hoc sacramentum per illam unctionem manu Pontificis immediaté facta m. Quod vero fiat pollice dextræ manus (addit *Palaus*) ex ritu præscripto ab Ecclesia habetur, non ex Christi institutione & Apostolorum usu: Hæc sententia mihi placet.

Poterit quis contra hactenus dicta objicere: Apostoli confirmabant per solam manuum impositionem; *Act. 8. & 19.* ergo non unctio, sed sola manuum impositio est materia proxima Confirmationis. *Henriq. cap. 1. n. 3. & Suar. sect. 4. ad finem* dicunt id ab Apostolis factum fuisse ex privilegio & dispensatione. Sed magis placent *Bellarminus & ipse Suarez* apud *Bonacinam p 3. n. 6.* docentes actionem illam, quam nos dicimus unctionem, appellatam fuisse manuum impositionem, eo quód digito & manu immediaté fieret.

QUÆSTIO III.

Quænam sit sacramenti confirmationis forma?

Forma confirmationis.

961. FOrmam essentialem sacramenti confirmationis esse hanc: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.* tanquam de fide definitum a Florent. in decreto fidei sub Eugenio IV. ususque & traditione Ecclesiæ perpetua receptum, recté cum *S. Thom. q. 72. a. 4. docet Suar. disp. 33. sect. 5.* ubi recté advertit nullam aliam formam sufficere, nisi huic æquivaleat, saltem in sensu & significatu substantiali.

Ratio a priori nulla esse potest, nisi Christi institutio. Congruentia petitur ex fine & effectu, qui per formam explicari debuerunt. Nam per hoc sacramentum designantur fideles in milites Christi, accipiuntque robur ad fidem retinendam, ipsamque absq; timore & pudore confitendam.

Difficultas est, an omnia verba in supradicta forma contenta sint de necessitate sacramenti, seu requisita ad ipsius sacramenti valorem? Negabūt aliqui, quibus fortè consentit Durandus in rationali divinorum offic. lib. 6. cap. 84. & videtur favere edictum Constantini, in quo refert confirmationem a Sylvestro factam, ubi nec chrismatis, nec confirmationis, sed solius signationis mentio fit.

962. Affirmandum tamen est cum *Henrico lib. 2. cap. 2. Suar. disp. 33. sect. 5. Bellarm. q. 72. a. 4. n. 09. Laymano lib. 5. sum. tr. 3. c. p 3. & Palao pun. 5. n. 3.* supradictam formam esse essentialem quoad omnes partes. Nam Florentinum intendens definire substantialē confirmationis formam, illam conceptis illis omnibus verbis expressit.

Ut singulas particulas expandamus, dicendū est 1. verba illa (*Signo & confirmo*) quatenus significant actionem ministri & pronomen (te) ut significat subjectum, circa quod versatur actio, esse de essentia formæ: sicut in forma baptismi, (*Baptizo te*) An utrunque illud verbum spectet ad essentiam? Affirmamus. Quia non sunt synonyma: nam dempto quolibet significatio aliqua substantialis tollitur. Dicendum est 2. essentialem esse expressionem Trinitatis in confirmatione, sicut essentialis est in baptismo. Nam confirmatio est quædam baptismi perfectio: & Trinitas est præcipuum mysterium fidei, ad quam defendendam confirmatus fit miles. *Signare & confirmare.* *Trinitatis expressio in confirmatione.*

Dicendum est 3. essentiale esse crucis signaculum, adeo ut maneret forma invalida, si taceretur, v.g. si diceres *Signo te & confirmo chrismate salutis.* Quamvis eodem tempore crucem pollice formares. Cum enim verba formæ materiam proximam declarare debeant, ideo forma confirmationionis reddetur nulla, si in illa omittatur particula (*Signo crucis.*)

963. Ex dictis inferes cum Tamburino §. 3. quávis aliqui, ut videre est apud Hurtadū de cōf. diff. 8. judicent sufficientes has formas: *Signo te, & confirmo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Vel, *Signo te signo crucis, in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti,* Vel, *Confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*, esse tamen id falsum, vel certé dubium, proindeque si quando sic collata fuit confirmatio, omninò sub conditione repetendam esse.

Inferes 2. cum eodem *Tamb. n. 4.* si forma confirmationis proferatur deprecativé, sicut profertur forma unctionis, v.g. si dicat Episcopus *Signetur servus Christi*, vel *Signeris tu &c.* insufficientem omninò esse formam, & invalidam Cōfirmationem: si autem proferatur indicativé vel imperativé, validam esse, sicut de forma baptismi Græcorum: *Batizetur servus Christi* diximus supra num. 908. Erit tamen illicita talis formæ prolatio. An lethaliter? Sic existimo cum *Suar. Regin. Henr.* & alijs quos citat & sequitur *Leander de confir. disp. 3. q. 19.* quia talis in re gravi faceret contra usum universalis Ecclesiæ: quidquid dicat *Tambur. n. 6.* peccare solum venialiter. *Deprecativa forma.*

QUÆ-

QUÆSTIO IIII.

Quodnam sit aptum confirmationis subjectum: & qualis in eo suscipiendi illam obligatio?

Subjectũ confirmationis.

964. Subjectum confirmationis explicandum nobis est, sive accipiatur quoad valorem hujus sacramenti: sive quoad licitum usum illius. Imprimis subjectum aptum, ut ei confirmatio validè conferatur, est omnis persona baptizata cujuscunque conditionis, sexus, & ætatis. Sumitur ex antiquissimo Ecclesiæ usu, & ex illo Urbani Papæ *in cap. omnes 1. de consecr. dist. 5.* ubi sic habet: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, plenè Christiani inveniantur.* Ratio est quia confirmatio fuit instituta a Christo ad conferendum augmentum & robur in fide: omnis autẽ per baptismum spiritualiter genitus in fide crescere, roborari, ad ipsamque defendendam armari potest, quanvis per accidens obstet infantilis ætas, vel aliud impedimentum. Hęc est Theologorũ concors sententia; quidquid in oppositum dicant *Durandus in 4. dist 25. q. à. n. 8. & Sà Ver. confirmatio n. 5.* Quod attinet ad licitum usum.

Infantes ad confirmationum

Rogabis 1. an liceat & expediat confirmationem impendere infantibus? Affirmant *Peres de Lana in comper vita hominis cap. 16. n. 221. Genuensis in praxi cap. 54. n. 3. & alij,* quos citat & sequitur *Leander de sacr. confirm. tract. 3. disp. 4. q. 3.* Probant, tum quia hoc cedit in favorem infantium: tum quia confirmatio est complementum baptismi, & hic infantibus convenientius impenditur.

965. Negandum tamen est cum *Suario disp. 35. sect. 2. Granado disp. 2. n. 4. Henriq. lib. 3. c. 5. Palao pun. 7. n. 4. & Archangelo dist. 7. pag. 73. col. 2.* addẽte illum, qui confirmaret puerũ statim post baptismum extra mortis articulum, ad minùs peccare venialiter. Sumitur ex usu Ecclesiarum, & *Pio V. in cath. Roman. 2. p. c. 3. n. 14.* ubi sic. *Posset quidem statim a baptismo confirmatio omnibus administrari, sed minùs expedit pueris illam conferre ante septenium, licèt expectandus non sit annus duodecimus* Accedit ratiò, quia confirmatio post usum rationis decentius suscipitur, cum maiori fructu, & absque periculo reiterationis.

Ætas ad confirmationem.

Hæc resolutio procedit regulariter: quia (ut benè notàt *Tambur cap 3. §. 1.*) poterit infans cõfirmari data rationabili causa, ni si timeatur longa Episcopi absentia, vel brevi infantem moriturum, vel adsit alicubi consuetudo pro infantibus. *Suar. citatus* judicat causam rationabilem, si Episcopus, secluso omni scandalo, ex benevolentia infantem confirmet. Tunc enim (inquit) non admodum peccabit. Quia contraria consuetudo non adeo urgens est, ut præceptum inducat. An post usum rationis sit aliqua ætas ad confirmationem præscripta? Non apparet. Ideo tunc, quantum fieri potuerit, differenda non est.

Amentes ad confirmationẽ.

666. Rogabis 2. an, & quando confirmatio amentibus impendi debeat? Amentibus, qui sũt perpetuò amentes, confirmationem impendi non posse, tradit *Marsil. in 4. q. 5. a. 4.* & non debere affirmat *S. tus in 4. dist. 7. a. 8.* quia sunt incapaces fructus hujus sacramenti, nempe roboris ad defendẽdam fidem. Dicendũ tamen est cum *Suario citato, Bonacina d. 3. q. un. p. 4. n. 6. Palao n. 7. Leandro q. 4. & Tamburino §. 1.* si spes adsit usum rationis habituros, differendam esse confirmationem in tempus usus rationis: si credantur futuri perpetuo amentes, confirmari posse, & debere, nisi esse in peccato mortali manifestè constet. Ratio est, quia licèt illi sint incapaces specialis auxilij ad fidem palam confitendam, tamen capaces sunt præcipui sacramenti effectus, qui est augmentum gratiæ.

Moribundi ad confirmation

Rogabis 3. an possint & debeant confirmari statim morituri, sive sint infantes, sive adulti? Negat *Emman. Rotericus in summa cap. 121. n. 3.* & videtur favere *Melchiades Papa in Epist. ad Episcopos Hispaniæ cap. 2.* relatus in *cap. Spiritus S. de consecrat. disp. 5.* ubi ait solis victuris & pugnaturis necessariam esse roborationem in fide. Dicendum tamen est cum *S. Thoma q. 27. a. 8. ad 4. Suario disp. 35. sect. 2. fine, Laymano lib. 5. sum. tr. 3. cap. 5. Ioan. Sanch. in selet. d. 40. n. 4. & Bauxio q. 12. dist. 2. pag. 76.* confirmationem morituris posse, & debere ministrari. Nam sunt capaces recipiendi gratiam copiosam, qua firmentur ad pugnam, si forte accidat. Quòd autem eventura non sit, per accidens est.

967. Per accidens tamen (ut advertit *Palaus p. 7. n. 10.*) excusãtur moriẽtes ab hoc sacramẽto petendo eo quòd singulos morientes adire Episcopis non vacet, juxta *Innocen. Epist. 1. ad Decentium.* At noster *Trmbur. de confir. cap. 3. § . 3.* his non acquiescit contendens decreto 27. S. Caroli Barromæi, & alijs movere Episcopum ad ministrandam confirmationem moribundis petentibus: & affert concepta verba *Quintanadũ sing. 2. n. 5.* in hũc modum. *Si suspendendus (inquit) vel quilibet moribundus Confirmationem petat a proprio Episcopo, illum sub mortali teneri ad eam ministrandam, docent Angelus, Vivald. Fillius. Ocagavia Suar. Reginal. Laym. Quia privares petentem magno fructu.*

Confirmationem suscipiendi obligatio.

Quod attinet ad obligationem, quæ datur in baptizatis suscipiendi confirmationem, muliipliciter opinantur varij. Nam *Scotus in 4. dist. 7. q. 2. & Richard. art. 5. q. 1.* affirmant dari obligationẽ de jure divino. Illam sumunt ex institutione & fine hujus sacramenti, juxta *Vrbanum Papam Epist. 1. c. 7.* & habetur *cap. omnes de consecr. dist. 5. Duran. in 4. dist. 1. q. 1. a. 2. & Martil. q. 5. a. 4.* limitant proximam sententiam, ut procedat in casu, quo fides coram tyranno publicè confitenda est. Quia tunc singulare periculum auxilium exigit singulare. *Alens. 4. p. q. 25. mem. 2. & S. Bonav. in 4. d. 7. n. 3. q. 2.* agnoscunt quidem obligationem, sed ex solo jure Ecclesiastico.

968. Verùm nullam dari per se obligationem suscipiendi confirmationem rectius docent *Valent. to. 4. disp. 5 q. 5. pun. 3. Henriq. lib. 3. c. 1. Suar. disp. 38. sec. 1. vers. quocirca, & Bonacina d. 3. q. un. p. 2. mit.* Suadetur quia nullum fundamentum est ex quo constet obligatio confirmationis: & nulla absque fundamento obligatio imponi debet.

Dixi

Dixi (per se) quia per accidens evenire potest ut quis peccet, etiam mortaliter omittens confirmationem. 1. si omittit ex contemptu. 2. si ex omissione sequatur grave scandalum datum, v. g. in eo qui de fide suspectus est. 3. ratione propriæ conscientiæ, v. g. in eo qui crederet sibi imminerere grave periculum deferendi fidem, nisi susciperet confirmationem.

Confirmare quando suscipienda. Rogabis 1. an detur aliqua obligatio suscipiendi confirmationem ante aliquod sacramentum, v. g. Eucharistiæ, vel ordinis? *Sotus in 4. dist. 7. q. un. art. 7. prop.* 3. apud *Dianam per 4. tr. 4. resol.* 5. existimavit esse peccatum veniale recipere Eucharistiam ante sacramentum confirmationis. Quia in Ecclesia viguit consuetudo, ut statim post baptismum susciperetur confirmatio, deinde Eucharistia. Negandum tamen est dari aliquod peccatum in illa receptione. Ita *Praepositus in 3. p. q. 72. a. 12. n.* 54. Quia antiqua illa Ecclesiæ consuetudo jam exolevit. Addit *Tamburinus cap. 3. §. 3. n.* 3. multo minùs peccare qui non dum confirmatus religiosam professionem emittit. Ita *Quintanad. de conf. fin.* 4. *Professio religiosa ante confirmatione.*

699. Quid de sacramento ordinis. *Trident. sess. 23. de reform c. p.* 4. ita habet: *Prima tonsura non initientur qui sacramentum confirmationis non susceperint.* Ex quo *Toletus in summa lib. 1. cap. 71. n. 6. Martinus tr. de ordine cap. 3. n. 3. Bonac. de sacr. disp. 8. q. un. pun. 5. n.* 10. & alij apud *Dianam par. 1. tr. 16. resol.* 4. existimant peccare mortaliter qui ordinem diaconatus suscipit ante confirmationem. Et hoc judicat probabile *Tamburinus cit. n.* 4.

Negandum tamen est cum *Navarro in man. cap. 22. n. 9. Azorio p. 2. lib. 3. c. 48. q. 2. Valent. to. 4. disp. 5. q. 2. pun. 3. Suario to. 3. in 3. p. disp. 38. sect.* & alijs quos citat & sequitur *Palaus de conf. pun 8. n.* 5. Quia *Tridentinum* in loco supra citato non tam præcipit, quàm monet & instruit. An detur saltem peccatum veniale in suscipiente? *Tambur. cit. n.* 5 utranque partem, & negantem & affirmantem credit probabilem, At nullo modo excusat a veniali Episcopum scienter ordinantem non confirmatos. Quia ad ipsum magis spectat directio Tridentini.

Ordinum susceptio ante cōfirmationē. Rogabis 2. ad quam dispositionem obligetur confirmandus pro suscipienda confirmatione rite & licitè? Concors est Theologorum sententia, illum qui velit confirmari, præter intentionem saltem virtualem suscipiendi hoc sacramentum, teneri ad statum gratiæ, qui requiritur ne suscipiens mortaliter peccet. Addit *Tambur. §. 3. n.* 5. debere adultum aliquo modo scire quid suscipiat, & alia omnia circa cognitionem mysteriorum fidei, quæ pro baptismi susceptione requirantur.

970. Addunt aliqui debere esse jejunum, qui confirmationem suscipit. Hoc tamen non postulatur ex præcepto, sed ex consilio, ut tenent ex *S. Thoma a. 7. ap 2. Filliuc. tract. 3. cap. 3. q. 6. Reginal. lib. 28. n.* 33. & alij Maius dubium est, an habens conscientiam peccati mortalis teneatur ad confitendū, vel sufficiat disponi per contritionem? Affirmant *Sotus dist. 7. a. 8. Ver. de Confessione verò & Ludov. de S. Iuan. q. 1. a. 4. diff.* 3. sub veniali teneri ad confitendum. Hoc desumunt ex can. *ut jejuni de consec. dist.* 5. ubi dicitur quod qui ad hoc sacramentum accedit, debet jejunus, & de peccatis confiteri. Rectiùs tamen negant *Henriq. lib. 3. cap. 5. n. 6. Tolet. lib. 2. cap. 34. n.* 4. & alij quos citat & sequitur *Leander tr. 3. disp. 4. q.* 8. Quia ut jam diximus textus ille non continet præceptum, sed consilium. *Confessio ante cōfirmationē.*

QUÆSTIO V.

Quisnam sit minister confirmationis?

QVanvis Armachanus lib. 11. de quæst. Armen. putaverit quemlibet sacerdotem, imò & diaconum esse sufficientem confirmationis ministrum: idque probabile dixerint *Scotus dist. 7. q. 1. Durandus q.* 3. tamen fide catholica tenendum est ordinarium ministrum confirmationis esse solum Episcopum consecratum. Definitur a *Florent. in decreto Eugenij*, & a *Trident. sess. 7. can. 3. de confir.* ubi sic habet: *Si quis dixerit sanctæ Confirmati nis ordinarium ministrorum non esse Episcopum, sed quemlibet simplicem sacerdotem anathema sit.* Congruentia apud S. Thomam q. 72. art. 11. hæc est, nam in quolibet opere ultima consummatio supremæ virtuti reservatur: opus Dei sunt fideles baptisati qui proinde ab Episcopo per sacramentum confirmationis perficiuntur. *Confirmationis minister Episcopus.*

961. Dubium est 1. an Episcopus non confirmatus, seu carens sacramento confirmationis, alios validè confirmet? Affirmativa resolutio indubitata est apud *Leandrum disp. 2. q. 6 & Tambur. cap. 2. §. 1. n.* 3. Quia carentia confirmationis non impedit Episcopalem consecrationem. Quia tamen ibi apparet quædam deordinatio, illicitè confirmabit. An mortaliter? Affirmat *Tannerus q. 4. dub.* 2. Hoc videtur nimis rigorosum. Dicendum igitur cum *Navarro c. p. 22. n. 9. Granado tract. 2. disp. 1. n. 11. & Leandro cit. q.* 6. Solum peccare venialiter. Quia levis & non gravis deordinatio apparet in eo quòd quis non confirmatus confirmet. *Episcopus confirmans non cōfirmatus.*

972. Dubium est 2. an validè confirmare possit Episcopus hæreticos, degradatus, vel excommunicatus. Negant *Glossa in cap. Accedens* 50. *distin. Magist. dist. 13. cap. 4.* & alij apud *Covarr. 1. var. cap. 10. n. 0.* & hoc judicat probabile *Ludovicus de S. Iuan. q. 1. a. 7. dub. 4. pag.* 100. Affirmandum tamen est cum certa sententia, quám defendunt *Suar. disp. 36. sect. 3. Regnal. l. 28. n. 20. Bellarm q. 72. a. 11. Bonacina de confirm. q. un pun. 2 n. 6. & Filliuchus tr. 3. n. 29. & Palaus pun. 9. n.* 1. Quia licèt talis Episcopus illicitè agat, tamen per hæresim, excommunicationem, aut degradationem non amisit Episcopalē characterē, in quo potestas cōfirmādi fūdatur. *Confirmatio ab Episcopo hæretico.*

972. Dubiū est 3. an Simplex Sacerdos ex Sūmi Pōtificis cōmissione possit validè cōfirmare? Partem

Sacerdos simplex ad confirmatione.

tem negantem tenent *S. Bonav. dist. 9. post litteram, Scot. ibid. q. 1. Castr Gabr. Durand. Adrian.* & alij. Affirmandum tamen est cum sententia omninò certa, quam tenent *Vasq. q. 72. disp 219. c. 1. n. 3. Suar. disp. 36. sect. 2. Layman lib. 5. sum. tract. 3. cap. 6 & Bonacina disp. 3. de sacr. q. un. p. 2. n. 3.* Sumitur ex facto duorum Pontificum: alter fuit *Gregorius Papa* I. & refertur in *Cap. pervenit 95. dist.* Alter fuit *Gregorius* XIII. qui (ut affirmat *Leander disp. 2. q. 2.* potestatem confirmandi in India committit simplici sacerdoti. Addit *Dicastill. dub. 11. n. 118.* posse Pontificem hanc potestatem committendi simplici sacerdoti ministerium confirmationis, demãdare alteri, ut id faciat nomine suo quando justa causa subsit.

Diaconus confirmare nequit.

An vero possit diaconus ex commissione Summi Pontificis confirmare? Affirmant *Angel. V. confirmatio n. 2. Glos. in cap. manus de consec. dist. 5.* quibus subscribunt *Abbas & Innocent. in cap. quando de consuet.* Sed ex falso fundamento credentes, posse clericum quemlibet ex mandato Papæ conferre ordinem, & sacramentum, quod habet. At certissimé negandum est cum *Palao citat. pun. 9. n 4. Bassaeo q. 7. assert. 3. & Reginal. lib. 28. n. 19.* Et procedit de diacono etiam Cardinali. Quia ad quædam Episcopalia officia solus sacerdos elevari potest.

Episcopus an possit cõmittere confirmationem.

973. Dubium est 4 an possit Episcopus committere sacerdoti simplici, ut validé confirmet? *Ledesma q. 3. a. 11. (aiet. q. 72. a 11. Salmeron & Laym.* quos affert & sequitur *Basilius de confir. p. 4. cap. 4.* existimãt id posse, nisi alias hoc sibi Põtifex reservasset. Negandum tamẽ omninó est id posse, quãtis Papa nõ prohibuerit. Ita *Suar. Bellarm. Vív. Filliuc.* & alij quos citant ac sequuntur *Bonacina d. 3. q un p. 2. n. 8. & Leander tr. 3. dist. 2. q. 3.* Ratio est, quia Pontifex de plenitudine potestatis multa habet a Christo, quæ inferiores Episcopi nõ habẽt.

Dubium est 5. an Summus Pontifex electus, & nondum Episcopus consecratus, possit committere simplici sacerdoti ministerium confirmandi? Rectè affirmant *Suar. disp. 36 sect. 2. & Hurtadus de conf. diff. 13.* Ratio est, quia licèt ipse tunc per se ipsum confirmare nequeat defectu ordinis, tamen ob supremam Ecclesiæ jurisdictionem, quam jam habet, illud munus sacerdoti committere potest. Hæc commissio non cessat morte Pontificis committentis. Quia gratia & favor est.

Sacerdos cõfirmãs

Dubium est 6. an de facto sint hodie aliqui sacerdotes, quibus tanta facultas inveniatur concessa? Respondet *Tamburinus de conf. cap. 2. §. 1. n. 1.* esse quosdam sacerdotes regulares, qui sub conditionibus pro locis Indiarum habent facultatem confirmandi. Et hoc Lector curiosus poterit videre apud *Quintanaduẽñas de conf. sin. 5. & 6.*

QUÆSTIO VI.

Ad quid obligetur minister confirmationis.

Obligatio ministri Episcopi confirmãtis.

974. De obligationibus ministri confirmationis, ut multa paucis complectamur, imprimis tenetur Episcopus esse in statu gratiæ, quando administrat confirmationem; ad talem veró statum sufficienter per contritionem disponetur. Deinde tenetur habere intentionem saltem virtualem conferendi hoc sacramentum. Reliquas expediemus obligationes triplici expedita difficultate.

1. Difficultas est, quibus personis Episcopus teneatur, & possit impendere confirmationem? Procedit, tum de proprijs subditis, tum de alienis, seu alterius diæcesis. Imprimis certum est posse Episcopũ, & quandoque teneri proprios subditos confirmare. Est enim pastor, qui proinde tenetur pascere suas oves etiam in his, quæ Christus instituit in putam suę Ecclesiæ utilitatem. An veró peccet mortaliter, si absque causa differat multo tempore confirmationem? Rectè affirmãt *Suar. disp. 38. sect. 2. Palaus p. 9. n. 13. & Reginald. lib. 28. n. 21.* Quia sic negligens in re gravi omittit quæ sui muneris sunt. Ex quo infert citatus *Palaus cum Barb. 2 p. de potest. Episc. all. 36. n. 1* teneri Episcopum quandoque accedere ad loca saltem præcipua diæcesis, quo regulariter omnes confluere possint.

Confirmatio danda alieno subdito.

Quod attinet ad alienos subditos in propria diæcesi: rectè docent *Bonacina de conf. q un. pun 2. n. 11. Leander citat. q. 8. & Tamburr. cap. 2. §. 2. n. 2* posse illos confirmare ex præsumpto tamen consensu alterius Episcopi. Unde autem colligatur hujusmodi præsumptio, id prudentis arbitrio relinquit *Palaus p. 9. n. 7.* Et quidem (addit) si tibi ordinandum alienum subditum non confirmatum remittit proprius Episcopus, dubium esse non potest, quia velit, ut ei confirmationis sacramentum conferas, cum hoc ordinibus præmitti debeat, juxta *Tridentino sess. 23. c. 4*

975. Majus dubium est an Episcopus in propria diæcesi licitè confirmet quoscunque peregrinos absque speciali sui Episcopi concessione? Negant *Petrus de Ledesma, Vivaldus, Angelus,* & alij quos sequitur *Bonacina disp. 3. pun. 2. n. 10.* Quia aliter posset alienis subditis ordines conferre vel eosdem matrimonio conjungere? Affirmant *Henriquez lib. 3. cap. 6. n. 6. Sà V. confirmatio n. 2. Layman. lib. 5. sum. tr. 3. cap. 6. assert. 3. & Barbos. de pot. Episcop. alleg. 30. n. 14.* Quia quandiu proprius pastor non contradicit rationabiliter, censendus est velle utilitatem suarum ovium, quæ semper ex confirmatione illis provenit, & non semper ex ordine vel matrimonio. Hoc mihi placet, & etiam *Palao citat. n. 7.* Qui addit usu receptum esse quód Episcopus in propria diæcesi confirmans, omnes advenas admittat nulla facta inquisitione circa diæcesim. Secus quando ministrat ordinem.

Suspensio quam incurrit Episcopus confirmãs

Quid Episcopus si ministret confirmationem in aliena diæcesi absque expressa facultate proprij Episcopi? Rectè docent *Henriquez lib. 3. cap. 6. n. 6. Sà V. confirmatio n 3. Barbosa de pot. Episc. p. 2. alleg. 30. n. 15. Palaus n. 8. Leander d. 2. q. 9. & Tamburinus cap. 2. §. 2. n. 2.* Peccare mortaliter, & incurrere suspensionem ab exercitio pontificalium, sive proprios, sive alienos sub-

 ditos

ditos confirmet. Id enim ex Trident. sess. 6. cap. 5. de reform. & ex declaratione Cardinalium bené desumunt.

976. 2. Difficultas est, quo in loco & tempore Episcopus teneatur vel possit administrare confirmationem? Conveniunt omnes cum *Suario disp. 37. sect. 2. Bonacina p. 2. n. 14. & Leandro tract. 3. disp. 2. q. 13.* decentius & convenientius esse, quod Episcopus confirmationem administret in Ecclesia ante altare, ut habetur in rubricis. An verò ad id teneatur sub mortali? Affirmant *Nugnias q. 72. a. 2. ver. secundùm ritus, & Granadus d. 2. n. 3.* Mitiùs tamen & probabiliùs negant supra citati authores, quibus novissimè adhæsit *Tamburinus §. 2. n. 3.* affirmans posse Episcopum extra ecclesiá, in suo oratorio, vel palatio, aut quocunque loco decenti confirmare. Addunt *Ioan. Sanch. in select. disp. 40 n. 4. & Ragucius in lucerna paroch. de confirm. q. 37. n. 1.* etiam si talis locus fuerit interdictus.

Locus ad confirmationem.

Quid de tempore? Assentior *Tamburino §. 2. n. 3.* asserenti hoc confirmationis sacramentum licité conferri solitum quovis die sive festo, sive profesto. Deinde in quacunque hora sive ante prandium, sive post illud. Quia neque Episcopus administrans, neque fidelis cui administratur confirmatio, esse debent jejuni ex necessitate præcepti. Quòd si textus *cap. ut jejuni, & cap. ut Episcopi, de consecr. d. 5.* requirunt jejunium, vel id postulant ex solo consilio, vel si ex præcepto, hoc jam contrario usu abrogatum est.

Tempus confirmationis.

3. Difficultas est, quomodò, seu quibus ritibus confirmatio administrari debeat? Apud *Suar. disp. 37. Valent. 3. p. d. 5. q. 1. Palaum tract. 20. disp. un. pun. 10. & Tamburinum cit. §. 2.* cæremoniæ seu ritus qui ab Episcopo confirmante servari debent, sunt sequentes 1. præsentia patrini, de quo seq. quæst. 2. ornatus Episcopalis: debet enim Episcopus vestiri pluviali, mitra, stola, & habere pastoralem bactilum: ita ut si hæc omnia omittat, peccet lethaliter, juxta *Nugnum to. 1. in 3. p. q. 72. a. 12. & Dianam p. 7. tr. 10. resol. 31.* qui addit cum *Marchino de sacr. Ord. tr. 3. p. 3. cap. 15. n. 2.* si omittat unum ex indumentis, excusari a lethali ob parvitatem materiæ.

Cæremoniæ & ritus in cõfirmatione.

977. 3. Episcopus vestitu illo ornatus, sacram exhibet unctionem, formam proferens. 4. pacem jam confirmato impendit. 5. eidem levem alapá impingit, ut de forti animo in perferendis pro Christo injurijs, sic moneat. Omittere hunc ritum, secluso contemptu, nullum esse peccatum, rectè docet *Valent. 3. p. d. 5. q. 1. pun. 3. fine.* 6. Iuxta morem locorum curat legari frontem jam confirmati vitta linea, ne chrisma defluat. Hanc postea vittam vel servandam ad solos usus similes, vel comburendam, & ejus cineres in sacrarium, quod vocamus piscinam, mittendos, benè monet *Laym. in lib. 5. tr. 3. cap. ult.* Verum in nostris locis (inquit *Tambur. n. 6.*) vittæ usus non est, sed statim post peractam unctionem, Episcopi ministri frontem confirmati abstergunt. Quod etiam in Lusitania observatur.

7. Plures orationes ante & post ab Episcopo recitantur. 8. consuetudo viget alicubi, ut cereus accensus tradatur in confirmati manus. Hujus omissionem, sicuit & alapæ innuit *Sa v. confir. n. 10. & Bonacina cit. n. 9.* esse peccatum veniale. Sed meliùs cum *Valentia* negat *Leander d. 5. q. 13.* 9. aliquándo Episcopus mutat confirmati nomen, præsertim si nomen antiquum sapiat gentilismum. 10. Fit admonitio ne confirmati ante Episcopi benedictionem discedant. Hoc non videtur obligare, imo in magno concursu præstat omitti, causa expeditionis. 11. Confirmatorum, Confirmantis, & Patrinorum nomina scribi debent, ut possit sciri in posterum contracta cognatio. Ita Barb. de potest. parochi cap. 7. n. 16. Et quidem hujusmodi omissionem lethalem esse tradit *Quintanad. de conf. sing. 11.* quod etiam procedit de paracho ex negligentia scienter omittente scribere plures baptizatos, vel conjugatos.

Cathalogus baptizatorum & confirmatorũ.

978. QUÆSTIO VII.

An & qualiter oporteat dari patrinũm in confirmatione?

Dandum esse necessariò patrinum in confirmatione, sicut in baptismo, qui confirmandum teneat, non quidem necessitate valoris, sed præcepti, satis constat ex *Cap. si quis filiastrum c. p. de his 30. q. 1. & cap. si quis ex uno ead. cau. q. 4.* Sumitur congruentia ex Cathecismo Romano, ubi hæc: Sicut in fide per baptismum genitus indiget pædagogo, sic militiæ cælesti adscriptus indiget duce, cujus monitis nequissimi tela possit extinguere. Ex quibus patet munus patrini, quod est confirmatum ita instruere in fide, & hortari, ut possit adversarios superare.

Patrinus in confirmatione.

Sit ne tanta obligatio adhibendi patrinum in confirmatione, ut qui non adhibuerit, peccet mortaliter? Rectè affirmant *Henr. lib. 3. cap. 3. n. 3. Rodrig. in sum. de confir. c. 121. n. 1. & Villalob. aiss. 8. n. 1.* cõtra *Baunium q. 9. de bapt. & Dicastillũ de cõf. dub. v. t. n. 145.*

Quanta verò sit obligatio patrini ad instruendum & hortantum in fide & moribus confirmatum, tenet *Tamb. n. 4. n. 19.* Affirmans solum teneri confirmatum instruere in fide & moribus, quando deficit patrinus baptismi, vel alius qui instruat. Imo *Leander disp. 5. q. 7.* cum varijs ibi citatis affirmat talem patrinum esse liberum a dicto onere. Quia id munus patrini baptizati, & non confirmati proprium est.

979. His positis, duplex a nobis expedietur difficultas. Prior est, an patrinus vel matrina hujusmodi contrahant spiritualem cognationem, quæ sit impedimentum dirimens matrimoniũ: & cũ quibus? Affirmativa resolutio, quoad prioré partẽ certa est, & definita a *Triden. sess. 24. cap. 2. de refor.* intelligitur tamen dũmodo teneat. Quia sicut in baptismo non contrahit qui non tangit baptizatũ, ita in confirmatione non contrahit qui non tangit confirmatũ. Posterior pars etiam est definita ibidé a Tridẽtino, his verbis; *Ea (inquit) quoq; cognatio, quæ in cõfirmatione cõtrahitur, cõfirmatũ, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem non egreditur.*

Patrinus ad cognationem.

Posterior difficultas magis copiosa est, & versatur circa

eos, qui munus patrini in confirmatione subire possunt. Expeditur resolutio dubio multiplici.

Patrinus quotuplex in Confirmatione.

1. dubium est, an confirmatio admittat multiplicitatem patrinorum, vel saltem unum & unam, sicut admmittit baptismus? Respondeo negativé cum *Palao p. 10. n. 2.* Quia jus canonicum in *Cap. fin. de cognat. spirit. in 6.* statuit quòd in confirmatione unus vel una teneat: *Trident.* verò *sess. 24. cap. 2. de reformatione*, decernit quòd in baptismo teneat unus, vel unus & una: & per hoc decretum non correxit jus antiquum circa confirmationem. In Pontificali Romano Clem. 8. dicitur quòd mas marem, & fæmina fæminam teneat. Addit *Barb. 2. p. de pot. Episcop. all. 30. n. 52.* non posse convenienter unum esse patrinum, nisi duorum tantum in eadem die, nisi forte sit vir probus, ac præcipuè Ecclesiasticus.

980. 2. Dubium est, an qui fuit patrinus in baptismo, possit esse in confirmatione? Affirmat *Sylvest. V. confirmatio n. 4. & Hurtadus de conf. diff. 14.* Sed probabilius *Palaus p. 10. n. 2.* judicat debere esse diversum, nisi necessitas urgeat. Consentit *Diana p. 3. tract. 4. resolut. 21.* Addens admittere eundem non esse mortale: quia materia gravis non est.

Patrinus non confirmatus.

3. Dubium est, an possit esse patrinus confirmationis qui nondum est confirmatus? Optimé negant *Tolet. lib. 2. cap. 24. Henriq. lib. 3. cap. 3. & Sanch. cum pluribus, relatis lib. 7. Matr. disp. 60. n. 20.* contra alios plures relatos *n. 19.* & loquuntur etiam quoad valorem. Sumitur ex *Cap. in baptismate de consecrat. dist. 4.* in quo Pontifex utitur verbo non potest, quod impotentiam & incapacitatem indicat.

Parentes si sint patrini?

4. Dubium est, utrum parentes in confirmatione prohibeantur sub mortali suscipere, sicut prohibentur in baptismo? Affirmat *Tambur. cap. 4. n. 8.* An priventur jure petendi, si suscipiant extra necessitatem? Judicat æquè probabilem negativam, & affirmativam partem. Probat *n. 10.* ex illo *Clementis 8.* in Pontificali. *Nullus, qui non est confirmatus, potest esse in Confirmatione patrinus, nec pater aut mater, maritus, aut uxor.* Ubi approbat duplicem interpretationem hujus verbi (potest) nam interdum accipitur pro *valet* interdum pro *licet*, ita ut idem sit *non possit*, atque non valeat, vel nō liceat. Ex quibus colligitur virum non posse suscipere uxorem suam in confirmatione, nisi ex necessitate. Ita *Tamb n. 9.*

Frater patrinus.

981. 5. Dubium est, in frater possit in confirmatione fratrem suscipere? *Sá V. confirmatio n. 16. & Bonacina de conf. d. 3. p. 4. n. 12.* id solum admittunt in necessitate, quasi extra illam non liceat. Meliùs *Tambur. n. 15.* absolutè affirmat posse fratrem in confirmatione esse susceptorem fratris, vel sororis. Quia asserit se præmissa exacta diligentia, non invenisse textum, quo id prohibeatur. Unde consequenter asserit eos contrahere cognationem spiritualem, ita ut si postea inhonesté agant, teneri in confessione id aperire.

6. Dubium est an religiosus possit esse patrinus in confirmatione? Negat Palaus *pun. 10. n. 2.* dicens peccare mortaliter si teneat confirmandū, & solum non peccare, quando confirmandus esset etiā religiosus. Affirmat *Tamb. n. 5.* quia si olim extitit prohibitio: hodie jam contrario usu abrogata est. *Quintanad. de bapt sing. ult. & de confirm. sing. 8.* saltem peccatum mortale non agnoscit. Non dissentit *Leander disp. 5. q. 8.*

QUÆSTIO VIII.

Quinam sint effectus confirmationis, & pœna contra iteram & confirmationem?

NON loquimur de effectu cognationis spiritualis, quæ in confirmatione ex solo jure Ecclesiastico promanat. Loquimur tantum de effectu, quem ex divina institutione producit hoc sacramentum, & numeratur triplex a *S. Thoma 3. p. q. 72. a. 7. Suarii disp. 34. sect. 2. Bonacina disp. 3. q. un pun. 4. & Palao disp. un. pun. 6.* Primus effectus est augmentum gratiæ quæ per baptismum animæ infunditur. Nam ideo sancti Patres vocāt hoc sacramentum perfectionem baptismi, quia baptismi gratiam perficit & intendit. Unde ut talis effectus præstetur, cōfirmandus in gratia præ existere debet: ad quam ut jam diximus, sufficiet disponi per contritionem.

Effectus Confirmationis.

981. 2. effectus est auxilium speciale suo tempore impendendum, ut gratia per baptismum infusa retineatur, & fides absque ullo timore & pudore, cum opus fuerit, propugnetur. Notat bené *Palaus p. 6. n. 2.* hoc auxilium non esse semper efficax ex vi sacramenti. Quia aliter confirmatus nunquam fidem & gratiam amitteret.

Character in Cōfirmatione.

3. Effectus, qui præcipuus habetur, est character, nempe spiritualis qualitas, animæ confirmati supernaturaliter, & indelebiliter inhærens, qua confirmatus in Christi militem munitum, ac roboratum insignitur, ut ejus fidem alacriter profiteatur ac defendat. Cum igitur sit indelebilis hujusmodi character, fit ut sacramentum confirmationis iterari nequeat. Sumitur ex *Trident. sess. 7. c. 9. de sacram in genere.* & habetur *ex cap. dictum est, & cap de homine de consecat. dist. 5.*

Confirmationē reiterens.

Quod attinet ad pœnas, quas incurrunt, iterantes confirmationem, difficultas est, an qui iterum confirmat, seu reiterat confirmationem, non solum peccet mortaliter, sed etiam irregularitatem contrahat? Affirmant *Castro lib. 1. de lege pen. cap. 7. Navarr. cap. 27. n. 247. & S. Anton. 3. p. tit. 18. cap. 6. §. 3.* Videtur probari a simili: nam qui bis scienter eundem baptizat, lethaliter peccat, & ipso facto irregularis fit; ergo similiter qui reiterat confirmationem.

Irregularitas iterū confirmatis.

983. Dicendum tamen est cum *Suar. disp. 38. sec. 2. Valent. disp. 5. q. 3. p. 4. Marchino tr. 1. de Ordin. p. 4. cap. 3. n. 9. & Bonacina disp. 3. pun. 4. n. 10.* Quanvis peccet mortaliter, non incurrere irregularitatem. Ratio est, quia licét illa iteratio contineat gravem deformitatem, ob quam committitur lethale peccatum, tamen nulla apparet in jure expressa irregularitas, qua puniatur, sicut apparet puniens rebaptizantem; & est

illud anima: *solum inducit irregularitatem id delictum, quod expressè jura decernunt.*

Quando est dubium an fuerit quis validè confirmatus, non solum vacat culpa illum reconfirmare sub conditione, sed hujusmodi reconfirmatio honesta & bona est, sicut conditionalis rebaptizatio, quæ dubiè baptizato adhibetur. De potestate, quam Papa habet circa confirmationem, vide *Dian. p.8 .tr.1.* per multas resolutiones.

TRACTATUS XXXVIII.

DE S. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO, ET sacrificio. De Pars prior S Eucharistiæ Sacramento?

SECTIO I.
De nomine, institutione, natura, unitate, & necessitate S. Eucharistiæ.

QUÆSTIO I.
Quod sit nomen & institutio S. Eucharistiæ?

Eucharistiæ nomina. UT satisfaciamus primæ quæstionis parti, præcipuum hujus sacramenti nomē apud Græcos est *Eucharistia* quod a Latins vertitur *bona gratia*, itum quia in eo Christus fons gratiæ impenditur, tum quia est pignus eternæ vitæ, quæ appellatur gratia. Dicitur viaticum, quia morituris ad cælum viam parat. Dicitur *Synaxis* Latinè communio, quia per illud & cum Christo capite conjungimur, & inter nos ipsos unimur. Monet autem *Vasq. in 3.p.q. 3.art.4. in commen.* catholicos non debere S. hoc sacramentum appellare *cœnam Dominicam*, ne videantur consentire hæreticis sic appellantibus, ut denotent Eucharistiam nihil esse aliud quām cænæ usualis figuram, repræsentationemque mortuam.

Institutio Eucharistiæ. 984. Quod attinet ad institutionem, fuisse hoc sacramentum institutum a Christo domino, sicut & reliqua legis gratiæ, definitum est a *Tridentino sess.7.1 3.21.* Quòd fuerit institutum in ultima cæna illius noctis quá Dominus pro hominum salute traditus fuit in mortem, constat ex *Matth.26. Marc.14. Luce 22. Ioan. 6.* Est nonnulla difficultas circa diem mensis in qua institutio peracta fuit: & missis alijs sententijs, rectè asserunt *Vasq. disp. 172. Suar. disp.41. sect.1. & Ægid. Bellanus q.74.4.4. dub.1.* fuisse institutum die 14. Lunæ Martij ad illius diei vesperam, & principium diei 15. primo die azimorum, juxta illud Marci 14. *Primo die azimorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli, &c.*

Tempus quo Eucharistia fuit instituta. Dubium est 1. fuerit ne hoc sacramentum institutum ante, vel post lotionem pedum? Missis varijs opinionibus, quas referunt *Henriq. lib.8. cap. 2. & Suar. to.3. in 3.p. q.73. d.41. sec. 3. & 4.* Pro resolutione dubij notandum est 1. Christum Dominum duplicem peregisse cænam, alteram legalem, in qua stantes edebant: & alteram usualem, in qua discumbentes: institutionem veró Eucharistiæ appellari cœnam mysticam. Notandum est

Cœna legalis & usualis. 2. Christum inter utramque cænam, scilicet legalem & usualem lavisse pedes, finita nempe legali, & nondum inchoata usuali.

Resolvimus igitur cum citatis authoribus S. Eucharistiam institutam fuisse post cænam legalem, juxta *Trident. 22. sess. cap.1.* ubi ait, *Celebrato veteri paschate novum instituit*: item post lotionem pedum: siquidem juxta Evangelistas, lotione facta recubuit cum discipulis suis, & *cœnantibus illis accepit panem, & gratias agens fregit, &c.* Quod valde congruum fuit: nam lotione pedum voluit Dominus significare mundationem animæ per sacramentum pænitentiæ, quæ ante sumptionem Eucharistiæ præmitti debet. *Lotio pedū quo tempore.*

985. Dubium est 2. Utrum sacramentū Eucharistiæ institutum fuerit ante cænam, post cænam, vel inter cænandum? Respondeo cum *Suarez. disp.41. sect.4.* quamvis sit valde probabile fuisse institutum inter cænandum usuali cæna, illa nempe inchoata, & nondum finita, juxta illa verba, *cœnantibus autem illis*: tamen videri probabilius Christum finita cæna legali lavisse pedes, lotione per acta dixisse illa verba. *Scitis quid fecerim vobis, &c* deinde instruxisse discipulos de futuris mysterijs, ac statim instituisse Eucharistiam, illisque dedisse: postea verò expletis mysterijs cænasse usuali cæna. Ex quibus colligitur hujus sacramenti institutionm factam fuisse principio noctis, transacta una, vel ad summum duabus horis post occasum solis. Quanta fuerit opportunitas instituendi Eucharistiam dicto tempore, latè explicat cit. *Suar. sect.5.*

Iudas in Eucharistiæ institutione. Dubium est 3. an Christus instituerit Eucharistiam præsente Iuda, vel postquam Iudas a cæna discessit? Rectè docent *Suar. disp.41. sect.3. & Palaus tr.21. pun.1. n. 5.* præsente Iuda factam fuisse Eucharistiæ institutionem. Constat 1. quia Judas fuit consecratus sacerdos & Episcopus juxta illud Act.1. *Et Episcopatum ejus accipiat alter.* Quod sacramentum ordinis instituit Christus post institutam Eucharistiam, illis verbis. *Hoc facite in meam commemorationem.* Constat 2. nam postquam Evangelista dixit accepisse Christum panem, illumque consecrasse, dedisseque discipulis suis, addidit: *Verumtamen manus tradentis me mecum est in mensa.* Lucæ 22 Notabis 1. ex Conc. *Brach 3. cap.1.* Christum non communicavisse Iudam, quando illi bucellam panis intinctam dedit. Non enim decebat

cebat Christum intingere Eucharistiam. Notabis 2. cum Christus communicavisset discipulos, probé sciens peccatum Iudæ, eum non exclusisse ab Eucharistia, quia occultus peccator a communione publica excludi non debet.

QUÆSTIO II.

Quænam sit natura, unitas, & necessitas Eucharistiæ?

986. QUæstio tres habet partes a nobis brevissimé expediendas, quas invenies fusé tractatas a *Suario disp.40.& 42. Lugone de Euch.disp.1.2.& 3. Bonacina disp.4.q.1. & Palao tract. 21.disp. un. pun. 2.& 3.* Prima quæstionis pars inquirit naturam Eucharistiæ, seu in quo consistat illius ratio, & essentia? Huic parti satisfiet, apposita & explicata definitione Eucharistiæ, quæ juxta authores proximé citatos ita habet; *Eucharistia est sacramentum corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini ad spiritualem animarum refectionem divinitus institutum.* Traditur per causas intrinsecas, genus nempe & differentiam, in ordine ad finalem, quæ extrinseca est. *Eucharistiæ natura.*

Loco generis ponitur *sacramentum*; est enim Eucharistia signum sensibile gratiæ sanctificantis insensibilis & invisibilis. Particula illa (*corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini*) ponitur loco differentiæ constituentis: tum enim species panis & vini, tum corpus & sanguis Christi hoc sacramentum distinctivé constituunt, nempe species quatenus Christi corpus & sanguinem continent; corpus autem & sanguis Christi prout sub speciebus continentur. Sic enim hoc sacramentū potuit esse verus cibus in ordine ad finem alendi spiritualiter nostram animam. Quia animæ cibus neque sunt solæ species, neque corpus & sanguis Christi, nisi sub speciebus. Ut veró magis innotescat essentia Eucharistiæ, declaremus in ea Christi præsentiam ejusqué durationem, dicendo breviter quæ fusé tradit Suar. to 3. in 3.p.d.46. sec. 8. Resolvit 1. Corpus Christi fieri præsens huic sacramento, finita consecratione, ante usum. Resolvit 2. Corpus Christi sub speciebus permanere sacrificio absoluto, etiam si a fidelibus non consumatur. Resolvit 3. tandiu Christum esse præsentem sub speciebus, quandiu species illæ ita permanent, ut sub eis posset conservari substantia panis & vini. Ex quibus fusé, & bene probatis recté infert 1. errasse hæreticos asserentes, quando aliquis accedit indigné ad hoc sacramentum, statim Christū recedere, & redire substantiam panis, ante quam manducetur. Infert 2. falsam esse sententiam illorum, qui dixerunt recedere Corpus Christi, si in lutum cadant species, vel si attingantur sordidis manibus. Infert 3. errasse eos qui asseruerunt Christum sub speciebus perseverare donec sumantur, statim veró ac sumuntur, recedere, ante quàm corrumpantur. *Præsentia Christi in Eucharistia*

987. 2. Pars inquirit unitatem Eucharistiæ, non quidem materialiter acceptæ, quia ut sic, ex multiplici materia & forma pluralitatem vendicat: sed acceptæ formaliter & specificé; in qua acceptione Eucharistiam esse unum specificum ac formale sacramentum, docent cum *S. Thoma 3.p. q.73.a.2. Vasq.disp.168.c.1. Suar disp.39. sect.3. Layman lib.5.sum.tr.4.cap.1.asser.4. & Bonacina d.4. de sacr q.1.p.4.n.2.* Habetur expressé in *Cathecismo Pij V.* ubi dicit Pontifex Eucharistiam non plura, sed unum tantùm sacramentum esse. Sumitur ex Trident.sess.7.can.1. ubi definit septem esse sacraméta, nec plura nec pauciora; quæ definitio corrueret, si Eucharistia multiplex sacramentū foret. *Eucharistiæ unitas.*

Cum veró in assignanda ratione talis unitatis authores dissideant, ad mentem *S.Thomæ q.73.a.2.* ille propiús accedit, qui Eucharistiam unum sacramentum probat ex una significatione: significat enim gratiam sanctificantem non utrumque, sed per modum convivij, & cujusdam spiritualis refectionis: & certé cum sacramentum sit essentialiter signum, habet unitatem ex unitate signi. Sūt ergo partes hujus sacramenti corpus & sanguis Christi prout latent sub speciebus panis & vini, atque adeo cibus & potus spectantes ad unum spirituale convivium.

3. pars inquirit necessitatem Eucharistiæ, sive ea sit necessitas præcepti, cujus violatio impedit assecutionem æternæ salutis: sive sit necessitas medij, seu remedij, seu finis, & tunc datur, quando sine aliquo obtento in re, vel saltem in voto salus æterna dari nequit. Constat Eucharistiam esse necessariam necessitate præcepti non solum Ecclesiastici sed etiam divini, de quibus agemus suo loco. *Eucharistiæ necessitas.*

988. Difficultas est, an sit necessaria necessitate medij? Affirmant *Pitigianus dist. 9.q 3.a.2. Henr.lib.8.de sacr.cap.3.n.2. & Didac.Nunez q.73.a. 4.diff.2.* Nam sicut baptismus est necessarius necessitate medij, eo quòd spiritualem vitam conferat, ita Eucharistia, ex eo quòd eandem vitam servet nutriendo spiritualiter baptizatum.

Negandum tamen est cum *Valent. to.4. disp.6. q.1.pun.5. Vasquio disp.169.c.3. Bellano q.73.a.3. dub. unico, & Bonacina disp.4.de sacram.q.1.pun.3.* Probatur, quia si Eucharistia foret necessaria necessitate medij, nemo sine illa suscepta in re vel saltem in voto salvari posset; sed parvuli, quando sunt incapaces habendi votum illius, salvantur sine illa suscepta, ut definit *Triden.sess.21.can.1.* his verbis: *Si quis dixerit parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* ergo &c. Quanvis enim Eucharistia sit cibus spiritualis, non æqué necessarius est ad vitam spiritualem conservandam, sicut cibus corporalis ad vitam corporalem. Hæc enim ita continuó minuitur, ut infallibiliter pereat, nisi per cibum reparetur: non ita vita spiritualis, seu gratia hæc enim solum perditur per peccatum mortale, quod non sola Eucharistia, sed alijs subsidijs, & velut cibis, nempe oratione, jejunio, & pænitentia vitari potest. *Parvuli ad Eucharistiam.*

illud anima: *solum inducit irregularitatem id delictum, quod expresse jura decerunut.*

Quando est dubium an fuerit quis validè confirmatus, non solum vacat culpa illum reconfirmare sub conditione, sed hujusmodi reconfirmatio honesta & bona est, sicut conditionalis rebaptizatio, quæ dubiè baptizato adhibetur. De potestate, quam Papa habet circa confirmationem, vide *Dian.p.8.tr.1.* per multas resolutiones.

TRACTATUS XXXVIII.

DE S. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO, ET sacrificio. De Pars prior S Eucharistiæ Sacramento.

SECTIO I.

De nomine, institutione, natura, unitate, & necessitate S. Eucharistiæ.

QUÆSTIO I.

Quod sit nomen & institutio S. Eucharistiæ?

Eucharistiæ nomina. UT satisfaciamus primæ quæstionis parti, præcipuum hujus sacramenti nomē apud Græcos est *Eucharistia* quod a Latins vertitur *bona gratia*, itum quia in eo Christus fons gratiæ impenditur, tum quia est pignus eternæ vitæ, quæ appellatur gratia. Dicitur viaticum, quia moriturs ad cælum viam parat. Dicitur *Synaxis* Latinè communio, quia per illud & cum Christo capite conjungimur, & inter nos ipsos unimur. Monet autem *Vasq. in 3.p.q. 3.art.4. in commen.* catholicos non debere S. hoc sacramentum appellare *cœnam Dominicam*, ne videantur consentire hæreticis sic appellantibus, ut denotent Eucharistiam nihil esse aliud quám cænæ usualis figuram, repræsentationemque mortuam.

Institutio Eucharistiæ. 984. Quod attinet ad institutionem, fuisse hoc sacramentum institutum a Christo domino, sicut & reliqua legis gratiæ, definitum est a *Tridentino sess.7.13.21.* Quòd fuerit institutum in ultima cæna illius noctis quá Dominus pro hominum salute traditus fuit in mortem, constat ex *Matth.26. Marc.14. Luca 22. Ioan. 6.* Est nonnulla difficultas circa diem mensis in qua institutio peracta fuit: & missis alijs sententijs, rectè asserunt *Vasq. disp 172. Suar. disp.41. sect.1. & Ægid. Bellanus q.74.a.4. dub.1.* fuisse institutum die 14. Lunæ Martij ad illius diei vesperam, & principium diei 15. primo die azimorum, juxta illud Marci 14. *Primo die azimorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli, &c.*

Tempus quo Eucharistia fuit instituta. Dubium est 1. fuerit ne hoc sacramentum institutum ante, vel post lotionem pedum? Missis varijs opinionibus, quas referunt *Henriq. lib.8.cap. 1. & Suar. to.3. in 3.p.q.73.d.41. sec. 3. & 4.* Pro resolutione dubij notandum est 1. Christum Dominum duplicem peregisse cænam, alteram legalem, in qua stantes edebant: & alteram usualem,

Cœna legalis & usualis. in qua discumbentes: institutionem veró Eucharistiæ appellari cœnam mysticam. Notandum est 2. Christum inter utramque cænam, scilicet legalem & usualem lavisse pedes, finita nempe legali, & nondum inchoata usuali.

Resolvimus igitur cum citatis authoribus S. Eucharistiam institutam fuisse post cænam legalem, juxta *Trident. 22. sess. cap.1.* ubi ait, *Celebrato veteri paschate nevum instituit*: item post lotionem pedum: siquidem juxta Evangelistas, lotione facta recubuit cum discipulis suis, & *cænantibus illis accepit panem, & gratias agens fregit, &c.* Quod valde congruum fuit: nam lotione pedum voluit Dominus significare mundationem animæ per sacramentum pænitentiæ, quæ ante sumptionem Eucharistiæ præmitti debet. *Lotio pedū quo tempore.*

985. Dubium est 2. Utrum sacramentū Eucharistiæ institutum fuerit ante cænam, post cænam, vel inter cænandum? Respondeo cum *Suarez. disp.41. sect.4.* quanvis sit valde probabile fuisse institutum inter cænandum usuali cæna, illa nempe inchoata, & nondum finita, juxta illa verba, *cænantibus autem illis*: tamen videri probabilius Christum finita cæna legali lavisse pedes, lotione per acta dixisse illa verba. *Scitis quid fecerim vobis, &c* deinde instruxisse discipulos de futuris mysterijs, ac statim instituisse Eucharistiam, illisque dedisse: postea verò expletis mysterijs cænasse usuali cæna. Ex quibus colligitur hujus sacramenti institutionm factam fuisse principio noctis, transacta una, vel ad summum duabus horis post occasum solis. Quanta fuerit opportunitas instituendi Eucharistiam dicto tempore, latè explicat cit. *Suar. sect.5.*

Dubium est 3. an Christus instituerit Eucharistiam præsente Iuda, vel postquam Iudas a cæna discesit? Rectè docent *Suar. disp.41. sect.3. & Palaus tr.21. pun.1. n. 5.* præsente Iuda factam fuisse Eucharistiæ institutionēm. Constat 1. quia Judas fuit consecratus sacerdos & Episcopus juxta illud Act.1. *Et Episcopatum ejus accipiat alter.* Quod sacramentum ordinis instituit Christus post institutam Eucharistiam, illis verbis. *Hoc facite in meam commemorationem.* Constat 2. nam postquam Evangelista dixit accepisse Christum panem, illumque consecrasse, dedisseque discipulis suis, addidit: *Verumtamen manus tradentis me mecum est in mensa.* Lucæ 22 Notabis 1. ex Conc. *Brach 3. cap.1.* Christum non communicavisse Iudam, quando illi bucellam panis instinctam dedit. Non enim de- *Iudas in Eucharistiæ institutione.*

cebat

cebat Christum intingere Eucharistiam. Notabis 2. cum Christus communicavisset discipulos, probé sciens peccatum Judæ, eum non exclusisse ab Eucharistia, quia occultus peccator a communione publica excludi non debet.

QUÆSTIO II.

Quænam sit natura, unitas, & necessitas Eucharistiæ?

986. QUæstio tres habet partes a nobis brevissimé expediendas, quas invenies fusé tractatas a *Suario disp.40.& 42. Lugone de Euch.disp.1.2.& 3. Bonacina disp.4.q.1. & Palao tract. 21.disp. un. pun. 2.& 3.* Prima quæstionis pars inquirit naturam Eucharistiæ, seu in quo consistat illius ratio, & essentia? Huic parti satisfiet, apposita & explicata definitione Eucharistiæ, quæ juxta authores proximé citatos ita habet; *Eucharistia est sacramentum corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini ad spiritualem animarum refectionem divinitus institutum.* Traditur per causas intrinsecas, genus nempe & differentiam, in ordine ad finalem, quæ extrinseca est. *Eucharistiæ natura.*

Loco generis ponitur *sacramentum*; est enim Eucharistia signum sensibile gratiæ sanctificantis insensibilis & invisibilis. Particula illa (*corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini*) ponitur loco differentiæ constituentis: tum enim species panis & vini, tum corpus & sanguis Christi hoc sacramentum distinctivé constituunt, nempe species quatenus Christi corpus & sanguinem continent; corpus autem & sanguis Christi prout sub speciebus continentur. Sic enim hoc sacramentū potuit esse verus cibus in ordine ad finem alendi spiritualiter nostram animam. Quia animæ cibus neque sunt solæ species, neque corpus & sanguis Christi, nisi sub speciebus. Ut veró magis innotescat essentia Eucharistiæ, declaremus in ea Christi præsentiam ejusque durationem, dicendo breviter quæ fusé tradit Suar. to 3. in 3.p.d.46. sec. 8. Resolvit 1. Corpus Christi fieri præsens huic sacramento, finita consecratione, ante usum. Resolvit 2. Corpus Christi sub speciebus permanere sacrificio absoluto, etiam si a fidelibus non consumatur. Resolvit 3. tandiu Christum esse præsentem sub speciebus, quandiu species illæ ita permanent, ut sub eis posset conservari substantia panis & vini. Ex quibus fusé, & bene probatis recté infert 1. errasse hæreticos asserentes, quando aliquis accedit indigné ad hoc sacramentum, statim Christū recedere, & redire substantiam panis, ante quam manducetur. Infert 2. falsam esse sententiam illorum, qui dixerunt recedere Corpus Christi, si in lutum cadant species, vel si attingantur sordidis manibus. Infert 3. errasse eos qui asseruerunt Christum sub speciebus perseverare donec sumantur, statim veró ac sumuntur, recedere, ante quàm corrumpantur. *Præsentia Christi in Eucharistia*

987. 2. Pars inquirit unitatem Eucharistiæ, non quidem materialiter acceptæ, quia ut sic, ex multiplici materia & forma pluralitatem vendicat: sed acceptæ formaliter & specificé; in qua acceptione Eucharistiam esse unum specificum ac formale sacramentum, docent cum *S. Thoma 3.p. q.73.a.2. Vasq.disp.168.c.1. Suar disp.39. sect.3. Layman lib.5.sum.tr.4.cap.1.asser.4. & Bonacina d.4. de sacr q.1.p.4.n.2.* Habetur expressé in *Cathecismo Pij V.* ubi dicit Pontifex Eucharistiam non plura, sed unum tantùm sacramentum esse. Sumitur ex Trident. sess.7.can.1. ubi definit septem esse sacramēta, nec plura nec pauciora; quæ definitio corrueret, si Eucharistia multiplex sacramentū foret. *Eucharistiæ unitas.*

Cum veró in assignanda ratione talis unitatis authores dissideant, ad mentem *S. Thomæ q.73.a.2.* ille propiús accedit, qui Eucharistiam unum sacramentum probat ex una significatione: significat enim gratiam sanctificantem non utrumque, sed per modum convivij, & cujusdam spiritualis refectionis: & certé cum sacramentum sit essentialiter signum, habet unitatem ex unitate signi. Sūt ergo partes hujus sacramenti corpus & sanguis Christi prout latent sub speciebus panis & vini, atque adeo cibus & potus spectantes ad unum spirituale convivium.

3. pars inquirit necessitatem Eucharistiæ, sive ea sit necessitas præcepti, cujus violatio impedit assecutionem æternæ salutis: sive sit necessitas medij, seu remedij, seu finis, & tunc datur, quando sine aliquo obtento in re, vel saltem in voto salus æterna dari nequit. Constat Eucharistiam esse necessariam necessitate præcepti non solum Ecclesiastici sed etiam divini, de quibus agemus suo loco. *Eucharistiæ necessitas.*

988. Difficultas est, an sit necessaria necessitate medij? Affirmant *Pitigianus dist. 9.q 3.a.2. Henr.lib.8.de sacr.cap.3.n.2. & Didac.Nunez q.73.a.4.diff.2.* Nam sicut baptismus est necessarius necessitate medij, eo quòd spiritualem vitam conferat, ita Eucharistia, ex eo quòd eandem vitam servet nutriendo spiritualiter baptizatum.

Negandum tamen est cum *Valent. to.4. disp.6. q.1.pun.5. Vasquio disp.169.c.3. Fellano q.73.a.3. dub. unico, & Bonacina disp.4.de sacram.q.1.pun.3.* Probatur, quia si Eucharistia foret necessaria necessitate medij, nemo sine illa suscepta in re vel saltem in voto salvari posset; sed parvuli, quando sunt incapaces habendi votum illius, salvantur sine illa suscepta, ut definit *Triden.sess.21.can.1.* his verbis: *Si quis dixerit parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* ergo &c. Quanvis enim Eucharistia sit cibus spiritualis, non æqué necessarius est ad vitam spiritualem conservandam, sicut cibus corporalis ad vitam corporalem. Hæc enim ita continuó minuitur, ut infallibiliter pereat, nisi per cibum reparetur: non ita vita spiritualis, seu gratia hæc enim solum perditur per peccatum mortale, quod non sola Eucharistia, sed alijs subsidijs, & velut cibis, nempe oratione, jejunio, & pænitentia vitari potest. *Parvulis ad Eucharistiam.*

SECTIO II.
De materia, & forma S. Eucharistiæ?

QUÆSTIO I.
Qualis sit materia necessaria & sufficiens Eucharistiæ?

989. CUM in præcipuis authoribus, *Suario, Vasquio, Lugone, Palao,* & alijs invenné materiam, quam illi apellant remotam, scilicet panem & vinum, mirabar non inveniens ab illis appellatam, & explicatam materiam aliquam proximam, respectu cujus illa alia remota denominari posset. Quod autem in illis & alijs fusé de Eucharistia scribentibus non inveni, quærenti facilé occurrit in brevissima summula, quam feliciter scripsit & medullam Theologiæ moralis dixit *Hermanus Busenbaus lib. 6. tr. 3. cap. 1. dub. 2.* Nota (inquit) sicut in alijs sacramentis est duplex materia, proxima & remota, ita etiam hic, sed ordine inverso: nam in alijs materia remota est res permanens proxima veró ejus usus qui transit; hic veró remota transit, & proxima manet: scilicet transit panis & vinum, manent species panis & vini. Igitur hujusmodi species sunt materia proxima.

Materia Eucharistiæ.

Proxima & remota materia Eucharistiæ.

Quæstio est modò, quænam sit Eucharistiæ materia remota, illa nempe, quæ facta consecratione transit per transubstantiationem in Christi corpus & sanguinem? Respondeo illam Eucharistiæ materiam esse tantum panem & vinum. Est de fide, & ut sic tradunt *Suar. disp. 43. sect. 1. Lugo de Euch. disp. 4. sect. 1. Palaus tr. 21. pun. 3.* docentque definitam a Concil. Lateran. *cap. firmiter. de summa Trin. & fide cath. & Trident. sess. 13. cap. 1. ex Matth. 26. Marco 14. Luca 22. & Apostolo 1. ad Corinth. 11.* Quibus accedunt Ecclesiæ jugis praxis, & vetustissima traditio.

990. Congruentia duplex sumi potest, altera ex parte tanti sacramenti, quod per modum convivij institutum fuit; cum autem convivium ex cibo & potu constet, præcipuus cibus panis, & præcipuus potus vinum est. Altera ex parte nobilissimi effectus hujus sacramenti, efficientis unionem, eaque jungentis fideles inter se, & cum suo capite Christo; sic enim unus panis ex multis granis conficitur, & unum vinum ex multis racemis. Adde sicut panis alit, vinum exhilarat, & utrumque vires reficit, sic hoc sacramento fideles spiritualiter nutriri, hilarescere, & confortari.

Ut veró innotescat quanta sit connexio inter utramque panis & vini materiam, rogabis 1. an consecratio utriusque, sit de necessitate sacramenti? Respondeo cum *Suar disp. 43. sect. 2.* non esse de necessitate sacramenti ad valorem consecrationis unius panis materiæ, consecrationem alterius: esse tamen de necessitate præcepti ut una materia non consecretur sine alia. Prior pars constat, nam statim ac sacerdos absolvit verba consecrationis panis, adest ibi Corpus Christi, antequam detur consecratio vini, & adsit sanguis illius. Posterior pars de præcepto quod datur, ut una pars non consecretur sine alia, habetur *Cap. comperimus de consec. dist. 2.* ubi dicitur *non posse absque grandi sacrilegio dividi mysterium.*

Materiæ utriusque consecratio qualiter necessaria.

Rogabis 2. ex quonam præcepto, divino an humano necessarium sit confici hoc sacramentú in duplici materia? Respondeo ex *Suario cit. sect. 3.* necessarium esse præcepto divino, ut non conficiatur hoc sacramentum nisi a Sacerdote offerente sacrificium incruentum: item utranque materiam tanquam partem esse de integritate substantiali hujus sacrificij: jureque divino præceptum esse, ut hoc sacramentum non conficiatur in una materia sine alia. Prima pars constat ex verbis Christi, *Hæc facite in meam commemorationem,* ut exponit *Trident. sess. 22. cap. 1.* Secunda & tertia pars ex eodem *Trid. cit.* ubi claré dicitur Christum in nocte cœnæ corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Patri suo obtulisse, & Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepisse.

Consecrationis panis & vini conjunctio.

991. Rogabis 3. quanta sit necessitas consecrandi in utraque specie? Accidere potest (inquit bené *Suar. d. 43. sect. 4.*) ut sine ulla dispensatione licité conficiatur hoc sacramentum in una tantú specie, v.g. ob impotentiam physicam, vel moralem. Nam potest evenire ex inculpabili ignorantia, vel inadvertentia non esse vinum in calice, quando jam panis est consecratus, & non posse quæri sine magno scandalo, aut sine evidenti periculo vitæ; tunc enim præceptum non obligat; sicut nec ad sumendum vinum consecratum veneno infectum, si sacerdos intellexit esse mortiferum. Unde post hostiam consecratam licebit sacerdoti, non consecrato calice fugere ad vitandum vitæ periculum. Secus, si quis minaretur mortem sacerdoti imperans ut in una tantum specie consecraret. Quia in prioribus casibus sacerdos permitteret: in hoc autem intenderet sacrificium mutilum.

Consecrandi in utraque specie necessitas.

Venenum in vino consecrato.

Ex quibus patet nunquam licere sacerdoti directè conficere unam speciem sine alia absque dispensatione Pontificis, etiam si quævis causa gravissima occurrat. Ratio est, quia in Ecclesia non licet introducere novum ritum conficiendi aliquod sacramentum absque authoritate Pontificis; ergo nec mutilare sacrificium Eucharistiæ. Si roges, an possit eam authoritatem Pontifex impendere? Iuxta *Suar. citatum* quanvis probabile sit ex communi causa posse, tutius tamen & probabilius est non posse. Suadetur, quia Ecclesia non potest facere ut conficiatur hoc sacramentum nõ offerendo sacrificium Deo: nam ex divina institutione hæc consecratio est sacrificatio; ergo neque ut conficiatur non offerendo integrum sacrificium. Unde nec per modum interpretationis valet Pontifex declarare licitum esse aliquando per se conficere unam speciem sine alia. Quia nulla sufficiens necessitas ad talem declarationem occurrere potest.

Sacrificij mutilatio.

Panis & non vini consecratio.

Hactenus resolvi juxta doctrinam, probabiliorem

rem & omnino tutam iximij Doctoris. Sunt tamen aliqui casus, in quibus existimo satis probabile atque tutum posse sacerdotem licitè consecrare in una tantum specie, v.g. solum panem. 1. Si sacerdos per inadvertentiam consecravit solũ panẽ & oblitus præparationis vini non potest quærendum mittere absque infamia vel scandalo. Ita Fagun. præc. 1. lib. 3. c. 3. n. 10. & in hoc consentit Suar. citatus. 2. Ad vitandum damnum temporale grave; ut si sacerdos in prædicto casu timeat accusari de incuria, & deponi. Ita Mayor in 4. d. 9. q. 3. & probabile judicat Azor to. 1. Inst. mor. lib. 10 c. 19. q. 2. §. Maior.

3. Ratione alicujus miraculi, ut si post consecrationem in specie vini appareat caro, vel in specie panis consecrati appareat sanguis. Ita Fagun. præc. 1. lib. 3. c. 5. n. 13. Vide hæc omnia apud Mascarenhas tract. 5. de sacr. Missæ disp. 1. cap. 7. a n. 15.

Quid si non adest Eucharistia quæ infirmo moribundo ministretur, nec adest sacerdos habẽs requisita ad celebrandum: potest ne sacerdos cõsecrare in una tantum specie, & ministrare? Negat Suar. to. 3. in 3. p. disp. 68. sect. 5 §. Secundum dubium. Quia hujusmodi consecratio extra sacrificium Missæ semper fieret irreverenter. Ego existimo non carere probabilitate quod tradit Mascarenhas tr. 4. disp. 5. cap. 10. n. 324. nempe sacerdotem non solum posse, sed teneri consecrare & ministrare Eucharistiã moribundo in casu, quo non possit aliud sacramentum recipere, v.g. quia non est copia unctionis, aut sacerdos necit formam absolutionis, aut infirmus destitutus usu rationis nullum edit signum doloris peccatorum: erat tamen solitus edere signum contritionis imperfectæ, & abest periculum irreverentiæ.

QUÆSTIO II.

Qualis esse debeat panis consecrandus?

Panis triticeus ad consecrationem. 991. PAnis triticeus ita est materia sufficiens & necessaria, ex qua conficiatur corpus Christi, ut in nullo alio consecratio perficiatur. Nam hic solus est qui absolutè & simpliciter panis appellatur. Hæc resolutio Habetur ex Florentino ex decreto Eugenij, & Tridentino *sess. 13. c. 1. & est* adeo certa, ut absque periculo erroris negari non possit. Ita *Suar. cit. disp. 44. sect. 1. Vasq. disp. 170. cap. 4. Lugo de Euch. disp. 4. sect. 1. Bonacina disp. 4. sect. 2. & Palaus pun. 4. n. 2 & 3.* Adde ex ijsdem authoribus panem triticeum, ut sit apta materia, debere esse usualem, proindeque ex aqua naturali confectum, & igne coctum. Adde etiam materiam illam esse debere ita puram, ut per admixtionem alterius seminis non perdat denominationem panis triticei.

Usualis panis. Cum verò dari possit certitudo vel dubietas circa substantiam panis, quod sit aut non sit triticeus, vel circa qualitatem, quod sit, vel non sit usualis, ex quo resultabit materia in triplici statu, nempè certò sufficiens, certo insufficiens, & dubia: illam triplici expedita difficultate expediemus.

993. 1. Difficultas est, quænam sit materia certò sufficiens, & apta? Sit resolutio: materia certa, seu certò sufficiens est panis usualis, quem constat esse ex verò tritico, quod frumentum appellamus. Unde rectè monent *Suar. disp. 44. sect. 1. & Tambur. de Euch. cap. 1. §. 1.* esse legitimam materiã panem illum, qui fit ex quacunque vera specie tritici, seu sub vero tritico contenta, quomodocũque nominetur, v.g. *Siligo* vulgo *trigo candeal*: & *alica*, seu *alicastrum* vulgo *trigo tremez*, & sic de alijs speciebus quæ continentur sub vero tritico, quales sunt, ut vocant Lusitani *trigo anafil*, trigo *Galego*. *Mater. certa.*

Dixi (panis usualis) qualis est comestibilis usu communi, ac proinde ex triticea farina & naturali aqua confectus, & in clibano, seu furno coctus, vel simili modo igne assus, ut solent concoqui illæ, quas vocamus hostias, instrumento ferreo, ad eas assandas accommodato: vel etiam si panis assetur sub cineribus, aut in vasis fictilibus, vel æneis, nullo adhibito humore. Quia tunc verè fit panis usualis per hujusmodi coctionem, vel assationem, ut testantur *Suar. Fag. Lugo, Ægid. & alij* apud *Leandrum tr. 7. d. 8. q. 13.*

Addit *Tambur. cap. 1. §. 1. n. 6.* esse materiam certò sufficientem panem, etiam madefectum vino, vel aqua sive calida sive frigida, dummodo non ita coquatur, ut panis usualis denominationẽ perdat. Mica panis (inquit) madefacta, & digitis subacta, ita ut in massam redigatur, consecrationis apta materia est. Quid de pane biscocto, quem vocamus biscoutum? Aliqui ponunt inter materias dubias. Sed rectiùs *Tambur. n. 20.* certò sufficientibus annumerat. Quia illa coctio iterata illum ab usuali pane non extrahit. Idem dicendum est de pane azymo, seu buccelato. Hic enim non minùs certa materia est ad valorem consecrationis, quã fermentatus. Nos autem hic solum agimus de sufficientia ad valorem, & non ad licitum usum. *Azimus panis.*

994. 2. Difficultas est, quænam sit materia certò insufficiens, & inepta? Communis resolutio, in qua citati authores cum alijs consentiunt est, materiam certò insufficientem esse panem qui non sit triticeus, vel non sit usualis. Unde infertur 1. materiam certò ineptam esse panem cõfectum ex grano, quod constat non esse triticum, quale v.g. hordeum, milium, panicum, oriza, maizium: & a fortiori panis confectus ex fabis, lentibus, ciceribus, castaneis amygdalis, alijsque hujusmodi fructibus. Cum prædictis adnumerat *Tambur. n. 7.* avenam, far, & indicum frumentum, quod maisium vocant Hispani. Addit tamen n. 9. nomine farris non intelligi timminiam, prout significatur ab Hispanis; quia ut sic apta materia est juxta *Leand. cit. q. 7.* item non intelligi genus illud farris, quod Plinius lib. 8. cap. vocat *adorium*. Nam hoc est verum frumentum, alio nomine *ador*, ex quo verus panis aptaque materia efficitur. *Materia insufficiens.*

Infertur 2. esse insufficientem materiam, si granis triticeis misceantur grana non triticea quæ illis notabiliter excedunt, vel saltem detur æqualitas utrorumque; secus si conficiatur panis ex granis

nis triticeis diversæ speciei: vel quando grana triticea notabiliter excedunt non triticeis: tunc enim sufficiens materia erit.

Infertur 3. esse insufficientem materiam hujus sacramenti massam ex farina triticia & naturali aqua confectam, quandiu cruda est. Nam (ut inquit *Lugo disp.4.n.5.*) debet massa esse solo igne assa vel cocta. Unde innuit non sufficere, si ad solem exsiccetur. Quia panis usualis non est. Infertur 4. non esse sufficientem materiam, si panis conficiatur ex farina triticea, lacte oleo, vel simili liquore: item si farina subigatur aqua rosacea, aut simili, item si massa triticea oleo, aut butyro frigatur, aut farina triticea aqua ferventi elixetur per modum pultis. Ratio generalis est, quia in prædictis omnibus deficit status panis usualis. Infertur 5. esse insufficientem materiam panem corruptum. Quia panis ut sit materia sufficiens, in sua substantia perseverare debet, & panis corruptus non perseverat.

Massa triticea ad consecrationem.

995. 3. Difficultas est, quænam sit materia dubia? Respondeo illam esse materiam veré dubiã, de cujus substantia, vel statu usuali veré dubitatur, nempe sit ne panis triticeus, vel an sit usualis. Unde dubia materia est panis ex typha, idest centeno, vulgo *centejo*. Item panis ex zea, seu spelta, nonnulli *alicam* vocant. Item panis ex farre, qué scandiam appellant. Item juxta *Tambur n.13.* panis ex siligine illa, quæ dicitur pertinere ad centenum. Ad illam reducit panem illum, quem Siculi lermanum dicunt.

Materia dubia consecrationis.

Notanter dixit (ex siligine illa &c.) quia si nomine siliginis intelligatur (ut multi intelligunt) triticum selectum & candidum, quod nonnulli Itali vocant *grano gentile*, & alij *frumento bianco*, aptissima materia est: Sane *Plinius lib.8.c.8.* siliginem vocat delicias tritici: & Galenus lib.10. de alimẽt. facult. dicit panem & alimentum perfectissimum.

Siligo materia Eucharistiæ.

Item dubia materia est panis factus ex cremore farinæ, *amylum* vocant. Quia verisimile est, ut sic fiat, farinam tritici corrumpi debere. Ita *Cardinalis de Lugo n.5.* qui benè observat panem ex amylo non retinere communem saporem panis, sed alium valde diversum. Item materia dubia est quando tritico admiscentur grana diversi generis, nisi sint in quantitate valde modica. Ité quando triticeæ farinæ admiscetur aliquod saccharum, aut mel, aut color ruber cinnabaris, quo litteras solemus consignare, & quantitas non sit modica.

996. Addit *Tambur.§.1.n.17.* contra *Leandrum de Euch.disp.8.q.16.* non esse panem usualem hostiam rubram, quanvis modico cinnabari imbibitam. Secus de pane cui modicum saccharum immistum est: quia licèt maneat illicitus, ut pote contra usum Ecclesiæ? tamen non videtur ineptus ad valorem consecrationis. Quia sicut non redditur ineptus per terræ pulvisculum, vel granum milij, hordei, aut similis generis, ita nec per modicum saccharum.

QUÆSTIO III.

Quale esse debeat vinum consecrandum?

Explicata materia apta ad consecrationem corporis Christi, sequitur exponenda materia apta ad consecrationem sanguinis. Certè eam materiam esse vinum vitis, seu ex uvis expresũ, certa omninò & indubitata sententia est, quæ constat ex facto Christi: *Non bibam a modo ex hoc genimine vitis.* Matthæi 26. ex traditione Ecclesiæ, ex concilijs *Lateranensi 4 cap.4. & Florentino.* Et nota postulari tria, ut succus uvarum sufficiat, nempe ut sit maturus, ex uvis expressus, & in sua substãtia permanens. Hæc tria plenè innotescent expedita triplici difficultate circa materiam certó sufficientem, certò insufficientem, & dubiam.

Vinum materia sanguinis.

1. Difficultas inquirit materiam certò sufficientem. Imprimis materia certò sufficiens est vinũ de vite, & quidem omne (inquit *Tambur.cap.4.§.2.n.*) cujuscumque regionis sit, tam album, quã rubrum: sive ex natura sua debile, sive (quod semper pro sacrificio convenienti ús adhiberi debet) ex se generosum. Observari oportet quod monet *Vasq.3 p.disp.175.* quanvis vinum rubrum videatur convenientius ratione coloris, quo assimilatur sanguini, tamen absoluté convenientius esse album, propter munditiem.

Vinũ quale ad cõsecrandum.

997. Mustum, seu aliquor ex uvis recenter expressus, quanvis sit materia illicita, ut pote cõtra Ecclesiæ consuetudinem, tamen materia certò sufficiens est: quia in substantia vinum est, & quidem potabile, quanvis non sit planè decoctũ & purgatum. Adde ex *Leandro tr.7.q.53.* aliquando evadere materiam licitam, v.g. si adsit necessitas consecrandi pro dando viatico. Citatus author excipit etiam diem Transfigurationis, ubi viget consuetudo ut die illa in musto consecretur. Vinum congelatum non solum postquam liquescit sed etiam dum actu congelatum est, esse materiã sufficientem consecrationis, tanquam probabilius tuetur *Suar.disp.45 sect.1.* & absolutè defendit *Tamburinus lib.2. Explic. de sacrif. Missæ c.8.§.8. a n.8.*

Mustũ cõsecratum

Congelatũ vinũ.

Est etiam sufficiens materia vinum mixtum aqua vel simili aliquo humore satis modico. Quia sic nec vini substantia, nec demonstrabilitas amittitur. Iuxta *Tambur.de Euchar.cap.1.§.2.n.5.* est materia apta vinum ex se acidum. Imò licèt cum peccato, validé tamen fieret consecratio in vino quod incipit acescere, seu in acetum abire, si adhuc vere est vinum, quod nonnulli experti palato, & alij peritiores solo odore distinguunt.

Vinum acidum.

2. Difficultas inquirit materiam certó insufficiẽtem, seu quæ inepta sit ad calicis consecrationem. Est imprimis materia certò insufficiens vinum ex pomis, vel rebus alijs quâm ex vite. Item multũ quandiu in uvis continetur. Quia ut sic per se potari non potest, sed potiùs manducari. Est etiam materia inepta liquor ex uvis immaturis expressus, quem agrestum, & omphacium appellamus. Quia nec veré vinum est, nec usu potabile.

Agresta & omptiacum in consecratione.

998. Est itẽ juxta *Tambur.n.8.* materia insufficiens vinum imbibitũ in pane; quia prout sic potest illo veré pronunciari; *hic est vinum* sed potiùs

Hic

Hic est panis & quia valde assimilatur musto in uvis conrento. Acetum (ut bené ait *Palaus tr. 21. pun. 4. n. 9.*) isto ex vino fiat, nullatenus est materia cõsecrationis: quia in aliam naturã trãsmutatur. Unde *Gregor. XIII.* jussit deleri Glossam in *Cap. 2. de consec. dist. 2.* Affirmantem acetum esse consecrationis materiam.

Sapa, quam vulgo dicimus *arrobe*, & fit ex musto decocto, est materia inepta consecrationis, ut recté docent *Suar. 3. p. d. 45. sect. 1. & Bonacina d. 4. q. 2. pun. 2. n. 8.* Idem affirmat *Tambur. l. 2. n. 8.* de liquore, qui ex uvis passis exprimitur, quidquid in oppositum dicant *Amicus in cursu Theol. to. 2. disp. 16 sect. 3. n. 34. & Diana p. 7. tr. 12. res. 8.* Quia sicut sapa per coctionem deperditis fere omnibus partibus subtilioribus, nec vinum, nec mustũ est, & sic potiùs inter commestibilia quám potabilia numeratur, ita succus ille ex uvis passis expressus nec musti, nec vini naturam & potabilitatem retinet.

3. Difficultas inquirit materiam dubiam ad calicis consecrationem. Occurrit *lora* vulgò *aguapè* & hanc esse materiam dubiam consecrationis, docet *Suar. disp. 45. sect. 1.* & monet ferendum esse judicium de lora juxta maiorem vel minorẽ quantitatem aquæ & musti. *Palaus pun. 4. n. 9.* citato *Vasquio & Bonacina* affirmat loram eo modo quo solet confici, nullatenus esse materiam consecrationis, materiam tamen sufficientem fore, si in minima quantitate mixtio contingat: esse autem grave peccatum in ea consecrare.

999. Semper erit materia dubia (inquit *Tambur n. 9.*) vinum ex aromatibus, & alijs hujusmodi rebus conditum, si non sit satis modica mixtio. Quia semper propter vim aromatum erit suspicio, an vinum illud vini naturam, denominationem, & usum retineat. Certé vinum acidum, quod vergit notabiliter in acetum, semper erit materia dubia. Quia licét in hac re (ut diximus n. 997.) periti sciant tactu & odore distinguere, sẽper tamen remanebit dubium.

QUÆSTIO IV.

Qualis sit necessitas miscendi aquam vino consecrando?

Aqua vino miscẽda. Certum est 1. necessarió miscendam esse aquã vino consecrando. Ita *Bellarm. lib. 4. de Euch. cap. 10. & 11. Vasq. d. 176. c. 1. & Suar. d. 45 sect. 2.* desumunt 1. ex traditione Ecclesiæ, quæ habetur in *Florent. in litteris unionis. & Tridentino sess. 22. c. 7.* Desumunt 2. ex triplici congruentia 1. quia Christus Dominus eam mixtionem creditur fecisse. 2. quia hoc sacramentum est remissivum peccatorũ in memoriam passionis Christi, a cujus latere exivit sanguis & aqua 3. quia per illam mixtionem significatur unio populi fidelis cum suo capite Christi.

Certũ est 2. hujusmodi mixtionẽ esse necessariã nonquidẽ necessitate sacramẽti, ut hoc valeat, sed ex solo præcepto. Sumitur ex Concilio citato: nam definiens materiam necessariam ad valorem Eucharistiæ, solum dixit esse panem triticeum, & vinum de vite; si autem alteriùs postularetur aquæ mixtio, id expressisset, sicut expressit mixtionem balsami cum oleo, in materia confirmationis.

1000. Dubitatur 1. ex quonam præcepto, divino, an Ecclesiastico, fieri debeat illa mixtio? *Henriq. lib. 8. cap. 12. n. 4. Valent. disp. 6 q. 2. pun. 1. & Castro heresi 7.* putant faciendam esse ex præcepto divino, quod per Apostolos Christus in posuit Ecclesiæ suæ. Quam resolutionem non judicat improbabilem Palaus n. 3. Rectiùs tamen *Suar. disp. 45. sect. 2. & Vasq. disp. 177. c. 2.* judicant faciẽdam esse ex præcepto Ecclesiastico. Et hoc probant ex verbis Consiliorum Florentini ac Tridentini.

Dubitatur 2. quænam circunstantiæ in aqua vino miscenda debeant servari? Iuxta citatos authores, præcipué *Suarium sect. 3. & Palaum p. 5.* Dico 1. aqua miscenda esse debet naturalis, seu elementaris. Est certa ex Ecclesiæ traditione. Dico 2. quantitas aquę proportionaliter ad vinum, esse debet parva. Nam *Florent.* docet miscendum esse paulułum aquæ, seu aquam modicissimam. Unde dixit Palaus n. 7. servandum esse praxim Romanæ Ecclesia, quæ octies, vel decies plus vini apponit. Advertunt tamen communiter Authores non esse in hac parte scrupulosé agendum. *Aqua miscendá quæ & qualis.*

Dico 3. mixtio facienda est tempore sacrificij in ipso sacro calice, ante oblationem. Si ex inadvertentia omittatur, fiet post oblationem, sed omninó ante consecrationem. Quia post consecrationem nullatenus fieri debet. Hæc omnia juxta citatos authores ita præcipiuntur fieri, ut omitens lethaliter delinquat. Dico 4. circa ministrum infundentem servari oportet legitima consuetudo, v. g. quód in missis privatis misceat idem celebrans; in solemnibus subdiaconus infundat in calicem aquam benedictam a sacerdote. Ita *Suar. sect. 3. fine.*

Dubitatur 3. an aqua vino admixta convertatur immediaté in Christi sanguinem? Conveniũt omnes, si antequam fiat consecratio, aqua mixta sit conversa in vinum, converti in Christi sanguinem data legitima consecratione. Dubium est an converatur in sanguinem facta suppositione, quòd ante consecrationem non sit conversa in vinum? Negant gravissimi Theologi cum *Vasquio q. 74. 3. p. a. 4. disp. 178. cap. 2. Suario disp. 45. sect. 4. Henriquo lib. 8. cap. 12. Bonacina disp. 4. q. 2. pun. 4. n. 7.* & alijs, quos citat & sequitur Palaus tr. 21. p. 5. n. 10. Fundantur, quia solum convertitur in sanguinem materia apta, est autem materia apta, non aqua, sed vinum. *Conversio aquæ in vinum & sanguinem.*

1001. Hæc sententia licét valde probabilis sit, mihi tanquam probabilior arridet opposita affirmativa, quam tenent *Paulus Laymann lib. 5. summa tr. 4. cap 2. n. 9. Ægid. Bellan. dub. unico n. 144. & Cardinalis de Lugo de Euch. disp. 4. sect. 3. n. 45.* Probatur, nam ex omnium consensu materia apta & sufficiens ad consecrationem, est omne illud poculũ, quod simpliciter & absoluté in usu hominum appellatur vinum, & pro vino potatur; in usu autẽ hominum non solum appellatur vinum quod

merum est, sed quód modicè lymphatum.

QUÆSTIO V.

Qualis possit & debeat esse quantitas, & præsentia materiæ, ut valide consecretur?

DUas partes habet quæstio, alteram de materiæ quantitate, alteram de materiæ præsentia. Quod attinet ad priorem de quantitate, regula generalis est, in qua cum *Vasquio disp.* 171. *cap.* 2. *Suario disp.* 43. *sect.* 8. *Bellano q* 74. *a.* 2. *dub.* 2. *Lugone disp.* 4. *sect.* 4. *n.* 155. *& Palao tr.* 21. *d un. pun.* 6. *n.* 6. consentiunt Theologi requiri ac sufficere ad cōsecrationem eam quantitatem sive panis, sive vini, quæ humano sensu percipi, & pronomine *hic* vel *hoc* demonstrari possit.

Quantitas materia ad cōsecrationem.

An verò possit assignari aliqua quantitas ita minima, ut a nullo hominis sensu quantunvis perspicacissimo percipi possit? Negat *Palaus cit. n.* 6. & videtur intelligi de quantitate illa minima, quæ separata ab alijs partibus naturaliter conservata existat. Ipse tamen rectè fatetur, si detur aliqua, quæ per se sumpta a nullo homine extra miraculum percipi valeat, nec posse consecrari nec sub ea Christum existere. Iuxta *Suar. d.* 43. *sec.* 7. pars panis in toto existens in quacunque quantitate sensibiliter designabilis, seorsim consecrari valet: & procedit etiam de illa parte, quæ separata a toto conservari non posset. Videatur *Lugo de Euchar. disp.* 4. *a n.* 90.

1002. Si loquamur de quantitate quoad magnitudinem, conveniunt citati authorés. *Vasq. disp.* 171 *c.* 4 *n.* 25. *Suar. disp.* 43. *sect.* 8. *Palaus p.* 6. *n.* 6 *& Lugo disp.* 4. *n.* 120. Nullam posse quantitatem ita magnam designari, cujus partes si continuæ existant, consecrari non possint, si non obstet defectus præsentiæ, de quo infra. Ratio est, quia licet partes remotæ, si acciperentur divisæ, nequirent demonstrari pronomine *hoc*, at prout unitæ partibus proximioribus, & unum continuū componentes cum illis, bené demonstrari possūt. Dictum est (si partes continuæ existant) quia si divisæ sint, & existant longé á consecrante, non poterunt consecrari, utpote indemonstrabiles pronomine *hoc*. Sic eveniet in cumulo ingenti panium: non enim pronomen illud demonstrat cumulū, sed panes ex quibus conflatur cumulus.

Magnitudo materia consecranda.

Dicta procedunt de consecratione quoad valorem: nam si esset sermo de illa quoad licitum usum, omninò servari debet usus, & consuetudo Ecclesiæ Romanæ, tum in materiæ quantitate, tum in ipsius materiæ proximitate, & distantia.

Quod attinet ad posteriorem quæstionis partem de materiæ præsentia, constat necessariam esse sensibilem præsentiam hujus materiæ; demonstratur enim pronomine *hoc vel hic* Unde (ut bené notat *Suar. disp.* 43. *sect.* 5.) duplex requiritur conditio, altera quód res sit aliquo modo coram homine, & non omninò a tergo, sed saltē ad latus; altera, ut non sit nimis distans, etiam si oculis videri possit. Nam quod nimis distat potiùs designatur pronomine (*istud*) quàm (*hoc*)

Præsentia materia consecranda.

1003. Non requiritur ut tota distantia oculis pateat: panis enim & vinum coopertum velo lineo, & hostia etiam clausa in pixide, vel posita in sacrario aperto validé consecrari potest. Quia pronomen (*hic* veré aptatur: & obstaculum illud nō tollit præsentiam humano modo. Quid de consecratione hostiæ intra sacrarium clausum? *Bellanus q.* 14. *de Euch. a.* 2. *dub.* 1. *n.* 22. æquiparat sacrarium clausum parieti, post quem (ut rectè docet *Suar. dist.* 45. *sect.* 5.) hostia validé consecrari nequit. Leander de Euch. disp. 8. q. 63. æquiparat pixidi clausæ, & consequenter validé posse consecrari affirmat. *Lugo de Euch. disp.* 4. *n.* 122. Talem consecrationem dubiam existimat. Illud certum est illicité fieri talem consecrationem.

Cum autem dixerimus postulari, ne materia nimis distet, & sacerdos pro suo explendo munere petat a nobis determinatam distantiam, seu regulam qua cognoscat sufficientiam præsentiæ ad consecrandum. *Sotus dist.* 9. *a.* 2. ait certum esse posse hostiam consecrari, si distet a consecrante per decem passus: at si distet per triginta, esse valde dubium. *Palaus cit. p.* 6. *n.* 6. credit non debere materiam a consecrante distare per viginti passus; quia panis (inquit) in ea distantia constitutus, & si oculis percipiatur, at communi usu nō demonstratur pronomine *hoc* sed *illud*. *Lugo d.* 4. *sect.* 7. *n.* 125. ita habet: non nulli dicunt, materiam distantem per centum passus non consecrari, per decem consecrari, per quinquaginta esse dubiam.

Distantia materia consecranda.

1004. Certè uterque author consentit nullam certiorem, & aptiorem regulam posse præscribi, quàm prudentis arbitrium, quo quis judicet eam dari materiæ proximitatē, ut res pronomine *hoc* demonstrari possit juxta communē usum. Illud rectè notat citatus *Lugo* eo minorem propinquitatem requiri, quò materia fuerit maior; nam in cōmuni sermone minor propinquitas requiritur ad demonstrandam civitatem, quàm ad demonstrādam arborem per pronomen, *hac*.

Maior est difficultas quam citatus Cardinalis movet n. 126. & nos supra tetigimus n. 1002. an sufficiat materiam esse præsentem secundùm aliquam partem, ut possit tota consecrari, an veró debeat esse præsens secundùm omnes, & singulas partes? *Suar. dist.* 43. *sect.* 5. *fin.* exigit præsentiā singularū partium. Quia alioquin homo littore maris posset totum mare consecrare, si esset vinū. *Vasq. disp.* 171. *n.* 21. defendit partem oppositam. In hac re, quam valde dubiam bené censet Cardinalis, n. 127. rectè existimat præsentiam unius partis non reddere simpliciter præsentes omnes alias in quacunque distantia positas, ut possint designari per pronomen (*hoc*) conducere tamen illam conjunctionem, ut quæ separata forte non esset præsens, ob conjunctionem præsens reputatur.

QUÆSTIO VI.

Qualiter materia consecrationis determinata esse debeat?

QUod oporteat consecrationis materiam esse certam, determinatam ac definitam, conveniunt omnes cum *Vasquio. Suario & Lugone* citatis. Ratio est, quia verba formæ, in qua est sensus demonstrativus per pronomen *hic*, vel *hoc*, veri-

Determinatio materia ad valorē cōsecrationem.

verificari nequeunt, nisi cadant in materiã certã, determinatã ac definitã; ergo ut consecratio fiat, necesse est materiã in particulari definiri per intẽtionẽ cõsecrantis. Nam actiones circa particularia versantur, atque adeo intentio operantis practica & operativa esse debet.

1005. Ex dictis decidi possunt varij casus per illationem. Infertur 1. Eum qui habet præsentes octo hostias, & solum intendit consecrare sex, nullas in particulari excludendo, vel designando, nihil efficere. Quia cum nullas determinaverit, illius intentio non potuit cohærere cum pronomine formæ (*hoc*) demonstrativo & designativo. Rogabis, an sacerdos sufficienter ad valorem determinaverit, si intendent consecrare illas sex, quas Deus, aut Petrus voluit cõsecrari? *Ægidius Bellanus q.74. a.2. dub.3. n.57.* Credit validè cõsecraturum: quia jam illa materia fuit determinata a Deo, vel a Petro, cui determinationi sacerdos se addicit. *Intentio sacerdotis determinantis.*

Negandum tamen est cum *Suario disp.43. sect.6.* Quia consecratio valida esse nequit, nisi intentio sacerdotis determinetur ad rem significatam, seu designatam per pronomen *hoc*; & cum volũtas Dei aut Petri lateret sacerdotem, non posset ille per pronomen (*hoc*) designare hostias, de quibus loqueretur. Dices, Sacerdos nullam designãs animam potest offerre sacrificium pro illa, quam Deus voluit: ergo nullam designans hostiam potest consecrare illam, quam Deus voluerit. Dato antecedente, negatur consequentia. Quia oblatio sacrificij non fit per aliquod pronomen designãtis certã animã, consecratio autem fit per pronomen designantis certã hostiã. Eadẽ ratione (inquit *Lugo de Euch disp.4. n.132.*) invalidè contraheret matrimonium, si quis diceret, *Ego accipio te in conjugem*, volens significare unam fœminam ex decem præsentibus, quas Deus vellet. *Intentio nubentis.*

1006. Infertur 2. Cum *Suario citata sect.6.* cui subscribunt *Leand. tr.3. q.71. & Tambur. cap.2. n.13.* Sacerdotem qui consecravit cogitans se habere præsentem unã tantũ hostiã, cũ habeat duas, ambas consecrare: sicut si habẽs plures in altari, quas antea intendit consecrare, & in actuali consecratione unius tatũ recordetur. Quia privata deceptio non tollit intentionem, quæ esse debet circa materiam præsentem, prout in re proponitur. Quod intelligo, si omnes sint supra aram; nam si aliquot juxta relinquantur, & omninò é memoria excidant, non putarem esse consecratas. Quia intentio sacerdotis videtur solum determinari ad eas quæ sunt supra aram. *Bonacina de Euch. d.4. p.5. n.8.* contra *Nugnum*, asserit illas hostias, quas quis inscio sacerdote cõsecrãdas apposuit, nõ manere cõsecratas, quãvis illas apposuerit in corporali. *Hostiæ præsentes consecrãdæ.*

Infertur 3. cum *Suar. cit.* quando sacerdos intẽdit cõsecrare quod est intra calicem per modum unius continui, sicut intendere debet fieri, ut juxta talem usitatã intentionem, guttæ separatæ intra, & a fortiori extra calicẽ nõ cõsecrãtur. Infertur 4. cũ eodẽ sacerdotẽ intẽdẽtẽ cõsecrare dimidiã partẽ hostiæ, non designando quam, nihil efficere; secus si designet & sic graviter peccabit. *Guttarum in calice consecratio.*

Infertur 4. cum *Lugone d.4. n.140.* invalidam esse consecrationem, si sacerdos intendat consecrare primã quartã partẽ hostiæ, non verò secundã, & in reliqua medietate similiter primã quartã, & nõ secundã, & sic in infinitũ. Quia non potest moraliter dari sufficiẽs designatio; cum humana mens nequeat illas omnes partes concipere.

1007. Infertur 5. Cum *Lugone citato n.236.* si gutta vini admisceatur postea speciebus cõsecratis, illam non posse validè consecrari. Quia pro tali statu non manet sensibiliter designabilis. Et idem est, si modica pars vini misceatur multæ aquæ. Infertur 6. Quid dicendum de volente consecrare unam, vel plures formulas non consecratas, quæ in mixtæ fuere consecratis. *Tamburinus cap.2. n.12.* cum *Leandro & Diana*, quos citat, affirmat validam evadere consecrationem, si sacerdos intendat consecrare eam, vel eas tantũ, quæ consecratæ non sunt. Rectiùs negat *Lugo cit. n.136.* supponẽs non dignosci illam quæ consecrata non est. Quia sic non poterit demonstrari pro nomine cõsecrationis. Sicut qui ignoraret Regem, quanvis certò sciret esse interillos decem aut viginti homines, non poterit illum demonstrare dicendo *Hic est Rex* vel *Iste est Rex*. Monet igitur *Lugo* debere illum cumulũ servari, donec corrumpatur. *Consecrata & nõ consecrata materia commixtio.*

QUÆSTIO VII.

Quæ sit forma consecrationis, & qualiter intelligenda?

CUM forma Eucharistiæ sit duplex partialis, correspondens materiæ duplici partiali, altera spectãs ad corpus, altera ad sanguinẽ Christi, de utraque nobis erit quæstio inquirens illius verba, significationem & valorem. Sed ante quam ad singulas seorsim exponendas accedamus, certum est 1. Verba sufficientia & necessaria ad hoc sacramentum conficiendum esse illa, quibus Christus illud confecit: illa autem esse certa & præscripta. Certũ est 2. Benedictionem fuisse aliquod distinctum a consecratione. Sumitur ex *Tridentino sess.13. cap.1.* docente Christum hoc sacramentum instituisse post panis vinique benedictionem. Ita *Suar. disp.58. sect.1.* Ubi addit probabilius esse gratiarum actionem fuisse distinctam a consecratione. Quia gratiarum actio refertur ad Deum, consecratio verò ad panem. *Verba cõsecrationis.*

1008. Cum autem verba consecrationis a sacerdote proferantur in persona Christi, non solum recitativè, quia sacerdos narrat & recitat ea quæ Christus fecit & dixit, sed etiam formaliter significando id quod ipsa important, rectè docet *Suar. d.58. sect.4.* de necessitate sacramenti esse quòd verba proferantur, significando, non verò recitando. Constat prior pars, quia ut fiat sacramentum, necesse est quod sacerdos intendat cõsecrare præsentem materiam; ergo si id intendit, cum dicit *Hoc est* verba formaliter id significant. Constat posterior, quia si sacerdos absque ulla recitatione, cum intentione proferat illa verba (*Hoc est corpus meum*) dabitur valida consecratio quin ibi recitatio vel narratio interveniat. *Forma recitãs & significãs.*

His positis, ut exponamus prius formam consecrationis panis, quæ ita se habet, *Hoc est enim*

corpus meum, grave dubium est, qualiter supponat pronomen illud *Hoc* in consecratione panis, sicut & pronomen *Hic* in consecratione vini. Et missa longa discussione, id ex *S. Thom. q. 78. a. 5. & Suar. d. 58. sect. 7.* optimè exponit *Palaus tr. 21. p. 7. n. 5.* dicens pronomen *Hoc* supponere, non determinatè, & in particulari pro pane, vel illius accidētibus, vel pro Christo, sed supponere confusè, & in cōmuni pro contento sub accidentibus panis, & vini, quæ indeterminatio adveniente prædicato tollitur. Unde fit hic sensus: Hoc quod sub suis accidentibus continetur, est corpus meum. Et hujusmodi sensus circa pronomen *Hic* accommodabitur in consecratione vini.

Pronomē Hoc & Hic in consecratione.

1009. Ut redeamus ad institutum, forma illa *Hoc est enim corpus meum* est omninò perfecta, quia verbis illis perfectè significatur præsentia Christi. Quid de verbis antecedentibus, & subsequentibus? Benè ex *Suarez, Ægidio* & alijs respondet *Palaus p. 7. n. 1.* non esse de necessitate Sacramenti, sed præcepti. Unde peccabitur pro ratione commissionis, vel omissionis in verbis omissis, vel mutatis. Quid de particula (enim) quæ addita fuit ab Ecclesia non tam ad significandum aliquid, quàm ad conjungendum sermonem? Illius omissio erit peccatum saltem veniale, si fiat ex incuria, & negligentia: si autem ex proposito vix excusabitur à mortali ob virtualem contemptū. *Ita Palaus ex citatis n. 1.*

Forma cōsecrationis panis.

Antequàm nonnullas formas certo insufficientes, & alias dubias numeremus, prænotandum est quamlibet transpositionem, mutationem, diminutionem, vel additionem in forma regulariter esse peccatum grave, quantumvis non immutet, vel impediat significationem. Nam si immutaret, vel impediret, consecratio esset invalida.

Ex hoc prænotatione infertur certò insufficientes esse ad consecrationem panis sequentes formas 1. *Illud est corpus meum.* Quia pronomen (Illud) mutat significandi modum a Christo usurpatum, & apud nullos est ostensivum materiæ præsentis. 2. (*Hic est corpus meum*) sumpto (hic) adverbialiter. Tunc enim non significatur transubstantiatio panis in Corpus Christi. 3. (*Hoc est Corpus Christi*) quia tunc sacerdos non in persona Christi, & Christum repræsentans verba proferret, sed habens se relativè; quod obstat institutioni. 4. (*Consecro, conficio Corpus Christi, vel corpus meum.* Quia forma hujus Sacramenti significat præsentiam Christi in facto esse, & non in fieri. Ita *Layman lib. 5. sum. tr. 4. cap. 3. Henr. lib. 8. c. 16. & Bonacina disp. 4. q. 3. p. 1. ex Suar. d. 59. sec. 2.*

Formæ certo insufficientes.

1010. Quod attinet ad dubias, seu potius scrupulosas, de quibus scrupulosus dubitabit, numerari possunt sequentes, (*Hoc est corpus meus. Hic est corpus meum. Hic est corpus meus.*) Sed has esse sufficientes ex mutatione solum accidentali, ob grammaticalem errorem, rectè tradunt *Suar. d. 59. sec. 2. & Fagun. in Quinto l. præcepto 3. lib. 2. c. 6. n. 18.* Ubi addit validam fore absolutionem, si confessor diceret: *Absolvo tibi.* Idem rectè affirmat *Leander tr. 7. d. 9. q. 17.* de eo qui diceret *Illud est corpus meum.* Quia pronomen (istud) licet aliud Latinè sonet, aliquando saltem ab imperitis usurpatur pro (*Hoc*) Secus (*Illud est corpus meum*, ut supra resolvimus.

Formæ scrupulosæ.

Quid si Castellanis aliquis pronunciet *Meum?* Sunt enim Castellani valde difficiles in pronunciandа littera m. finali. *Sotus* apud *Leandrum tr 7. d. 9. q. 17.* Respondet in hunc modum: Sunt peiores quā scrupulosi, & morosi, qui putant, si pro *Meum*, dicant *Meun*, nō cōsecrare; est enim deridēdus scrupulus. Hispani namque ægré proferimus *M.* finale. Immò si pro (*est*) velocitate linguæ dicatur (*Es*) nullus exurgere debet scrupulus: quoniā T. post S. in fine difficile etiā Hispani pronūciant. Ex accōmodatione enim usus, legitimus servatur sensus, sicut in balbutiētibus. His acquiesco. Sed cū *Fagund. cit. c. 6. n. 21.* non admitto, quod addit. Imò addit) quāvis nō adhibeatur diligētiæ proferēdi M finale in (*meum*) vel si forte non proferretur *t.* in verbo *est*, nullam profectò reor culpam incurri: Deus enim nō est istarū minutiarū observator. Hæc ille. Illud rectè monet *Tamb. c. 2. n. 21.* in his, & similibus casibus sacerdotē sic forte pronunciātē, nō posse, prolata jā tota forma iterum illam super eandem materiā proferre, ne in rem consecratam cadat consecratio.

Meum pro Meū in cōsecratione.

1011. Ut expendamus formā cōsecrationis vini, sic habet: *Hic est enim calix sanguinis mei novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionē peccatorū.* Esse hæc omnia verba de substātia cōsecrationis defendūt *S. Anton. 3. p. t. 13. cap. 15. §. 4. Petrus de Soto sect. 2. de Euchar. Sylvest. V. Euchar.* & reliqui Thomistæ duce *S. Thoma q. 78. a. 3.* Probāt ex eo, quia posteriora verba, *novi, æterni testamenti.* Et priora determināt.

Forma consecrātionis vinī.

Nihilominus sola hæc verba *Hic est calix sanguinis mei*, esse de substantia consecrationis rectius docent *Henr. lib. 8. cap. 17. Suar. disp. 60. sect. 1. & Bonac. d. 4. q. 3. pun. 2.* Ratio est quia prolatis illis tātū verbis sufficiēter significatur, ibi esse præsētē Christi sanguinē, & illa sūt verba substātialia cōsecrationis, quæ prolata efficiunt, quod significant.

Ut intelligamus an sint immutabilia illa verba. *Hic est calix sanguinis mei*, & illa explicemus, duce *Suar. dub. 60. sect. 2.* cū jā ex superioribus cōstet explicatio triū, nempe pronominis (*hic*) verbi (*est*) & pronominis (*mei*) solū restat explicare verba (*calix sanguinis*) quanvis probabile sit *calicē* propriè sumi pro vase ipso, & reddi sēsū: *Hoc est vas continens meum sanguinem*: tamē probabilius, & cōmunius est vocē (*calix*) exponi metonimicè, ut accipiatur cōtinēs pro re cōtēta in calice: ūde idē valet *calix sanguinis*, atque potus sanguinis. Rejiciēdus igitur omninò est sēsus: *Hoc est vas sanguinis*, nempe quod convertitur in sanguinem.

1012. Quid de mutationibus prædictæ formæ, ut agnoscamus, quę possint sustineri? Mutatio hujus formæ (*Hic est calix sanguinis mei*) in hæc, (*Hic est sanguis meus*) nō est substātialis, ut docet *Suar. cit. sec. 2.* at in Ecclesia Latina sine gravi peccato fieri nequit. Idē procedit de mutatione in formā Lucæ: *Hic est calix novū testamētū in sāguine meo.* vel

Formæ consecrationis æquipollentes.

vel Pauli: (*Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.*) Adde ex *Leandro tr.7.d.9. q. 28. Fagun. prec.Eccl.3.lib.2.c.6.a n.18.& Tamburi.cap.2. n.22.* si quis proferat *calis* pro *calix* vel *Zanguinis* pro *sanguinis* (ut solent Castellani) vel per errorem grãmaticalem dicat. *Hic est calix sanguinem mei*: vel *Hic est calix sanguinis meis,* valide consecrabit, ut de similibus diximus supra n.1010.

Testamẽtum novũ & æternum.

Si petas a nobis explicationem illorum verborum, quæ formæ substantiali adjecit Ecclesia, & sine gravi peccato omitti nequeunt, accipe a *Suario citato sect.3.* Prima particula) *Novi & æterni testamenti* dupliciter exponitur. 1. hunc esse sanguinem Christi, quo novum testamentum firmatum est 2. testamentum novum esse promissionẽ æternæ hæreditatis: dicitur æternum, quia æterna promittit. 2. Particula (*Mysterium fidei*) indicat hoc sacramentum esse unum ex mysterijs fidei maximè reconditis. 3. particula (*qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*) de effusione cruenta in passione intelligitur in triplici sensu 1. *pro vobis,* id est discipulis meis, qui præsentes estis, *& pro multis* id est pro omnibus alijs 2. *pro vobis,* id est sacerdotibus, qui offerunt, *& pro multis* id est laicis õnibus, pro quibus offertur. 3. *pro vobis* id est Iudæis, *& pro multis* idest gẽtibus.

Dubia consecratio supplenda.

1013. Rogabis, quid agendum sit, quando prudenter dubitatur, an materia aliqua sit consecrata, vel quia dubia forma super illam cecidit, vel quia dubitatur, an ipsa fuerit satis præsens, vel intentio ad illam satis directa? Benè respondet *Palaus tr.21.pun.6.n.8.* si nulla alia materia est cõstituta pro sacrificio, debere sacerdotem iterum verba consecrationis proferre super illam materiã sub conditione, ne imperfectum evadat sacrificium. At si alia materia pro sacrificio est constituta, nec dubium circa illam versetur, sed circa materiam communicaturis appositam, debet (inquit) sacerdos alio die sacrificans, vel alter sacerdos de ea re monitus verba consecrationis super illam materiam sub conditione proferre, eamque simul cum materia, quam in illo sacrificio consecravit, absumere. Quod si dubium oriatur ex incapacitate materiæ, quia præsumitur vinum esse acetum, vel panis corruptus, si in eo sacrificio nulla alia materia certa consecrata sit, debet sacerdos errorem agnoscens certam materiam consecrare, & simul cum ea dubiam absumere. At si alia materia certa apposita fuit, alius sacerdos, vel ipse altero die eam dubiam materiam simul cum ea, quã in sacrificio cõsecrat, absumere debet; ut sic exhibeatur honor materiæ in dubio consecratæ.

SECTIO III.

De susceptore Eucharistiæ, & dispositione ad recipiendum.

1014. QUÆSTIO I.

Quinam sint legitimi susceptores hujus sacramenti?

Sumptio Euchariſtia duplex.

CUM susceptor denominetur à susceptione, præmittendum est cum *Suar.disp.61.sect.1.* duplicem dari Eucharistiæ susceptionem, alteram spiritualem, alteram sacramẽtalẽ; & utramque habeti ex *Trid.sess.13.c.8.* Spiritualis est, quæ fit tantũ spirituali tet perdesideriũ hujus sacramẽti ex fide viva profectũ. Sacramẽtalis propriè dicitur realis mãducatio Eucharistiæ cũ aliqua intentione sumẽdi illam in subjecto capaci, & proportionato.

Susceptores Eucharistiæ.

Quod attinet ad susceptores, certum est 1. solum hominẽ viatorẽ posse Eucharistiam spiritualiter, & sacramentaliter sumere. Ratio est, quia hoc venerabile sacramẽtũ neque pro bestijs, neq; pro angelis, & beatis, sed solũ pro hominibus viatoribus institutũ fuit. Certũ est 2. hominẽ nõ baptisatũ capacẽ esse recipiendi Eucharistiã spiritualiter, sed nõ sacramentaliter. Nã ante baptismũ potest esse gratus Deo, & desiderare post baptismũ Eucharistiam recipere: at non potest in re suscipere, quia nõdũ Ecclesiã per baptismũ ingressus est.

Certũ est 3. hominẽ baptisatũ peccatorẽ, quanvis possit sacramẽtaliter suscipere, in suũ judiciũ, & cõdẽmnationẽ, nõ posse suscipere spiritualiter. Quia si desideret sumere in tali statu, sumptio spiritualis erit peccatum; si in meliori statu erit mortua, & sine ullo fructu. Certũ est 4. omnẽ justum baptisatũ, & rationis cõpotẽ posse cõmunicare spiritualiter, & sacramentaliter. Nam potest habere desiderium cõmunicãdi, & augmẽtũ gratiæ.

Infantes ad suscipiendam Eucharistiam.

1015. Dubiũ est 1. An cõcedi possit, ac debeat Eucharistia infantibus, & perpetuo amẽtibus saltẽ in articulo mortis? Constat ex *Suar.disp.62.sect.4.* si cõcedatur Eucharistia baptisatis infantibus, vel perpetuo amentibus, percepturos esse augmẽtũ gratiæ. Cõstat itẽ ex *Trid.sess.21.c.4.* fuisse olim cõsuetudinẽ, ut Eucharistia parvulis cõcederetur. Cõstat deniquè ex eodẽ ibi citato nullã esse obligationẽ, vel necessitatẽ administrãdi illã infantibus, & idẽ est de perpetuò amẽtibus. Dubitatio nõnulla est, an expediat talis administratio saltẽ in articulo mortis? Rectè est *S.Thom. q. 89.* negãt *Vasq. disp.121.circa finem,* & *Suar.d.62.sect.4.in fine.* Quia hoc sacramẽtũ illis necessariũ nõ est, & in susceptione adest irreverentiæ periculum.

Amentes ad Eucharistiã.

Dubiũ est 2. An amẽtibus, qui aliquãdo habuerũt rationis usũ, cõcedi possit ac debeat? Respondeo cũ citatis authoribus nõ esse cõcedẽdã, nisi in solo mortis articulo. Prior pars cõstat, quia cũ illis nõ detur omnimoda necessitas, sẽper datur periculũ irreverentiæ. Posterior suadetur, quia tunc adest extrema necessitas: nã evenire potuit, ut post peccatũ lethale in amẽtiã inciderint attriti, quibus proinde gratiã cõferet Eucharistia. Semper tamẽ curandũ est, ne fiat irreverentia Eucharistiæ, proindeq; una vel altera hostia nõ cõsecrata amẽti porrigatur, ut innotescat qualiter cõsecratam tractabit.

Semifatui ad Eucharistiam.

Dubiũ est 3. Qualiter concedi possit, ac debeat semifatuis, seu non habentibus plenum rationis usum? Respondeo cum *Henriq.lib. 8.cap. 42. Laymann lib.5.tr.4.c.4.q.3.in fine & Bonac.disp.4.de Euch.q. 6. n.7.* si facta diligentia nesciant distinguere inter cælestem, & profanum cibum, computari debere inter absolutè amẽntes. Si tamen satis distinguãt, & reverenter postulent, esse illis concedendum non solum in mortis articulo, sed etiam tempore paschatis, quando urget præceptum, 1019.

Mutus sacerdos & cæcus, ad Eucharistiam.

1016. Dubium est 4. de mutis & surdis a nativitate. Et certè hos, si sufficienter possint distinguere cibum cælestem a prophano, tam in mortis articulo, quàm tempore paschatis, debere communicare, ut recipiant augmentum gratiæ, & præcaveant futura peccata, benè docent authores. Addit *Palaus tr. 21. p 10. n. 9.* si prudens confessor in illis agnoscat maturam & plenam discretionem, posse cōcedere, ut alijs etiam festis solemnioribus communicent. Sermo est (inquit) de mutis, & surdis tantum: nam si illis accedat cæcitas, manent omninò incapaces communicandi, quia incapaces sunt agnoscendi tantum sacramentum.

Dæmoniaci ad communionem.

Dubium est 5. de energumenis, seu dæmoniacis. Si constet eos esse privatos rationis usu, inter amentes computari debet. Si constet esse in peccato mortali, Eucharistiæ incapaces sunt. At si rationis compotes a dæmone vexentur ob maius meritum, vel in pœnam delicti commissi & jam remissi, administranda est illis Eucharistia, secluso reverentiæ periculo, non solum in articulo mortis, sed etiam paschate, & alijs temporibus, confessoris arbitrio. Ita *ex Vasq. d. 112. cap 4. & Suar. d. 69. sect. 2. Layman lib. 5 sum. 10. 4 c. 4. q. 5.*

Dubium est 6. de pueris jam habentibus rationis usum, quando debeat illis Eucharistia ministrari? Illis extra mortis articulum Eucharistiam dandam ex solo consilio, putat *Navarrus cap. 21. n. 57.* & in mortis articulo ex obligatione præcepti ministrandam docent *Henriq lib. 8. cap. 42. in fine & Suar. disp. 70. sect. 1. in fine*, qui certè conveniunt perfectiorē rationis usum postulari ad cōmunicandū; quā ad peccādū, & sacramēti pœnitentiæ suscipiēdū: similiter extra mortis articulū expectari posse unū vel alterū annū, ut eorum judiciū & discretio meliùs innotescat, & majori cum reverentia & fructu Eucharistia suscipi possit.

Pueri ad Eucharistiam recipiendi.

Roganti quando censeātur pueri habere sufficientem discretionem, ut obligentur suscipere? Respondet *Palaus tr. 21. 1 puncto n. 11.* id esse relinquendū confessoris judicio. Nam sunt alij tardioris, & alij perspicacioris ingenij ad discernendū; ex quo regulariter nemo ante decimū annū obligari videtur. Imò *Corduba in summa casu 6 . & Navar. cap. 21. n. 57.* credunt mares ante decimū quartū annū, & fœminas ante duodecimum nunquam obligari. Duo ex *Palao cit. n. 11.* competta habeo, alterū pueros sufficienti discretione pollentes excusari, si a parentibus & confessoribus communicare nō permittātur, ipsosque parētes, & parochos excusari cōsuetudine, quæ rarò ante decimū annū, id permittit: alterū in pueris qui nondū attigerūt decimum quartum annum, nō decere frequētiorē cōmunionē quā mēstruā. *Constit. Archiep. Ulyssip. lib. 1. tit. 9. dec. 1. §. .* dicunt regulariter dari sufficientem discretionem in maribus anno 14. & in fœminis anno 12. id tamen omninò committunt discreto confessoris arbitrio, quoad anticipandum, ' post ponendum.

QUÆSTIO II.

Quæ dispositio ex parte animæ requiratur ad suscipiendam Eucharistiam?

1017. Certum omninò est, atque ex *Apost. 1. Cor. 11.* definitam a *Trid. sess. 13. c. 7. & can. 11* Teneri quemlibet gravi obligatione, ante quā accedat ad sumēdā S. Eucharistia, se reputare Deo gratum, seu esse in statu gratiæ. Nam hoc sacramentum est vivorum, quod proinde tendit ad augendum gratiā, atque ex sua peculiari institutione nutriēdum viventes per gratiam. Quanta verò postuletur certitudo de statu gratiæ, rectè ex *Ægid. Bellano q. 80. a. 4.* docet *Palaus tr. 21 pun. 11. n. 2.* sufficere morale, quæ cēsebitur dari, quādo quis post factū suæ cōscientiæ diligēs examē, nullo gravari peccato lethali non confesso moraliter certus est.

Gratiæ status ad sumendā Eucharistiam.

Unde accedere ad S. Eucharistiam cum conscientia peccati mortalis est peccatum mortale, ut tā quā de fide tradit *Suar. disp. 66. sec. 1.* & probat ex verbis *Apost. 1. ad Corin. 11. Iudicium sibi manducat & bibit.* Rectèque addit *sect. 2.* habere gravitatē sacrilegij, cum sit indigna tractatio rei maximè sacræ, qualis est Eucharistia, cui summus honor & reverētia debetur. An qui peccavit mortaliter, teneatur aliquo tempore differre cōmunionē, etiam si contritus & confessus sit? Benè per se loquēdo negat *Suar. disp. 66. sect. 8.* Quia solū peccatū mortale, quādiu durat in anima, impedit ex necessitate cōmunionē; & aliunde nulla est lex, quæ morā ponat. Dixi (per se loquēdo) quia ratione scandali, vel contemptus peccatum dari poterit.

Mortale peccatum in sumente Eucharistiam.

1018. 1. Difficultas est an peccatum veniale impediat aliquo modo sumptionē Eucharistiæ? Non est sermo de veniali habituali, quia hoc non impedire certum est. Loquimur de veniali actuali, quod in ipsa sumptione committatur v. g. si quis ob vanā gloriā communicet. Quanvis affirmet *Marsil. in 4. q. 6. art. 4. corol. 3.* & faveant qui cum *S. Thom. in 4. dist. 12. q. 2. a. 1. quæstiun. 3. & Sylvest. V. Eucharistia in fine*, requirūt necessario actualē devotionē ad Eucharistiæ effectū recipiēdū, tamē dicēdum est cū *Suar. d. 63. sec. 3. concl. 1. & Vasq. d. 206. cap. 2.* actuale peccatū veniale cōmissū in ipsa sūptione, impedire præcipuū effectū, qui est augmētū gratiæ. Ratio est, quia peccatū veniale actuale, sicut non repugnat gratiæ, ita nec illius augmēto. Dixi (præcipuū effectū) quia alios effectus secūdarios ex parte impedit, nēpe devotionē, charitatis fervorē, specialē suavitatē, & auxilia gratiæ ad vitanda peccata. An sit peccatū veniale accedere ad Eucharistiam cum peccato veniali? Affirmant *Suar. d. 66. sect. 1. §. Dicendū & Hugo de Euch. d. 14. n. 31.* Negant *Vasq. d. 207. n. 18. & Ioan. Sanch. in selec. d. 22. n. 9.* Utrunque probabile.

Venialia non impediunt Eucharistiā.

2. Difficultas est an & qualiter habēs cōscientiam peccati mortalis teneatur præmittere cōfessionē ātè Eucharistiā? Cōstat dari præceptū. Dubitatur, sit ne Ecclesiasticū, an divinū? Esse Ecclesiasticū affirmant *Navar. sum. cap. 21. n. 49. Palud. in 4. dist. 9. q. 10. ad 1. & Medina Cod. de confess. q. 17.* Dicēdum tamen est cum *Henriq. lib. 8. c. 46. Vasq. d. 207. cap. 4. a n. 40. & Suarez d. 66. sect. 2.* Dari præceptum divinum. Colligitur ex *Trident. sess. 13 cap. 7.* *Communicare* (inquit) *volenti revocandum est in memoriam*

Confessio ante Eucharistiā.

moriam ejus praeceptum. Ideſt Chriſti. Deinde Eccleſia cenſet Apoſtolum tradidiſſe præceptum illis: *Probet autem ſe ipſum homo 1. ad Corin. 11.* Apoſtolus vero non tradidit hoc præceptum ut a ſe latum, ſed ut a Chriſto acceptum, quod non leviter probatur ex verbis antecedentibus; *Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis.*

Obitum mortale in confeſſione.

1019. 3. Difficultas eſt, an ſupradicto præcepto ſatisfaciat qui præmiſit ſacramentum pœnitentiæ, & ex invincibili oblivione peccatum mortale confeſſus non fuit, ita ut ſi illius recordetur ante ſumptam Euchariſtiam, illam poſſit ſumere, non præmiſſa confeſſione illius? Videtur affirmare *Reginal. lib. 29. cap. 6. n. 105.* Quaſi illud peccatum jam fuerit indirectè remiſſum per abſolutionem ſacramentalem.

Negandum tamen omninó eſt cum *Ægidio Bellan. q. 80. a. 4. dub. 2. Henriq. lib. 8. cap. 46. n. 3. & Suar. d. 66 ſect. 4.* quos ſequitur *Palaus tr. 21. n. 4.* Ratio eſt, quia Tridentinum exigit cujuſcunque peccati mortalis probationem per confeſſionem: & hæc probatio non datur, quandiù peccatum confeſſioni non ſubjicitur. Cum veró certum ſit. 1. licere aliquando exiſtenti in mortali ſumere Euchariſtiam ſine prævia confeſſione; & certum ſit 2. ut hoc liceat, poſtulari duas conditiones a Tridentino aſſignatas, ſcilicet neceſſitatem urgētē, & defectū copiæ cōfeſſionis: has duas conditiones examinabimus duplici difficultate ſequēti.

Neceſſitas communicandi ut excuſet a confeſſione.

4. Difficultas eſt, quando cenſeatur adeſſe urgēs neceſſitas communicandi? Hanc neceſſitatem debere eſſe gravem bené notat *Suar. diſp. 66. ſect. 4.* Ubi fuſè expendit ſeptem, quos nos mittimus in compendium adjectis nonnullis ex recentioribus. 1. indubitanter ſufficiens eſt periculum mortis ejus qui communicaturus eſt, ut ſi ipſe ſit ſacerdos, poſſit celebrare, vel ſi laicus, & hoſtia ſit conſecrata, nec adſit ſacerdos, ſed ſolus diaconus qui miniſtret, poſſit communicare 2. huic ſimilis eſt neceſſitas alterius in periculo mortis exiſtentis: ut ſi oporteat ſacrū ad cōſecrandū & cōmunicandū.

1020. 3. Etiam ſufficiens eſt ſi nequeat quis communionem omittere ſine gravi infamia, quā aliter vitare non poſſit 4. eſt ſi ſequatur ſcandalū ex omiſſione Miſſę, vel communionis. Hæc ſufficit, dummodo veré ſcandalum ſit, & non ſolum quædam admiratio populi 5. & gravis quidem, eſt neceſſitas abſolvendi inchoatum ſacrificium: ut ſi quis incepta jam Miſſa, recordatur mortalis non confeſſi, vel illud committat. Unde ſi hoc eveniat poſt conſecrationem, nulla præmittenda eſt confeſſio; Si poſtquam ſacerdos eſt in altari, & nondum inchoavit Miſſam, confiteri debet, etiam ſi opus ſit exui veſtibus ſacris ad cōfeſſorem adeundum, ſecluſo ſcandalo. Si poſtquā inchoavit, & ſine incommodo vocari poteſt ad ad altare ſacerdos, vocandus eſt, & præmittenda confeſſio: ſi venire nequeat, ſacerdos ab altari diſcedere non debet.

Sacerdos qui in Miſſa recordatur peccati mortalis

6. Eſt quādo quis jam eſt admotus ſacræ mēſæ publicé corā alijs cōmunicaturus, & recordatur mortalis nō cōfeſſi. Hæc ſufficit, præſertim ſi jā ſacerdos incepit actionē ſacrā, v. g. educēdo pyxidē. Nec eſt cōſulēdū, ut in eo caſu cōmunicaturus cōfiteatur ſacerdoti miniſtrāti Euchariſtiā 7. quādo ſacerdos tenetur ex officio facere ſacrū, & nō eſt copia cōfeſſoris: ſufficit enim, quāvis ſacerdos celebret pluribus diebus, quibus abeſt confeſſor. Secus quādo ſacerdos nō tenetur ex officio facere ſacrū, ut alij audiāt. Nō eſt ſufficiēs cauſa obligatio audiēdi ſacrū in ſacerdote, ut ipſe celebret, neque obligatio cōmunicādi in Paſchate, ut laicus communicet; quanvis oppoſitum probabile ſit. Hæc ex Suar. citato. Vide *Bonacina d. 4. q. 6. & Palaū p. 12.*

Copia confeſſoris defectus.

1021. 5. Difficultas eſt, quādo cēſeatur dari defectus copię cōfeſſoris? Occurrūt varij caſus, quos bené ut pote decidit Suar. diſp. 66. ſect. 4. & nos pavâs reſolvimus. 1. caſus eſt, quādo abeſt cōfeſſor legitimus, at pœnitēs de propinquo expectat alium, cui ſolet devotiús confiteri. In hoc nō deeſt copia cōfeſſoris, cū adſit ſufficiēs. 2. caſus quādo abeſt ordinarius ſacerdos, & adeſt alienus, qui ex privilegio poteſt abſolvere. In quo ſicut in primo nō deeſt copia cōfeſſoris 3. caſus, quādo pœnitēs rationabiliter timet ſoreut cōfeſſor legitimus præſēs rumpat ſigillū, aut aliud grave detrimētū inferat. Tūc poteſt cōmunicare omiſſa cōfeſſione, dūmodo habeat mortalia de quorum confeſſione periculū illud timeat. Nā ſi habeat alia, ea cōfiteri debet, & ſi omiſſis illis, de quibus eſt timor.

4. Caſus eſt, quādo quis habet peccatū reſervatū ſuperiori, quē nec per ſe, nec per aliū adire poteſt. In quo nō eſt improbabilis ſētētia aſſerēs poſſe cōmunicare abſq; ulla cōfeſſione, ſi neceſſitas urgeat: tamen ſecurius & probabilius eſt teneri cōfiteri præſenti confeſſori cum onere poſtea cōparendi.

Aliqui Doctores ultra legitimam confeſſionē peccatorū mortaliū, poſtulāt aliquod tēporis ſpatiū inter illā & cōmunionē. Unde *Covar. lem. ſi furioſus 3. p. in princ. n. 7. & Marſil. in 4. q. 6. a. 4.* Dixit ſacerdotē qui ex culpa ſua habuit pollutionē nocte, teneri ad abſtinēdū a celebratione ea die. Rectiùs negat P*alaus tr. 21. p. 12. n. 10.* dicens abſque fundamēto induci talē obligationē. Cōſentit *Suar. ſec. 8.* ſed ait conſulēdū eſſe, ut ſi abſit neceſſitas, abſtineat peccator ab Euchariſtia ſaltē per diem, ut meliùs ſe diſponat.

Contritio ante Euchariſtia ſumptionem.

1022. 6. Difficultas eſt, utrū quādo nō pręmittitur cōfeſſio ante cōmunionē in caſibus ſupradictis, poſtuletur cōtritio? Apud *Suar. diſp. 66. ſect. 5.* Affirmativa reſolutio adeo certa eſt, ut oppoſita ſine temeritate defendi nequeat. Deducitur ex *Trid. ſeſſ. 13. c. 7.* & Suadetur ratione, quia lex naturalis cōſequēs inſtitutionē tāti ſacramēti, ob ejus ſūmā dignitatē jubet, ut nemo ad illud accedat niſi in gratia; ergo quādo urgēte cauſa ceſſat præceptū poſitivū cōfeſſionis, adhuc ex naturali pręmittēda eſt cōtritio, quæ ſola ponit in ſtatu gratiæ.

Maior eſt dubitatio, an detur caſus, in quo liceat alicui habēti cōſciētiā peccati mortalis Euchariſtiā ſumere, quin cōfiteatur, & quin cōteratur? *Suario cit.* nullum videtur agnoſcere. *Vaſquio tamen diſp. 207. cap. 1. n. 3. & Lugo de ſacram. diſp. 9. n. 8. & de Euch. diſp. 14. n. 3.* Duplicē agnoſcūt. Primus eſt, ſi

eveniat

eveniat ut sacerdos in altari recordatur peccati à se commissi, & ita arctetur an gustiis temporis, ut non possit attendere ad contritionem habendam, nisi desistendo ab inchoato sacrificio, cum magno sui honoris dispendio, & scandalo. 2. & fortior est, quando ex subita infidelium irruptione immineret periculum gravissimæ irreverentiæ, quæ Eucharistiæ inferretur, & catholicus in peccato existens non posset præ temporis augustijs se disponere per contritionem: & non aliter nisi consumpta Eucharistia vitari periculum. Utramque resolutionem approbat Tambor. de commun. c. 1. §. 10. addens in secundo casu non solum posse, sed debere. Illis subscribo, dummodo quantum fieri possit ad contritionem detur conatus.

1023. 7. Difficultas est, utrum qui sine confessione præmissa communicat post conscientiã peccati mortalis, teneatur jure divino statim confiteri, quam primum possit? Rectè negant *Vasq. d. 208. cap. 3. a n. 16. Suar. d. 66. sect. 6. Bellarmus q. 80. a. 4. dub. 2. & Bonac. d. 4. de sac. am. q. 6. pun. 1. a n. 37.* Et procedit resolutio tum de communicante indignè, tum de communicante dignè. Ratio est, quia si præceptum illud accipiatur ut affirmativum, non obligat pro semper, sed determinatis temporibus; si ut negativum, solum obligat ad non communicandum indignè. Unde communicanti dignè sine confessione ob causam, non est necessarium aliud propositum confitendi, nisi quod ad contritionem requiritur.

Confessio statim post cõmunionem.

8. Difficultas est, an sacerdos qui post conscientiam peccati mortalis celebravit sine confessione, teneatur jure Ecclesiastico confiteri cum primũ possit? Rectè affirmant citati authores, quibus accedit *Palaus tr. 21. pun. 12. n. 9.* Quia tale jus latum fuit a *Triden. sess. 13 cap. 7.* ubi sic: *Quod si necessitate urgente sacerdos absque prævia confessione celebraverit quam primum confiteatur.* Unde Papa Alexand. 7. anno 1665. damnavit hanc propositionẽ: (*Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quam primũ, est consilium, non præceptum.* Ubi etiam damnat hãc:) *Illa particula (quam primum) intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.* Procedit etiam de faciente officium in die Parasceves; de illo qui post confessionem peccavit mortaliter, & præmissa contritione communicavit: item de illo qui cõsummavit sacrificium ab alio inchoatum: non verò de laico, vel de sacerdote communicante more laici.

Confessio sacerdotis celebrãtis

Non adstringitur hoc præcepto sacerdos qui ex oblivione celebravit non præmissa confessione, dummodo oblivio duraverit per totum sacrum: nam si ante communionem recordetur, tenebitur, etiam si aliorum peccatorum confessionem præmiserit. Non adstringitur item sacerdos qui sine necessitate ob malitiam celebrat absque confessione præmissa: lex enim solum loquitur de eo qui celebrat urgente necessitate. Ita *Suar. cit. sect. 7.*

1024. 9. Difficultas ex dispositione per frequentiam communionum esse potest, an liceat laico communio quotidiana? Affirmat *Ioan. Sanch. in selec. disp. 22.* quasi in illa quotidiana frequentia detur utilitas, & non appareat prohibitio. Negat absolutè *Card. Lugo de Euch. disp. 17. sect. 2.* & solum id permittit magno fervore spiritus accensis. Huic rectè consentit *Tamb. de commun. c. 1. §. undecimo n. 77.* Quia id cedit in maiorem reverentiam tanto sacramento debitam.

Frequentia communionis quæ esse possit.

Favet huic sententiæ *Constitutiones Archiep. Ulyssip. lib. 1. tit. 9. §. 3.* ubi laicis prohibent quotidianam frequentiam communionis, & præcipiunt ne admittantur intra brevius spatium, quàm octo dierum sine licentia Ordinarij, nisi detur inter illos jubilæus. Excipiunt etiam quintam feriam maioris hebdomadæ, & Pascha.

QUÆSTIO III.

Quæ dispositio ex parte corporis requiratur ad suscipiendam Eucharistiam?

Dispositio ex parte corporis in ordine ad sumendam Eucharistiam, duplex considerari potest, altera negativa consistens in carentia sordium, vel alterius corporalis indecentiæ, altera positiva consistens in aliquo externo corporis ornatu. Si incipiamus ab hac posteriori, & quæras, an postuletur aliquis vestium ornatus ad communicandum? Respondeo imprimis nullum certum requiri pro laicis, modesto tamen debet quisque ornatu accedere propter reverentiam. Unde postulat honestas, ut fœminæ non accedant fucatæ vel depictæ nimia cerussa & purpurisso. Quòd si in hoc moderatè se gerant ex bono fine, v. g. studio placendi suis viris, nullum erit peccatum: secus, si detur nimietas & pravus finis.

Vestium ornatus ad communicandum

1025. Quod attinet ad Ecclesiasticos, quanvis congruum sit quòd sacerdos qui extra sacrificiũ communicat, stolam habeat circa collum, idque præcipiatur in *Cap. Ecclesiastica dist. 23.* quia tamen materia gravis non est, & juxta *Azor tom. p. 1. lib. 10. cap. 28. q. 12. & Gavantum in commen. ad Rub. ad Rub. Missæ tit. 1. p. 4. tit. 8. n. 7.* Decretum illud usus contrarius abrogavit, obligatio nulla est. Pro Ecclesiasticis religiosis quando in publico communicant, nulla certa regula vestimentorum præscripta est. Illud monemus quòd regulas quisque suas consulat, & servet.

Sacerdos cõmunicans.

Quid de equitibus religiosis militia Christi, S. Ioannis, S. Iacobi, S. Benedicti, Alcantaræ & similium? Benè respondet *Joan. Sanch. in select. disp. 45. n. 3.* eos decenter accedere ense & pugione armatos, ut pote aptis ipsorum insignibus ad pugnandum pro fide. Cæteri laici par est, ut accedãt deposito gladio, idque non ex obligatione saltem gravi, sed ex modestia, & ad vitandum scandalũ, si rationabiliter timeatur. Vide *Dianam p. 3. tr. 2. res. 30. fine & Tambur. de commun. c. 2. §. 4.*

Equites ad Eucharistiã.

Ut regrediamur ad priorem dispositionem negativam in rei alicujus carentia consistentem, rectè notat *Palaus pun. 13. n. 1.* nullam per se requiri ad communionem præter carentiam cibi & potus in qua jejunium naturale consistit. Non enim sordes corporeæ, nec in fœminis menstrua secundum

Dispositio corporalis ad Eucharistiam.

dum se communionem impediunt. Si tamen tales sint, ut honorem pariant aspicientibus, decens erit abstinere a communione publica. Unde juxta *Tambur. de commun. cap. 2. §. 2.* sic debet intelligi *cap. tua nos, de clerico ægrot.* qui propter lepram a communione prohibetur. Addit non fore peccatum, si publica communicet sine scandalo: quia talis canon in usu non est.

1026. Carentia igitur cujuscunque morbi nulla requiritur, nisi timeatur irreverentia ratione frequentis tussis, aut vomitus. Tunc enim cauté diligentijs adhibitis procedendum. Nam juxta *Ioan. Sanch. in select. disp. 38. n. 2.* Ægrotus communicandus non est, si post cibum sumptū etiam modicum, statim eum expellit sursum vel deorsum. Si verò retineat particulam non cōsecratam, cum qua potest fieri experimentum, ei concedi debet sacrum viaticum.

Viaticum in periculo vomitus.

Quid si ægrotus patiatur vomitum, non ex cibo assumpto, sed ex vi morbi? Iuxta *Tambur. §. 2. n. 14.* communicandus non est, nisi per sex circiter horas cessaverit vomitus, & medicus, vel in hujus absentia judicaverint adstantes, saltem per horam ab assumpta Eucharistia infirmum non vomiturum: tunc enim communicari poterit. Quid si ex vomitu redeunte expellatur sacra Hostia. Reponi debet in loco sacro, ac species, ubi fuerint corruptæ, recondantur in sacrarium.

Rogabis, an & qualiter impediat communionem pollutio? Rectè docent *Suar. disp. 68. sec. 2. Vasq. q. 80. n. 7. & Laymon lib. 5. sum. tr. 4. cap. 6. q. 5.* si pollutio sit voluntaria, solum impedire, sicut quodvis peccatum lethale, nempe quousque fiat pœnitentia, & datur remissio obtenta per confessionem. Erit tamen consultum, si differatur communio in alium diem ex humilitate, & causa majoris devotionis. Si verò accidat sine culpa ex causa naturali, non impediat communionem ea die, nisi forte ex illa talis comotio carnis exurgat, quæ turbet animum: tunc enim, si non urgeat necessitas communicandi, vel credatur id evenire malitia dæmonis, erit sanum consilium, & fortassis obligatio sub veniali differre in diem sequentem.

Pollutio ante cōmunionē.

1027. Quid de copula conjugali? Si fiat ea moderatione, quæ par est, & ex legitimo fine, nullatenus cōmunionem impedit. Quia est actus virtutis, ut habitur *cap. vir cum propria uxore 33. q. 4.* Si verò ex illa pravi affectus exurgant, qui facilè sedari nequeant & nulla urgeat communicandi necessitas, consultū erit differre in sequentem diem: Doctores igitur ex *S. Thoma q. 80. n. 7.* consulunt ut antecedenti nocte conjux communicaturis abstineat a petitione debiti, nisi per hoc conjugi alteri molestus existat.

Copula conjugalis ad cōmunionem.

2. Ut verò accedamus ad dispositionem requisitam per se ad communionem scilicet jejunium naturale, cum jam de illo egerimus tr. 26. sect. 1. quid sit, sub quod præceptum cadat, & quando? quæst. 1. quænam spectent ad cibum ut potum, ut violetur? quæst. 2. & qualis censeatur vera comæstio & potatio ad illius violationem? quæst. 3. modò solum addemus an & qualiter postuletur ad sumendam reverenter Eucharistiam.

Ieiunium naturale ad Eucharistiam.

Postulari igitur ex præcepto Ecclesiastico, quod emanaverit ab Apostolicis testantur *Epiphan. lib. 3. contra hæres cap ult. August. epist. 118. cap. 9. & Isidor. lib. de divin. offic. cap. 18.* Constat hoc præceptum ex varijs Concilijs, quæ citat *Palaustr. 21. pun. 13. n. 5.* ubi rectè ait cadere tum in Sacerdotes celebraturos, tum in laicos, & quoscūque communicaturos. Addit n. 6. quamvis olim in nonnullis Ecclesijs viguerit nos communicādi post cibum sumptum 5. Feria in Cæna Domini ad exemplum Christi, hodie tamen abrogatū esse. Unde juxta *Tambur. §. 6. n. 5.* committet lethale sacrilegium, qui extra casum necessitatis nō jejunus communicet.

1028. Rogabis 1. a quo tēpore debeat incipe e observatio jejunij naturalis ante communionem, & quādo finiatur? Rectè *Laymon lib. 5. sum. n. 4. cap. 6. q. 6. & Bonacin. disp. 4. q. 6. p. 2. d. 11. ex Suarez disp. 68. sect. 4. & Vasquio disp. 211. cap. 3. n. 33.* affirmant, cum dies computetur a media nocte usq; ad mediam noctem, communicaturum debere jejunum esse ab illa media nocte usque dum cōmunionem accipiat. Sic enim consuetudo legem interpretatur. Unde non obstat, quod cibus adhuc sit indigestus ob defectum somni, & temporis neque quòd aliquandiu post communionem sumatur. Est tamen docens cibum non sumere quousque credantur species sacramentales cōsumptæ, sicut decet tunc non expuere, maximé si spiritum ex pectore ejiciatur. Si necessitas compellet, fiat excreatio in linteo, vel loco remoto a conculcatione.

Ieiunij naturalis tempus

Circa observationem prædicti temporis ex *Sanch. lib. 2. Matr. disp. 41. & Lugone disp. 15. de Euch. n. 27. & 40.* minutiús observat *Tambur. cit. §. 6. n. 28.* tempus quo jejunium illud violatur, esse quando quid comeditur, vel bibitur post mediā noctem, quæ significatur per herologium mediā noctem indicans per primum pulsum campanæ: & (si tale horologium notat quadrantes ante horarum pulsum (per primum pulsum primi quadrantis: tunc enim notatur incipere sequens dies. Unde frangit jejunium quid post illum primum pulsum est in actu bibendi, & prosequitur.

Dies naturalis cōjuratus.

1029. Rogabis 2. quid agendum, quando quis dubitat an solverit naturale jejunium. Si dubium sit positivum, quia dantur rationes pro utraque parte, V. g. quando unum horologium ante comestionem dederat signum mediæ noctis, & aliud non dum dederat, rectè docent *Sanch. 4. Decal. cap. 1. n. 14. & Lugo de Euch. disp. 15. n. 45.* contra *Salas. to. 1. in 1. 2. tr. 8. disp. sect. 25. n. 264. & Emman. Rod. in nova ed. t. summe to. 1. cap. 105. n. 6.* manducentem posse sequi ultimum horologium, ille cujus falsitate non constat, ut reputetur jejunius ad communicandum. Nam licitum est sequi probabile.

Iejunium dubium ante cōmunionē.

Si dubium sit negativum, quia V. g. dubitat quis an sit jejunius, quia ignorat, comederit nean nòn, potest communicare, juxta *Laymon lib. 1.*

tr.1.c.5.§.4.n.36.& Lugon.d.15.n.42. At si certus quod comederit, dubitat veró fuerit ne comestio ante mediam noctem, an post illam, non potest juxta *Sanch.de matr.d.41.n.* 40. Ratio est, quia in priori casu est possessio pro libertate, in posteriori pro præcepto. Nihilominus *Tambur.de commun.cap.2.§.7.n.29.* citato *Diana p.3.tr.4 resol.19 & Ioan.Sanch.d.42.* probabile judicat in utroque casu concedendam esse communionem. Quia prævalet libertas antecedens præceptum.

1030 Rogabis 3. in quibus casibus liceat non jejuno communicare? Cum præceptum naturalis jejunij ante Eucharistiam sit positivum, Ecclesiasticum cessare potest ob graves causas, tum ex parte hominis suscipientis, tum ex parte Sacramenti suscepti. Utrasque brevissimé complectar resolutionibus collectis ex *Suario disp.68. sect.5 & 6.* cui adhærent communiter recentiores, *Bonac.d.4.q.6.p.2.Palaus tr.21.disp.unic.p.* 13. *Layman lib. 5.sum.tract.4. cap.6.quæst. 6. & Tambur.de commun cap.2.§.8.* qui alios citant.

Eucharistia quãdo dari possit non jejuno.

Quod attinet ad communionem extra sacrificium, & causas ex parte suscipientis. Dic 1. in mortis articulo quando oportet accipere viaticum, licitum est homini non jejuno sumere Eucharistiam, si nequeat expectare jejunus sine gravi detrimento, vel periculo, quod à medico expendendum est. Patet quia in eo articulo obligat præceptum divinum cõmunionis, & homo tunc maximè indiget auxilio Euccharistiæ, quæ præcepto positivo humano prævalere debent. Procedit resolutio etiam in periculo mortis violentiæ, quando nec anticipari potest communio, nec differri.

Viaticum dandũ nõ jejuno.

Dico 2. quando variatur status ægritudinis, redente uno, & accedente alio periculo toties licet communicare prædicto modo: imò si duret idem periculum octo aut decem diebus post primam communionem *Palaus n.14.* id extendit, ut possit singulis diebus. Ratio est, quia non sola obligatio divini præcepti, sed etiam necessitas nutrimenti spiritualis deobligat a jejunio.

Dico 3. quamvis videatur probabile licere Sacerdoti non jejuno celebrare ad communicãdũ ægrotum periclitantem, tamen authores frequẽtius id negant licere. Ratio est tum consuetudo, tum reverentia debita Sacramento.

1031 Dico 4. si detur casus in quo sequatur verum & grave scandalum, quod aliter vitari nequeat, poterit quis ad id vitandum non jejunus communicare. Ita *Suar. sect.5.* cui subscribit *Tambur. §.8. num.* 33. ex varijs apud *Præpos. in 3. p.quæst.8*0. *cap.8. dub.2.num.* 49. addens si aliquis stet ad altare ante linteum, & recordetur se non esse jejunum, & nequeat sine infamiæ nota discedere, posse communicare. Quia humanum præceptum cum tanto rigore obligare non solet.

Scandalũ in non jejuno.

Quod attinet ad communionem Sacerdotis sacrificantis, & causas ex parte Sacramenti suscepti, tres præcipui casus occurrunt. Primus necessitas consumandi sacrificium. Unde Sacerdos qui loco vini aquam calici infudit, & non advertens post consumptam hostiam, debet iterum consicere, & sumere. Idem est, si aliquis post inchoatum sacrificium recordetur se aliquid comedisse, aut bibisse. Idem Sacerdos qui sacrificium inchoavit, non potest illud perficere. Nam perfici debet a Sacerdote non jejuno, quando jejunus non adsit.

Sacerdos sacrificãs non jejunus.

2. Casus est necessitas sumendi reliquias Eucharistiæ. Nam Sacerdos post sumptam ablutionem calicis, eas sumere potest, utpote complementum actionis sacrificandi, & convivij ibi peracti. Accedunt exempla 1. quando in die Parasceves particula hostiæ vino miscetur, & postea sumitur: tunc enim moraliter loquendo prius sumitur aliqua pars vini quàm particula consecrata. Idem contingit, quando Corpus Domini sumitur in vino, quod interdũ fieri potest ob nimiã ægroti sumẽtis siccitatẽ. 2. Si eveniat post sãguinis sumptionem, ut particula, quæ sanguini fuit mixta, calici adhæreat. Tunc enim non est trahenda digito ad os calicis, sed infundendum & sumendum vinum, etiam pluriés, si necesse sit, donec illam particulam consumat.

Reliquiæ Eucharistiæ.

Particulæ sumẽdæ a nõ jejuno.

1032 3. Si contingat cuilibet cõmunicanti adhærere ori particulam, ut nequeat descendere, toties vinum vel aqua sumenda est, donec trajiciatur. Illud observabis parum referre quantitatem reliquiæ esse maiorem, vel minorem: similiter longum tempus intercedere inter primam consumptionem, & illam reliquiarum, dũmodo ministeriũ non expleverit. Nam postquam Sacerdos ab altari recessit, per se loquendo nequit consumere reliquias, nisi forte, ne relinquantur expositę maiori irreverentiæ. Laicus post ablutionem reliquias sumere non potest.

3. Casus in quo omnino cessat obligatio jejunij est ad vitandam gravem aliquam irreverentiã Eucharistiæ, scilicet ne comburatur, vel ne ab infidelibus injuriosè tractetur. Hæc omnia ex *Suar.cit.sect.6.*

Vide *Tambur.de cõmun.cap.2.§.8.* ubi ad illud de Sacerdote qui non jejunus sumit fragmentũ etiam magnũ sui sacrificij, addit n. 35. idem posse, si advertat, finita Missa, imo, & postquã alios, licét multos cõmunicaverit, sed juxta *Lugon.d.15. n.82.* in eodem altari. Quid si advertat in sacristiam? Non potest sumere, quia sacrificium jam penitùs absolutum est. Sed *Granad.in 3.p.controv.6. n.10.d.8 n.11.* credit non improbabile quod possit, si nondum sacris vestibus exutus est.

Eucharistia fragmẽta pœaliter levanda.

Quærit *Tambur cit.n.36.* quid faciendum sit de fragmento alieni sacrificij, vel proprij reperto post exutas vestes? Respondet ex *Fagun. præc.Eccl.3.lib.3.cap.5.n.30.* dandum esse consumendum Sacerdoti celebraturo, si adsit, vel esse servandum in pixide, vel calice, superposita patena. Si tamen aliquid ex ijs absq; irreverentia haberi nequeat, illud assumat Sacerdos etiam si jejunus non sit. Præstat enim consumi a non jejuno, quàm irreverenter servari. Ex quibus existimo errasse.

Pasqua-

Devotio ut sumatur Eucharistia a non jejuno. Pasqualigum in sua Theorica, ubi dicit esse sufficientem causam devotionem, ut quis sumat 5. Eucharistiam non jejunus.

SECTIO IV.

De ministro ad consecrationem, & dispensationem.

QUÆSTIO I.

Quinam sit minister Eucharistiæ quoad consecrationem, & dispensationem.

Omnes ac solos Sacerdotes esse ministros Eucharistiæ quoad consecrationem, tanquam certum de fide docent Theologi cum *Bellarmino lib. 4. de Euch. cap. 16. & Suario disp. 61. sec. 6.* *Sacerdos minister consecrandi.* Nam Christus illis tantum dedit potestatem consecrandi, quando dixit, *Hoc facite in meam commemorationem* Lucæ 22. Sic definitur a *Trident sess. 22 c. 1. Niceno, Florentino, & alijs* Cum veró hujusmodi potestas fundetur in charactere, qui indelebilis est, rectè docet *S. Thomas q. 82 n. 5. 7.* & 8. Sacerdotes semper retinere potestatem validè consecrandi si incidant in excommunicationem, depositionem, & degradationem.

Difficultas est, an plures Sacerdotes possint simul validè, & licitè cõsecrare? Certum est 1. posse validè, si cum debita intentione omnes simul *Consecratio multorum circa eandem hostiam.* formam legitimam proferant ac finiant. Quia non uni potiús quam alteri effectus consecrationis tribui debet. Certum est 2. posse licitè quando ex præscripto Ecclesiastico id faciunt vel cũ plures Sacerdotio initiantur, vel cum Episcopus consecratur.

Dices, quando plures simul cum Episcopo recitante eandem formam incipiunt, est periculum manifestum, imo certum moraliter, quód nõ omnes simul finiant; atque adeo posteriores formam consecrationis proferent supra materiam consecratam: quod est sacrilegium contra jus divinum naturale, in quo Ecclesia dispensare nequit; ergo semper id facient illicitè. Respondeo illos Sacerdotes habere intentionem consecrandi conditionalem, si simul cum Episcopo verba finiant, secùs si ante vel post: & hoc satis esse, ut cohonestetur actio repræsentans exactè hujus Sacramenti institutionem.

1034 Quoad dispensationis ministrum, neminem esse alium ex officio quàm Sacerdotem, *Minister ad dispēsandum Eucharistiam.* de fide est, ut habetur ex *Trident. sess. 13. c. 8. & cap. pervenit de consec. dist. 2.* Dixi (ex officio) quia ex delegatione, non solum diaconus, sed inferiores clerici, & etiam laici possunt Eucharistiam dispēsare. Ita *Suar. d. 72. sec. 2. & Vasq. disp. 219. c. 1. n. 18.* Sumitur ex *Trident. sess. 21. de commun. c. 2.* ibi sic. *Declarat hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret quæ suscipientiũ utilitati, seu ipsorũ sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire judicaret.* Ministratio autem Eucharistiæ, de ipsius substantia non est.

Delegationem hujusmodi facere diacono nõ solum Pontifex, sed Episcopus facere potest: imo & Præsbyter, urgēte tamē necessitate gravi. Ex *Diaconus ad Eucharistiã ministrādum.* trema enim nõ requiritur. Laicis veró & clericis diacono inferioribus, extra necessitatem Eucharistiæ extremam, solus Summus Pontifex facultatē ministrandi cõcedere potest *Ex cap. pervenit de consecration. dist. 2.* Accedit praxis Ecclesiæ, quæ nunquam commisit hanc facultatem alijs quàm diaconus.

Quid si datur extrema necessitas, quæ adest in proximo periculo moriendi, & tunc neque Sacerdos, neque diaconus sit qui possit, aut velit ministrare? Posse tunc administrari per laicum negant *Henriq. lib. 8. cap. 54. Sà V. Eucharistia n. 4. Vasq. d. 219. c. p. 1. Posservinus de commun. cap. 8. n. 24. & Bonac. d. 4. q. 5. p. 1. n. 6.* Quia necessitas Eucharistiæ sumendæ tanta non est quæ talem indecētiam cohonestet.

1035 Nihilominus posse affirmant *Valent. tom. 4. d. 6. q. 10. p. 1. Suar. d. 72. sec. 3. Reginal. praxi lib. 29. n. 93. Fillius. tr. 4. cap. 9. q. 5. n. 258.* & hoc si *Laicus ministrās Eucharistiam.* non detur scandalum ex ultimo satis probabile cum *Palao tr. 21. p. 17. n. 8.* Ratio est, quia ministrari Eucharistiam per laicos, nec jure divino prohibetur, nec jure Ecclesiastico in extrema necessitate. Quod non leviter suadet *Euseb. lib. 6. histor. cap. 36.* narrãs olim viros sanctos viaticum per laicos, urgente necessitate, misisse. Adde in hujusmodi casu posse laicum non solum alteri, sed etiam sibi Eucharistiam ministrare. Sic fertur Mariam Reginam Scotiæ, cũ esset martyrio proxima, sumpsisse Eucharistiam, quám apud se retinebat.

Quamvis enim consuetudo legem fecerit, ne quis sibi ministret Eucharistiam extra sacrificiũ Missæ, tamen accipi non debet in tanto rigore, *Eucharistiã sibi ministrās* ut data rationabili & urgente causa non possit. Unde Sacerdos infirmus, qui commodè celebrare nequit, potest cessante scandalo, & non dato alio qui ministret, hostiam e sacrario sumere. Ita *Suar. d. 72. sec. 3. Laymon lib. 5. sum. tr. 4. cap. 7. & Bonac. d. 4. q. 5. p. 1. n. 13.* Addunt *Suar. d. 72. sect. 3. & Laymon. lib. 5. tr. 4. c. 7. concl. 4.* adversus *Vasquium d. 219. c. 1. & Fagun. de prac. 3. Eccl. lib. 3. cap. 3.* & 7. si Sacerdos ægrotet, & per diaconum deferatur Eucharistia, posse & debere Sacerdotem proprijs manibus sibi ministrare.

Tandem multis citatis observat *Palaus citatus n. 11.* Sacerdotem celebrantem posse ex hostia, *Particula de tracta ex hostia cõsecrata.* quã in Missa cõsecravit reservare particulã infirmo vel sano cõmunicādam. Quia id neque minuit sacrificium, neque jure aliquo prohibetur: imo factum Christi instituentis & distribuentis exactiùs repræsentat.

1038

QUÆSTIO II.

An & qualis jurisdictio postuletur ad ministrandam Eucharistiam?

Postulari jurisdictionẽ in ministro Eucharistiã spectaturo certa sentētia, est, quã in Cõ-

N 2 silio Mil-

Milevit.can.18.Carthagin.1.c.7. & alijs probant *Vasq.d.p.116.cap.3.& Suar.disp.71.sect.* 2. Non enim decet contra proprij pastoris voluntatem, alienas oves pascere. Unde qui dispensat non solum ab omni peccato lethali, sed ab omni censura liber esse debet. Cum veró illa jurisdictio esse possit vel ordinaria, quæ manat ex officio, vel delegata, quæ ab ordinaria provenit: difficultas esse potest; an omnis sacerdos habeat aliquam jurisdictionem saltem delegatam pro administrãda Eucharistia.

Iurisdictio in ministrante Eucharistiam.

Petrus de Marzilla in quodam memoriali ad Archiep.compostel. Euchar.& Ludovicus Beja respon. casuũ conscien.p.4.casu 14. quibus assentiri videtur *Barb. in remiss. Triden.sess.22.cap.6.* existimant omnes Sacerdotes habere jurisdictionem delegatam, excepta communione triplici, nempe Paschali, per viaticum, & ex præconservatis formulis jam repositis in sacrario. Probant, quia *Triden.sess.22.c 6.* suadet ut in singulis Missis fideles adstantes Eucharistiam accipiant. Nihilominus oppositum tenendum est cum communi sententia quam defendit *Paláus q.18.n.3.* Probatur, quia illa delegatio potestatis cum triplici exceptione non habet fundamẽtum, quo nitatur. Deinde quia si vigeret hujusmodi delegata potestas, corrueret excõmunicatio *Clem.Reliosi.De privileg.* contra religiosos qui absque facultate pastoris sacramenta præsumunt ministrare. Deinde essent superflua privilegia quæ sunt concessa mendicantibus ad ministrandam Eucharistiam absque licentia pastoris An per Bullam Cruciatæ detur facultas, ut extra Pascha a quocumque Sacerdote possit sumi Eucharistia? Negat *Suar.d.72.sec.2.* Affirmãt *Vasq.d.219.c.3.P.47.* Utrumque probabile judicat *Tambur.de commun.c.4.§.4.n44.*

Cruciat a ad Eucharistiam.

1037. Rogabis 1. an præter jurisdictionem requiratur approbatio data ab ordinario? Affirmabunt aliqui docti similitudine, quia per *Trident. sess.23.cap.15 de reform.* præter jurisdictionem requiritur illa aprobatio, ut Sacerdos administret Sacramentum pœnitentiæ; ergo etiam ut administret Sacramentum Eucharistiæ. Negandum tamen est cum *Vasq.219.c.5.n.57.& Suar. d.72. sec.1.circa med.* Quia lex gravans, utpote odiosa de casu ad casum extendi non debet: præsertim quia majus examen postulatur ad ministrum pænitentiæ, quàm Eucharistiæ.

Approbatio Ordinarij ad Eucharistiam.

Rogabis 2. postuletur ne facultas expressa, an sufficiat præsũpta? Respõdeo cũ *Suar.d.72.sec.2.& Azorio l.10. Instit.c.23.q.2.* sufficere præsũptã, quæ consistit in eo quód sacerdos ministraturus rationabiliter sibi persuadeat non fore ingratum parocho, seu proprio Sacerdoti quòd illius ovibus Eucharistiam ministret. Addit Palaus n.4. ex recepta consuetudine posse credi parochũ consensurum, quoties communio non ex obligatione, sed sola devotione petitur.

Præsumpta facultas ad ministrandã Eucharistiam.

Rogabis 3. qualiter peccet, & quas pænas incurrat qui absque jurisdictione, seu facultate Eucharistiam ministrat? Respondeo cum *Palao cit.n.5.* peccare mortaliter, sed nullas pænas ipso jure incurrere. nisi sit religiosus. Nam usurpatio jurisdictionis ex suo genere peccatum lethale est. Et in jure solum reperitur excommunicatio ipso facto reservata Pontifici contra religiosos qui absque speciali parochorũ licentia eorum subditis clericis vel laicis præsumunt ministrare Sacramentum Extremæ unctionis, vel Eucharistiæ. *Clement.Religiosi de privileg. Palaus n.5.* ex *Vasquio disp.* 19. ita intelligit specialem licentiam, ut non requiratur expressa determinatio personæ, & talis Sacramenti, sed sufficit, quód parochus concedat omnibus suis subditis, ut a quocunque Sacerdote omnia, & singula sacramenta possint recipere. Tunc enim poterit religiosus Eucharistiam ministrare. Quia tunc illa designatio speciali designationi æquivalet.

Religiosi ad Eucharistiã ministrãdam.

1038

QUÆSTIO III.

Qualiter possint religiosi Eucharistiam sæcularibus ministrare.

Religiosi ex varijs privilegijs, quæ recenset *Palaus de Euch pun.19.* vitare possunt excõmunicationem latam in *Clem. Religiosi de privil.* quamvis fidelibus sacram Eucharistiam dispensent. Missis alijs, Paulus 3. in Bulla Societati Iesu concessa anno 154?. sic habet: *Omnibus Christi fidelibus* (inquit) *quocunque anni tempore præterquam in festo Paschatis.resurrectionis dominicæ,& mortis articulo, nisi necessitas urgeret, parochialium Ecclesiarum licentia minimè requisita ministrare liberè, & licite valeant.* Idem Pontifex in Bulla concessa anno 1545. idem concesserat addendo (*sine alicujus præjudicio*) Unde recte affirmat Palaus citatus n.1. religiosos Societatis Iesu, & reliquos Mendicãtes, imo non Mendicantes qui in privilegijs Mẽdicantium communicant, posse ministrare Eucharistiam toto anni tempore, excepto Resurrectionis die, & mortis articulo, & prohibitione prælati interveniente.

Religiosi Eucharistiam ministrãtes.

Dies illa resurrectionis Paschatis juxta *Suar. tom.4.de relig tr.10.lib.6.c.3.n.7.* non debet accipi materialiter, sed formaliter, idest in quo præceptũ impletur; quamvis contrarium teneat *Azor tom. 1.lib.7.cap.41.q.7.* Hac exceptione comprehenduntur vagi, peregrini & forenses, quibus ad implendum præceptum, non possunt Mendicãtes Eucharistiam ministrare. Alia exceptio de articulo mortis intelligitur quando urget cõmunicandi præceptum, & est parochus: nam si jam explevit præceptum, & deinde ex devotione velit communicare religiosus privilegiatus ministrare poterit: imó & quicunq; Sacerdos, si ad explendum præceptum in articulo mortis non datur parochus.

1039 Illa particula (nisi necessitas urgeret) fuit posita ad tollendam omnem dubitationem: siquidem nam graves authores *Navarr.c.aq.21.n.52. & Sylve st.V. Excommunicatio 7.& 14.* asserũt non posse religiosos administrare viaticũ in articulo mortis absq; parochi speciali licentia, quanvis ægrotus esset sine viatico discessurus. Ultima exceptio est prohibitio prælati, qui si ex rationabili causa,

Eucharistiã ministranda per Religiosos.

quæ

quæ semper præsumi debet, religionibus prohibeat talem administrationem, ministrare non poterunt. Ex quo nullus religiosus in Ecclesia parochiali potest inconsulto parocho ex sacrario hostias demere, & dispensare.

Notabis 1. cum *Suar. cit. cap. 3. n. 5.* ex privilegio Iulij 2. Minimis concesso religiosos in suis Ecclesijs non solum Eucharistiam ministrare, sed facultatem ministrandis alijs impendere, eamque posse impēdere sacristam, qui vices superioris creditur habere. Notabis 2. privilegium concessum conventui B. Mariæ de Guadalupe, alijsque domibus religiosorum S. Hieronymi, ut possint omnes religiosi in die Paschatis etiam ad implendum præceptum ministrare Eucharistiam, ad nullos alios religiosos transire. Sic docent *Suar. tom. 4. relig. tr. 20. lib. 9. c. 3. n. 6. & Fagun de Euch. lib. 1. c. 5 n. 16.* contra varios, quos citat *Laus de Euch. p. 19. n 3.*

QUÆSTIO IV.

Quo habitu, quo tempore, quo loco, alijsve circumstātijs Eucharistia ministrari debet?

AD Eucharistiam dispensandam requiri in ministro statum, & habitum gratiæ, docet *Suar. disp. 72. sect. 4.* ita ut mortaliter peccet Sacerdos, qui in peccato mortali dispensat. Quia hujusmodi dispensatio est actus ordinis, & gravissimū ministerium, ad quod Sacerdos specialiter consecratus est. Unde gravius peccabit qui gravioribus sceleribus fuerit deturpatus, & irregularitatem incurret qui excommunicatus dispenset. Probabilitate tamen non caret oppositum quod tradunt *Vasq. disp. 136. cap. 3 n. 38. n. 1. & Lugo de sacram. in G. n. d. 8. n. 155.* quibus consentit *Tambur. de commun. cap. 6. §. 1 n. 2.* Adde ex *Bonacina de Euch. d. sp. 4. p. 1. n. 6.* non requiri quòd ministraturus sit jejunus: siquidem hoc nullo jure cavetur.

Gratia status ad dispensandam Eucharistiā.

Jejunus ad dispēsandam Eucharistiam.

Quanvis *Suar.* proximé citatus judicet esse mortale dispensare Eucharistiam in peccato mortali, addit tangere Eucharistiam in peccato mortali, secluso contemptu & scandalo, præsertim si datur causa v.g. ut elevetur ab humo, non esse mortale. Quod procedit (inquit) etiamsi laicus tangat, & deferat in peccato mortali, & cōmunicet infirmum propter necessitatem. Quia non est minister ad id deputatus. Non audeo (subjungit) damnare ad mortale Sacerdotem, qui in mortali defert Eucharistiam in processione.

Tangere Eucharistiam.

1040 Quod attinet ad habitum, seu vestem & ornamentum corporeum juxta *Suar. disp. 72. sect. 4.* tenetur minister indui superpelliceo, & stola: & juxta *Bonac. de Sacr. d. 4. q. 5. p. 2. n. 8.* non licet parocho deferre Eucharistiam ad ægrotum sine stola, superpelliceo, & non præcedente lumine Addit *Tambur. de commun. cap. 6 §. 1. n. 6.* non teneri, si timeat præpoperam infirmi mortem, valde festinate currere. Quia talis festinatio est contra reverentiam tanto Sacramento debitam. Pro administratione aliorum sacramentorum subjungit ex *Bonac. cit.* non exigitur tanta solemnitas. V.g. quando defertur per administranda S. unctione sacrum oleum, utpote non sacramētum, sed ejus materia. Ad baptizandum vel absolvendum infirmum, qui secus creditur in mortali discessurus, non solum potest, sed debet currere minister. Quia cessat omnis sacramenti irreverentia, urgente charitate.

Solemnitas in administratione Eucharistiæ, & aliorū Sacramētorum.

Quod attinet ad tempus cum regulariter omni tempore possit administrari, sola est dubitatio de die Parasceves, nempe sextæ feriæ majoris heddomadæ, quando juxta *Lugonem de Euch. d. 20. sec. 1. n. 14.* certum est non licere Sacerdoti celebrare, sed solum ex præconsecratis die antecedenti, communicare: an possit ministrari Eucharistia communicaturo extra periculū mortis? Non esse in usu fatetur *Hurt. disp. 2.* hic tamen nō usus non induxit obligationem non communicandi, sed quandam decentiam non comunicandi, propter mærorem passionis Domini. In periculo autem mortis cessat indecentia, & datur obligatio. juxta *Bellarmum* apud *Bonac. d. 4. q. 7. p. 1. n. 14.* mane solet ministrari, sed vesperi, vel nocte intēpesta posset extra periculum mortis ministrari jejunis. Sed propter admirationem populi facile concedi non debet. Quid de loco? *Suar. disp. 72. sect. 4.* dicit admiuistrandam esse in loco sacro, vel per Episcopum approbato. Quod procedit quando non urget necessitas: hac enim urgente, v.g. quando viaticum ministrandum est, sed poterit obstare indecentia juris naturalis.

Parasceves dies ad celebrādū & cōmunicandū.

Tempus ministrādi Eucharistiam.

QUÆSTIO. V.

An & qualiter minister Eucharistiæ teneatur admittere dignos, & repellere indignos?

CErtum est 1. quemlibet Sacerdotem, etiam regularem, parocho deficiente, teneri ex charitate ministrare Eucharistiam morienti: parochum verò non solum ex charitate, sed ex justitia, adeo, ut etiam tempore pestis cum periculo teneatur. Certum est 2. parochos teneri ex justitia ministrare Eucharistiam, suis ovibus non solis obligatis ex præcepto, sed etiam petentibus rationabiliter ex devotione ob suam utilitatem spiritualem. Ab hac tamen obligatione regulariter excusantur, si petentes remittant ad religiosos, vel seculares sacerdotes ministraturos.

Parochi obligatio ministrādi Eucharistiam.

Dubium est 1. an damnatis ad mortem parochus possit, ac teneatur ministrare Eucharistiam? Certa est affirmativa resolutio, adeo, ut hæreticis relapsis pænitentibus denegari non debeat Quāvis enim teste *Covar. lib. 2. Vas. c. 1. n. 11.* moris fuisset olim in Hispania, & Lusitania ut damnatis ad mortem denegaretur Eucharistia in reverentiam tanti sacramenti, tamen eam consuetudinem abrogavit *Pius V.* sua speciali constitutione tanquam juri, & pietati Christianæ contrariam.

Damnati ad mortē sumunt Eucharistiam.

Dubium est 2. an liceat dare Eucharistiam suspectis ad purgandā suspicionem? Constat fore illicitum tale experimentum, si fiat intentione ut Deus per aliquid extra naturæ ordinem ostendat

Eucharistia sumptio ad purgandam suspicionē

dat innocentiam suscipientis. Esset enim manifesta Dei tentatio, sicut purgatio quæ fit per aquam ferventem, vel ferrum candens. Si autem concedatur Eucharistia suspectis, ut illius sumptione tanquam juramento suspicionem purget, quanvis ex se liceat, tamen spectata cõsuetudine jure reprobata illicitum est. Ita *Palaus de Euch. pun.* 20. ubi ex *Suario disp. 67. sec. 6.* in medio addit licere hujusmodi purgationem, si ex libera cujusque voluntate assumatur. Quia sic non repugnat cõsuetudini.

Indignorum re-publicè ab Eucharistia.

1042 Dubium est 3. Utrum minister Eucharistiæ sive Sacerdos, sive diaconus teneatur eam non ministrare existenti in peccato mortali? Affirmativa resolutio vera est per se loquendo, ut docet *Suar. d. 67. sec. 1.* Patet, quia Sacerdos tenetur digné tractare tantum Sacramentum, atq; adeo non dare sanctum canibus: proindeque nec indigno. Et hæc obligatio maximé viget, quãdo Sacerdos potest commòdè & sine inconvenienti negare Eucharistiam peccatori, & si petenti. Addit *Suar. loco citato* ministrum seipsum communicantem in peccato mortali, committere duo peccata in confessione necessariò apetienda, alterum dispensandi, alterum recipiendi indignè Eucharistiam.

Publicus peccator ad Eucharistiam.

Dubium est 4. Utrum peccatori publico Eucharistiam petenti semper denegari debeat? Conveniunt Theologi cum *Suario d. 67. sec. 2. & Vasq. d. 209.* Si peccatum est publicum sive jure, sive facto, & peccator in eo perseverans, Eucharistiam petat eo loco, quo publicum est, denegandam illi Eucharistiam esse, etiam coram illis qui delictum ignorant. Addit *Palaus p. 20 n. 9.* hoc procedere, quanvis secreto emendatus sit, donec publicè constet emendatum esse: vel confessor ex licentia pænitentis moneat astantes de recta illius dispositione. Unde publici usurarij, meretrices, & similes in jure præcipiuntur repelli á cõmunione, ut habetur ex *Clemente lib 8. const. c. 32.*

Quid si dictus perseverans in peccato petat eo loco, quo delictum non est publicatum, nec præsumitur publicandum? *Vasq. d. 209. cap. 2. circa finẽ, & Fagun. de Euch. lib. 3. cap. 10. n. 7.* credunt Eucharistiam illi esse concedendum ne infametur eo loco, quo bonam famam retinet. Existimo tamẽ cum *Suar. d. 67. sec. 4. & 5. in fine, Tambur. de cõmun. cap. 6. §. 2. n. 16. & Palao cit. n. 11.* Eucharistiam illi denegandam esse. Quia minister tenetur vitare irreverẽtiã Sacramenti, cũ comódé potest: & tunc potest, quia alibi notoria est indispositio petentis. Addit *Henriq. lib. 8. cap. 57. n. 2.* posse repelli ab Eucharistia peccatorem, cujus indispositio probari testibus potest, etiamsi publicé petat: dumodo priús secreto moneatur, & recedere nolit: Hoc judicat non improbabile *Palaus n. 16.*

Roganti quam satisfictionem exhibere debet, ut Eucharistiam accipiat? Bené respondet *Suar. d. 67. sec. 2.* sufficere occultam pænitentiam si occulté petat: Si autem publicè petat, requiri satisfactionem publicam, vel saltem ut ejus dispositio, & conversio publicé manifestetur. Publicum (subjungit) moraliter censetur quod occultum est, statim publicandum.

Occultus peccator occultè petens Eucharistiam.

1043 Dubium est 5. Utrum peccatori occulto occulté petenti Eucharistiam, deneganda sit? Bené respondent affirmativè citati authores ex *Concilio Vasensi cap. 8.* & ex proximé dictis. Quid si Sacerdos crimen noncum emendatum ex sola confessione agnosceret, & pænitens ab ipso occulte petat? Constat, si aliquis alius adsit, ut fere semper evenit, nullo modo negandam esse. Quia dabitur revelatio confessionis. Si nullus alius adsit, adhuc *Valent. to. 4. d. 6. q. 8. p. 3. Bellanus q. 80. c. 6. Sanch. de Matr. lib. 3. d. 36. n. 14. & Fagun. de Euch. lib. 3. c. 10. n. 23.* affirmãt concedi debere. Quia adhuc illa occulta denegatio est quædam exprobratio criminis, & sigilli violatio.

Sigillum confessionis in denegante Eucharistiam.

Nihilominus verius judico cum *Vasq. disp. 209 cap. 5. fine Suario d. 67. sec. 3. & Palao p. 20. n. 20.* in tali casu negari posse Eucharistiam dicto peccatori. Suadetur, quia talis denegatio injuriosa non est petenti, utpote non habenti jus ad petendum: deinde nec sigilli violatio, nec exprobatio criminis est, sed quædam actio orta ex notitia per cõfessionem habita ad proprias actiones moderandas, cum nullum adest periculum manifestandi peccatum. Ob hanc rationem posses negare Eucharistiam petenti ad conculcandam, quanvis eã pravam intentionem ex confessione cognosceres: sicut denegare tuum gladium petenti, quem scires ex confessione te velle interficere.

Suspectus de indignitate ad Eucharistiam.

Dubium est 6. an concedi possit Eucharistia petẽti, qui suspicione criminis, seu indignitatis laborat? Recté cum communi sententia docent *Suar. d. 67. sec. 6. circa finem, Vasq. disp. 209. cap. 5. fine Henriq. lib. 8. cap. 56. n. 5. & Laymon lib. 5. sum. tr. 4. cap. 6. q. 3.* Si suspicio illa criminis seu indignitatis sit levis, nempe ex indicijs levibus, vel gravis, ex gravibus indicijs orta, non esse denegandam Eucharistiam: secus si suspicio sit vehemens & violenta. Ratio est, quia sola violenta suspicio gigni moralem quandam delicti certitudinem, quæ communionem impedit. Bené tamen *Suar. & Henriq.* limitant resolutionem, ne procedat in mortis articulo, in quo repelli non debet a communione violenter suspectus de crimine, si exhibeat signa contritionis: nam hujusmodi signa in mortis articulo infringunt violentam suspicionem.

Eucharistiam negans peccatum.

1044 Dubium est 7. utrum graviter peccet Sacerdos negans peccatori occulto Eucharistiam publicé petenti? Respondeo affirmativê cũ *Suario d. 67. sect. 4.* Colligitur ex Concilio Africano cap. 100. *quæ habentur cap. si tantum & in cap. placuit 6. q. 2.* Ratio est, quia bona publica & communia a publico ministro dispensari debent in personas publicé petentes, non juxta privatam, sed publicam scientiam.

Resolutio procedit non solum de Sacerdote qui tenetur ex officio Eucharistiam ministrare, qualis parochus, sed etiam de quovis alio, si hic sit jam in altari expositus ad ministrandum: nam si ante accessum altaris, debet negare: quia facilem habet excusationem, cum non teneatur.

SECTIO

SECTIO V.
De præcepto communionis.

QUÆSTIO I.
An detur, & qualiter se habeat præceptum divinum circa usum Eucharistiæ.

Expeditur tota quæstio nonnullis difficultatibus expeditis. 1. difficultas est, an detur præceptum divinum sumendi Eucharistiam? Negant *Armensis in 4. q. 11. mem. 2. c. 4. §. 1. 5. Bonac. dist. 12. 2. p. dist. 41. Sylvest. V. Euchar. 3. in prin. & Ferrarien. 4. contra gent. c. 61.* Probãt, quia non apparet locus S. Paginæ ex quo desumatur tale præceptum: si enim desumeretur ex verbis Christi. *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ioann. 6.* etiam ex his desumeretur præceptum communicandi in utraque specie: quod non datur.

Communionis præceptum divinum.

Affirmandum tamen est cum *S. Thoma q. 80. c. 11. Suario d. 69. sec. 1. & Palao tr. 21. pun. 14. n. 2.* Constat ex verbis Christi apud Ioan. proximè citatis. Accedit *Trident sess. 13. cap. 2.* ubi sic *Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, & illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit.* Nec obstat illatio de præcepto communicandi sub utraque specie. Quia verba illa, *Nisi manducaveritis* (ut bene exponit *Palaus n. 3.* intelligenda sunt, *si ne manducaveritis, nec biberitis.* Et sicut illa verba Petri Act 3. *argentum, & aurum non est mihi,* idest neque argentum, neque aurum est mihi.

1045 2. Difficultas est quas personas obliget hoc præceptum? Certum est 1. obligari omnes adultos baptizatos sive laicos, sive clericos. Certũ est 2. excusari ab observatione hujus præcepti tã pueros, quàm perpetuò amantes cujuscumque ætatis hi sint. Definitur a *Trident. sess. 21. cap. 4.* Dubitatur de adultis non baptizatis, & de adultis baptizatis ad tempus phreneticis, vel insanis. Et certè hos posteriores, nempe adultos baptizatos ad tempus insanos, teneri hoc præcepto, sumitur ex *cap. quod in te, de pænit. & remiss.* sed implendum non est, sed expectato tempore quo ad sanam mentem redeant. Et idem procedit de energumenis, qui ad tempus mentis usu privantur.

Communionis præceptũ erga insanos, vel nõ baptizatos.

Tota dubitatio est de adultis non baptizatis, an teneantur præcepto divino communionis tempore vitæ, & in articulo mortis? Negant *Sotus in 4. dist. 18. q. 1. a. 3. concl. 1. Sanch. lib. 1. decal. c. p. 12. n. 15. & Palaus cit. n. 11.* & quidem probabiliter. Nam Christus instituens Eucharistiam pro solis fidelibus baptizatis, noluit infideles durante infidelitate esse capaces Eucharistiæ. Ergo si tempore mortis omittant baptismum, & communionem, solius baptismi omissione peccabunt.

Probabilius affirmant *Vasq. d. 214. cap. 4. in prin. Suar. disp. 69. sect. 2. dub. 1. & Ægid. Pellan. q. 80. c. 11. dub. 2. n. 93.* Ratio est, quia verba Christi, *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis,* sunt valde generalia, & sufficiẽtia, ut comprehẽdant baptizandos, & non baptisatos. Ergo sicut baptisatus qui peccavit mortaliter tenetur præmittere confessionem, hic infidelis, & catechumenus baptismũ ut communionis præcepto satisfaciat.

Infidelis obligatus ad Eucharistiam.

3. Difficultas est quando, seu quo tempore obliget hoc præceptum ex vi solius juris divini? Procedit de tempore duplici, altero in quo periculum mortis nullum datur, alterum in quo mortis periculũ, seu articulus adest. Dico 1. præceptum divinum communicandi obligat aliquoties in vita non brevi, etiam extra mortis periculum. Ita *Suar. disp. 69. sect. 3.* Suadetur, quia finis illius illius est robur, & mutatio charitatis, ad quam nutritionem semel communicare non sufficit. Tempora, quibus tale præceptum ex vi sua obliget, determinari nequeunt, sed prudentis arbitrio ita judicari debent, ut negat. vé præcavendo communio nimis non deferatur.

1046 Dico 2. probabile est jure divino obligari hominem per se ad communionem, quoties in articulum mortis inciderit, etiamsi antea in vitæ discursu cõmunicaverit. Ita *Suar. cit.* Ratio desumitur ex antiquissima consuetudine Ecclesiæ, quæ semper diligentissimé curavit, ut creditur pro observatione juris divini a Christo accepti) ne moribundi sine viatico decederent. Dixi (per se) quia si paulo ante communicavit, v.g. duobus aut tribus diebus etiam sine periculo mortis, & sine intentione viatici, non tenebitur, quamvis possit, & debeat ex consilio. Quidquid dicant teneri Gasp. Hurtado disp. 10. dist. 2. & alij apud Buzembaum lib. 6. tr. 3. cap. 2. dub. 2. art. 3. n. 1. Quanto autem tempore debeat communio antecedere periculum mortis, ut præceptum divinum urgeat ad viaticum, prudens arbiter decernit, ita tamen ut sint plus quàm decem dies.

Viaticum ex præcepto divino.

QUÆSTIO II.
Qualisnam sit obligatio communicandi ex præcepto Ecclesiastico.

Præceptum divinum sumendi Eucharistiam impositum a Christo ita per eundem dispositioni Ecclesiæ relictum fuit, ut ex tali dispositione fideles teneantur divino, & Ecclesiastico jure communicare. Ecclesia igitur diversis temporibus pro varia rerum exigentia varié disposuit 1. Quando erat minor copia fidelium, & major devotio, ut singulis diebus Eucharistia sumeretur. 2. Crescente fidelium copia, & decrescente charitate, ut ter in anno, nempe in Natali Domini, in Paschate, & Pentecoste susciperetur. Tandem Innocentius 3. in cap. *Omnis utriusque sexus de pænit. & remis.* omnibus aliis abrogatis dispositionibus, decrevit quod sumeretur semel in anno tempore Paschatis: verba decreti sunt. *Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, semel in anno confiteatur, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprij Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioqui & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur*

Præceptũ Ecclesiasticũ communicãdi

SECTIO VI.
De effectibus Eucharistiæ, & adoratione illi debita?

QUÆSTIO I.
Quot habeat effectus Eucharistia?

Eucharistiæ effectus. QUOD Eucharistia ritè dispositis conferat gratiam sanctificantem, tanquam de fide definitum a *Trid.sess.7.can. 6.* contra hæreticos nostri temporis, tradunt *Suar. disp. 63. sect. 1. Bellarminus lib.4. de Euchar.& Lugo disp.12.n.1.* & est effectus communis omnibus sacramentis novæ legis.

Dubium est 1. quam gratiam sanctificantem conferat? Certũ est conferre augmentum gratiæ ex sua institutione, ut sumitur ex *Cap. firmiter, de summa,Trin.*& quia fuit institutum per modũ cibi nutrimenti spiritualis, ac proinde ex sua institutione supponentis hominem vivum vita gratiæ, quam augmentet; est enim præcipuum inter sacramenta vivorum.

1051. Major est difficultas, an possit interdum conferre primam gratiam,&remittere peccatum mortale? Negant *S.Bonav.in 4.dist.9. a.2. q.3.Gabriel ibid.q.2.a.2.concl.7. & Vasq. disp. 205. cap.4.*Probant ex proximè dictis,quia hoc sacramentum est vivorum, & institutum per modũ cibi ad conservandam vitam,quam proinde debet supponere. *Gratia prima collatio per Eucharistiam.*

Affirmandum tamen est cum *S.Thom. 3. p.q. 79.a.3.& 8.Valent.to.4.disp.6.q.5.p.1.Suar.disp.63. sect.1.in medio,& Bonacina disp.4.q.4.p. 1. in princ.* Suadetur,quia dari potest eventus, in quo homo accedens ad Eucharistiam sit omninò ignarus sui peccati lethalis, vel credat se verè contritum, cum sit tantum attritus: & tunc recipiet primam gratiam,quæ per sacramentum confertur non ponentibus obicem.Favet *Triden. sess.13. can.5.*ubi negans præcipuum fructum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, tacitè innuit esse minùs præcipuum.

Ex quibus patet,quæ dispositio requiratur in suscipiente,ut ab Eucharistia accipiat primã gratiam.Illi enim imprimis est necessaria vera & supernaturalis attritio, quæ est pœnitentia infusa ad tollendum obicem, seu avertẽdam voluntatẽ a peccato.Deinde requiritur bona fides, quæ per se loquendo consistit in hoc, ut quis nesciat statum suum,& putet se in gratia accedere.

1052. Dubium est 2.quæ dispositio requiratur ad gratiæ augmentum? Respondeo cum *Suar.citat.sect.3.*nullam actualem dispositionem requiri,ut Eucharistia conferat augmentum gratiæ,& charitatis;imo accedentem in peccato veniali actu concomitante non carere tali augmẽto.Ratio prioris partis est,quia ex Christi institutione,neque actualis fides, neque spes,neque charitas,neque cognitio aliqua actu requiritur. Ratio posterioris est, quia licèt in suscipiente detur actu peccatum veniale, adhuc non ponitur obex effectui sacramenti, qui est augmentum gratiæ:ergo dabitur. *Gratiæ augmentum ex Eucharistia.*

Dubium est 3. Quando conferat Eucharistia effectum gratiæ in ipsa sumptione? Constat effectum gratiæ conferri non ponenti obicem in ipsa actuali sumptione,seu manducatione, qua existit,cum primò sacramentum ex ore ad stomachum trajicitur. Cum vero manducatio fiat per motum,& possit fieri vel cõtinuè sumendo unicam hostiam, vel discõtinuè sumendo plures, modò unam,modo aliam, quæritur an singulis manducationibus respondeat idem gratiæ effectus,an multiplex inter se diversus? In duobus conveniunt authores juxta *Palaum p.9.n.6.1.* Si non detur effectus in manducatione prioris hostiæ ex indispositione,dari in manducatione posterioris,si tunc adsit dispositio.2. Per manducationem posterioris hostiæ effectum non recipi, si per priorem receptus est, & in posteriori non augeatur dispositio. *Eucharistia qualiter gratiam causet insumente plures hostias*

Difficultas est, utrum casu quo manducatio primæ hostiæ effectum habuerit,effectum diversum habeat manducatio secundæ hostiæ,si præcedens dispositio augeatur? Negant *Vasq.q.79.a. 2.disp.203.c.3.a n.20.& Palaus cit.pun.9.n.8.* Affirmant *Suar.disp.63.sect.5. ad finem Ægid. Bellan.q. 79.a.1.dub.2. n.30.& Bonac.disp.4.q.4.p.2.n.5.* Utrunque probabile est.

1053. Dubium est 4. Utrum communicanti sub utraque specie panis,& vini conferatur gratia copiosior,quàm si communicaret sub una tãtum specie?Negant cum *S.Thom.q.80.a.12.ad 3. Henriq.lib. 8.cap.8.n.1. Bellanus q.79. a.1.dub.2.n. 34.Suar.d.63. sect.6. Bellarm. lib.4.de Euch.c.23.& Bonac.*citans plures *disp.4.q.1.p. 4. n.5.* Probant, quia qui sumit plures hostias, non adeo accipit gratiam copiosiorem, quàm si unicam sumpsisset;ex eo quòd eadem virtus datur in qualibet, scilicet eadem præsentia Christi,ergo similiter sumens unam solum,vel duplicem speciem. *Cõmunicatio sub utraque specie ad fructum.*

Hæc opinio probabilis est, sed judico probabiliorem oppositam, quam defendunt *Alensis p. 4.q.32.mem.1.art.1. Ioan.Ruard. art.15. Vasq.disp. 215.c.2.n.5.*& alij.Sumitur ex *Clemente 6.in bulla ad Regem Angliæ anno.*1341. In qua asserit Pontifex communicationem sub utraque specie illi cõcedere,ut gratiæ augmentum perciperet. Ratio est,quia utraque species significat perfectum cõvivium, quod ex cibo, & potu constare debet Nec est inconveniens quod laici in hoc maneãt deterioris conditionis,quam sacerdotes; id enim cedit in majus decus sacerdotalis dignitatis, & laici non privantur fructu necessario ad salutem.

1054. Dubium est 5. Utrum Eucharistia cõferat aliquem effectum gratiæ post sumptionem, quandiu sub speciebus Christi præsentia durat? Optimè resolvens hoc dubium *Suar. disp. 63.sect.7.*dicit 1. Si ex tempore quo Christus præsens est sub speciebus non transmutatis, dispositio hominis non perficitur, nullum gratiæ *Præsentia Christi in Eucharistia effectum.*

Oo augmen-

augmentum ei confertur. Ratio est, quia juxta superiùs dicta gratia non augetur in sumptionibus partialibus, non aucta dispositione sumentis: ergo non per solam Christi præsentiam. Dicit 2. si eo tempore, quo Christus præsens est, homo se magis ac magis disponat, valde probabile est dari augmentum sacramentalis effectus gratiæ. Suadetur, quia promissio gratiæ facta fuit præcipuè huic sacramento propter Christum manducatum, juxta illud, *Qui manducat me, vivet propter me.*

Fictio recedens in Eucharistia. Dubium est 6. Utrum hoc sacramentum post transactam sumptionem, & præsentiam Christi, habeat effectum gratiæ, recedente fictione? Affirmabunt aliqui, ducti similitudine aliquorum sacramentorum, scilicet baptismi, & pœnitentiæ, in quibus recedente fictione datur effectus, néque gratia sacramentalis. Negandum tamen est cum *Henriques lib. 1. cap. 25. n. 7. Suario disp. 63. sec. 8. & Ægid. Bellan. q. 62. a. 1. dub. 5. n. 78.* Probatur, quia necessitas hujus efficaciæ recedente fictione oritur in alijs sacramentis, ex eo quod vel iterari nequeunt, aut simpliciter, aut pro aliquo statu, vel quia sunt media necessaria ad salutem; Eucharistia verò & frequentissime iterari potest, & ejus effectus non est simpliciter necessarius.

Dubium est 7. Quos alios habeat affectus Eucharistia? Præter gratiam habitualem, & ejus augmentum, de quo diximus, a citatis authoribus varij alij effectus, quos habet ex opere operato, recensentur. 1. Esse antidotum, quo juxta *Trident. sess. 21. cap. 2.* præservamur a lethalibus per auxilia a Deo opportuné præstita. 2. Est remissio peccatorum venialium. 3. Est remissio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis. Hic tamen juxta *S. Thom. q. 79. a. 5.* non directé, & immediaté, sed indirecté, & mediaté causatur.

1055. 4. Effectus est quædam suavitas, & spiritualis dulcedo, de qua Clemens V. in concil. Vien, *Clem. de reliquijs & Vener. sanct.* Iuxta illud *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus.* Ex qua suavitate oritur promptitudo, & facilitas ad divinum obsequium. 5. Est unio specialis, quã quis Eucharistiam suscipiens habet cum Christo, & alijs fidelibus. Præter hos effectus spirituales, qui nempe voluntati, animæque inhærent, quãvis *Sotus in 4. dist. 11. q. 2. a. 5.* nullos corporales, seu ad corpus spectantes agnoscat, tamen *Suar. d. 64. sect. 2. & Palaus p. 9. a n. 7.* recensent quatuor.

Effectus corporales Eucharistiæ.

1. Est corpus nostrum fieri quodam modo sãctificatum, & sacratum. Si enim lintea, & vasa continentia Eucharistiam redduntur sanctificata ex illo contactu, cur non ex eodem sanctificata reddentur corpora Christianorum. 2. Effectus est concupiscentiæ ardorem, & peccati fomitem moderari. 3. Effectus est quædam veluti substãtialis unio cum Christo, quæ vocari potest unio moralis, & mystica consistens in quodam speciali affectu Christi hominis ad hominem, cui se cibum præbet, & hominis ad Christum, quem ut cibum accipit. 4. Effectus est resurrectior & gloria corporis, quam specialiter eb ... qui sũpserunt digné in vita Eucharistiam, habebunt post diem judicij, juxta illud Ioan. 6. *Qui manducat &c.*

QUÆSTIO II.

Quænam adoratio debeatur Eucharistiæ?

Quoniam certum est de fide, ac definitum a *Trident. sess. 13. cap. 3.* Totum Christum sub qualibet specie panis, & vini facta consecratione constitui, eadem certitudine tenendum est, juxta *Trident. sess. 13 c. 5. & can. 6.* Eucharistiam debere adorari interiùs, & exteriùs adoratione latriæ, scilicet eadem, qua Christus adoratur. Hoc explicat *Suar. disp. 65. sect. 1.* ut non solus Christus, sed etiã totum sacramentum visibile, ut ex Christo, & speciebus constat, unico adorationis latriæ actu, adorari debeat, ita ut illo actu primo ac per se adoretur Christus, eo adorentur autem species tanquam Christo conjunctæ, & cum illo unum componentes, sicut purpura cum Imperatore.

1056. Ex dictis *Suarius citatus* observat 1. Esse laudabilem consuetudinem Ecclesiæ proponentis adorandam Eucharistiam, & circunferentis solenni pompa, ut definit *Triden. sess. 13. c. 1. & can. 6.* Observat 2. Quomodo hæc adoratio cadat sub duplex præceptum, alterum negativum naturale, & divinum, quo tenemur nullam irreverentiam tanto sacramento inferre: alterum affirmativum, quo tenemur cultum aliquem, sive internum, sive externum illi exhibere. Hoc præceptũ (addit loco citato) affirmativũ obligat sẽper, nõ tamẽ pro sẽper sed tẽpore opportune, quãdo occurrit occasio, ut si proponatur adorandũ, vel quis accedat ad communicandum, vel elevetur in Missa. Secluso formali contemptu, & scandalo hujusmodi omissio per negligentiam aliquam non erit mortale ob materiæ levitatem.

Adorandi Eucharistiam præceptũ.

Difficultas est, an adoratio Eucharistiæ exhibita semper esse debeat absoluta, an possit esse conditionalis, nempe sub conditione saltem mente retenta, si ibi corpus Christi præsens est? Benè respondet *Suar. disp. 65. sect. 2.* Eucharistiam per se loquendo esse adorandam adoratione Latriæ absoluta, & nulla apposita conditione in actu. Patet, quia ut homo absoluté operetur, sufficit moralis certitudo, qualis datur per se loquendo, ut hostia rite consecrata judicetur. Dixi (per se loquendo) quia tales circunstantiæ, vel rationes dubitandi occurrere possunt, vel ex parte materiæ, vel ex parte formæ, vel ex parte ministri, ut injiciant vehemens dubium ad suspendendum assensum: & tunc non debet adorari sine explicita conditione.

Adoratio absoluta, & conditionalis Eucharistiæ.

1057. An vero sit peccatum, & quale Eucharistiam adorare adoratione non absoluta, sed conditionali? Bené respondet *Palaus tr. 21. p. 8. n. 5.* quando datur sufficiens ratio dubitandi, adorare sub conditione, aut mente retenta, aut verbis expressa, non esse peccatum mortale, imo si procedatur bona fide, nec veniale, quia tunc nulla

Conditionalis adoratio.

la irreverentia Sacramento infertur. Si veró nulla detur ratio dubitandi de legitima consecratione, est indecens, atque adeo illicitum uti conditionali adoratione, & posset subesse periculum male censiendi de fide. Adde ex *Suario & Palao citatis*, quanvis demusquod eo casu contingat nō esse hostiam consecratam, adhuc dari actum verum religionis ex bona existimatione, & intentione adorantis.

Religionis actus verus, quanvis objectum sit falsum.

Infertur 1 grauissime peccare sacerdotē, qui fictē celebrat nō habēs intentionē cōsecrādi: proponit enim adorandā materia nulla dignā adoratione. Idem procedit de eo, qui occulto peccatori hostiam non consecratam porrigeret. Quid si consecratā hostiā proponeret adorandā tam alijs quā ipsi peccatori, & postea quando manum admovet ori peccatoris, illam mutet, eique præmonito hostiam non consecratam porrigat? *Henriq. lib. 8. cap. 33.* cum *S. Bonav. in 4. dist. 9.* & *Alberto Mag. dist. 13. a. 20.* existimat non cōmitti peccatum grave. Sed oppositum omnino dicendum est cū *S. Thoma 3. p. q. 80. a. 6. ad 2. & Suar. disp. 67. sect. 4. ad 3.* ex *Innoc. 3. cap. de homine, de celebrat. Missar.*

Hostiam consacradam occulto peccatori.

Infertur 2. esse sacrilegium tractare irreverenter Eucharistiam: tractabitur autem irreverenter, si utaris in illius confectione vasis corporalibus, aut vestibus imūdis: aut custodias incaute, ut deveniat ad corruptionem, vel manus hostium. Nulla tamen (inquit *Palaus n. 8*) est pœna ipso jure imposita tale sacrilegium committenti: Idē *n. 9.* benè notat 1. ex *Trident. sess. 25. cap. 10. de regul.* esse prohibitum servari Eucharistiam in choro monialium, & non in illarum publica Ecclesia: unde credit *Emman. Roter. lib. 1. qq. reg. q. 47. a. 4.* non fore peccatum grave, si in choro simul & Ecclesia Monialium servetur. Oppositum tamen sentit Palaus citatus. Notat 2. teneri parochum sub lethali curare ne Eucharistia publicé deseratur absque lumine: secùs tempore pestis, & quando infirmus longé abest.

Sacrilegium contra Eucharistiam.

Eucharistiæ cultus.

PARS POSTERIOR
De Eucharistiæ sacrificio, seu de Missa.

SECTIO. I.
De Missæ sacrificio quoad ipsius essentialem rationem, tam communem, quàm particularem.

QUÆSTIO I.
Quid sit Missa, & unde dicta?

CIRCA hoc nomen (Missa) variant authores. Nam Albericus V. Missa ex Archid ad *cap. 2. de consecr. dist. 1.* putat Missam esse vocem Græcam, quæ latine sonat interpellationem pro plebe. Alciat. lib. 7. parerg. cap. 10. dicit esse vocem Hebraicam, significare que voluntariam oblationē, quæ Deo offertur, aut tributum quoddam, quod ipsi persolvitur. *Granados tamen contr. 6. de Euch. disp. 1. sec. 3.* rectiùs existimat nomen *Missa* esse latinum, & propterea impositum sacrificio novæ legis, quia in illo mittitur sacratissima oblatio ad Deum: vel quia Deus ad nos mittit hostiam ipsam, nempe unigenitum, quem illi immolamus: vel tandem, quia plebs aut congregatio assistentium ipsi sacrificio dimittitur. Hæc ultima nominis ratio placet *Ægidio Bellam q. 83. a. 1. dub. 3. n. 47.* nam peracto sacrificio dicitur, *Ite. Missa est*, nempe fiat missio, dimittimini.

Missæ nomen.

Quod attinet ad essentiam Missæ, eam Navarrus in manuali latino cap. 25. n. 3. sic definit: *Missa est actio, quæ ex institutione Christi, in memoriam ejus passionis, panis, & vinum in ejusdem corpus & sanguinē transubstantiantur: & quæ ipsum corpus & sanguis Christi sub specie panis, & vini Deo Patri offeruntur: Coletus lib. 2. summæ cap. 4. n. 1.* Missam sic describit: *Est oblatio corporis & sanguinis Domini sub alienis speciebus facta, expressiva, & significativa sacrificij cruenti semel ab ipso Christo Domino Deo Patri pro peccatis hominum exhibiti.* Has omnes particulas latè exponit *Fagun. præcep. 1. lib. 3. cap. 1. a n. 2.*

Missa quod sit.

Notat bené *Hurtadus disp. 1. de sacrif. Miss. diff. 4.* in Missa sex inveniri præcipuas actiones. Prima est oblatio panis & vini statim post Evangelium verbaliter facta. Secunda est consecratio realis utriusque speciei, in qua includuntur desitio panis & vini, & positio corporis ac sanguinis Christi sub speciebus. Tertia est oblatio corporis & sanguinis Christi paulo post consecrationem utriusque speciei verbaliter factā. Quarta est fractio hostiæ consecratæ. Quinta est distributio Sacramenti Eucharistiæ. Sexta est sumptio illius facta a sacerdote. Harum explicatio patebit ex sequentibus.

QUÆSTIO II.
Quid sit sacrificium, & qualis ejus obligatio.

SAcrificium nomen habet ex eo quod res sacra fit. Res autem fit sacra, quando divinis usibus adhibitis certis quibusdam verbis, precibus, ac cæremonijs destinatur. Acceptum laté comprehendit imprimis omne opus, & officium pietatis, quo de aliquo homine causa rei bené meremur, qualis v g. eleemosyna: deinde extenditur ad omnia opera, quibus peccata expiamus, & ad ipsam internam pœnitentiam, juxta illud, *Sacrificium Dei spiritus contribulatus*. Psalm. 50. Acceptum strictè & propriè significat rem corpoream, vel oculis sensibilem, quæ primum fit sacra, & deinde offertur Deo: in qua acceptione sic definitur apud *Azorium p. 1. lib. 10. c. 17. q. 2.* Est actio, per quam res aliqua corporata sive ad esum, sive ad potum apta, primum sacratur certis verbis, & cæremonijs adhibitis, & Deo offertur a legitimo ministro, ritu debito ad finem congruentem.

Sacra res.

Sacrificij acceptio.

Suar. tom. 3 in 3 p. disp. 73. sect. 6. dupliciter definit. 1. physicé per materiam & formam sic: *Sacrificium est oblatio facta Deo per mutationem alicujus rei in signum legitimé institutum divinæ, & excellentiæ, & reverentiæ.* 2. quasi metaphysicé per genus, per genus & differentiam sic. *Sacrificium est signum sensibile ad divinā excellentiā & cultū debitū immediatè significandum, impositum per alicujus rei mutationem.*

Sacrificium quid.

Quomodo signum a sacrificio differat, habetur *Dist.2.de consecr.* Distinguitur sacrificium ab adoratione, & oblatione Deo factis: ab adoratione, quia hæc dari potest sine oblatione, et sacrificium oblationem continet: ab oblatione, quia potest dari oblatio, quin res oblata immutetur, at in sacrificio semper res oblata immutatur.

Sacrificatio in sacrificio. 1060 Rogabis 1. quid sacrificium debeat significare: & qua impositione? Ad primam quæsiti partem respondeo cum *Suario disp.73.1.* de formali ratione sacrificij esse aliquam significationē realem, quę significet in Deo excellentiam primi principij, ultimi finis, & supremi dominij: in homine veró subjectionem & recognitionem illius divinæ excellentiæ: mysticam aliam significationem, quæcunque illa sit, secundariam esse. Ratio desumitur ex differentia inter sacrificium & sacramentum: nam potissima differentia inter sacrificium & sacramentum ex eo sumitur, quód sacrificium per se primò ordinetur ad significandum Dei excellentiam, & ei debitum cultū: Sacramentum verò ad significandum aliquam hominis sanctificationem.

Sacrificij institutor. Ad 2. quæsiti partem respondeo cum eodem sect.3 ad rationem sacrificij sufficere impositionē humanā: posse tamē Deū decernere, ut jā decrevit, quòd sacrificiorum institutio in aliqua re publica sibi reservatur. Constat prior pars, quia ad rationē sacrificij invisibilis sufficit moralis significatio sacrificij invisibilis: hæc autem resultare potest ex sola impositione humana. Constat posterior, quia omnis potestas humana est sub potestate Dei a qua coerceri, & limitari potest. Unde in lege nova ita instituit sacrificiū Eucharistiæ, ut noluerit cū illo aliud miscere, & multiplicari.

Rogabis 2. qualis requiratur ad instituendum sacrificium authoritas: qualis res, vel actio, quæ in sacrificio ad significandum imponitur? Dico 1. Ad instituendum sacrificium requiritur publica authoritas. Patet, quia ad offerendum sacrificium exigitur sacerdotale munus, quod non nisi publica authoritate institui debet, juxta illud Apostoli 1. ad Cor.5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deū, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Ergo nō sufficit privata authoritas. *Sacrificium quid postulet.*

1061 Dico 2. Requiritur omnino, ut actio quæ sacrificium est, sit oblatio alicujus rei permanentis Deo facta. Patet, quia sacrificium ut tale est, propriè significat actionem sacrificandi: sed sacrificare est offerre; ergo sacrificium est oblatio, quæ proinde sine re oblata stare nequit. Dico 3. Necesse est ut circa rem proximè Deo oblatam, detur aliqua immutatio, & fiat aliquid sacrum quando Deo propriè sacrificatur. Ratio est, quia sacrificium fit in significationem divinæ excellentiæ, & supremi dominij: hoc autem expressiùs significabitur, quando res in Dei honorem immutetur, & aliquid aliud sacrum fiat. Sequitur 1. actionem in sacrificio esse debere aliquo modo cōfectativam, & immutativam rei oblatæ. Sequitur 2. hujusmodi actionem debere fieri a legitimo m inistro, quē Apostolus Pontificem, seu sacerdotē vocavit. Unde si fiat ab alio, nō erit sacrificiū, sed sacrilegiū, vide *Suar. citatus sect.4. & 5.* *Immutatio in sacrificio.*

Sacrificādi obligatio. Quoad alteram quæstionis partem de obligatione sacrificandi, ut juxta *Suarium cit. sect.8.* rem paucis expediam, constat 1. sacrificium sensibile sive cruentum, sive incruentum in sua præcisa ratione non solùm esse licitum, sed etiam honestum, & Deo gratum. Constat 2. posse esse materiam præcepti divini, & humani positivi. Sicut fuit in lege veteri. Constat 3 esse præceptum naturale de colendo Deo cultu interno, & externo. Patet, quia cum homo a Deo habet animam, & corpus non solum animo, sed etiam corpore tenetur eum colere.

Difficultas est, an detur præceptum naturale de colendo Deum per sacrificium visibile? Benè respondet negativè *Suar. cit. sect.8.* asserens, quāvis sacrificium visibile satis accommodatum sit ad obligationem de Deo colendo implendam, tamen in rigore tale sacrificium non præcipitur ex vi legis naturalis. Prior pars ex dictis manifesta est. Posterior suadetur, quia per aliquem externū cultum, qui sacrificium non sit, v.g. per orationē vocalem, genuflexiones, & actiones similes impleri potest obligatio colendi Deum; ergo determinatio talis cultus, scilicet sacrificij non videtur esse de jure naturæ.

1062 QUÆSTIO III.

Utrum in lege nova detur verum, & unicum sacrificiū: & qualiter in Missa.

Catholica veritas est, quæ contra hæreticos nostri temporis, habetur *Malachia 1. Matth. 5. Apost. 1. ad Cor. 10.* & communi Patrum consensu, in Ecclesia Christi esse aliquod verum, proprium, externum, ac visibile sacrificium, quo Deus colitur a populo Christiano. *Sacrificium nova legis.*

Rogabis 1. utrum, & qualiter sacrificium in confectione Eucharistiæ inveniatur? In Eucharistiæ confectione, quæ a Sanctis Patribus, & Cōcilijs Missa appellatur, offerri verum, ac propriū sacrificium, docuit *Trident. sess.22. cap.1. & 2. & Can.1.* Ratio est, quia in confectione S. Eucharistiæ, datur essentia sacrificij, juxta ipsius definitionem, quam tradidimus num.1059. Ibi enim offertur Deo Patri ejus Filius sub speciebus panis & vini a legitimo ministro, nempe, Sacerdote in recognitionem supremi dominij. Ergo datur quidquid ad verum sacrificium requiritur. *Sacrificium in Eucharistia*

Explicatur, nam in Eucharistiæ confectione adest legitimus minister, scilicet Sacerdos: adest res oblata sensibilis, qui est Christus sub speciebus panis, & vini, quarum substantia destruitur, & in Corpus, ac Sanguinem Christi oblati, & mysticè mactati convertitur. Ex quo patet dari sufficientem mutationem in re oblata. Quāvis enim Christus in se non mutetur, satis est ad recipiendam aliqualem mutationem, & mysticam mactationē, quod subdictis speciebus cōstituatur.

2063 Rogabis 2. utrum ratio sacrificij novæ legis, seu Missæ, consistat in sola consecratione

ne, an etiam in alijs ipsam consecrationem comitatibus vel subsequentibus? Sit resolutio: In sola consecratione essentia sacrificij Missæ consistit: reliquæ actiones antecedentes & subsequentes spectant ad illius integritatē & ornatum. Ita *Vasq. d.222. Suar. disp.75 sect.5. concl.1. & 3. Lessius lib.2.c.38. dub.2.n.16. & Azor lib.10.cap.19.q.2.* Quod in consecratione detur sacrificium, constat ex proximè dictis: quod verò in sola consecratione cōsistat, facilè suadetur, quia solo actu consecrationis, & ex intentione ministri, præciso quocūque alio, sufficienter repræsentatur Christi mors, & Patri Æterno ejus Filius offertur, ergo in sola cōsecratione sacrificium Missæ consistit.

Consecratio Eucharistiæ est sacrificium.

Infertur 1. sumptionem Eucharistiæ factam in Missa a Sacerdote, quanvis non ingrediatur essentiam sacrificij, spectare tamen ad extrinsecam perfectionem. Nam sacrificium hoc fuit institutū ut esset Sacramentum, & animarum convivium. Infertur 2. in diei Parasceves officio non offerri sacrificium proprium novæ legis, & a Christo domino institutum. Quia illa die solum consumitur una species, quæ fuerat antecedenti die consecrata, & in sola consumptione non datur sacrificium.

Parasceves officium.

Rogabis 3. an postuletur ad essentiam adæquatā sacrificij consecratio utriusque speciei, an sufficiat unius tantum consecratio? Sufficere consecrationem unius tantum speciei, defendunt *Henriq. lib.9.c.9.n.10. Pitigianus dist.13.q.1.a.3. Nugnus q.83.a.1. conc.4. & Bonacina disp.4. quæst.ult. pun.2.n.7.* Probant, quia sacrificium Christi cruētū repræsentari potest per alteram tantū speciē.

1064 Dicendum tamen est cum *Vasq. disp. 223.cap.3. & 4. Suar. disp.75. sect.6. & Ægid. Bellano q.83. art.1. dub.5.n.102.* ad essentiam sacrificij Eucharistici postulari utriusque speciei consecrationem. Ratio est, quia hoc mysterium ita est sacrificium incruentum, ut esse debeat repræsentatio sacrificij cruenti, juxta illud Christi monentis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Talis autem repræsentatio dari nequit, nisi repræsentetur Corpus, & Sanguis Christi separatum, per consecrationem utriusque speciei.

Speciei utriusque consecratio.

Ex quibus rectè cum citatis Authoribus infert *Palaus tr.22 disp.un.pun.11.n.9.* longè probabilius esse non posse dispensare Pontificem, ut in una tantum specie fiat consecratio. Patet, quia Pontifex dispensare nequit, ut conficiatur hoc Sacramentum, quin offeratur sacrificium: hoc autem non potest absque utriusque speciei consecratione.

Rogabis 4. qualiter se habeat sacrificium Missæ ad illud sacrificium, quod Christus in ultima cæna, & in ara crucis obtulit? Constat ex *Trid. sess.22.c.1.* & 2. Christum tam in ultima cæna, quam in Cruce verum sacrificium Patri suo Æterno obtulisse. Qualiter verò sacrificium Missæ, ad utrumque illud se habeat conveniens, & differens, rectè ex citatis Authoribus, & Tridentino exponit *Palaus citatus p.3. n.3.* Nam convenit, quia in his omnibus unica est hostia, & unicū sacrificium quoad rem oblatam. Differt, quia in Cruce Christus oblatus fuit cruentè per sanguinis veram, & realem effusionem: in cæna verò, & in Missa offertur Christus incruentè per veram sanguinis effusi repræsentationem.

Sacrificium Missæ & crucis

1065 Rogabis 5. utrum in Missa ratio sacrificij potior, & prior sit ratione Sacramenti? Respondeo cum *Suario* misso, in compendium *disp.79 sect.3.* si accipiatur sacrificium, & Sacramentum absolutè in communi, sacrificium est excellentius: siquidem immediatius ad significandum divinam excellentiam ordinatur. Si in particulari sumatur ratio sacrificij, & sacramenti in Eucharistia, nullus datur ordo durationis inter utrumq; dummodo Sacramentum fiat in utraque specie. Si fiat comparatio in dignitate, quæ fieri potest in esse rei, & esse virtutis, quia nihil ad mores conducit, ideo a nobis prætermittitur.

Sacrificij & sacramenti excellentia.

SECTIO II.

De Missa quoad oblationem, & ipsius effectus.

QUÆSTIO I.

Qui sint offerentes in Missa?

Veniunt in considerationem ad offerendum Christus Dominus, Sacerdos, & quicunque fidelis; quod triplex personarum genus triplicē nobis offert difficultatem expediendam. 1. difficultas est, utrum & quomodò Christus Dominus sit offerens in Missa? Certum est Christum esse Summū Sacerdotem, qui principaliter offert sacrificiū Eucharistiæ, quandocunque & ubicunq; offertur. Patet, nam Christus dicitur Sacerdos æternus, non quia semel in cruce sacrificium obtulit, quia perpetuó per suos Sacerdotes sacrificat.

Christus offerens in Missa.

Maior difficultas est, an Christus non solum offerat principaliter, sed etiam immediatè & per se tametsi ministerio sacerdotum? Negat *Vasq. disp.225.c.2. & 4.* ubi citat per se, sed non valde fideliter *Scotum, Grabielem, Cordubam.* Probat, quia talis Christi immediatus concursus nec videtur congruere illius dignitati, nec decere ejusdem personam: nec denique ad sacrificij valorem, & efficaciam necessarius est.

1066 Affirmandum tamen est cum *Suario disp 77. sect.1. Ægidio Bellano q.83.a.1. dub.6. num. 108. & Palao tr.22.a.un.pun.4.n.4.* Ratio est, quia per illum immediatum concursum meliús innotescit dignitas specialis tanti sacrificij: nam Princeps maiorem impendit honorem, quando non solum medio legato, sed etiam per se ipsum honorat: deinde melius innotescit, quomodo sacrificium Missæ sit idem, & ejusdem valoris, ac dignitatis cum eo, quod Christus in ultima cæna obtulit.

2. Difficultas est, utrum omnes, ac soli Sacerdotes offerre possint hoc sacrificium, ut proprij ministri illius? Certum est de fide ex *Concil. Niceno cap.14. & Trident. sess.22. cap.1.* solum Sacerdotem

Sacerdos minister Missæ.

tem ritè ordinatum habere potestatem offerendi hoc sacrificium, ita ut si alius id facere tentet, nihil efficiat. Quæritur, an verus Sacerdos possit sacrificium validè efficere, & offerre casu, quo fit per excommunicationem, vel degradationem ab Ecclesia præcisus? Rectè affirmant *Vasq. disp. 226. cap. 1. & Suar. disp. 77. sec. 2.* Ratio est, quia ad valorem sacrificij opus non est, quòd offeratur nomine Ecclesiæ, sed sufficit quòd sacrificans gerat personam Christi ratione sui characteris: Sacerdos autem ab Ecclesia præcisus, quanvis privetur munere orandi, & offerendi nomine Ecclesiæ, proindeque illicitè sacrificet, tamen validè sacrificat, quia adhuc gerit personam Christi ratione characteris indelebilis, quem retinet.

Degradatus celebrãs.

1067 3. Difficultas est utrum alij fideles possint esse offerentes in hoc sacrificio? Quod fideles etiam laici offerant in Missæ sacrificio, constat ex verbis Canonis: *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio: pro quibus tibi offerimus, & tibi offerunt.* Ratio desumitur ex natura sacrificij, quod publicum est, & commune omnibus. Unde si loquamur generaliter, quatenus Sacerdos nomine Ecclesiæ operatur, omnes fideles, utpote illius membra habituali consensu offerunt: si specialiter, illi tantum qui Missam petunt, dant eleemosynam, inserviunt, & assistunt sacrificanti. Ita citati Authores, quibus consentit *Palaus p. 4. n. 1.* benè notans hos solum offerre denominativè, & impropriè, quia nec consecrãt, nec sunt deputati ad id munus.

Fideles in Missa offerentes.

QUÆSTIO II.

Pro quibus Missa offerri possit, ac debeat?

QUæstio procedit de obligatione hujus sacrificij tam pro vivis, quàm pro defunctis. Ut verò resolvamus priùs pro quibus vivis sit offerendum, notabis 1. sacrificium dici offerri pro eo, in cujus utilitatem, & commodum offertur. Notabis 2. offerentem posse se gerere vel ut personã privatã vel ut publicã, quæ nomine Christi, & Ecclesiæ offeratur: item ut detur effectus ex opere operantis, seu ex merito, & virtute sacrificantis.

Sacerdos pro quibus offerre possit.

Sit 1. resolutio. Sacerdos ut persona privata offerre potest Missam pro omnibus vivis tam fidelibus, quàm infidelibus, & pro excommunicatis. In hac conveniunt Authores. Nam illi omnes sunt capaces alicujus doni spiritualis, vel temporalis, quod per sacrificium obtinere possunt. 2. resolutio. Sacerdos ut persona publica, & nomine Christi, & Ecclesiæ non potest offerre pro excõmunicatis. Habetur ex *cap. a nobis cap. sacris de sent. excommun.* Nam excommunicati sunt præcisi ab Ecclesia, suorumque bonorum participatione 3. resolutio. Pro reliquis fidelibus etiam peccatoribus Sacerdos potest, & debet ut persona publica Christi & Ecclesiæ nomine offerre. Sumitur ex *Trident. sess. 22. cap. 2* juxta quod in oblatione Missæ omnes comprehenduntur, & non apparet, per quid excludantur peccatores. Unde juxta *Suar. d. 77. sec. 2.* peccabit graviter Sacerdos, si ab illa generali oblatione excludat.

Missa pro Excommunicatis.

1068 Quid de infidelibus, seu non baptizatis? Constat pro illis posse offerri indirectè, quatenus directè offertur pro bono fidei, & Ecclesiæ augmento, quod sine conventione infidelium stare nequit: & sic calix offertur pro totius mũdi salute. Difficultas est, an pro illis directè offerri? Affirmant *Bellarm. lib. 2. de Missa c. 6. Suar. disp. 78. sect. 2. concl. 3. & Bellarm. quæst. 83. a. 1. dub. 9.* Probant, quia sacrificium Crucis pro illis omnibus directè oblatum est, cum fuerit universalis omnium redemptio; ergo idem erit de sacrificio Missæ.

Oblatio Missa pro infidelibus.

Hæc opinio est valde probabilis: sed mihi videtur probabilior negativa, quam tenent. *Vasq. disp. 227. cap. 3. Azor p. 1. lib. 10. cap. 22. q. 1.* Sumitur ex *S. August. lib. 1. de anima cap. 9.* & habetur in *Concil. Brachar. 1. can. 35.* Probatur ratione, quia pro ijs directè potest offerri Eucharistia in ratione sacrificij, pro quibus fuit instituta in ratione Sacramenti: & pro infidelibus utpote incapacibus non fuit instituta in ratione Sacramẽti; ergo &c. Ad fundamentum opinionis contrariæ, patet discrimen, quia sacrificium crucis fuit oblatum per modum meriti, atque adeo pro omnibus etiam infidelibus, ut in Eucharistia sacrificium offertur non per modum meriti, sed meritum Crucis quod in ipso continetur, instar Sacramenti applicatur.

Quod attinet ad oblationem pro defunctis, cum hi sunt in quaduplici differentia, scilicet existentes in Purgatorio, decedentes sola originali culpa in limbo, damnati in Erebo, beati in cælo, certum est 1. posse hoc sacrificium tam ut satisfactorium, quàm ut impetratorium directè offerri pro existentibus in Purgatorio, ut habetur ex *Trident. sess. 22. cap. 2. & can. 3.*

Purgatorij animæ ad missam.

Certum est 2. nullatenus offerri posse pro dãnatis. Quia hi sunt extra statum salutis, ita ut pœna peccatis debita remissionem habere nequeat, prout definitur in *Concil. Brachar. 1. cap. 3. & cap. obeuntibus 1 . q.* Cum damnatis benè numerat *Suar. disp. 78. sect. 3.* infantes, qui absque baptismo decesserunt & sunt in limbo, subscribit *Palaus p. 5. n. 8.* nam tales sunt extra salutis statum, a quo liberari nequeunt. Non apponimus quintum locum, in quo sint adulti, qui ex ignorantia de Deo invencibili commiserunt peccatum philosophicum, & non theologicum. Quia tales in hujusmodi peccato decedentes non amittuntur, ut latè docet Lugo de Incarn. disp. 5. sec. 6. n. 10?.

De uncti ad missam.

Infantes in limbo

1069 Sola est dubitatio circa beatos; an pro illis sacrificium Missæ offerri possit? Constat non posse offerri pro beatis ut est propitiatorium. Ratio est, quia beati carent omni malo culpæ, & pœna. Est juxta mentem Innocentij in *cap. cum Marthæ de celebrat. Missar.* ubi dicit injuriam facere martiri qui orat pro martyre. Constat etiam posse offerri ut sacrificium laudis, si offeratur Deo in illorum gloriam, & memoriam, vel in gratiarum actionem pro victorijs ab ijsdem obtentis, vel pro beneficijs in beatos ipsos collatis. Addit. *Suar. disp. 78. sect. 3.* non repugnare etiam quòd tanquam

Peccantes philosophice.

quam impetratorium offeratur ad impetrandum Sāctis gloriam,& honorem:intelligo de gloria accidentali.

QUÆSTIO III.

Quos habeat hoc sacrificium effectus, & qua ipsi indigeant Sacerdotis intentione,& aplicatione?

NOtandum est 1.sicut ex quolibet opere bono, ita ex Missæ sacrificio, dari triplicem effectū, scilicet satisfactionē pro culpis cōmissis, meritum gratiæ,& gloriæ,& impetrationem alicujus beneficij a Deo conferendi. Notandum est 2.Sacerdos in Missa, sive agat personā Christi,& Ecclesiæ,sive agat persona privatâ nomine proprio,posse satisfacere, impetrare, & mereri, ita tamen,ut pro se,&alijs satisfaciat,& impetret, sibi veró solum mereatur.Notandum est 3. esse discrimen inter Sacerdotem agentem personam Christi,& Ecclesiæ,vel agentem personam propriam,& privatam: nam effectus provenientes ab illo,quam agente personam Christi,& Ecclesiæ,non pereunt ex illius indignitate;pereunt veró ex ipsius indignitate, provenientes ab oblatione ejusdem,quatenus persona privata est.

Effectus Missæ.

1070 Dubium est 1.utrum effectus hujus sacrificij sit infinitus?Consentiunt *Vasq.disp.230.cap. 3.Suar.disp.79.sec.11.& Bel.q.83.a.1.dub.10. concl 6.n.167.* sacrificium Missæ ex se infinitum esse in virtute,& valore,tum quo ad intensionem, tum quo ad extensionem.Ratio est,quia consentaneū fuit,ut Sacramentum cum sacrificio conveniret, Christum talem virtutem,& efficaciam tribuere. Dixi(ex se)quia effectus illius (ut bené notavit *Suar.citatus*) ex opere operato est finitus intensivê.Nam talis effectus non mensuratur ex infinitate sacrificij,sed ex Christi institutione,& promissione,quibus illum taxavit, & limitavit.

Missæ valoris infinitas.

Quid quando plures offerentes concurrunt cū Sacerdote ad idem numero sacrificium? Omnes,& singuli(inquit *Suar. disp.79 sect.12*,quatenus offerentes sunt, accipiunt integrum fructū, non minorem,quàm si unus tamen esset offerens. Vnde in hoc sensu fructus est infinitus extensivé,seu augmentabilis in infinitum.Ratio est,quia supposita institutione videtur consequens, ut quando plures sic offerunt, ne minuatur fructus ratione rei oblatæ,nec ratione oblationis, nec ratione offerentium.

Effectus Missæ qualiter fiant.

Dubium est 2.qualiter hoc sacrificium habeat suum effectum? Habere aliquem effectum ex opere operato,desumitur ex communi consensu Ecclesiæ sentientis hoc sacrificium ex vi suæ institutionis habere singularem efficaciam ad applicandum aliquem fructum redemptionis Christi.Nam juxta *Trident.sess. 2.c.1.*nititur sacrificio crucis,a quo mutuatur virtutem.

1071 Adde hoc sacrificium esse fructuosum alijs modis, præterquam ex opere operato. Habet enim (inquit *Suar.sect.2.*ex vi suæ institutionis specialem vim ad impetrandum eos effectus, pro quibus obtinendis offertur:non quidem per causalitatem ex opere operato, quæ fundetur in speciali promissione, sed ex natura talis sacrificij, quam sequitur valor ad impetrandum. Vnde ex usu Ecclesiæ observatur, ut oret minister pro quibuscunque hominum necessitatibus.

Dubium est 3.utrum hoc sacrificium eo modo quo baptismus,& pænitentia, habeat vim remittendi in homine attrito peccata mortalia? Videtur affirmandum ex *Trident sess.22. cap.2.* ubi dicit hoc sacrificium esse propitiatorium, eoque Deum placatum crimina ingen ia dimittere.Negandum tamen est cum *Azorio tom.1 lib.10.cap. 20.q.3.Vasq.d.228.cap.2.Suar.d.79.sec.3.& 4.* negantibus illud habere virtutem remittendi peccata instar Sacramenti,sed concedentibus habere vim impetrandi auxilium pænitentiæ, quia remittantur.Ratio est,quia non apparet, quomodo ex institutione talem virtutem habeat.

Remissio peccati mortalis per Missam.

Quid de peccatis venialibus?Est ne illorum immediatè remissivum?Affirmant *Canus lib.2.de locis cap.12.§.qui vero & Azor p.1.lib.10.cap.20.q.4.* Probant ex Sacramentalibus habentibus talem vim.Verius tamen esse oppositum ex *Vasq. Suar. & Bellano*,citatis credit *Palaus tr.22.pun. o. n.6.* Quia hoc sacrificium non causat immediatè retractationem peccati in voluntate,nec infussionē gratiæ in anima, sine quibus veniale peccatum non remittitur.

1072 Dubium est 4.quid operetur hoc sacrificium circa pænas pro peccatis debitas, & circa impetrationem bonorum? Dico 1. Remittit immediaté ex opere operato pænas debitas pro pecccatis.Ita cum *S.Thoma q.79.a.5.Suar.d.79.sec 6.Navarr. lib.2.de rest.c.2.dist.6.n.338.& Ægid. Bellan.q.83.a.1.dub.8.n.141.*Sumitur ex *Trident. sess. 25.c.1.* ubi definit fidelium animas in Purgatorio hoc sacrificio juvari: & nequeunt alia via,quàm immediata pænarum remissione.

Remissio peccatorū per Missam.

Dico 2.virtute hujus sacrificij impetrantur bona tam spiritualia,quàm tēporalia.Ita præter citatos *Vasq.d.228.cap.4.n.32.*Sumitur ex *Trident. sess.22.cap.1.& can.3.*ubi dicitur hoc sacrificium offerri pro fidelium vivorum peccatis,pænis,satisfactionibus,alijsque necessitatibus. Notat bené *Vasq.citatus* bona temporalia non impetrari, nisi quatenus saluti animæ deservire possunt.

Bona impetranda per Missam.

Dubium est 5.an prædicti effectus infalibiliter conferantur:& quid requiratur in eo, pro quo Missa offertur,ut illos recipiat?Dico 1.sola remissio pænæ pro peccatis debitæ confertur infalibiliter:reliqui effectus juxta placitum divinæ providentiæ.Ita cum *Vasquez d.229.c.2. Ægid.Bellan. q.23.a.1.dub.8.concl.3.4.& 5.Fonsecina disp. 4.q.ult. pun.3.& Palaus pun.6.n.9.*Probatur,quia cum aliquis infalibilis effectus debeat assignari huic sacrificio,sicut & Sacramento,nullus aptior assignari potest,quàm remissio pænæ: & ideo offertur pro vivis,& defunctis.

Dico 2. præter capacitatē characteris baptismalis,& statum viatoris latè sumptum, scilicet qui comprehendat statum Purgatorij, & præter-

Dispositio inrecipiente effectum Missæ.

statum

statum gratiæ gratum facientis, nihil amplius requiritur. Ita *Suar. d. 79. sec. 10.* Ratio est, quia dictus effectus non applicatur per aliquam actionem recipientis, sed solum per intentionem, & quasi extrinsecam donationem alterius. Unde non sumit augmentum ex maiori recipientis dispositione: nec datur recedente fictione in eo, qui per obicem fuit impeditus.

1073 Quod attinet ad alteram quæstionis partem de intentione, & applicatione Sacerdotis, quanvis *Scotus quodl. 20. § de secundo art. & Gabriel in can. Missæ sect. 26.* crediderint fructum sacrificij semper applicari juxta intentionem debitam, ac proinde semper illis, pro quibus Sacerdos ex debito tenebatur, offerre, quanvis ille debeat diversam intentionem, & faciat diversam applicationem: tamen dicendum est cum *Suar. d. 79. sect. 9. Vasq. d. 231. c. 6. & Layman lib. 5. tr. 5. c. 2. assert. 4.* omninó necessariam esse Sacerdotis applicationem, ut Missa operetur. Patet, quia solus Sacerdos est constitutus dispensator mysteriorum Dei: ergo sola illius applicatio attendi debet.

Intentio & applicatio sacrificij per Sacerdotem.

Observandum est intentionem, seu applicationem Sacerdotis posse esse generalem, seu confusam ex parte objecti, ut si offerat pro omnibus fidelibus unius civitatis, vel specialem, ut si offerat pro determinata persona: item posse esse actualem, vel habitualem, seu virtualem, quando semel habuit, & non retractavit: ex dictis veró quamlibet sufficere. Cum igitur effectus sacrificij pendeat ex applicatione Sacerdotis, conveniens fuit (inquit *Palaus cit. n. 16*) ut applicationi perfectiori, qualis est specialis, abundantior effectus concederetur.

Intētio ad applicatio nē Missæ.

Quando Sacerdos (inquit *Suar. cit. sect. 9.*) nulli applicat talem fructum, vel illi, qui capax non est, probabiliter manet in thesauro Ecclesiæ, sed probabilius sacrificiū caret actuali effectu. Quod (addit) raro evenit: Sacerdos enim quando formaliter alicui non applicat, saltem habet intentionem virtualem applicandi sibi, vel implendi aliquam suam obligationem, quod sufficit. Si tamen careat omni omninó intentione applicandi, dum sacrificat, postea applicare nequit. Quo autem celebrationis tempore possit applicare? Respondet *Palaus citatus* posse, ac debere applicare, vel ante consecrationem, vel in ipsa consecratione, quia eo tempore personam Christi sustinet, & non postea.

1074 Quid si contingat quendam Sacerdotē consecrare hostiam, & alium calicem? Ex *Vasq. d. 231. cap. 6. in fine.* bené respondet *Palaus cit. p. 6. n. 16.* ei, qui calicem consecravit, applicationem sacrificij competere: quia ipse, & non prior, sacrificium perfecit. Expedit tamen, ut se conformet intentioni prioris, quanvis ad id non teneatur. Illud recté docet *Suar. d. 79. sec. 9.* privatos offerentes nequire suum fructum applicare alijs. Patet, quia ille fructus ex opere operato est personale beneficium, quod proinde transferri nequit.

Applicatio Missæ.

Applicatio Missæ sub cōditione de futuro.

Dubius 1. an possit Sacerdos validé, & licité applicare Missam sub conditione contingenter futura? V.g. pro eo qui sequenti die obtulit stipēdium, vel decesserit e vita. Affirmant *Joan. Bapt. Conrad. 2. p. casuum conscient. q. 355. Navarr. lib. 2. de restit. c. 2. n. 370. Aragon. 2. 2. q. 85. a. 3.* Negandum tamen est cum *Vasq. d. 231. cap. 7. in fine, Bellarm. q. 83. a. 1. dub. 9. concl. 10. & Barb. de potest. Episc. 2. p. alleg. 24. a n. 12.* Probatur, quia Sacerdoti solum datum est applicare fructum Missæ pro eo tempore, quo sacrificat, quia pro illo solum personā Christi gerit: qui veró applicat sub condictione futura, non tam applicat, quàm reservat applicandum, quando jam Christi personam non gerit. Et ideo *Clement. 8. ex decreto S. Congregat. 15. Novemb 1605.* talem applicationem prohibuit, ut testatur Barb. citatus.

Quid si Sacerdos sacrificans referat suam intētionem ad alterius intentionem: v.g. applico hāc Missam, cui Petrus applicuerit? Juxta *Suar. disp. 79. sect. 9.* sufficiens erit applicatio, si Petrus tempore oblationis condictionem impleverit: secus carebit fructu. *Intentio relata ad alterius intentionem.*

1075 Dubitabis 2. an sit probanda, & laudanda illa consuetudo, qua viri pij antequam moriantur, faciunt pro se celebrari officium, & Missam defunctorum? Affirmant *Zerola in praxi Episc. 2. p. v. Missa vers. 10. Pinellus lib. 1. de Missa cap. 7. q. 3 & Navarr. lib. 3. consil. cons. 6. de celebrat. Miss. edit. 2.* & confirmant exemplo Albert. Magn. Henrici Comitis & aliorum qui fecerunt tale officium pro se ipsis, dum viverent, celebrari.

1075 Nihilominus, si tale officium, & sacrificium fiat ex intentione, ut fructus in divina acceptatione reservetur applicandus post vitæ egressum, consuetudo improbanda omninó est, utpote infructuosa, & inutilis. Si tamen intentio sit, ut fructus sacrificij funebris statim applicetur, & virtute illius aliud beneficium suo tempore cōcedendum impetretur: ita tamen ut preces, quæ defunctos denotant, non ad vivos referantur, sed ad existentes in Purgatorio, non erit consuetudo more festé illicita, recté tamen ex *Paulo Laymano lib. 5. sum. tr. 5. cap. 2. n. 15.* monet *Palaus p. 6. n. 19.* nullatenus esse permittendam. Quia an fideles plures dictas limitationes non percipiant, suspicari poterunt id esse quid superstitiosum.

SECTIO III.

De tempore, loco, vasis sacris, paramētis, & ritibus ad Missam celebrandā.

QUÆSTIO I.

Quodnam sit tempus opportunum, & requisitum Missæ celebrandæ.

Quatuor expeditis difficultatibus tota quæstio expedietur. 1. difficultas est, utrum Sacerdos aliquo anni tempore teneatur celebrare, seu offerre sacrificium Missæ? Constat teneri Sacerdotem communicare semel in anno tempore Paschatis, saltem more laicorum. Dubium est de celebratione Missæ. Peccare mortaliter Sacerdotem, etiam simplicem non impeditum, qui annum *Missā celebrandi obligatio.*

num integrum transigit, quin celebret, definiunt Villalobus in sum. p. 1. tr. 7. dub. 49 n. 1. Joan. de la Cruz in direct. p. 2. de sacr. Miss. q. 1. dub. 2. concl. 2. Spino in Spec. ul. test. un. gloss. 3. n. 03. & Homo bonus de exam. Eccl. p. 1 tr. 4. c. 14. q. 133. dicunt tamen peccati lethalis non fore reum, si in anno ter aut quater celebret, præcipue in die Natalis Domini, Resurrectionis, & Pentecostes.

1076 Oppositam sententiam, scilicet non peccare mortaliter, quamvis per totum annum non celebret, tenent S. Bonav. in 4. dist. 12. q. 2. a. 2. q. 2. Victoria in sum. n. 94. & probabilem dicit Bonac. de sacr. disp. 4. q. ult. p. 7. n. 10. Ego sequor Suarium qui disp. 80. sec. 1. sic resolvit. Quanvis probabile sit non peccare mortaliter Sacerdotem qui nunquam celebret, sententia tamen contraria est magis pia, secura, & in praxi consulenda. Ratio est, quia vix sine magno scandalo, indicio pravæ vitæ, & detrimento conscientiæ stare poterit omnimoda carentia celebrandi: unde toties per annum Sacerdos tenebitur celebrare, quoties judicio prudentis satis sit ut illis malis occurrat.

Sacerdos nunquam celebrans.

2. Difficultas est, utrum Sacerdos possit, vel debeat singulis diebus celebrare? Suar. disp. 80. sect. 2. optime hanc difficultatem resolvit 1. quotidie celebrare, si solum jus divinum attendatur, neq; prohibitum, neque præceptum est singulis Sacerdotibus, nec singulis Ecclesijs, nec toti Ecclesiæ. Ratio est, quia nullibi extat talis determinatio temporis per jus divinum. Resolvit 2. Iure Ecclesiastico in singulis Ecclesijs cathedralibus, parochialibus, & conventualibus debet quotidie celebrari, si detur conveniens numerus Sacerdotũ. Deducitur ex cap. cum creatura de celebrat. Missar. & patet ex Ecclesiæ consuetudine. Unde graviter peccabunt Rectores Ecclesiarum, si id omittãt sine urgenti causa.

Missæ celebratio quotidie.

Resolvit 3. Sacerdos etiam parachus nec jure divino, nec Ecclesiastico tenetur quotidie celebrare. Quia nõ apparet tale jus. Resolvit 4. per se loquendo, & seclusa prohibitione Ecclesiæ, quotidie celebrare melius est, & consulendum. Ratio est, quia Sacerdos, & si aliunde imperfectus, cum fit ad id munus consecratus, semper habet paratũ speciale auxilium, ut sanctè celebret.

1077 Tres in sancta & maiori hebdomada sunt dies in quibus dubium est, an liceat privata celebratio. Primus est feria 5. in cæna Domini. Sed nullum est jus scriptum prohibens celebrationem Sacerdotibus: si quæ olim fuit consuetudo, jam est abrogata, ut contra Francolinum lib. bor. canon. cap. 30. n. 4. tenent Ægid. Bellon. q. 83. a. 1. d. 2. 210. Laym. lib. 5. n. 5. cap. 4. asser. 9. & Vasq. d. 232. c. 2. n. 24. qui rectè monet privatas Missas celebrari debere antequam solemnis in Ecclesia absolvatur.

Missa celebratio quibus diebus non liceat.

Feria 6. Parasceves conveneniunt Authores illicitam esse celebrationem Missæ, utpote prohibitam ab Innocent. 1. Epist. ad Decent. c. 4. ex eo quia non expedit mortem incruentam & mysticam exhibere, quando recolitur Christi passio, & mors realis. At sicut ex præconsecratis Sacerdos communicat, ita quilibet alius poterit communicare. Ita Suar. citatus. Nihilominus Gavantus in Rub. Missar. p. 4 tit. 9. n. 25. assert in oppositum decretum S. Congreg. in quo decernitur juxta præsentem Ecclesiæ consuetudinem non licere usũ ministrandi, nisi infirmis Eucharistiam.

Parasceves die cõmunio & Missa.

An sabbato sancto liceat privatim celebrare, semoto scandalo, ex prælati sententia? Affirmant Scotus in 4. dist. 13. q. 1. a. 2. Gutier. lib. 1 can. q. c. 30. n. 36. & hoc probabile judicat Suar. d. 80. sec. 2. Quia prohibitio facta cap. sabbato de consecr. dist. 3. videtur omnino abrogata. Negandum tamen est cũ Navarr. c. 25. n. 88. Henr. lib. 9. cap. 24. n. 3. Layman. lib. 1. tr. 5. cap. 4. asser. 7. & Vasq. d. 232. c. 2. n. 24. Quia longè verius est legem proxime citatam nondum contrario usu abrogatam esse. Addit benè Palaus p. 7. n. 5. stante probabilitate sententiæ oppositæ, adhuc nemini esse licitum celebrare antequam Missa solemnis incipiat. Quia ante illud tempus ab Ecclesia colitur memoria passionis Domini. Ita etiam Gavantus de rub. Missal. parte 4. tit. 10 de Sabbato sancto a n. 43. Sed novissimè noster Tamborinus de sacrif. Missæ lib. 1. c. 6. §. 1. n. 14 citans Lugon. de Euch. d. 20. sect. 1. n. 18. ait posse quempiam celebrare Missam privatam etiã summo mane, & etiam in templis publicis. Quia prohibitio, si qua fuit, usu timoratorum abrogata est.

Missa in sabbato Sancto.

1078 3. Difficultas est, an & quomodo liceat eadem die celebrare plures Missas? Nec jure naturali, nec divino prohibetur Sacerdos plures Missas facere eadem die, sed solo Ecclesiastico c. sufficit de consecr. d. 1. fundato in congruentia, quia semel tantum Christus mortuus est.

Sunt tamen nonnullæ exceptiones. Prima habetur cap. nocte sancta de consecr. dist. 1. ubi Telesphorus permittit in die Nativitatis Domini tres Missas celebrari. Secunda habetur cap. sufficit, ex quo colligit Gloss. ad cap. consuluisti, si quis prius celebravit, & postea contingat aliquem mori, posse eadem die iterum pro illo celebrare. Sed de hac necessitate inferiùs. Tertia exceptio fit ab Innocentio III. in cap. consilium, his verbis: Nisi causa necessitatis suadeat.

Missarũ multiplicitas eadem die.

Ut explicetur hujus necessitas Theologi numerant varios casus, ut videre est apud Henr. q. lib. 9. cap. 30 Navar. cap. 25. n. 87. Suarium disp. 8. sect. 3. & Palaum pun. 7. n. 8. 1. casus est, si parochus habeat duas parochiales Ecclesias, & non sit nisi ipse solus qui possit in utraque celebrare. Hunc ob manifestam necessitatem, & jus quod habent parochiani ad audiendam Missam in sua parochia, admittunt omnes, & Suar. d. 80. sect. 3. cui consentit Palaus n. 9. etiam satis probabiler extendit ad dies profestos. Et idem est, ut si parochus sit impeditus fiat, ex ipsius cõmissione per simplicẽ Sacerdotem. semper autem supponitur quod jejunus sit Missam celebraturus.

2. Casus est ob communicandum infirmum periculo mortis. Sed hic (ut notat Palaus n. 9.) vix potest contingere: nã si Sacerdos moneatur ante sumptionem hostiæ, debet reservare particulam

Infirmus cõmunicandus.

infirmo communicando: si moneatur post sumptionem, sumpta jam ablutione, non potest iterū celebrare utpote non jejunus. Verum si moneatur post sumptionem hostiæ nondum sumpta ablutione, probabile est posse iterum celebrare. Ita contra *Vasq 232.cap.5.circa finem*, tenent *Ægid.Bellan.q.83.a.2.dub.3.n.215.& Bonac.d.4. de sacram.q.ult.pun.7.n.10.*

1079 3.Casus, si dicta jam Missa superveniat aliqua illustris persona v.g. Episcopus, quæ velit Missam audire. Sic hic meritò ab omnibus rejicitur. 4.casus est superveniens multitudo peregrinorum die festo: item quando est talis frequentia populi ad festum concurrens, ut eam templum capere non possit. In utroque eventu posse iterari Missam ab eodem Sacerdote jejuno, dicunt *Navarrus conf.2.de celebr.Miss. Azor lib.10.c.24.q.6.§.sed quæres, Layman.lib.5.sum.tr.5.cap.4.n.6.* Eandem sententiam tenet *Palaus cit.n.9.* Ita limitans ut fidelium multitudo caritura sacro, ingens sit, ita ut non sufficiat numerus decem aut viginti fidelium. Sumitur ex *Epist 81. Leonis Pontificis ad Deoscor.c.2.* & aparitate vel similitudine parochi habentis duas parochias.

Missarū iteratio eadē die.

5.Casus est, si requiratur ad benedicendas nuptias, ne id fiat sine sacro, maximè si finiatur eo die tempus benedictionum. 6.casus est, ob defunctum sepeliendum, si ibi adsit consuetudo sepeliendi neminem absque sacro. Neuter tamen ab Authoribus admittitur. 7.casus est, si concurrāt duo officia eodem die, v.g. in quadragesima, in Rogationibus, in vigilia, & sit consuetudo in Ecclesia, ut una Missa de festo, altera de tempore dicatur. Hic videtur approbari ab *Alex.II.in cap.sufficit, de consec.d.1.* sed eo tempore quo dabatur mopia Sacerdotum, poterit sustineri: at nostro hoc tempore, nequaquam.

Observa cum *Suario disp.80.sect.3. ad finem Ægid, Bellan.q.83.a.2.dub.3.n.213. Layman. lib.5.sum. tr.5.c.4.n.6.* si detur porportionalis necessitas in casibus, quos admisimus, posse Sacerdotem eodē die celebrare non solum bis, sed etiam ter & quater. Dixi (proportionalis necessitas) quia (ut benè notat *Palaus n.11.*) causa gravior, & maior necessitas postulatur ad trinam, & quaternam, quā ad binam celebrationem.

1080 4.Difficultas est, qua hora liceat Missam celebrare? Naturalis dies, in quo semel tantum celebrare licet, a media nocte usque ad sequentem mediam noctem computatur. Dico 1. Initium auroræ est terminus, ante quem regulariter non licet Missam inchoare: at immediatè post licet. Ita *Suar.disp.80.sect. 4.* quem sequuntur Iuniores. Ratio sumitur ex consuetudine Ecclesiæ, & regulis Missalis: congruentia ex eo quòd homines ante illud tempus non sunt communiter dispositi ad tale opus, quod publicè & reverenter fieri debet. Nomen auroræ (inquit *Suar. cit*) ita moraliter accipi debet, ut non sit peccatū hora, & dimidia ante ortum solis celebrare: poterit ergo licitè Missa inchoari dimidia hora ante crepusculum. Ab hac regula fiunt nonnullæ exceptiones.

Naturalis dies qui.

Excipitur 1. Natalitium Domini, in quo statim post mediam noctem, ex concessione Telesphori, quæ refertur *cap.nocte sancta.ce consecrat.dist.1.* celebrari potest una tantum Missa: an omnes tres? *Navar.c.25.n.87.7 aliu.a §. 5. Armilla dicto 1. n.25. Sy vest.V. Missa 1.q.6. & Bonacina d.4.q.unic.p.9.n.5.* affirmant primam tantum celebrari posse, sic disponente rubrica Missalis. Dicendum tamē est cum *Suario citato, Vasq d.232.c.3 n.31 & Layman lib.5.sum.tr.5.cap.4.n.2.* posse celebrari omnes tres. Quia Pontifex cap. citato non restrinxit privilegium ad primam, sed absolutè affirmavit de tribus.

Missa in nata itio Domini.

Excipitur 2. casus necessitatis, v.g. quando necessaria est celebratio ad communicandum infirmum, quem casum admittunt *Vasq. d.232.c.3.n.3. Layman lib.5.sum.tr.5.c.4.assert.2.* Et idem est (inquit idem *Layman cit.n.3. ex Henr.lib.9 cap.24. n.5.*) si necessaria est celebratio Missæ quam populus peregrinationem initurus audire cupit dimidia vel una hora ante auroram. At ob specialem commoditatem nunquam licet.

Missa ante aurorā quando dici possit.

1081 Excipitur 3. si detur consuetudo rationabilis, & legitimè introducta, quam *Vasq. disp. 232.cap.3.n.29. Layman.lib.5.tr.5.c.4.n.3. & Bellan.q 83.a.2.dub. 4.* testantur dari in superiori Germania, Gallia, & Belgio, ut hyemali tempore tribus, vel quatuor horis ante Solis ortū celebretur Missa ne famuli & operari laboraturi excusentur ab illius auditione.

Excipitur 4. si detur dispensatio, quam juxta *Navarrum cap.25.n.85.* citatos Authores potest ex causa rationabili impendere Episcopus, v.g. ut ob cōmoditatē itineris ante aurorā celebretur.

Excipitur 5. si detur privilegium, quale habēt regulares celebrandi una hora ante auroram, & alia post meridiem, de quo *Emman. Roter.tom.1. quæst.regul.q.43.a.1.* & habetur incōp. privil. Soc. Iesu v. Missa n.3. Aliquod notat *Suar. disp.80.sec. 4.* cum privilegium ibi concedat anticipationem unius horæ, posse Missam inchoari tribus horis ante hortum Solis, cum sine privilegio possit duabus. Nam privilegium ita intelligendum est, ut detur anticipatio totius temporis in privilegio concessi ad totum tempus illud, in quo sine privilegio potest Missa legitimè dici. *Palaus verò n.13.* quia credit auroram solum durare per spatium unius horæ, & dimidiæ, ideo affirmat regulares solum posse anticipare ortum Solis per duas horas & dimidiam plus minùsve.

Anticipatio Missa ex privilegio.

1082 Dico 2. Missæ ante meridiem inchoari possunt ac debent. Ita *Vasq.d.232.cap. 4. Suar. disp.80.sect.4. Layman lib. 5 c.4.n.4. & Bonac.disp.4. de sacr.disp.ult.pun.9.n.6.* Habetur ex recepta consuetudine, quam approbat Pius V. sub pæna suspensionis ferendæ in Bulla quæ incipit *Sanctissimus in Christo Pater.* Ex quo patet improbabilem esse sententiam *Navarri cap.25 n.87. Viraldi Pitigiani*, & aliorum asserentiū posse Missam celebrari hora tertia post meridem absque scrupulo.

Meridianum tēpus ad Missam.

Quantum verò esse debeat tempus differendi celebra-

celebrationem post meridiem, ut peccetur lethaliter: recté affirmant *Bonacina dicto p.n.9.* & *Palaus n.14.* sufficere spatium unius horæ. Hæc resolutio juxta eundem Palaum ita debet intelligi, ut non procedat casu, quo post meridiem Missa solemnis & concio finiatur. Tunc enim solent dici Missæ privatæ, ne plures careant Missæ auditione. Addit *Palaus citatus* posse Sacerdotem jejunum inchoare Missam duabus vel tribus horis post meridem, maximé ex dispensatione Episcopi, si ibi adsit, ad communicandum in necessitate ægrotū, ad satisfaciendum populo, vel peregrinis accedētibus. Addunt *Suar.d.80 sect.4. & Laynan lib.5. sum.tr.5.cap.4.* Sacerdotem qui ratione itineris, vel alia de causa non potuit die festo meridie celebrare, posse hora post meridiem inchoare Missam ex consuetudine.

Missæ dilatio post meridiem

Denique *Suar. citatus ad finem sect.4.* bené resolvit intra prædictos terminos, nempe initium auroræ, & meridiem nullum tempus determinatū esse Missis privatis: Missam veró solemnem, quā diei vocant juxta varias consuetudines toto matutino tempore dici posse. Ratio est, quia nec cōsuetudo, nec constitutio Ecclesiastica oppositum suadet.

QUÆSTIO II.

Quo in loco possit ac debeat Missa celebrari?

1083. Certum est 1. sanctum & necessarium esse in Ecclesia Dei destinari publica loca, in quibus Deus singulariter colatur operibus religionis. Est de fide ex Concilijs, ex usu & antiquissima Ecclesiæ traditione. Certum est 2. finem præcipuum propter quem eriguntur templa, esse ut in eis Dei sacrificium offeratur: consequenter veró ut in eis Sacramenta ministrentur, & conveniant fideles ad orandum, & audiendum sacras conciones & lectiones: ut in eis sanctorum reliquiæ serventur, & fideles sepeliantur.

Templorū erectio.

Rogabis 1. utrum decens & utile sit templa solemni ritu dicari per consecrationem aut benedictionem? Adverte consecrationem apud Latinos, Theologos, & Canonistas idem esse atque solemnem Deo dicationem & sacrationem: in quo cum benedictione consentit: est tamen inter utranque discrimen, quòd consecratio maiorem solemnitatem præ se ferat quam benedictio, tum ratione personæ consecrantis, tum ratione modi & aliarum circunstātiarum. Sit igitur resolutio: consuetudo dicandi Deo templa per consecrationem & benedictionem, non solum est sancta erga Deum, sed etiam decens & utilis hominibus. Est omninó indubitata, & certa pud *Suar. disp.81. sect.2.* Ratio est, quia per talem dedicationem magis coercentur dæmones, & homines ad reverentiam excitantur: quod valde cedit in honorem Dei, & utilitatem hominum.

Consecratio & benedictio templi.

Rogabis 2. quis possit Ecclesias consecrare & benedicere? Bené cum *Barbosa 2.p.de pot. Episc.all. 27.n.1. & Bonac.de sacr.disp.4.q.ult.p.9.n.8.* respondetur, si loquamur de consecratione, solum Episcopum posse, ita ut neque simplici Sacerdoti committi valeat, nisi a Pontifice, ut habetur *cap. Nemo. de consec. dist.1. & cap. tua fraternitas, de consecrat.* ubi notatur posse fieri quolibet die tam festivo quàm feriali. Concessit autem *Honorius IV.* Minoribus, *Ioan.22.* Carmelitanis, & *Paulus 3.* nostris, ut si Episcopus illius diœcesis requisitum distulerit per quatuor menses petitam consecrationem, possit quicunque alius Episcopus cōsecrare.

Cōsecrare templa quis possit.

1084 Si loquamur de benedictione, hæc Sacerdoti simplici cōmitti potest: & de facto Leo X. concessit Minoribus, ut possent ad suum tantum usum benedicere suas Ecclesias, oratoria, & cæmeteria: & hoc privilegio Societatis Iesu Superiores juxta nostri Generalis præscriptum utuntur casu quo abessent Ordinarij, aut ægre cō cederent benedictionem, ut habetur in compēd. privileg. Societ. V. Benedicere §.2. vide *Tamburinū de Missa lib.1.cap.4.§.3.*

Rogabis 3. utrum Sacerdos teneatur sub gravi culpa non offerre hoc sacrificium nisi in loco sacro? Negant *Emmanuel Sà V. Missa n.20. Sotus in 4 d.13.q.2.a.3. & Ludov. Lopes Instruct. conf. tom. 2. cap. 79.* dicentes secluso scandalo & contemptu non peccare lethaliter qui celebrat extra locum ab Episcopo deputato. Oppositum tamen dicendū est cum *Vasq.d.233.c.1. Sanch.lib.9.de Matr.d.15. n. 24. & 36. & Suar.d.81.sec.3.* Desumitur ex *cap. Nullus presbyter de consec.d.1.* ubi præcipitur sub pæna suspensionis ferendæ, ut nullus presbyter celebret extra Ecclesiam seu locum sacrum ad hoc peculiariter deputatum. Olim hoc decretum (ut notat *Suar. citatus*) intelligebatur de rigorosa cōsecratione: usus tamen jam obtinuit, ut jure ordinario & communi sufficiat Ecclesia benedicta, quæ si fundetur authoritate Papæ, vel Episcopi gaudet ad ministranda sacramenta iisdem privilegijs, quibus consecrata: semper tamen requiritur quód altare sit consecratum.

Missæ celebratio extra locū sacrū.

Ab hac generali doctrina excipitur 1. casus necessitatis, qua data potest quis juxta *cap. Sicut de consecr dist.1.* celebrare extra locum sacrum, etiā sub dio. Sufficiens necessitas (inquit *Suar. cit.*) datur in bello, vel longo itinere, si desit Ecclesia: item quando parvum templum non potest capere magnum populum. Facultas semper ab Episcopo petenda est, si commodé peti possit, aliter sufficiet necessitas. Super mare & flumen celebrari non potest, etiam titulo necessitatis ob periculū effusionis sanguinis. Quid si cesset periculum? dicemus infra n.1086. Addit *Palaus p.8.n.4. ex Laymano & Vasquio* posse celebrari in littore maris, ut navigantes non valentes navem deserere, Missam audiant. Dicta procedunt, si adsit altare portatile, & reliqua necessaria. Vide *Tamburinum de Missa lib.1. cap.4.n.3. & 4.*

Necessitas excusans a celebrando in loco sacro.

1085 Excipitur 2. casus dispensationis. Nam ex *cap. Missarum de consecr.* tradunt Doctores posse Episcopum dispensare, ut celebretur Missa in loco nec consecrato, nec benedicto. Debet tamen adesse legitima causa, quæ est necessitas etiam dubia, & non sufficiens ad celebrandum propria authoritate. Nec *Trident. sess.22. decreto de observan.*

dispensatio ut Missa fiat in loco non sacro.

& vitam in celeb. Miss. hanc Ordinarijs abstulit, aût restrinxit potestatem. Quia (ut ait Palaus n.5.) in eo decreto non fuit sermo de potestate dispensandi una vel altera vice, sed de ordinaria potestate concedendi facultatem liberam celebrandi in loco destinato prophanis usibus. Imò nec abstulit potestatem concessam Episcopis *cap. ult. de privil. in 6.* ut tam ipsi quam quilibet Sacerdos causa ipsorum, possint liberè celebrare extra Ecclesiã, & sub dio.

Excipitur 3. casus privilegij Apostolici: nam quidquid sit de revocatione facta per Tridentinum, de qua *Palaus tr. 22. pun. 8. n. 8. & Tambur. de Missa. lib. 1. cap. 4. a n. 7.* possunt regulares mendicantes ex privilegio concesso per *Paulum III. & Gregorium XIII.* religiosis Societatis Iesu in missionibus uti altari portatili, ubique gentium, ibique Eucharistiam ministrare: deinde in suis domibus in privato Oratorio a Provinciali approbato, a quibuscunque Sacerdotibus etiam sæcularibus Missæ dici sine alia Episcopi approbatione. Ita *Suar. disp. 81. sec. 3. & Palaus n. 9.* a quo infertur neminem e Societate celebrare extra Ecclesiam & prædicta oratoria posse nisi ex licentia Provincialis, quam ipse concedere non valet nisi occasione missionum. De oratorijs in domibus privatis ex licentia Pontificis agit noster *Tambur. de sacrif. Missa lib. 1. c. 3. §. 4.* ubi late exponit Breve Pontificium pro illis concedi solitum.

Altare portatile.

Oratoria privata.

1086 Dubium est an possit celebrari in mari aut flumine, vel authoritate propria ob necessitatem, vel ex dispensatione Episcopi, vel ex privilegio Pontificis concedentis altare portatile in missionibus? Negant *Suar. d. 81. sec. 3. Bellan. q. 83. a. 3. dub. 1. Vasq. d. 233. c. 1. n. 4. & Bonacina disp. 4. q. ult. p. 9. n. 12.* & est communis doctrina. Quia regulariter ob agitationem navis datur periculũ effundendi sanguinis.

Nihilominus affirmant, multis citatis *Henriq. cap. 27. Scortia lib. 2. cap. 13. Graffis 1. p. decis. lib. 2. cap 42. n. 10. Layman lib. 5. tr. 5. cap. 5. n. 4. Palaus n. 10.* asserentes valde probabile esse stante mari tranquillo posse in navibus indicis, & similibus celebrari, sicut in terra. Quia tunc potest adesse decẽtia, & abesse effusionis periculum. Ita tenet *Fagun. in 1. Eccl. prac. lib. 3. cap. 10. n. 14. & 15.* ubi testatur a *Clem. 8. & Paulo 5.* permissum esse Ita etiam *Tãbur. de Missa lib. 1. c. 4 n. 4.* ubi citat *Card. de Lugo.*

Missæ celebratio in mari.

Rogabis 4. utrum liceat celebrare in Ecclesia violata, seu polluta antequám reconcilietur? Negativa sententia indubitata est apud *Navarr. sum. cap. 25. n. 256. Suar. d. 81. sect. 4. Azorium lib. 10. cap. 26. q. 3. Sylvest. V. consecrat. 1. q. 9. & Barbosam alleg. 28. n. 54.* asserentes esse peccatum lethale celebrare in Ecclesia polluta. Sumitur ex toto tit. de consecr. Eccl. Verùm nulla pæna ipso jure incurritur: & hoc satis indicatur in *cap. Is qui de sent. excom. in 6.*

Missa in Ecclesia polluta.

Quid si contingat pollutio, seu violatio tempore quo sacerdos Missam peragit? Conveniunt cum *Suario citato Ægid. Bellan. dub. 1. n. 236. Layman lib. 5. tr. 5. vers. addendum quarto,* & *Palaus p. 8. n. 11.* si sacerdos jam incepit canonem, posse, & debere Missam absolvere absque ulla interruptione, & non expectata reconciliatione: si verò nõdũ inchoavit canonẽ & interim evenit pollutio, debere vel recõciliationẽ expectare, vel Missam omittere. Addit *Marchinus de Missa p. 3. c. 10. n. 2.* posse Episcopum ex causa dare facultatem ut fiat Missa in Ecclesia polluta, v. g. si esset unica, & populus careret sacro per longum tempus. Imo absque facultate Episcopi, si hic adiri non potest, ut fit in Anglia & Germania quando violatur per sepulturam hæretici. Si quæres quibus actionibus, & quomodo violetur Ecclesia, seu locus sacri, & quid veniat illius nominẽ? Iam diximus num. 66.

Pollutio Ecclesiæ.

1087 Rogabis 5. a quo, & quomodo fieri debeat reconciliatio Ecclesiæ? Notandum est ita ri discrimen inter consecrationem & benedictionem, ut detur resolutio, & intelligatur. Si igitur Ecclesia consecrata sit, non est audiendus Sà V. *Ecclesia* affirmans posse ex commissione Episcopi per presbyterũm reconciliari: sed tenendum est quod docent *Azor. 2. p. lib. 9. cap. 5 q. 5. Layman lib. 5. sum. tr. 5. c. 5 n. 12. & Barb. 2. p. all. 28. n. 55.* Nempe solum Episcopum posse reconciliare, aqua ab ipso vel alio Episcopo benedicta, vino & cinere admixta, prout in Romano Pontificali habetur. Hanc veró potestatẽ non ipse, sed solus Sum. Põtifex simplici Sacerdoti demandare potest juxta *cap. proposuisti; & cap. aqua, de consec. Eccles.*

Reconciliatio Ecclesiæ pollutæ.

Quid de Prælatis regularibus? Ex concessione Leonis X. facta Minoribus possunt Ecclesias quacunque ex causa violatas reconciliare aqua per Episcopum benedicta, quam ipsi possunt benedicere, si Episcopus distet per duas diætas, scilicet per quatuordecim leucas. Vide *Palaum n. 14.*

Si Ecclesia benedicta tantum sit, recte Henr. Layman, & Barb. supra citati resolvunt ex *Glos. in cap. si Eccles. de consec. Eccles. V. lavetur,* posse recõciliari per simplicem Sacerdotem, sola aspersione aquæ benedictæ, & orationibus ab Ecclesia institutis, quæ habentur in Manuali Romano. Nec requiritur quód illa aqua sit benedicta ab Episcopo, cũ sufficiat ab ipsomet Sacerdote benedici.

1088 Quid si in Ecclesia violata peragatur sacrum, sive bona, sive mala fide? *Sà V. Ecclesia n. 19. & Castro lib. 2. de lege penal n. 9.* Affirmant manere reconciliatam: idque probabile dicit *Avila de cens. p. 5. disp 7. dub. 3.* Probant, quia reconciliatio illa consistit in quadam purificatione: nulla autẽ maior purificatio excogitari potest, quã ea quæ ex tãto sacrificio cõsurgit. Negandũ tamẽ est cũ *Navar. cap. 27. n. 256. Azorio to. 1. lib. 10. cap. 26. q. 13. & Layman. lib. 5. tr. 5. cap. 5. §. Addendum.* Ratio est, quia sicut consecratio ita reconciliatio Ecclesiæ sunt statuta jure positivo: sed nullibi per jus aliquod positivum decernitur sacrificium succedere loco reconciliationis; ergo &c.

Missa ad reconciliandam Ecclesiam.

Rogabis 6. quando censeatur Ecclesia perdere consecrationem vel benedictionem, ut iterum debeat consecrari, vel benedici? Prænotanda est diver-

Consecrationis vel benedictionis amissio.

diversitas inter consecrationem & benedictionem in ordine ad Ecclesiam: nam consecratio nõ tam pavimento quam parietibus inhæret: econtra benedictio non tam inhæret parietibus, quàm pavimento. Disparitas est, quia quando templum consecratur, parietes, quibus figi solent cruces, sacro oleo liniuntur: quando veró benedicitur, pavimentū aqua benedicta aspergitur.

Templi destructio. Ex quo discrimine fit, juxta *Suar. d. 8. sec. 4. casu 6. & Laymanum lib. 5. sum. tr. 5. cap. 5. n. 15.* si parietes corruant, vel interius decrustentur, templum deperdere consecrationem, ut sumitur ex *cap. Ecclesijs de consec. dist. 1.* At benedictio non amittitur parietibus destructis. Quod intelligendum est (ut ait *Palaus p. 8. n. 15.*) modò authoritate superioris destructum non sit cum spe proximæ reædificationis.

1089 Si autem parietes perseverent tecto corruente, vel combusto, adhuc censetur manere Ecclesia. *Cap. ligneis de consec. Eccl.* ut duret consecratio. Imo si parietes non corruant insimul, sed successivé, ita ut detur illorum successiva reparatio, censetur idem templum moraliter permanere, ut non amittat consecrationem proindeque nova consecratione non indigeat. Vide Palaum num. 25.

QUÆSTIO III.

In quo Altari debeat Missa celebrari.

AD celebrandam Missam semper fuisse necessarium altare, rectè contra hæreticos ostendit *Bellarm. to. 2. lib. 1. de Missa c. 16.* ex quo celebrantem absque altari gravissimū peccatum committere, benè docet *Palaus tr. 22 pun. 9. n. 1.* ubi notat duplex esse altare, aliud fixum, aliud portatile. Fixum juxta *Suar. disp. 81. sec. 5.* dici solet mēsa altaris, & est totus ille integer lapis qui super ædificatus alijs lapidibus consecratur: & ideo fixum appellatur, quia semper eodem loco perseverat. Portatile, quod vulgo aram dicunt, Lusitané *Pedra d'ara*, ita factum est ut ex uno in alium locum portari possit.

Altare duplex.

Portatile altare.

Quodcunque ex dictis altaribus sufficit ad Missam celebrandam, etiam portatile absque privilegio intra Ecclesiam. Privilegium autem *cap. ult. de privil. in 6.* concessum Episcopis (ut docet *Vasq. disp. 233. cap. 2. n. 10.*) ut utantur altari portatili, non limitatur ad Ecclesiam (hoc enim jure communi omnibus datum est) sed ut possint extra Ecclesiam, quocunque decenti loco in eo altari celebrare Missam.

1090 Utrumque dictum altare, qua parte Christi Corpus & Sanguinem potest contingere, ac proinde capaci ad recipiendum pedem calicis, & patenam, super extensum corporale, lapideum esse debet: nempe ob firmitatem, ut habetur *cap. altaria de consec. dist. 1.* Solus enim Summus Pontifex ob reservationem sibi factam celebrare potest in illo altari ligneo, in quo S. Petrus obtulit. Insuper debet esse unicus integer lapis, & non coalescere, ex duplici *Tambur. lib. 1. cap. 5. §. 1. num 6.*

Rogabis 1. an, & quam consecrationem postulet altare. Debere altare consecratum esse ab Episcopo, sumitur ex *cap. altaria de consecrat. dist. 1.* ut ex *Suario & Fagundio tenet Marchinus de sacrificio Missæ par 3. cap. 12. n. 2.* Ex commissione tamen Pōtificis pōtest simplex Sacerdos consecrare altare, in quo Missa celebretur. Unde *Paulus 3.* anno 1549. religiosis Societatis Iesu Sacerdotibus, qui degunt in remotissimis partibus, ubi catholicus Episcopus non facile potest inveniri, concessit facultatem consecrandi altaria. Eandem concessit Minoribus Honorius 3. Celebrare autem absque altari lapideo legitimé consecrato lethale esse rectè docent *Suar. disp. 81. sect. 5. & Vasq. d. 233. cap. 2. n. 12.* Addit *Suar cit.* Solum S. Pontificem ex gravi causa, quæ moraliter nunquam occurret dispensare posse, ut Missa in altari non consecrato offeratur.

Altaris consecratio per Episcopum.

Rogabis 2. utrum altare consecratum, præcipué si fixum sit, debeat habere in se inclusas aliquorum Sanctorum reliquias? Affirmant *S. lvest. V. altare q. 1. Azor tom. 1. lib. 10. cap. 27. q. 8. & Scortia lib. 2 c. 14.* Probant ex verbis Sacerdotis accedentis ad altare, & orantis per merita Sanctorū, quorum reliquiæ in eo sunt.

Reliquiæ inclusæ in altari.

Dicendum tamen est cum *Suario, & Vasquio* proximé citatis, quibus subscribunt *Ægid. Bellan. q. 83. a. 3. dub. 2. n. 241. & Layman lib. 5. sum. tr. 5. c. 5. n. 8.* quanvis id valde honestum, & decens sit, non postulari ex præcepto. Quod bené probat Palaus n. 5. respondendo ad textus pro contraria parte allatos, ubi addit, si quod præceptum unquam extitit, jam esse abrogatum consuetudine opposita.

1091 Rogabis 3. quando amittat cōsecrationē altare sive fixum, sive portatile? Existimant Canonistæ cum *Barbosa de pot. Ep sc. p. all. 27. n. 25.* quibus adhærent *Sylvest. V. altare q. 8. & Bonac. disp. 4. q. ult. p. 9. n. 15.* altare amittere consecrationem, si sigillum, aut loculus reliquias continens frangatur, aut moveatur. Hoc probant ex *cap. 1. & cap. ligneis, de consec. altar.* rectiús tamen id negant *Ægid. Bellan. q. 83. a. 3. dub. 2. n. 240. & Palaus p. 9. n. 6.* dicentes ex citato textu non colligi altare execrari fractione aut motione sigilli reliquias continentis, sed solum fractione, seu diminutione lapidis super positi sigillo, quod longe diversum est.

Altare quando perdat cōsecrationem.

Conveniunt autem *Vasq. d. 233. cap. 2. n. 12. Suar d. 81. sect. 5. Bonacina d. 4. de sacr. q. un. pun. 9. n. 15. & Barbos. alleg. 27. n. 25.* altare tam fixum quam portatile consecrationem perdere si ita frangatur aut diminuatur, aut pars integra remanens calicem cum patena comodè nequeat continere: secus ex opposito. Si verò dubitetur, an fractura illa, seu diminutio impediat sufficientem calicis & pateræ continentiam, solus Episcopus judicare potest.

Unde quanvis *Henriq. lib. 9. cap. 28. n. 1. com. lib. B. Barbos. alleg. 27. n. 26. & Bonac. pun. 9. n. 15.* existiment amitti consecrationem, si frangantur aut diminuantur cornua altaris, tametsi pars remanens possit commòdé calicem & patenam recipere: ex eo quia in illis partibus fit sacra unctio tamen

men *Layman l.5.summa tr.5.c.6.n.6.* rectiùs sentit oppositum. Quia licet in illis partibus fiat sacra unctio, at tota ara ex illa unctione consecrata redditur. Addit *Tambur.lib.1.c.5.§.1.n.10.* si altare portatile consecratum sit valde latum, posse dividi in plura capacia, quæ retineant consecrationem, & inserviant simul varijs Missis.

Consecrationis altaris amissio. 1092 Ut altare fixum (inquit *Suar. disp. 81. sec.5.*) amittat consecrationem, satis est quod tota structura dissolvatur, etiamsi lapis superior integer maneat. Sic statutum est *cap. ligneis, & cap. ad hæc, de consecr.* Quia (ut ait Gloss. in cit. *cap. ad hæc*) altare fixum, ut fixum, & stabile perseveret, consecratur. At non amittet consecrationem, si tota structura, omninò cum eadem compositione ab uno in alium locum Ecclesiæ mutetur. Item quâ do priús consecratur mensa, & postmodum structæ superponitur. Quia tunc consecratio residet in sola mensa, & non in structuosa.

Altaris locus. Notabis 1. cum citatis authoribus posse evenire ut amittat suam consecrationem Ecclesia, & altare retineat suam, e contra suam amittat altare, & Ecclesia suam retineat: secus dicendum de pollutione: nam polluto per effusionem sanguinis vel seminis altari, manet polluta Ecclesia, & hac polluta, manet pollutum altare.

Notabis 2. cum eisdem authoribus contra Paludanum & Angelum, quanvis altare portatile separetur a lignea capsula cui includitur, nō amittet cōsecrationē: quia talis capsula nō illi apponitur pro forma sed solū ad ornatum & custodiam. Notabis 3. cū Suario citato fuisse olim consuetudinem, ut altare maius in templis ad orientem respiceret: modò non ex præcepto, sed ex decentia servari debere, quando cōmodè possit. Notabis 4. præceptum *cap. ult. de consec. dist. 2.* ne presbyter celebret eadem die in altari in quo Episcopus Missam cantavit, jam usu contrario evanuisse, ut testatur *Layman lib.5. tr.5. cap. 6. n. 10. & Lazana V. Altare n.13.*

QUÆSTIO IV.

Qualiter ornari debeat altare sacris vestibus, & vasis: & qualiter Sacerdos ad celebrandum?

1093 DUas præsens quæstio continet partes, alteram de ornatu & præparatione altaris, alteram de ornatu & præparatione Sacerdotis celebraturi. Quoad priorem partē, seu ornatum altaris, rogabis 1. quæ sint sacræ vestes, quibus altare ornari debeat? Quanvis in *cap. si per negligentiam, de cons ecr. dist. 2.* fiat mentio de quatuor linteis, quibus altare ornari præcipitur, tamen juxta *Palaum pun. 10. n. 1.* consuetudine præscri, tum est ut tria sufficiant, duplex non benedictum, & unum benedictum. Unde ex *Azorio p.1. lib. 10 cap. 28. q.8. & Layman tr.5. c.6. n.11.* statuit ex decentia integram mensam altaris esse cooperiendam mundo linteo: ex necessitate solam eam altaris partem, quæ vocatur ara duplici linteo, vel uno duplicato, quæ non oportet esse benedicta: quidquid in oppositum tradat *Lugo de Euch. d. 20. sect. 2. n. 76.* quinimo (addit) in necessitate profana esse posse, & ea postmodum utenda, domino reddi. Super hæc lintea pallam benedictam seu consecratam t Episcopo quæ vulgo appellatur corporale, necessariò apponendam esse monet.

Altaris ornatus.

Corporale linteū. Addit *Suarius d. 81. sect. 6.* consecrationem lintei corporalis, cum fiat sine chrismate per benedictionem simplicem, quanvis fiat ab Episcopo, interdum committi simplici sacerdoti: & multos prælatos religionum ad id habere privilegium. Qua limitatione illud habeant prælati Societatis, videatur compendium v. *Benedicere* §.3. videatur etiam noster Thom. Tamborinus in methodo celeb. Missam lib. 1. cap. 3. §. 2. n. 7. Durat (inquit) consecratio, quamdiu durat integrum corporale, absque notabili ruptione. Sacrificare sine corporali, mortale est: item sine utraque palla nō benedicta: alteram ex necessitate omittere sine contemptu fortassis mortale non erit.

Palla triplex in altari.

Insuper eodem præcepto requiritur alia palla, similiter benedicta, quam parvam, & filiolam vocant, ut cooperiatur calix; quæ non ex serico neque ex textili auro, quoad interiorem partem, quæ calicem tangit, esse debet, sed ex lino. Sine hac Missam dicere, grave peccatum esse nisi corporalia ita sint oblōga, ut possint calicem cooperire, docet *Suar. cit. sect. 6. §. 2.* Dictis linteis adde purificatorium, vulgo *sanguinbos*, quo purificatur calix sumpto sanguine & lotione, proindeque esse debet benedictum, sed non ex necessitate, cū non attingat immediaté sacramentales species, neque (ut testatur *Palaus p. 10. n. 2.*) benedictio illius alicubi præcipiatur.

Purificatorium linteum.

1094 Omnia prædicta lintea, & paramenta altaris debere esse munda, ne ingerant horrorem, & gignant scandalum, sicut vestimēta Sacerdotalia, de quibus infra, arg. *cap. relinqui, de custod. Euch.* benè relatis pluribus tradit *Bonacina disp. 4. q. ult. pun. 9. n. 24.* Aliter (inquit *Palaus n. 2.*) peccabit graviter sacerdos contra reverentiam tāto sacramento debitam.

Mundities in paramētis altaris.

Dubium est, an dicta paramenta quæ jubentur fieri ex lino, possint fieri ex canape, vel ex gossipio? Quod possint fieri ex canabe, affirmant *Layman lib.5 tr.5. cap.6. n.12.* & pro comperto habet *Tambur. de Missa lib.1. cap.5. §.3. n.3.* Maior est difficultas de gossipio, & certè *Azor p.1. lib. 10. c. 28. q.8.* existimat posse adducta authoritate *Plinius lib.19. cap.1.* referentis gossipium inter lini species. Acquiescit cit. *Tamb. n.4.*

Rogabis 2. quæ sint sacra vasa ad ornatum altaris spectantia; in quibus sacrificium Missæ offerri debeat? Respondet *Suar. d. 81. sec. 7. ex cap. vasa de consec. dist. 2.* cui communiter annuunt recentiores, omninò requiri calicem & patenam ex debita materia cōfecta, & consecrata. Materia (inquit) esse debet aurum, argentum, vel saltem stannum: nec sufficit plumbum. Reliquæ materiæ prohibētur. v.g. lignum, quia porosum: æs, ferrum, aurichalcum, quia æruginosum: vitrum, quia fragile. Idem est de lapide juxta *Palaum pun. 10. n. 6.* Plumbum reputatur pro stanno ab *Emman. Sà V. Missa n.8.* rectiùs tamen id negant *Vasq. d. 233. c. 4. n. 30. & Layman lib.5. sum. tr. 5. c. 6. n. 12.* Nam plumbum

Vasa sacra altaris.

Calix patena.

plumbum nigrescit facilè, contrahit sordes, provocat ad vomitum.

1095 Illud rectè notant *Vasq d.233. cap 4. n.30. Henr q.cap.28.n.2.& Layman lib.5.tr.5.cap.6. n.12.* quæ diximus circa calicem, intelligenda esse de cuppa; nam pes ex ære, ferro, aliave solida materia confici potest. Hoc probabile, & si non cōsulendum judicat *Suarius citatus.* In his consentit *Gavantus p.2.in rub.Miss.d. tit.1.* satis versatus in rubricis & cæremonijs. Unde parum refert, quòd *Hurt.de Missa disp.4.diff.10.* repugnet quoad stannum: & quod *Lugo de Euch.disp.20 sect.6.n.90.* videtur approbare praxim Romanam: dicit enim Romæ inveniri innumeros calices & patenas ex ære, seu cupro inaurato, ex stanno autem nullos.

Pyxis Eucharistiæ. Dubium est, an pyxis in qua reponitur sacramentum esse debeat ex certa materia, & consecrata? Respondeo cum *Palao cit.n.7.* quanvis materia pyxidis nullibi reperiatur statuta, expedire tamen, ut sit aurea, argentea, vel saltem stannea, ut monuit *Vasq.disp.233.cap.4.n.36.* Deinde quanvis non requiratur ex necessitate quòd sit consecrata vel benedicta, cum nullibi caveatur, decere tamen maxime benedictam esse.

Lucerna seu lumē in sacrificio. Rogabis 3. sint ne alia requisita in altari reponenda pro celebratione? Respondeo affirmativè. Imprimis postulatur lucerna ad sacrificium, sine qua Missam celebrare peccatum lethale esse, rectè authores colligunt ex *cap.ult.de celeb. Missar.* sufficit tamen lucerna unica, quanvis deceat esse plures. Nec obstat *Trident.sess.22. decret. de obser.in celeb.Miss.* ubi prohibet certum candelarum numerum. Quia intelligitur de numero ob superstitionem apposito. Quando candela cerea haberi non possit, *Suar.sec.6.* non damnat peccati mortalis eum qui ex oleo adhiberet, secluso scandalo. Quinimo. *Tolet lib.2.sum.c.2.n.14. Azor to.1. lib.10.cap.28.q.15. Layman c.6.n.17.& Bonac. d.4. de sacram.q.un p.9.n.31.* excusant a peccato eum qui adhiberet sebaceam: sed nullo modo adhibenda est. Candelas ex cera communi, scilicet non candida, sed flava, quæ luctum indicet, debere esse in exequijs defunctorum, ex cærem.Episc.lib.2.cap.11. tradit Gavantus p.2. tit.13.n.3. & hujusmodi faces, seu candelas fuisse in exequijs B. Virginis Deiparæ testatur Nicephorus lib. 2.n.22.

Missale in altari. 1096. Insuper postulatur non ex jure scripto, sed consuetudinario per rubricas approbato liber Missalis in quo saltem canon integer contineatur: & *Henr.cap.2.n.7 Bonacina d.4.& sacr. q. ult p.9.n.3.* censent esse peccatum grave sine Missali celebrare, etiam si Sacerdos canonem & alia dicenda memoria retineat. Quod approbat *Suar.d.81.sec.6.* & solum excusat, si forte detur magna necessitas. Palaus p.10.n.4. dicit non videri improbabile excusari ab illo peccato sacerdotem, si

Casus ad Missam. per experientiam comperit non committere errorem, etiam si omnia memoriter recitet. *Vasq.d.233.c.3.fine* cōcludit talē quāvis sit potētia vidēdi adeo debilis, ut legere nō possit, si tamē possit hostiā tractare debita reverētia, non esse excludendum a sacrificio, expedire tamen ut habeat præsentem librum. *Tamburinus de Missa lib.1.cap 5. §.5.n.2.* narrat, & probat quod fecerunt in loco eremo tres Sacerdotes, ubi per aliquot dies celebrarunt sine Missali sed solo canone, & Missas Deiparæ manuscriptas, quæ prout unusquisque habebat in memoria scribēda prius dictaverat.

Crux in altari. Denique requiritur ad ornatum altaris, quòd sit in eo crux. Hæc postulatur a regulis & rubricis Missalis, & ponenda in altari supponitur in cæremonijs & ritibus Missæ. Addit juxta *Suar. disp.81.sect.6.§. quinto,* quem sequuntur *Layman lib.5.sum.tr.5.c.6.n.12.vers.8.& Bonac.d.4.q.ult.p.9. n.30.* omissio illius non est gravis culpa ob levitatem materiæ. Concludit *Suar.cit.sect.6.* in fine

Templorū ornatus. adhibere maiorem templorū ornatum simpliciter necessarium non esse, quanvis ad pietatem spectet.

Vestes sacræ in Missa. Quoad posteriorem quæstionis partem de ornatu, & vestibus sacerdotis celebraturi, quæritur an Sacerdos convenienter Missam celebret inclusus sacris vestibus, & qualibus? Respondeo cum *Navarro c.25.num.84. Vasq.disp.233.in fin Suario d.82.sec.2.& 3.& Bonacina d.4.de sacr. q.ult.p.9.n.26.* convenienter pro Missa celebranda postulari, & ab Ecclesia decerni particulares vestes ab Episcopo, vel ab alio potestatem habente benedictas. Declaratur in sex vestibus præcipuis, quas numerat *Concil.Rhen.cap.4.* scilicet Amictum, Albam, Cingulum, Manipulum, Stolam alio nomine Orarium, & Casulam, alio nomine Planetam: in quibus optima connexio, & significatio reperitur. Quod paramenta altaris, celebrantis, & ministrorum debeant esse coloris convenientis officio, & Missæ diei juxta aliquam ex quinque coloribus, albo, rubeo, viridi, violaceo, & nigro, habetur Rub. Missalis 18. quam exornat Gavantus part.1. tit.18.n.1. *Color paramentorum.*

Vestium sacrarum omissio. 1097 Rectè docent citati authores sacerdotem peccare mortaliter si Missam celebret sine aliqua ex sex vestibus numeratis: item si cum aliqua non benedicta. Nam violaret præceptum in re gravi inductum ex universali Ecclesiæ consuetudine. Omitterer (inquit *Suar.cit.sec.3*) omnes vestes etiam propter mortis periculum non licet. Omittere unam vel alteram in casu necessitatis, præsertim ex minoribus, ut Stolam vel cingulū, viri graves censent non esse mortale. Significatio mystica harum vestium bene colligitur ex orationibus, quas Sacerdos dum se induit, recitare debet: an ex gravi culpa? Affirmat *Azor p.1.lib.10.cap.29.q.5.* Mitius & rectiùs negant *Layman lib.5.tr.5.c.6.n.12.& Bonac.d.4.de sac.q.ult.p.9.n.32.*

Ex *Suario sec.2. Sa & Azorio* monet *Palaus p.10. n.8.* sacerdotem uti posse Stola pro manipulo, aut cingulo, aut manipulo pro Stola, si habeat debitam longitudinē quæ possit humeros cooperire. Addit has vestes, si duplices sint, idest ex parte interiori & exteriori, singulas manere benedictas, si separentur. Quia in utranque cedidit benedictio.

Sacerdos (ut monet *Suar.d.82.sec.3.fine*) tenetur

ex

ex decentia accedere ad altare calceatus,& decē-ter vestitus,ut sacris vestibus superinduatur: deinde capite discooperto,& sine baculo.Celebrare capite cooperto non licet absque dispensatione, nisi gravi urgente necessitate semel aut iterum, quando dispensatio facile obtineri non potest. Addit *Laym.lib.5.sum.tr.5.c.6.n.16.*nullam esse culpam,absque calceis celebrare in necessitate occurrente. *Vasq.d.233.c.4.*affirmat, & probat ex *cap. nullus Episcopus de consec.*non esse opus licentia Episcopi ut Sacerdos in casu necessitatis celebret velato capite:& narrat in Polonia omnes sacerdotes etiam religiosos hyemali tempore usque ad consecrationem velato capite adesse.

Vestitus decens,& calceus in celebrante.

1098 Quid de ministro ,qui sacerdoti celebranti assistat,& respondeat? Quanvis in *cap.hoc quoque de consec.*postulentur duo ministri,qui assistant celebranti,hoc videtur intelligi in Missis solemnibus:nam in privatis sufficere unum. & requiri sub gravi culpa,satis constat ex *cap.proposuit, de filijs presbyt.Sá v. Missa n.18. Sotus dist. 13.q.2.a. 5.ad 12.& Azor.lib.10.c.29.q.3.*censet posse celebrari absque ministro, si urgeat necessitas v.g. communicandi infirmum, vel audiendi sacrum die festo.Et forte(inquit *Palaus n.11.*hac probabili opinione nititur Belgica consuetudo,ut Sacerdotes præsertim in pagis absque ministro celebrent.Ipse tamen bené judicat probabilius oppositum, & omninò certum in nullo casu fæminam adhibendam esse. Aliud est de monialibus,quæ sacerdoti canenti respondent in choro.

Minister sacrificāti assistēs.

Circa prædicta dubium est 1. quando censeantur a mittere consecrationem vel benedictionem sacræ vestes,& sacra vasa? Iuxta omnes citatos authores generalis & certa resolutio comprehēdens omnes vestes,& omnia vasa,ita habet.Quoties prædicta formam ab Ecclesia præscriptam amittant,ita ut reddantur inutilia suo muneri, seu usui,execrantur,idest perdunt consecrationē, vel benedictionem:possunt autem inutilia reddi additione,diminutione, vel ruptione.

Consecrationis vel benedictionis amissio.

Patebit hæc generalis resolutio, si ad singula descendamus.Imprimis amittent benedictionem corporalia,si ita decrescant,ut calicem cum patena nequeant continere:item alba, si ab ea abscindatur manica:cingulum,si rumpatur, ut neutra pars sacerdotem possit cingere: stola si nequeat operire sacerdotis humeros: & sic ,de amictu, manipulo,& casula. Eadem ratione loquendū est de sacris vasibus calice & patena.

1099 Calix & patena consecrationē amittent per fractionem,qua reddantur inepta. Unde quando calix(inquit *Suar.disp.81.sec.7.*) habet pedē ita fixū,ut sine fractione separari nequeat a cuppa,per separationē amittit cōsecrationē:secus si tornatilis sit,& pessine fractione separetur.Idē procedit de fractione patenæ,quæ reddatur inepta ad continendam hostiam.Quid de amissione inaurationis? Bene respondet citatus *Suarius* tunc amitti,& denuo consecrationem esse faciendam quando interior pars calicis, & illa superficies patenæ,in qua recipitur corpus Christi denuo inauratur:nō verò quādo amittūt inaurationē.Quid,&ti probabiliter,contra priorē partē sentiūt *Ægid.Bc.lan q.83.a.3.dub.3.n 246.Sá v. calix n.2. Selva de ben.1.p.q.n.5.99.*

Quanvis non sit omninó certum (concludit *Suar.sect.7.*)consecrari debere reliqua vasa, quæ immediate tangunt Corpus,vel Sanguinē Christi,ut pyxides & fistula per quam Summus Pontifex sanguinem attrahit,tamen id securius & cōsulendum est.

Pyxis & fistula.

Dubium est 2. quis cultus præsertim in tangendo sacris aris, vasis & ornamentis haberi debeat?Bené hoc dubium tractant & resolvunt *Layman.lib.5.sum.tr.cap.6.n.6.Bonacina d.4.de sacr.q.ult pun.9.*Barbosa de pot.Episc.alleg.27.n.40. & Palaus p.10.n.13.Sed quia omnes hauserunt a magno fonte Suario disp.8.sect.8. quod hic ibidem laté dicit,mitto in compendium, exceptis attinentibus ad immunitatem, seu reverentiam debitam rebus & locis sacris,de qua jam egimus *tr. 29.sect.1.& 2.*

1100 Olim(inquit citatus Suar.) erat prohibitum tam fæminis, quàm viris laicis excepto imperatore,ingredi diaconium,seu sacrarium,vel (ut aliqui intelligunt)sacellum maius.Hæc tamē prohibitio jam abiit in desuetudinem. Item prohibetur laicis maximè fæminis tangere aram sacram,vasa consecrata, & ornamenta benedicta, præcipuè corporalia.*Cap sacratas dist.23.*Quanvis nullum peccatum sit ornamenta benedicta, quæ nec immediaté attingunt Eucharistiam,nec chrismate consecrantur,tangi etiam a fæminis: tamē peccabit venialiter laicus,qui nuda manu immediaté tangat calicem consecratum absque necessitate.Ordinatus quocunque minori gradiu, seu ordine tangere potest in Societate Iesu ex privilegio,qui habet primam tonsuram.

Sacelli maioris ingressus.

Tactus rerum sacrarum.

Idem procedit de corporalibus, quæ etiam saltem prima lotione lavari debent a diacono in vasis ad id munus destinatis,ita ut lotio mittatur in piscinam.Idem procedit de purificatorio,vulgo *Sanguinibus*,quod licet benedictum non sit,tamen valde propinquè attingit Sanguinem Domini. Probabile est, & practicé servari potest corporalia posse secundo lavari,& refici a fæminis præsertim Deo sacris . Quid de usu rerū sacrarū?

Lotio sacrorum.

Uti hujusmodi rebus sacris ad communes,& profanos usus,vix a mortali excusabitur: Sacerdotes tamen vestibus benedictis sepeliri possunt. Quanvis hujusmodi res sacræ amittant consecrationem,v.g.per dissolutionem aut fractionem, adhuc in communes & profanos usus converti nequeunt.Sumitur ex *cap.ligna dist.1 de consec.*Ubi præcipitur, ne ligna Ecclesiæ dirutæ ad aliud opus sumatur,nisi ad aliam Ecclesiam, vel profectum in monasterio Fratrum, non quidem (ut notat Glos. ad fabricam coquinæ, aut alterius loci similis,sed ad capitulum dormitorium, & similia loca honesta.

Usus rerū sacrorum

1101 Vasa argentea, confracta vendi nequeunt,nisi in certis casibus,quos attingit *S. Ambros.2.offic.c.28.*Res profanæ,ut domus,ac vestes

Profana ad usus sacros.

& si-

& similia converti possunt in templa, paramenta, & alios Ecclesiasticos usus, etiam retenta figura accomodata. Quia per benedictionem sacram purgantur. Denique (ut quæsito principali plené satisfaciamus) prædictæ res sacræ non solum exteriori actu honoris, sed etiam interiori mentis affectu adorari debent.

QUÆSTIO V.

Quinam ritus observandi in Missarum celebratione?

Ritus Missæ consistentes in verbis.

EX præcepto Pij V. quod habetur in principio Missalis & ex *Trident. sess. 22. decret. de observ. in celebr. Missar.* satis constat teneri Sacerdotem sub gravi aut levi culpa juxta quantitatem materiæ, servare quæ in Missali Romano reformato præcipiuntur. Cum veró Missæ ritus & cæremoniæ partim consistant in verbis, partim in actionibus, prior quæstionis pars erit circa ritus consistentes in verbis, posterior circa ritus consistentes in actionibus.

Quod attinet ad priorem, notandum est præter verba consecrationis, in quibus essentia hujus sacrificij consistit, sancté & religiosè Ecclesiam adjunxisse alia partim antecedentia, & partim subsequentia, quæ ad Deum laudandum, populum in fide, devotione, & petitione instruendũ spectant. Est de fide, ut constat ex traditione & usu Ecclesiæ, quibus accedit *Trident sess. 21. cap. 2.* asserens *dedisse Christum Ecclesiæ potestatem ut in sacramentorum dispositione salva eorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, & ipsorum venerationi magis expedire judicaret.*

Canon in Missa.

1102 Rogabis 1. utrum in omnibus quæ in Canone Missę dicuntur, integra veritas, & debita Deo religio servetur? Canon ideo dicitur, quia est velut regula præscripta & servanda in actione hujus sacrificij. Est totum id quod in Missali legitur ab illis verbis, *Te igitur clementissime Pater*, usque ad consumptionem sacramenti.

Circa hujusmodi Canonem quatuor docet, ac definit *Tridentinum sess. 22. cap. 4.* Primum est Ecclesiam catholicam multis ante sæculis illum instituisse. Secundum est constare hunc Canonem ex Christi verbis, Apostolorum traditionibus, & Sanctorum Pontificum pijs institutionibus. Tertium est esse ab omni errore purum. Quartum nihil in eo esse, quod non maximé sanctitatem ac pietatem redoleat, & mentes offerentium in Deum erigat. Hæc ex *Suar. d. 83. sec. 2.* ubi singula luculenter explicat.

Rituum Missæ observantia

Rogabis 2. ad quid non omittendum, & ad quid non addendum in dicendis teneatur Sacerdos? Teneri sacerdotem servare integrum ritum Missæ prout est definitus in rubricis Missalis, cõstat ex *Trident sess 22. cap. de observan. in celebratione Missæ*, & verbis Pij V. in principio Missalis in hũc modũ: *Mandantes & stricté omnibus & singulis in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes ut Missam, juxta ritum, modum, ac normam quæ per Missale hoc a nobis nũc traditur, decantent ac legant.*

Missa alterius diei

Ad explicationem, oportet observare cũ Suarezio disp. 83. sect. 3. aliud esse mutilare Missam, & aliud dicere Missam alterius diei. Nam in Missis privatis (aliter se res habet in officio & horis canonicis) quæ voluntarie & pro arbitrio dicuntur, præciso scandalo, dicere Missam alterius diei, nulla est culpa. At in Missis solemnibus Parochiarũ & conventuum servari debet ordo Missalis. Item si quis ob stipendium, vel capellaniam, vel similẽ causam obligatur ad Missam determinatam, eam dicat, si commodé possit: quanvis si absque scandalo omittat, ut Missalis ordinem servet, non peccet: imo si propter solemne festum, melius faciet.

Missæ mutilatio.

1103 In Missæ mutilatione (ut docet *Suar. cit.*) semper intervenit culpa, nisi ex inadvertentia, materiæ levitate, vel causa rationabili excusetur. Unde erit mortalis, si omittatur pars notabilis ut Epistola, vel Evangelium, vel alia similis: erit venialis, si pars sit levis, ut symbolum, una vel altera commemoratio: similiter in Canone (quidquid aliqui contradicant) unum vel aliud nomẽ alicujus Sancti: vel tempore Paschali quæ interponuntur in oratione *Communicantes*, vel in illa, *Hanc igitur oblationem.* Si quis ex oblivione omisit aliquid non substantiale, v.g. *Gloria*, vel *Credo*, postea recordans non debet repetere. Hactenus de defectibus per omissionem.

Quid de defectibus per adjectionẽ, vel additionem? Sacerdos tenetur non addere Missæ præscriptæ novas precationes, aut verba alia. Cõstat ex *Trident. sess. 22. cap. de observ. in celebr. Missæ.* Unde culpa hæc utpote per commissionem (inquit *Suar. cit. sect. 4*) est gravior in suo genere quã præcedens: & facillimé erit gravis, si materia sit alicujus momenti: præsertim si publicé fiat, & intuitu addendi aliquid ipsi officio Missæ.

Quod attinet ad posteriorem partem, de ritibus qui consistunt in actione, certum est contra hæreticos, cæremonias, seu ritus qui consistunt in actione fuisse ab Ecclesia convenienter institutos. Quia nonnullæ cæremoniæ fuerunt inductæ ut hoc sacrificium debita honestate, modestia, & reverentia peragatur: aliæ ad exteriores actus latriæ exercẽdos, aliæ denique specialiter propter significationem. Per omnes laté spatiatur *Suar. disp. 84. sect. 1.* At *sect. 2.* inquirit obligationẽ, in qua perquirenda illum jam sequimur.

1104 Difficultas est, utrum, & qualiter Sacerdos teneatur facere omnes Missæ cæremonias, quæ consistunt in actione? Dari in Ecclesia præceptum servandi Missæ ritus quoad verba & actiones, (quod præceptum frangitur non solum omittendo, sed etiam addendo novos ritus) & hoc secundum esse gravius, habetur ex *Trident. cit. sess. 22.* Hoc præceptum (inquit *Suar.*) est ex genere suo mortale: tamen ex inadvertentia vel levitate materiæ fieri potest veniale. Quando peccatur per additionem, si detur animus addendi novum ritum, semper erit culpa mortalis regulariter. Quia est materia gravis superstitionis. Si quis (addit citatus author) hoc faciat ex indiscretione devotionis, videtur materia levis, & culpa venialis.

In omissione actionis pertinentis ad conveni-

entem modum agendi, regulariter mortale nōn intervenit. Quia est materia levis. At gravis materia erit, si quis omittat cæremoniam continentem significationem: v.g. mixtionem aquæ & vini: fractionem, aut mixtionem hostiæ: deniq; signa omnia, vel plura, quæ fiunt super oblata. Quando (inquit citatus Doctor) datur impotentia faciendi aliquam cæremoniam gravem v.g mixtionem aquæ, quia hæc deest, si prævideatur, Missa celebrari nequit, nisi ex dispensatione, vel urgenti necessitate, & sine scandalo. Si supervenìat sacerdoti jam celebranti, & sit post consecrationem, absolvēdum est sacrificium: si ante, omittendum est.

Rituum omissio.

Cæremoniæ non admodum substantiales, sed publicæ & solemnes, v.g. elevatio Sacramenti, dicere Missam stando & non sedendo, etiam si adsit impotentia, omitti nequeunt, nisi ex dispensatione & secluso scandalo.

QUÆSTIO II.

An possit, & quomodo fieri Missæ interruptio, vel cessatio?

1105 Certum est 1. quanvis aliquando liceat permittere, quòd sacrificium imperfectum relinquatur, nunquam licere, etiam ad vitandam mortem, sacrificium imperfectum facere. Quia hoc est intrinsecè malum. Certum est 2. sacrificiū in ceptum non posse interrumpi absque rationabili, & sufficienti causa. Incurret enim temerarius interruptor excommunicationem *Cap. nihil 7. q. 1.* de qua multis citatis *Bonac. disp. 4. q. ult. pun. 10. n. 25.* Certum est 3. posse sacrificium interrūpi aliquando, scilicet quando detur causa rationabiliter sufficiens.

Tota difficultas est exponere quæ sint causæ rationabiliter sufficientes, proindeque legitimæ, ut sacrificium interrumpatur. Pro quarum expositione notandum est sacrificium posse considerari ante consecrationem, vel facta jam consecratione. Unde *Henriq. l. 9. c. 30. n. 3. Navarr. c. 25. n. 86. Azor p. 1. l. 10 c. 32. q. 3. & Layman l. 5. sum. tr. 5. c. 7.* rectè monent graviores, seu maiores postulari causas ut interrumpatur sacrificium post consecrationem, quám ante.

Interruptio Sacrificij qualis qualis & quādo.

Consuetudine enim receptum est, ut recitato Evangelio interrumpatur Missa propter concionem populo habendam, vel ob ordines celebrandos. Item Missa inchoata, si oblatio nondum facta est, nec sacerdos alius qui celebret, relinqui poterit, ut iterum inchoetur ob adventum Episcopi, Ducis, vel populi processionis, quos decet integre Missam audire. Item juxta *S. Thom. q. 83. a. 6. & Ægid. Cellan. a. 4. a n. 266.* etiam facta oblatione ante inceptum Canonem, debet sacerdos excommunicatus, irregularis, vel non jejunus a Missa desistere: imó secluso scandalo, & gravi nota, ad id tenetur.

1106 Prædictis addit *Palaus pun. 11. n. 4.* ex *Henriq. l. 9. c. 30. n. 5.* si ante inceptum canonem superveniat excommunicatus denunciatus, qui expelli nequeat, vel cessatio a divinis, aut speciale interdictum, nec detur privilegium celebrandi clausis januis, vel interdictum generale, nec sacerdos permittatur januas claudere, & interdicto excludere, teneri a Missa cessare, & desistere.

Cessatio seu desistentia a Missa.

Ut autem a Missa cessetur vel desistatur, post inceptum canonem, gravior exigitur causa, tametsi aliquandiu interrumpi possit, ut celebrans propriæ necessitati, vel alienæ consulat. Si enim (inquit *Palaus n. 5.*) superveniat morbus, aut vētris necessitas, quæ sustineri nequeat, sacrificium inceptum etiam post consecrationem, ut occurratur morbo, aut necessitati, potest interrumpi, & cessante necessitate, aut morbo, continuari. Quòd si idem Sacerdos morbo adhuc impeditus nequeat Missam illam continuare & perficere, adhibendus est alius etiam excommunicatus, vel non jejunus qui perficiat. An in eo casu talis Sacerdos obligetur ad perficiendum? Apud *Suar. d. 85. sect. 1. in fine Ant orium lib. 10. c. 33. q. 1.* & alios citatos non est constans resolutio: placet tamen obligari.

Ut consulatur alterius necessitati præcipué spirituali, rectè docent *Henriq. lib. 9. c. 30. n. 3. & Layman lib. 5. tr. 5. c. 7. a n. 2.* posse sacrificium, etiá facta consecratione inceptum relinqui postmodum absolvendum. Roganti, quæ postuletur necessitas ad hujusmodi interruptionem? Bené respondet *Palaus n. 5.* postulari & sufficere eam quæ non patiatur dilationem recipiendi aliquod sacramentum moraliter necessarium ad salutem: cui ut succurrat, debet celebrans etiam a templo exire, & in domum infirmi pergere. Vide *Tambur. de Missa lib. 2. cap. 7.* ubi laté, & recenter de interruptione Missæ.

Necessitis ut possit interrumpi Missa.

QUÆSTIO III.

Qualiter debeant suppleri defectus inter celebradum commissi?

1107. Cum ex præscripto *Pij V.* in rubricis Missalis, juxta *S. Thomam q. 83. a. 6.* omnes defectus inter celebrandum commissi, quoad fieri possit, suppleri debeant, & alij defectus sint substanstantiales, nempe ad Missæ substantiam attinentes, alij accidentales, qui scilicet ad substātiam non pertingunt, de utrisque agemus, exposita duplici difficultate.

Defectus substantiales Missæ supplendi.

1. Difficultas est, quomodo sunt cavendi, vel supplendi defectus substantiales? Ex *S. Thoma q. 83 a. 6. Suarius disp. 85. sect. 1.* quem communiter sequuntur recentiores, *Layman lib. 5. sum. tr. 5. cap. 7. Bonac. disp. 4. de sacram. q. ult. pun. 10. & Palaus pun. 11* triplicem statuit, & exponit regulam, qua servata, omnes substantiales defectus caveri, vel suppleri possunt, ac debent. 1. regula. Quando in materia vel forma committitur essentialis defectus, omninò supplendus est. Patet, quia facere sacrificium essentialiter mutilum, intrinsecé malū est.

Quare si Sacerdos ante consecrationem panis advertat nec esse vinum, nec unde afferri possit, nulla ratione hostiam licité consecrare potest. Si post consecrationem, progredi debet, sine mentione sanguinis in locis, ubi fieri solet. Si prævi-

Consecratio panis sine consecratione vini.

detur

deatur deffectus non essentialis, sed valde gravis post consecrationem hostiæ, v.g. irremediabilis defectus aquæ miscendæ vino, consecratio sanguinis omittenda non est: nec postea miscenda aqua, & si deferatur.

1108 Quid si contingat sacerdotem consecrare calicem cum sola aqua, & postea defectum sentiat? Respondeo debere statim vinum apponere, & sanguinem conficere, etiam si defectum advertat consumpta jam hostia. Idem dicendum est, si similis defectus in hostia contingat, v.g. si hordeacea deprehendatur. Idem procedit si contingat defectus essentialis in forma, etiam ex malitia sacerdotis. Nam iteranda est consecratio vel in utraque forma, si in utraque defectus acciderit, vel in una, si in ea tantum. Quod procedit ante sumptionem: nam post illam, si defectus evenit in utraque forma cum sacerdos non sit jejunus, & aliunde totum sacrificium fictum fuerit, non obligat præceptum de eo integrando, & perficiendo.

Ad supplendum defectus requiritur positivũ judicium de omissione, & non sufficit oblivio, nisi cum hac conjungantur rationes probabiles dubitandi, an aliquid substantiale omissum fuerit. Si adsit dubium ex utraque parte sufficiens, iterabitur forma sub cõditione. In dictis casibus forma repetenda est solum quoad verba essentialia.

Sit 2. regula si post consecrationem rite factã, accidat, vel inveniatur defectus sumptionem impediens, curandum est ut tollatur, & sacramentũ consumatur. Quod si id fieri nequeat, necessarium erit consecrationem repetere, & supplere quod defuerat. Explicatur exemplis. 1. si contigat & cognoscatur esse venenum in aliqua ex speciebus: tunc enim sumenda non est, sed alia consecranda & sumenda, sive altera jam sumpta sit, quando sentitur defectus, sive non. Species venenata servari debet, donec corrumpatur, & in sacrã piscinam projiciatur. Additur in Missali Romano, si fuerint species vini, in panno lineo esse imbibendas, & pannum servandum, donec desiccetur & comburatur. *Venenum in speciebus Eucharistia.*

2. Si cõtingat post consecrationem ut aliquod animal in sanguinem cadat. Tunc si veneret calicem, fiat quod proximè diximus: si non venenet, extrahatur animal, diligenter lavetur, comburatur, & ablutio cum cineribus in sacrarium mittatur. Denique si sacerdos timeat vomitum, aut alius sacerdos est vocandus qui consumat, vel consecrandus alius sanguis, & ab eodem sacerdote sumendus, ne sacrificium imperfectum maneat: alius verò calix servandus donec corrumpatur, vel ab aliquo sacerdote sumatur. 3. Si post consecrationem calix congeletur. Tũc enim calor extrinsecè adhiberi debet: vel, si nequeat, vini species digitis comminui, ut sumi possit. *Calix venenatus.*

1109 4. Si timeatur incursus hostium infidelium. Tunc si ante consecrationem, hæc facienda non est, etiamsi Missa sit inchoata: si post consecrationem, accelerabitur secluso scandalo, & infamia religionis, sumptio Eucharistiæ. 5. si altera ex duabus speciebus, vel utraque disparear, aut in ea appareat caro, vel sanguis miraculosè. Tunc enim alia materia consecranda est & sumenda, ut perficiatur sacrificium.

6. Si eveniat ut sanguis effundatur, vel hostia a vento rapiatur, vel a mure comedatur. Tunc, quod attinet ad sacrificium, ut id censeatur perfici, sufficit quòd pars etiam minima calicis, & hostiæ remanẽs sumatur. Quòd si nihil omnino remaneat, alia materia consecranda, & sumenda. Si mus comedens capi possit, interficiatur, comburatur, & cineres mittantur in piscinam. Si sanguis cadat in tabulam, lingua lambatur, & postea radatur. Idem est, si cadat in aliud simile, quo cooperitur terra. Addit Missale Romanum, partem illam, v.g. tapetis, in qua cecidit sanguis, abscindendam & comburendam esse, & cineres in sacrarium mittendos. Terra in qua cecidit, non præcipitur lambi: radenda tamen est, rasuræ comburendæ, & cineres in piscinam mittendi. *Sanguis Eucharistiæ effusus.*

Quando sanguis cadit in altare, & attingit lintea benedicta, vel corporale, vel sacerdotales vestes, sacerdos tribus vicibus abluat, ablutionem aut bibat, aut in piscinam mittat. In alijs linteaminibus post ablutionem pars intincta abscindatur, comburatur, & cineres in sacrario reponantur. Si sanguis usque ad aram sacram pertingat, hæc lambatur, & non radatur. Notat *Paludanus* posse sanguinem lambi a non jejuno, si desit jejunus: secus de particula hostiæ: hæc enim servari potest. Dicta procedunt, quando hostia consecrata cadat in terram, mappam, aut linteum.

Quando Eucharistia evomitur, quando putrescit, quando ex ea vermes generantur, aut quando a mure corroditur, & in similibus, hæc regula servanda est ut si species sacramentales integræ, vel in aliqua particula haberi possint, reverenter serventur, vel consumantur: reliqua quæ tales species attigerunt, combusta in piscinã mittantur. *Eucharistia evomitio.*

1110 Sit 3. regula. Quando defectus substantialis non potest ab eodem sacerdote suppleri, id debet fieri per alium. *Cap. Nihil 7. q. 1.* Regula intelligitur, ut alter incipiat ubi alius desijt, si id sciri possit, & constet post aliquam speciem consecratam desijsse. Nam si certum sit priorem sacerdotem defecisse ante perfectam consecrationẽ panis, etiamsi verba formæ incepisset proferre, nihil supplendum est. Si constet consecrasse hostiam & calicem, & non constet quid amplius dixerit aut fecerit, secundus sacerdos incipere debet a capite, scilicet ab illis verbis: *Vnde & memores Domine.* Similiter si constet consecrasse hostiam, & non calicem, debet incipere ab illis: *Simili modo postquam cœnatum est.*

Si dubium sit, an prior sacerdos cõsecrationem hostiæ absolverit, posterior debet incipere a capite Canonis, & consecrare primam hostiam sub conditione, vel aliam absolutè, primamque post consumptionem totius sacramenti consumere. Inventus sacerdos etiam non jejunus, tenetur alio non invento jejuno, sacrificium perficere: &

si in statu peccati mortalis sit, se disponere saltem per contritionē. Hæc omnia ex *Suario d.85 sec.1.*

Defectus Missæ accidentales. 2. Difficultas est, quomodo accidentales defectus cavendi sint & supplendi? Certum est teneri sacerdotem adhibere moralem diligentiam, ut omnes hujusmodi accidentales defectus caveat: nam ex naturali & ecclesiastico jure tenetur ad hoc ministerium integrè, & perfectè exequendum. Quód si accidentalis defectus vitari nequeat, & sit in re vel cæremonia gravi, sacrum omitti debet: si in levi, permitti interdum potest, ne sacrum omittatur.

Suppletio defectuū in Missa. Quando defectus accidentalis levis jam commissus est, regulariter nihil iterari debet, út suppleatur. Ratio est, quia non pertinet ad substantiam sacrificij, & aliūde repetitio magis perturbabit, quàm conferet ad decorem. In materia Eucharistiæ, accidentalis, sed gravis defectus est, si panis sit fermentatus, vel si vino non misceatur aqua: hi ante consecrationem suppleri debent: secus post illam. Levis defectus est, si hostia non sit omninó integra, vel maculam habeat: si vinum sit aliquantulum acidum. Si hi non vitari, tolerari sæpe poterunt: imó post primam oblationem sunt omninò dissimulandi, secluso scandalo.

1111 Ex rationabili causa potest sacerdos, si formulam non posuit, reservare particulam hostiæ ad communicandum aliquem. Si eveniat hostiam elabi de manibus sacerdotis intra calicem, ita ut frangi nequeat, defectus hujumodi accidētalis est, & non supplendus, ac proinde hostia sumi potest simul cum calice, tametsi ritus & cæremoniæ circam illam præscriptæ fieri non possint. Defectus accidentalis est, quem supra tetigimus, si vinum congeletur: huic tamen occurri potest admotis calici pannis calentibus: in quorū defectum poterit sanguis tractari digitis, ut sumptio fiat Vide *Suar. sec.2. & Palaum tr. 22. pun. 11. à n.6.*

SECTIO IV.

De obligatione celebrandi, seu sacrum faciendi.

QUÆSTIO I.

Qualis sit obligatio celebrandi ob acceptum ordinem?

Celebrādi obligatio ob susceptum ordinem. Obligatum esse sub mortali simplicem sacerdotem ex præcisa ratione accepti ordinis celebrare saltem ter in anno, & præcipuè triplici Paschate, Nativitatis, Resurrectionis, & Pentecoste, tradunt nonnulli apud Dianam p.2. tr.14. resol.19. Et certé nullo designato tempore, vel Missarum celebrandarum numero rectè docent *Vasq. disp.232. cap.1. Suar. disp.80. sect.1. Valent. d. 6. q.10. pun.3. Azor p.1. lib.10. cap.24. q.1. Layman. lib. 5. cap.3. n.1. & Bonac. d.4. de sacr. q. ult pun.7. n.1.* Sumitur ex verbis Christi, *Hoc facite in meam commemorationem* Lucæ 22. in quibus (ut declaravit *Trid. sess.22. c.1.*) impositum fuit præceptum Apostolis, & ipsorum in sacerdotali ordine successoribus: quod proinde in hac materia, quæ gravis est, graviter obligat.

Hæc sententia communis est, & ut longe probabilior teneri, & consuli debet. Iuxta quam *Marchinus de Missa tr.3. cap.36. n.1.* benè asserit posse Episcopum arbitrariis pœnis simplicem sacerdotem celebrare nolentem cogere, ut saltem solemnioribus diebus sacrum faciat. Opposita nihilominus probabilitate non est destituta, quam proinde judicant probabilem *Suar. Layman & Bonac. citati* eamque absoluté defendūt *S. Bonav. in 4. dist.12. p.2. a.2. q.1. Alens. p.4. q.11. mem. 2. art.4. § 1.* & ex modernioribus *Tábur. de sacr. Missæ lib.1. cap.6. §.2* ubi ait sacerdotem qui nunquam toto vitæ tempore sacrificat, dummodo in Paschate cōmunicet, saltē mortaliter non peccaturum ex eo præcisé quòd non sacrificet. Probat, quia non apparet præceptum cum tanto rigore obligans, secluso scandalo, ut supponitur.

1112 Quid de Missis celebrandis in Ecclesijs cathedralibus, collegiatis & conventualibus? *Missæ dicendæ in Ecclesijs cathedralibus, & collegiatis* Abbas ad *cap. cum creatura de celebr. Missar. §. item nota*, & aliqui Canonistæ ex hoc textu colligunt semper in dictis Ecclesijs, etiam in festis dicendas esse necessarió sub obligatione peccati mortalis duas Missas, alteram de defunctis, alteram de festo, vel feria occurrenti. At ex citato capite (ut benè notat *Filliuc. to.1. tr.5. cap.4. n.104.*) nō colligitur talis obligatio, sed solum ut anniversaria juxta cujuscunque Ecclesiæ obligationem, nō omittantur. Solum igitur prælati Ecclesiarum cathedralium, collegiatarum, & conventualium providere tenētur, ut singulis diebus saltem fiat unū sacrum in prædictis Ecclesijs.

An talis obligatio ita sit gravis, ut prælatus lethaliter peccet, si absque legitima causa, Missam illam una vel altera die omitti permittat? Affirmant *Ægid. Bellan. q.83. art.2. dub.1. n.203. & Layman. lib.5. sum. tr.5. cap.3. n.5.* Negant *Sotus dist.13. q.2. a.2. & Suar. disp. 80. sect.2.* casu quo exiguus sit numerus sacerdotum illius Ecclesiæ. Utrūque rectè componit *Palaus cit. pun. 12. p.5.* affirmans consuetudinem spectandam esse: quæ si legitimé sit præscripta, ut fiat sacrum quotidianum, peccare graviter prælatos, qui absque publica causa omitti permiserint: secus si detur contraria consuetudo, vel superveniat legitimum impedimētū.

Rogabis an detur, & quænam sit obligatio in sacerdote ex vi suscepti ordinis celebrandi aliquot Missas pro Episcopo ordinante, & pro Romano Pontifice? *Missæ dicendæ pro Episcopo ordinante.* Respondeo non apparere, unde colligatur obligatio celebrandi pro Episcopo ordinanté: quando enim presbyteris a se ordinatis commendat ut tot sacra pro ipso dicant, id facit rogando, & non præcipiendo. Secus de tribus dicendis pro Papa: nam dari præceptum, ut tres votivæ, prima de Spiritu Sancto, secunda de B. Virgine, tertia de defunctis, dicantur statim post primam Missam celebratam, tribus diebus sequētibus benè ex Pontificali Romano docent *Garantusp.1. tit.4. lit. & Tābur. de Miss. lib.2. cap.6. §.5. n.3.* Sed non exponunt, an obliget sub mortali: ego verò id credo: quia materia est sufficienter gravis. Rectè tamen observant, quando præcipitur,

ut

ut dicantur tribus diebus sequentibus, id intelligi salvis Rubricis Missalis: alioquin absurdū foret celebrata prima Missa in Natali Domini in tribus festis sequentibus recitare Missas votivas prædictas, & pro defunctis.

QUÆSTIO II.

Qualis sit obligatio sacrum faciendi ex titulo Capellaniæ.

1113. Explicabimus obligationem, quam habet capellanus celebrandi, & applicandi Missam ex mandato & intentione defuncti fundatoris, vel testatoris, expeditis dubijs sequentibus. 1. dubiū est, an obligatus facere Missam quotidianam quandoque vacare possit? Nōnulli apud March. de ord. tr. 3. p. 2. c. 23. n. 7. ad investigandam mentem testatoris distingunt inter electam personam vel locum cui specialis cultus intenditur & procuratur per quotidianā celebrationem.

Celebrātis quotidie vacatio.

Sit tamen resolutio: sive persona, sive locus fuerit electus, sacerdos quocunque titulo obligatus celebrare quotidie per totum annum, potest intermittere, seu vacare semel in heldomada. Traditur tanquam probabilis regula a *Tamburino lib. 3. de Missa cap 3. n. 4.* ubi citat *Toletum, Bonacinā, Gavantum, Laiman. & alios.* Suadetur, quia onus illud, cum sit nimis grave, non præsumitur a fundatore injunctum, nisi morali modo, cum dicta illa vacatione.

Limita 1. quando fundator suam mentem exposuit, dicens se velle ut omnibus diebus, nullo omninó excepto sacrum fieret. Tunc enim cessat præsumptio oppositæ voluntatis. Limita 2. quando onus non spectat ad personam, sed ad locum, nempe Ecclesiam, vel monasterium, in quibus Missa celebrari præcipitur per hunc vel per alium sacerdotem.

2. Dubium est, an eo die, quo sacerdos potest a celebrando vacare, ei sit liberum celebrare pro alio? Respondeo negativé. cum *Tamburino de Iure Abbat. to. 2. d. 5. q. 9. n. 15.* nostro *Tamb. citato §. 2. n 2. Peyrino de addit. c. 1. n. 23. & Bonac. de Euch. d. 4. q. ult.* quibus addendus, est *Lugo de Euch. d. 21. sect. 2. n. 46.* ubi ait sacerdotem obligatum celebrare pro aliquo omnibus ferijs quintis, sextis, & sabbatis, posse vacare feria quinta, & sabbato hebdomadæ sanctæ, at si celebret, debere applicare juxta intētionem fundatoris. Ratio est, quia juxta mentem fundatoris, tali sacerdoti solum permittitur vacatio; at celebranti non permittitur applicatio.

Vacatio quotidie celebrātis

1114 3. Dubium est, an capellano obligato ad Missam quotidianam liceat interdū celebrare pro se, vel pro alio? Respondeo affirmativé cum *Naldo v. Missa n. 7. Peyrino tr. 3. in Addit. c. 1. n. 23. & Tamb. lib. 3. c. 3. §. 1. n. 8.* qui dicunt sacerdotem obligatum quotidié celebrare pro aliquo, posse quater vel sexies in anno pro se, aut suis. vel aliqua causa occurrente Missam offerre. Quia non creditur fundator voluisse hoc spirituale auxiliū suo capellano denegari.

Missa in die cōmemorationis omniū defunctorum.

4. Dubium est, qualiter capellanus addictus Missæ quotidianæ, debeat illam applicare in die commemorationis defunctorum? *Franzinellus de oblig. sacerd. sect. 4. concl. 4. §. 22. & Gavant. p. 4. in rubr. Missal. tit. 15. n. 18.* affirmant posse ac debere applicare Missam generaliter pro omnibus fidelibus defunctis. Id tamen rectiùs negat *Tamb. cit. n. 9.* Quia non apparet præceptum ex quo capellani, vel reliqui Sacerdotes teneantur illam Missam applicare pro omnibus defunctis fidelibus.

5. Dubium est, an cappellanus satisfaciat celebrans alijs quàm designatis diebus? v. g. si jussus celebrare sexta & sabbato celebret secunda & tertia. Bené respondet *Lugo de Euch. d. 21. sec. 2. n. 43* si intentio fundatoris est solum fructus Missæ, satisfacere: si autem est affectio, & specialis devotio erga illos dies, scilicet sextam passionis, & sabbatum B. Virginis, non satisfacere. Quia fundatoris mens servatur in primo casu, non in secundo. At *Tamb. §. 3. n. 2.* credit talem variationem nō accedere ad culpam gravem. Quia videtur modici præjudicij.

Capellanus jussus celebrare certis diebus.

Quid si quis obligetur in mēte alternis diebus celebrare eo satisfaciet, si vel prioribus, vel posterioribus quindecim celebret? Bene affirmat *Lugo cit. n. 43.* Quia videtur parva illa mutatio, nisi fundator habuerit specialem causam decernendi tales dies. Quod diximus de tempore, procedit etiam de loco, in quo jussit fundator celebrari. Nam si fundator jussit celebrari in certo templo ob specialem causam, quæ persistit, in eo celebrans capellanus satisfaciet, & non alibi.

Locus ut capelanus celebret.

1115 6. Dubium est, an, & quando capellanus possit celebrare per alium? Benè *Marchin. de ord. tr. 3. p. 2. n. 4. cap. 24. Bonac. de Euch. d. 4. q ult. pun. 7 §. 1. n. 1. & Tambur. de Missa. lib. 3. cap. 4. §. 1.* cōveniunt in hac resolutione: quoties fundator in capellæ institutione non ponit hanc clausulam, *ut alium. per se ipsum capellanus celebret*: seu, *ut non celebret per alium*, poterit semper per alium celebrare. Sumitur ex multis decisionibus sacræ Rotæ id declarantibus; & ratione, quia tunc æqué satisfit mēti fundatoris, sive per capellanum, sive per alium fiat celebratio. Idem procedit de quocunque Sacerdote accipiente eleemosynam ad dicendum Missas: nam has per alium potest dicere, nisi ipsius persona specialiter fuisset electa.

Capellanus celebrans per alium.

Addit 1. bené *Tamb. n. 3. ex Barb. de pot. Episc. all. 24. n. 29.* non posse talem capellanum cogi ab Episcopo, ut per se ipsum celebret. Quia ille ut sic implet testatoris voluntatem. Secus est de capellano qui in cathedralibus fruitur quotidianis distributionibus per suam Missam. Quia hic ut lucretur, debet personaliter celebrare. Vide *Marchin. n. 3. p. 2. c. 29. n. 16.* Addit 2. n. 5. ex *Bonac. cit. § 1. n. 4.* posse unum sacerdotem celebrare applicando Missas pro aliquo effectu ad quem alter Sacerdos obligatus est, qui non satisfacit, & hoc altero inscio, imò & pro illis recipere stipendium. Addit 3. sacerdotem obligatum celebrare pro aliquo in tali templo, satisfacere celebrando pro eodem in alio templo dummodo curet quod alter sacerdos celebret in priori templo quoad præsentiam, & non applicationem.

7. Dubium est occasione proximæ resolutionis, an capellanus, vel alius obligatus pro stipendio celebrare in tali templo, vel altari; possit celebrare in alio templo, vel altari? Respondeo negativé cum *Fagun prec.1.lib.3.cap.9.n.6. & Diana p.4.tr.4.resol.233.* affirmantibus regulariter transgressorem talis obligationis peccare mortaliter. Hoc tamen intelligitur (ut bené notat Azor to.1. lib.10.cap.24.q.8.) si faciat sine justa causa. Addit *Diana cit.* excusari capellanum qui ter vel quater in anno non celebrat in loco destinato.

Capellanus non celebrans in loco præcepto.

1116 An obligatus ex stipe celebrare in altari privilegiato satisfaciat celebrans in alio altari cum calculo, benedicto sibi persuadens cum illo animam liberare? Bené negat *Diana cit. resol.* 233. quia dictus sacerdos tenetur omninò celebrare in loco priviligiato, & de *Requiem.* quia aliàs indultū non suffragatur, ut declaravit *S. Congreg. rituum* 13. *July* 1601. & iterum die 24. Aprilis 1626. declaravit quod si in die assignato altari privilegiaro, incidat festū de præcepto, ibi Missa de requiē dici nō potest. Addit *p.2.t.4.ref.29.* capellanū diverso loco à præscripto celebrantē, peccare quidē, sed nō teneri ad restitutionem, nisi aliquod suffragium defunctis subtraheret ratione minoris frequentiæ: quod compensare teneretur alijs precibus.

Altare privilegiatū.

8. Dubium est, an capellanus, vel alius obligatus dicere Missam de Spiritu S. de B. Virgine, vel de *Requiem*, satisfaciat dicendo currentem? Respōdeo affirmativé cum *Navarr.lib.2.c.2.n.* 248. *Villalobos to.1.tr.8.diff.91.n.9. & Diana p.2.tr.14. ref.* 31. Quia omnes Missæ sunt æqualis valoris imó currens, seu addicta per Ecclesiam tali diei, est defunctis & alijs salubrior quàm reliquæ. Peccaret tamen venialiter promittens celebrare talē Missam, celebrans aliam. Obligatus (inquit *Bonac. de sacr.d.4.q.ult.p.7.§.3.n.6.*) dicere Missas S. Gregorij non tenetur illas dicere continué & absque ulla interruptione. Missa privilegiata est illa cui Summus Pontifex concessit privilegium auferēdi à Purgatorio illam animam cui sacerdos celebrans applicaverit. An debeat esse de Requie? Puto negandum, si id in concessione non exprimatur. Quia favores, quale est tale privilegium, extendendi potiùs sunt, quàm restringendi.

Missa currens seu diei.

Missa privilegiata.

9. Dubium est, an & qualiter capellanus teneatur celebrare, quando adsunt impedimenta? Advette impedimenta posse dari vel ex parte ipsius quia ægrotat, aut detinetur in carcere, aut impeditur negotijs, vel ex parte loci, quia templum est violatum, clausum aut destructum, vel ex defectu paramentorum. Quando ex fundatione obligatur celebrare per se, & ex parte ipsius impedimentum datur, certum est non teneri ad celebrandum per se. An verò tunc obligetur celebrare per alium? Bene respondet *Tamb.cap.5.§.1. n.2.* distinguens inter impedimentum breve, & longum, asserens, si sit breve, non teneri, si longum, teneri. Quia sic præsumitur ex mente testatoris nolentis sic rigide obligare, nisi id expresserit. Quod nam sit breve aut longum impedimentum, *Barbosa de pot. Episc.p.2.all.24.n.31.* dicit breve impedimentum esse infirmitatem octo vel decem dierum, *Bonacina d.4.de Euch.q.ult. p.8. n.17.* quidecim dierum, *Petrus Navar. lib. de rest.c. 2.n.* 210. unius mensis *Lugo de Euch.d.21.sec.2.n.49* duorum mensium. An quando capellanus habens pingue stipendium, & impeditus celebrare, celebret per alium satisfaciat dans illi minus stipēdium, sed justum & currens? Affirmandum. Quia intentio decernentis pingue stipendium fuit favere suo capellano, & non illi per quem capellanus impeditus celebrat. Hæc ratio me movit: & non aliquis author quem invenerim.

Capellanus interdum tenetur celebrare.

Impedimentum breve quod.

1117 Si detur impedimentum ex parte loci, attendenda est mens fundatoris: nam si intendit solam præsentiam, manet sacerdos deobligatus: si intendit etiam applicationem, tenetur celebrare alio loco apto. Denique si ex parte paramētorum, quia desunt omninó necessaria ad celebrādum, excusatur.

10 Dubium est an & qualiter teneatur Capellanus removere, vel non apponere impedimēta ad celebrandum? Hoc dubium generale est in omni lege vel præcepto observandis: quoties enim quis obligatur ad aliquam legem observādum tenetur ad non apponenda impedimenta, & ad ea tollenda si adsint, quæ observationi legis obstare possint. Sed de hoc jam egimus tr. 4. sect.3.q.6. Qui velit latam, & generalis doctrinæ periculiatem applicationem huic præsenti dubio videat *Tamburinum lib.3.de sacr. Missa lib.3.cap.1. & toto cap.6.*

QUÆSTIO III.

Qualis sit obligatio celebrandi ex titulo parochi, & beneficiati.

Quæstio esse potest tum de habentibus beneficium curatum, quales sunt parochi, tum de habētibus beneficium simplex, quales sunt dignitates, canonicatus, & præstimonia, quæ per se non habent onus sacrum faciendi, proindeq; nec applicandi. Dixi (per se) quia ex fundatione beneficij, vel consuetudine recepta potest talis beneficiatus obligari ad celebrandum certis diebus, & applicandum sacrificij fructum.

Beneficiū simplex ad onus celebrādi.

Si loquamur de parochis, certum est omnibus illis diebus, quibus parochiani tenentur sacrum audire, teneri parochum per se ipsum, vel per alium illud facere. An in aliquibus ex alijs diebus? Videtur indicare. *Trident.sess.23.cap.14. & Sotus in 4.dist.13.q.2.a.2.* existimat teneri celebrare aliquoties in hebdomada: idque probabile credit *Azor lib.10.cap.24.q.2.* Quia sicut parochus tenetur aliquando sacramentum pænitentiæ, & Eucharistiæ parochianis ex devotione sola petētibus ministrare, ita & Missam volētibus audire. Illud rectè affirmant *Layman lib.5.sum.tr. 5. cap.3. n.2. & Bonac.disp.4.de sacram.q.ult.pun.7.n.4.* posse Episcopum obligare parochum celebrare bis vel ter in hebdomada, quando fructus sunt non exigui, & populus numerosus: maxime si in oppido non sit collegiata, aut conventualis Ecclesias, ad quam populus accurrat pro Missa audienda.

Parochus quando tenetur ad dicendam Missam.

1118 Maius dubium est, an & quando tenea-

neatur parochus applicare fructum sacrificij pro suis ovibus? *Sotus in 4. dist. 13. q. 2. a. 2.* dicit parochum ijs diebus, quibus tenetur celebrare ratione suarum ovium, teneri pro illis fructum sacrificij appliarre. *Barbosa 2. p. de potest. Episcop. alleg. 24. n. 23. & Bonacina d. 4. de sacr. q. ult. p. 7. n. 5.* & alij communiter existimant parochum teneri aliquando pro suis ovibus applicare fructum Missæ juxta fructus beneficij, arbitrio prudentis, quod rationabile credit citatus *Bonacina*, si pro illis celebret præcipuis solemnitatibus Domini, & Dominicis, vel saltem semel in hebdomada.

Nihilominus probabilius existimo cum *Vasquio d. 234. cap. 4. Suar. disp. 86. sec. 1. Reginal. praxi lib 23. n. 238. Fraxin. de oblig. sacer. sect. 3. prænot. 2. §. 2.* & alijs, ex præcisa ratione curati beneficij nunquam teneri parochum applicare Missam pro suis parochianis. Ratio est quia parochus sufficienter implet suum munus, pascens suas oves verbo, exemplo, & sacramentorum administratione, quin pro illis Missam applicet. Ex quo infertur posse stipendium accipere pro suis Missis a quibuscunque etiam parochianis. Monet tamen bene citatus Suar. teneri parochum obedire suo Episcopo, si hic præcipiat, ut his vel illis diebus Missam dicat pro suis parochianis. In his omnibus novissimè consentit *Tambur. de Missa lib. 2. cap. 2. §. 16.*

SECTIO V.

De stipendio Missarum, & ipsarum reductione.

QUÆSTIO I.

An pro Missa possit accipi stipendium, & quale?

Conveniunt Theologi cum *Vasquio d. 234. per totam, Suario lib. 4. de relig. cap. 14. Henriq. lib. 9. cap. 22.* & cum multis *Barb. 2. p. de pot. Episc. all. 24. n. 2.* posse sacerdotem sive divitem, sive pauperem absque ulla simoniæ labe obligari ex justitia ad celebrandam Missam pro intentione illius qui certum stipendium ipsi dedit. Quia tunc stipendium hoc non est pretium rei sacræ nempe fructus ex sacrificio applicandi, sed datur in sustentationem sacerdotis sub obligatione ut fructum applicet illi, qui stipendium dedit. De quo jam diximus tr. 33. de simonia. *Stipendium pro Missæ.*

1119 Maior est difficultas in explicando, & designando justum stipendium pro obligatione unius Missæ. Nam *Henriq. lib. 9. sum. cap. 22. n. 1. & Ægid. Bellan. q. 83. a. 1. dub. 10. fine* existimant stipendium justum esse quod sufficiat pro unico die ad integram sacerdotis sustentationem. *Petrus Navar. de restit. lib. 2. c. 2. n. 315.* nomine sustentationis intelligit non solum victum, sed etiam vestitum tam proprium quám suæ familiæ. Henriq. cit. extendit ad victum & vestitum cognatorum, quos alere tenetur sacerdos. *Stipendium justũ por Missa.*

Dicendum tamen omninó est cum *Vasq. disp. 234. cap. 3. ar. 18. Suar. d. 86. sec. 2. Layman lib. 5. sum. tr. 5. cap. 1. q. 2. & Bonacina disp. 4. de sacr. q. ult.* non esse determinandum justum stipendium Missæ ex quantitate necessaria ad victum quotidianum, sed ex quantitate laboris impensi in favorem cōferentis stipendiũ. At non videtur labor semihoræ adæquare sustentationem totius diei. Æquum tamen est, quód ad augmentum laboris augeatur stipendium, proindeque rectè augeatur pro Missis solemnibus, & pro Missis huic loco, & huic tempori addictis.

Rogabis 1. quænam sit pars sustētationis pro uno die, quæ judicetur justum stipendium pro una Missa? Respondent *Vasq. disp. 234. cap. 1. n. 5. & Barb. de pot. Epis. p. 1. all. 24. n. 2.* eam esse desumendam ex taxatione Pontificia, ve Episcopali, aut ex communi hominum æstimatione. Quia tam Princeps, quàm communis hominum æstimatio vim habet ad constituendum justum rerũ pretium, Princeps legitimum, hominum æstimatio vulgare. Illud monent citati authores ex dicta taxatione non prohiberi quòd sacerdos accipiat stipendium taxato abundantius, quod fideles ex sua devotione vel liberalitate velint conferre. *Stipendij por Missa taxatio.*

1120 Rogabis 2. utrum sacerdotes divites possint accipere stipendia pro Missis, quas celebrant? Rectè affirmat *Suar. d. 86. sect. 3.* de divitibus tum per bona patrimonialia, tum per reditus pinguium beneficiorum. Patet, quia sacerdoti ministranti debetur alimentum: dignus est enim operarius mercede sua: per accidens autem est, quòd ipse aliunde ali possit.

Rogabis 3. utrum sacerdotes pauperes possint accipere duplicata stipendia, saltem quando unũ non sufficit ad integram diei sustentationem? Bené negat *Suar. cit. sect. 4.* quia paupertas (non loquimur de extrema necessitate) non dat facultatem accipiendi rem alienam invito domino, aut vendendi rem chariùs quàm valet: nec mercenarius aut miles ratione paupertatis potest aliquid ultra mercedem aut justum stipendium accipere. Accedit (inquit bené *Palaus pun. 14. n. 5*) nunquam fuisse licitum exigere ab eodem, vel a multis plura justa stipendia, & unica Missa satisfacere. Quia esto daremus sacrificium pluribus applicatum æqué prodesse singulis, ac si singulis applicaretur: at stipendium non datur in pretium fructus applicandi, sed in sustentationem sacerdotis, qui fructum applicare debet. *Stipendiũ duplicatum accipere.*

Rogabis 4. an sacerdos accipiens ab uno vel a pluribus plura inæqualia stipendia pro dicenda Missa, possit ea ad æqualitatem revocare, & pro mensura justi stipendij celebrare plures vel pauciores Missas? Affirmant *Vasq. d. 234. c. 3. n. 18. Suar. disp. 86. sec. 4. & Azor. p. 3. lib. 12. c. 6. q. 3.* quia sacerdos potest resarcire damnum sibi inferendum ab eo qui pro integra Missa diminutum stipendiũ offert. Hanc opinionem probabilem judicat *Palaus cit. n. 7.* sed negativam sequitur cum *Bonacina d. 4. de sacr. q. ult. p. 7. §. 2. sub n. 8.* Quia offerens diminutum stipendium, & Missam petens intendit ut sacerdos remittat quod deficit.

1121 Quidquid tamen sit de antiqua probabilitate prioris opinionis, illa jam corruit (ut testatur *Diana p. 2. tr. 14. res. 7. & p. 5. tr. 13. res. 52*) *Urbani 8. decreta circa stipendia*

per

per decretum S. Congreg. Cardin. Trident. Statuens authoritate Urbani VIII. anno 1625. quod sacerdotes tot omninò Missas celebrent, quot ad rationem attribuiti stipendii, præscriptæ fuerint. Adde Alexandrum VII. anno 1665. damnasse hanc propositionem *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificijs stipendium accipere, & sacrificium unum offerre: Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.* Decretum autem illud, & alia Urbani VIII. ex S. Congregatione Concilij circa Missarum celebrationem edita 21. Iunij 1625. latè declarat *Tambur. lib. 3. de sacr. Missa cap. 1. a §. 1. & Diana citatus:* juxta quem corruunt in hac materia opiniones probatissimorum Theologorum.

Corruit 1. opinio *Soti de just. lib. 9. q. 3. a. 1.* & aliorum affirmantium posse sacerdotem accipere pro una Missa tot stipendia, quot sufficiant ad sustentationem moderatam unius diei. Corruit 2. opinio *Molfesij to. 1. tr. 3. c. 15. n. 40.* asserentis posse sacerdotem accipere duplex stipendium pro una Missa applicando uni partem solitam, alteri veró suam partem, qui est fructus medius specialissimus soli sacrificanti cōpetēs. Itē *Leonis de jubil. p. 3. q. 20. n. 27.* asserentis quando datur stipēdium pro celebratione in Ecclesia destinata pro ipsius cultu, vel populi commoditate, posse sacerdotem aliud ferre stipendium pro applicatione Missæ. Unde non rectè *Faustus de jubil. lib. 1. q. 81.* post dicta decreta edita, utranque hanc opinionē asseruit. Forte ignoravit. A fortiori corruit duplex præcedens opinio, postquam Alexander 7. damnavit anno 1665. hanc sententiam: *Duplicatū stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretū Urbani VIII.* Corruit 3. opinio *Suarij d. 86. sec. 3. & Vasquij d. 234. cap. 4. n. 30.* asserentium parochū, & quemvis alium congregantem stipendia justa pinguia pro Missis dicendis, posse licité destribuere tales Missas alijs dicendas pro stipendio infimo, sed justo, & retinere sibi partem pecuniæ. Hæc etiam post decretum Urbani VIII. fuit dānata ab Alexandro 7. anno 1665.

Rogabis 5. qualiter peccet sacerdos differens ad longum tempus celebrationem Missarum? Certissimum judicat *Palaus pun. 14. n. 11.* eum qui diu differt Missam offerre in bonum illorum quibus obligatus est, peccare mortaliter. Quia nō minoris criminis reus est qui est in mora gravi solvendi debita spiritualia, quam temporalia. In hoc consentit *Layman lib. 5. sum. tr. 5. c. 1. q. 4. cum Navarra lib. 2. de rest. cap. 2. num. 250. in 2. edit.* qui addit arbitrio prudentis judicandum esse, qualis sit dilatio diuturna. *Palaus citatus* addit hoc arbitrium esse colligendum ex fine ad quem Missæ exiguntur. Nam si ad aliquid impetrandum, omninò intra tempus impetrationi aptum celebrari debent. Si pro tollendis aut mitigandis pœnis animarum Purgatorij, benè censet gravem esse dilationem unius mensis.

Missarum celebrandarum dilatio.

1122 Hæc doctrina non videtur multum distare a decretis Urbani VIII. circa celebrationē Missarum. Quia *Tambur. lib. 3. cap. 1. §. 9.* afferens decretum ubi præcipitur *Ne sacerdotes eleemosynas pro Missis recipiant, nisi pro antea promissis satisfecerint,* addit S. Congregationem in explicantem limitasse, nisi intra modiū tēpus poterūt satisfacere vel potēs Missas in lōgā dilationē cōlētiar. Quātum tempus sit illud modicum? Respondet *Tambur. n. 4.* ex jure definiendum esse. Alij (inquit) judicant modicum spatium unius mensis, alij duorum, & alij trium: & omnes probabiliter. Vide nostrum Elucidatium n. 1135. ubi definit tempus modicum.

Modicum tempus quod.

Rogabis 6. coram quo judice petendum sit stipendium debitum pro Missis? Benè respondet *Fragos p. 1. lib. 2. disp. 4. §. 4. mem. 9. n. 366.* Quidquid sit de consuetudine apud Indos, ubi sacerdotes exigunt debita stipendia ex bonis regis apud judicem laicum, semper stipendium pro Missa taxatum ab Episcopo in quocunque mundi loco petendum esse coram judice Ecclesiastico. Quia de bonis patrimonialibus clericorum judex Ecclesiasticus cognoscit. *Gloss. 3. cap. Ecclesia constit. vita & honest. cler.*

Missæ stipendij petitio coram quo judice.

QUÆSTIO II.

Quis Missas ex obligatione dicendas possit ad minorem numerum reducere?

CUm sæpe eveniat Missas celebrandas ex obligatione testamenti, stipendij, capellaniæ, beneficij, vel anniversarij reduci ad numerū minorem, quærimus 1. quis posit facere hujusmodi reductionem? *Fagundes de primo Eccles. præc. lib. 3. cap. 7. n. 16. & 17.* multis contendit probare, si Missæ debeantur ex testamento, aut fundatione capellæ sæcularis, posse a Rege, & Regis ministris ad minorem numerum reduci. Probat, quia hujusmodi capellæ, & anniversaria fuere per laicas personas, & de laicis bonis fundata; ergo subjacent laicæ juridictioni Regiæ. Rectiùs & cautiús sentit *Palaus pun. 15. n. 6.* nec Regem, nec ministros illius posse se intromittere vel in taxationem stipendij vel in reductionem numeri talium Missarum. Quia potestas taxandi congruā sustentationem sacerdotibus, & stipendium pro Missis maximé spiritualis est, cum versetur circa personas maximé Ecclesiasticas, & ministerium; maximé spirituale, scilicet sacerdotes & Missam ergo spectat ad solam Ecclesiam, & ipsius caput, & nullo modo ad personas laicas cujuscunque dignitatis, etiam supremæ.

Missarum reductio a quo facienda.

Superest igitur ut supradicta potestas solum competat Principibus Ecclesiasticis, quales sunt Summus Pontifex, & Episcopi. Et certè quód Episcopi olim possent ex causa rationabili Missas tum anniversarij, tum capellaniæ, tum beneficij ad minorem numerum reducere, tradit *Palaus p. 15. n. 4.* ex jure communi ibi citato. Item Episcopi in synodo, Generales & Abbates religionū in capitulis generalibus vigore *Tridentini sess. 25. c. 4. de refor.* poterant onera Missarum cum exiguis proventibus, ad minorem summam pro

sua

sua conscientia revocare. Hodie tamen post decreta Urbani VIII. de quibus supra q. 1. pro reductione Missarum ad Summum Pontificem recurrendum est. Vide *Tambur. lib. 3. de sacr. Missa cap. 1. §. 2. & Dianam p. 2 tr. 14. resol. 1. & 2.*

1123 Rogabis 1. quid fiet si census relictus pro stipendio Missarum pereat in totum? Bené respondet *Tamb. cit. §. 3. n. 89.* si pereat culpa Ecclesiæ illius, cui incumbit Missarum celebratio, teneri eandem ad tales Missas: proindeque resarcire totum damnum: si nulla sua culpa pereat, ad nihil obligari. Quia Ecclesia solum obligatur propter stipendium, quo cessante deobligatur.

Missarũ obligatio censu percuntibus fave tibus.

Rogabis 2. quando testator legavit centum aureos supra quendam fundum pro Missa quotidiana dicenda a monasterio, & hæres qui per decem annos nõ solvit talem summam, ob quod Missæ non fuere celebratæ, reddit nunc monasterio mille aureos: poterit ne monasterium illos accipere, & qua obligatione? Bené respondet *Tamb. cit. n. 86.* posse, cum onere tamen celebrandi Missas respondentes decem annis: & sic poterit retinere quod superest. Nam juxta *Molinam t. 2. rest. d. 208. §. 2.* fructus legati debentur legatario, cum eodem onere quo fuerunt legati. Idem procedit de capellano: hic enim per alios sacerdotes poterit supplere.

Rogabis 3. quid agendum, si propter aliquem casum ita diminuatur census, ut fiat stipendium evidenter minus infimo pretio, nec hæres suppleat, & capellanus omninò non potest Pontificem adire? Bené respondet *Tambur. citat. lib. 3. cap. 1 §. 3. n. 90.* probabile esse capellanum in tali casu posse ex se Missas diminuere, seque indemnem servare. Nam propria indemnitas est de jure naturæ, cõtra quod Decreta Sacræ congregationis agere non præsumuntur.

Missarũ stipendiũ quando minuitur vel differatur.

1124 Rogabis 4. quid possit agere monasterium, vel capellanus obligatus ad Missam quotidianam, quando solutio stipendij differtur? Respondet *Tambur. citat. lib 3. cap. 1. §. 9. num. 12.* si facta morali diligentia (ad quam faciendam tenetur, ex eo quòd tale munus acceptavit) adest moraliter spes recuperandi non multo post tempore pecuniam, obligari ad Missam continuandam: si autem non detur talis spes, vel certé post multum notabile tempus, posse probabiliter differre Missarum celebrationem. Quia non est æquum te laborante, alium tuis laboribus frui: & idem procedere judicat, si adsit spes dubia, vel probabilis stipendij. Quia pro incerto stipendio nemo tenetur subire certum onus. Acquiesco Tamburino loco citato, ad quem pro decisione casuum similium remitto curiosum lectorem.

SECTIO VI.
De præcepto audiendi Missam.

QUÆSTIO I.
An detur præceptum audiendi sacrum: qualiter obliget, & quomodo impleri debeat?

IAm tract. 27. de observatione festorum num. 100. diximus dari præceptum non quidem divinum, sed Ecclesiasticum obligans ad audiendam Missam diebus festis, quod habetur *cap. Missas, & cap. Omnes fideles, de consecrat. dist. 1.* Quanvis enim hoc præceptum (ut inquit Suar. disp. 88. sect. 1.) absoluté nec de jure naturali, nec divino sit, sed meré Ecclesiasticum, tamen supposita institutione hujus sacrificij, utrique juri naturali, & divino valde consonum est. Nam jus naturale postulat, ut Deus cultu aliquo externo honoretur, & Christus Deus Missam instituens præcipit illius celebrationem, dicens, *Hoc facite.*

Missa audienda præceptũ.

Qualiter veró obliget hoc præceptum, quanvis Angelus *v. feria n. 24.* negaverit obligare graviter, & dixerit concionem potiùs quám Missam esse audiendam, quando utranque audiri nequeat, in quo (ut notat Suar. cit.) graviter erravit: dicendum omninò est obligare sub peccato mortali. Patet quia hujusmodi præceptum spectat ad virtutem religionis, estque in materia satis gravi, nempe sacrificio Missæ. Unde recté docet Suar. cit. mortaliter peccare qui unico die festo Missam integram omiserit sine causa, nisi excusetur ob inadvertentiam etiam venialiter culpabilem, ut si quis habens animum audiendi sacrum, occupetur aliqua actione sive bona, sive mala, & hujus occasione habeat inadvertentiam omninó naturalem & non prævisam.

1125 Maior est difficultas explicare quomodò hoc præceptũ impleri debeat. Igitur duo sunt expedienda, primum circa exteriorem actionem circa quam conveniunt authores teneri fideles assistere secundum præsentiam corporalẽ, moralem & religiosam, itaut quantum in ipsis est, audire possint, & videre seu percipere aliquo modo sacerdotis ministerium. Unde dormiens vel ebrius Missæ assistens non implet præceptũ: quia non assistit humano & religioso modo. Idem dicendum de eo qui per maiorem partem Missæ huc & illuc circunspiciat, vel divertatur miscens colloquia impertinentia, præcipué turpia. Cum veró sufficiat percipere aliquo censu ministerium sacrum, poterit cæcus, vel surdus assistere humano modo, & implere præceptum, ut tenet *Bonac. d. 4 de sacr. q. ult. p. 11. n. 19.* si autem simul cæcus & surdus esset, non intelligit *Palaus p. 16. num. 4.* quomodo implere possit.

Præsentia moralis.

Cæcus & surdus ad Missam.

Secundum est circa interiorem actum, qui duplex censetur intentio & attentio. Intentio quæ requiritur & sufficit (inquit *Suar. d. 88. sect. 3.*) est voluntas audiendi Missam, quæ non habeat actum formalem oppositum intentioni implendi præceptum. Unde nec satisfacit qui co-

Intentio audiendi Missam.

Rr actus

actus audit, nec ille qui sponte audit, sed per talem auditionem non vult implere præceptum, nisi postea durante tempore implendi, nolitionē mutet *Sanch. tamen lib. 1. Decal. c. 13. n. 12. & 13.* cōtrarium tenet. Prava intentio adjuncta voluntati audiendi sacrum, non obstat præcepto implendo.

Attentio ad Missā. Postulatur insuper ad impletionem hujus præcepti attentio. Nam Missæ auditio præcipitur ut actus humanus sufficiens ad moralem præsentiam: deinde ut actus religiosus sufficiens ad cultum Deo exhibendum. Attentio triplex est, prima ad verba, secunda ad sensum verborum, tertia ad Deum. Si quis (inquit *Suar. d. 88. sect. 2.*) habeat primam, quæ est infima, solum attendens ad ea quæ sacerdos dicit, & facit, tanquam ad rem sacram, nihil progrediendo & intelligendo, satisfacit. A fortiori, si habeat secundam meliorem attendens ad ea quæ illis verbis & factis significantur: item si habeat tertiam optimam attendēs ad Deum interiori cultu & reverentia. Nec obstabit, si propter hoc a sensibili auditione, & Missæ consideratione omninò abstrahatur. Quod intelligo, dummodo servet præsentiam moralem, & non sit omninó alienatus a sensibus v.g. per extasim, ut æquiparetur dormienti.

1126 Non requiritur quód actualis attentio per totam Missam duret: sed satis est quód incipiat, & postea quis non distrahatur voluntarié ad actus illi repugnante. Nam si voluntarié distrahatur, v.g. confabulando, vel de objectis impertinentibus cogitando, vel (quod peius est) mercando & vendendo, non satisfaciet pro ratione Missæ, quam omisit. Quid de audiente cōfessiones, & confitente. *Palaus pun. 16. n. 4. ex Reginaldo lib. 19. n. 14. in fine* asserit examinantem suā conscientiam vel confitentem sua peccata, item audientem confessiones posse simul Missæ interesse, & utrique obligationi satisfacere.

Attentio ad horas canonicas Infertur 1. maiorem postulari attentionem ad horas canonicas, quàm ad Missam: nam hæc solum ob præsentiam moralem, illa etiam ad orandum exigitur. Infertur 2. posse aliquem, dū sacerdos celebrat, satisfacere simul præcepto audiendi sacrum, & præcepto recitandi horas canonicas, vel voto, aut pœnitētiæ Injūctę recitādi aliquas preces. Hæc ex Suario cit. Addit *Sanch. lib. 1. Decal. cap. 14. n. 12.* ea ratione, qui tenetur duplicē, vel triplicem Missam audire, posse eas simul audire, si in triplici altari celebrentur, dummodo audiens moraliter sit præsens.

QUÆSTIO II.

Ad quid obliget & quomodo obliget hoc præceptum.

Missa integram audienda. PRior quæstionis pars versatur circa materiā hujus præcepti, nempe quid intelligatur nomine Missæ, quæ audiri præcipitur? Resolutio certa est: omnes fideles tenentur ad audiendam integram Missam, seu totam, nempe a principio usque ad finem. Habetur *cap. omnes fideles de consecr. dist. 1.* Ita *Suar. disp. 88. sect. 3.* qui recté infert 1. non posse a fidelibus omitti partem aliquam Missæ etiam minimam voluntarié sine causa, quæ sufficiens erit in ministrante, si ad præcisè necessaria parumper discedat, v.g. ex accidentali occasione ad quærendum vinum, thus & similia. At si tunc notabilis pars omittatur, debet aliam Missam audire, si potest: si non possit, excusabitur ratione debiti ministerij.

1127 Infert 2. omissionem partis Missæ esse mortalem, si pars gravis sit: venialem, si levis. Conveniunt omnes dimidiam partem Missæ vel etiam tertiam esse gravem: minorem quarta, ex ijs quæ accidentalia sunt, esse levem. Unde si quis solum ab initio Evangelij usque ad finem Missæ audiat, non peccabit mortaliter: similiter si ab initio Missæ usque ad comūnionem sacerdotis inclusivè. Addit *Navarrus cap. 21. n. 2.* non peccare mortaliter, si quis ab offertorio, vel symbolo assistat, dummodo postea legat, vel legi faciat Evāgelium Missæ. Hoc tamen parum refert. Solum igitur (inquit *Suar. cit.*) Navarri opinino practicé tolerari potest in hoc sensu, nempe ut is qui Evangelium omisit, audiat totam Missam reliquam usque ad Evangelium Ioanis inclusivé. Est enim hoc Evangeliū aliquo modo pars Missæ, & aliunde probabiliter non est in præcepto, cum dicatur post benedictionem. In quo cum *Suario consentiunt Sà v. Missæ auditio n. 2. Henriq. lib. 9. cap. 25. n. 7. Layman lib. 4. sum. tr. 4. cap. 3. & Bonac. p. 11. n. 17.* *Omissio ad integritatem*

Oportet autem in partibus Missæ non tam considerare temporis moram, quám necessaria ad sustantiam sacrificij. Unde authores facilè permittunt omitti ea quæ antecedunt, & subsequuntur Missæ canonem, in quo valde sunt necessaria quæ a consecratione usque ad communionem continentur: ideoque valde probabile est frangi substantiam præcepti, si vel consecratio vel communio omittatur: non est tamen semper injiciendus scrupulus quando tempus admodum breve est, dummodo consecratio simul & sumptio non omittantur. *Missæ Canon*

Quid de audiente dimidiam Missam ab uno, & alteram dimidiam ab alio sacerdote? *Sà v. Missæ auditio n. 2. Tolet. lib. 6. c. 7. in fine Navarr. cap. 21. n. 2. Layman. lib. 4. tr. 7. cap. 3. Ægid. Coll'an. q. 83. a. 6. dub. un. n. 286. & Bonac. disp. 4. de sacr. q. ult. p. 11. n. 13.* affirmant satisfacere. Et *Palaus cit. p. 16. n. 7.* censet hanc opinionem probabilem & securam. Quia licet illæ partes in re ipsa non componant unum sacrificium, tamen ex begnina Ecclesiæ interpretatione videntur illud componere ad effectum satisfaciendi præcepto. *Missa: Missæ dimidiatio in audiente.*

1128 Favet *Suar. d. 88. sect. 2.* quanvis inclinet in oppositum. Quando quis (inquit) omittit involuntarié partem notabilem, ut si inveniat sacerdotem progressum usque ad consecrationem, & audiat illam Missam, quanvis proprié non impleat præceptum, excusabitur: at si postea Missa dicatur, tenebitur supplere defectum. Ut defectus suppleatur, satis est juxta communem sententiam, audire in secunda Missa quod defuerat in prima: quod præcipuè verū est in accidentalibus. Nam videtur ad substantiam præcepti valde

de spectare, ut tota Missa ab oblatione usque ad consumptionem continuè, & per modum unius audiatur.

Posterior pars quæstionis versatur circa personas in quas hoc præceptum cadit. Ex *cap. omnes fideles, & cap. cum ad celebrandas de consec. dist.* 1. constat, & ex illo docent *Henriq. lib. 9. cap. 25. n. 1. Ægid. Fellan. q. 83. a. 6. dub. uni. n. 286. Sanch. lib. 1. Dec. c. 12. n. 10. & Bonac. d. 4. de sacr. q. ult. pun. 11. a n. 7.* hoc præceptum obligare omnes fideles baptizatos cujuscunque conditionis, sexus, & status. Unde hoc præcepto non ligantur pueri ante usum rationis, nec infideles, nec etiam cathecumini, utpote nullis legibus Ecclesiasticis subjecti. Cathecumeni solum admittuntur ad ipsorum Missam usque ad offertorium Episcopi, clerici, & religiosi ex vi præcepti Ecclesiastici ad nihil amplius tenentur quàm seculares. Omnes autem obligantur ubi primùm ratione uti, & mortaliter peccare possunt.

Missæ obligatio in quos cadat.

Cathecumenorum Missa.

QUÆSTIO III.

Quo in tempore, & quo in loco obliget hoc præceptum?

1129 Supersunt exponendæ circumstantiæ temporis & loci in quibus viget obligatio ad Missam audiendam. Quod attinet ad tempus, conveniunt Theologi apud *Suar. d. 88. sect. 5. & Palaum pun. 16. n. 10.* in diebus omnibus tam Dominicis quam festivis urgere, præceptum sub gravi obligatione ad audiendum sacrum. Quanvis in Ecclesiastico jure scripto *Cap. Missas de consecr. dist. 1.* solum feratur præceptum pro diebus Dominicis, tamen ex consuetudinario, de quo fit mentio in cap. si quis & alijs & ad dist. ad omnes dies festivos extenditur. Quinam hodie sint dies festivi juxta constitutionem Urbani VIII. jam diximus *tr. 27. sect. 3. n. 114.*

Tempus seu dies pro sacro audiendo.

Quanvis (inquit *Suar. cit. sect. 5.* sint aliqui dies spiritualiter dicati ad cultum divinum, quales dies Rogationum, Feria quinta & sexta hebdomadæ sanctæ, & nonnullæ vigiliæ celebriores, ut Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, in illis non tenentur fideles audire Missam: & à fortiori nec scholastici in omnibus diebus, quibus a studijs vacant, si aliunde festi non sint. Elapso die præscripto ad sacrum audiendum, si non audiatur, in diem sequentem obligatio non transit.

Dubium est, an si festum Annunciationis incidat in feriam sextam Parasceves, teneantur fideles interesse sacro illi, seu quasi sacro, quod celebratur tali die? Partem affirmativam defendit *Vasq. disp. 232. cap. 2. n. 18.* quia officium illius diei habendum est pro sacro, itaut obliget ab eo sumpto, in quo sacramentum jam reconditum collocatur in altari consumendum a Sacerdote. Hæc resolutio probabilis est. Nihilominus *Palaus cit. n. 10.* rectè oppositum judicat non improbabile. Quia præceptum audiendi Missam, obligare nequit ea die qua Missa celebrari non potest.

Parasceves dies ad sacri audiendum.

1130 Quod attinet ad locum, jam supra *sect. 3. q. 2.* diximus de loco in quo Missa celebrari possit; at est certo inquirimus locum in quo oporteat audiri, ut satisfiat præcepto auditionis. Iuris canonici professores ex *cap. de parochis, & cap. si quis etiam de consecr.* existimant Missam, qua satisfiat præcepto, esse audiendam in parochijs. Oppositum tamen dicendum est cum *Suar. d. 88. sect. 2. Barb. alleg. 24. n. 17. & Palac pun. 16. n. 12.* qui asserunt satisfacere fideles audiendo Missam ubicunque etiam diebus maximè solemnibus extra parochiam. Patet ex universali Ecclesiæ consuetudine, quæ jus commune ita explicuit: & innuitur a Tridentino sess. 22. decreto de observant. in celebr. Missar. ubi dicit ex consilio & monito Episcoporum debere fideles ad parochias accedere.

Locus pro audienda Missa ex præcepto.

Addit Palaus ex citatis, quanvis fideles occasione verbi divini audiendi ut instruantur in necessarijs & utilibus ad salurem, possint obligari ut accedant ad suas parochias: item regulares obligari ab Episcopo ut diebus Dominicis in Missa conventuali declarent populo, quæ festa & jejunia in illa hebdomada occurrant, tamen non posse ab Episcopo cogi præcepto vel censura, ut Missam audiant in suis parochijs. Satisfaciunt insuper fideles (inquit *Suar. cit.* quin audiant Missam majorem, vel quæ cum cantu dicitur, etiam si audiant Missam alterius diei votivam, aut pro defunctis. In die Nativitatis satisfaciunt unica Missa audita.

Parochia ad Missa audiendam.

Maius dubium est, an fideles omnes satisfaciant dicto præcepto audientes Missam in oratorijs privatis, in quibus solent ordinarij concedere facultatem celebrandi? Videntur negare *Quaranta verbo Missa ver. quanta, & Molfesius tr. 3. c. 13. n. 70.* testantes ex præscripto S. Congregationis haberi ordinarios sub hac forma concedere facultatē debere, ut soli familiares domus præcepto Ecclesiæ satisfaciant ibidem audiendo Missam, secus extranei. Ergo sicut qui Paschate ibi communicaret, non satisfaceret præcepto communicandi, ita nec præcepto audiendi Missam qui ibidem audiret. Ita *Bonac. d. 4. de sacr. q. ult. pun. 12. n. 4.*

Missæ auditio in oratorijs privatis.

1131 Mihi tamen videtur affirmandum cū *Palao p. 16. n. 13.* omnes ibi audientes satisfacere. Ratio est, quia jure communi spectato, nullus fidelis adstringitur Missam audire loco determinato, sed unicuique liberum est ubi libet Missā audire: nam ut sic exequitur rem præceptam, qua executione posita impletur præceptum, quidquid repugnet Episcopus. Privilegium igitur sic exponit Palaus ut restrictio illa non dirigatur ad audientes, sed ad celebrantes, scilicet ut nemini concedatur potestas celebrandi, nisi aliquis ex familiaribus velit præcepto Ecclesiastico satisfacere Missam audiendo.

Oratoria privata ad sacrū audiendū & Eucharistiā ministrādam.

Quod attinet ad ministrationem Eucharistię in oratorijs privatis, sic dicendum est: possunt religiosi in privatis oratorijs sæcularium ministrare Eucharistiam ipsis sæcularibus, etiam secluso privilegio Bullæ, non repugnante Episcopo. Imò id posse facere, Episcopo prohibente, quanvis non deceat, asserit Mascarenhas tr. 4. de Euchar. disp. 4. cap. 4. n. 175. ex privilegio Pauli IV.

Rta & ali-

& aliorum Pontificum, citatque Dianam p.4.tr. 4.resf.14.Suar.de relig.tom.4.lib.9.cap.3.§.Dices idem tenet Pellizar.in manual. Regul.to.2. tr.8. cap.3.n.312.

Potest virtute Bullæ Cruciatæ recipi Eucharistia a quolibet etiam simplici sacerdote, etiam in oratorio privato, ut docet Palaus tr. 21.disp.unica de Bulla Cruc.pun.6. n.15.Tamb. tr.de Bulla Cruc.cap.6.n.3.ubi benè excipit cõmunionem Paschalem ex obligatione. Eandem exceptionem ponit Maschar.tr.4.disp.4. n.180. citans Dianam p.4.tr.4.resol.87. Suar. Fragoſ. Layman, & alios. Ex quo deducitur posse id fieri, etiam prohibente Episcopo, ex eo quòd sit privilegium Pontificium.

QUÆSTIO IV.

Ex quibus capitibus proveniat excusatio a præcepto audiendi sacrum?

Solent octo capita recenseri a theologis, ut videre est apud *Navarrum cap. 21. Henriq. lib. 9. cap. 15. a n. 10. Azorium lib. 7. c. 7. Suar. disp. 88. sect. 6. Bonacin. disp. 4. ult. pun. ult. & Palaum disp. unica pun. ult.* Primum caput est impotentia spiritualis, qualis dabitur, si quis compellatur domi manere legitimo præcepto superioris, vel juramento: item si sit excomũnicatus, vel interdictus speciali aut generali interdicto. Imo non frãget hoc præceptum negligens in quęrenda & obtinenda absolutione, etiam si peccet in alio genere. Idem procedit de infirmo negligente in procurando sanitatem & de incarcerato negligẽte in procurãdo libertatẽ. Ad hoc caput impotẽtię spiritualis revocatur ignorantia, oblivio, & inconsideratio, quæ si sint invincibiles excusant. *Missæ audientiæ excusatio multiplex*

Dubium est, an habens privilegium ex Bulla cruciata, vel aliunde ad audiendum sacrum tempore interdicti, excusetur a præcepto audiendi diebus festis? Affirmat *Stephanus Davila p. 5. de cẽs. disp. 4. sect. 2. dub. 6. conc. 2.* ubi citat *Canum, Victoriam & alios* & hoc dicit probabile *Sà v. Missa auditio n. 4.* Probat, quia tempore interdicti localis non solum est ablatum pręceptum audiendi sacrum, sed illius loco impositum est contrarium pręceptum, ne in tali loco sacrum audiatur. Ergo etiam habens illud privilegium, manet excusatus.

1132 Negandum tamen est cum *Suario disp 88. sect. 6. Bonacin. disp. 4. de sacr. q. ult. pun. ult. n. 24. & Palao n. 2.* Quia tempore interdicti in tantum excusantur fideles ab observatione præcepti audiendi sacrum, in quantum datur prohibitio ex interdicto, proindeque impedimentum: at per illud privilegium cessat prohibitio, & tollitur impedimentum. Ex quo a fortiori tenentur sacrũ audire regulares, quos etiam jus commune cap. *Alma mater, de penit. & remiss.* excipit ab obligatione interdicti servata moderatione. *Missæ auditio tempore interdicti.*

Secundum caput est impotentia corporalis, ut si quis in carcere detineatur, nec habeat facultatẽ excundi ad Missam audiendam: item si domi suę detentus morbo, aut ratione aliqua egredi nequeat Hic enim non tenetur audire sacrum, etiã si habeat domi suę oratorium approbatum, & privilegium ut in eo Missa celebretur. Quia dicere Missam in oratorijs & domibus privatis ex se odiosum est, & ideo præceptum solum obligat ad Missam audiendam in Ecclesijs. Ita *Suar. d. 88. sect. 6. n. 2. Filliucius tr. 5. cap. 7. q. 11. n. 224. Layman lib. 4. sum. tr. 7. cap. 4. n. 3. Bonac. d. 4. de sacr. q. ult pun. ult. n. 14. & Palaus n. 3. contra Didacum Nunez q. 85. a. 6. concl. 2. pag. 521.* Addit *Suar.* ad hoc caput reduci impotentiam navigãtium, qui non tenentur audire Missam, quam vocant siccam, si forte hæc in navi dicatur: quia revera Missa non est. Addunt *Suar. Bonac. & Palaus* excusari a Missa audienda illum, cui necessarium est celebrantem conducere. Est enim medium extraordinarium. *Impotentia corporalis ad Missam.*

Tertium caput est impotentia moralis, quam vel labor non mediocris, vel considerabilis jactura alicujus boni inducit. Ratione laboris excusat *Suar. cit. sect. 6.* eum qui per spatium unius leucæ pedester facturus sit iter ad templum. Intelligendus tamen est attentis qualitate & viribus personarum. Ideo in Lusitania apud Transtaganos non judico excusari servos, & famulos agricolarum, ut per leucam pedibus eant ad quærendum sacrum.

1133 Ratione jacturæ (inquit Suar. cit.) excusatur imprimis qui rationabiliter timet periculum vitæ, vel sanitatis corporalis, ut si æger decumbat, & surgere nequeat sine periculo reincidendi, vel retardandi convalescentiam. Huc spectant fœminæ gravidæ, & qui febri quartana laborant. Item qui rationabiliter timet jacturam honoris, ut injuriam ab inimico: egredi non decenter vestitus, aut comitatus: incurrere infamiã, ut si fæmina quæ reputatur honesta, apparere deberet gravida. Denique qui rationabiliter timet jacturam bonorum externorum, v.g. furtum, si e domo egrediatur, aut comites viæ deserat, aut oves sine custodia: similiter jacturam negotij, vel boni temporalis alterius alicujus momenti. Hæc omnia sunt *Suarij*, & habentur apud recentiores, *Ægid. Bellan. q. 83. a. 6. dub. un. n. 314. Layman. lib. 4. tr. 7. c. 4. n. 3 Bonac. disp. 4. de sacr. q. ult. pun. ult. n. 6. & Palaum tr. 22. d. un. pun. ult. n. 4.* *Æger ad Missam.* *Iactura rerum ad Missam*

Quartum caput desumitur ex charitate, quando necessaria est Missæ omissio, ut succurratur proximo, vel damnum illi eventurum impediatur. Et certé justum ac sufficiens caput est: nam (ut inquit *S. Bernardus*) *propter charitatem sufficienter omittitur, quod propter eandem est introductum.* Unde excusatur qui non nisi omisso sacro potest ministrare infirmo graviter laboranti, vel quanvis non ministret, sola sua præsentia depellit illius laborem, & anxietatem.

Idem dicendum est, quando omisso sacro vitabitur damnum spirituale proximi, v.g. si fæmina continendo se domi non sit occasio peccati alicui, a quo scit se perditẽ deamari. Quavis enim non teneatur suo tanto damno spirituali vitare scandalum illud acceptum, & non datum: licebit tamen ob illam proximi fragilitatem, & necessitatem. In hac doctrina cum *Suario citato* consentiunt *Filliucius tr. 5. c. 7. q. 11. n. 227. & Bonac d. 4. q. ult.* *Charitas excusat a sacro audiendo.*

*ult.pun.ult.*15.repugnat *Palaus n.*5.Idem procedit de fœmina,quæ non nisi omisso sacro potest vitare mariti gravem iram,aut zelozypiam.

Officium quando excusat a Missa. 1134 Quintum caput est desumptum a ratione officij: nam excusantur qui si ad sacrum audiendum se conferant, cum alicujus momenti incommodo deerunt suo officio: quales milites qui vigilant,aut custodiunt,pastores,cursores, & rectores mercium.Quid de famulis?quando ministerium est necessarium, nec sine omissione sacri exerceri potest, nec domini peccant præcipiendo,nec famuli obtemperando: si leviter necessarium sit,peccabit dominus præcipiendo,& famulus exequendo, quando facilé subterfugere, & Missam audire possit,etiam si aliqua levis rixa intercedat:excusabitur verò,si ex hoc grave detrimentum timeat,& faciat dominum certiorem, quod ratione sui exequendi præcepti sacrum omissurus est.

Dicta omnia sunt juxta *Suar.cit.d.* 88. *sect.*6. cui subscribunt *Ægid.Bellan.q.*83. *a.* 6. *dub uni.n.* 286.*Bonacina cit.n.*5.*& Palaus cit.n.*6.addentes excusari matres & nutrices, quæ non possunt deserere infantes,& regulariter melius est domi retinere,quám portare secum ad Ecclesiam ob inquietudinem quæ molestat adstantes, & perturbat celebrantem. Quæ diximus de famulis,procedunt de filijs comparatione parentum,de uxoribus comparatione virorum,de militibus comparatione ducum,& sic de similibus. *Nutrices ad Missā.*

Sextum caput est consuetudo introducta ex causa rationabili,quam tolerant Ecclesiæ pastores:qualis imprimis fœminarum,ut post partum per aliquot dies,etiam si plené convaluerint,ab ingressu Ecclesiæ abstineant. Hæc,si non oriatur ex Mosayco ritu, vel superstitione, sed ex quadam reverentia, improbari non debet. Propter menstruum non est omittendum sacrum, ægritudine aut debilitate seclusa. Altera consuetudo est,& quidem non improbanda, quód viduæ post virorum obitum per aliquot dies e domo non exeant.Bené tamen monet *Palaus n.*7. si nō obstante hac consuetudine exeant ad res aliquas non æqué sacras,nullatenus excusari. *Consuetudo excusans a Missa.* *Viduæ & virgines ad Missā.*

1135 Minus rationabilis(inquit Suar.cit.) est consuetudo illa,quód virgines nubiles se perpetuo domi contineant,& Missa priventur,præsertim si fenestras non fugiant.Hæc semel introducta, quanvis omninò damnari non debeat, prudenter tamen moderanda est, ut saltem festis solemnioribus virgines illæ Missam audiant. Ita *Navar.cap.*21.*n.*4.*Suar.& Bonac.citati:*quibus accedit *Palaus n.*7. addens, si talem consuetudinem violent ob ludos & publica spectacula videnda, se vix credere quód excusari possint. Monent *Suar.& Bonac.* puellas non esse domi solas relinquendas cum periculo violendæ pudicitiæ, sed posse matrem vel aliam personam cum illis manere pro custodia,etiam non audito sacro. *Palaus tamen cit.n.*7.potiùs consulit matribus, ut secum ducant filias ad Ecclesiam, quàm domi relinquant.

Septimum caput addi solet,nempe maior utilitas aut necessitas spiritualis. Unde *Angelus v.feria n.*45. & alii quos tacitis nominibus refert *Azor.to.*1.*lib.*7.*c.*7.*q.*7. *n.*10. affirmant posse Missam omitti ob audiendam concionem, vel confitenda peccata.Negandum tamen est cum *Suar.& Palao citatis.* Quia opus consilij præferri nequit etiam prætextu maioris utilitatis.Solum igitur in dictis casibus dabitur excusatio audiendæ Missæ,quando ob vitæ periculum urgeat necessitas præsentis confessionis.Item quando creditur non esse inveniendum alium cōcionatorem qui in rebus fidei & necessarijs ad salutem instruat. Quia tunc utrumque hoc præceptum divinum Ecclesiastico prævalet.

1136 Octavum caput sumitur ex parte sacerdotis:quando scilicet ,sacerdos est nominatim excommunicatus,aut manifestus clerici percussor,saltem ut talis per sententiam declaratus. Tūc enim(inquit Suar.cit.) judicatur deesse copiam ministri,ac proinde excusaris:quinimò (addit *Palaus n.*9.peccares,si audires. Quid si sacerdos sit notorius concubinarius, aliove peccato publico & enormi scandalosus? Quanvis *Layman lib.* 4. *sum.tr.*7.*cap.*4.*fin.*putet dari excusationem a tali sacro audiendo in tanti sceleris detestationem, arg.*cap.vestra,& ult.de cohabit.cler.& cap. præter* 32. *dist.*Rectiùs *Suar.d.*88.*sec.*6.*fine & Palaus n.*9.oppositum judicant. Quia solum datur excusatio, quando datur præceptum sacerdotis vitandi: illud autem non datur ex præcisa ratione enormissimi sceleris. *Missa audiendo ab excōmunicato.*

Illud notant citati authores,quanvis valde rationabile, & consonum sit omittentem sacrū ex impotentia vel ex malitia,illius loco aliquas orationes, vel preces fundere, ut cultum Dei omissum aliqua ratione sarciat, ad id tamen non teneri.Denique *Suar.cit.in fine* observat transgressoribus hujus præcepti nullam pœnam jus ipso facto incurrendam imponere. Nam *cap. Missas, de consecr.d.* 1.solum habetur, quód transgressores. *Ab Episc opo publicè confundantur.* Exponunt authores de publica reprehentione, & si opud sit,excommunicatione. *Pœna cōtra non audientes sacrum.*

TRACTATUS XXXIX.

De pænitentiæ Sacramento.

SECTIO I.

De virtute pænitentiæ, institutione, ac necessitate Sacramenti pænitētiæ.

QUÆSTIO I.

Quid sit virtus pænitentia: quem effectum habeat: ex qua necessitate, & qualiter obliget?

1137 TRes partes habet quæstio. Prima inquirit quid sit pænitētia prout est virtus? Rectè *S. Isidorus lib. 3. Etym. cap. ult.* dicit pænitentiam a pœna, itaut idem sit *pænitere*, quod pœnam tenere: & *pænitentia*, quod pœnæ tenentia, seu punientia. Ut innotescat quænam virtus sit, attendi debet illius speciale motivum: si enim sumatur laté, & transcendat per motiva aliarum virtutum, cum illis coincidet: nam erit charitas si doleat de peccatis, prout advertantur bonitati divinæ: erit justitia si doleat de peccatis contra justitiam, prout lædunt alterius jus: & sic de aliis. Igitur motivum speciale, seu objectum formale, quod pænitentiam distinguit a reliquis virtutibus, eamque virtutem specialem constituit, est jus divinum læsum reparare, vel illæsum conservare. Et in hac acceptione pænitentia juxta *Suar. d. 1. de pæn. sect. 3. & Valent. d. 7. q. 2. p. 1.* potest definiri virtus, qua homo dolet de peccatis propter jus divinum læsum reparandum, vel illæsum conservandum.

Pænitentia quid sit.

2. Pars quæstionis inquirit quênam effectum habeat virtus pænitentiæ? Respondeo habere pro effectu remittere, seu delere & extinguere omne peccatum tam mortale, quàm veniale. Est de fide ut multis probat *Bellarm. lib. 2. de grat. & libero arbit. cap. 5.* desinitur in *cap. firmiter de summa Trinit.* & videre est apud *Suar. de pæn. disp 8. sect. 1. n. 4. & Vasq. to. 2. in 3. p. disp. 15 2. n. 3.* Probatur ex congruentia: nam facta divina promissione consentaneum fuit tùm divinæ misericordiæ, tum humanæ fragilitati, ut daretur aliquod remediū quo homo ad peccandum pronus compararet remissionem peccatorum: sed nullum aliud apparet convenientius quàm pænitentia virtus: sicut enim per peccatum homo avertitur a Deo & convertitur ad creaturam, ita per pænitentiam avertitur a creatura & convertitur ad Deū; ergo pænitentia de facto habet vim remittendi omne peccatum tam mortale quàm veniale.

Pænitentiæ effectus.

1138 3. Pars inquirit, quam necessaria sit virtus pænitentiæ & qualiter obliget? Omnibus adultis qui in peccatum mortale inciderunt, necessariam esse ad salutem virtutem pænitentiæ formalis, aut virtualis, docet *Trident. sess. 14. c. 4.* & constat ex illo Lucæ 3. *Nisi pænitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Æquum enim est, ut qui per peccatum a Deo avertitur læso eius jure, per charitatem & dolorem de peccatis, ad Deum eiusdem reparato jure convertamur.

Pænitentiæ virtutis necessitas.

Cum veró pænitentia habeat duos actus, nēpe contritionem, & attritionem, dubium est, sufficiat ne attritio, an sit necessaria cōtritio? Benè respondent *Valent. tr. 4. disp. 7. q. 9. 8. p. 4. Suar. de pæn. d. 15. sect. 4. & Bonac. d. 5. q. 5. sect. 1. pun. 2. n. 5.* si detur occasio suscipiendi Sacramenta baptismi vel pænitentiæ, sufficere cum illis attritionē, ut manifestè colligitur ex *Triden. sess. 14. cap. 4.* Addunt tamen limitationem, ne id procedat in articulo mortis. Quia tunc ob periculum æternæ damnationis, tenetur quis ex propria charitate conari ad contritionem: nam justa *Sotum de natura & grat. cap. 15. & Navar. sum. c. 1. n. 37. & 41.* attritio cognita non sufficit.

Attritionis sufficientia.

Contritionis necessitas.

Admitto limitationem, sed non ob hoc fūdamentum, quod incerta sit sufficientia attritionis cognitæ cum sacramento mortuorum: est enim talis sufficientia certa ex *Trident. citato.* Cum verò quis absque Dei revelatione non possit certificari de legitima attritione, tenetur in articulo mortis conari ad contritionem, ut saltem attritus fiat. Ita *Palaus tr. 23. ex Ægid. d. 3. de pæn. dub. 1. n. 6. & Layman lib. 5. sum. tr. 6. c. 2.*

1139 Quo autem tempore præceptum pænitendi obliget peccatorem, difficile est assignare. Si loquamur de necessitate per accidens, triplex erit tempus. 1. Quando aliquod sacramentū est suscipiendum, vel administrandum. 2. Si peccator certò credat regnum, aut aliquam communitatē propter ipsius peccatum esse puniendā. 3. Si vexetur gravibus tentationibus, a quibus credat se vincendum, nisi de peccatis doleat. Si loquamur de necessitate per se, certum est dari præceptum in articulo mortis: quia tunc oportet per legitimum dolorem retractare peccata, sive confessoris copia detur, sive non: aliter committetur peccatum impænitentiæ: quod consistit in eo quòd quis post grave peccatum commissum, differat per multum tempus pænitere. An detur obligatio extra mortis articulum? Affirmant cōmuniter authores dari, non quidem ut statim post commissum peccatum, adsit dolor de illo commisso: sed ne multum differatur pænitere, scilicet (exponit Palaus n. 9.) post tres vel quatuor annos. Quia per talem moram censebitur peccator contemnere sui Creatoris amicitiam.

Observat tandem Palaus n. 11. cū citatis post pænitentiam semel peractam, opus deinde non esse alia pænitentia, etiam si peccata memoriæ occurrant. Addit peccatorem omninó oblitum suorum peccatorum sola dilectione Dei super omnia justificari, quia illa est virtualis contritio, itaut non teneatur extra sacramentum pænitentiæ ad illorum detestationē.

Charitas sola remittit peccata.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quænam sit institutio essentia & necessitas Sacramenti pænitentiæ?

Clavium potestas. POtestatem clavium, quæ eleganti metaphora a munere aperiendi & claudendi deducitur, esse in Ecclesia, ad remittenda peccata post Baptismum commissa, & fuisse communicatam a Christo Domino, qui Apocal. 3. dicitur habere clavem David, catholica fides docet, & præter alia concilia expressius definit *Trident. sess. 14. cap. 1. can. 1. & 3.* ex illo Math. 16. *Tibi dabo claves regni cælorum.*

Institutio sacram. Pœnit. 1140 Quod attinet ad institutionem Sacramenti per potestatem clavium, certa de fide resolutio est Christum dominum instituisse Sacramentum pænitentiæ in remissionem peccatorũ quod veré Sacramentum est a Sacramento Baptismi distinctum. Constat ex *Florent. in litteris Eugen. & Trident. sess. 14. can. 1*. Deinde ratione quia illud est Sacramentum a Christo institutũ, quod Christus instituit tanquam sensibile signum, cui annexuit promissionem gratiæ sanctificantis permanenter: & ita se habet pænitentia, seu confessio peccatorum ex Christi institutione. Distinctio autem inter utrunque dictum Sacramentum patet manifesté ex diversa forma & materia utriusque.

Pænitẽtiæ sacramẽti essentia Quod attinet ad essentiam, ut explicemus rationem formalẽ hujus Sacramenti, advertendum est, illud sumi dupliciter, nempe quâ totum metaphysicum est compositum ex genere & differentia, vel quà totum physicum compositum ex materia & forma. Unde sumptum metaphysicé definitur in hunc modum: (Pænitẽtia est signum efficax gratiæ, quo remittitur peccatum post Baptismum commissum per modum judicij.) Sumptum physicé quá totum morale artificiale quoad partes veluti physicas, potest describi in hunc modum: *Pænitentia est sacramentum constans ex confessione dolorosa peccatorum, & verbis absolutionis, integratumque satisfactione pro peccatis.* Habetur ex *Concilio Florentino sess. ult.* in decreto Eugenij §. *Quartum sacramentum*, ubi sic habet. *Quartum sacramentum est pænitentia, cujus quasi materia sunt actus pænitentis, qui in tres partes distinguuntur, quarum prima est cordis contritio, secunda oris confessio, tertia satisfactio pro peccatis secundùm arbitrium sacerdotis. Forma hujus sacramenti: Ego te absolvo.* Priores duæ partes, nempe materia quasi physica, quæ est confessio peccatorum ex cordis contritione & forma, nempe verbalis absolutio, sunt essentiales, & satisfactio pro peccatis est integralis. Patebũt omnes inferiùs, quando egerimus de illis seorsim.

Necessitas sacramenti pænitentiæ. 1141 Quod attinet ad necessitatem hujus sacramenti, prænotandum est dupliciter posse aliquid sacramentum dici necessarium ad salutẽ, primò necessitate præcepti, quando scilicet ex præcepto suscipi debet: secundo necessitate medij, quando est medium ita necessarium ad salutem, ut sine illo, vel in re, vel saltem in voto salus obtineri nequeat. De necessitate sacramenti pænitentiæ ex præcepto, dicemus sect. 9. Modo inquirimus utrum sit necessarium necessitate medij?

Certa omninó est affirmativa sententia, quam tenent cum *S. Thoma 3. p. q. 65. a. 4. Valent. d. 7. q. 1. p. 6. §. 2. assert. Bellarm. lib. 3. de pæn. a. c. 2. Vasq. in 3. p. q. 84. a. 5. a. un. Suar. d. 17. sect. 2. n. 3. & Lugo d. 15. sect. 1. n. 1.* Constat authoritate *Sixti Quarti* in quadam Extrav. contra Petrum de Osma, quam refert Castro in verbo *Confessio*, ubi dicitur Pontifex dictam sententiam tradidisse. Insinuatur a *Concilio Constantiensi sess. 8. & 15.* Videturque definiri a *Trident. sess. 14. cap. 2.* prope finem, in hæc verba. *Est autem hoc sacramentum pænitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.* Cum igitur Baptismus necessarius sit necessitate medij non dum regeneratis, sequitur pænitentiam esse necessariam necessitate medij lapsis post baptismum.

Ut veró innotescat qualiter sufficiat sacramentum pænitentiæ in voto, & qualiter in contritione contineatur, notandum est quòd *Trident. sect. 6. cap. 4.* docuit pænitentiam necessariam ad justificationem post Baptismum continere non modó cor contritum, & humiliatum, verùm etiã peccatorum sacramentalem confessionem, saltẽ in voto. Ex quibus intelligitur 1. tale sacramentum esse medium necessarium ad salutem in re vel in voto disjunctivè, itaut quando in re suscipi nequit, saltem in voto suscipiatur. Intelligitur 2. quàm diversimodè in contritione contineatur votum, hujus sacramenti, & aliorum præceptorum: quia Christus illud instituit tanquam medium justificationis, & non alia præcepta, quorum proinde votum necessarium ad salutẽ non est. *Pænitentia in voto.*

1142 Rogabis 1. utrum requiratur votum explicitum sacramenti pænitentiæ, habitum scilicet per expressum actum, an sufficiat implicitũ, nempe inclusum virtualiter in actu contrictionis, aut amoris Dei super omnia? Quamvis *Cano relect. de pænit. p. 5.* defendat requiri votum explicitum, dicendum est tamen cum communi, & practicè certa sententia, quam cũ *S. Thom 4. d. 17. q. 3. a. 1,* defendit *Suar. disp. 17. sect. 3. n. 9.* sufficere votum implicitum; quale continetur in amore Dei super omnia, & proposito servandi omnia mandata, supposita institutione & necessitate hujus sacramenti. Habetur per deductionem ex *Trident. sect. 14. cap. 4.* ubi docet. *Reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Sentit ergo S. Concilium in contritione virtualiter includi sacramenti votum quod sufficit. Hoc etiam suadet praxis fidelium, qui frequentissimé contritionem elicientes nullo modo futuræ confessionis recordantur. *Votũ seu voluntas pænitẽtiæ.*

Rogabis 2. utrum & quando detur necessitas, ut hoc sacramentum semel susceptum iteretur, seu iterum suscipiatur? Certum est sacramentum pænitentiæ, sicut & reliqua quæ non imprimunt characterem, iterari posse. Solum dubitatur quãdo iterari possit, vel debeat? Dico 1. quotiescun- *Pænitentiæ iter.*

gus

que post hoc sacramentum semel susceptum cõmittitur peccatum mortale, illud iterari potest, ac debet. Est de fide apud *Suar. dp.* 18. *de pæn. sect.* 4 *n.* 6. Sumitur ex *Trident. sess.* 14. *can.* 1. ubi definit *sacramentum pænitentiæ esse institutum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, Deo reconciliandis.*

Dico 2. Confessio mortalium, quæ ex oblivione aut justa causa omittitur, iterari potest ac debet. Ita *Ægid. Bellan. d.* 7. *dub.* 11. Ratio est, quia ex Christi Domini institutione omnia mortalia cõmissa post Baptismum cessante oblivione, aut causa justa, debent subjici clavibus: non autem subjiciuntur, donec in confessione aperiantur.

1143 Dico 3. quanvis non sit necessitas, est tamen magna utilitas confitendi peccata jam cõfessa, & directè remissa absque onere comparendi coram superiore. Ita *Valent. d.* 7. *q.* 1. *pun.* 6. *Suar. d.* 18. *sect.* 4. *Bellan. de pæn. d.* 4. *dub.* 3. *n.* 27. *& Palaus de pæn. pun.* 6. *n.* 5. Et procedit juxta citatos authores tam de mortalibus, quàm de venialibus. Suadetur utilitas, quia per iterationem validam sacramenti confertur gratia. Nec in tali sacramento deficit nova materia, cum detur nova confessio dolorosa circa peccata quantumvis remissa.

Peccata semel cõfessa ad aliam confessionem.

SECTIO II.
De forma & materia pænitentiæ.

QUÆSTIO I.
Quænam sit forma pænitentiæ: quem effectum, & sensum habeat?

Forma absolutionis.

FOrma necessaria & sufficiens hujus sacramẽti est, *Absolvo te.* Ita *Vasq.* 3 *p. q.* 84. *a.* 3. *dub.* 4. *Suar. d.* 19. *sect.* 1. *n.* 20. *Valent.* 3. *d.* 7. *q.* 1. *pun.* 3. *& Lugo de pæn. d.* 13. *sec.* 1. *n.* 17. Probatur ex Pio V. qui in suo Catechismo de pæn. n. 15. docet formam hujus sacramenti esse: *Ego te absolvo.* Et semper pronomen *Ego* auferri valet, cum maneat idem sensus, ut in forma Baptismi docet S. Thomas q. 66. a 5. ad 1.

Monet verò *Tamb. lib.* 3. *de absol.* semper esse proferendam formam, ut est in usu: *Ego te absolvo a peccatis tuis. Addit* §. 2. urgente periculo mortis, vel necessitatis, esse proferendam sic: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.* vel hoc modo. *Ego te absolvo ab omnibus censuris & peccatis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Amẽ.* Suadet aptum esse usum hujus formæ in brevibus confessionibus, & illorum qui sæpe confitentur: imó quando datur magna frequentia populi aures confessoris vehementer poscentis.

At quando absolutio pro dignitate omni verborum solito apparatu impendenda est, fiat in hunc modum. *Misereatur tui Omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternã, Amen. Dominus noster Iesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius te absolvo: Primùm a sententia excommunicationis, & ab omni censura ecclesiastica, si quam forte incurristi: Deinde te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris & Filij, & Spiritus S. Amen. Passio Domini nostri Iesu Christi & merita B. Mariæ, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali patienter sustinueris fiat tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, Amen.*

Absolutio ad longũ.

1144 Rogabis 1. an ad hujus sacramenti formam, seu absolutionem essentialiter requirantur verba propriè dicta, seu voce humana prolata? Quanvis *Palud. d.* 17. *Medina Cod. de confess. q. de modo confitendi. Petrus Soto sect.* 11. *de confess. & Navarr. in sum. c.* 2. *n.* 36. negent, quatenus dicunt valere in aliquo casu formam scripto missam: affirmandum tamen est cum communi, & certa sententia, quam cum *S. Thoma* 3. *p. q.* 84. *a.* 3. defendunt *Suar. dp.* 19. *sect.* 1. *n.* 3. *Bellanus d.* 4. *dub.* 9. *n.* 66. *& Card. de Lugo disp.* 13. *pæn. sect.* 1. *n.* 2. Sumitur ex *Concil. Florent. in decreto Eugenij* 4. *& Trident. sess.* 14. *cap.* 3. ex institutione Christi, traditione, & perpetua consuetudine Ecclesiæ id sentientis.

Verba propriè in absolutione.

Rogabis 2. quænam verba sint de essentia absolutionis, quæ ita habet: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* Quanvis *Duran. in* 4. *d.* 22. *q.* 2. asseruerit esse de essentia formæ verba illa, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* & Gabriel dixerit præter verba *Absolvo te,* requiri particulum *ab omnibus peccatis tuis & Maior dist.* 14. *q.* 2. saltem exegerit particulam *a peccatis tuis* tamen communis & vera sententia docet duo tantum verba ex supra positis necessaria, & sufficientia esse ad substãtiam absolutionis, scilicet, *Absolvo te.* Defenditur a *S. Thoma, Caiet. Navarr. & alijs,* quos referunt, ac sequuntur *Henriq. lib.* 4. *de sacr. c.* 11. *Vasq.* 3. *p. q.* 84. *a.* 3. *dub.* 4. *Suar. d.* 19. *sect.* 1. *n.* 20. & ex nuperrimis *Tambur. lib.* 3. *de absol. c.* 1. §. 1

Quòd hæc duo verba sint necessaria, constat, quia sine verbo *absolvo* nec fit propositio, nec significatur actio judicialis: sine pronomine (*te*) nec significatur absolutio practice, nec determinatur in particulari cui fiat. Quòd sint sufficientia, suadetur, nam cujuscunque sacramenti forma essentialiter in ijs solum consistit, quæ ex vi sua, vel ex accommodatione & usu Ecclesiæ effectum talis sacramenti significant: sed hæc duo tantum verba *Absolvo te* saltem ex usu & accommodatione Ecclesiæ significant effectum sacramenti pænitentiæ, scilicet liberationem a peccatis, quæ fit per infusionem gratiæ sanctificantis; ergo sufficiunt.

Verba necessaria in absolutione.

1145 Rogabis 3. utrum essentia formæ illius consistat in dictis verbis *Absolvo te* formaliter seu æquipollenter acceptis, an materialiter, ita ut suppleri nequeant per alia æquipollentia? Respondeo cum communi Theologorum consistere in illis verbis acceptis formaliter, seu æquipollenter. Nam in formis sacramentorum potiús attenditur ad sensum, quàm ad materialem sonum verborum. Unde juxta omnes valet absolutio sub his verbis: *Ego tibi remitto, vel condono peccata* Iuxta *Valent.* 3. *p. d.* 7. *q.* 1. *p.* 3. valet hæc: *Ego sacramentum absolutionis tibi impendo.* Iuxta *Suar. d.* 19. *sect.* 1. *n.* 22. idem procedit de verbis prolatis per modum imperantis, nempe *Absolvaris a me:*

Absolutio per verba æquipollẽtia.

vel *Absolvatur Ioannes.* Addunt Vasq. & Valent. citati idem dicendum de his: *Ego absolvo Ioannem, vel Majestatem tuam: si Ioannes, aut Rex confiteatur.*

Notandum tamen est, quamvis dictæ formæ validè proferantur, at non licitè, utpote contra usum Ecclesiæ: mortaliterne an venialiter? *Henriq lib.4.de sacr.cap.11.§.4.& Valent. cit pun.3.* existimant esse peccatum veniale ex genere suo, & solum fore mortale, quando detur probabile periculum irriti sacramenti. Rectius *Vasq.3.p.q.84.a.3.dub.3.n.12.& Toletus lib.3.cap.12.* docent esse mortale ex genere suo, utpote contra usum & præceptum Ecclesiæ in materia gravi, qualis est sacramentalis forma.

Effectus sacramẽti pænitẽtiæ.

1146 Quod attinet ad effectum hujus sacramenti, sumitur ex morali potentia, quâ Christus Dominus concessit Apostolis quà sacerdotibus ad remittenda peccata per infusionem gratiæ, ut docent Theologi ex *Trident.sess.14.c.1.& can.3.* Unde cum sit dubium quinam sit primarius effectus sacramenti pænitentiæ, peccatorum expulsio an sanctificantis gratiæ infusio? rectè docet *Suar.d.19.sec.2.n.15.* primarium effectum illius esse infusionem gratiæ sanctificantis taliter: id est per modum regenerationis, quæ positiva remissio peccatorum appellari potest. Explicatur, nam potentia illa moralis, est instar physicæ: nulla autem physica ordinatur primò ad destructionem alicujus formæ, sed tantum ad introductionem alterius, per quam illa formaliter expellatur.

Sensus formæ pænitentiæ.

Quod attinet ad sensum verborum formæ, missis varijs opinionibus, ea mihi placet quæ asserit verba absolutionis: *Ego te absolvo a peccatis tuis* reddere hunc sensum *Ego quantum est in me cõfero tibi gratiam remissivam peccatorum.* Ita communiter recentiores cum *Suario d.19.sec.2.n.19.* Suadetur, quia veritas formæ sacramentalis desumi debet in ordine ad significandum, illum effectũ, ad quem Christus Dominus sacramentum instituit: est enim sacramentum signum practicum significans id quod efficit: sed Christus instituit pænitentiam ad conferendam gratiam remissivam peccatorum actualium, ut ex superioribus constat, ergo prædictum sensum reddunt verba absolutionis.

Absolutio conditionata.

Ex dictis colliges 1.cum *Vasq.d.104.q.84.a.3. dub.3.n 8.Suar.d.18.sec.1.n.24.& Lugone d.13.sec.4.n.92.* invalidam fore formam absolutionis, v.g. hanc (Absolvatur servus Christi) si proferatur deprecativè, seu per modum deprecationis. Colliges 2.cum citatis formam absolutionis prolatã sub conditionibus de præterito vel præsenti esse validam, si conditio de facto datur: esse tamen invalidam, si proferatur sub conditione de futuro. Quia actus suspensio solum obstat valori præsentis absolutionis: at per solam conditioné de futuro datur suspensio. Colliges 3. nunquam licere prolationem absolutionis sub conditione de futuro: solum autem licere sub conditione de præterito aut præsenti, quando detur justa causa, v.g. si post diligentem discussionem adhuc sacerdos prudenter dubitet an pænitens sit capax, vel sufficienter dispositus.

Absolutio in absentia.

1147 Colliges 3.cum *Vasq q.91.a.2. dub.1. Suar.d 21.sec.4.n.8.& disp.23.sec.1.n.12.& Laym. lib.5.sum.tr.6.c.3.fine* quavis absolutio in absentia invalida & damnata sit, non damnari a Clem. VIII. usum in Ecclesia satis receptum absolvendi in præsentia moriturum, qui absente sacerdote signa contritionis exhibuit, confessionemque postulavit, de qua generali confessione sacerdoti, tum testibus tum scriptura constat. Quia Clemens solum videtur damnasse absolutionem in absentia, non verò confessionem. Quod si (addit *Palaus tr.23.pun.5.n.8.*) utrunque damnavit, affirmare possemus illam confessionem in absentia factam moraliter tempore absolutionis in præsentia repeti medijs testibus, vel scriptura, quibus sacerdoti præsenti manifestatur pænitentem absolutionem petisse.

Si quæris in qua distantia censeatur confessarius præsens pænitenti? Respondeo id prudentis arbitrio relinquendum esse: semper tamen ea præsentia sufficiet, in qua verum sit dicere per verba, quæ ad pænitentem dirigantur: *Absolvo te.*

QUÆSTIO II.

Qualiter peccata sint materia hujus sacramenti?

Materiã remota pænitẽtiæ.

CUm in sacramento pænitentiæ, sicut in reliquis, duplex sit materia, altera remota, népe peccata, altera proxima scilicet dolor & confessio, quæ versatur circa remotam abolendam, quæstio præsens inquirit, quænam peccata sint materia remota pænitentiæ? Respondeo ex distinctione *Trident.sess.14.c.2,& can.1.* peccata actualia post Baptismum commissa esse materiam remotam hujus sacramenti. Ita omnes Theolog. cum *S.Thoma q.84.a.2.* posui (actualia) ut excluderem (originale) Hoc enim cum sit aliena voluntate commissum materia propriæ accusationis esse nequit.

Originale peccatũ ad pænitẽtiã

Dixi *post Baptismum commissa*, quia infidelis per Baptismum fit subditus, seu subjectus Ecclesiæ, & sacramentalis absolutio profertur per modũ sententiæ, in judicio, quod necessario in subditos, & circa crimina, quæ durante subjectione commissa sunt, exerceri debet. Quid de peccato lethali commisso in ipso Baptismo per indebitam illius susceptionem? Respondeo cum *S.Thoma Suario & Vasquio*, quos citat & sequitur *Palaus p.9.n.2* esse materiam pænitentiæ: quia licet Baptismus non antecedat tempore tale peccatum, antecedit natura, prout est verum dicere quòd ab homine baptizato committatur, & ut sic subjecto clavibus Ecclesiæ.

Peccato cõmisso in ipso Baptismo

Venialia ad confessionem.

1148 Quid de venialibus? Respondeo ex *Trident.sess.14.c.5.can.7.* esse materiam sufficientẽ, sed nõ necessariam. Quia alijs vijs remitti possunt. Idem de mortalibus ritè confessis, docent cum *S.Thoma in 4.disp.17.q.3.a.3. quæstion.5.Suar d.18.sect.4.& Layman lib.5.sum.tr.6.cap.3.n.5.* Nõ sunt materia necessaria, quia jam legitimè remissa. Sunt materia sufficiens, prout induunt novam materiam proximam accusationis dolorosæ.

Quid de peccato dubio, scilicet de quo dubitatur an sit veniale, vel dubitatur an fuerit commissum? Respondeo ex *Suar. d. 18. sect. 1. n. 12. &* *Layman lib. 5. sum. tr. 6. c. 3. n. 5.* quibus consentit *Palau p. 6. n. 6.* tale peccatum per se sumptum nō posse materiam esse sacramenti ob periculum irritationis, si forte commissum non sit, vel saltem non attingat malitiam venialem. Unde quando quis tenetur fateri peccatum mortale dubium, vel quia dubitat an sit mortale, vel an illud commiserit, fateri debet illud simul cum alia materia certa, si vult sibi absolutè impendi absolutionem: secus, sub conditione tantum absolvendus est. Ex quibus patet non esse materiam sacramenti pœnitentiæ, actum de quo dubitatur, sitne peccatum mortale, aut veniale, si a parte rei nullum peccatum sit.

Dubium peccatū.

QUÆSTIO III.

Qualiter dolor de peccatis sit materia proxima pænitentiæ?

CUm dixerimus materiam poximam hujus sacramenti esse accusationem, seu confessionem dolorosam, proindeque coalescentem ex dolore & confessione, hujus explicatione ad sequentem quæstionem remissa, in præsenti dolorem per sequentes difficultates explicemus.

1149 1. Difficultas est, utrum contritio rigorosa, prout ab attritione distinguitur, sit materia proxima necessaria ad hoc sacramentum? Prænotandum est discrimen inter contritionem & attritionem (ut habetur in nostro Elucid. n. 1161. nam contritio est detestatio peccati quatenus opponitur bonitati divinæ, & solvit amicitiam cum Deo: attritio vero, est quævis alia honesta & supernaturalis destestatio ex motivo inferiori, scilicet peccati, quá opponitur beatitudini æternæ, vel honestati virtutum.

Cōtritio & attritio.

Apud *Suar. d. 20. sect. 1.* improbabilis & temeraria est opinio asserentium sufficere ad effectum hujus sacramenti voluntatem confitendi, & recipiendi absolutionem, dum modó pænitens non habeat actum quo formaliter vel virtualiter peccato adhæreat. Nam requiritur aliquis formalis actus pęnitentię juxta *Trident. sess. 14. cap. 4.* ubi conclusit, *Ecclesiam nunquam docuisse aut sensisse sacramentum hoc dare gratiam sine proprio motu pænitentis.*

Sufficiat ne ad valorem & effectum hujus sacramenti attritio an requiratur contritio? Requiri contritionem tuentur *Magister in 4. disp. 18. S. Bonav. ibid. a. 2. q. 1. & Hugo de S. Vict. in sum. sent. tr. 5. c. 11.* Dicendum tamen est supernaturalem, & integram attritionem peccatorum mortalium absolutè loquendo sufficere valorem, & effectū sacramenti pęnitentię. Ita *Henriq lib. 1. de pæn. c. 26. n. 5.* ubi in *marg. lit. P.* allegat aliquos DD. Salmāt. qui hoc ita certum existimarunt, ut sine temeritate & errore negari non posśit. *Valent. d. 7. q. 8. p. 3.* asserit opinionem quæ requirit contritionem cum sacramento ad justificationem videre manifesté rejectam a *Tridentino sess. 14. c. 4. Suar. d. 20. sect. 1. n. 10.* dicit nostram resolutionem adeo certam esse, ut absque errore negari non posśit. *Vasq. 1. 2. q. 63. n. 6.* absolutè docet *Trident. sess. 14. c. 4.* definisse contritionem imperfectam, quam dicimus attritionem, esse sufficientem dispositionem, ut sacramento pænitentię quis justificetur. Addit tamen non esse difinitum utrum hoc intelligitur de attritione putata contritione, an etiā cognita ut tali.

Attritio sufficiens cum sacramēto.

1150 Quidquid tamen sit de qualificatione certitudinis, Suar. citatus rectè docet attritionem, etiam cognitam ut talem sufficienter disponere. Neque enim oportet illam reputare contritionem, ut effectus conferatur. Semper tamen attritio, ut sufficiat, debet esse ex motivo supernaturali, atque adeo ex auxilio gratiæ. Nam *Trident. sess. 14. can. 3.* concludit *neminem sine gratia posse pænitere, sicut oportet.* Item debet esse integra. scilicet de omnibus peccatis mortalibus non remisśis. Ratio est quia nullum peccatum mortale remittitur sine alijs, & uullum sine pęnitentia. Unde (ut bene *Suar. d. 20. sec. 2.*) si quis scienter, vel ex ignorantia sive culpabili, sive inculpabili omittat attritionem alicujus peccati mortalis, quanvis cęterorum illam habere videarur, non consequetur effectum hujus sacramenti: secus quando attritio generalis est, etiamsi non cadat formaliter in peccata oblita non confessa. Semper tamen in ordine ad confessionem debet cadere formaliter in omnia peccata, de quibus fit confesśio, saltem confusè. Quia tunc dabitur vera accusatio.

Attritio cognita.

2. Difficultas est, qualis attritio requiratur & sufficiat in hoc sacramento ad justificationem? Constat ex dictis requiri & sufficere attritionem supernaturalem in re existentem. Unde non sufficit dolor ex motivo merè humano & naturali. Quia talis dolor non avertit voluntatē ab affectu culpę, sed ad summum cōhibet ab actu externo. Deinde non sufficit attritio existimata per ignorantiam sive vincibilem, sive invincibilem. Quia Concilium ijsdem verbis postulat attritionem ut partem Sacramenti, & ut dispositionē ad ejus efectum:. supra autem ostendimus non sufficere existimatam in ratione dispositionis. Constat igitur requiri semper ad confessionem sacramentalem aliquem supernaturalem dolorē. Unde mihi non bené sonar hęc propositio: Dolor de peccatis multo antea confessis sufficit quanvis non repetatur in confessione. Ita Ben. *Remig. in sum. Hisp. tr. 5. c. 5. §. 14.* ubi approbat talem propositionem.

Attritio qualis esse debeat.

1151 Maius dubium est an vera attritio etiam cognita ut talis sufficiat cum Sacramento pęnitentiæ tum ad ipsius valorem, tum ad ipsius efectum? Negant *Victoria in Relect. de potest. Eccl. q. 2. Sotus lib. 2. de nat. & grat. c. 15. ledesma 2. p. 4. q. 20. a. 1* & hoc probabile judicat *Toletus lib. 3. cap. 4.* Affirmandum tamen est cum *S. Thoma in 4. d. 17. q. 3. a. 5. Bellano de Sacram. d. 8. de pæt. dub. 1. Vasq. q. 92. a. 1. dub. 2. n. 14. & Suar. ci. n. 20.* qui licet fateatur positam resolutionem esse

ſe minus certam quàm præcedentes, tamen cenſet eſſe longè probabiliorem quàm oppoſitam, & hoc tempore practicè certam. Ratio eſt quia non datur præceptum accedendi ad hoc ſacramentũ abſque peccato mortali: eſt enim ſacramentum mortuorum; ergo ſufficit accedere cum attritione cognita.

3. Difficultas eſt, an dolor requiſitus ad hoc ſacramentum debeat ſemper præcedere confeſſionem? Affirmat *Bellarus de pæn. diſp.* 4. *dub.* 6. dicens præcedere debere non ſolum natura, ſed etiam tempore. Favent *Toletus in ſum. lib.* 3. *cap.* 4. *ad finē Palaus tr.* 23. *pun.* 7. *n.* 11. *Layman lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 4. Negandum tamen eſt cum *Henriq. lib.* 4. *de pæn. c.* 28. *n.* 3. *Suar. d.* 20. *ſec.* 4. *n.* 30. *Bonacina de ſacr. d.* 5. *q.* 3. *p.* 2. *n.* 8. & *Cardin. de Lugo de pæn. d.* 14. *ſec.* 2. *n.* 13. dicentibus neque tempore, neque natura debere præcedere. Suadetur, quia dolor ſupernaturalis de peccatis etiam poſt eorum confeſſionem habitus eſt materia ſufficiens hujus ſacramenti; ergo non eſt neceſſe quòd confeſſionem præcedat. Illam enim ſupponens reddit doloroſam, ac ſufficientem materiam proximam.

Dolor præcedens confeſſionem.

QUÆSTIO IV.

Qualiter confeſſio de peccatis ſit materia proxima pænitentiæ?

1152 QUæſtio propoſita decidetur expeditis dubijs ſequentibus. Dubium eſt 1. quid ſit cõfeſſio ſacramentalis, & quas habere debeat conditiones? Ex communi Theologorum apud *Suarium d.* 21. *ſect.* 1. definitur in hunc modum: *Eſt legitima accuſatio propriorum peccatorum, coram ſacerdote locum Dei in judicio ſacramentali habente, ad veniam peccatorum per virtutem clavium obtinendum.* Ponitur accuſatio loco generis: reliquæ particulæ ponuntur ad explicandam ſpecificam rationem talis accuſationis. Tota autem definitio explicatur per conditiones ſexdecim tum ſubſtantiales tũ accidentales, quæ continẽtur his quatuor carminibus S. Anton. 3. p. tit. 14. c. 19.

Confeſſio quid ſit.

Sit ſimplex humilis confeſſio, pura, fidelis.
Atque frequens, nuda, diſcreta libens, verecunda,
Integra ſecreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis & accuſans, quæ ſit parère parata.

Eſſe debet *ſimplex* ideſt non ita compoſita, ut occultet peccatum: *humilis*, ideſt ex recognitione & dolore proprij peccati: *pura*, ideſt ſine rebus ad confeſſionem non pertinentibus: *fidelis*, ideſt ſine mendatio: *frequens*, ideſt frequenter exhibita: *nuda*, ideſt non palliata: *diſcreta*, ideſt prudenter facta: *libens*, ideſt voluntaria: *verecunda*, ideſt cum rubore: *integra*, ideſt de omnibus mortalibus commiſſis poſt Baptiſmum: *ſecreta*, ideſt ſecreto facta: *lacrymabilis*, ideſt doloroſa per contritionem, vel attritionem: *accelerata*, ideſt quòd poſt peccatum commiſſum non multum differatur: *fortis*, ideſt ut propter difficultatem non omittatur neceſſaria: *accuſans*, ideſt coram legitimo ſacerdote exponens propria peccata: *parere parata*, ideſt habens propoſitum emendæ & ſatisfactionis.

Conditiones cõfeſſionis.

1153 Dubium eſt 2. an ſit de neceſſitate hujus ſacramenti auricularis, ſeu ſecreta confeſſio? Negativa reſolutio ex *Trident. ſeſſ.* 14. *c.* 5. eam habet certitudinem, ut quanvis modus confitendi auriculariter & ſecretè honeſtus, & ſanctus ſit, non tamen ſpectet ad neceſſitatem ſacramenti. Ratio eſt quia Chriſtus inſtituit hoc ſacramentũ per modum judicij, in quo idem eſt accuſator & teſtis, cui proinde rationi conſonat modus confitendi auriculariter: ac Dominus (ut declarat *Trident. cit.*) non prohibuit confeſſionem publicam, ſi pœnitens illam voluntariè velit facere. Docet verò *Suar. cit. ſec* 2. *n.* 11. ſacerdotem teneri ex præcepto divino ſervare modum ſecretæ confeſſionis. Unde graviter peccat qui ſimul plures pueros confitentes audit in ordine ad abſolutionem: ſecùs ad inſtructionem. Pænitens non carebit culpa, ſi abſque cauſa & neceſſitate publicè confiteatur: ſecùs ſi ex neceſſitate. Illud rectè notat *Suar. d.* 21. *ſect.* 2. *n* 6. publicam confeſſionem lege humana præcipi non poſſe.

Auricularis cõfeſſio.

Confeſſio multorũ ſimul.

Dubium eſt 3. an ſit de neceſſitate confeſſionis quòd fiat voce humana? Negativa ſententia tanquam omninò certa, rectè defenditur a *Suar. d.* 21. *ſect.* 3. *n.* 2. & *Vaſq. q.* 91. *a.* 4. *dub.* 4. Conſtat tũ ex uſu Eccleſiæ, tum ex inſtitutione hujus ſacramenti: ad quod ſolum requiritur quod pænitẽs aperiat judici legitimo, nempe ſacerdoti cauſam ſuam, ſive voce, ſive nutu, ſive ſcripto, ſive alio quocunque ſigno externo. Unde muti, & qui per ægritudinem vocibus uti nequeunt, ſua peccata per nutus manifeſtare tenentur. Rectè tamen monent *Sotus d.* 18. *q.* 2. *a.* 6. & *Valent. q.* 11. *p.* 1. confeſſores qui illorum confeſſiones audiunt, non debere eos nimis urgere ut circunſtantias expreſſe & diſtinctè aperiant: quia eſt moraliter impoſsibile. Quid de illicito uſu confitendi per nutus vel ſcripturã in eo qui vocaliter poteſt cõfiteri? *Suar. d.* 21. *ſect.* 3. *n* 6. benè docet eſſe illicitũ lethaliter, niſi juſta cauſa excuſetur: quia contra Eccleſiæ conſuetudinem in re gravi. Cauſa excuſans a Theologis numeratur triplex, impotentia ad loquendum, magna difficultas, præcipuè ſi noceat valetudini, & magna verecundia.

Confeſſio per nutus vel ſcriptum.

Mutorum confeſſio.

1154 Dubium eſt 4. an qui voce confiteri nequit, teneatur confiteri per nutus, vel ſcripturam? In mortis articulo dari obligationem confitendi per nutus, tanquam quid indubitatum rectè docet *Palaus p.* 8 *n.* 10. Idem cum *Navarro cap. Frater de pænit. diſt.* 5. *n.* 89. & *Toleto lib.* 3. *c.* 6. affirmat, quando urget præceptum eccleſiaſticũ annuæ confeſſionis. Quod cum *Laymano lib.* 5. *ſum. tr* 6. *c.* 6. *conc.* 4. benè limitatur, ni detur probabilis ſpes brevi loquelam recuperandi. Nam hæc erit rationabilis cauſa differendi confeſſionem.

Nutus in confeſſione.

Maior eſt difficultas de confeſſione per ſcriptum: an urgente aliqua ex dictis cauſis ſufficiat præſenti ſacerdoti peccata ſcripta tradere, & dum ille legit abſolutionem humiliter expectare? Negat ex parte *Sotus diſt.* 18. *q.* 2. *a.* 6. quatenus ait opus eſſe: dum ſacerdos legit peccata, pænitens nutibus confirmet ita eſſe: ut oſtendat dolorem. Nos abſolutè affirmamus cum *Suario n.* 7. Quia

Confeſſio per ſcripturam.

pænites tradens sacerdoti sua peccata scripta, dū tacitus expectat sententiam dolorem internum satis ostendit. An veró qui aliter confiteri non potest, teneatur id facere? Negant *Navarr. sum. cap.* 21. *n.* 36. *Sà v. confessio n.* 13. *Layman. lib.* 5. *sum tr* 6. *c.* 6. *concl.* 4. & alij quos sequitur *Palaus p.* 8. *n.* 11. Affirmant *Vasq. q.* 92. *a.* 4. *dub.* 1. *& Suar. d.* 36. *sect.* 6. *num.* 7.

1155 Dubium est 5. an sit valida confessio, quæ fit per interpretem? Affirmativa resolutio indubitata est apud *Vasq. q.* 91. *a.* 4. *dub.* 3. *& Suar. d.* 21. *sect.* 4 *n.* 1. Quia per interpretem dari potest legitima ac præsens accusatio. Et sic observat praxis Ecclesiæ. An veró hujusmodi confitendi modus sit obligatorius extra mortis articulum? Recté cum *Cajetano, Navarro & Sa* negant *Vasq. cit dub.* 3. *& Suar. d.* 36. *sec.* 6. *n.* 2. Quia talis confessio excedit limites confessionis secretæ. In articulo tamen mortis cum citatis affirmat Palaus n. 13 maculatum culpa lethali, si probabilitatem non habeat contritionis, teneri ad confessionem per scripturam, vel per interpretem, imò publicam: & hoc, non ex præcepto confitendi, sed ex præcepto propriæ charitatis.

Cōfessio per interpretem.

Dubium est 6. an spectet ad essentiam confessionis quòd fiat sacerdoti præsenti? Affirmant *Sotus tr.* 4. *dist.* 18. *q.* 1. *n.* 6. *& Vasq q* 91. *n.* 4. *dub.* 2. *n.* 3. ubi ait post decretum Clementis VIII. non esse licitum dubitare: nam Pontifex damnat propositionem asserentis *Licere per literas vel internuncium confessario absenti sacramentaliter confiteri & eodem absente absolutionem obtinere.* Ubi utrumque seorsim damnat & confessionem, & absolutionem respectu absentis. Negant *Toletus lib.* 3. *cap.* 8. *& Suar. disp.* 21. *sect.* 4. *n.* 4. *& Lugo disp.* 17. *sec.* 4. *de pæn.* ubi hoc punctum luculenter discussit, & posita verba decreti Clementis exposuit. Quid sentiam in hoc dubio, jam supra dixi n. 1147.

Confessio informis. Dubium est 7. utrum confessio sacramentalis esse possit valida, sed informis, hoc est sine gratia itaut existat sacramentum cum valore, sed absq; effectu? Affirmant *S. Thomas in* 4. *dist.* 17. *q.* 3 *a.* 4. *Medina lib.* 1 *sum. c.* 12. §. 3. *Henriq. lib.* 2. *de pæn. c.* 11. *Valent. d.* 7. *q.* 11. *pun.* 2. *Suar. d.* 20 *sec.* 5. *n.* 7. *Granado controv.* 7. *de panit. tr.* 3. *sec.* 3. *& Lugo d.* 14. *sect.* 6. *n.* 88. Ex opposito negant *Gabriel in* 4. *d.* 17. *q* 1. *a.* 3. *dub.* 2. *concl.* 4. *Vega in Triden. lib.* 13. *c.* 34. *Vasq. in* 3 *p. q.* 92. *a.* 2. *dub. unico n.* 13. *Bellamo de sacr. d.* 4. *dub.* 11 *n.* 71. *& Palaus de pæn. pun.* 7. *n.* 5. Vtraque opinio probabilis est.

SECTIO III.

De integritate, & ratione confessionis sacramentalis.

QUÆSTIO I.

Utrum explicare peccatorum species. & numerum spectet ad integritatem confessionis.

1156

Integritas cōfessionis quid

INtegritas confessionis in eo consistit quod pænitens nec plura, nec pauciora peccata quā quæ commisit, in confessione aperiat. Duplex datur integritas, altera materialis, quæ est de omnibus peccatis commissis, prout fuerunt post Baptismum commissa, nullo excepto. Altera dicitur formalis, quæ licét non sit de omnibus peccatis commissis, quia datur causa ad aliqua occultanda, est tamen de omnibus, a quibus explicandis nulla datur sufficiens excusatio.

Quód attinet ad integritatem circa peccatorum species, Dico 1. Ad valorem & effectum cōfessionis requiritur per se loquendo, quòd pænitens omnia peccata mortalia post Baptismum commissa nondum bené confessa manifestet eidem sacerdoti in eadem confessione seu in ordine ad eandem absolutionem, quantum moraliter potest. Est de fide, ut docet *Suar. d.* 22. *sec.* 1 *n.* 4. *ex Trident. sess.* 14. *c.* 5. & ratione, quia hoc sacramentum invalide confertur non disposito: qui autem sine causa tacet in confessione aliquod mortale dispositus non est. Notat veró *Suar. cit n.* 12. non violare hujusmodi integritatem qui prius omnia mortalia uni confessario detegit, & alteri deinde omnia venialia.

Species peccatorū ad cōnfessionem.

Dico 2. Ad valorem & effectum hujus sacramenti per se loquendo requiritur, ut quis cōfiteatur omnes species peccatorum, & omnes circunstantias mutantes speciem. Est resolutio certa inter catholicos, ut tenent *S. Thomas in* 4. *dist.* 16. *q.* 3. *a.* 2. *quæst.* 5. *Suar. d.* 22. *sect.* 2. *& Granad. cont.* 7. *tr.* 9. *disp.* 8. & procedit de peccatorum speciebus, seu distinctione specifica non physicé, sed moraliter accepta, quando scilicet malitiæ diversæ speciei vel dantur in diversis actibus, ut in furto & homicidio: vel in uno & eodem actu ut in adulterio, ubi duplex malitia, altera injustitiæ, altera intemperantiæ conspicitur. Habetur ex *Trident. sess.* 14. *c.* 5. *& can.* 7. ubi docet necessarium esse confiteri omnia peccata sigillatim: quod præcipue de differentibus specie intelligi debet. Monet *Suar. d.* 22. *sect.* 2. *n.* 9. tutius esse, & servādum in praxi quód circunstantiæ ut tales, seu prout actui circunstant, aperiendas esse. Unde si quis furetur rem sacram, debet dicere, Furatus fui rem sacram, vel commisi furtum sacrilegum: & non separando dicens Commisi furtum, & commisi sacrilegium.

1157 Quod attinet ad numerum peccatorum, Dico 1. Ad valorem hujus sacramenti requiritur per se loquendo explicare numerum peccatorum. Hæc tanquam certa defenditur a *Suario d.* 2. *sect.* 5. *n.* 2. tanquam de fide a *Vasquio q.* 91. *a.* 2. *dub.* 5. & tanquam ab Ecclesia definita a *Valentia q.* 11. *pun.* 1. *assert.* 1. *& Granado cont.* 7. *tr.* 9. *d.* 10. *n.* 1 Constat ex *Trident. sess.* 14. *c.* 5. ubi definit omnia peccata mortalia in specie ac singillatim esse declaranda. Et *can.* 7. ubi absoluté: *Siquis inquit dixerit in sacramento pænitentiæ necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, anathema sit.*

Numerus peccatorū in confessione.

Dico 2. quando numerus peccatorum certus est, ita declarari debet, ut non sit opus singula historicé narrare, sed sufficiat totum numerum unico verbo exprimere. Ita cum multis *Suar. d.* 22. *sect.*

Explicāda in cōfessione.

22 sess.5.n 37.& Granad.cit. n. 4. Ratio est quia hoc sufficit ad morale judicium. Dico 3.quanvis finali actione completa, necessarium non sit explicare actiones, quæ ad illam ut dispositiones ordinantur: tamen explicari debent, si illa finalis non compleatur. Ita DD. communiter. Declaratur in homicidio: nam qui hoc patravit, non tenetur dicere se gladio accinctũ interfecisse ac postea hominem punctim cæsimue petiisse: secus, si homicidium non complevit. Deinde qui fornicatus est non tenetur exponere tactus impudicos, & oscula: secus si fornicationem non complevit. Ratio est, quia illæ actiones in causa finali explicata sufficienter explicantur: non ita si causa finalis completa non fuit.

Actus externos ad confessionem.

Insuper explicari debent illæ actiones, quæ licèt ex intentione peccantis ad illum finem ordinentur, tamen ex se non dicunt ordinem, & hoc præciso, in se pravæ censetur. Dicendũ etiam est numerus actuum externorum: nam licèt actus externi totam formalem malitiam ab internis accipiant, tamen mutant notabiliter judicium quod format confessor de statu pænitentis, & efficacia interni actus.

1158 Dico 4.quando pænitens moraliter impotens est ad cognoscendum numerum certum, sufficit confiteri propinquiorem certo, plus minusve. Ita *Sylvest. v.confessio 1.q.11. Sotus in 4.d. 18.q.2.a.4.Suar.cit.n.38.& Granad.n.3.* Probatur, quia aliter exponere moraliter impossibile est, & nemo tenetur ad impossibile. Addunt citati authores non oportere postea excessum cognitum, nisi sit minus iterum confiteri. Quia quando minus non est, sub illis vocibus (plus minusve) moraliter includi censetur.

Peccatũ explicatio

Dico 5.quando pænitens nec numerum certo propinquiorem contentum in illis vocibus (plus minusve) probabiliter agnoscit, ut explicet (quod aliquando accidit in iis qui multo tempore in turpes & morosas delectationes labuntur, & in meretrice annis plurimis exposita) sufficit exponere consuetudinem peccandi, tempus quo in illa permansit, modumque frequentiæ in diebus, hebdomadibus, & mensibus. Ita *Suar.n.39. & Gran.n.5.* Ratio est eadem quæ supra: nam precepta solum obligant ad id quod moraliter possibile est. Unde ad integritatem confessionis nõ tam exigitur quód rebus ipsis, quám quòd consciẽtiæ & facultati pænitentis conformatur.

QUÆSTIO II.

An confessionis integritas postulet manifestari peccata mortalia dubia, aut semel confessa, aut venialia?

Dubia peccata ad confessionem.

Quæstio proponit tres difficultates. Circa primam de peccatis dubijs, an in confessione aperiri debeant? advertendum est dupliciter posse intellectum esse dubium circa aliquod objectum. 1.negativé, itaut nullam omnino rationem, vel authoritatem percipiat, qua nixus in alterutram partem assensum præbeat: 2.positivé itaut pro utraque parte habeat rationes, vel authoritates æquè validas, quibus hæsitans & pendulus fluctuet. Igitur certum est, quando quis dubitat positivè, si deposito practicé dubio, judicat probabiliter illud quod commisit, non esse peccatum mortale, vel illud fuisse jam confessũ, non teneri illud confiteri. Ita *Henr.lib.1. cap.10.n. 7.& Sanch.lib.1.Dec.c.10.n.76.* Patet, quia cuilibet licitum est sequi opinionem probabilem.

Dubium positivũ ad cõfessionem.

1159 Difficultas tantum est, an fateri teneatur, quando quis omninó dubius est, nullum præbens assensum, an peccatum, an mortale sit: vel si commisit peccatum mortale, an illud confessus fuerit? Vera omninò est resolutio affirmans peccata dicto modo dubia, ut dubia confitendã esse. Ita cum *S.Thoma in 4.dist.21.q.2.a.3. Henriq. lib.2.de pænit.cap.3.§.7. Suar.d. 22. sect.9.* & fere quadraginta alij quos citat & sequitur *Sanch.cit. c.10.a n.64.* Sumitur ex communi usu Ecclesiæ, *Trident.sess.14.c.5.* & ratione, quia homo illa non confitens exponitur æternæ damnationis periculo, ad quod vitandum tenetur ex propria charitate.

2. Difficultas est, an quis teneatur peccata mortalia semel confessa iterum confiteri, sive prior confessio valida, sive invalida fuerit? Dico 1.quando confessio fuit invalida, sive ex defectu pænitentis, sive ex defectu sacerdotis tenetur peccata mortalia confessa iterum confiteri. Ita *Sotus dist.28.q.2.a.3.Valent.d.7.q.11.p.1. & Suar.d. 22.sect.6.* Ratio est, quia divino præcepto tenemur omnia mortalia post Baptismum commissa clavibus subjicere: at in confessione invalida clavibus subjici non censentur.

Iteratio cõfessionis.

Dico 2.quando confessio fuit valida, nemo tenetur per se loquendo peccata iterum confiteri. Ita citati authores. Patet, quia baptizatus semel tantum tenetur sua mortalia subjicere clavibus in confessione, sive ea informis, sive formata evadat. Dixi (per se loquendo) quia per accidens fiũt exceptiones. 1.quando pænitens absolvitur a reservatis cum onere comparendi coram superiore. 2.si aliquis se obligaret voto ad faciendam cõfessionem generalem, vel ad eadem teneretur sub mortali ex alicujus religionis statuto, quale feruntur habere Cistercienses.

1160 Circa modum iterandæ confessionis notandum est, quando confessio iteratur cũ alio sacerdote, oportere, ut quis omnia peccata distinctè aperiat: quando verò confessio iteratur cum eodem, si peccatorum memor est, sufficere, ut quis dicat, Accuso me de omnibus peccatis tibi jam explicatis. Quid si talis confessor sit penitus oblitus? *Corduba in sum.q.6.* omnia esse illi explicité confitenda: Negat veró *Medina Codice de confess.9.* Distinguendum est cum *Suario d.22.sec.6.a.7.* asserente si confessio ex parte ipsius fuit invalida ob defectum doloris aut integritatis, vel ex parte confessionis ob defectum jurisdictionis, distinctè iterandam esse: si fuit invalida ex eo solum, quia defuit forma ritè prolata ad perficiendum sacramentum, sufficere sine iteratione, quòd petatur absolutio.

3. Difficultas est utrum ad confessionis integritatem

gritatem spectent peccata venialia? Constat de fide, ut habetur ex *Trident sess.* 14. *c.* 5. *& can.* 7. peccata venialia non esse materiam necessariam confessionis, proindeque non necessario confitenda. Dubitatur an Ecclesia venialium confessionem valeat præcipere? Affirmat *S. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. a. 1. q. 3.* Negat *Sotus dist. 18. p. 1. a. 3.* recte utrunque conciliat *Suar. d. 22. sect. 8. n. 3.* affirmans non posse Ecclesiam præcipere confessionem venialium directé, posse tamen eam præcipere indirecté. Prior pars constat, quia Ecclesia non potest immutare sacramenti institutionem, & materiam. Posterior explicatur, quia Ecclesia ad placandum Deum, vel ob alium justum finem potest fidelibus præcipere exercitium sacramenti pænitentiæ: tunc autem fidelis carens mortalibus tenetur venialia fateri, ut recipiat sacramentũ. At nunquam Ecclesia potest præcipere confessionem omnium venialium.

Venialia ad confessionẽ.

QUÆSTIO III.

An mentiri in confessione, & omittere prævium examen sit contra illius integritatem.

1161 Circa priorem quæstionis partem duo observat *Granad. contr. 7. tract. 9. disp. 13.* alterum posse versari mendacium confitentis vel circa res nihil omninò pertinentes ad confessionem, vel circa ea quæ pertinent, aut necessario, ut peccata mortalia, aut sufficienter ut venialia: alterum posse mendacium commiti, vel per detractionem negando quod factum est, vel per adjectionem affirmando quod factum non est. Cum igitur certum sit non peccare graviter qui mentitur circa ea quæ ad confessionem non pertinent, quid de mendatio circa res ad confessionem pertinentes judicari oporteat, duplici resolutione statuetur.

Mẽdaciũ in confessione.

1. Resolutio. Non peccat mortaliter per se loquendo, nempe secluso scandalo, & contemptu, qui mentitur in confessione circa venialia vel negando commissa, vel fatendo non commissa. Ita *Navarr. c. 21 n. 37. Granad. cit. n. 3. Suar. d. 22. sect. 10. n. 7. Vasq. q. 91. a. 1. dub. 7. & Ægid. Bellan. d. 6. dub. 3. n. 9.* contra *Cajetanum v. Confessio condit. 4.* Probatur, quia cum venialia non sint materia necessaria sacramenti, per illud mendacium non infertur gravis injuria sacramento. Accedit, quia non fit gravis injuria sacramento confitendo veniale absque dolore; ergo neque mentiendo circa veniale.

2. Resolutio. Qui mentitur circa mortalia, vel circunstantias mutantes speciem, sive aliquod cõmissum negando, sive aliquod non cõmissum confitendo, peccat mortaliter: atque adeo contra valorem, & integritatem confessionis. Prior pars est omnium, & omninó certa, quia per illud mẽdacium subtrahitur materia necessaria confessionis. Posterior defenditur a multis quos citant ac sequuntur *Granad. cont. 7. tr. 9. d. 13. n. 7. Suar. d. 22. sect. 10. n. 11. & Vasq. q. 91. a. 1. dub. 7. a n. 11.* ubi addit oppositũ carere probabilitate. Ratio est quia mẽtiri in judicio in re gravi circa ea quæ spectãt ad substãtiã causæ decipiendo judicẽ, mortale est: & sacramentum pænitentiæ per modum judicij exercetur.

1162 Circa posteriorem partem de prævio examine ad confessionem, Dico 1. Spectat ad confessionis necessitatem, ut qui habet peccatorũ mortalium conscientiam, eam diligenti examine discutiat. Ita *Suar. d. 22. sec. 11. n. 2. ex Trident. 14. c. 5.* & ratione, quia quando præcipitur finis nempe confessio omnium ac singulorum mortaliũ, etiam præcipitur medium necessarium ad talem finem, scilicet diligens examen ad habendam notitiam illorum. Dico 2. Non æqualis diligentia examinis præcipitur omnibus: sed ea mensuranda est pro pænitentis capacitate, consuetudine peccandi, diuturnitate temporis, & alijs circunstantijs. Ita *Toletus lib. 3. c. 9. & Suar. cit. n. 5.* Patet, quia instante morte, vel ejus periculo, ne pænitens sine absolutione decedat, minor sufficit diligentia, quàm si extra tale periculum absolvendus esset. Minor etiam in illo qui a negotijs, & occasionibus peccandi abstractus est, quàm in illo qui negotijs implicatur, vel peccandi occasionibus detinetur.

Examen ad confessionem.

Infertur 1. cum Suar. cit. n. 4. non teneri pænitentem ad peccata, ubi primùm commiserit, scribenda, quanvis sciat multa fore ut e memoria excidant. Infertur 2. cum eodem n. 5. examinis defectum in pænitente per confessoris interrogantis diligentiam magna ex parte suppleri posse. Imò addit *Vasq. q. 93. a. 3. dub. 7. §. ult.* cui subscribit *Granad. cont. 7. tr. 9. d. 11. n. 4.* melius esse rusticum sine sufficiente examine ad confessionem accedentem interrogare, & juvare, quàm dimittere, ut se diligentiùs examinet. Infertur 3. cum *Henr. de pæn. lib. 2. 5. §. 1.* Posse dari causam, ut quis sine ullo prævio examine audiri a confessario debeat nempe si instet mors, bellum, aut quid simile: vel si accedat quis ad confitendum, & in confessione patescat necessitas detegendi confessiones præteritas, idque sine notabili incommodo differri nequeat.

QUÆSTIO IV.

An sit contra integritatem omittere circunstantias aggravantes, aut minuentes?

1163 Sunt hujusmodi circunstantiæ in triplici genere: vel enim intra eandem speciem, notabiliter augent, vel minuunt peccati malitiam, vel neque augent, neque minuunt, atq; adeo impertinentes appellantur, v. g. occidere gladio aut lapide, furari manu dextera, aut sinistra.

Circumstãtia impertinens.

Dico 1. neque necessarium, neque licitum est in confessione explicare circunstantias impertinentes. Ita *Scotus in 4. d. 17. q. unica a. 2.* Nam confessio prudens & seria esse debet, ac proinde non admittit, quæ nec ad pænitentis medelam, nec ad peccati explicationem spectant. Rectè tamen notat *Sotus d. 18. q. 2. a. 4.* culpam illam per se loquendo non esse gravem, proindeque confessionis valori non obstare.

Dico

Dico 2. circunstantiæ notabiliter minuentes malitiam intra eandem speciem peccati mortalis non sunt necessario explicandæ. Ita cum multis *Reginald.to.1.lib.6.n.13.Bellan.d.7.dub.3. & Suar.d. 22.sect.3.n.16.* Ratio est, quia pænitens non tenetur explicare malitiam quam non fecit augendo: & in ea taciturnitate censetur minuere negativé, quatenus non adest circunstantia augens, seu aggravans malitiam; ergo quandiu peccatum mortale manet, opus non est explicare diminutionem malitiæ.

Circunstantiæ aggravantes Maius dubium est circa notabiliter augentes seu aggravātes malitiam intra eandem speciem: an sint in confessione necessarió aperiendæ. Negant cum S. Thoma *in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. q. 5. Valent. disp. 7. q. 11. §. 5. assertio, Vasq. q. 91. a. 1. dub. 2. Regin. in praxi to. 1. lib. 6. c. 5. n. 135.. Granadus contr. 7. tr. 9. d. 9. sec. 1. n. 3. Lugo disp. 16. sec. 3. n. 107. & Palaus tr. 23. p. 9. n. 4.* Fundantur in *Trident. sess. 14. c. 5.* ubi, cum definiret quidquid necessarium est explicare ad integritatem confessionis, solum dixit explicanda esse peccata in specie, singillatim, seu quoad numerum, & circunstantias mutantes speciem: nec meminit de circunstantijs aggravātibus. Hæc opinio est valde probabilis.

1164 Affirmandum tamen est cum *Victoria in sum. q. 162. Henriq. lib. 2. de pæn. c. 7. §. 6. Sanch. lib. 4. Decal. c. 11. n. 24. Suar. d. 22. sec. 3. n. 5. Ægid. Bellan. de sacram. d. 7. dub. 3. n. 18. & alios.* Ratio a priori est, quia hoc sacramentum fuit a Christo institutū, ut sacerdos tanquam judex ferret sententiam de omnibus peccatis commissis post Baptismum, non solū in genere, sed etiam in specie ac singillatis explicatim. Nam explicatio pænitentis, qui reus & testis est, ordinatur ad gigendum cognitionem causæ in sacerdote judice. Atqui talem notitiam non gignet, si taceat quod notabiliter aggravat: v.g. si furatus centum millia aureorum, solum dicat se furatum fuisse quantitatem peccati mortalis: sacerdos enim solum intelligit ordinariam: aliter temere judicaret.

QUÆSTIO V.

Qualis sit numerus circunstantiarū, & qualiter prima explicari debeat?

Circūstātiæ quot. VT numeremus peccatorum circunstantias, in quibus expediendis immorantur *Suar. d. 22. sec. 3. & Card. Lugo d. 16. sect. 4.* Theologi recēsent septem comprehensas hoc carmine.

Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Circūstātiæ quot. Prima circunstantia (quis) indidat conditionem personæ peccantis, & sæpe auget peccati malitiā mutando speciem. Nam persona, cui ex officio incumbit defendere bonum commune & privatū, ut judex, si negligentia sinat aliquid perire, in peccato contra charitatem, habebit adjunctam malitiam contra justitiam. Deinde si sacerdos vel religiosus fornicetur in peccato castitatem habebit adjunctam malitiam sacrilegij. Item cum persona est publica, ejus peccata frequenter induunt malitiam scandali, quam non induerent, si privatā esset.

Unde recté notant *Sanch. lib. 7. Matr. d. 26. n. 33 & Lugo de pæn. d. 16. n. 179.* dignitatem personæ, v.g. Pontificiam aut Regiam non esse necessarió confitendam, nisi peccans in illa constitutus pariat grave scandalum. Quia dignitas per se loquendo neque extrahit peccatum a propria specie, neque ejus malitiam notabiliter aggravat. *Persona circunstantia.* Quid si Religius minister qui tenetur ex officio impedire furta, furetur? *Medina apud Lugonem n. 180.* affirmat talem ministrum esse obligatum manifestare circunstantiam sui muneris. Melius id negat citatus *Lugo cum Henr. l. 2. c. 6. n. 3.* quia ipse non tenetur ex suo officio impedire peccata propria, sed aliorum: sicut fiscalis publicus tenetur ex suo munere denunciare aliorum delicta contra bonum commune, non tamen sua.

1165. Rogabis 1: an fæmina quæ virgo est, teneatur id explicare, si contra castitatem peccavit? Affirmat *S. Thoma 2. 2. q. 154. a. 6.* cujus sententiam tanquam communem defendit *Granad. contr. 7. tr. 9. d. 8. n. 5.* Negandum tamen est cum *Sanch. lib. 7. Matr. d. 14. n. 13.* ubi ait idem dicendum esse de eo qui virginem desiderat, vel deflorat, dummodo nullam illi vim inferat. *Virginitatis circūstantia.* Quia virginitas nec est circunstantia mutans speciem, nec notabiliter aggrvans. Imo quanvis confessarius oppositam sententiam teneat, prudenter monet *Henriq. lib. 2. cap 8. n. 2.* non debere interrogare fæminam confitentem peccatum contra castitatem, an virgo sit ne, periculo mētiendi illam exponat.

Hæc procedunt licét fæmina ob gravem metum consentiat in sui deflorationem: & quanvis sit adhuc sub custodia suorum parentum, modo illis ex tali eventu grave damnum, gravis injuria, vel tristitia non accidat: si enim accidat, tenebitur id explicare: non quidem ex præcisa ratione amissæ virginitatis, sed aliunde. Deniq; quanvis intendatur, & sequatur fractio claustri virginalis: quidquid in oppositum teneat *Suar. de pæn d. 22. sect. 4. n. 6.* tutius tamen & cohærentius ad nostram sententiam de circunstantijs notabiliter aggravātibus, faciet tam fæmina deflorata, quām vir deflorans id aperientes. Quód masculus suam virginitatem amittens sive interno sive externo actu, nō teneatur id detegere, cōveniunt omnes.

Rogabis 2. an in circunstantia (quis) inveniatur quandoq; notabilis aggravatio peccati, quæ proinde in confessione juxta nostram sententiā aperiri debeat? Affirmant nonnulli, & probāt, quia votum solemne & simplex castitatis, quanvis sint ejusdem speciei, ita se habent, ut ex solemnitate illius notabiliter aggravetur sacrilegiū. *voti solēnis & simplicis violatio.* Unde sacerdos, vel religiosus non satisfacit dicēdo se peccasse contra votum castitatis, sed debet solemnitatem voti declarare. Addunt aggravari sacrilegium ratione status personæ: unde quanvis sacerdotium, diaconatus & subdiaconus habeant annexum solemne votum castitatis non satisfacit sacerdos dicendo se peccasse contra votum solemne castitatis, sed debet exponere se sacerdotem esse, & ulterius si religiosus sit, tum ratione

tione status, tum ratione duplicatæ obligationis.

Status personæ ad confessionẽ. 1166 Valde dubius hæret *Suar. n. 3.* & fatetur facile posse pænitentem conformari sententiæ negāti prædicta necessariò declaranda esse: addit tamen tutius agere declarando, cum facilè possit.

Mihi videtur absolutè probabilior sententia quæ negat ex circunstantia (*quis*) ita notabiliter aggravari peccatum, ut talis aggravatio aperiri debeat: atque adeo in exemplis positis judico sufficere, ut sacerdos vel religiosus dicat se peccasse contra votum castitatis, quin suum statum, vel voti solemnitatem explicet. Ita *Sanch. lib. 7. Matr. d. 27. n. 22.* Patet quia multiplicatio votorum, sicut & præceptorum circa eandem materiam, & sub eadem ratione non aggravat notabiliter peccatum; ergo nec duplex votum castitatis, etiã si alterum sit solemne,

Votũ duplex de eadem re violatum Infertur 1. cum *Sanch. cit. n. 36.* constitutum in sacris, aut religiosum, si ultra votum castitatis specialiter voveat abstinere a mollitie, & hoc votum speciale violet, satisfacere, quanvis declarãdo mollitiem, solum aperiat suum statum, aut votum castitatis emissum. Infertur 2. cum eodem ibidem, dictum pænitentem, etiam satisfacere; si solum dicat se peccasse contra votum nõ polluendi se. Secus (inquit *Azor lib. 11. c. 10. q. 2.*) si non solum vovisset, sed etiam jurasset. Quia tunc violaret duplex vinculum diversæ rationis.

Castitatis votũ mutuo violatum. Rogabis, an persona habens votum castitatis, & peccans cum habente simile votum, teneatur explicare utrunque votum? Respondeo affirmativè. Quia aliter non explicatur substantia individualis actus. Quid si sola persona, cum qua peccatur, habeat votum? Adhuc explicandum est, cum detur cooperatio ad sacrilegium. Quid si habens votum suadeat non habentibus ut peccent inter se? *Lugo d. 16. n. 151.* dicit tale votum explicari debere. Negandum tamen est cum *Sanch. lib. 5. Decal. cap. 6. n. 10. & Tamborino lib. 7. Decal. cap. 2. § 2. n. 4.* Quia homo per votum illud

Votùm castitatis propria & non aliena. obligatur ad castitatem propriam, & non ad alienam. Quanvis enim (ut inquit Lugo nobis contrariu-) suasor ille peccet contra castitatem ratione scandali in tali materia, quod fatemur, tamen quia solum vovit castitatem quoad proprias actiones, per scandalum non videtur votum violare.

QUÆSTIO I.

Qualiter se habeat circumstantia (Quid)

1167 Secunda circunstantia (quid) quæ etiam alio, & forrassis accõmodatiori nomine appellari solet (circa quid) denotat conditiones materiæ circa quam peccatum *Quid circunstãtia* versatur 1. conditio est quantitas, v. g. quantum quis de rebus alienis subtraxit, fraudavit, vel quantum in fama læsit: nam si multum, erit notabiliter aggravans, & in confessione necessariò aperienda. 2. conditio est qualitas, quæ solum videtur in confessione aperienda, quando speciem peccati variat, ut in furto re sacræ, quod ratione qualitatis rei surreptæ sacrilegium manet.

3. Conditio est persona circa quam versatur peccatum: censetur enim illius materiæ pars. Unde vel mutat speciem, ut cernitur in percussione clerici, prælati aut parentis, vel peccati gravitatem augeat, & quodamodo ad materiæ quãtitatem pertinet, ut cernitur in furto, facto pauperi extremè egenti. Ex superiùs dictis constat quid ad hujus circunstantiæ explicationem dicendum sit de habente rem cum consanguinea, & virgine.

Rogabis 1. an qui habuit rem cum sponsa alicujus de futuro, teneatur id exprimere in confessione? Respondeo affirmativè cum *Sanch. lib. 1. Matr. d. 2. n. 6.* Quanvis enim talis fornicatio non sit propriè adulterium: at continet malitiam diversæ speciei a fornicatione simplici ob gravem injuriam quæ infertur sponso per usum rei, quæ illi ex justitia debetur. Oppositum cum eodem *Sanch. cit.* dicimus de fęmina, quæ cum sponso alieno rem haberet: talis enim fornicatio cum sponso valde noriva non est, nec censetur gravem, sed solum levem injuriam sponsę inferre. *Sponsa de futuro fornicatio*

1168 Rogabis 2. utrum in peccatis contra castitatem inter solutos, sufficiat dicere peccavi toties graviter contra castitatem, an explicari debeat, fuerit ne per solos tactus, an per copulam consummatam? Sufficere primum affirmant nõnulli apud *Turrian. de pan. q. 9. a 2. d. sp. 29.* Melius negat *Lugo n. 238.* Nam sistens in tactibus, contrahit diversam malitiam ab ea, quam conrrahit consummans copulam: hæc enim extra matrimonium officit prolis tactus si præcisé ac secundum se licerent, sperneretur matrimonium. *Tactus impediti.*

Quod dicitur de tactibus inter solutos, dicenpum est de tactibus conjugatorum cum periculo pollutionis, & de reliquis peccatis contra naturam, de quibus diximus a num. 834. Nota tamen tactus ante copulam, & alios subsequentes, qui habent cum illa connexionem, in ipsa copula sufficienter explicari. Quid de Sodomia, renetur ne pænitens declarare fuerit ne patiens, an agens? Negat *Alphonsus de Leon de offic. confess p. 1. recollect. 9. n. 216.* cui videtur consentire *Diana to. 2. tr. 4. de sacram. res. 159.* Affirmandum tamen est cum *Lugone n. 243.* Quia ex parte agentis datur consummata pollutio, ex parte patientis solum datur malitia tactus, & cooperationis cum aliena pollutione. *Tactus ante copulam. Sodomia patiens vel agens*

Rogabis 3. an qui desiderat nocumentum proximo inferendum ab alio, debeat explicare materiam, v. g. vitę, famæ, vel fortunarum? Affirmãt *Suar. d. 6. de char. sect. 2. & Bellan. ibid. disp. 21. dub. 3. n. 61.* quia voluntas occidendi differt specie a voluntate infamandi. Negant *Valent. to. 3. disp. 3. q. 11. p. 2. tr. 3. c. 6. conc 8. Turrian 2. 2. disp. 91. de char. dub. 1 & Bona c. in 1. prac. Decal d. 3. q. 5. pun. ult. § 1. n. 10.* Quia aliud est velle, seu desiderare propria manu occidere, aliud occasionem aliunde evenientem. Utraque sententia probabilis est, & mihi videtur conciliãda, si prior loquatur de desiderio efficaci, posterior de inefficaci. *Damni inferendi voluntas.*

Quid

1169 Quid de odio, & quovis injurioso actu terminato ad consanguineos? Respondeo explicandam esse circunstantiam consanguinitatis, si injuria sit gravis & magna sanguinis conjunctio, qualis datur inter ascendentes, & descendentes, & etiam inter fratres: secus inter alios collaterales. Quia tunc offenditur pietas & amor specialiter debitus. *Ita Lugo n. 2.99. qui len.* notat *n.*309. non esse explicandam circunstantiam nobilitatis, imò nec dignitatis & superioritatis, nisi in peccatis, quæ dignitati, & superioritati contrariantur.

Consanguineorū odium & damnum.

Rogabis 4. an in delectatione morosa, sive venerea, sive alia, explicari debeat circunstantia objecti: v.g. quando fœmina cogitationi objecta est nupta, vel monialis Negant *Vasq. 1.2.d.* 111. *Palaus tom.1. tr. 2. disp.2.p.*10. §. & cum multis *Diana tom.1. tr. de circunst. resol.*48. Affirmant *Sanch. lib.* 1. *Decal. c.* 2. *n.*12. & multi cum communi sententia: quæ quidem mihi videtur probabilior imo absolutè tenenda, si delectatio feratur in objectum ut vestitum circunstantijs, v. g. si delectatio sit de conjugata vel moniali ut talibus: secus, si feratur in objectum præscidendo ab omni circunstantia. Quia tunc potiùs reprobat, quàm approbat circunstantiam. Unde non erit peccatum (inquit *Lugo n.*383. *&* 386.) si absque omni censualitate: quis mente delectetur de copula præterita a se licitè habita, vel futura licitè habenda.

Delectationis morosæ circunstantia.

Illud adverte ex nostro Elucid. n. 106. juxta *cap. præterea dist.* 51. delectationes rerum sæcularium esse inventas a diabolo, non a Deo. Delectatio morosa in objectum illicitum, peccatū est: & non dicitur morosa (ait Sanch. l. 1. Dec. c. 2. e mora temporis c. potest enim momento haberi) sed quia in illam est plenus, & deliberatus consensus.

Morosa delectatio.

Rogabis 5, an peccans ob jactantiam de peccato a se commisso debeat explicare materiam peccati, de quo se jactavit, v.g. furtum, vel homicidium? Affirmat *Sanch. l.* 1. *Decal. c.* 3. Negat *Palaus cit. p.* 16. *n.*5. Utraque opinio probabilis est: sed puto adhibendam esse distinctionem, ut si jactantia deferat complacentiam & gaudium de tali objecto, prior arrideat: si non deferat, sed habeatur ob meram gloriationem de peccato veluti in communem, posterior: Sic nec explicari oportet materia in fractione voti: quia solū attenditur ad talem irreverentiam contra Deū: nec in contumelia, quia solum attenditur ad honorem læsum: nec in detractione, quia solum attenditur ad famam læsam: nec in judicio temerario, quia solum attenditur ad reputationē læsam. Diversitas enim materiarum in hujusmodi peccatis est solum physica, non moralis.

Jactantia de peccato.

Contumeliæ & detractionis excusatio.

QUÆSTIO VII.

Qualiter se habeat circumstantia Ubi?

1107 Tertia circunstantia est (ubi) ex qua frequenter species peccati variatur, ut si quis in loco sacro aliquem interficiat, aut sanguinem fundat: vel si ibi furtum, aut fornicationem committat: tunc enim homicidio furto, & fornicationi species sacrilegij adjungitur. Similiter si fiat Sacrum in loco profano, committitur sacrilegium: ac notabiliter in eadem specie aggravabitur, si locus profanissimus & indecentissimus censeatur.

Ubi circunstantia.

Rogabis 1. an qui peccat in loco publico coram alijs, teneatur explicare hanc circunstantiā? Respondeo affirmativè, si peccans rationabiliter timet aliques suo exemplo ad peccatum incitandos. Quod facilè eveniet si peccans sit vir alicujus authoritatis, & illi in virtute parum firmi. Ita *Suar. d.* 10. *de char. sec.*3. *fun. d. p.* 10. *de char. diff.* 10. *Gram.* 2.2. *tr.* 13. *d.* 5. *sect.* 3. *& Turrian.* 22. *tom.* 1. *disp.* 96. *dub.* 2. Tale enim peccatum induit malitiam scandalo generalis: quia licèt peccans non intendat directè & per se ruinam proximi, tamen illam prævidens, & non desistēs a peccato inductivo, censetur indirectè velle.

Peccare publicè.

Scandali circunstātia.

Notant *Laiman tom.*1. *lib.*2. *tr.* 3. *&* 13. *n.*6. *Filliuc. tom.*2. *tr.*28. *c.*6. *& Sanch. lib.* 1. *Dec. c.* 6. *n.* 8. exponendum esse numerum personarum quæ ad spiritualem ruinam, vel ad ipsius periculum suo malo exemplo impulsæ fuerunt: imò & illarum conditionem, si talis sit, quæ peccati speciem mutet, v.g. si conjugatus ad peccati adulterium induceretur: nam illa omnia imputantur scandalizanti tanquam causæ morales omnium peccatorum, quæ pravo ejus exemplo acciderunt.

Rogabis 2. an omne peccatum commissum in loco sacro malitiam sacrilegij induat, ideoque exponendam in confessione? Constat apud *Suar. tom.*1. *de relig. lib.*3. *c.*7. peccata interna, quales cogitationes turpes non induere mali iam sacrilegij, ratione loci sacri, ad quam valde extrinsecè se habent. Quanvis enim desiderium occidēdi in Ecclesia habeat malitiam sacrilegij, quam ab objecto mutuatur, tamen si talis actus fiat in Ecclesia, non erit sacrilegus ex eo præcisè quód in loco sacro eliciatur.

Sacri loci circūstantia.

Sacer locus ad peccatū.

1171 Difficultas procedit solum de actibus externis pravis, an omnes evadant sacrilegi, si fiant in loco sacro? Rectè negant *Vasq.* 1.2. *tom.* 1. *d.* 98. *c.*4. *Salas ibid tom.*2. *tr.* 13. *d.* 3. *sect.* 2. *n.* 15. *Suar. de pæn. d.* 22. *sect.*4. *n.*20. *& Sanch. de matr. lib.* 9. *d.*15. *q* 2. *n.*18. Quia malitia sacrilegij non provenit ex natura peccati in loco sacro commissi, sed a lege Ecclesiastica, quæ ob illius reverentiam prohibet aliquos actus, quales sunt homicidium injuriosa effusio humani sanguinis, vel seminis, sepultura excōmunicati vel pagani, & alij quos numerant *Suar. tom.*1. *de rel. l.*3. *c.*2. *& Lessius l.*2. *c.* 45. *dub* 3. Unde quia Ecclesia non prohibet specialiter in loco sacro blasphemias, perjuria, turpiloquia aspectus lascivos. & percussionem sine effusione sanguinis, ideo hæc non desumunt a loco sacro circunstantiam sacrilegij.

An sit sacrilegium furtum rei non sacræ cōmissum in loco sacro? Affirmant *Suar. cit. cap.* 4. *n.* 7. *& Bellar. de just. p.* 1. *l.* 3. *q.* 15. *n.*25. & probant ex cap.

Furtum in loco sacro.

cap. quoquis 17.*q*.1. Mihi non displicent *Sotus in* 4.*d*.18.*q*.2.*a*.4. *Henriq. lib*. 2. *de pæn*.*c*.6.*n*.5. distinguẽtes, si res quæ surripitur est sub potestate Ecclesiæ, v.g. data in pignus, vel commissa custodiæ, aut alio simili modo, sacrilegium est: si tamen erat in loco sacro, per accidens sacrilegium non est. Tandem ad hanc circunstantiam (ubi) revocatur solicitatio in confessione ad actus turpes, ut notat *Filliuc. tom*.1.*tr*.10.*c*.5.*n*. 187. sive solicitatus sit masculus, sive femina, vel confessor pænitentem, vel pænitens confessorem solicitet.

Solicitatio in confessione.

QUÆSTIO VIII.

Qualiter se habeat circumstantia (quibus auxilijs?)

Circunstantia auxiliorum idem valet, atque instrumentorum, quibus peccatum cõmittitur. Nam auxilia sunt instrumenta, seu concausæ peccati in duplici genere: sunt enim creaturæ rationales & irrationales. Auxilia posterioris generis in duplici casu auget malitiam necessariò explicandam. 1. quando usus talis instrumenti est prohibitus, ut usus sclopetæ brevioris. 2. quãdo explicari nequit notabilis quantitas damni illati, nisi exponatur instrumentum, quo illatum fuit. Nam percussio facta certis quibusdam instrumentis gravior reputatur injuria. Auxilia prioris generis sunt socij criminis, si aliqua ratione inducti sunt ad peccatum, nisi ad illud omninò parati essent. Pro explicatione hujus circunstantiæ apponam quid authores fuse docent.

Auxilium seu instrumẽta ad peccatum.

1172 Circa instrumentum irrationale prohibitum, docent Salas de contr. tr. de ludo, dub. 24.2.n.2. & Filliuc. tom. 2. tr. 37. c. 4. n. 59. clericũ in sacris constitutum, vel religiosum teneri in confessione ad explicandum se defraudasse aliquem in ludo alearum, vel taxillorum: nam talis ludus est illis in jure prohibitus.

Ludens clericus & religiosus.

Circa instrumentum rationale, certum est eũ qui ad peccandum iniret pactum cum dæmone, teneri id exprimere. Cum inde nova contra religionem peccati species insurgat. Imó & si *Suar. lib*. 2. *de superst*.*c*.10.*n*.1. credat probabile divinationes per pactum implicitum & explicitum esse ejusdem speciei, tamen non dubitat in cõfessione declarandum esse pactum explicitum, quando intervenit: quia aggravat notabiliter culpam.

Divinationes per pactum.

Præterea copulam habitam cum fœmina gentili vel Turca dicere circunstantiam mutantem speciem ratione prohibitionis Ecclesiæ in honorem religionis Christianæ, docent *Sanch. l*. 7. *Matr*. *d*. 5. *n*. 11. & *Lessius l*. 4. *c*. 3. *d*. 6. *n*. 45. quanvis *Azor tom*. 3. *l*. 3. *c*. 29. *q*. 3. & *Filliuc. tom*. 2. *tr*. 30. *c*. 2. *n*. 52. dicant solum esse circunstantiam notabiliter aggravantem. Docent etiam *Lessius cit*. & *Sanch. n*. 14 (quidquid dubitet *Filliuc. tom*. 1 *tr*. 10. *p*. 2. *c*. 1) frigidos & eunuchos, si peccent cum fœmina, teneri exponere circunstantiam impotentiæ, tũ propter impedimentum quod habent ad matrimonium: tum quia impotentes, cum non possint consũmare actũ, illũ contra naturã intentant.

Copula cum femina gẽtili.

Iubilæi fiducia in peccante.

1173 Rogabis 1. an peccans ex cõfidentia obtinendi jubilæi, alias non peccaturus, teneatur id exponere? Rectè negant *Covarr. Navarr. cordub*. & alij quos refert ac sequitur *Fagund. præc*. 2. *Quint. l*. 4 *c*. 5. *n*. 8. Patet a simili, nã peccatũ illius qui peccat fretus misericordia divina, non induit ex hoc malitiã necessarió exprimendam ergo neq; peccatũ illius qui peccat fretus jubilæo, vel cruciata Unde sicut juxta *Suar. tom*. 1. *de relig. l*. 3. *c*. 11. *n*. 4. delinquens prope Ecclesiam sub spe confugiendi ad ipsã, gaudet illius immunitate: ita qui peccat spe obtinẽdi jubilęi, hujus favore gaudere potest.

Rogabis 2. an peccãs cũ cognatis intra gradus prohibitos, afferentes impedimẽtum matrimonij debeat id explicare? Affirmativa resolutio certa est, ut ait *Lugo d*. 16. *de pæn*. *n*. 312. cum talis coitus afferat malitiam incestus speciе diversam. Addit tamen gradus consanguinitatis & affinitatis in particulari debere quidẽ explicari quando peccatur cum ascendente, aut descendente, cum fratre, item cum sorore: in alijs veró gradibus nõ esse differentiam talis gradus necessariò declarandam.

Copula cum cognatis ad confessionem.

Insuper cohærenter ad suam opinionem de circunstantijs aggravantibus non necessariò confitendis, *a*. *n*. 313. dicit 1. non oportere declarari sitne incestus cum affine an cum consanguinea, sit cum filia an cum nepte: quanvis debeat exponi sitne cum matre, an cũ filia. Quia credit hos incestus ob specialẽ deformitatẽ differre specie, nõ illos. Dicit 2. nõ oportere declarari, sitne cũ matre an cũ noverca: cum filia an cũ filiastra: secus, sitne cum noverca, an cum filiastra. Dicit 3. non esse explicandum sitne cum sorore uxoris, an consobrina: secus sitne cum noverca vivente adhuc patre, an illo jam mortuo. Quia si vivit, datur species injuriæ, quatenús filius utitur re propria patris.

Incestus circunstãtia.

1174 Dicit 5. non esse declarendum proveniat ne affinitas a copula licita, an illicita: v.g. si peccavit cum noverca, an patris concubina. Dicit 6. non esse explicandum sitne soror ex utro que parente, neque an affinitas ex duplici capite. Dicit 7. idem esse sentiendum de incestu inter cognatos legales, v. g. adoptatum durante impedimento, atque de incestu inter cognatos naturales. Dicit 8. idem similiter dicendum de cognatis ex sponsalibus, & matrimonio rato, si excipias sponsalia irrita, imó & valida ultra secundum gradum.

Cognati legales, & naturales.

Cognatorum copula.

Dicit 9. necessario explicandum quæ sit cognatio spiritualis, nempe inter patrinos & filias spirituales, an inter patrinos & matrinas, compatres & comatres. Quia ultra sacrilegium ob irreverentiam Sacramento illatam, datur incestus diversæ speciei. Non tamen explicandum hoc aut illud Sacramentum. Quia habent se materialiter. Dicit 10. explicandam esse circunstantiam copulæ habitæ inter personam liberam & servilem sub specie & præ-

Copula inter servum & liberam.

prætextu matrimonij fraudulenter:item quanvis habeatur sine tali prætextu,sed cum damno respectu prolis.

Sodomia inter cognatos. Dicit 11.in peccatis Sodomiæ explicandam esse cognationé,idque cum distinctione graduũ superiùs declarata. Quia interveniunt diversæ species incestus ob rationes quæ militant in copula naturali.Dicit 12.secundùm aliquos declarandam esse a confessore circunstantiam peccati cum pœnitente,secundùm alios minimé, & illud probabilius,si peccatum fiat in ipsa confessione,vel in loco deputato ad confessiones, & pretextu ipsius confessionis: imó & si fiat extra talem locum, modò confessor immediaté post, sumpta inde occasione quęrat fæminam: secus si extra talem locum,& casu fiat.Dicit 13.si cõfessor sit pastor, vel ordinarius pastor cum speciali cura,licét non peccet occasione confessionis,debere id explicare. Nam peccatum cum subdito,quem superior tenetur in moribus dirigere,habet specialem deformitatem. Hæc omnia credo probabilia,utpote dicta a tanto authore,non sine fundamento.

Confessor peccans cũ pœnitente.

QUÆSTIO VIIII.

Qualiter se habeat circunstantia (cur)?

1175 QUinta circunstantia (cur) denotat finem extrinsecum propter quem peccatum committitur:& frequenter variat speciem peccati.Nam finis extrinsecus malus inducit diversam malitiam ab ea,quam actus habet a suo objecto,seu fine intrinseco. Unde qui furatur ut inebrietur,vel fornicetur, præter furtum tenetur explicare finem illum furti: & sic in alijs semper quando finis extrinsecus continet malitiam gravem.Quid si finis ille non sit ex se pravus:v.g. si quis ommittat die festo Missam propter studium, aut venationem? Recté *Sanch. lib.1.decal.c.5.n.15.& Suar.d.22.sec.4.n.11.* respondent esse aperiendum,si quis omittat ex tam vehementi affectu erga studium aut venationé, ut in his censeatur constituere finem simpliciter ultimum:secus, si ex sua facilitate, & libertate: quia tunc sufficiet malitiam medij exponere.

Finis extrinseci malitia & cõfessionem.

Rogabis,an quoties intentio finis pergit ad electionem medij ponentem efficaciter causam, v.g.propinantem venenum inimico,debeat quis exponere effectum sequutum ex tali causa v.g. mortem secutam ex veneno propinato? Affirmat *Sanch.l.9.matr.d.45.n.30.& Palaus tom.tr.1.disp.1. pun.3 n.7.* quia non sufficit declarare actum internum dicendo illũ efficacé ex se,nisi declaretur externus sequutus;ergo sic de illa circunstantia.

Mors causa ex veneno an declaranda.

Negandum tamen est cum *Vasquio 1.2.tom.1. d.74.c.3.Suar.tom.2.de relig.l.3.c.8.n.5. & Lugone d.16.n.440.* Nam explicata illa intentione & electione,exponitur tota malitia formalis, cui videtur accidentarium sequi vel non sequi morté. Aliter rite confessus propinationem veneni ante sequutam mortem,teneretur iterum confiteri,sequuta morte:imo non obtineret salutem, si facta tali confessione obiret, & postea mors alterius sequeretur.Item projiciens breviarium in mare intentione non amplius recitandi, semel confessus de tali extentione & projectione, impotens factus, teneretur postea confiteri omnia divina officia omissa:quæ dici nequeunt.

Ad fundamentum adversariorum dico actum externum graviter peccaminosum esse declarãdum,quãdo fit & continuatur,vel saltem incipit cum libertate & complet internũ: in quo casu non loquor,sed quando effectus,nempe mors ob longam interruptionem non censetur moraliter complere malitiam actus interni.

1176 Denique monet *Diana p 1.tr.7.resol.23. ex Sylvestr.v.confessio 1.q.10.& Angelo v.Interrogatio §.6.* non oportere quód circunstantia finis explicetur ut finis,sed posse explicari, ut distinctum peccatum,v.g.si quis furatus fuit ad fornicandũ, dicat in confessione: *Furatus sum,* & postea *Habui intentionem fornicandi* absque explicatione ordinis unius ad aliud.Quia in tali ordine non apparet maior malitia quám in furto & fornicatione separatis.

Finis ordo in peccatis.

QUÆSTIO X.

Qualiter se habeant sexta & septima circunstantia (Quomodo) & Quando?)

SExta circunstantia(quomodo) denotat modum peccandi,& tria complectitur;primum est intensio affectus in peccando,quę notabiliter aggravabit peccatum, si extraordinaria fuerit, quod poterit signo interno per ipsius diuturnam moram:& signo externo, ut si quis postquam interfecit,vulnera multiplicavit. Secundum est modus peccandi ex ignorantia,passione,malitia, contemptu ; qui modi explicandi sunt quando notabiliter aggravant peccatum; & a fortiori, quando faciũt trãsire de veniali in mortale;quod frequenter accidit per contemptum;vel de mortali in veniale,quod evenire potest ex ignorantia aut passione vehementi deliberationem requisitam impedientibus.

Affectus intensio in peccãdo.

Tertium est modus consuetudinis, & reincidentię in peccando;quem pœnitens (ut notant *Suar.cit.n.15.Vasq.q 91. a. 1.dub.3.n. 3. & Bonacina q.5.disp.5.sec.2.p.2.*) tenetur explicare,si per illum sit constitutus de pręsenti in morali periculo, vel facilitate peccandi in posterum;secus,si utrũque absit.Ut enim confessor adhibeat medicinã de infirmi pęnitentis statu certificari debet.

Consuetudo peccandi.

Reincidentia in peccatũ.

Rogabis 1.an pęnitens interrogatus a confessore semper teneatur explicare circunstantiam consuetudinis & reincidentiæ? Respondeo affirmativé cũ *Suar.d.22.sec.4.n.15.Toleto l.3.c.18. & Sayro in clavi l.5.c.5.n.8.* Ratio est quia confessor ut judex & medicus habet jus ad explorandũ sufficientem pænitentis dispositionem, & inquirendã infirmitaté,ut ferat senterntiam, & adhibeat medelãad quæ potest judicari necessaria plena notitia de peccandi cõsuetudine & reincidentia.

1177 Rogabis 2.utrũ periculũ peccati cui se exposuit quis antequã peccaret, sit exponẽdũ in cõfessione? Respondeo affirmativé, si post periculum nullus sequutus fuit actus externus,

Periculũ peccati ad cõfessionem.

 vel

vel si inter periculum & peccatum notabilis mora intercessit: negativè, si post periculum peccati statim peccatum sequutum fuit. Sumitur ex communi Theologorum. Prior pars constat, quia in tali illo duplici eventu sufficienter separatur malitia periculi a malitia peccati consummati. Suadetur posterior pars, quia si post periculum absque notabili mora consummetur peccatum, hoc declarato sufficienter intelligitur declarari periculum.

Copula modus in coitus. Rogabis 3. an explicanda sit circunstantia modi in copula conjugali, quando habetur intra vas naturale, sed naturalis situs variatur: item quando carnale peccatum committitur a gestante reliquias, vel imaginem? Respondeo negativè quoad utramque partem. Prior traditur a *Sanch. lib. 9. Matr. d. 16. n. 3.* quia mutatio illa situs quando fit sine causa est quædam deordinatio non excedens malitiam peccati venialis. Posterior defenditur ab eodem *lib. 2. Decal. c. 40. n. 28. & Filliucio tom. 2. tr. 30. c. 7. n. 229.* quia peccatum illud non opponitur directè sanctitati rei sacræ, quæ sic non læditur. Et eadem est ratio, si reliquiæ dentur pro actu turpi, non tamen in pretium.

Ignorantia culpabilis ad confessionem. Rogabis 4. utrûm ignorantia culpabilis peccantis exponi debeat: v.g. fregerit ne jejunium scienter, an ignoranter, nempe putans culpabiliter non esse diem jejunij? Respondeo negativè cum *Suar. de pæn. d. 22. sec. 4. n. 14. & Sanch. l. 1. Dec. c. 17. n. 22.* quos sequitur *Lugo d. 16. n. 182.* Quia ignorantia per se loquendo non variat speciem, imò intra eandem speciem minuit voluntariū. Quam doctrinam extendit Suar. cit. ad peccatū commissum ex passione vel malitia.

1178 Dixi (per se loquendo) quia aliunde poterit requiri illius explicatio, v.g. si ex ignorantia nascatur periculum incidendi in alia peccata; vel legis contemptus, si sit affectata. Addit *Vasq. 1. 2. d. 126 c. 2.* semper esse explicandam in peccatis contra fidem, quasi ponat discrimē specificum inter dissentire fidei scienter & ignorāter. Oppositum tenet *Lugo d. 16. n. 188.* Quia idē præceptum obligans ad credendum obligat etiā ad scientiam tanquam ad medium, atque a deo peccatum ibi contra fidem semper est ejusdem speciei.

Quid quando ignorantia talis est, ut quis solum peccet ex illa: v.g. si non jejunavit putans esse diem jejunij, qui re vera non erat? *Adrianus in 3. q. 4.* affirmat esse explicandam. Negandum tamen est cum *Sanch. lib 1. Decal. c. 11. n. 5. & Medulla Theol l. 1. pract. 1. c. 1. fine.* Quia omissio jejunij præcepti semper est ejusdem speciei, sive ignorāter sive scienter fiat. Erit tamen sanum consiliū, & aliquando necessarium explicare talem conscientiam, ut tollatur error per confessarium, & de similibus, vel concernentibus instruatur pænitens.

Temporis circunstantia. Septima & ultima circunstantia (quando) denotat tempus peccati: circa quod advertendum est, an tempus sit determinatum ad aliquod opus, ut festus dies, quo sacrum fiat, & audiatur, vel opus aliquod sit prohibitum certo tempore, ut opera servilia diebus festis. Rogabis 1. utrū peccatum commissum diebus festis induat specialem malitiam, aut maiorem gravitatem necessariò confitendam? Affirmant *S. Bonav. & Alens.* quos citat & sequitur *Corduba l. 1. quæst. q. 6.* Negandum tamen est cum *Sylv. Caiet. Navar. Covar.* & alijs, quos citat & sequitur *Suar. cit. d. 22. sect. 4. n. 21.* & latius *tom. 1. relig. l. 2. c. 18. & Vasq. q. 91 a. 1. dub. 4. n. 24.* Quia observatio diei festi præter auditionem sacri includit abstinentiam ab operibus servilibus, & non ab alijs. *Vestium sacrarum pollutio.*

Non mihi displicet *Tancredus tr. 1. d. 6. q. 4.* esse circunstantiam confitendam, si sacerdos deferens S. Eucharistiam, eo tempore consentiat in turpe desiderium. Item si statim post sumptam Eucharistiam intra quadrantem habeat copulam vel pollutionem, ut tenet *Diana p. 10. tr. 12. resol. 54.* Item si sacris vestibus indutus copulā habeat ante, vel post Missam: secus, si sola stola indutus. Addit *Tancredus cit. q. 37.* in prædictis casibus, & si committatur sacrilegium, non pollui vestes.

1179 Rogabis 2. an qui violat observantiā diei, in quem duplex festum incidit, teneatur id aperire? Affirmant *Ægid. Bellan. d. 6. dub. 6. Reginal. tom. 1. l. 6. c. 4. n. 129. & Tanerus tom. 3. d. 5. q. dub. 2. n. 24.* Negandum tamen est cum *Suar. d. 22. sec. 4. n. 22. Sanch. l. 1. Dec. c. 14. & Vasq. 12. tom. 1. d. 98. c. 1.* Quia illud præceptum multiplicatum non multiplicat novas ac diversas obligationes, cum tendat ad eandem virtutem religionis sub eodē motivo. *Duratio actus peccaminosi ad confessionem.*

Rogabis 3. utrûm duratio actus peccaminosi explicari debeat? Respondeo ex Suar. citato n. 20. in tribus casibus esse explicandam 1. quando diuturnitas actus adeo extraordinaria est ut cōmunem modum peccandi excedat. 2. quando ex prædicti actus diuturnitate damnum tertij notabiliter augetur. 3. quando interruptio actuum internorum cognosci & explicari nequit. Tunc enim exponenda est duratio omnium illorum actuum, ut inde multiplicitas data per interruptionem, saltem confusè percipiatur.

QUÆSTIO XI.

Qualiter integritas formalis sufficiat ad confessionis valorem, & effectum?

EGimus hactenus de integritate materiali, quæ consistit in eo quod pænitens uni eidemque confessori se accuset de omnibus peccatis lethalibus a se post Baptismum commissis, nullo excepto. Superest agendum de formali, quæ licet non sit de omnibus peccatis commissis, quia dantur causæ ad aliqua occultanda, est tamen de omnibus a quibus explicandis nulla datur sufficiens excusatio. Quæstio igitur versabitur in discutiendo per nonnullas difficultates quando detur sufficiens causa excusans ab integritate materiali, & sufficiens ad formale. *Integritas formalis cū confessionis.*

1180. 1. Difficultas est, an mortis periculi

ict

ita excuset ab integritate materiali, ut sufficiat formalis,& quomodo? Videtur negare *S. Thom. in 4.dist.17.q.3.art.3.quæstiam 4. ad 5.* quatenus assetit in casibus in quibus sine periculo damni notabilis nequit pænitens omnia peccata mortalia sacerdoti confiteri,se gerere debere, ac si copia confessoris deesset.Oppositum tamen rectè defendunt *Vasq.q.91.a.2 d.2.Valent.d.7. q.11.p.1. Sanch.l.1.Decal.c.18.n.5.& Suar.d.23.sect.2.n. 4.* juxta quorum doctrinam,ut exponam quomodo in præsenti casu dari possit formalis integritas confessionis tum ex parte pænitentis,tum ex parte confessoris.

Confessio non integra materialiter. Dico 1.quando pænitens subiret periculum mortis, vel incidendi in gravem morbum aut hostes,ex mora confessionis, posset ac deberet absolvi antequam omninò perficeret confessionem omnium mortalium. Ita præter citatos *Reginal.in praxi lib.8.n.23.Bonac.d.5.de sacram.q.5.sec. 2.p.2.§.4.diff.4.n.17.& Lugo d.17.sec.1.* Ratio est quia in positis eventibus dicuntur omnia peccata quæ moraliter dici possunt: & hoc sufficit ad formalem integritatem.

Dico 2. quando periculum est ne confessor ante confessionem omnium peccatorum moriatur,vel in gravem morbum aut hostes incidat,absolvere potest non integrè confessum,casu quo pænitens maneat in periculo non inveniendi alium confessorem ante mortem. Ita *Suar.cit.n.1.& Lugo n.4.* Ratio est quia talis moralis impossibilitas cohonestat formalem integritatem.

Quid de integritate formali moribũdi? Quãvis nullum dederit externum signum contritionis,vel petendæ absolutionis,posse imò debere absolvi sub conditione,dummodo alias probe & Christiane vixerit,tenet Phil. Servius in amico fideli p.3.c.1.Tamborin.de exped.conf.l.2.c.10 & alij eo quod præsumi possit elicuisse contritionem.Et hoc probabile judicat Diana p.4. tr. 4.res.92.& p.9.tr.6.res.20.Mihi videtur omninò negandum cum Suar.Vasq.& alijs quos sequitur Lugo d.17.sec.3.Ratio est,quia non potest exerceri actus judicialis per externam sententiam absolutionis,nisi præcedat accusatio quæ pateat exterius per aliquod signum.

Dicendum est igitur cum Suario de pæn.disp 23.sec.1.n.12.Lug.d.18.n.84.si moribundus antequam destitueretur usu sensuum,petijt absolvi,ac dedit signum doloris coram alijs, in ordine ad Sacramentum,quod de quovis in tali statu videtur præsumendum: quo casu (addit Busembaus lib.6.tr.4.art.2.) si saltem coram ipso infirmo,sive ab uno,sive pluribus,mediatis, vel immediatis testibus detur testimonium, sacerdotem non tantum posse, sed probabiliter teneri absolvere,saltem sub conditione. Quia sic cõsulitur tam necessitati ægrotantis, quàm reverentiæ Sacramenti.

Notat Suar.n.13.non esse satis exhibere signa contritionis sine ordine ad confessionem.Ego judico talia signa semper præsumi dari in ordine ad confessionem,quandiu non constat oppositũ.

Observabis 1.dictos pænitentes absolutos teneri,si statim tempus & opportunitas detur, in confessione progredi, donec integre confiteantur,& absolvantur iterum.Quod si deinde superveniat periculum,ut nequeant omnia confiteri,etiam absolvi debent.Observabis 2.cum *Diana p.2.tr.3.resol.6.& Lugone d.17.sec.1.n.6.* qui cæpit audire confessionem ægroti, & condixit perficiendam sequenti die,posse eum, si inveniat sensibus destitutum,absolvere.

1181 Observabis 3.cum *Suar.disp.23.sect.1. n.2.*peccatorem illum,si possit,teneri priùs confiteri mortalia non confessa,quam reliqua: deinde priùs peccatorum species, quam cujuslibet speciei numerum:non autem priùs unum mortale quàm aliud per se loquendo.Dixi (per se loquendo)quia per accidens dari potest obligatio confitendi priùs unum quàm aliud:si v.g.habeat annexam ex communicationem a qua absolvi debeat: vel restitutionem,quæ non nisi mediante confessore fieri posit.

Observabis 4.cum *Salas 1.2.tr.8.disp.un. sec.5. n.16.Turrian.de pænit.q.9.d.30.dub.2.Suario disp.23. sec.1.n.5.& Lugone d.17.sec.1.n.8.*in casibus, quibus pænitens aliter confiteri nequit, sufficere in genere significare se peccasse,vel vocibus,vel nutibus tantũ,ut absolvi valeat,ac debeat quidquid in oppositum dicant *Sotus in 4.d. 18.q.2. a.5. & Ledesma 2.p.4.q.9.a.5.dub.5.*

2 Difficultas est,utrùm & qualiter oblivio, vel ignorãtia excusent ab integritate materiali? Ignorantia & oblivio triplex esse potest. 1.invincibilis omninò, atque adeo inculpabilis. 2. vincibilis & culpabilis venialiter. 3. vincibilis & culpabilis mortaliter.Constat 1. ex Tridentino & Florentino apud *Suar.d.23.sec.4.n.1.*ignorantiam vel oblivionem omninò invincibilem ita excusare ab integritate materiali, ut nec valorem, nec effectum hujus sacramenti impediat. Idem bené docet *Vasq.q.92.a.3.dub.1.* de ignorantia & oblivione solum venialiter culpabili. Constat 2. lethalia oblita,vel quomodocunque omissa, teneri pænitentem in confessione sequenti aperire, cessante causa occultationis. Ita definitum est ab Alexandro VII.qui anno 1665. damnavit hanc propositionem.*Peccata in confessione omissa,seu oblita ob instans periculum vitæ aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.* *Ignorãtia & oblivio in confessione.*

1182 Dubitatio solum est, quando datur ignorantia vel oblivio mortaliter culpabilis, & pænitens habet propositum expressum confitẽdi omnia peccata mortalia,an confessio formaliter integra & valida esse possit? Affirmat *Henriq. lib.5.pæn.c.11.n.1.*fundatus *Tridentino sess. 14.c. 5.* exigente ad formalem integritatem, quod pænitens confiteatur omnia mortalia,quorum cõscientiam & memoriam habuerit.Negandum tamen est cum *Toleto l.7.c.8.& 16.Suario d.23. sec. 4.n.3.& Vasq.q.92.a.3.dub.1.*Ratio est,quia omnis confessio in qua committitur mortale peccatum sive ex industria,sive ex negligentia,evadit

dit sacrilega & invalida: confessio autem de qua loquimur lethaliter peccaminosa est.

Observatur 1. eum qui post inceptam confessionem advertit suam culpam ex defectu examinis, teneri illam confiteri, & tunc si confessor judicet fieri posse, ut per interrogationes suppleat defectum examinis, validé & fructuosé cõfitebitur. 2. eos qui ex dicta culpa omittunt peccata, & si per se teneantur ad confessiones iterandas, evenire sæpe per accidens ut ab eis iterandis excusentur. Quia peccatum illud lethale inculpabiliter excidit & memoriæ: & tunc confessiones factæ cum cæteris requisitis, validé & fructuosé fiunt.

Peccatum quando in confessione occultandum. 3 Difficultas est utrum teneatur integre cõfiteri pænitens qui prudenter timet confessorem revelaturum esse confessionem? Respondeo negativé cũ *Suario disp. 23. sec. 2. n. 2.* Ratio est, quia præceptum charitatis, quo tenemur vitare proprium, & alterius damnum prævalet positivo confitendi integré: cum igitur ex violatione sigilli proveniat pœnitenti, & confessori grave damnum, excusabitur pœnitens ab integritate materiali, imò ad formalem tenebitur. Ex quo patet deobligati confessorem a confitendo peccato, quod aliter aperire non potest nisi detegẽdo peccatum sibi confessum.

Cõplicis manifestatio in confessione. 4 Difficultas est, an teneatur quis ad materialem confessionis integritatem, quando peccatũ suum manifestare non potest, nisi personam cõplicis in particulari manifestet? Negant *Banhes 2. 2. q. 33. n. 8. dub. 8 part. 1. Navarr. in sum. c. 7. n. 2. & 3. & Valent. d. 7. q. 9. p. 1.* quia tunc datur præceptũ naturale non infamandi complicem, quod prævalere debet præcepto positivo integræ confessionis.

Affirmandum tamen est cum *S. Thoma opusc. 12. q. 6. Suar. disp. 34. sec. 2. n. 3. Vasq. q. 91. a. 2. dub. 3. n. 13. Granado contr. 7. tr. 9. d. 5. sec. 1. n. 9. & Fi euc. tr. 7. c. 12.* Fundantur, quia omnis legitimus judex qualis est confessor in foro Dei, habet potestatem integram judicandi de crimine commisso per aliquem sibi subditum, & cognoscendi de illo, etiã si manifestari debeat persona complicis non subditi.

Jubilæus ad dimidiandam confessionem. 1183. 5 Difficultas est, an sit causa sufficiẽs ad dimidiandam confessionem in jubilæis, cum maxima est populi frequentia, ne plures abeant sine jubilæo comparato? Respondeo negativé cum Ægidio Bellano d. 7. dub. 9. n. 93. Ratio est quia omittere confessionem eo die non videtur tanti momenti, ut possit cohonestare confessionem dimidiatam: præsertim quia eo die solent accedere, qui habent conscientias intricatissimas proindeque indigent confessione valde integra, ut instituantur.

Confessio dimidiata ægroti volentis communicare. 6 Difficultas est, quid agendum sit, cum defertur S. Eucharistia ægroto, & aud ta brevi reconciliatione deprehenditur ipsum teneri repetere confessiones propter illarum defectum? Constat ex dictis si mors immineat, auditis peccatis, quæ pænitens pro tempore confiteri potest, & facta aliorum generali accusatione, absolvendum, & statim communicandum esse. Dubiũ est, si mors immineat: in quo dicimus, ut vitetur scandalum, posse ægrotum communicare elicito priùs actu contritionis: quód si non ita promptè conteri valeat, elicita attritione absolvi posse, & si non integré confiteatur.

Confessio venialiũ ante Eucharistiã. 7 Difficultas est, utrum qui habet peccatã mortalia, quæ tacere potest ob relata incommoda, teneatur urgente præcepto confessionis, confiteri sola venialia? Negat *Suar. d. 23. sec. 2. n. 6.* Quia cum nemo teneatur ad confessionem venialiũ, & ille pænitens excusetur a confitendis mortalibus, potest nulla præmissa cõfessione communicare, vel celebrare. Affirmat *Granad. tr. 9. d. 5. sec. 3. n. 23.* Quia pænitens ante sumendam Eucharistiam, si habeat conscientiam peccati mortalis tenetur confiteri; ergo excusatus a confitendis mortalibus, tenetur confiteri venialia, ut a mortalibus indirectè absolvatur.

Si in hac dissensione opinionum mihi liceat opinari, judico pænitentem teneri peccatum mortale in genere confiteri, dicendo se commisisse mortale, de quo non recordatur, subintelligendo (ita ut teneatur illud in particulari aperire) Ratio est, quia ad sumendam Eucharistiam tenetur quis fateri omne peccatum mortale, quãtum moraliter potest: sed prædicto modo potest ergo tenetur. Et sic, si ex solo peccato externo, & circunstantia timetur incommodum, illis tacitis, ad internum confitendum tenebitur. Denique rectè docet *Suar. d. 23. sec. 2. n. 9.* eum qui ad implendum præceptum annuæ confessionis confessus fuit sua pe[c]cata, sed non integré ex causa, non teneri causa omittendi cessante, statim cõfiteri peccatum omissum.

SECTIO IV.

De ministro pænitentiæ quoad jurisdictionem, bonitatem, & electionem:

QUÆSTIO I.

Utrùm omnis, ac solus sacerdos minister Sacramenti pænitentiæ esse valeat?

Sacerdos minister pænitentiæ. 1184 Conveniunt etiam hæretici cum catholicis in hoc, quod sacerdos sit legitimus minister hujus Sacramẽti: solum est dissensio circa duas quæstionis partes, quarum altera quærit, an solus sacerdos, quantumvis malus, & iniquus, hujus Sacramenti minister esse possit? Negant apud *Suar. d. 24. sec. 1. n. 1. Vvicleph & Lutherus hæretici impij* asserentes laicum posse esse ministrum Sacramentalis confessionis, juxta illud *Iacobi in epist. canon. c. 5. Confitemini alterutrum peccata vestra.*

Affirmandum tamen est cum sententia, quam de fide certam, rectè tradunt *Bellarm. l. 3. de pæn. c. 2. Valent. d. 7. q. 10. p. 1. & Suar. d. 24. sec. 1. n. 2. & 6.* Nam definitur ex professo a *Trident. sess. 14. c. 6.* & suadetur ex illis verbis Ioan. 20. *Quorum remiseritis pec-*

peccata remittuntur eis. Nam per hæc verba Christus instituit ministros pænitentiæ Apostolos solos & eorum successores, ut ex communi sensu Ecclesiæ expressit Martinus V. in litteris insertis concilio constantiensi: idque PP. unanimi consensu docent.

Confessio facta laico. Dubium est, an saltem in mortis articulo teneatur quis sua peccata confiteri laico non sacramentaliter? Rectè negant *Vasq. q. 93. a. 1. dub. 1. & Ægid. Coninck disp. 8. dub. 1.* Quia confessio a Christo Domino instituta, ad quã solum datur præceptum, est in ordine ad absolutionem: hæc autem a nullo laico impendi potest. Monent tamẽ citatus *Vasq. & Becanus c. 38. q. 1. n. 3.* per accidens evenire posse, ut quis jure naturali teneatur aperire laico suum paccatum, si nulla alia ratione illud vitare possit, nisi ex laici consilio. In quo casu tenebitur laicus ad secretum naturale, sed non ad sigillum confessionis: quia confessio sacramẽtalis non fuit.

1185 *Sacerdotis potestas ad absolvendum.* Altera pars quærit an omnis sacerdos ex præcisa ratione ordinis, possit hoc sacramentum ministrare? Affirmant nonnulli quorum sententiam judicat probabilem *Duran. in 4. dist. 19 q. 2.* Quia omnes sacerdotes sunt judices, & sicut in consecratione accipiunt immediaté a Christo potestatem ad consecrandum ita ad absolvendũ, juxta illud Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Negandum tamen est cum communi & vera sententia, quam tenent *S. Thom. in 4. d. 17. q. 3. a. 3. Vasq. cit. dub. 2. Suar. d. 24. sec. 2. n. 5. & Hurt. diff. 2.* Probatur, quia cum hoc sacramentum exerceatur per modum judicij, ille solum sacerdos validé illud ministrare potest, qui habeat authoritatem jurisdictionis ordinariam, vel delegatam, ut definitur a *Florent. in litteris Eugenij 4. & Trident. sess. 14. c. 7.* ubi decernit nullam esse absolutionem, quam sacerdos confert ei, in quem ordinariam, vel delegatam jurisdictionem nõ habet.

Potestas ordinis & jurisdictionis. Rogabis utrum potestas, quam in ordinatione sacerdos ad absolvendum accipit, sit revera jurisdictio ad absolvendum, an solum quid fundamentale requisitum ad potestatem jurisdictionis? Dissentiunt inter se gravissimi authores. Nam *S. Anton. 3. p. tit. 17. c. 4. Navar. in sum. c. 4. n. 3. Turrian. d. 23. dub. 2. Vasq. q. 93. a. 1. dub. 3. & Hurt. diff. 3.* affirmant sacerdotem ex vi ordinis accipere activam jurisdictionem ad absolvendũ a peccatis, Ecclesiam verò postea nihil conferre sacerdoti, quod se habeat ex parte causæ efficientis: sed tantum ei subjicere personas, in quas acceptam jurisdictionem possit exercere.

Nihilominus *S. Bonav. in 4. d. 19. a. 3. Molina tr. 5. de just. d. 2. n. 3. Suar. d. 16. sec. 3. n. 7. Bellarm. d. 8. dub. 2. Filliuc. tr. 7. c. 7. n. 17. & Layman. l. 5. n. 6. c. 10. n. 1.* aperte negant in ordinatione conferri sacerdoti jurisdictionem. Quod videtur manifesté colligi ex verbis *Tridentini sess. 14. c. 7.* ubi definit *nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos profert in eum, in quem ordinariam, aut subdelegatam potestatem non habet.*

1186 Mihi videtur hæc disceptatio de solo vocabulo, aut modo loquendi: placet tamen hic posterior modus, utpote aptior ad discernendas potestates ordinis & jurisdictionis, quas Theologi distinctas agnoscunt. Unde ad fundamentum adversariorum fateor sacerdotes constitui judices, & accipere quidem potestatem absolvẽdi, quando ordinantur: eo tamen modo, quo Doctor in Theologia accipit potestatẽ S. Scripturam publicé interpretandi: quam tamen ut sequatur, necesse est ulterius quod ab Episcopo, vel ab Academia in prædicatorem, aut professorem eligatur. Est igitur potestas illa, quæ significatur per verba in ordinatione prolata, capacitas quædam ad recipiendam jurisdictionem.

QUÆSTIO II.

Quibus pænitentiæ ministris competat jurisdictio ordinaria?

Jurisdictio (ut definiunt Theologi ad rem præsentem) est potentia moralis in ipsos fideles, qui sacerdoti in foro conscientiæ subditi fiunt & sacerdotis judicio stare debent. Iuxta *Trident. sess. 14. c. 7.* duplex est, altera ordinaria, quæ habetur ex vi muneris pastoralis ad curandas animas: altera delegata, quæ non habetur ex officio, sed ex commissione, seu delegatione eorum, qui jurisdictionem ordinariam habent. *Iurisdictio ordinaria & delegata.*

Certum est 1. jurisdictionem ordinariam cõpetere Summo Pontifici in omnes fideles hujus Sacramenti capaces absque ulla limitatione personarum, vel locorum. Habetur ex illo Ioan. 21. *Pasce oves meas*, de quo laté Canonistæ ad *lib. 1. Decret. tit. 33. de maiorit. & obed.* Post Sum. Pontificem (ut docent *Suar. disp. 25. sec. 1. n. 1. & Barb. de pot. Episc. p. 3. alleg. 55. n. 22.*) habet in omnes fideles Pænitentiarius Maior, nisi a Papa coarctetur: deinde Legatus a latere in omnes provincias ad quas destinatur. *Cap. legatos de officio legati in 6.* *Parochi qui.*

1187 Certum est 2. habere jurisdictionem ordinariam Episcopos, Archiepiscopos, Primates & Patriarchas in suis diœcesibus: item jurisdictionem quasi Episcopalem Abbates, & religionum superiores Generales ac Provinciales. Certum est 3. habere jurisdictionem ordinariam parochos comparatione illorum, qui ad suas parœcias spectant. Horum nomine veniunt superiores locales religionum, sive Priores, sive Rectores, sive Abbates, sive Guardiani, sive Præpositi, aut aliter appellentur.

Dubium est 1. utrum Episcopi jurisdictionem suam habeant immediaté a Christo Domino, an a Pontifice? Quanvis nonnulli, quibus assentitur *Vasq. tom. 3. d. 240. c. 4. n. 41.* existiment talem jurisdictionem a Christo Domino immediaté in Episcopos derivari: tamen probabilius est eam a Pontifice impendi Episcopis. Ita *Bellarm. l. 4. de Rom. Pont. c. 24. Suar. l. 4. defens. fidei cap. 9. n. 26. & Gram. contr. 7. tr. 10. d. 2. n. 6.* Probant, quia Romani Pontificis est assignare Episcopis diœcesim, eam ampliare, vel coarctare: item limitare jurisdictionem, ne possint ab hoc vel illo peccato absolvere. *Papæ jurisdictio.*

Du-

Dubium est 2. an vicarius Generalis Episcopi habeat jurisdictionem ordinariam ad confessiones audiendas? Rectè affirmant *Molina tom. 6. de just. tr. 5. d. 10. n. 1. Sanch. l. 3. Matr. d. 19. n. 3. Az. r. tom. 2. l. 3. c. 43. q. 5. & Sayrus de censur. l. 7. c. 9. n. 5.* Quia juxta *cap. Romana de Appellation in 6.* Vicarius Episcopi habet eandem jurisdictionem cum Episcopo: siquidem utriusque unum & idem tribunal est, jurisdictioque Episcopi ordinaria.

Vicarij generalis jurisdictio.

1188 Dubium est 3. an Capitulum sedevacante, ejusque Vicarius generalis habeant jurisdictionem ordinariam? Rectè affirmant citati Authores, *Molina d. 11. Azor c. 37. q. 7. & Sanch. d. 28 n. 5.* Quia Capitulum & ejus Vicarius Generalis succedunt loco Episcopi, & supplent ejus defectum in jurisdictione ordinaria. Cum tamen illa jurisdictio non resideat in singulis, sed in Capitulo, quà politico corpore, fit ut unusquisque non censeatur judex approbatus ad audiendas confessiones. Secus de ejus Vicario generali: hic enim se habet sicut Vicarius Episcopi.

Capituli sede vacante jurisdictio.

Hæc laté probat *Sanch, d. 29. a. n. 10.* ubi observat diversum quid de Vicario foraneo, qui in aliquo maiori oppido præesse solet: hic enim sive sit foraneus Episcopi, sive Capituli, non est Ordinarius. Notant *Henriq lib. 3. de penit. cap. 7. n. 5. & Suar. d. 25. sec. 1. n. 14.* Archiepiscopum, quando visitat suam provinciam, habere jurisdictionem ordinariam ad audiendas confessiones, non veró ad ministranda alia sacramenta.

Archiepiscopus ad audiendas confessiones.

Dubium est 4. utrum hujusmodi jurisdictio ordinaria circũscribatur locis, an personis? Respondeo cum communi ad dictam jurisdictioně ita requiri ut de locis & personis habeatur ratio, ut illa neque solis locis, neque solis personis mẽsuretur. Explicatur, quia tam Episcopus extra suam diœcesim, quàm parochus extra suam parochiam possunt absolvere sibi subditos. Exercitium enim talis jurisdictionis, cum fiat in secreto, non turbat territorium alienum.

Confessionum auditio extra territorium.

Deinde Episcopus & parochus habet jurisdictionem in eos qui habitant in sua diœcesi vel parochia, licet non habeant ibi verum domicilium, ut mercatores & scholastici. Iuxta *Sanch. l. 3. Matr. d. 25. n. 7.* vagi possunt confiteri cuilibet curato diœcesis quod procedit de quolibet exposito, dummodo id constet curato diœcesis, in qua reperitur.

1189 Dubium est 5. quinam dicatur proprius sacerdos pœnitentis, cui præcipitur fieri cõfessio *cap. omnis utriusque sexus*? Respondeo cum *Suar. cit. d. 25. sec. 2. n. 2. Vasq. dub. 1. n. 2. & Hurtado disp. 10. diff. 4.* proprium sacerdotem dici omnem illum qui habet jurisdictionem ordinariam, alienum veró qui caret ordinaria licet delegatam habeat. Unde juxta *Sanch. l. 3. Matr. d. 24 n. 5.* habitans in duabus parochijs habet duos proprios Sacerdotes, & potest cuilibet confiteri. Hi tamen sibi invicem parochi esse nequeunt.

Sacerdos proprius qui.

Si quæras de subordinatione parochorum, localium immediatus parochus est Episcopus, vel alius qui habeat jurisdictionem quasi Episcopalem: Episcoporum, Cardenalium, & propriæ familiæ Summus Pontifex. Cardenales etiam propriarum familiarum ordinarij sunt, teste Suario n. 12. qui docet posse Episcopos familias suas eximere ab ordinaria parochorum cura, eamque sibi reservare, vel alteri committere, sed non quoad decimas solvendas: harum enim exemptionem solus Pontifex concedit. In Lusitania Regia domus & familia habet pro ordinario Capellanum maximum.

Parochorum subordinatio.

Dubium est 6. an Episcopus comparet jurisdictionem sacramentalem in non subditum ex eoquod in sua diœcesi peccaverit? Affirmant *S. Antonin. 3 p. tit. 17. c. 4. Albertus in 4. d. 17. a. 4. Adrian. d. 17. q. 3. & Alens. 4 p. q. 21. memb. 3. a. 2.* Negandum tamen est cum *Sylvestro, Panormitano, Navarro & alijs*, quos citat & sequitur *Suar. d. 25 sec. 1. n. 18.* Ratio est, quia in foro interno non potest habere potestatem dimidiatam, ex acquisitione jurisdictionis in quædam, & non in alia: mortalia enim omnia simul remitti debent; ergo si Episcopus non est judex criminum, quæ extra suam diœcesim commisit non subditus, neque etiam erit judex illius, quod in diœcesi sua commisit.

Iurisdictio ex delicto.

QUÆSTIO III.

Qualiter se habeat in hoc Sacramento delegata jurisdictio?

1190 Cum apud *Molinam tom. 6. de just. d. 14 n. 1.* de jurisdictio in foro pœnitentiæ delegata censeatur debeat convenire personæ non ratione proprij muneris, sed ex mediata, vel immediata concesione alterius, qui ex proprio munere illam habet, facile erit decidere, quinam posit hujusmodi jurisdictionem delegare? Est igitur vera & generalis resolutio. Iurisdictionem in foro pœnitẽtiæ delegare potest quisquis illam ordinariam habet. Ita *Suar. d. 26. sec. 1. n. 3. Molina cit. d. 15. n. 1. & Granad. contr. 7. tr. 10. disp. 2.* Constat ex *cap. omnis utriusque sexus & cap. Inter cætera de offic. ordin.*

Iurisdictionis in foro pœnitentiæ delegatio.

Delegare qui possint.

Unde omnes prælati ordinarij delegare possunt, scilicet Pontifex in universam Ecclesiam, etiam invitis Episcopis, & Episcopi in suas proprias diœceses etiam invitis parochis, si Pontifex non renuat. *Cap. inter cætera, de offic. ordin.* Quicunque etiam localis parochus (ut habetur cap. Omnis utriusque sexus, de pœn. et. & remiss.) delegare potest intra limites suæ perochiæ, dummodo ille, in quem delegatur, sit approbatus ab ordinario, & aliunde capax.

Parochus delegandum.

Nuncius Apostolicus respectu fidelium suæ legationis potest delegare, ut benè tradit *Ioan. Andreas q. 3. dub. 7. n. 43.* Idem de legatis sedis Apostolicæ sive sint a latere, sive legati nati, respectu fidelium suæ legationis, rectè docent *Molina cit. d. 9. n. 3. & Sanch. l. 3. Matr. d. 28. n. 8.* qui n. 7. idem probat de Cardinalibus in Ecclesia sui tituli, & de visitatore Apostolico.

Cardinales ad delegandũ.

Maius est dubium de Archipresbytero: an sit parochus totius diœcesis? Affirmant multi apud *Sanch. cit. d. 27. n. 1.* ipse tamen cum multis n. 2. dis-

Archipresbyter.

distinguens merito asserit illum dici posse ordinarium, quando ex officio ejus beneficio annexũ sit audire confessiones in tota diœcesi: secús veró si talis auditio ipsi conveniat ex commissione Episcopi: quo pacto in cathedralibus solet competere illi canonico, cui Episcopus absolutionem casuum sibi reservatorum committit, & Pœnitentiarius vocatur.

Delegati ad delegandum.

1191 Rogabis, an soli ordinarij delegare valeant? Affirmare videtur *Suar.d.26.sec.1.n.4.* dicens nullum alium præter ordinarium posse hãc jurisdictionem concedere. Negandum tamen est cum *Emman. Roter.tom.2.regul.q.4. a.3. & Aldrete lib.3.de relig. disc.c.3.a.n.30.* Nam visitatores, & commissarij generales religionum non sunt ordinarij, & tamen possunt delegare jurisdictionem ad audiendas confessiones, tanquam delegati supremæ potestatis, qui possunt subdelegare juxta *caput Quoniam Apostolicæ, de officio de leg.*

Subdelegatio.

Et quidem (ut recté docet *Cardin. Lugo d. 19. sec.2.n.15.*) in delegante, quando habet potestatem ordinariam, non deest facultas delegandi cũ potestate subdelegandi. An veró ita dare velit, ex verbis & circumstantijs delegationis conjici debet. Unde nec Pontifex concedens regularibus licentiam absolvendi a casibus reservatis, nec parochus conducens capellanum ad aliquas cõfessiones audiendas, illis concedunt potestatem subdelegandi. Quia solum eorum opera personali uti volunt.

E contra veró sacerdos relictus a parocho absente per quindecim dies loco sui, vel subrogatus ab Episcopo loco parochi per annum, vel semiannum, potest subdelegare ad actiones speciales, non veró ad totum officium. Idem dicendum, si Episcopus committat alicui prælato regulari facultatem absolvendi seculares a casibus sibi reservatis. Item si prælatus regularis habens domum aliam, aut villam sub ordinatam, committat vicario talis domus aut villæ absolutioné a casibus sibi reservatis. Nam tales delagati subdelegare poterunt ad casum in particulari. Quę omnia (ut bené notat *Lugo cit.n. 16.*) intelliguntur, si facultas illa delegata sit superiori in genere, & omnibus successoribus: secus quando huic personæ illam petenti data est.

1192 Observabis 1. cum *Lugone disp.19.sec. 2.n.18.* opus non esse ad validé absolvendum, ut ille cui veré delegata est jurisdictio, cognoscat hanc delegationem. Nam satis est quod potestatem habeat, & absolvere intendat: quidquid, in oppositum dicat *Ægid. Bellanus disp. 8. dub.5.n.33*

Observabis 2. cum *Suar.d.26.sec.1.n.9.* illum qui a Pontifice, ejus Legatis, aut Episcopis habet potestatem delegatam ad audiendas confessiones, posse independenter a parocho illam exequi: quidquid contradicant nonnulli Juristæ.

Sacerdos capax jurisdictionis.

Duo supersunt expedienda: alterum, quinam delegatam hanc jurisdictionem possint accipere: & ex dictis quæst 1. facilé resolvimus omnes ministros hujus Sacramenti, quales sunt soli sacerdotes capaces jurisdictionis Ecclesiasticæ, posse accipere delegatam jurisdictionem ad cõfessiones audiẽdas. Unde de facto quicũque dictæ jurisdictionis capaces, acceperint a ministris ordinarijs potestatem absolvendi a peccatis per sufficientem declarationem sitæ voluntatis, confessores delegati appellantur. An prælatus sacerdos possit aliqua ratione sibi ipsi hanc jurisdictionem delegare? Vide quæ diximus parte priori num.264.

Jurisdictionis duratio.

Alterum expediendum est, quandiu duret jurisdictio delegata. Cum hęc veró pro conferentis arbitrio terminari aut protrahi valeat, ejus duratio per sequentes resolutiones explicari debet. Dico 1. si Pontifex aut Episcopus, aut alius ordinarius delegavit absolute potestatem audiendi confessiones, nullo determinato tempore durat jurisdictio, etiam delegante mortuo, vel amoto ab officio. Ita *Sayrus de censu.l.7.c.14. n. 7. Sanch.l.8. Matr.d.28.n.72. Suar.d.26. sec. 3. n.9. & Granad.contr.7.tr.10.d.4.sec.4. n. 17.* Constat ex communi praxi, & quia gratia facta, etiam re integra, non expirat morte concedentis juxta *cap. si quis gratia, de offic. deleg. in 6.*

Parochus committens jurisdictionem.

1193 Dico 2. jurisdictio quam habet quis ex commissione parochi ad audiendas cõfessiones, parocho mortuo, vel a benefcio amoto, cessat. Ita *Molina tom.6. de just. d.19. n.2.* & videtur inclinare *Suar.d.26.sec.3.n.12.* Suadetur, quia jurisdictio parochi est valde limitata: neque amplius extenditur quàm ad substituendos sibi idoneos confessarios, qui instar vicariorum suam absentiam & defectum suppleant. Oppositum tamen, quod tradunt *Sanch. & Granad.* citati, est valde probabile. Illud recté monet *Suar.cit.* hoc pendere ex voluntate Episcoporum, ad quam explorandam praxis attendenda est.

Dico 3. si delegationi addantur hęc verba (usque ad meum beneplacitum) expirat. Ita *Henriq. tom.1.l.7.c.21.n.6. & Sanch.l.8.Matr.d.28.n.49. & 63.* Prima pars constat, quia mors delegantis privilegiorum revocatio non est. Secunda pars suadetur, quia per mortem concedentis, ejus beneplacitum & voluntas cessat.

Jurisdictionis cessatio.

Dico 4. si Episcopus post concessam jurisdictionem excommunicetur, vel suspendatur, cõfessarius illa uti potest: secus si excommunicatus declaratus, aut suspensus eam concesserit. Prior pars est de mente authorum, quos proximé citavi, & suadetur, quia Episcopus concessit illam jurisdictionem tempore habili, & illa cum non expiret per mortem, vel amotionem ab officio, neque etiam per excommunicationem. Posterior videtur defendi a *Lessio l.2.c.29.n.60. & Sãch. l.3.Matr.d.21.n.9.* Probatur quia excommunicatus declaratus exercere nequit actum jurisdictionis: committere autem suas vices aut dare potestatem audiendi confessiones, actus jurisdictionis est. Illud recté observat Sanch. lib.3. Matr.d.22.q.6. quanvis delegatio finiatur per revocationem concedentis, & de facto existat revocatio, adhuc valere cõfessiones audiitas, si perseveret communis error populi credentis nullam dari revocationem.

QUÆSTIO IIII.

Quibus alijs modis comparetur jurisdictio ad absolvendum: & an sufficiat dubia?

1194 Quæstio expedietur per sequentes difficultates expeditas. 1. difficultas est, an jurisdictio, seu potestas absolvēdi cōparetur ratihabitione? Ratihabitio est actus, quo quis approbat, seu ratum habet id quod alius exequitur: & quoad præsens institutum, considerari potest vel de futuro, ut si audiens confessiones credat & speret prælatum, si postea auditas esse cognoscat, assensurum: vel de præsenti, ut quando prælatus videns sacerdotem audire cōfessiones suorum subditorum, id ita permittat ut hæc permissio confessario & pænitentibus innotescat.

Ratihabitio ad confessiones.

Certum est apud *Sanch. lib. 3. matr. d. 35. conc. 2. Vasq. q. 93. a. 2. dub. 2. n. 3. & Suar. disp. 26 sect. 1. n. 13.* non sufficere ad audiendas confessiones ratihabitionem de futuro. Quia nemo est legitimus minister pænitentiæ absque præsenti jurisdictione: & hæc non confertur nisi per voluntatem prælati actualiter conferentis.

Dubium est circa ratihabitionem de præsenti, an per hanc conferatur sufficiens jurisdictio? Videtur negare *Suar. disp. 26. sec. 1. n. 16.* Affirmandum tamen est cum *Soto in 4. l. 18. q. 4. a. 3. Henriq. Sanch. & Granado* citatis: Suadetur nam consensus præsens prælati confert jurisdictionem: sed ratihabitio de præsenti vel est, vel supponit consensum: quando enim prælatus videns tacet, & non contradicit, cum facile posset, consentire videtur, juxta *Regul. Qui tacet. de regul. juris in 6.*

1195. 2 Difficultas est, an omnis sacerdos vendicet potestatem absolvendi in mortis articulo? Conveniunt omnes talem potestatem, seu jurisdictionem dari. Solum dubitatur fuerit ne ex præcisa ratione ordinis a Christo immediaté accepta, an ab Ecclesia illam conferente? Quanvis *Durandus in 4. d. 19. q. 2. Paludanus dist. 20. q. 1. a. 2. Canus Capreolus* & alij affirment Sacerdotes in articulo mortis habere potestatem absolvendi jure divino ab ipso Christo acceptam: tamen cōmunis & vera omninó sententia est quenlibet Sacerdotem tunc posse absolvere ab omnibus peccatis per jurisdictionem ab Ecclesia collatā. Ita *Avila de censur. p. 2. c. 6. d 3. dub. 1 Vasq. q. 93. a. 1. dub. 4. Suar. d. 26. sec. 4. n. 8. & Gran. tr. 1. c. d. 4. sec. 1. n. 4.* Sumitur ex *Trident. sess. 14. c. 7.* ubi tribuit pietati Ecclesiæ, ut in articulo mortis quilibet sacerdos quoslibet pænitentes a quibusvis peccatis & censuris absolvere possit.

Iurisdictio ad absolvendū in articulo mortis.

Observa 1. idem valere mortis articulum atque periculum, & hoc esse sufficiens ut sacerdos possit absolvere, non solum quando quis gravissimo & periculoso morbo laborat, sed etiam quando difficilis navigatio aut bellum ineundū est, vel subunda res ardua cum vitæ discrimine: inter quę primus partus respectu fœminæ recēsetur. Observa 2. cum *Suar. d. 26. sec. 1. n. 5. & Sanch. 2. Decal. c. 13. n. 21.* procedere resolutionem de quibuscunque Sacerdotibus, etiam excommunicatis, degradatis, schismaticis, & hæreticis. Observa 3. per epiechiam posse obtineri talem jurisdictionem. Unde rogatus, an simplex sacerdos qui fuerat captus a Mauris posset audire cōfessiones Christianorum captivorum ex sola præcisa necessitate satisfaciendi præcepto annuæ confessionis? Respondi affirmativé, consultis viris doctis. Quia in tali casu sacerdos habet jurisdictionem per epijchiam, nempe ex præsumpta voluntate Pontificis, vel alterius potentis conferre approbationem.

Periculū vitæ ad absolutionem.

3 Difficultas est an præsente parocho valeat non parochus, aut præsente alio alioqui habili valeat alius alioqui inhabilis absolvere? Cōstat ab eo qui cæpit audire confessionem, etiam si non parochus, & alioqui minus habilis sit, & interim adveniat parochus, vel alius magis habilis, absolvendum esse pænitentem. Difficultas procedit, quando re integra uterque simul adsit. Communis & vera est resolutio, quam defendunt *Vasq. q. 93 a. 1. dub. 4. n. 19. Suar. d. 26. sec. 4. n. 4. & Sanch. lib. 2. Decal. c. 13. n. 7* in mortis articulo præferendum esse parochum non parocho, & habilem non habili. Ratio est, quia Trident. citatum solum intendit ne pænitens careret salutis remedio, quod datur quando adest parochus, seu legitimus minister. Et sic declarasse *Gregorium 13.* testantur *Sanch. cit. & Molina tom. 4. de just. d. 63. n. 2.*

Absolutio per alium præsente parocho.

1196 Nihilominus *Reginal. l. 1. n. 60. Comitulus l. 1. respon. q. 22. n. 2. Cortolan. de casib. reser. p. 1. sec. 2. a. 16. n. 7. Tanerus tom. 4. d. 6. q. 9. dub. 3. n. 63. & Barb. de pot. Episc. p. 2. all. 25. n. 51.* asserunt in dicto periculo sacerdotem non approbatum, si careat impedimento ex communicationis, & simili posse præsente parocho absolvere. Hæc sententia non caret probabilitate, & in extrema necessitate practicari poterit, si pænitens omninó renuat proprio sacerdoti confiteri.

4 Difficultas est, an quilibet sacerdos simplex, & aliunde nullo impedimento prohibitus valeat tum a venialibus, tum a mortalibus alias rite confessis absolvere? Quidquid dubitent *Navarrus in summa c. 4. n. 5. & Medina Cod. de confess. q. 40.* affirmandum omninó est cum *S. Thoma in 4. d. 18. q. 2. a 3. Suar. d. 26. sect. 5. Vasq. q. 93. a. 1. dub. 6. Avila de cens. p. 2. c. 6. disp. 3. dub. 1. concl. 3. Turriano d. 23. dub. 4. & Granado tr. 10. d. 4. sect. 1.* Ratio est, quia ut sacerdos absolvat in foro Sacramentali sufficit tacitus Pontificis consensus: hic datur ut sacerdos alioqui nō impeditus absolvat a venialibus, vel mortalibus rite confessis: quia hujusmodi peccata non sunt materia necessaria confessionis: & sic interpretatur usus & praxis Ecclesiæ.

Absolutio a venialibus.

5 Difficultas est, an sufficiat jurisdictio dubia ad impendendam absolutionem? Procedit de jurisdictione tam delegata quàm ordinaria, & de dubio tam negativo quàm positivo. Dico 1. quando dubium est positivum, sacerdos potest absolvere pænitentem. Ita *Suar. disp. 26. sect. 6. n. 6.*

Iurisdictio dubia ad absolvendum.

6. & Card. Lugo disp. 10. sec. 2. n. 30. Ratio est, quia sacerdoti licitum est uti opinione probabili circa suam jurisdictionem: sic enim operatur rationabiliter: dubium autem positivum de jurisdictione, eam reddit probabilem. Erit tamen sanum consilium, quòd tunc pœnitens se accuset de aliquo veniale: quia in hoc sacerdos certam jurisdictionem habet, ratione cujus saltem manebit pœnitens a mortalibus indirectè absolutus.

Dico 2. non est licitum cum dubio jurisdictionis negativo absolvere pœnitentem extra casum necessitatis: at in casu necessitatis licitum & debitum est. Ita *Suar. d. 26. sec. 6. n. 2. Malderus 1. 2. q. 19. disp. 86. §. Dico 6. Reginald. l. 1. praxis c. 8. n. 103 & Bell. an. d. 1. dub. 6. n. 44.* Constat 1. pars, quia absolvés in tali dubio exponit se periculo nullitatis. Suadetur 2. pars, quia urgente necessitate cessat temeritas, ac proinde sine peccato absolutio impendi potest. Qui tamé sic fuerit absolutus, postea tenebitur confiteri alteri confessori de cujus jurisdictione non dubitetur.

QUÆSTIO V.

Quæ probitas & scientia in ministro pœnitétia requiratur?

1197 Circa priorē quęstionis partē de probitate requisita in ministro pœnitentiæ, si attēdatur in ordine ad valorē absolutionis, definit *Trid. sess. 7. can. 12. & sess. 14. can. 10.* nullam requiri. Minister enim nō qua talis homo, sed quá Christi instrumentū operatur. Si attēdatur in ordine ad licitam administrationem, constat 1. postulari in sacerdote carentiā censuræ & alterius impedimenti canonici. Nomine censuræ ad hunc effectum non venit excommunicatio minor, utpote privans sola passiva Sacramentorū receptione: imó nec maior, quādiu excōmunicatus toleratus est. Constat 2. requiri eam vitæ probitatem, quæ peccatum mortale excludat.

Probitas confessoris.

Rogabis 1. an impediat licitam hujus sacramenti administrationem, quòd sacerdos fuerit complex delicti pœnitentis? Respondeo negativé cum *Soto, Richardo, Medina & alijs* quos citat & sequitur *Reginaldus l. 1. praxis c. 8. n. 88.* dūmodó absit scandalum, & proximum periculum relapsus. Quia his incommodis præcisis, talis administratio nullo jure prohibetur.

Complex delicti sacerdos absolvēs.

Nec nobis adversatur *Bonacina de pœn. disp. 5. pun. 5. §. 5. n. 13.* ubi ait confessarium qui peccatum cū aliquo commisit, ita prohiberi confessionem complicis audire, ut in solo mortis articulo in defectu alterius sacerdotis audire possit. Ad quod affert decretum concilij Provincialis VII. & Synodi diœcesinæ XI. Non enim loquitur generaliter: sed de sola diœcesi Mediolanensi, ubi est reservatus casus complicis.

1198 Rogabis 2. an confessarius esse debeat in gratia, quando confessionem audire incipit? Affirmat *Suar. d. 28. sec. 1. n. 3* Quia totum ministerium audiendi confessionem est judicium Sacramentale, proindeque in statu gratiæ peragi debet. Negandum tāmen est cum *Henriq. lib. 3. de pœn. cap. 10. n. 6. in commen. lit. V.* Suadetur quia licèt confessio sit pars Sacramenti, id solum habet, quatenus se tenet ex parte pœnitentis: auditio enim illius solum videtur esse conditio requisita ad absolutionem ex parte sacerdotis.

Confessionis auditio non requirit statum gratiæ.

Circa posteriorem quæstionis partem de scientia requisita in sacerdote ad audiendas confessiones, vera & communis sententia *S. Antonini, Navarri, Richardi*, & aliorum, quos citat & sequitur *Suar. d. 28. sec. 2. n. 1.* est asserentium teneri confessorem habere scientiam competente suo muneri. Igitur peccabit graviter sacerdos, si absque scientia sufficienti extra casum necessitatis extremæ hoc Sacramentum ministret. Ad cognoscendum quanta scientia sufficiat & postuletur, nulla generalis regula aptior videtur quam tradita a *Granado tr. 10. disp. 5. sec. 3. n. 19.* scilicet illam scientiam requiri quæ sufficiat ad vitandum gravem defectum in ministrando hoc Sacramento.

Scientia confessoris.

Deducitur 1. debere confessarium regulariter discernere inter veniale & mortale: similiter cognoscere differentias peccatorum, & gravitatem modo aliquo, & si non distincto, qualem docti habent. Neque enim (ut rectè docet *Vasq. q. 93. a. 3. dub. 1. n. 1.*) tenetur quolibet audito peccato judicare sitne mortale an veniale. Quādo igitur pœnitens syncerè aperuit culpam; cujus gravitatem neque ipse, neque confessor agnoscebat, confessio tenet, itaut iterari non debeat, quantumvis postea uterque cognoscat culpam fuisse mortalem.

1199 Deducitur 2. postulari in confessore notitiam censurarum, casuum reservatorum, & eorum qui inducunt obligationem restituendi, & conducunt ad pœnitentis dispositionem. Hæc omnia non tenetur exactè scire, sed ita, ut prudenter dubitare possit, & consulere doctiores. Ad quod satis videbitur instructus si legerit & intellexerit summam aliquam boni authoris. Approbatus semel diligenti examine se potest reputare aptū, quamdiu de opposito non constet. Si de propria sufficientia hæreat dubius, prælati sui judicio acquiescat. Vide *Sāch. 6. Decal. c. 3. n. 11.*

Casuum moraliū cognitio.

Deducitur 3. scientiam confessorum recipere magis & minus, scilicet pro diversitate personarū & locorum esse in æqualem. Nam minor sciétia exigitur ad confessiones virorum spiritualium, quàm carnalium: minor ad confessiones peritorum, quàm rusticorum. Unde potest quis esse idoneus ad audiendas confessiones regularium, non sæculariū: scolasticorum, non mercatorum.

Rogabis 1. an si proprius parochus careat scientia requisita, posit pœnitens adire sine illius licentia alium sacerdotem, cui confiteatur? Negāt *S. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. a. 3. quæstiun. 4. ad 3. Sotus in 4. d. 18. q. 4. a. 2. & Suar. d. 27. sec. 2. n. 21.* Illudque videntur probare ex *cap. Omnis utriusque sexus, de pœnit.* Nihillominus satis probabilem & tutam judico partem affirmativam quam

Parochi proprij ignorantia.

cum *S. Bonav.& Magistro in 4 d. 21.& Navarro in c. Placuit a n. 130.* retenount *Vasq q. 93. a.2. dub. 3. Valent.q 10.p.2 & Gran contr.7.tr. 10.d. 5.sec. 3.n. 34.* Probant ex *cap. Placuit de pæn.dist.6.* ubi Pontifex Urbanus 2.innuit licere pænitenti adire alienum sacerdotem, quando proprius imperitus est. Idem licere quando quis proprio non potest confiteri sine gravi periculo: vel quãdo proprius non vult, aut non potest audire, vel injustè negat facultatem confitendi alteri, v.g. parochus concubinæ, tenent aliqui apud Buzimbaum in medul.lib.6.tr.4.c.2.dub.3.n.4.& Dianam p.4 tr.4.ref.201.

Rogabis 2. utrùm propter imperitiam confessoris ita reddatur invalida confessio, uti pænitens qui bona fide confessus est, teneatur illam repetere? Affirmant *Vasq.q.93.a.3.dub.2. tr. 3. & Turrian.disp.25.dub.2.* Probant, quia absolutio circa talem confessionem fuit sententia lata, causa insufficienter cognita. Negandum tamen est cũ *Suar.d.22.sec.6.n.5.& disp.28.sec.2.n.12.Sanch.lib. 1.Decal.c.10.n.69.Hurtado d.10.diff. 15. Becano c. 38.q.10.n.5.& Bonacina disp.5.q.7 pun 4. §. 2.* Ratio est quia talis sacerdos & si non sufficientem, aliqualem tamen cognitionem habens de peccatis, & jurisdictionem, audivit confessionẽ bona fide factam.& intendit formã applicare; igitur validè absolvit. Semper tamen graviter peccabunt tum Episcopus, tum examinatores, qui approbant, & exponunt sacerdotes indoctos.

QUÆSTIO VI.

Quinam possint dare facultatem eligendi confessorem: qui illam sibi a jure habeant: & qui in confessores eligi possint?

Eligendi confessorẽ facultas.

1200 TRes proponit quæstio difficultates doctrinæ, hactenus tradıtæ consectarias. 1. difficultas est, quinam possint impendere facultatem pænitentibus ad eligendum cõfessorem? Benè ex communi sententia respondet *Suar.d.27.sec.1.n.2.* omnes qui habent ordinariã jurisdictionem, qualis Pontifex Episcopi, Parochi, & alij, quos recensuimus num. 1190. posse suis subditis dare facultatem eligendi confessorem. Patet, quia prædicti Ordinarij valẽt immediate cuilibet sacerdoti capaci delegare jurisdictionem ad audiendas confessiones; ergo id possunt mediatè scilicet mediante pænitente, cui facultas eligendi confessorem conceditur. Nota hanc facultatem, ut validè & licitè conferatur, nullam exigere causam seclusa prohibitione, & abusus periculo: item non expirare morte concedentis: denique non posse concedi ab excommunicato vel suspenso.

Confessoris designatio per quos.

2 Difficultas est, quinam vendicent jure divino, vel Ecclesiastico facultatem eligendi sibi confessorem? Dico 1. solus S. Pontifex jure divino potest sibi in confessorem eligere quencũque Sacerdotem requisita scientia instructum. Ita *Suar.d.27.sec. 2.* Patet, quia Sum. Põtifex habens conscientiam peccati lethalis debet confiteri: sed cum sit pastor supremus nemo illi valet designare confessorem; ergo solus ipse sibi ex jure divino.

Dico 2. Episcopi, & his superiores nec non inferiores prælati exempti habent ex jure Ecclesiastico facultatem eligendi sibi confessorem. Ita *Paludanus, Caietan.&* alij quos citat & sequitur *Suar.d.27.sec.2.n.4.* Sumitur ex *cap. ult.de pænit.& remiss.* Iuxta Suar.cit. nomine Episcoporũ veniunt omnes Episcopi consecrati, & si depositi, aut suspensi fuerint, vel Episcopatui renunciaverint: item Episcopi electi, & confirmati a Pontifice: aliter dicendum de degradato, & electo nondum confirmato. Nomine superiorum Episcopis, veniũt Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Cardinales etiam non Episcopi. Nomine inferiorum Episcopis veniunt non tam illi qui Pontifici immediatè subjiciuntur, quales sunt Abbates exempti, & Generales religionum: sed etiam omnes qui Episcopis non subordinantur, quales sunt Provinciales, Priores, Guardiani, & Rectores, nisi confessor prædictis ab statuto sui ordinis designetur. Veniunt item nonnulli Archidiaconi, & Auditor cameræ Apostolicæ.

Episcopi eligentes sibi confessorem.

Dico 3. Omnes parochi sæculares ex consuetudine vendicant facultatem eligendi in cõfessorem sibi quemlibet sacerdotem approbatũ. Ita *Sylvius in suppl.q.8.a.5.Sà v.confessor Ægid.Bellan. disp.8.dub.8.n.67.& Suar.d.27.sect. 3 n.3.* Probatur, quia ad talem electionẽ sufficit tacitus prælati consensus: & hunc dari, satis indicat consuetudo quam habent parochi eligendi sibi confessorem videntibus, & non repugnantibus Episcopis.

Parochi eligentes confessorem.

1201 Hactenus de facultate eligendi ex jure. Circa facultatem eligendi concessam ab homine, dubium est 1. an quando simpliciter conceditur, ad omnia peccata extendatur? Respõdeo 1. quanvis talis facultas sit ad mortalia & non ad sola venialia, tamen non extendi ad ea peccata, quę excedunt jurisdictionem concedẽtis. Patet, quia nemo valet delegare jurisdictionem ampliorem quàm ipse habeat. Respondeo 2. non extendi ad peccata reservata, nisi exprimantur. Ita *Suar.d.27. sect 4. ex cap. si Episcopus de pænit.& remiss.in 6.* ubi declaratum est.

Facultas eligendi confessorẽ

Dubitabis 2. an subditus per ta facultate eligendi confessorem, & injustè negata, possit alienum confessorem adire? Affirmant *S. Bonav. in 4.dist.21.Navarr.in cap.Placuit n.130.& Henriq.l.6. c.13.n.4.* Videntur fundari in eo quod diximus n.1199. nempe sufficere ignorantiam parochi, ut parochianus possit adire alienum confessorem. Negandum tamen est cum *S.Thoma in 4.dist 17.q.3.a.3.Suario d.27.sec.4.n.20. Vasq.q. 93.a.3. dub.6.n.4.& Lugone d. 22.sec.1 n.9.* Ratio est, quia sine jurisdictione nemo potest esse legitimus confessor, ut definit *Triden.sess.14.cap.7.* illa autem injusta negatio non confert jurisdictionem: deinde non apparet unde aliunde conferatur.

Facultas injustè negata ut eligatur confessor.

3 Difficultas est quinam possint eligi in confessores? Vera & generalis regula est sacerdotem

Sacerdos eligendus in cõfessorẽ qui.

dotem

dotem capacem ut eligatur ad confessionem audiendam, sortiri debere omnes conditiones, quæ ad absolutionem validé impendendam requirũtur. Peculiaria dubia cum præcipué versentur in materia de Jubilæo, & Cruciata, decidemus tract 40.& 41.

SECTIO V.

De ministro pænitentiæ quoad approbationem.

QUÆSTIO I.

Quænam ad confessiones audiendas postuletur approbatio?

Approbatio ad confessiones audiendas.

1202 QUæstionis resolutio cõstabit ex *Trid. sess.23.de reform.c.15.*ubi novũ jus cõdidit per hæc verba: *Decernit S. Synodus nullum etiã regularem, posse confessiones secularium etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium; aut alias idoneus judicetur: & approbationem, quæ gratis detur obtineat: privilegijs, & consuetudine quacunque, etiam immemorabili non obstantibus.* Circa quæ verba recté observat *Card. Lugo d.sp.21.sec.1.n.1.*ut sacerdos censeatur idoneus, postulari alterum & duobus modis, scilicet habere beneficium parochiale vel approbari ab Episcopo. Unde Alexander 7. anno 1665. recté damnavit hanc propositionem: (*Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur regulari, Episcopo præsentato sed ab eo injusté reprobato.* Damnavit etiam hanc:) *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab ordinario.*

Parochi verè tales sunt approbati ad audiẽdas confessiones.

Hæc Tridentini decisio unà cum proposita quæstione parebit per illationes sequentes, & quædam dubia expedita. Infertur 1. nullam ex dictis approbationibus requiri ad audientas cõfessiones pænitentis regularis, imò & monialis exemptæ ut notat *Azor tom.1.l 13.c.9.q.2.* Quia Concilium illam postular ad solas confessiones sæcularium. Dixi *Monialis exempta.* quia moniales Episcopo subjectæ non possunt confiteri nisi sacerdoti ab ipso Episcopo approbato specialiter quoad ipsas Moniales, ut decidit Clemens X. anno 1670.

Infertur 2. parochiale beneficium obtentum reputari approbationem. Qui enim judicatur aptus ad curã animarum, necessarió aptus judicari debet ad audiendas confessiones. Recté autem notat *Granad.tr.10.disp.5.sec.1.n.1.* hujusmodi approbatione solum gaudere proprie & rigorosé parochos: non veró illos qui minûs proprié tales dicuntur, & ab Episcopis paræcijs deputãtur, atque ad nutum ipsorum amoventur.

Episcopi approbãtes qui.

Infertur 3. nomine Episcoporum approbantium venire Capitulum Sedevacante, & illos Abbates ab Episcopis exemptos, qui Episcopalẽ jurisdictionem exercent: non ita prælatos religionum etiam Generales & Provinciales. Infertur 4. neminem, qui gaudet privilegio eligendi confessorem, posse eligere non approbatũ. Sic enim declarasse Gregor. XIII testatur *Suar.d.28.sec.4.n.8.* Episcopus autem & quincunque potens approbare, eligendo confessorem, eum approbare censetur.

Doctores ad audiendum confessiones.

1203 Dubium est 1. an Doctores vel licẽtiati sacræ Theologiæ, & juris Canonici præsertim si easdem facultates publicé profiteantur, alia ulteriús ad audiendas confessiones approbatione indigeant? Negant nonnulli, ut insinuat *Barb.de pot.Episc p.1.all.25.n.14.& Hermannus in sua Medulla* videtur sentire esse probabile, quatenus dicit oppositum probabilius. Affirmandum tamen omninó est cum *Laymano lib.5 tr.6.c.11.Lugone d.21.sec.1.n.1.& Suar.d.28.sec.4.n.3.* ubi oppositũ judicat improbabile. Suadetur quia approbatio, quæ non solum de litteris, quarum testimonium præbet Academia, sed etiam de morũ probitate, maturitate, & prudentia esse debet, juxta Tridentinum præstatur a potente conferre simul jurisdictionem. Vide quæ de hoc puncto laté disseruimus in nostra *Academia lib. 8. a.n. 1222.*

Dubium est 2. circa illam particulam (si illis videbitur) an si quis exterius approbetur ab Episcopo qui interius non judicet eum idoneum, possit validé audire confessiones? Negant *Bonacina q.7.pun.4.§.1.n.29. & Granad.tr. 10.d.5.n.6.* Affirmandum tamen est cum *Suar.d. 28.sec. 5.n. 7.& Lugone d.21.sec.1.n.25.* Suadetur, nã illa approbatio est sententia, & hujus valori non obstat injustitia iniqué judicantis, nec proinde Episcopi iniqué approbantis.

Approbatio confessoris iniquè.

Dubium est 3. circa particulam (gratis datur) an qui approbatur non gratis, sed dato & accepto pretio, validé confessiones audiat? Recté affirmant *Suar.cit.n.7.& Lugo n.26.* Quia ex vi Concilij solum ex præcepto, & non ad valorem approbationis exigitur ut gratis fiat. Dixi ex vi Concilij: quia aliunde poterit reddi invalida approbatio: si v.g. pretio accepto approbetur quis ad beneficium accipiendum, scilicet ob interventum Simoniæ.

QUÆSTIO II.

Qualiter se habeat approbatio parochorum?

1204 BEneficium parochiale juxta *Garciam de benef.p.1.c.6.a.n.3.* est illud quod institutum & fundatum fuit ad gerendam curam animarum: & actu haberi debet, ut quis cẽseatur approbatus. Non enim sufficit habitum fuisse, si jam sacerdos illud designavit, aut alio modo amisit. An post Tridentinum parochus suam jurisdictionem valeat delegare sacerdoti non approbato? Affirmant *Ludov. Ledesma in sum. tom 1. de pæn.cap.12.concl.5. & Ludov. de S. Ioanne in sum.de pæn c.12.concl.5.* & probabile judicat *Ioan.de la Cruz in direct.p.2.q.5.dub.6.concl.2.* Negandum tamen est cum *Villalobos in sum.tom.1.tr. 9.diff.49.n.9. Suario d.28.sec.4.n.12. & Lugone d. 21.sec.1.n.6.* Quia *Trident.* cit. suo illo decreto abolere voluit consuetudinem parochorum suas

oves sacerdotibus ineptis committebant.

Parochus venus qui.

Rogabis 1. an parochi coadjutor ac futurus successor veniat nomine parochi ut censeatur a Tridentino approbatus? Respondeo negativè cū *Azorio tom.2.lib.3.c.2.& Filliucio tom.3.tr. 41.c.1. n.21.* Ratio est, quia ut verè parochus quis dicatur, habere debet titulum & jus actuale in re Ecclesiastica: at coadjutor & futurus successor solū habet jus ad rem, & non in re. Observat tamen bene *Reginald.lib.1.n.197.* si Episcopus sciens clericum non esse approbatum, ei demandet curam animarum etiam ad tempus, censeri illum approbare.

Parochus eligendus ubique in confessorem.

Rogabis 2. utrum habens parochiale beneficium alibi, v.g. in diœcesi Eborensi, ita censeatur simpliciter approbatus, ut quandiu illud retinet, ubique in confessorem possit eligi ab habente privilegium? Negant *Gutierr.lib.1.quæst.canon.cap. 27.n.21. & Barbos.de pot.Episc.all.60.n.8.* Affirmandum tamen est cum *Henriq. lib.3.de pæn.c. 6. n.8. Suar. d.28.sec.4.n.18. & Hurtado d.p. 10. diff. 17.* Ratio est, quia parochus de jure antiquo ita erat simpliciter approbatus, ut accedente jurisdictione ubique eligi posset: at Tridentinum circa parochos jus antiquum non immutavit, sed tantum declaravit.

Prælati regularis approbatio.

1205 Rogabis 3. an prælatus regularis absque ulla Episcopi approbatione possit confessiones sæcularium audire? Affirmant *Valerus in differentijs utriusque fori.v. Nullitas. Medina, Gullus, Baubes, quos* citat ac sequitur *Henriq l.1.l.7.de Indul.c.12.n.3.* quasi talis prælatus habeat beneficiū parochiale, & non sit deterioris conditionis quā parochus sæcularis.

Negandum tamen est cum *Rodrig. in explicat. Bullæ §.9.dub.1.n.4. Suar.d.28.sect.4.n.21 Turrian. select.p.par.2.d.31.dub. 67. Lugone d.21.sect.1.n.10. & Fagund.præc.quinc.2.l.7.c.1.n.39.* Ratio est quia Trident. loquitur de habentibus jurisdictionem in sæculares, & beneficium in rigore parochiale at neutrum habent prælati regulares.

Canonicus ad audiendas confessiones.

Rogabis 4. an censeatur approbatus ad confessiones audiendas ille canonicus, qui habet annexam Ecclesiam parochialem? Non inveni hoc dubium tractatum sub his terminis: mihi tamen videtur negativè decidendum. Ratio est, quia canonicatus non importat approbationem ad audiendas confessiones: & canonicatui accessorium est parochiale beneficium, quod proinde principale sequi debet: Confirmatur, nam ad habendum beneficium parochiale non accessorium requiritur ætas viginti quinque annorum, juxta *Trid.sess.24.c.12.de reform.* & tamen quando tale beneficium annexum est canonicatui, sufficit minor ætas, ut tenent *Garcias de benef.p.c.2.n.26.& Barb.cit.alleg.60.n.27.* ergo signum est quod talis canonicus nec parochus, nec approbatus censeatur.

Pænitentiarius canonicus.

Rogabis 5. an qui in rigore parochus nō est, scilicet Canonicus Pænitentiarius de quo *Trident. sess.24.de reform.c.8.* eo ipso quòd institutus sit, habeat a jure facultatem ad audiendas confessiones pœnitentium diœcesis, absque novâ approbatione & licentia Ordinarij. Respondeo Affirmativè cum *Ricio in praxi fori Ecclesi.resol.555. Ugolino de offic. Episc.c.33.n.2.* & alijs quos citat & sequitur *Barb.de pot.Episc.p.3.all.55.n.19.* Ratio est quia ex verbis Concilij benè arguitur, eum qui ad tale munus eligitur, utpote Doctorem in S. Theologia vel jure canonico, supponi aptum, & ipsa institutione manere approbatum ad confessiones audiendas, & absolvendum a non reservatis.

Subdelegatio pœnitentiarij.

1206 An eo ipso absque speciali Episcopi commissione possit absolvere a reservatis Episcopo? Negant *Riccius citatus resol.571.& Garcias de benef.p.5.c.4. n.115.* asserentes id indecisum esse. Affirmant nonnulli apud *Barbosam citatum n 23.* qui rectè monet n.22. hujusmodi pænitentiariū neque generaliter, neque specialiter subdelegare posse: si quidem industria personæ electa est. Illud observandum dicti canonici jurisdictionem non expirare morte Episcopi ipsum instituentis.

Delegatus à lege institutus.

Quia (ut latè probat *Molina tom.6. d.19.n.5.*) delegatus a lege institutus, durante lege jurisdictionem non amittit.

QUÆSTIO III.

A quonam Episcopo impendenda sit approbatio? An ve, & quando negari, limitari, & revocari possit?

Approbatio a quonam Episcopo.

1 Difficultas est, qualis nam impendere possit ac debeat approbationem, Episcopus confessoris, an pænitentis? Supponimus quód sit consecratus, & habens diœcesim, ut polleat jurisdictione, qua carens neminem approbare potest. Duplex est sententia, altera *Ioan.Gutierr. l.1. Canon. quæst c. 27.n.5.* requirentis approbationē ab Episcopo pænitentis. Fundatur in declaratione Cardinaliū, quam affert *Emman.Roder. in Cruciatam §.9.n.5.* & quia talis approbatio est actus jurisdictionis, qui ultimo terminatur ad pænitētes audiendos. Altera sententia est *Reginaldi lib.1. c.16.q.2. Filliucij tr.7.c.9.q. 10.& Suarij d.28.sect.6 n.10.& Lugonis d.21 sec.2.n.32.* exigentium approbationem ab Episcopo confessoris. Fundatur declaratione congregationis, quam affert *Suar. cit.n.7.* & ratione: nam approbatio est sententia de sufficientia sacerdotis, quæ proinde in subditum cadere debet.

Utranque opinionem conciliatam amplectimur asserentes cum *Roderico in Bulla §.9. n. 5. & Gurtado tr.10.disp.5.sec.2.n. 12.* approbationem, de qua *Trident.agit*, obtinendam esse ab Episcopo pænitentis, & aliquo modo confessoris: atque a deo tam regulares quám seculares sacerdotes in ordine ad audiendas confessiones diœcesanorum subditos fieri Episcopi, in cujus diœcesi illas excipiunt: & hæc maximé post illud decretum Pauli V. quo statuit Regulares absque ordinarij licentia audire non posse confessiones sæcularium: ex quo fit ut tam confessores quám pænitentes sint ejusdem Ordinarij subditi. Sacerdos enim quanvis extraneus & peregrinus, quatenus ab ordinario loci accipit approbationem &

ju-

jurisdictionem, ejus subditus censetur.

1207 Maius dubium est, an Episcopus possit eligere sibi in confessorem sacerdotem non subditum, & a proprio ordinario non approbatum? Non procedit de Episcopo regulari: quia Tridentinum non requirit approbationem in confessore ut regularium confessiones audiat: regularis autem factus Episcopus, teste *Suar. tom. 4. de relig. l. 3. c. 18. n. 2.* non amittit privilegia regularium. Procedit igitur de Episcopo sæculari: quē in suo Episcopatu posse confiteri sacerdoti alieno, & si a proprio Episcopo non approbato, asserimus cum *Lugone d. 21. sec. 2. n. 36.* Sicut enim potest approbare erga alios, ita erga se ipsum audiendum. Dixi (in suo Episcopatu) quia existens in alieno non potest.

Episcopus eligens sibi in confessorē non approbatū.

2 Difficultas est, an approbatio petita a subdito, & cum evidenti injustitia negata ab Episcopo, censeatur concessa, ut quis validé confessiones audiat? Respondeo negativé cum *Reginal. l. 1. c. 16. q. 5. Suario d. 28. sec. 5. n. 6. Vasq. q. 93. a. 3. dub. 3. Granado tr. 10. d. 5. n. 6. & Lugone d. 21. sec. 3. n. 50.* Trident. sess. 23. c. 15. manifestè ostendit approbationem illam obtinendā esse re ipsa: quidquid sit de injustitia Episcopi negantis.

Approbatio injustè negata.

3 Difficultas est an sacerdos approbari possit cum limitatione ad tempus & personas. Negant *Vega in summ. tom. 1. c. 62. casu 7. Portel in dubij regul. v. confessor n. 13.* & probabile dicit *Villalob. in sum. tom. 1. tr. 9. dist. 53. n. 2.* qui loquuntur de regularibus approbandis. Probār, quia sicut quādo eligitur in parocho sacerdos 25. ætatis anno, eo ipso censetur approbatus absque ulla limitatione, ita quando approbatur regularis.

Approbatio cū limitatione.

Affirmandum tamen est cum *Suar. d. 28. sec. 7. n. 19. Vasq. q. 93. a. 3. dub. 5. n. 4. Lugone d. 21. sec. 3. n. 57.* & multis cum *Barb. de pot. Episc. p. 2. all. 25. n. 32. & Diana p. 2. tr. 2. de dubijs regul. resol. 25.* Cōstat ex proximæ difficultatis resolutione: nam qui potest negare, potest cum limitatione concedere: præsertim quia frequenter occurrunt causæ, ut sacerdos judicetur sufficiens ad audiendos doctos, & non indoctos, viros & non fœminas: & sic de alijs. Notandum tamen est Clementem X. in quadam Constitutione incipiente, *Superna magni Patris*, edicta āño Dñi 1670. præcipere, ut Religiosi qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint ab Episcopis, generaliter quoque & indistinctè absque aliqua limitatione temporis certorumque locorum, aut generis personarum in diœcesi propria admittantur.

1208. 4 Difficultas est, utrúm approbatio semel & absoluté concessa Sacerdotibus sæcularibus revocari possit? Dico 1. Approbationis sine conditione & limitatione concessę revocatio, si nulla justa causa interveniat, injusta est, & probabiliter invalida. Ita *Reginal. l. 1. c. 15. q. ult. n. 202. Filliuc. tr. 7. c. 10. Suar. d. 28. sec. 8. n. 7. & Lugo d. 21. sec. 3.* Quòd sit invalida, tenent simpliciter *Bellan. d. 8. dub. 7. fin. Coriolan. de casib. reser. p. 1. sec. 2. c. 3. n. 11. Roter. tom. 1. regul. q. 59. n. 4. & Barb. p. 2. all. 25. n. 34.* Constat 1. pars, quia approbatio, cū sit sententia declaratoria sufficietæ, proindeque debita ex justitia, absque injustitia revocari nequit. 2. pars habetur ex *c. Quod benè 6. q. 4.* ubi dicitur sententiam validè revocari non posse, nisi deprehendatur habere errorem intolerabilem.

Approbationis revocatio.

Dico 2. Iusta & valida est revocatio approbationis absolutæ, si detur justa & rationabilis causa. Ita *Henriq. l. 3. de pœn. c. 6. n. 6. Suar. d. 28. sec. 8. n. 3.* & citati *Regin. n. 201. Barb. n. 23. & Lugo n. 65.* Sumitur ex *c. Accepimus, de ætate & qualit.* & ratione, quia dubitari potest an approbatio injusta fuerit: item an approbatus a scientia, probitate, alijsque requisitis exciderit.

Unde pro investiganda justa & rationabili revocationis causa, rectè monet *Suarius n. 4* prærequiri examen, ad quod habet jus Episcopus successor approbantis, cum sit novus pastor obligatus cognoscere suas oves. Quid de Episcopo qui approbavit? Sit resolutio: si approbavit absque prævio examine, potest absque causa vocare ad examen, ut si inveniat insufficientem, datam approbationem revocet: non ita si prævio examine approbavit. Vide *Suar. cit. n. 5. & Filliuc. tr. 7. c. 9. n. 267.*

Examen novum.

QUÆSTIO IV.

Qualiter se habeat approbatio regularium ad confessiones sæcularium audiendas?

1209 Quanvis regulares ad confessiones sæcularium audiendas accipiant jurisdictionem a Pontifice, ut benè tradit *Layman tr. 6. c. 11. n. 7.* tamen ab Ordinarijs approbari debent, juxta *Trident. sess. 23. de reform. c. 15.* per quod omninó corruit omne privilegium quod circa regularium approbationem impenderant *Bonifacius VIII. Clement V. & Benedictus XI.* ut bene contra *Emman. Roter. tom. 1. regul. q. 59. n. 2.* & alios docent *Suar. d. 28. sec. 5. n. 13. Vasq. q. 93. n. 3. dub. 3. & Lugo d. 21. n. 53.*

Regularium approbatio ad confessiones.

1 Difficultas est utrúm citata lex quæ in regularibus exigit approbationem Episcopi ad sæcularium confessiones audiendas, exceptionem habeat? Respondeo affirmativé ex declaratione Cardinalium data 30. Martij anno 1594. quæ ita habet: *Congregatio censuit, in monasterijs, ac etiam collegijs regularium, ubi regularia instituta servantur, posse prælatos regulares, sive aliorum regularium confessores absque licentia Episcopi confessiones eorum sæcularium audire, qui sunt verè de familia, & continui commensales: non tamen eorum, qui tantum serviunt monasterio.* Ex quibus patet non egere regulares approbatione Episcopi ad audiendas confessiones sæcularium, qui sunt de ipsorum familia, & continui commensales. Et ita etiam declaravit Clemens X. āño Dñi 1670. in Constitutione relata supra quæstione 3.

2 Difficultas est, an Episcopus valeat datas regularibus approbationes revocare, & limitare? Constat ex declaratione Cardinalium, quam affert *Barb. de pot. Episc. p. 2. all. 25. n. 28.* regulares semel ab Episcopo prævio examine approbatos iterum ab eodem Episcopo examinari non pos-

Approbationis data regularibus revocatio.

se.

se. Constat 2. ex alia declaratione, quam affert citatus author n. 30. nullum Episcopum posse validé revocare approbationes omnium regularium alicujus conventus: ut deciditur etiam in citata constitutione Clementis X.

1210 Pro alijs circa quæ dubitatur, sit 1. resolutio. Novus Episcopus potest sacerdotes regulares a suo prædecessore approbatos, iterum examinare, & si judicentur insufficientes, reprobare. Ita *Vasq. q. 93. a. 5. dub. 5. Suar. d. 28. sec. 8. n. 4 & Hurtado disp. 1. diff. 19.* contra *Hēriq. l. 3. de pæn. c. 6. n. 5 & Bonacin. c. 3. q. 11.* Suadetur ex motu proprio Pij V. qui est 128. & incipit *Romani Pontificis* & expeditus fuit anno 1571. ubi nostra resolutio decernitur.

Approbatio cū limitatione.

2 Resolutio Episcopus data rationabili causa potest approbare regulares cum limitatione quoad tempus & personas. Ita multi quos citat & sequitur *Fagund. præc. 2. l. 7. c. 2. n. 17. & Lugo d. 21. sect. 3. n. 65.* Ratio est, quia stando etiam in terminis antiqui juris Clementinæ *Dudum*, Episcopus ex causa justa reprobare potest regulares, ergo a fortiori conferre approbationem cum limitatione.

Quid si justa causa non detur? Certum est limitationem esse regulari, religionique injuriosam, proindeque injustam. An etiam sit invalida: & qui approbatus ad solos viros, fœminas audire possit? Affirmant *Pezantius in addition. ad 3. p. q. 40 disp. 3. Henriq. l. 3. de pæn. c. 6. n. 8 & Miranda tom. 1. q. 45. c. 10.* Probant quia regulares supposita approbatione Episcopi, a Pontifice accipiunt jurisdictionem: sed Pontifex sine limitatione jurisdictionem impendit, ergo Episcopus injustè limitans non impediet usum jurisdictionis. Hęc opinio videtur probabilis; maxime accedente constitutione Clem. X. supra citata q. 3. diff. 5. Qui tamen eam sequi voluerit, illud semper observet, debere injustitiam limitationis evidentem esse: quia in dubio pro prælato limitante præsumendum est.

Confessiones audiendæ a regularibus.

1211. 3 Difficultas est, an regulares indigeant suorum prælatorum facultate ut confessiones valide excipiant? Certum est non obstare validitati confessionum simplex præceptū prælati regularis, quo subditus ab ordinario approbatus prohibetur eas audire tali loco & tempore, vel talium personarum, ut docent *Suar. tom. 4 de relig. l. 9. de Societ. c. 21. n. 7. & Sales de Legib. d. 16. sec. 10. n. 43.* Solum dubitatur an sint validæ confessiones factæ regularibus ab Episcopo approbatis, non approbatis tamen a suis prælatis?

Vera est negativa resolutio, si procedat de religionibus in quibus datur statutum Apostolica authoritate firmatum id prohibens: vel in quibus ex constitutione Apostolica jurisdictio pro foro pænitētiæ inferioribus cōmunicatur a prælato regulari: secus, si de alijs procedat. Ita *Mirāda tom. 1. q. 45. a. 12. Cruz. l. 2. Epitomes c. dub. 2. & Suar. cit. n. 3.* Suadetur quoad Prædicatores, & Minores ex litteris Iulij 3. quibus licentiæ ab alio quám a Magistro Generali, Cardinali protectore, aut vice protectore concessę annullantur.

Quoad Societatem Iesv ostenditur, nam jurisdictio pro foro pænitentię nobis concessa a Sede Apostolica, confertur mediante concessione Prepositi Generalis seu de illius commissione, ut constat ex litteris *Gregorij XIII.* Ergo non absolvent valide regulares prædictarum religionum, qui a suis pręlatis approbati non fuerint: secus alij, in quibus posita ratio non militat.

Apostatæ & fugitivi regulares ad confessiones audiendas.

Procedit hæc doctrina de regularibus qui sub religionis obedientia vivunt. Nam apostatæ & si religioni subdantur, nullo ejus privilegio gaudent, ut docet *Sanch. tr. 2. Decal. l. 6. c. 8. n. 34.* Illi qui dimittuntur ut incorrigibiles, & si veré religiosi sint, utpote professi subjiciuntur Episcopis domicilij vel originis, de quo *Suar. tom. 4. de relig. l. 3. c. 6. n. 7.* Quid fugitivi, qui juxta *Lessiū l. 2. c. 4. dub. 15.* apostatæ non sunt, quia non fugiunt animo deserendi religionem, & manendi in sæculo? Respondeo posse validé confessiones audire, si ante fugam ad id licentiam habebant, nec speciali alicujus religionis statuto prohibeatur. Quia ex præcisa ratione fugę nihil datur, quod confessiones audire impediat.

1212 4 Difficultas est, quænam jurisdictio ex privilegio competat Sacerdotibus Societatis Iesv ad confessiones audiendas? *Paulus III. in Bulla quadam* cujus verba recitat *Suar. tom. 4. de relig. tr. 10. l. 9. c. 2.* concessit facultatem presbyteris Societatis Iesv approbatis & expositis audiendi confessiones quorumcunque fidelium undequaque venientium, ipsosque absolvendi a singulis eorum peccatis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & a quibusvis censuris & pœnis Ecclesiasticis, exceptis illis, quæ in Bulla cœnæ continentur.

Societatis Iesv sacerdotes ad audiendas confessiones.

Omissa explicatione eorum, quæ attinent ad casus reservatos, de quibus in sequenti sectione: illud obiter docet *Suar. citat. n. 8.* posse nostros confessarios v. g. Eboræ residentes a Societate expositos, & ab Ordinario approbatos audire confessiones etiam illorum, qui ex alijs diœcesibus Eboram confluunt. Idem *de pæn. d. 26. sec. 1. n. 11. & Bonacina d. 5. q. 5. sec. 2. pun. ult. n. 35.* observant non posse impedire suos subditos ne confiteantur nostris sacerdotibus. Nam facultas illa est reciproca, seu correlativa, ut nempe sacerdos audire, & pænitens confiteri possit. Hæc facultas extenditur ad audiendas confessiones regulariū, nisi obstent eorum specialia privilegia, quæ cum in certa sint, & res odiosa, dicta facultas non solet nostris communicari ad audiendas confessiones regularium, & etiam monialium, quibus licentia confitendi extra suum ordinem nō fuerit. Nihilominus hæc non videntur subsistere stāte constitutione Clem. X. ibi ait, Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia diœcesi eas absque Episcopi diœcesani facultate audire quanvis pænitentes sint subditi ejus Episcopi a quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati. Et revocat omnia privilegia contraria, hactenus con-

concessa a Pontifice cuicunque Religioni etiam Societati Iesv. An autem hæc constitutio sit recepta; Mihi non constat. Solum scio non fuisse in hoc Regno publicatam.

SECTIO VI.

De ministro quoad reservationem.

QUÆSTIO I.

Quinam peccata reservare: & quæ peccata reservari possint?

Reservatio nihil aliud est quàm limitatio seu coarctatio jurisdictionis commissæ sacerdotibus inferioribus, ut nimirum in Sacramento pœnitentiæ ab aliquibus peccatis absolvere nequeant.

Reservare qui possint.

Igitur quoad priorem partem quæstionis, certa & generalis regula benè præscribitur a *Suario d. 29. sec. 1. n. 4. Vasq. q. 91. a. 3. dub. 1. Granado tr. 10. d. 6. n. 1. & Lugone disp. 20. sec. 1.* scilicet omnes illos qui habent jurisdictionem ordinariam posse reservare peccata, nempe S. Pontificem in universa Ecclesia, Episcopos in suis diœcesibus, Prelatos in suis religionibus, & Parochos in suis paræcijs. Intelligitur hæc reservandi potestas tum in ordine ad eos, quibus delegatur cum restrictione & coarctatione, tum in ordine ad inferiores habentes jurisdictionem ordinariam, in quibus quoad aliqua peccata limitetur.

Constat de Pontifice erga omnes ordinarios: hi enim ab illo jurisdictionem accipiunt. Constat de Episcopis erga Parochos, & de prælatis regularibus qui Generales & Provinciales sūt, erga prælatos locales. Nam parochi & prælati illi locales, & si accipiant jurisdictionem a Pontifice, illam tamen accipiunt dependenter ab Episcopis, vel alijs quasi Episcopalem potestatem obtinentibus.

Parochi ad reservandum.

1213 *Maior in 4. dist. 17. q. 5. & Becan. c. 40. q 2. n 1.* quanvis concedant parochos posse reservare, quando admittunt sacerdotes sæculares approbatos ut suorum subditorum confessiones audiant, rectè monēt *Suar. d. 29. sec. 1. n. 4. & Granad. d. 6. n. 5.* id quidem potuisse de jure absolutè, nisi obstaret consuetudo in contrarium quæ fūdatur optima congruentia: non enim expedit tātam in parochis localibus esse authoritatem: cū præsertim ob id maximè onerosa redderetur confessio parochianis, quos nonnunquam pudet vehementer confiteri suis parochis.

Potestatem reservandi in prælatis regularibus aliquo modo restrinxit, seu temperavit *Clemen. 8. decreto* suo quod addidit anno 1593. quod affert *Suar. d. 29. sec. 3. n. 11.* ubi præscripsit casus reservabiles permittens ut ex illis reservarēt, quos vallent, & statuens ne ultra illos aliorum heret reservatio, nisi pro toto ordine accedente matura discussione capituli Generalis: & pro aliqua Provincia accedente examine Capituli provincialis. Nostra Societas omnes illos casus acceptavit, alios que adjecit 5. congregatio, ut habetur in *Ordin. Præpos. Gener. instr. 5.* voluitque ut reservandi jurisdictio solum penes Congregationem Generalem esset.

Reservatio in religionibus.

Censurarum reservatio in religionibus.

Rogabis, an post Clementis decretum valeant prælati religiosi sive locales, sive Generales reservare censuras? Affirmant *Filliuc. tr. 7. c. 10. n. 276. & Suar. d. 29. sec. 3. n. 13. & tom. 4. de relig. cap. 18. n. 17.* Quia Pontifex suo illo decreto solum reservationem casuum & non censurarum prohibuit. Mihi tamen videtur probabilius negandum cum *Sanch. 2. Decal. l. 6. c. 1. n. 16. Hurtado d. 11. diff. 7. § observandum & Lugone d. 20. n. 27.* qui affert decretum S. Cōgregationis quæ VII. Iulij 1617. pro nostra opinione sententiam tulit.

1214 Hæc videntur procedere de censura tum a jure, tum ab homine lata per sententiam generalem. Verùm si censura sit lata ab homine per sententiam specialem, manebit reservata ipsi imponenti. Quia hoc habet ex sua natura per jus commune, cui neque per decretum Clemētis, neque per declarationem Cardinalium videtur derogari. Ita supponitur a *Suar. tom. 4. Relig. l. 2. c. 18. fine.*

Venialia ad reservationem.

Quoad posteriorem quæstionis partem de peccatis reservandis, dubium est 1. an venialia sint capacia reservationis? Negat *Vasq de pœn. q. 91. a. 3. dub. 2.* cum alijs asserentibus jurisdictionem absolvendi a venialibus datam esse jure divino, nempe a Christo in ipsa ordinatione, proindeque a nullo puro homine restringi posse. Affirmandum tamen est cum *Suario d. 29. sec. 3. n. 2. & Lugone d. 20. n. 12.* Nam Pontifex, cum sit fons omnis spiritualis jurisdictionis, sine qua judiciū invalidum est, sicut illam non dare, ita auferre & limitare potest: quanvis alioquin venialia nō sint materia necessaria ad confitendum, nec eam talem Pontifex efficere possit. Dicta (ut notas *Lugo n. 12.*) militant in peccatis mortalibus jam confessis.

Internorum reservatio.

Dubium est 2. an peccata merè interna possint reservari? Respondeo affirmativè cum *Suar. o cit. n. 3. & Vasq. dub. 3.* quos sequitur *Lugo n 13.* Ratio est, quia etiam circa peccata interna jurisdictio restringi, vel auferri potest. Unde si Episcopus reservet hæresim mentalem, valebit reservatio, quanvis nec in illam, nec in alium actum merè internum censuram ferre possit.

Reservatio peccati dubij.

Dubium est 3. an peccata dubia reservari possint? Rectè affirmat tanquam quid certum *Lugo d. 20. n. 16.* Quia etiam circa peccatum dubium jurisdictio restringi potest. An verò quando reservatur peccatum aliquod, extendatur de facto reservatio ad peccatum dubium? Conveniunt omnes in parte negativa, quando dubium est positivum, scilicet quando pro utraque contradictionis parte dantur rationes æquè probabiles, sive dubitetur de gravitate peccati, sive de existentia reservationis. Quando dubium est negativum & proprium, *Cordulla in regul. S. Francisci c. 7. q. 4. p. 1 casu 5 & Armilla v. casus n. 13.* af-

Dubia reservatio.

firmant peccatum esse reservatum, & pro tali habendum. Negandum tamen est cum Suar. d. e ce. se 4. se. ... n.5. & Filuccio tom.2. tr.21.c.4.n.17. Probatur, quia reservatio est odiosa, atque adeo extendi non debet.

Reservatio censurae & culpae.

1215 Dubium est 4. utrum solae culpae quibus annexa est censura reserventur, an etiam culpae quibus nulla censura annexa est? Constat 1. ordinarios, qui possunt ferre censuras, posse sive collectim: sive divisim reservare utrumque nempe culpam & censuram. Constat 2. praelatos inferiores Papa, ut praxis testatur, aliquando reservare culpas absque censura. Constat 3. Papam regulariter non reservare peccatum absque censura. Dix (regulariter) quia Xistus V. in bulla cōtra male promotos, sibi reservat illud peccatum absque ulla excommunicatione. Dicitur etiam in *cap. latorem. 33. q. 2.* absque censura reservari matricidium: & in *Extrav. Inter cunctas* absque cēsura reservari mendacium parochi affirmantis parochianis non valere confessiones factas cum mendicantibus. Oppositū tradit *Bellan. d. 11. n. 82.*

Censurarum reservatio.

Maius dubium est utrum Pontificia reservatio immediate afficiat culpam & censuram cadens immediate in utranque: an afficiat solū per se & immediate censuram, & per accidens atque consequenter culpam, prout haec per absolutionē tolli nequit manente censura: Hoc secūdum defendunt *Caietan. in sum. v. casus & Durand. in 4. d. 17 q. 15. n. 13.* Dicendum tamen est cum *Suar. d. 29. sec. 2. n. 8. Vasq. q. 91. a. 3. d. 1. n. 15. & Lugone de paen. d. 2. n. 26.* immediatè cadere in utranque, censuram nempe & culpam. Ratio a priori est intentio Pontificis explicata saepe in suis decretis, praesertim *cap. si quis suadente. 17. q. 4.*

Dices, ablata reservatione censurae Papalis, omninò tollitur culpae reservatio, ut omnes fatentur: & hinc est quod si ob ignorantiam non incurratur censura, non maneat culpa reservata; ergo videtur culpa solum reservata per accidens, & consequenter ex reservatione censurae. Respōdeo concesso antecedente, negando conseq. solū enim sequitur utranque reservationem ita esse connexam & inseparabilem ex intentione Pontificum, ut una sine altera non auferatur. Sicut enim (inquit *Suar. n. 11.*) pendent in fieri, ita etiam in conservari.

QUAESTIO II.

An valeat reservatio sine causa: & quomodo praelati regulares reservare possint, ac debeant in reservando?

1216 Circa priorem quaestionis partem, certum est 1. nimiam reservationem & absque causa factam, quę potiùs nocet, quam prodest subditis, illicitam esse, etiamsi fiat a Pontifice. Certum est 2. Pontificem posse valide reservare omnes casus. Quia jurisdictio omnium inferiorum ab illo dependet.

Reservatio nimia.

Difficultas est an nimia reservatio, vel facta absque causa, & in damnum subditorum ab Episcopo valida sit? Negant *Henriq. l. 6. c. 12 n. 3. lit. P. Vasq. q. 91. a. 3. dub. 4.* & alij ex *Trid. sess. 14. c. 7.* ubi habetur Episcopos posse reservare non in destructionem, sed in aedificationem. Affirmat *Sylvest. v. Confessor 1. q. 3. & Navar. d. c. 9. sc. 4.* quasi Episcopus, a quo omnes inferiores participāt jurisdictionem, eam suspendere, & pro arbitrio subtrahere possit.

Mihi videtur opus esse distinctione, & Episcopum sumendum in ordine ad delegatos, vel ordinarios sibi subditos. Dico igitur Episcopus potest valide reservare omnes casus, faciendo nimiam, imò omnimodam reservationē respectu delegatorum, non verò respectu ordinariorum. 1. pars constat, quia sicut Episcopus potuit nullam dare jurisdictionem delegatis, ita potest datam pro libito limitare, vel omnino auferre. 2. pars suadetur, nam si Episcopus faceret omnimodam reservationem respectu parochi, per inde esset, ac si illum amoveret extinguendo, aut mutando ejus munus: hoc autem excedit illius potestatē. Non enim Pontifex ita subordinavit parochos Episcopo, ut vellet nocere Christi ovibus.

Reservatio absq; causa.

Quid in singulis casibus? Valetne reservatio facta per Episcopū absque causa legitima? Procedit quaesitum de casu reservato respectu parochianam respectu delegati, certum est valere. Negant *Sotus d. 18. q. 2. a. 5. & Ruard. a. 3.* Affirmandum tamen est cum *Valent. d. 7. pun. 11 Vasq. & Suar. citatis.* Ratio est, quia pro vitandis animarum periculis, & schismate expediens fuit, ne Episcopi fierent pastores generales cum ea limitatione, ut in aliquibus casibus non possint per se ipsos curare suas oves. Unde quanvis in hoc vel illo casu reservatio sit illicita, facta tamen tenebit.

Reservatio casuū apud regulares.

1217 Circa posteriorem quaestionis partē, *Clemens VIII. speciali decreto edito anno* 1594. volunt in religionibus solum posse reservari casus undecim, quos numerat *Suar. cit. sect. 3.* Addidit tamen ibidem Pontifex: *Si quod aliud praeterea peccatum grave pro religionis conservatione, aut pro conscientiae puritate reservandum videbitur id non aliter fiat, quam generalis Capituli in toto ordine, aut Provincialis in provincia matura discussione, & consensu.* Ex quibus constat posse reservari quaecunque peccata gravia, scilicet matura discussione & consēsu Capituli generalis pro tota religione, vel provincia, vel solo conventu: & etiam solius capituli Provincialis, pro tota provincia, vel solo conventu.

Inobedientia expressa reservatio.

Rogabis, an sit peccatum reservatum praelato imperanti, non tamen sub praecepto, dicere: *Nolo parere*, quando reservatur peccatum inobedientiae expressae? Respondeo affirmativè cum *Lugone d. 20. n. 49.* Quia verba illa *Nolo parere* dicta praelato etiam non imponenti pręceptū grave, continent formalem inobedientiam gravem tum ratione contemptus, tum ratione voluntatis superbè ac contumaciter repugnantis superiori qua superior est.

Quòd si demus sub generica appellatione inobedientiae non venire proprie illam de qua loquimur, tamen rectè observat citatus *Lugo n. 5.*

&

& 54. si in aliqua religione reservetur peccatum dicentis *Nolo parere*, sicut reservatur in Societate, in tali reservatione censeri etiam reservatum casum alium, quo subditus non principali prælato, sed ejus Vicario, seu ministro dicit, *Nao pareo*. Sic in Societate declaravit *Cong.7.dec.40.*

QUÆSTIO III.

Quinam a reservatis directe possint absolvere?

1218 Ille qui habet potestatem sive ordinariam, sive delegatam absolvendi a reservatis, dicitur absolvere directè, quando absolvit a peccatis, in quæ habet legitimam jurisdictionem: ille autem dicitur indirectè absolvere, seu per accidens, qui absolvit ab ijs, in quæ non habet jurisdictionem ratione absolutionis, quam impendit alijs, in quæ legitimam jurisdictionem habet. Quia unum peccatum mortale sine alio absolvi seu remitti nequit.

Absolutio directa a reservatis.

Certum est 1. posse a reservatis directè absolvere tum sacerdotem illum superiorem qui reservavit, tum qui a reservante potestatem delegatam accepit. Certum est 2. extra mortis articulum non posse inferiorem directè absolvere a reservatis, si pænitẽs absque gravi damno possit adire superiorem, vel ab eo obtinere facultatẽ. Nota quòd subditus unius Episcopi peregrinans, seu iter agens per aliam diœcesim, potest per confessores ordinarios talis diœcesis absolvi a casibus reservatis suo Episcopo: non verò a casibus reservatis Episcopo talis diœcesis. Patet quia judicandus est ut in sola illius diœcesi, & juxta forum ejus. Ita *Suar. de pæn. disp.30. sec.1. n.4. & 6. Diana p.2. tr.17. res.56. & Busemb. in medulla l.6. tr.4. cap.2. dub.4. n.7.* Et ita declaravit Clemens X. in quadam constitutione nuper edita añ Dom. 1670. de qua super mentionem fecimus, ubi limitavit jam partem Notandi, ne procedat quando peregrinus in fraudem reservationis suæ diœcesis se contulit ad aliam diœcesim pro absolutione obtinenda.

Peregrinus ad reservata.

1 Difficultas est, quibus verbis censeatur superior delegare jurisdictionem ad absolvendum a reservatis? Dico 1. quando superior concedit facultatem absolutè vel confessario ad absolvendum, vel pœnitenti ad eligendum confessarium, non intelligitur delegare jurisdictionem ad reservata. Sumitur ex *c.2. de pæn. & remiss. in 6.* Unde quamvis superior (addit *Navar. cap.27. n.261.*) dicat concedo tibi meam authoritatem, & potestatem, ex his verbis præcise non intelligitur concedere casus reservatos.

Reservatorum casuum concessio.

Dico 2. Ut intelligatur concessa facultas absolvendi a reservatis, debet id verbis exprimi, vel saltem ex antecedentibus & subsequẽtibus prudenter deprehendi. Prima pars constat. Secunda declaratur, nam patebit data facultas ex antecedentibus, si post concessum aliquem reservatũ adderet: & concedo tibi omnem meam potestatem: ex subsequentibus, si post dictam concessionem generalem exciperet casum aliquem reservatum.

1219 2 Difficultas est, utrum in articulo mortis quilibet sacerdos possit absolvere a reservatis? Certa est affirmativa resolutio, quando unicus adest sacerdos: vel si adsint duo, quorum alter est parochus, hic nolit absolvere. Quia nolens reputatur absens. In quo casu clarè procedit resolutio *Tridentini sess.14. c.7.* definientis, in articulo mortis nullam esse reservationem.

Reservatorum absolutio in articulo mortis.

Maius dubium est, an præsente & absolvere non renuente parocho, possit simplex sacerdos absolvere? Affirmant fundati in *Tridentino* citato *Henriquez, Sá, Vega, Lezesma*, quos citat *Sanch. lib.2. Dec. c.13. n.6. item Villalobos, Barbosa, Valent.* & alij, quos citat & sequitur *Diana p.3. tr.4. resol.161.* & hæc sententia est probabilis: quidquid dicat Ludov. *Turrian. in select. disp. centur.2. censur. Theol. dub.77.* appellans illam improbabilem, & damnatam a *Gregor. XIII.*

Nihilominus communior & probabilior est pars negantium posse licite aut valide absolvere sacerdotem simplicem præsente proprio. Ita *Molina tom.4. Inst. disp.63. Vasq. de pæn. q.93. a.1. dub.4. n.18. Sanch. cit. tr.7. Suar. d.26. sec.4. n.4. & Lugo d.18. n.24.* qui dicunt eum ordinem esse servandum, ut semper proprius sacerdos præcedat non proprio, approbatus & expositus non approbato nec exposito: & simplex toleratus excommunicato non tolerato. Quia Ecclesia propter solam necessitatem tollit reservationem in illo articulo.

Nota 1. moribundum, etiam si detur facilis recursus ad superiorem, non teneri eum vocare per internuncium aut litteras cũ periculo proximo salutis, etiam in peccatis publicis. Nota 2. pœnitentem nõ teneri in tali casu accipere Bullam, ut a reservatis absolvatur. Quia privilegium æquale habet a jure. Nota 3. moribundum, qui incepit confiteri non proprio, non teneri confiteri proprio interim supervenienti, etiam si invalide fuisset absolutus ex defectu dispositionis. Quia cum priori confessario acquisitum fuerit jus, ipse potest iterũ absolvere. An si superveniat superior potens absolvere a censuris reservatis, debeat ab illis absolvere? Rectè & cohærenter affirmant, qui dicunt pænitentem taliter censuratum & in articulo mortis absolutum, teneri quam primum possit, coram tali superiori comparere.

Bulla in articulo mortis.

1220 3 Difficultas est, utrum & quomodo Episcopus possit directe absolvere a casibus Pontificijs ex vi *Tridentini sess.24. c.6.* Hoc loco Trident. concessit Episcopis facultatẽ duplicem, alteram dispensandi in quibuscunque casibus ex delicto occulto, nec deducto ad forum contentiosum provenientibus, excepto homicidio voluntario: alteram absolvendi in foro conscientiæ subditos suos, in sua diœcesi a quibuscũque casibus occultis, nec deductis ad forum cõtentiosum: & hoc per se ipsos, vel per vicarios ad id specialiter deputatos. Et statim subdit: *Idem & in hæresis crimine in eo foro conscientiæ, eis tantum, & non eorum vicarijs sit permissum.*

Tridentinũ casus Episcopo concedens.

Occultũ delictum.

Per illa verba, (ex delicto occulto, nec deducto ad forum contentiosum) satis intelligitur utrunque requiri, ut Episcopus habeat talem facultatem, scilicet delictum esse occultum, & nõ esse deductum ad forum contentuosum. Hoc autem perspicue innuit Sanch. hos terminos exponens l.2. Dec. cap.11 *n.21.*

Episcoporum nomine qui ad absolvendum.

Dubitatur 1. qui veniant nomine Episcopi ad absolvendum a prædictis casibus? Constat 1. apud *Sanch. l. 2. Dec. c. 11 n.3.* nec Episcopos titulares vulgo *de anel* utpote carentes diœcesi & subditis, nec eos illarum regionum in quibus Tridentinum absolutè receptum non est habere facultatem. Secus quando absolute receptum est, licet quoad aliquam specialem legem non recipiatur. Constat 2. satis esse, quod Episcopus habens diœcesim electus & confirmatus sit, quãvis nondum confirmatus, nec sacerdos.

Archiepiscopus ad absolvendum.

Quid de Archiepiscopis respectu subditorum suffraganeorum? Bene respondet *Sanch. cit. n. 6.* quãdo Archiepiscopus jure visitat diœcesim suffraganei, posse hujusmodi subditos absolvere ab hæresi, & alios casus Episcopo concessis in illo decreto. Nam quando actu visitat suffraganeos, habetur respectu illorum, ut proprius pastor in sua diœcesi, & ut superior Episcopo in eodẽ ordine jurisdictionis. An possit etiam absolvere ipsos Episcopos sibi suffraganeos tanquam eorũ pastor? Affirmat *l.4. Decal. c.38. n.16.*

Capitulũ sedis vacantis ad absolvendum.

1221 Quid de Capitulo sedevacante? *Suar tom. 4. in 3. p. d.30. sec.2. n.4.* & si concedat Capitulum sede Episcopali vacante comprehendi illo decreto quoad reliquos casus absolvẽdos, negat quoad hæresim, ex eo quod ad illam sola electa sit persona Episcopi. Sanches lib. 2. Decal. c.11. n.4. affirmat comprehendi etiam quoad hæresim: Quia illo decreto electa est persona Episcopi, vel habẽs jurisdictionem Episcopalem.

Unde poterit (inquit) dictam absolutionem exequi vel committendo vices suas alicui specialiter deputato, ut absoluat: vel captis sufragijs, si præses declaret quod a maiori parte absolutio decernitur, & ipse præses totius Capituli nomine absolvat. Utrunque probabile est.

Regulares prælati ad absolvendum.

Quid de abbatibus, & alijs prælatis habentibus diœcesim, & in ea jurisdictionem quasi Episcopalem? Negant *Suar. de censur. d. 41. sec. 2. n. 7.* Affirmat *Sanch. n. 5.* dictos comprehendi etiam quoad absolutionem ab hæresi. Quid de prælatis regularium sive localibus, sive provincialibus & generalibus? *Emman. Rodrig. tom. q. reg. q. 61 a.1.* affirmat eos comprehendi tum ex vi decreti ipsius Tridentini, tum ex quodam motu proprio Pij V. cõcedentis prælatis regularibus quidquid Episcopis conceditur in prædicto decreto Tridentini. Negãdum tamen est cum *Suar. tom. 4. in 3. p. d. 30. sec. 2. n 7. & Sanch. cit. n. 7.* Ratio est, quia Trident. non concedit talem facultatem quibuscunque habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem, sed solis illam habentibus in aliqua diœcesi sibi subdita: prælati autem regulares diœcesim non habent. Addo, quanvis habeant dictã facultatem ex vi privilegij, in illa non comprehendi casum hæresis. Nam in generali concessione non veniunt, quæ indigent ut in speciali concedantur.

1222 An dato quod prælatus regularis careat omninò dicta facultate, possit suos subditos subjicere Episcopis, ut per eos a casibus in Tridentino concessis absolvantur? Rectè affirmant *Molina tom.4. just. d. 61. n.4. & Sanch. l.4. Decal. c. 59. n.32.* Quia exemptio religionis fuit data in ipsius favorem, & non ut religioni officeret, eamque redderet deterioris conditionis.

Dubitatur 2. utrum prædicta facultas Episcopis concessa intelligatur etiam quoad casus reservatos post Tridentinum? Respondeo affirmativé cum *Suario d. 30. sec. 2. n. 12.* Ratio est quia Concilium intendit statuere regulam generalem quæ proinde comprehenderet tam priores, quã posteriores reservationes. Quod si opponas Gregor. XIII. rogatum an decretum illud haberet locum in casibus post Tridentinum reservatis, respondisse non habere locum: bené satisfaciat *Suar. n. 14.* multis prius eruditè animadversis, mentem Pontificis esse non habere locũ decretum in casibus postea reservatis cum aliqua clausula, aut verbis sufficientibus, per quæ huic decreto derogari videatur. Qualia essent si in ipsa reservatione expressé adderetur, *Etiam in casibus occultis*, vel adderetur hæc clausula (*Non obstante quocunque decreto etiam Concilij Generalis.*) secus si simpliciter fiat reservatio.

Subditi qui.

Dubitatur 3. qui veniant nomine subditorũ, ut vigore Tridentini possint ab Episcopo absolvi? Respondeo ex *Sanch. l.2. Dec. c. 11. & lib.3. matr. d.25. n.4. & Suar. de censur. d. 41 sec.2. a. n.10.* Venire primo loco eos qui domicilium habent in sua diœcesi: deinde eos qui domicilium habẽt ex æquo in duplici diœcesi, ut possint absolvi ab uno, vel altero Episcopo, idque etiam pro eo tempore pro quo habitant in altera ex duabus diœcesibus: similiter venire nomine subditorum vagos, seu eos qui nullibi certum domicilium habent, ut nempe ad talem effectum subjiciantur cuilibet Episcopo, in cujus diœcesi reperiuntur: denique peregrinos, scholasticos, & mercatores ut possint absolvi ab hæresi, & alijs casibus in eo decreto concessis per Episcopum alienum in cujus diœcesi sunt. & si brevi reddituri, nec habentes animum permanendi maiori anni parte. Nam ex Ecclesiæ consuetudine, & voluntate interpretativa propriorum Episcoporum censentur subditi illius Episcopi in cujus diœcesi sunt in ordine ad confessionem & Eucharistiã. Pro dispensatione autem requirunt authores aliquale domicilium in maiori anni parte: idque ex praxi optima legum interprete.

Vagi

Hæresis absolutio.

Bulla cænæ revocans potestate absolvẽdi.

1223 Dubitatur 4. utrum potestas concessa Episcopo ut possit per se ipsũ absolvere ab hæresi occulta, habeatur revocata per Bullam cænæ? Negat *Navarrus cap. 18. n.72. n.260.* Favet *Henriquez l. 18. n.72.* & hæc pars judicatur probabilis a *Suario tom. 5. in 3. p. d. 21. sec. 3. n 5.* & probabilis-

sima

sima a *Sanch. lib. 2. Dec. c. 11. n. 26.* Fundatur quia lex generalis posterior non derogat speciali antiquiori: sed clausula legis Bullæ cænæ est generalis; ergo quamvis sit posterior, non derogat antiquiori privilegio Tridentini utpote speciali.

Dicendum tamen est cum *Suar. de pæn. d. 30. sec. 2. n. 11. & Sanch. l. 2. Dec. c. 11. n. 26.* revocari. Nam clausula Bullæ Cænæ revocat facultates etiam per cujusvis Concilij decreta in genere vel in specie concessas. Et sic declaratum fuisse a sacra Congregatione Cardin. testatur *Suar. n. 11.* Nota cum *Ægidio disp. 2. dub. 12. n. 87.* ex prædicta declaratione Cardin. ibi solum revocari facultatem absolvendi ab hæresi, *Sanch.* veró citatus revocationem extendit ad omnes casus Bullæ cænæ. Et hoc videtur certū post Alex. VII. qui anno 1665. damnavit hanc propositionem: *Sententia asserens Bullam Cænæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Iulij in Consistorio sacræ Congregationis Cardinalium visa & tolerata est.*

QUÆSTIO IV.

Quid possit regularis in casibus Episcopalibus: & Episcopus in Pontificijs? & potens dare facultatē alijs, erga se ipsum?

Regularis quid possit in casibus Episcopo reservatis.

TRes proponit quæstio resolvēdas difficultates 1. difficultas est, utrum sacerdos regularis possit absolvere a casibus Episcopo reservatis? Id posse ex vi juris communis negat Suar. d. c. n. 16. ex Navarro c. 27. n. 266. Nam jus commune, quo illis concedebatur, revocatū est. Hoc tamen non tollit quod casus Episcopales habere possint ex privilegio speciali: & quidem probabiliter, olim illos habebat nostra Societas, ut habetur in *compendio V. Absolutio impresso Romæ* 1625. ubi refertur quædam declaratio super hoc facta a Pontifice. Pro hac parte stat *Martinus de Magia l. c. 7. sect. 3.* post medium & *Acunha in expositione Iubilæi dub. 9. n.* 23. Verum jam hodie nulla est probabilitas: quia Alexander VII. anno 1665. damnavit hanc propositionem (*Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*)

Nota cum *Henrico c. 24. n.* 7. casus occultos, quos Triden. Episcopis concessit, factos esse Episcopales, proindeque de illis asserendum quod de alijs in ordine ad potestatem regularium.

1224 2 Difficultas est, utrum Episcopi possint directé absolvere sibi subditos a casibus Pontificijs publicis, quando Pontificem, vel ejus legatum adire nequeunt? Recte affirmant *Vasq. de pæn. q. 91. a. 3. dub. 8. Suar. de pæn. d. 30. sec. 3. n. 9. & Lugo d. 20. n. 218.* Probant desumendo ex *c. de cætero c. quāvis cap. nos vultus c. mulieres, de sēt. excom.*

Episcopi absolventes a casibus Pōtificijs.

Inferes 1. cum *Lugone n. 219.* mulieres, impuberes, valetudinarios, pauperes, qui nequeunt iter agere, & similes legitimé impeditos posse absolvi ab Episcopo, ita tamen, ut si impedimentum non sit perpetuum, excepto impedimento pueritiæ, debeant jurejurando adigi ad comparendū impedimento cessante. Addit *Henriq. l. 3. c. 9. n. 7.* convalescentes posse postea comparere per procuratorem ex stylo curiæ. Adde exigendam esse ab illo criminoso cautionem aliam de parendo præceptis Ecclesiæ.

Comparere corā Pontifice.

Inferes 2. cum citato Lugone n. 221. non esse ab Episcopo absolvendum qui licét nequeat adire Pontificem, potest tamen adire nuncium, vel alium qui ex privilegio potestatem habeat. Quia tunc cessat necessitas ob quam solum absolvit Episcopus.

Nota 1. cum *Sanch. cit. n. 36.* dictam facultatē non extendi ad casum hæresis. Quia cum sit valde odiosus, requirit expressionem. Nota 2. cum Suario d. 30. sec. 3. n. 11. generalem resolutionē habere locum etiam in casibus Pontificijs, reservatis absque excommunicatione. Nota 3. cum *Suar. cit. n. 12. & Lugone n. 225.* non habere locum in casibus, qui sunt reservati alijs prælatis sive cum excommunicatione, sive absque illa. Quia jura solum loquuntur de casibus Pontificijs.

1225 3 Difficultas est, an potens dare facultatem ut alij a reservatis absolvantur, possit etiam dare, ut ipse absolvatur? Certum est, si loquamur de ipso prælato, qui peccatum reservavit, ejus peccatum non manere reservatum: cum ipse nequiverit se privare jure suo, ut cui voluerit, confiteri possit. Sola est dubitatio quādo peccatum fuit reservatum ipsi prælato, sed ab alio superiori, v. g. a Summo Pontifice. Conveniunt *Sanch. l. 8. matr. d. 3. n. 3. Suar. de pæn. d. 30. sec. 2. n. 15. & Lugo d. 20. n. 57. ex c. fin. de pæn. & remis.* posse Episcopos, si incidant in casus Pontificios, ab ijs absolvi in omni eventu, quo possunt dare facultatem, ut alij absolvantur, etiam si casus illi sint, quos Episcopis committit *Triden. sess. 24. de refo. m. cap. 6.* Addit *Suar. n. 15.* etiam in casu hæresis occultæ, cujus absolutio specialiter committitur Episcopo.

Absolutio circa dātem potestatem ad absolvendum.

Dubitatur 1. de vicario Episcopi: an sicut ipse potest dare facultatem pro alijs, possit etiam dare pro se, ut ipse absolvatur? Negat *Vasq. mapp. pen. ad decis. aur. l. 3. c. 8. n. 22.* Affirmandum tamen est cum *Ugolino, Flarono, & alijs quos sequuntur Diana p. 2. tr. 4. res. 147. & Lugo de pæn d. 20. n. 58.* Nam sicut vicarius ex potestate constituendi confessarios ordinarios, potest constituere sibi unum ad casus non reservatos, ita ex potestate constituendi ad reservata, potest unum constituere, cui ipse reservata confiteatur.

Vicarius ad reservata.

Dubitatur 2. an prælati regulares possint per suum confessarium absolvi a casibus, quos eorū superior, vel generale Capitulum ipsis reservavit? Affirmat va resolutio ex proximé tradita procedit, nisi obstet praxis: & specialia decreta religionum, sicut obstat in Societate. Quomodo autem juri communi canonico *Cap. fin. de pæn. & remis.* talis praxis vel statutum cohærere aut obstare possit, exponunt inter se dissidentes *Suar. d. 27. sec. 2. n. 10. & Lugo d. 20. n. 64.*

Prælati incidentes in reservata.

QUÆSTIO V.

Qui possint indirectè a reservatis absolvere?

Absolutio indirecta a reservatis.

1226 Initio quæstionis 3. num. 1218. exposui quid sit indirecta absolutio a reservatis. Modò circa præsentem quæstionem certum est 1. omnem confessarium posse indirectè absolvere a reservatis inculpabiliter oblitis quemlibet pænitentem sibi de non reservatis confessum. Certum est 2. si pænitens bona fide confiteatur cum non reservatis reservata ignorando inculpabiliter reservata esse, & confessarius, sive sciens sive nesciens velit a non reservatis absolvere, manere indirectè absolutum a reservatis.

1 Difficultas est utrum in casu gravis necessitatis, v.g. quãdo urget necessitas implendi præceptum annuæ confessionis, vel communionis, vel faciendi sacrum, ex quorum omissione nascatur scandalum, vel infamia, possit habens reservatum absolvi a sacerdote inferiori, si ad superiorem non detur aditus? Negant *Richardus d. 18. a. 2. q. 8. & Durandus quæst. 15.* qui tamen dicũt sufficere tunc solam contritionem ad cõmmunicandum. Distingunt *Sotus d. 18. q. 2. a. 5. & Ledesma 2. p. 4. q. 8. a. 2. dub. 5.* itaut si detur excommunicatio reservata, negant: si non detur, affirmant.

Affirmandum tamen est cum *Henriq. l. 6. c. 15 n. 1. Reginaldo l. 8 c. 6 n. 85. Suario d. 31. sec. 3. n. 2. & Bellano de pæn. disp. 8. dub. 13. n. 104.* Ratio est, quia tunc in sacerdote datur jurisdictio circa nõ reservata: deinde in pænitente ob necessitatem datur excusatio ab integritate materiali, sicut si daretur oblivio reservati, aut justa causa illud tacendi; ergo fiet Sacramentum validum absoluto reservato indirectè.

Nota 1. in hoc eventu teneri pænitentem ad confessionem sacramentalem, quando præceptum de illa urgeat. Quia potest impleri. Nota 2. quamvis *Lugo de pæn. disp. 20. n. 74.* admittat posse in dicto eventu pænitentem tacere reservatum cõfessis aliis; & hoc sit probabile; negandum tamen esse cum *Suar. cit. d. 31. n. 8.* Nota 3. quãvis *Suar. n. 9.* propendeat ad admittendam hanc sequelã, nempe posse in illo casu sacerdotem simplicem absolvere pænitentem, auditis nonnullis venialibus, in quæ habet jurisdictionem, non audet tamen admittere veritus Ecclesiæ consuetudinẽ. Quibus ego addo supradictum casum solum admitti quando datur necessitas implendi præcepti propter scandalum & infamiam vitandã: non video autem quomodo sequatur scandalum vel infamia ex eo quod quis non cõfiteatur simplici sacerdoti. Quia tunc se gerere potest pænitens, ac si copia confessarij non detur. Si igitur non datur necessitas, neque casus, neque sequela admitti potest.

1227 2 Difficultas est, utrum extra casum necessitatis possit inferior absolvere a reservatis indirectè habentem firmum propositum confitendi postea talia reservata superiori? Affirmare videntur *Paludan. in 4. d. 17. q. 5. Gabriel q. 1. a. 3. dub. 2. & Henriq. quod l. 1. q. 29.* Negandum tamen omninó est cum *Vasq. q. 91. a. 3. dub. 9. a n. 8. & Suar. d. 31. sec. 2. n. 3.* Ratio est, quia tunc nec indirectè potest cadere absolutio in reservata: siquidem deest confessio integra saltem formaliter: nonenim datur necessitas, quæ excuset a materiali integritate, & constituat formalem.

Adde talem absolutionem manere invalidam si a pænitente suscipiatur mala fide; quia per illud peccatum lethale ponet obicem. Quid si bona fide suscipiatur? Benè *Suar. n. 6.* ex *Navarro in sum. c. 9. n. 7.* respondet valere. Quia tunc pænitens confitetur integre formaliter: & reservatum in tali eventu se habet ac si oblitum foret.

QUÆSTIO VI.

Qualis sit modus absolvendi a reservatis: & quãdo detur ablatio reservationis?

Absolutio reservatorum qualiter facienda.

Circa modum absolvẽdi a reservatis est præcipua difficultas, utrum possit superior absolvere a solis reservatis, quæ in confessione audivit, remittendo pænitentem ad inferiorem sacerdotem, ut a reliquis absolvatur? Partem affirmativam defendunt *Caietan. v. confessio condit. 10. & S. Antonin. 3. parte 14. c. 19. §. 6.* Partem negativam tenent *Sylv. v. confessio 1. q. 19. & victoria in sum. n. 149.*

Dico 1. Pars affirmativa vera est si interveniat causa rationabilis dimidiandi confessionem nẽpe ratione urgentis necessitatis. Ita *Suar. d. 31. sec. 1. n. 7. & Lugo d. 20. n. 78.* Nam ex causa rationabili (ut omnes fatentur) potest confessio dimidiari habita solum formali integritate. Nota verò sola prælatorum negotia non præbere sufficientem causam dimidiandi: quia superior potest delegare: deinde si oporteat per se audire, potest imposita satisfactione, & medicina remittere absolutionem inferioris quod onus si nolit pœnitens, confessionem differat, & sibi imputet. Addit *Lugo n. 79.* hoc etiam habere locum in delegato, seu illo qui ex privilegio potest a reservatis absolvere. Erit igitur rationabilis necessitas quæ (ut notat idem Lugo n. 78.) rarissime continget, si pœnitens nequeat cõfessionem differre; judicetur necessarium quòd prælatus per se ipsũ audiat reservata, & hic & nunc omnia audire nõ possit.

Dimidiatio confessionis ob reservata.

Dico 2. Extra casum urgentis necessitatis pars negativa vera est, scilicet ut non dimidietur cõfessio prædicto modo. Ita *Suar. n. 6. Vasq. q. 91. a. 3. dub. 10. Ægid. Bellan. d. 7. dub. 9. n. 81.* Suadetur, quia integritas materialis confessionis est de jure divino, quæ proinde absque urgente necessitate omitti nequit.

1228 Observa 1. valere absolutionem a reservatis, quando prælatus extra casum urgentis necessitatis illam impendit, si adsit bona fides in pænitente. Ita *Suar. n. 6.* Observa 2. cum eod. n. 3. quando prælatus omnia peccata audit, teneri absolvere ab omnibus. Quia tunc nulla est causa dimidiandi. Observa 3. quando prælatus remittit pænitentem ad inferiorem, teneri præcepto sigilli. Observa 4. absolutum bona fide non manere

nere obligatum fateri iterum eadem peccata quæ subjecit.

Reservationis ablatio. Circa alteram quæstionis partem de ablatione reservationis 1. difficultas est, an facta semel confessione cum potente absolvere a reservatis sive per ordinariam, sive per delegatam potentiam, censeatur ablata reservatio pro illis quæ inculpabiliter omissa fuerunt, sive ex oblivione, sive ex causa rationabili? Partem negantem defendunt *Vasq q.92.a.3.dub.5.n 5.& cum limitatione Sanch.l.. Matr.d.15.n.17.ac Suar.de pœn.d.31. sec.4.n.18.* quatenus negant confessionem factā superiori more ordinario absque ulla mentione & intentione casuum reservatorum non sufficere, ut tollatur reservatio omissorum.

Nihilominus absolute tolli, recte is affirmant *Covarr in cap. Alma mater p.1.§.11.n 11. Henriq.l. 6.c 16.n.5. Reginal in prax to.1.l.8.c.7.n. 99. Bellun d.8.dub.12.n.98.& Lugo de pœn.d. 20.n.89.* Nā pœnitens qui confitetur habenti potestatem in reservata, quantum in se est, desiderat absolvi ab omni vinculo, a quo superior absolvere potest, & huic intentioni, seu voluntati se accommodat prælatus, suam mentem satis declarans generalibus verbis absolutionis; ergo liberat ab omni vinculo reservationis.

Reservatio ablata per confessionem invalidā. 1229 2 Difficultas est, an tollatur reservatio per absolutionem invalidam collatam ab eo qui poterat a reservatis absolvere? Dico 1. quando invalida fuit confessio v.g. ex defectu doloris facta prælato, vel habenti potestatem delegatam, & consequenter invalida fuit absolutio, non quidem ex defectu integritatis confessionis culpabili, tollitur reservatio. Ita *Suar.de pœn. d.31.sect.4.n.9.& Vasq q 92.a.3.dub.5.* Nam per talem confessionem satisfactum fuit reservationis fini, qui est reservatorum manifestatio ipsi reservanti. Dix (non ex defectu culpabili integritatis) quia ut notat *Lugo n.106.* prelatus videtur solum velle tollere reservationem pro manifestatis, & non pro culpabiliter omissis.

Dico 2. Per absolutionem invalidam, si fiat cōfessio virtute cruciatæ, tollitur reservatio: non ita si fiat confessio virtute jubilæi, & pœnitens advertat nullitatem. Ratio disparitatis est, quia ad Bullam veré obtinendam, sufficit unica conditio, nempe largitio talis eleemosynæ: ad jubilæum veró præter alias, exigitur legitima confessio: qui autem advertit nullitatem confessionis nec vult confessionem, nec jubilæum. Unde in tali casu nec valebit absolutio a censuris, nec votorū cōmutatio. Quod si non advertat talem nullitatem probabile est tolli reservationem, saltem, si postea cætera ad jubilæum requisita exequatur. Sed de hoc in trac.4.

Reservatio ejusdē peccati multiplex. 3 Difficultas est, utrum quando dantur plures reservationes ejusdem peccati, una ablata, tollatur reliqua? Constat tolli, quādo sunt plures reservationes ejusdem peccati factę ab eodem superiore, vel est una pluribus modis facta v.g. per vocem & statutum. Dubium est quando reservationes sunt plures provenientes a pluribus superioribus subordinatis, v.g. Episcopo & Papę, seu Provinciali & Generali. Dico 1. si Papa rereservet casum jam ab Episcopo reservatum: itē si Generalis reservet casum jam a Provinciali reservatum: item si Generalis reservet casum jam a Provinciali reservatum, non sufficiet facultas Episcopi, aut Provincialis ad tollendam omnem reservationem. Patet, quia inferior nequit restituere potestatem a superiore ablatam.

1230 Dico 2. si maior ex dictis prælatis cōcedat facultatem pœnitenti, ut absolvatur: vel confessario ut absolvat, omnis reservatio tollitur. Patet, quia prælatus maior v.g. Papa facultatem & jurisdictionem potest concedere, etiam renuente inferiore v.g. Episcopo. Quid si Papa tolleret suam reservationem, nihil attendens ad aliam? Adhuc maneret reservatio facta per Episcopum.

4 Difficultas est, utrum ablata reservatione, possit relinqui aliquod onus? Certum est 1. postquam peccata semel absoluta sunt directé, non posse imponi onus ea iterum directé confitendi. Certum est 2. ante peccata absoluta posse tale onus dari ex pacto cum pœnitente, sicut ex voto, aut juramento. Certum est 3. posse dari tale onus ex pœnitentia acceptata. *Onus impositum post reservationem ablatam.*

Tota dubitatio est, utrum citra pactum, cōsensum, votum & juramentum possit superior antecedenter imponere onus confitendi iterum tale peccatum? Affirmant *Henriq l. 3.c.15. n.2. & Vasq.q. 91.a.3.dub.7.a.n. 25.* Negandum tamen est cum *Vasquio retractato q. 93.a. 1.dub. 6.n.14. Suar de pœn.d.30.sec 5.n.23.& Lugone de pœn. d. 15. n.93.* Ratio est, nam ubi primùm inferiori committitur facultas absolvendi a culpa, & ipse absolvit, statim nomine Christi fit ultimum judiciū quoad culpam & pœnam æternam, & res transit in judicatam, atque adeo jam res non manet materia necessaria ad novum sacramentum.

QUÆSTIO VII.

Utrùm teneatur superior facultatem dare subdito eam per se, vel per alium petenti, ut absolvatur a reservatis?

Certum est 1. prælatum aliquando teneri ex justitia ratione proprij muneris concedere facultatem subdito, ut per alium absolvatur a reservatis. Ratio est quia potest evenire quód pœnitens timeat rationabiliter grave damnum extrinsecum sacramento, v.g. confessionis revelationem, scandalum, odium: itē probé noscat prælatum non esse idoneum ex defectu scientiæ, vel probitatis: in quibus casibus prælatus tenebitur annuere petenti. Certum est 2. prelatum non semper teneri ad dictam facultatem concedendam. Est enim proprius judex, qui proinde non semper tenetur causā alteri committere. Semper tamen in dubijs inclinare debet in partem benigniorem.

1231 Tota difficultas est utrum teneatur superior licentiam illam dare, quando subditus recusat ipsum adire ob verecundiam, ex præcisa infamia apud superiorem? Dico 1. Prælatus non te- *Licentia prælati ad casus reservatos.*

tentur facultatem illam concedere, licét possit, quando ex negatione non timet aliud damnum præter solam suam verecundiam, impote dann... sacramento intrinsecum. Ita *Suar.d.* 30 *sec.*4.*n.*5.& 9. *Ægid. Bell.*... *n.d.*7.*dub.*14. *n.* 110. Ratio est, quia prælatus utitur suo jure, nec datur præjudicium pænitentis: quanvis (ut tradidit Navarrus *c. Placuit* n.149.) talis verecundia sit sufficiens causa ut concedatur.

Dico 2. Potest superior illam negare cū minore utilitate pænitentis, si ex negatione speretur maius bonum aliorum, v.g. abstinentia a peccatis ex timore difficilis concessionis. Ita authores citati. Ratio est, quia pastor non semper tenetur procurare maius bonum unius ovis, quando talis excessus impediret maiorem excessum aliarum. Addit *Suar.* id nunquam esse faciendum sine aliqua pœnitentis utilitate. Dico 3. Prælatus tenetur dictam facultatem dare, si timeat grave damnum pænitentis, v. g. confessionem sacrilegam, aut conscientiæ depravationem. Ita *Suar.n.*8 & *Bell.m.d.*7.*dub.*14.*n.*19. Patet, quia reservatio instituta est in medicinam, & non in perniciem ægrotantis. Addit *Suar.cit.n.*8. tunc non sufficere ad negandum spem utilitatis communis.

Negatio facultatis ad reservata.

Dico 4. Prælatus tenetur negare illam facultatem, si ex ipsius concessione imminear alterius vel communitatis damnum, cui solus ipse prælatus sub sigillo possit occurrere. Ita *Suar. cit. n.* 8. Suadetur, quia tunc pænitens erit indispositus, cum non possit uti tali remedio in damnum alterius: cooperari autem indisposito & peccanti illicitum est. Dico 5. quando ex concessione timetur grave damnum pænitentis, v. g. facilitas ad reincidendum, prælatus tenetur negare. Ita citati authores. Ratio est quia tunc superior præberet pænitenti, & alijs occasionem ad peccandum: deinde vix aut nunquam daretur in pænitente sufficiens dispositio ad confitendum.

1232 Circa resolutionem multipliciter positam observabis 1. quando prælatus negat vidés subditum fieri peiorem ex solo damno intrinseco, peccare contra justitiam juxta *Lugonem d.*20. *n.*237. peccare veró solū contra charitatem juxta *Suar. citatum n.*7. Observabis 2. cum Suar. n. 11. & Bellano n. 112. quando superior obligatus est concedere facultatem, non teneri eam concedere ad omnes sacerdotes, nec saltem ad eum, qui petitur a subdito. Illud ex *S. Thoma in* 4. *dist.*17. *q.*3. *a.*3 *quæstiun.* 4. *ad* 6. Theologi severe admonent, superiores debere esse faciles potiús quàm difficiles.

Facultas injusté negata.

Rogabis, utrum quando superior facultatem injuste negat, v.g. quia subditus absque gravi dāno nequit ipsum adire, habeatur talis facultas concessa pro illa vice, ut nempe subditus directé ab alio absolvi possit? Affirmat *Henriq.* cum varijs, quos citat & sequitur *lib.*6.*cap.*13. *n.*4. & hanc sententiam credit probabilem *Diana tom.*1. *tr.* 4 *de sacr. resol.*29. Negandum tamen est cum cōmuni, quam defendunt cum multis *Suar. de pæn. d.* 27. *sec.*4 *n.* 20. *Laymann.l.*5 *tr.*6.*c.*13.*n.*3. & *Lugo d.*[illegible] 20.*n.*148. Ratio est quia ut talis facultas injusté ab uno prælato negata haberetur concessa, deberet ab alio maiori prælato concedi: at non constat a quo, & qui modo concedatur: imo *Trident. sess.*14 *cap.*7 innuit non dari talem concessionē, quatenus dicit extra mortis articulum sacerdotes inferiores nihil posse in reservatis.

Clementis decretum circa reservationem regularium.

Hæc stando in jure communi. Nam *Clemens VIII.* apud *Suar.d.*29.*sec.*3.*n.*11.& *Lugonem n.* 2c. *n.*40. jubet ut in singulis domibus ponantur duo vel tres, vel quatuor cōfessores pro numero subditorum, docti, prudentes, & charitate prædíti, qui eos absolvant a non reservatis, & quibus cōmittatur absolutio reservatorum occurrentium, prout confessores judicaverint. Addidit postea & declaravit (inquit *Lugo citatus* dicens hoc haberi in tom. 4. Bullarij in Bulla 26. sub Urbano 8.) quód si superior, instante confessario ordinario, negaverit facultatem absolvendi a casu reservato, si confessarius judicat debere concedi, possit pro ea vice absolvere pænitentem regularem, etiam si a superiore licentiam non habeat. Clausula (pro ea vice) non ita stricté intelligenda est, ut excludat alias similes opportunitates, sed ut facultas quæ datur pro ea vice non operetur in perpetuum absque recursu ad superiorem.

QUÆSTIO VIII.

Quomodo intelligatur delegata facultas ad absolvendum a reservatis?

Interpretatio facultatis ad reservata.

1233 Exponetur duplici difficultate exposita. 1. difficultas est, utrum quando aliquis obtinet facultatem ut absolvatur subditus indeterminaté concessio ad ipsum extendatur? Negat absoluté *Azor* 1.*p.l.*5.*c.*23.*q.*2. Affirmat absoluté *Bonacina de legib.disp.* 1.*q.*3.*pun.* 7.*§.* 1.*n.*11. Alij cum *Ugolino de po*... *Episc.c.*3... §.5. & *Enb.eod.tit.alleg.*52.*n.*9. ita distinguunt, ut negent si facultas detur pænitenti, affirment si confessario detur.

Dico 1. Confessario vel pænitenti postulantibus facultatem ad peccata jam commissa, facultas concessa non extenditur ad committenda. Ita *Lugo d.*20.*n.*122. Ratio est, nam cōcessio (quādiu aliud de mente concedentis non constat) ita debet correspondere & commensurari petitioni, ut illam non excedat.

Dico 2. Facultas simpliciter concessa ut subditus absolvatur pro ea vice, extenditur ad peccata etiam commissa post notitiam concessionis: idq; sive confessario, sive pænitenti facultas daretur. Ita *Henriq.l.*3.*c.*16.*n.*6.& *Lugo citatus n.*124. Suadetur nam verba concessionis dicto modo probata cadunt potiús super personam indivisibiliter absolvendam, quám super peccata: deinde cū sint favorabilia, ampliari potiús, quám restringi debent. Addo, quando licentia est respectiva ad certam materiam, sed non limitata ad certū numerum peccatorum, extendi ad casus similes, qui forte committuntur ante absolutionem: etiā si peccata fuerint commissa in fiducia talis concessionis. Nam intentio prælati est necessitate

sub-

subditos Deo, sublata radice desperationis. Aliter nec Cruciata nec Iubilæus liceret.

2 Difficultas est, quanto tempore differri valeat confessio, quando in concessione opponitur illa clausula (pro hac vice?) Respondeo posse differri toto illo tempore, in quo moraliter verificetur clausula: & non ultra illud. Quantum autem tempus esse debeat prudens ex circumstantijs arbitrabitur. Unde si facultas concedatur occasione alicujus festivitatis, vel necessitatis occurrentis, ut inter regulares fieri solet, minus tēpus arbitrandum est: majus verò quando in sacra pænitentiaria petitur & conceditur facultas ad reservata pro hac vice. Ita *Lugo d.20.n. 126.* qui addit *n.127.* quando nulla alia peccata nova post concessam facultatem commisisset, videri quód etiam si duo vel tres anni, aut plures elapsi essent, posset adhuc pænitens uti illo privilegio. Tunc enim clausula (pro hac vice) etiam post illud tempus verificatur ratione materiæ, quæ eadem est.

Temporis clausula pro hac vice.

QUÆSTIO IX.

Quales sint, & explicari debeant casus reservati per cōstitutiones diœcesis Olysiponensis?

Reservati casus Olysipponenses.

1234 IN hujus diœcesis *const.t.l. tit.X.decreto VII.§.11.* sexdecim reservantur casus quos brevissimè expediam, utpote jam fusé explicatos lingua vernacula in copioso & erudito tractatu. Primus casus est *hæresis non mentalis.* Poterat reservari hæresis mentalis, seu pure interna juxta ea quæ resolvimus supra *n.1214.* asserentes posse reservari peccata meré interna per restrictionem, vel ablationem jurisdictionis. Et quidem (ut tradit *Fragosus p.2.l.8.disp.19.§.3.n.1.* si hæresis absoluté reservaretur, tam internam quā externam comprehenderet.

De facto tamen non reservatur meré interna, seu mentalis, sed solum externa, non quidem externa manifesta, seu probabilis in foro externo quia hæc spectat ad solum Pontificem, sed externa occulta, quam Tridentinum concessit Episcopis, & hujusmodi concessionem nō revocavit Bulla Cœnæ, juxta *Granadum 2.2.contr.1.tr. 15.disp.14.sec.2.n.8.* Dices nullam vel saltem frivolam censeri hujusmodi reservationem: quia licét Episcopis non reservaret, adhuc parochi Episcopo suborbinati nō possent absolvere ab hæresi occulta: cum adhuc maneret casus Pontificius soli Episcopo concessus. Respondeo talem reservationem dici posse bonam, & seriam ex hoc, quòd si deficiat excommunicatio in tali hæresi per ignorantiam, adhuc nullus Episcopo subordinatus absolvere possit, & sic persistat reservatio.

Hæresis reservatio.

2 Casus est *Blasphemia publica.* Ut explicetur, satis est videre quid sit blasphemia, & quotuplex, vel in nostro *Elucidario n.1391.& 1392.* vel in hoc. *Promptuar.tr.32.n.599.& 562.* Qualiter censeatur blasphemia publica, seu blasphemator publicus, ut incurrat reservationem, vide quæ diximus in *Elucidar.n.922.* Unde ut sit casus reservatus, debet esse formalis, nempe ex intentione & advertentia, deinde prolata coram multis, vel in judicio, & sciri a majori parte viciniæ, parochiæ, monasterij, aut collegij, itaut nulla tergiversatione celari possit. Nota casum procedere de blasphemia simplici. Nam si sit hæreticalis, seu directé opposita articulo fidei, casus Papalis est, & non Episcopalis.

Blasphemia publica, & formalis.

1235 Tertius casus est *Magia faciendo veneficia, vel utendo illis.* Procedit non de magia large accepta prout comprehendit etiam effectus quosdam naturales licitos, quos operatur ars mathematica, sed de magia superstitiosa & dæmoniaca, quæ est ratio quædam operandi mira ope dæmonum, per signa, seu causas morales, quibus positis ex pacto excitatur dæmon, ut faciat quod magus petit. Veneficium alio nomine maleficium, Græcé parmachia, est ars nocendi, seu inferendi noxam alijs dæmonis ope, seu auxilio. Vide *Elucidar.n.1384.* Quinque modis exercetur veneficium 1. ad detegendum hominū secreta, & res occultas. 2. ad gignendos morbos & inferenda mala bonis fortunæ 3. ad procurādum sanitatem. 4. ad alios effectus cōmuni omnium judicio impossibiles. 5. per operationes superstitiosas & magicas.

His positis magia per veneficia habita quocunque modo ex quinque numeratis, est casus reservatus in diœcesi tam Olysipponensi, quam Bracharensi, hoc tamen discrimine, quód in Bracharensi solum est casus reservatus conficere veneficia, & non ut jam confectis per veneficos: at in Olysipponensi utrunque reservatur, & illorū confectio, & purus usus.

Quartus casus est *Invocatio dæmonis vel facere aliquid in quo detur pactum tacitum vel expressum cum dæmone.* Habent casum reservatum quicunque invocant dęmonem, vel cum eo pactum tacitum vel expressum ineunt, quales sunt qui dicunt apud Isaiam cap.28. *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.*

1236 Pactum expressum cum dęmone (inquit *Fragosus p.2.l.8.d.19.§.3.n.1.*) contrahitur dupliciter, scilicet vel expressis & conceptis verbis a dæmone institutis, vel ipso facto, & actione, quando quis operatur illud quod cognovit diabolum instituisse in signum, seu pro tessera sui auxilij & efficaciæ. Pactum cum dæmone implicitum, sive tacitum censetur quoties quis superstitiosis utitur signis ignorans ea esse mala, & a dæmone instituta: & hoc pactum non excusatur a peccato mortali, quando ignorantia vincibilis est.

Pactum cum dæmone.

Quintus casus est: *Homicidium voluntarium executionem mandatum extra bellum justum vel defensionem propriam, aut proximi. In quo numerantur illi, quorum culpa aut negligentia filij suffocantur.* Cum hic non reservetur homicidium casuale, sed voluntarium, quid utrunque sit, invenies satis explicatū in *Elucidar.n.897.* & fere omnes casus spectantes ad homicidium in hoc *Promptuar.toto tract.9.a.n.660.* De pueris culpa parentum in lecto oppressis,

Homicidium reservatū

sis,

sis, aut suffocatis meminit praxis Episcopalis p.2. c.1.pag.103.requiritur tamen (ut notat *Fragos. cit.n.3.*) ad reservationem hujus casus, quòd culpa lethalis sit manifesta: cum ex amore parentū erga filios præsumatur excusatio.

Committit igitur homicidium reservatum 1. qui occidit propinando venenum, vel saucians juxta cor aut caput, etiam si non habuerit intentionem expressam occidendi. 2. maritus occidēs uxorem, aut pater occidens filiam deprehensas in adulterio. 3. qui directè occidit se ipsum vel alium, etiam volentem occidit. 3. qui occidit in utero fœtum animatum, item ipsa fœmina quæ post fœtum animatum procuravit, & obtinuit aborsum. De aborsu egimus priori parte n.99. & 673. 4. qui data opera occidit Petrum existimans se occidere Ioannem. Quia hominem non casualiter, sed voluntariè occidit.

E cōtra non habet casum reservatum occisor. 1. quando lethaliter vulneravit hominem animo occidendi, sed antequam vulneratus moreretur, sacramentaliter legitimè suum peccatum confessus fuit. Quia ante mortem peccatum nō erat reservatum, & per confessionem legitimam omninò extinctum est 2. quando solum occidit per mandatum, consilium, favorem, vel auxiliū, quin per se ipsum exequeretur. Quia constitutiones solum imponunt reservationem exequentibus homicidium, quales non sunt mandantes, consulentes, vel faventes per auxilium.

Incendiū ad reservationē.

1237 Sextus casus est, *Incendium data opera commissum animo nocendi.* Apud nostrum *Elucidar. n.146.* Incendiarij crimen committit ille, qui authoritate privata incendit civitatem, villam, māsionem, segetem, & similia aliena malo studio, putà odio, aut vindicta 23.*q.ult.pessimam*. Unde qui hoc modo intulit damnum in quantitate peccati mortalis habet casum reservatum. Vide *Suar.de cens.disp.22.sec.2.§.Tandem vero.*

Ex quo sequitur non habere reservatum qui incendit casualiter, etiam ex negligentia notabiliter culpabili. Quia in eo defuit intentio nocendi. Hinc evadunt reservationem agricolæ & pastores, qui ut parent ovibus pascua, incēdunt sylvas, ex quo detrimentum alijs infertur. Similiter qui incendunt segetes hostium authoritate potentis bellum indicere. Difficultas est an habeant casum reservatum, qui incendiarijs dant mandatum, consilium, vel auxilium? Affirmat *Fragos.p.2 l.8.d.19.§.3.n.3.* modò sequatur effectus incendij. Negat *Emman.Laurent.Suar.de reser. Ulyssip.l. 1.c.2 § 6.n.5.* Quia sicut censuræ contra facientes non ligant mandantes & consulentes, ita reservatio, quia sicut censura ita reservatio est odiosa, & ideo neutra extendenda intra proprietatē verborum. Et hoc magis placet.

Sacrilegium ad reservationem.

Septimus casus est *Sacrilegium præcipuè quod cōmittitur percutiendo vel inferendo manus violentas clerico, vel religioso qui fruitur privilegio canonis.* Sacrilegiū definitur, *Est læsio, seu violatio rei sacræ.* Ex ressiùs, *Est peccatum quo res sacra polluitur, seu indignè & impiè tractatur.* De essentia & multiplicitate sacrilegij. & difficultatibus ad ipsum spectantibus, egimus supra tract.32.tota sect.5. ex quibus intelliges non esse reservata ea, de quibus quæritur an sint sacrilegia, v.g. violatio voti, indigna tractatio Sacræ Eucharistię, & datur probabilitas pro utraque parte.

1238 Adverte dari aliqua sacrilegia, quæ reservata non sunt: & imprimis omnia venialia, deinde non omnia lethalia. Patet discurrendo per tres sacrilegiorum species, quarū prima versatur circa personam sacram, secunda circa rem sacram, tertia circa locum sacrum. Nam (juxta *Emman.Laurent.citatum n.8.*) nullum sacrilegium primæ speciei, quo offenditur persona sacra, reservatum est, excepta percussione. Deinde non habet reservatum qui fregit votum castitatis simplex, vel solēne paupertatis: qui offendit res Ecclesiæ sive immobiles, sive mobiles dicatas ad sustentationem minostrorum: qui celebravit, vel ministravit aliquod sacramentum in peccato mortali: qui recepit sacram Eucharistiam sine dispositione requisita: qui sine justa causa tacuit in confessione necessariam materiam; vel in re ad illam spectante mentitus est. Hęc omnia ex consuetudine legum interprete probantur.

Quod attinet ad secundam speciem, sacrilegiū quo graviter offenduntur res sacræ, reservatum est. Unde casum reservatum habet qui abutitur verbis sacris in superstitionibus, aut rebus ridiculis ad firmandas hæreses: qui rebus divinis musicas lascivas miscet: qui per contemptum tangit sacras imagines, vel pingit indecorè: qui tractat irreverenter sanctorum reliquias, qui vasa sacra offendit usu profano: qui sacras vestes cōvertit in profanas: qui abutitur sacramentis, aut ipsorum materijs benedictis vel consecratis ad res vanas, aut superstitiosas: qui dixit seu commisit blasphemiam lethalem simplicem, de qua supra n.2034. Secus de eo qui portās reliquias, vel Agnos Dei, commisit actum venereum.

Quod attinet ad speciem tertiam, sacrilegium quo graviter offenditur locus sacer, reservatum est. Unde habet casum reservatum 1. qui in loco sacro vel effudit semen humanum, vel humanū sanguinem injuriosè, etiam occultè. Probabile est non esse sacrilegam copulam occultam ut tradit *Tamb.in Decal.l.7 c.2.§.1 ex Vasq.tom.1.p.2.d.98.c.3.n.6.& Basilio Ponce de matr.l.10.c.10.n.15.* Vide quæ de violatione loci sacri egimus supra a.n. 169. & de sacrilegio tract.32.sec.5.2. qui furatur rem sacram etiam causa devotionis, vel de loco sacro rem non sacram spectantem ad ipsum sacrum locum. 3. qui effringit portas loci sacri, vel ipsum spoliat, destruit, aut cōburit. 4. qui per vim extrahit a loco sacro delinquentem, qui ad illum confugit, exceptis casibus in jure concessis, de quibus egimus tract.29.

Excommunicationis reservatio.

1239 Octavus casus est, *Excommunicatio major a jure vel ab homine, quæ alteri reservata non sit.* Quid sit excommunicatio & quotuplex, & qualiter incurratur, agemus tr.48. Illud modò dicimus, quanvis parochus, & quicunque sacerdos

ap-

approbatus & expositus ad audiendas confessiones, posset absolvere a censuris juris nemini reservatis, sicut a mortalibus, ut docet *Suar. de censur. disp. 7. sect. 3. n. 23. & 31.* negandum non est posse Episcopum reservare excommunicationē a jure nemini reservatam, ut bené tradit *Fragos. cit. n. 4.* contra *Fabium Comitol. resp. moral. lib. 6. c. 12.* Nam juxta *Sanch. de Matr. l. 1. d. 01. n. 3. & lib. 8. d. 9. n. 3.* Episcopus potest in suo Episcopatu omnia, quę Summus Pontifex in tota Ecclesia, exceptis specialiter reservatis. Arg. *c. ad honorē de auth. & usu pallij. & c. novit. de judic.*

Iuramē-tum fal-sum ad reserva-tionem.

Nonus casus est *juramentum falsum in judicio, vel in ædilibus judicialibus, vel coram superiore competente.* De juramento quid sit & quotuplex, qualis ejus falsitas, & falsitatis malitia, satis egimus *tract. 30. d. n. 276.* Casum expediam resolutione duplici. 1. resolutio. Perjurium assertorium, seu juramentum falsum in judicio actuali solum est casus reservatus, quando judex competens est, & juridicè procedit. Unde habet casum reservatum 1. qui coram judice cōpetente, & juridicé interrogante negat veritatem, aut rem dubiam pro certa vel certā pro dubia affirmat. Secus quádo judex competens non est, vel non procedit juridicé, aut ipse sub dubio rem dubiam testatur. Vide *Suar. de juram. lib. 3. c. 4. & Sanch. lib. 3. Decal. c. 4. n. 8.*

Habet casum reservatum 2. qui interrogatus juridicé absque justa causa utitur amphibologia per restrictionem mentis. Quia tunc ad judicis mentem tenetur respondere, Vide *Dianā 3. p. tr. 5 res. 106.*

2 Resolutio, Quotiescunq; quis interrogatur a judice non competente, vel juridice nō procedente, non habet casum reservatum, etiam pejerans: item quāvis judex cōpetens sit, & interrogās juridicé, quoties jurans a perjurio excusatur. Unde non habet casum reservatum 1. qui juravit falsum putans bona fide id esse verū. Quia est perjurium non formale, sed materiale. 2. qui jurat falsum coram judice nō suo, eo quód habeat privilegiū exemptionis ab illo 3. qui jurat falsū habens jüstā causām nō ferendi testimoniū verum ex gravissimo dāno, quod sibi timet. 4. qui utitur amphibologia nō respondens ad mentē judicis interrogantis ex falsa præsumptione: ut si interroget an veniat ex tali oppido, quod falsó credit peste infectum.

1240 Non habet etiam casū reservatū 5. qui non citatus se obtulit, & in judicio juravit amphibologicé coactus aliqua necessitate vel præcepto: secus, si absq; ulla necessitate. 6. qui rogatus an haberet aliqua bona usus amphibologia juravit nō habere, habēs causam illa tegēdi, ne creditores auferrēt sibi necessaria ad sustentationē 7. creditor qui virtute alicujus chirographi petit integrā solutionem, quę jam ex parte soluta est, jurās sibi deberi totam si aliunde debeatur. Et sic de similibus. 8. non habere reservatum officiales justitiæ qui violant juramētum quod emiserunt gerendi fideliter suum munus. Quia hoc perjuriam non est contra juramentum assertorium emissum in judicio. Secus de illis qui falsó jurant coram officialibus justitiæ, etiam inferioribus, v. g. ædilibus, meirinis, & alijs.

Decima non solu-ta ad re-servatio-nem.

Decimus casus est *decimæ non solutæ, quæ excedat quantitatem ducentorum teruncīorum.* De decimis, ipsarum definitione, multiplicitate, & præcepto satis egimus tract. 28. Pro explicatione casus præsentis Dico 1. Ut sit casus reservatus non solutio decimarum, tria postulantur, primū quód quantitas excedat pretium ducentorum teruncīorum. Secūdum quod debitor peccaverit lethaliter non solvēdo, vel retinēdo. Tertiū, quód debitor sufficiētis quātitatis ad reservationē, veniat ad confessionem quin solverit, vel fecerit compositionē cum creditore decimarum. Quocunq; ex his tribus deficiente casus reservatus non est.

Unde qui peccavit mortaliter non excedens præfixam illam quantitatem, vel si excessit, non peccavit mortaliter, vel si peccans mortaliter, & excedens quantitatem solvit, aut aliter satisfecit creditori decimarum, antequam veniret ad confessionem, nō habet casū reservatū, proindeque absolvendus est. Ad reservationē sufficit prædicta quantitas etiā debita per partes v. g. diversis annis vel debita Ecclesijs diversis. Confessarius per constitutiones prohibetur accipere solutionem decimarum de manu pœnitentis.

1241 Dico 2. Agricolā qui de provētu frumenti quod terræ māndavit, collegit præter semen terræ mandatum, quidquid satis est ad solvendū tributū, censū, & omnes expensas necessarias ad culturā & collectionē, habet casū reservatū, si nō solvat prędictā quantitatē. Quod procedit in decimis realibus, etiam mixtis, nō autem in personalibus. Vide *Suar. c. 35. n. 12. & Bonac. de leg. d. ult. pun. 3. n. 17.*

Dico 3. qui retinet quantitatem nō æquantē reservatam, etiam si lethaliter peccaverit, absolvēdus est a confessario: hic tamé juxta constitutiones, antequā absolvat, tenetur illū monere ad satisfaciendū: quód si non moneat, ipse incurret excōmunicationē. Quādo pœnitens habet casum reservatū, & de præsenti impotēs est ad solvendū debet confessarius petere a prælato facultatē ut illū absolvat. Tandem adverte, quando in aliqua diœcesi reservatur peccatū nō solventis decimā ex pane, per vulgarē vocem *pam*. esse intelligendū de solo semine triticeo, & nō de alijs. Reliqua minutiora vide apud *Emman. Laur. in reser. diœcesis Ulyssipon. & Bapt. Fragos.* supra *citatum* §. 3. n 6.

Invento-rum re-tentio vel re-servati-onem.

Undecimus casus est, *retinere alienum, cujus dominus ignoratur, excedens quantitatem quingentorum teruncīorum.* Ad reservationem hujus casus tria requiruntur; primum, quód quantitas inventorū quorū dominus ignoratur, excedat quantitatem quingentorū teruncīorū; secundū, quód inventor peccaverit mortaliter vel recipiendo vel retinēdo: tertiū quód quando venerit ad confessionem nondū satisfecerit v. g. restituēdo pauperibus saltē eam partē, qua restituta non retineat quanti-

tatem

tamen reservatam: & hujusmodi restitutionem Prælatus nequit prohibere, ut docet *Navarr. cap.* 17. *n.* 9.2. Quolibet ex his tribus deficiente, casus reservatus non est.

1242 Quare non habet casum reservatum 1. inventor ac retentor illorum bonorum, quæ domino carent, sive nunquam, sive aliquãdo dominum habuerunt; qualia sunt v.g. gemmæ, venæ metallicæ, animalia sylvestria, thesaurus, bona habita pro derelicto, vacantia & similia de quibus satis egimus *tract.* 7. *sect.* 4. Non habet casum reservatum 2. qui invenit & retinet bona aliena quorum dominus cognoscitur, v.g. inventum animalium cicurum, seu mansuetorum, qualia oves, boves, capræ; item fur vel possessor malæ fidei rerum quarum libet. Item retentor thesauri spectantis ad Regem, vel bonorum vacantium, peregrinorum, relictorum ab intestato quę pertinent ad fiscum. 3. non habet casum reservatũ qui licet invenerit rem sufficientis quantitatis ad reservationem, & in retẽtione lethaliter peccaverit, tamen antequam veniret ad confessionẽ satisfecit per Bullam compositionis habens privilegiis Cruciatam. Vide *Mo:m tom.* 3. *d.* 748. & *Dianam* 4. *p. tr.* 4. *misc. res.* 112.

Habet igitur casum reservatum 1. qui invenit bona quomodo libet in certa, quę habent dominum, sed dominus nescitur, dummodo sint quãtitatis requisitæ ad reservationem. 2. qui hujusmodi bona inveniens ac retinens injuste lethaliter, venit ad confessionem antequam satisfecerit. Illud observandum ex Constitut. Ulysipp. teneri confessarium, etiam si quantitas reservata non sit, injungere pęnitenti, ut tradat talem summam Vicario aut alteri personę ad id deputatæ. Vide hæc latiùs tractata, & alia quæ circa hunc casum recte monent *Emman. Laurent. citatus* §. 11. & *Bap. Frag. p.* 1. *l.* 1. *disp.* 19. §. 3. *n.* 5.

Duodecimus casus est, *matrimonium clandestinum.* De matrimonio ipsius essentia & requisitis agemus tract. 44. Modò pro explicatione pręsentis casus, notandum est matrimonium dici clandestinum dupliciter. 1. quando fit sine parocho, vel testibus, & est invalidum 2. quando fit coram parocho & testibus, sed non præcedentibus denunciationibus, & est validum juxta *Trident. sess.* 24. *de refor. c.* 1. *Clandestinum matrimonium ad denunciationes.*

Sit 1. resolutio: casum reservatum habet qui matrimonium contraxit sine parocho, aut clerico de licentia illius, & saltem duobus testibus proindeque invalide. Item qui licet contraxerit coram parocho & duobus testibus valide, omissis tamen illicite lethaliter præcedentes denunciationes absque licentia prælati. Quia uterque contra constitutiones, & formam præscriptam a Tridentino contraxit. Et generaliter quotiescũque contrahentes in re gravi non servant formã Tridentini & constitutionem suæ diœcesis habent casum reservatum, ex cõsuetudine sic interpretante.

1243 2 Resolutio. Contrahentes qui omittunt unam tantum denunciationem, etiam ex tribus propriæ parochæ, non habent casum reservatum. Quia solum pecant venialiter juxta *Rebell. de oblig. l.* 2. *q.* 7. *sec.* 2. *n.* 10. & *Sanch. l.* 3. *matr. d.* 5. *n.* 7. Idem est de iis, qui post denunciationes nullo detecto impedimento, tendunt ad Ecclesiam, & coram duobus testibus & proprio parocho celebrante Missam contrahunt: item si servata eadem hac forma contrahunt privatim domi suæ. Nam censentur contrahere in facie Ecclesiæ: hęc enim quoad præsens institutum non est templum materiale, sed præsentia parochi & duorum testium, ut declarasse Sacram Rotam, testantur citati *Rebel. q.* 7. & *Sanch. a. n.* 4.

Observa ex Constitut. diœcesis Olyssip. non solum contrahentes, sed etiam parochum & testes assistentes matrimonio contra formam Tridentini manere ipso facto excommunicatos, & in pæna pecuniaria condemnandos, & parochum qui absque causa omisit denunciationes, suspendendum ab officio per triennium.

Decimus tertius casus est, *Initiari sine patrimonio pensione, aut beneficio vel per saltum, vel sine dimissoriis, vel ingerendo se furtivè ad ordines.* Iste casus quadruplex est, seu continens quatuor. 1. *Initiari sine patrimonio, pensione, aut beneficio.* Qui sic initiatur per jus commune (quidquid reclamet *Toletus lib.* 2. *c.* 48.) manet suspensus, & per jus diœcesis Olyssip. habet casum reservatum. Secus dicendum est de eo qui initiatur patrimonio ficto, vel nõ sufficiente, probans verum ac sufficiens esse. Quia talis non fuit initiatus sine patrimonio. Vide *Dianam cum* authoribus, quos citat *p.* 2. *tr.* 2. *res.* 5. & 3. *tr.* 2. *resol.* 184. *Initiatum sine patrimonio ad casum reservatum.*

1244. 2 Est *initiari per saltum*, v.g. accipiendo diaconatum non præcedente subdiaconatu, vel sacerdotium aliquo ex inferioribus ordinibus non præcedente. Hic enim habet casum reservatum: deinde manet suspensus, cum eo tamen potest dispensare Episcopus quandiu ille nõ ministravit vel in ordine suscepto, vel omisso: nam si ministravit, ex contracta irregularitate casus Papalis manet. Vide *Suar. tom.* 5. *de cens. disp.* 31. *sec.* 1. *n.* 44. *Initiari per saltũ.*

3 Est *initiari sine dimissorijs.* Nam juxta *Navar. c.* 25. *n.* 70. & *Toletum l.* 1. *c.* 48. *per Extrav. Pij* 2. quæ incipit *cum ex sacrorum*, qui initiatur sine dimissorijs, seu reverenda, atque adeo sine licentia Ordinarij peccat lethaliter, & manet suspensus, proindeque si in tali ordine ministret, irregularitatem Papalem contrahit. *Initiari sine licẽtia & furtivè.*

4 Est, *se furtivè ingerere ad ordines.* Qui enim se ingerit ad suscipiendos ordines sacros contra prohibitionem Episcopi, peccat lethaliter: deinde si prohibitio est sub pæna excommunicationis latæ sententiæ, manet excommunicatus & irregularis, & solus Papa dispensare potest. Illud observa in prædictis reservari ab Ordinario solã culpam nulla habita ratione censurarum. Vide *tract.* 42. *de sacramento ordinis.*

Decimus quartus casus est, *Facere scripturam falsam, aut illa uti, vel aliqua falsificata.* Intelligitur intervenìente, qui peccat, in falsitate vel in usu illius, *Falsificatio scripturæ ad reservationẽ.*

illius, itaut detur peccatum mortale: secus, si veniale sit, quod potest accidere vel ex imperfectione actus, vel ex parvitate materiæ. Vide quæ fuse tractat *Suar. de cens. disp.* 21. *sec.* 1. exponens sextam excommunicationem Bullæ cœnæ.

Sigilli fractio ad reservationē. Decimus quintus casus est *Sacerdotem revelare sigillum confessionis.* De sigillo cōfessionis quoad essentiam, obligationem, & omnes difficultates, quæ poterunt inservire ad explicandum præsentem casum, agemus infra sect. 7. hujus tractatus: modò observari debent duo, alterum sacerdotē solum qui audivit confessionem, & fregit sigillum, incidere in reservationem hujus casus, & non alias personas, quæ forte manifestarunt. Quia (ut tenent *Suar. de pæn. c.* 26. *n.* 11. & *Bonac. de sacr. d.* 5. *q.* 6. *p.* 2. *sec.* 5 *n.* 1.) obligatio servandi sigillum cadit in talem sacerdotem magis proprio & stricto modo, quàm in alios: & prælatus reservans solum nominat sacerdotem. Alterum est confessarium frangentem sigillum peccare non solum contra justitiam cum obligatione reparādi damnum, sed etiam contra religionem, & cōmittere sacrilegium grave, etiam si detegat unicū peccatum veniale, proindeque habere casum reservatum.

Solicitatio ad turpia reservata. 1245 Decimus sextus casus est, *Solicitare in confessione vel occasione illius; cujus cognitio spectat privativè ad Sanctum officium.* De solicitātibus ad turpia in confessione agemus infra sec. 8. modó pro explicatione reservationis, Emman. Laurent. c. 3. §. 7. n. 8. dicit. 1. esse reservatam solicitationem in confessione tum ex parte confessoris, tum ex parte pænitentis, v. g. ex parte confessoris, quanvis non sequatur effectus & ex parte pænitentis, si consentiat solicitationi. Oppositum retiùs sentit *P. Abreu l.* 10. *c.* 10. *n.* 362. *de solo* vero confessore esse intelligēdum. Dicit. 2. confessarium qui solicitavit pænitentem ante, aut post confessionem extra confessionarium, non habere casum reservatum, quanvis ex auditis in confessione occasionem ceperit ad solicitandum. Hæc ex *Emman. Laurent. c.* 3 §. 7. *n.* 8. quibus addo, sicut postulatur ad reservationem. quód solicitationis cognitio spectat ad S. Officium, ita a reservatione deficere quando a tali cognitione deficit.

Circa ultimos duos casus, decimum quintum & decimum sextum, est vulgare dubium, quomodo possint dici reservati, si solum committi possunt a sacerdotibus confessarijs, vel frangentibus sigillum, vel solicitantibus; cum nulla videatur dari reservatio casuum Episcopalium in diœcesi Ulyssiponensi, circa tales sacerdotes confessarios: si quidem juxta *Constitut. l.* 1. *tit.* 10. *Decreto* 3. *s.* 1. *ad fin.* omnes sacerdotes vel alij clerici habentes ordines sacros, possunt absolvi a prædictis casibus, sicut & ab alijs synodalibus, per quemlibet confessorem sæcularem, vel regularē qui de facto est, vel aliquando fuit approbatus in Ulyssiponensi diœcesi. Respondeo ad veram religionem sufficere quód detur limitatio, seu coarctatio jurisdictionis commissę sacerdotibus inferioribus, ut diximus in *Elucid. n.* 1624. quanvis postea concedatur facultas generalis, vel particularis ad absolvendum. Accedit 1. dari opinionem prædictos illos duos casus fractionis sigilli, & solicitationis etiam cadere in laicos. Accedit 2. citatam Const. coarctare illam facultatem absolvendi ad solos sacerdotes semel approbatos in diœcesi Ulyssiponensi. Unde quicunque alius etiam approbatus in alijs diœcesibus, non poterit absolvere ex vi constitutionis: quidquid sit de usu, si detur in contrarium legitimé præscriptus.

QUÆSTIO X.

Quinam sint alij casus explicandi præter explicatos, in alijs diœcesibus Lusitaniæ?

AGgredimur explicationem casuum reservatorum, qui dantur in alijs diœcesibus hujus regni: sed ne actum agamus, monemus nobis tantum sermonem fore de illis casibus, qui non coincidunt cum explicatis quæstione proxima, nisi aliquid peculiare contineant. Unde singulas diœceses suo ordine percurremus, & qui in unaquaque non invenerit casum, cujus explicationem desiderat, inter Olyssiponēses explicatum quærat.

Rogabis 1. quid de casibus reservatis in diœcesi Bracharensi? Unicum invenio a nobis in superiori quæstione nullo modo explicatum, scilicet *commutationem votorum quorumcunque.* De cōmutatione votorum satis egimus *tract.* 31. *sect.* 6. *n.* 503. ex quibus petenda est exactior præsentis casus explicatio. Modo dicimus fore casum reservatum commutationem quorum libet votorum peccaminosām lethaliter. Unde casum reservatum habet confessarius qui absque prælati commissione, & absque privilegio commutat votum quodlibet. Quia tunc non solum agit illicité, sed etiam invalidé utpote operans sine jurisdictioné, etiam in articulo mortis. Quia tunc solum tollitur reservatio rerum, quæ possunt impedire salutem, quales censuræ & peccata, non veró eorum quę cum salute stare possunt qualia vota reservata cum sua omni vi obligandi. *Commutatio votorum ad reservationem.*

Adverte tamen posse confessarium absolvere a peccato commisso contra votum, & si unum ex reservatis per Pontificem. Quia ibi solum reservatur cōmutatio votorum, & non peccatum contra votum.

1246 Rogabis 2. quid de reservatis in diœcesi Eborensi? In diœcesana synodo, quæ fuit celebrata anno 1569. videri possunt nonnulla quæ circa casus reservatos declarata fuere. Interim nota 1. ut sit casus reservatus juramētum falsum in judicio, debere intervenire damnum tertij sine quo nulla erit reservatio. Pro damno intellige quidquid ex justitia debetur parti læsæ ante sententiam, non veró pœnam pecuniariam, qua publicanus privatus fuit. Nota 2. ut sit casus reservatus retinere alienū, cujus dominus ignoratur, debere quantitatem esse tria millia teronciorum cum ijsdem declarationibus quas tradidimus n. 1241. *Iuramētum falsum cū damno.*

Nota 3. circa decimas non solutas, ut detur reser-

reservatio, debere quantitatem excedere duos aureos: quod si non excedat, confessor faciet debitum illud solvi creditori, & pœnitentem absolvet: præsumens autem aliter absolvere, manebit ligatus excommunicatione maiori. Nota 4. imponi sponsis, ut solvant duo millia teruncio-rum, si cohabitaverint, ante quam celebrent matrimonium. Quid autem sit cohabitare, vide *in Elucidar. n. 1971.*

Copula inter sponsos ad reservationẽ. Rogabis 3. quid de reservatis in diœcesi Conimbricensi? Præter nonnulla a nobis quæstione superiori declarata, reservatur in hac diœcesi copula inter sponsos de futuro juratos, vel inter conjugatos antequam recipiant benedictiones. Requiritur tamen quód cupula sit consummata, & quod tam sponsalia, quam matrimonium illud ratum fuerint legitima & valida. Fertur tamen sublatam jam esse hujusmodi reservationem. Circa decimas non solutas, quantitas debet excedere ducentos teruncios: & imponitur excommunicatio ipso facto confessori absolventi talem debitorem qui nondum satisfecerat. Eadem imponitur absolventi a casu aliquo reservato sive per sedem Apostolicam, sive per diœcesanas constitutiones.

1247 *Parochus cõmittẽs reservatum.* Rogabis 4. quid de reservatis in diœcesi Ægitanensi? Est in hac diœcesi specialis, & nõdum explicata reservatio peccati, quod committit parochus aut confessor retinens alienum, cujus dominus ignoratur, & ipse ab alio accepit, si intra mensem non tradiderit personæ ad id munus deputatæ juxta constitutiones. Nota 1. ut sit casus reservatus, debere quantitatem excedere quingentos teruncios: nam infra hujusmodi quantitatem. Constitutio dat facultatem ut pro arbitrio distribuat. Nota 2. ut detur reservatio, postulari negligentiam lethaliter culpabilem non tradendi intra mensem, proindeque ex impotentia excusabitur. Nota 3. quanvis datis omnibus requisitis incurrat reservationem, hanc cessare quoties dicta quantitas legitimè tradita fuerit.

Rogabis 5. quid de reservatis in diœcesi Portuensi? Habent casum reservatum venefici, & divinatores publici, nempe quorum peccata sciuntur ab aliquibus personis. Est autem divinatio prænunciatio rerum occultarum, quæ humano modo cognosci non possunt, facta ope dæmonis. Hæc in dicta diœcesi tunc erit reservata, quando fuerit publica, vel (si attendamus verba constitutionis) quando fuerit cognita a paucis personis. Adverte in casu retinentis alienum, cujus dominus ignoratur, quantitatem reservatam esse quæ excedit quingentos teruncios: in casu decimarum non solutarum, esse ducentos teruncios excedentem.

Mutilatio mẽbri ad reservationem. Rogabis 5. quid de reservatis in diœcesi Visensi? Omissis casibus, quos jam exposuimus in Ulyssiponensibus, & commutatione votorũ in *Bracharensibus n.* 1245. in hac diœcesi est casus specialiter reservatus mutilatio membri. Quid sit membrum, satis diximus in Elucid. n. 265. & 903. ubi de mutilatione. Modó dicimus membrum esse partem corporis, quæ habet distinctũ officium, qualis pes, manus, oculus. Dubitatur de digito: nam aliqui probabiliter affirmãt, alij probabiliter negant. Unde ex tali dubitatione casus reservatus non est digiti mutilatio. Vide *Dian. 2. p. tr. 1. resol. 20.*

1248 *Membri debilitatio.* Idem dicendum est de eo qui membrũ debilitavit: quia debilitare, mutilare seu amputare non est. Idem de mutilante in propriam defensionem, utpote justam: item de mutilante injustè, sed impropriè scilicet per consilium, mãdatum, exhortationem, vel coactionem. Quia verba reservantis accipi debent in omni rigore proprietatis. Nota 1. in casu habendi alienũ, cujus dominus ignoratur, quantitatem esse quæ excedat ducentos teruncios: & in casu decimarum, quæ excedat centũ teruncios. Nota 2. Prælatum in hac diœcesi dare facultatem cuilibet confessario ad absolvendum ab omnibus casibus reservatis per jus commune, non veró per peculiare constitutionis.

Ætatis defectus ad reservationẽ. Rogabis 6. quid de reservatis in diœcesi Portalegrensi? Præter explicata, & casum commutationis votorum, de quibus proximè, habet hunc specialem, scilicet initiari sacris ordinibus absque legitima ætate. Qui enim scienter absque legitima ætate initiatur sacris ordinibus, habet casum reservatum, & per jus commune manet suspẽsus ipso facto, *Extrav. Cum ex sacrorum Pij II.* Secus si bona fide, & ignorantia probabili, vel nõ crassa. Quia tunc excusatur a culpa, & suspensione. Hic veró post ordines receptos si sciens defectum ætatis, celebret in illis, peccabit mortaliter: at post ætatem legitimam, poterit celebrare licitè absque ulla licentia: Vide Dianam p. 3. tr. 2. resol. 182.

1249 *Portalegum siũ casus.* Circa alios casus a nobis jam explicatos, sunt in hac diœcesi multa notanda specialiter. 1. in casu veneficiorum illum qui petijt veneficia, & illis usus non fuit, carere reservatione, quia constitutio in his verbis *pedilos, e uzar delles*, utrunque exigit. 2. in casu juramenti falsi in judicio, & falsificandi scripturam, eaque utendi, evadere reservationem, qui per ea nullum damnũ intulit. 3. in casu homicidij voluntarij habere reservatum, etiam qui mandat: non ita si mandati revocatio data & intimata fuit, etiam si mandatarius occidat. 4. habere reservatum, qui fuit initiatus patrimonio ficto obligatus illud restituere post susceptos ordines. Item qui non habens sufficiens patrimonium; falsis testibus probat se habere.

5 Habere reservatum sacerdotem solicitantem in confessione, etiam sine effectu, & pœnitentem qui solicitationi consensit: secus si extra confessionem, etiam si occasione illius. 6. in casu habendi alienum domini ignorati quantitatem esse unum aureum: in casu non solutarum decimarum quantitatem esse quæ excedat unum aureum.

Simonia ad reservationẽ. Rogabis 7. quid de reservatis in diœcesi Elvensi?

versi? Præter alios casus, quorum explicatio ex dictis constat, peculiariter reservatur 1. peccatum illius, qui publicum excommunicatum scienter in loco sacro tumulat. Secus dicendum de tumulante toleratum. 2. peccatum Simoniæ, de qua satis egimus integro tract. 3. & debet intelligi de simonia reali perfecta, non verò de mentali, vel imperfecta, quandiu prælatus oppositum nõ declaraverit. Unde non habet reservatum qui recepit pretium, & non dedit beneficium: item qui cedit beneficium, & non recepit pretium Quia tunc non est simonia perfecta, seu ex utraque parte completa. In casu non solvendi decimas quantitas est excedens ducentos teruncios, seu duos tostones: in casu retinendi alienum domini ignorati, quantitas excedit duo millia teruncioium.

1250 Rogabis 8. quid de reservatis in diœcesi Lamecensi? In hac diœcesi circa casuum reservationem nonnulla sunt peculiaria. 1. quód non invenitur reservatus casus non solvendi decimas. 2. quód reservatur casus illorum, quorum negligentia non solum filij, sed etiam famuli, inveniuntur suffocati. 3. quód reservetur non solũ scripturę falsificatio, sed quæcunque falsitas. 4. quód hujusmodi casus falsificationis solum sit reservatus in eo qui falsificavit, & non in eo qui falsificatione jam facta usus est. Quantitas habẽdi alienum, cujus dominus ignoratur, excedere debet unũ aureum.

Falsificatio ad reservationem.

Rogabis 9. quid de reservatis in diœcesi Funchalensi, seu Insulæ Materiæ? Ut perstringamus specialia circa reservationem in hac diœcesi, imprimis non reservantur matrimonia clandestina: deinde reservatur ferre pretium pro confessione ubicunque fiat, & comprehendit tam cõfessorem accipientem, quam pænitentem dantẽ: requiritur tamen quòd tale pretium accipiatur in eodem loco ubi fit confessio. Semper tamen lethale peccatum intervenire debet. Unde non dabitur reservatio, si accipiatur aliquid a pęnitẽte sponte oblatum non in pretium confessionis, sed in eleemosynam confessoris. Quia hoc licitũ est, & tã Romæ, quâm multis alijs in locis practicatur. Attendenda tamen sunt verba reservationis, & intentio pręlati reservantis.

Pretium pro confessione.

Confessoris eleemosyna.

In casu habendi alienum cujus dominus ignoratur, reservata quantitas excedere debet sexcentos teruncios: quos si nõ excedat, poterit absolvi dummodo tradat pecuniam, vel pignus ad fabricam Ecclesiæ, cujus parochianus fuerit. In casu decimarum, quantitas excedere debet trecentos terũcios: quos si non excedat, poterit absolvi, dummodo satisfaciat creditori.

Quid de diœcesibus Algarbiensi; Mirandensi, Leyrinẽsi Angrensi, Brasiliensi, Angollana? quid de Ecclesijs Cratensi & Thomatiensi, quæ nullius diœcesis sunt? Vide quæ Sapiẽtissimus Doctor, & Magister quondam meus Sebastianus de Abreu diligenter scripsit in suo Parocho lib. 10. sect. 3. Ego brevitatis amans parco expositioni reservatorum in dictis ecclesijs: quia vel coincidunt cum jam expositis vel ipsorum expositio facilé peti potest a virtutibus & vitijs contrarijs quæ in hac nostra summa exponuntur.

Rogabis 10. qui possint absolvere a prædictis reservatis. Iam egimus de ijs qui possunt directe absolvere a reservatis quæst. 3. Item quid possint regulares circa casus Episcopo reservatos, quæst. 4. & quid habeatur in diœcesi Ulyssiponensi. Modó ex traditis per *Bapt. Fragosum p. 2. l. 8. d. 19 §. 3. n. 12.* addendum est 1. juxta constitutiones synodales *tit. de Sacramento confessionis* sacerdotes posse absolvi a reservatis per quencunque sacerdotem secularem, vel regularem approbatũ ab Ordinario, nisi incurrerint excommunicationẽ maiorem: quia ab hac solus Episcopus, vel alter de illius licentia absolvere potest. Dictum privilegium solis conceditur sacerdotibus, & non alijs clericis, etiam diaconis beneficiatis.

Absoluti a casibus Episcopalibus.

Addendum est 2. a reliquis casibus jure reservatis Episcopo ex constitutionibus synodalibus hujus regni non posse absolvere quoscunque sacerdotes, sed illos tantum qui fuerint Priores, Abbates, Rectores, aut Curiati, nisi praxis & usus sit in contrarium: nam constitutiones hoc privilegium solum indulgent habentibus animarũ curam.

SECTIO VII.

De ministro pænitentiæ quoad suas omnes obligationes.

QUÆSTIO I.

Quãdo & qualiter teneatur minister audire confessiones & an possit absolvere existentem in occasione peccati?

1251 Prior quæstionis pars non procedit de obligatione, quæ oriatur ex charitate, voto, aut juramento, sed de illa quæ oritur ex justitia. Certum est 1. Episcopos, & alios superiores prælatos non teneri communiter per se ipsos audire confessiones, cum ad multa alia debeant attendere: tenentur tamen quando ad id gravis urget necessitas. Certum est 2. parochos teneri ex justitia ad subditos audiendos, quando illi tenentur confiteri. Nam ad hoc saltem ex officio deputantur.

Episcopi ad audiendas cõfessiones.

1 Difficultas est utrũm parochus citra casum necessitatis teneatur aliquando ex justitia subditorum confessiones audire? Negant *Sylvest. V. confessor 1 n. 14. Ioan. Medina C. de confess. q 37. & Reginal. tom. 1. l. 1. c. 8. n. 81.* dicentes solum obligari ex justitia quando parochianus tenetur confiteri, nempe semel in anno, & in mortis periculo. Addit Reginal. teneri etiam quando confessio foret medium necessarium ad vitãdum lethale.

Parochus ad cõfessiones audiẽdas.

Affirmandum tamen est cum *Vasq. q. 93. a. 3. dub. 6. n. 3. Suar. d. 28. sect. 1. n 3. Bellano d. 8. dub. 17. n. 129. & Lugone d. 22. n. 2.* Ratio est quia frequẽtia sacramentorum, pręcipué Eucharistiæ & pænitentiæ valde conducunt ad profectum in via salutis: parochus autem ex pacto tacito recipiẽs sti-

stipendium nō solum tenetur succurrere ovibus egentibus, sed non impedire, imo procurare earum profectum ad salutem; acproinde confessionem opportune petentibus. Cēsetur vero petere opportunè qui est in gravi tentatione, qui vult jubilæum lucrari, vel iter longum arripere.

Quid si parochiani petant frequenter confessionem, v.g. singulis mensibus, aut hebdomadis, idque devotionis causa? Benè respondet *Lugo n. 7.* tunc obligationem audiendi metiendam esse ex varijs circunstantijs, v.g. ex frequentia populi confluentis, ex dato & accepto stipendio, & ex alijs negotijs ad parochi officium & vitam necessarijs, ut scilicet teneatur, vel non teneatur omnes audire. Notat *Suar. disp. 32. sect. 1. n. 5.* nō semper parochum peccare graviter quando negat, aut differt opportunè petentibus. Quia levitas materiæ sæpe excusat.

1252. 2 Difficultas est utrum teneatur sub lethali confessarius absolvere pœnitētem benè dispositum, postquam illum semel audivit? Certum est teneri quando moraliter certus est de sufficienti dispositione pœnitentis. Dubium est, quando pœnitens adhæret opinioni, quæ est contra opinionem sacerdotis? *Angelus Sylvester, Conrad.* apud *Sanchez. 1. Dec. c. 9. n. 27.* distinguunt inter confessarium proprium & delegatum, quasi ille, & non hic debeat se conformare. Affirmandum tamen absolutè est cum eodem *Sanch. n. 28. Salas 1. 2. tr. 8. d. un. sec. 11. a. n. 82. & Suar. d. 32. sec. 5. n. 3.* tam de proprio quam de alieno sacerdote, quando pœnitentis opinio verè probabilis est. Nam adhærens opinioni probabili rite dispositus censetur.

Absolvēdi obligatio.

Quid si confessarius reputet illam opinionē pœnitentis improbabilem, vel falsam, quę ī, si pœnitenti probabilis videtur? *Palatinus dist. 17. disp. penult.* dicit si confessarius tunc nequeat convincere pęnitentem, & persuadere ei suam sententiam, debere illum absolvere, si sit parochus, si autem sit delegatus, tunc solum, quando non est in præjudicium tertij. Dicendum tamen cū *Valent. tom. 3. disp. 5. q. 7. pun. ult. & Sanch. cit. n. 30.* confessarium solum debere se conformare opinioni pœnitentis, quę absolutè probabilis est, & talis reputatur inter authores probatæ authoritatis, quanvis confessarius illam improbabilem reputet. Tunc enim debet practice deponere suum judicium, & se conformare pœnitenti ut potē rite disposito: secus si pœnitens ex errore probabilem crederet, v.g. usuram, aut simplicem fornicationem esse licitam.

Opinio pœnitentis ut absolvatur.

Tenebitur igitur confessarius in hoc eventu instruere pœnitentem de veritate, & si ipse non acquiescat, censebitur indispositus, cum jam deinceps vincibiliter ignoret. Observa tandem, quanvis *Montesinus 2. tom. 1. disp. 62. c. 7. n. 40.* dicat obligationem illam se conformandi cum opinione probabili pœnitentis esse levem, verius esse quod docent *Sanch. n. 29. & Suar. sec. 5. n. 2.* esse gravem, nisi constet levitas materiæ: affirmāt autem dari levitatem materiæ, quando confessio est de solis venialibus, aut ita brevis, & de tali materia, ut ejus repetitio apud alium confessariū non reputetur grave onus.

Conformatio cum opinione pœnitentis.

1253. 3 Difficultas est quoad alteram quæstionis partem, utrum possit cōfessarius absolvere pœnitentem, qui est in occasione proxima peccandi, prius quàm illam relinquat? Occasio proxima illa dicitur, quæ ex suo genere talis est, ut frequenter homines similis conditionis ad peccandum inducat ut experimento constet similem effectum in tali homine habere. Quæcunque alia occasio remota appellatur, & absolutionem non impedit.

Occasio proxima peccandi.

Dico 1. Quando pœnitens confitetur prima vice, nec adhuc deprehensus est infidelis & inconstans in proposito non peccandi, vel relinquendi proximam occasionem, nec ex alijs conjecturis datur suspicio prædictæ infidelitatis, cōfessarius potest illum absolvere priusquam relinquat talem occasionem si promittat eam statim relinquere. Ita *Suar. d. 32. sec. 2. n. 3. & Lugo d. 14. n. 151.* Ratio est, quia videtur dispositus, nec obligatus ad relinquendam statim occasionem, sed tempore opportuno.

Dico 2. quando pœnitens jam infidelis & inconstans deprehensus est in promissione facta, vel datur probabilis suspicio inconstantiæ & talis proxima occasio illi voluntaria est, non debet priùs absolvi extra casum necessitatis, quàm illam relinquat. Ita *Suar. d. 32. sec. 2. n. 3. & Lugo d. 22. n. 150.* Patet quia non est sufficienter dispositus ad absolutionem, qui voluntariè manet in morali periculo culpæ lethalis. Suppono noluisse adhibere media jam a confessario inculcata, v.g. nunquam solum cum fœmina domestica futurum, vel loquuturum, imò ejus aspectum sēper pro viribus vitaturum.

Dico 3. Quādo pœnitēs est in occasione proxima involūtaria, quam scilicet vitare nō potest sine scādalo, aut infamia, aut alio gravissimo dāno, absolvendus est, quanvis credatur iterum casurus, præsertim si detur spes aliqualis emendæ, seu non ita frequentis lapsus. Ita *Suar. n. 4. & Lugo n. 152.* Sumitur ex *c. consultationi, de frigid. & malefic.* & ratione, quia tunc necessitas facit ne ille reputetur velle occasionem, acproinde periculum peccati. Apponitur pro exemplo filius familias habens in eodem domo occasionem cū ancilla, aut frater cum sorore, & sic de alijs.

Occasio proxima involuntaria.

Negatio absolutionis.

1254 Dubitabis 1. an si in casu præcedentis resolutionis nulla detur probabilis spes aliqualis emendæ, seu lapsus minus frequentis, absolvi debeat? Negant *Suar. sec. 2. fin. & Regin. in praxi tom. 1. l. 8. n. 19.* Affirmant *Ioan. Sanch. in select. d. 10. n. 16. & Lugo disp. 14. n. 158.* Mihi imprimis videtur omninò esse absolvendum, si probabiliter timeatur quód pœnitens ea occasione relicta deventurus sit in alias peiores, vel quod ea retenta, ex negatione absolutionis frequentius peccaturus. Deinde absolutè adhereo authoribus affirmantibus. Ratio est, quia cum tali defectu emendæ stare potest verus dolor, & propositum efficax:

efficax: siquidem omnes illud admittunt cum certitudine morali lapsus futuri frequentis.

An tunc possit differri absolutio? Negat *Ioan. Sanch. in select. disp. 9. a. n. 6.* Cui ego assentior, modò pœnitens pro tunc judicetur sufficienter dispositus, & ex dilatione absolutionis timeatur illi damnum potiùs spirituale, quam speretur utilitas. Absoluté tamen affirmandum est posse differri ex causa rationabili. Nam confessarius est judex qui proinde arbitrari potest quando & quomodo utiliùs sententia proferri debeat. Accedit, quód confessarius, ut ex communi tradit *Bonac. de pæn. disp. 5. sect. 3. punt. 2. n. 20.* aliquando potest obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam ante absolutionem, & hoc semper factum fuisse apud Græcos testatur *Nicephorus l. 11. cap. 26.*

Absolutionis dilatio.

Dubitabis 2. an reputetur occasio proxima proindeque vitanda illa, quæ non est ad peccatū grave determinatum, sed indeterminatum, v.g. familiaritas cum Petro viro scelerato, & inducēte modó ad hoc modó ad illud scelus? Vidētur negare *Suar. d. 35. sec. 3. n. 10. & Filliuc. tr. 7. n. 40.* quatenus negant dari posse occasionem proximam ad peccatum in communi. Hoc tamen latè & bené impugnat *Lugo d. 14. a. n. 162.* rectè sequens partem affirmativam. Quia non minor, imó maior apparet obligatio vitandi periculum peccati indeterminati quam determinati: cū per illud exponatur homo graviori damno, quam per hoc. Deinde occasio non dicitur proxima, quod inter ipsam & peccatum nihil mediet, sed quia inter ipsam, & certitudinem peccati futuri nihil mediat: qualis familiaritas dicta.

QUÆSTIO II.

Utrùm, & quænam sacerdos teneatur pœnitenti rogare?

1255 MOnent Summistæ debere confessarium ante confessionem in particulari pœnitentem interrogare, an suam conscientiam diligenter examinaverit: an injunctam satisfactionem impleverit: an dolorem & propositum requisitum afferat: an debeat restitutionem alicui: an habeat casus reservatos, an sit excommunicatus, & qua excommunicatione. Rectius *Suar. d. 32. sec. 3. n. 1. & Lugo d. 22. n. 14.* dicūt hujusmodi interrogationes ut plurimū esse inutiles, præsertim si fiant pœnitenti docto. Iudicat tamen Lugo citatus utilissimum quod pœnitens ignotus interrogetur de tempore elapso ab ultima confessione.

Interrogationes per confessariū.

Certum est 1. si confessario non appareat sufficiens pœnitētis dispositio, quæ constat ex dolore debito, & accusatione integra, teneri eam interrogationibus explorare, & rationibus suadere, antequam absolvat. Certum est 2. inter confitendum opportuniùs fieri nōnullas interrogationes, eas veró non licere, quæ impertinentes sunt, vel pœnitentem turbant. Illud credo magis opportunum, & a prudente confessario omninó observandum, quod reprehensiones ad finem reserventur, ne pœnitentem intercipiant, & quādoque plura & graviora dicere conantem impediant.

Reprehensiones per confessariū.

Nota cum *Suar d. 32. sect. 4. n. 4.* parochum nō debere communiter remittere pœnitentes, ut amplius se examinent. Quia ipsi frequentissimé sunt incapaces ad hoc præstandum per se ipsos sine ope & auxilio confessoris, ad quod ferendum tenetur parochus tanquam judex & medicus. Sacerdotes alij minús obligantur: tamen non debent facile pœnitentes ad id remittere. Nota 2. cum *Petro Soto sect. 10.* si pœnitens non patiatur se ampliùs examinari, & interrogari dicens se esse sufficienter confessum, esse absolvendum, nisi aliunde videatur id timere dicere, & defectuosus in confitendo.

1256 Maius dubium est, an quando confessario constat pœnitentem sufficienter examinasse suam conscientiam, & nihilominus peccatum aliquod omittere, teneatur eundem monere & interrogare? Negat ex parte *Medina c. de cōfess. quæst. de confess. dimid.* quatenus dicit in prædicto eventu non teneri confessarium monere, nisi peccatum sit in damnum tertij. Affirmandū tamen absoluté est cum *Suar. d. 32. sec. 3. n. 7. Vasq. cit. n. 3. & Lugone d. 22. n. 17.* Nam confessarius, cū sit judex, tenetur facere quod moraliter potest, ut omnis causa sibi innotescat.

Quid quando confessarius novit pœnitentem habere peccatum, quod interrogatus negat? *Megala 1. p. lib. 1. 1. c. 2. n. 12.* illum absolvēdum absoluté affirmat. Alij absoluté negant. Dico 1. quādo confessarius novit peccatum certitudine non omnimoda sed cum aliquali formidine, vel ex relatione aliorum, debet absolvere pœnitentem. Ita *Suar. d. 32. sec. 3. n. 9. & Lugo d. 22. n. 21.* Nam confessarius tenetur plus credere pœnitenti, quā alijs: est enim in foro sacramentali legitimus testis. Dico 2. si peccator evidenter cognoscat peccatum, quia illud vidit, & evidenter sciat non esse confessum, nec posse dari causam excusantē a confessione, tenetur pœnitentem non absolvere. Ita præter citatos *Henriq l. 6. c. 20. n. 6. & Fagund l. 6. de 2. præc. Eccl. c. 4. n. 38.* Quia tunc confessario patet manifeste indispositio pœnitentis.

Pœnitens quis negat.

QUÆSTIO III.

Qualiter se gerere debeat confessarius erga pœnitentem, qui ignoranter est in statu peccati, & nihil interrogat?

SI loquamur de confessario Principis sive laici sive Ecclesiastici, quem scit non satisfacere suo officio in damnum boni communis, v.g. in subditorum gubernatione, electione, aut beneficiorum collatione, rectè docent *Lugo de pæn. d. 22. n. 37. & Busenbus in medula lib. 6. trat. 4. cap. 2. dub. 5. n. 8.* regulariter teneri confessarium illum monere de sua obligatione: alias si absolvat, suis humeris peccata illa imponet, & cæcum cæco ducente, ambo ruent in foveam Gehennalē. Quia ibi raró datur ignorantia invincibilis, & semper datur scandalum, mala manque publicum. Addunt citati, si confessarius videat ignorantiam esse invincibilem, neque ex illa sequi scandalum, aut dam-

Ignorantia pœnitentis tollenda per confessariū.

damnum commune: contrà vero admonitioné fore in maius malum pœnitentis vel allaturam incommoda, posse dissimulare, nisi interrogetur.

Si loquamur de confessario privatorum, casus duplex afferri solet alter, si ignorans retineat alienum: alter, si ignorans sit invalidè conjugatus. Certum est 1. pœnitentem qui vincibiliter ignorat, esse omninó monendum, & nullo modo absolvendum, si monitis non acquiescat, ut pote indispositum. Certum est 2. si invincibiliter, adhuc non posse confessarium mentiri, nec pœnitentem in suo errore positive cõfirmare. Quia hoc est intrinsecé malum.

1257. Certum est 3. confessarium interrogatum a pœnitente de sua obligatione non posse dessimulare & tacere, ne sua taciturnitate in errore confirmet: præsertim quia ad judicem, doctorem, & medicum spectat interroganti verum aperire.

Quid si interroget non ex vero dubio, sed ex mero escrupulo? Respondet *Sanch. lib. 2 Matr. d. 38. n.* 14 posse tunc confessarium tacere, vel, respondere quód deponat scrupulum. Oppositum tenet Lugo d. 22. n. 29. quia illa taciturnitate, vel responso confirmabitur in errore. Mihi videtur tunc consultius esse, si fingat se non audijsse, vel non attendisse, vel responsionis oblitum esse.

Difficultas est utrum confessarius teneatur monere pœnitentem, qui in errore aut ignorantia invincibili est, & nihil interrogat? Dico 1. si confessarius speret se monitione sua profuturum & aliunde nõ timeatur damnum, tenetur monere. Ita *Valent. d 7. q. 10. p. 4. Sua. d. 32. sec. 4. n. 3. & Bellar. dub. 7. n.* 136. Ratio est, quia ad pastorem & doctorem, quorum officia agit confessarius, pertinet tollere pœnitentem ab statu de malo etiam materialiter, & instruere de legũ observatione. Addit bene *Lugo n.* 27. posse monitionem differri, si melior speretur opportunitas. Idem n. 31. resolutionem extendit ad casum, in quo dubitetur de profectu, etiam cum timore minoris damni.

Monitio confessarij.

Dico 2. quando non speratur fructus, sed potius timetur maius malũ pœnitentis, qui v.g. antea erat in peccato materiali, postea maneb it in formali monendus non est. Ita citati authores. Sumitur ex *cap. quia circa, de consang. & affinit.* ubi. Innocent. 3 præcipit pro vitando scandolo dissimulare cum quibusdam, qui invalide, sed bona fide matrimonium contraxerant. Nam medicus tenetur abstinere a remedio, quod scit non profuturum, & posse nocere. Neque obstat damnum tertij, v.g. cui non restituetur: quia ut creditur, etiam facta monitione restitutio nõ dabitur.

1258. Dico 3. Fieri non debet monitio etiam cum spe fructus ex parte pœnitentis, si timeatur damnum tertij, v.g. filij concepti ex antiquo, sed invalido matrimonio, aut si timeatur scandalum. Ita citati authores. Patet, quia ejusmudi mala sunt maiora quam illud peccatum materiale quo Deus formaliter non offenditur. Quid si ignorantia illa invincibilis officeret bono publico, v.g. pœnitens ex silentio confessarij inferret aliquam hæresim: ut si parochus habens invincibiliter errorem contra bonos mores tibi confiteatur, aut ex ipsius confessione deprehendas ipsum non esse Sacerdotem: aut sit publica fama de nullitate matrimonij. Bené resolvit *Lugo n.* 30. tunc monendum pœnitentem etiam si cõfessarius non speret fructum a pœnitente. Quia bonum publicum, cui prodesse poterit illa monitio, præponderat privato bono pœnitentis.

Taciturnitas cõfessarij contra bonum publicum.

Dubium est 1. utrum si ille qui invincibiliter malé conjugatus est, interroget confessarium, an votum castitatis impediat illi reddere debitum, possit responde, non impedire? Videtur ex parte negace *Sotus in 4. dist. 18. q. 2. a. 4.* Affirmandum tamen obsolutè est cum *Sanch. lib. 2. Matr. d. 38. n. 8. & Suar. d. 32 sec. 4. n. 2.* Quia confessarius ita respõdens verum profert. & aliunde non tenetur respondere nisi ad rogata: alia verô potest, & debet permittere. Addunt si talis conjugatus accuset se de peccato non redendi, & roget an teneatur reddere? Debere confessarium illi respondere, quod teneatur.

Confessarius in monendo invalidè conjugatus.

Dubium est 2. an in casu quo confessarius tenetur permittere invincibilem illam ignorantiam, & prævidet alium paulo post indiscreté moniturum, possit talem monitionem anticipare prius monendo? Negat *Sanch. cit. n.* 13. Affirmat *Lugo n.* 28. uterque benè in suo sensu, & a nobis conciliandus. Nam Sanch. bené negat, si quæstio procedat per se loquendo: neq; enim alterius inprudentia præsertim illicita reddit mihi licitam anticipationem ejusdem actus idem et damnum inferentis: v.g. ex eo quód quis certó alium occisurus est, non mihi licet anticipare occisionem. Deinde Lugo benè affirmat loquendo per accidens, nempe in casu, quo confessarius prudentiùs moneat, & sic melius incomodis provideat. Quia sic rem pœnitentis utiliùs aget monendo, quam tacendo.

QUÆSTIO IIII.

Ad quid teneatur confessarius post cõfessionem quãdo deprehendit in eadem fuisse errorem cõmissum?

1259. PRænotandum est potuisse in cõfessione cõmitti defectum seu errorem ex culpa gravi aut levi sacerdotis, vel absq; illa: item commissum errorem vel fuisse circa substantiam Sacramenti, si v. g. defuit jurisdictio, vel intẽtio vel forma ex parte absolventis, aut dispositio vel requisita materiæ integritas ex parte pænitẽtis: vel fuisse circa accidẽtia, v.g. circa obligationes ipsius pænitentis, quem cõfessarius non monuit ut restitueret: & sic de alijs.

Confessarijs obligatio post absolutionem.

Quæritur an confessarius teneatur tunc monere pænitentem pro tollendo errore? Negant. *Sylvest. 2. confessor 3. & Navarr. in summa. c. 26. n.* 14. Affirmat *Sotus dist. 18. q. 4. a. 6. & orduba in Sumã Hispan. q. 7.* et quidem, si supplementum ac monitio cõmodé fieri possit, & ex hoc neq; grave

damnum,

damnum, neq; scandalum sequatur, certam judico affirmativam sententiam. Quia nemo dubitat teneri judicem, si commodè possit, emendare sententiam, quam cum errore substantiali protulit: item teneri parochum se retractare, qui diem festum talem non esse asseruit, etiam si in asserendo non peccaverit.

Absolutio in absentia. Quid si pœnitens sit absens, neque valeat admoneri? Conveniunt *Suar. d.32. sec.6. n.4. Vasq. dub.8. n.15. & Lugo d.22. n.51.* non posse cum in absentia absolutionem a peccatis, posse tamē dari, & tunc dandam esse absolutionem a censuris. Rogabis an in prædicto casu teneatur confessarius admonere pœnitentem, quando ex ipsa monitione timetur scandalum, aut grave aliquod detrimentum? Negare placet cum *Suar. cit. n.7.* Quia in dictis circunstantijs nec ipse pœnitens tenetur iterare confessionem: & peccata illius præterita per primam confessionem tolli possunt sicut oblita. Est tamen discrimen inter confessarium qui culpabiliter fuit causa defectus, & illum qui inculpabiliter talis causa fuit. Nam juxta regulas restitutionis magis obligatur prior quā posterior ad reparandū vel impediendum damnum suo proprio damno proportionato. *Deceptio pœnitentis per confessarium.*

1260. Dubitabis 1. an qui absolvit validé, sed illicité, ex eo quod omiserit rogare spectantia ad integritatem, absq; aliquo alio damno tertij, vel ipsius pœnitentis, teneatur illum postea monere? Affirmant *Vasq. dub.8. n.2. & Ioan. Medina Cod. de Confess.* Negant *Suar. d.32. sec. 6. n.8. & Fillius. to.1. tr.5. 2. 12. q.7. n.374.* Dico 1. si confessarius se habuit positivè decipiendo pœnitentem, ita ut hic intellexerit aliquid de necessarijs posse omitti, tenetur monere. Patet, quia tunc confessarius causa fuit positive compellens ad violandū præceptū divinum saltem materialiter, a qua proinde miseria tenetur pœnitentē liberare.

Dico 2. si confessarius merè negativé se habeat circa illam materialem pœnitentis transgressionem, non tenetur monere. In hoc sensu placet opinio posterior. Ratio est, quia pœnitens validé absolutus non tenetur iterare confessionem, & confessarius post absolutionem, sicut judex post sententiam non, potest examinare causam. Notat tamen *Lugo n.77.* debere confessarium illū supplere prædictū defectū rogando de peccatis omissis, si pœnitens secum iterum cōfiteatur. Quia tunc pertinet ad actionem præsentem inquirere de omnibus nondum confessis.

Restitutio a confessario damnificante. Dubitabis 2. Utrum confessarius qui positivé decepit pœnitentem cum damno tertij, quia v.g. illi affirmavit esse excusatum a restitutione, teneatur restituere? Respondeo affirmative cum citatis *Suar. n.9. & Lugone n.62.* si intercessit culpa lethalis, idq; sive ex malitia, sive ex ignorantia. Quia fuit injusta causa damni illati. Quid si talis deceptio fuit inculpabilis, vel ex inadvertentia vel aliunde: benè respondet *Lugo n.63.* si absque damno respectivè considerabili monere possit, ad id teneri sub onere restitutionis; sicut ille qui inadvertenter incendit alterius domum tenetur impedire incendium.

Dubitabis 3. an confessarius teneatur restituere, si habuit se mere negativé, & pœnitens aliud non restituit, quod monitus restitueret? Respondeo negative cum *Suar. ce pan. d.32. lect.6. n.9. & Sanct. lib.1. Decal. cap.6. num.5.* Ratio est quia justitia, & officium obligat confessarium respectu solius pœnitentis in ordine ad salutem æternam: proindeque ex officio tenetur impedire spiritualia damna pœnitentis, & non aliorum: & a fortiori de damnis temporalibus.

QUÆSTIO V.

Utrum, & quantum obligetur confessarius ad sigillum?

1261. Sigillum est diminutivū signi, & propriè significat instrumentum illud quo solent obsignari litteræ, vulgo *frete*, ne pateant omnibus, sed jis tantum qui possunt resignare, & aperire. Unde maximum crimen est furari sigillum regium: siquidem in Ordin. Lusit. lib. 5. tit. 52. a princ. capitali pœna punitur. Vide Azeved. ad leges Hisp. 3. tit. 6. lib. 8. & Castill. lib. 3. quotid. cap. 20. n. 8. Metaphoricè usurpatur sigillum pro secreto circa audita in confessione, tanquam illa, quæ divino quodam sigillo clausa & obsignata continentur. Est igitur sigillum prout in hac materia accipitur, secretum illud quod custodire tenetur confessarius de jis rebus, quas in confessione audivit. Dari obligationem servandi sigillum constat ex *cap. omnis utriusq; sexus, de pænit. & remiss. & cap. Sacerdos de pæn. in 6.* *Sigillum quid.*

1 Difficultas est ex qua radice pullulet sigilli obligatio? Multiplicem assignant authores, quā recenset, & impugnat *Suar. d.33. lect.1.* omissis alijs, quæ simpliciter placet *Soto lect.11. Henrico, lib.3. c.19. n.3.* & paucis additis *Lugoni d.23. n.7.* est quod præceptum sigilli est naturale negativum, atque adeo obligans pro semper, sed de materia ita intrinsece mala, ut nunquam possit exuere malitiam, etiam per aliquam mutationem. Est igitur talis causa, atque adeo vera radix, a qua pullulat sigilli obligatio (ut optimé resolvit *Suar. d.33. lect.1. n.7.*) injuria quæ fieret sacramēto, si sigillum violaretur. *Sigilli obligationis radix*

Consistit autem injuria hujusmodi in eo quod cōfessio redderetur odiosa, proindeque homines retardarentur ab hoc sacramento. Nam si semel esset licitum revelare confessionem, hoc confessarij arbitrio & prudentiæ commissum foret, atque adeo semper pœnitens timeret tale arbitrium: ex quo rursus sequeretur excusatio ab obligatione confitendi, ne se proderet.

1262. 2. Difficultas est, an dari, vel excogitari possit casus in quo cesset obligatio sigilli? Affirmat *Altisid. lib.4. summa n.6 c. 3. l.3.* Negandum tamen omninó est cum communi Theologorū quos sequitur *Suar. d.33. lect.1. n.17. & Lugo d.23. n.10* probatur, quia violatio sigilli ita est intrinsecè mala & opposita bono sacramenti pœnitentiæ ut propter nullum commune bonum cohonestari possit, sicut fornicatio, pollutio, mendacium & similia. Sunt enim media omninò improportionata ad bonū aliquem finem consequēdū.

QUÆSTIO VI.

Circa quam materiam versetur sigillum.

Sigilli materia.

CErtum est materiam sigilli esse non solum peccata mortalia & venialia in confessione audita, sed etiam omnes illorum circunstantias, & quidquid cum peccato cōnexionem habet, & ideo in confessione aperiendum. Est tamen discrimē inter mortalia & venialia, quod mortalia tam in genere quam in specie sint materia sigilli: nemo enim potest etiā in genere dicere (*Petrus mihi confessus fuit sua peccata mortalia*, at venialia in specie, & non in genere. Quanvis enim non possit dicere (*Hic confessus mihi fuit unum mendacium*) at potest dicere (inquit *Lugo d.23.num.50*) *Confessus mihi fuit sua venialia*. Ego tamen timerem ita loqui, & solum dicerem, *Confessus mihi fuit aliquod veniale*. Nam in tantum est licita hæc locutio, in quantum æquipollet huic: confessus est, & absolvi eum: seu accepit à se sacramentum pænitentiæ: hoc autem potest consistere habens pro materia unicum veniale: cur igitur dicam habere venialia, seu plusquam unum.

Venialia ad Sigillum.

Accedit (ut tenet idem citatus Lugo) non posse dicere confessum esse peccata venialia graviuscula, vel plurima. Quia horum confessio non arguitur ex mera confessione. Ex quibus addo cōtra eundē n.99. non posse dicere de aliquo qui frequenter confitetur, quod confessus sit venialia nova. Hic enim non arguitur ex mera confessione: cum potuerit confiteri unicum veniale antiquum, seu jam confessum.

1263. Dubium est 1. an quodcunque peccatum veniale sit gravis materia sigilli, itaut per illius manifestationem semper peccetur lethaliter? Negat *Ledesma 2.p.4.q.11.a 1.c.5.* modo revelans non dicat se illud ex confessione nosse. Affirmandum tamē omninó est cum *Suario d.33. sect.3.n.1. & Vasq. q.93.a.4. dub.3.a n.1.* Ratio est quia in illa revelatione fieret gravis injuria Sacramento, ex eo quod tolleretur fiducia a pænitente in ordine ad venialia. Quod procedit de circunstantijs, & etiam objecto peccati, v.g. homicidio externo. Dubium est 2. an sit materia sigilli peccatum nondum cōmissum, sed comittendum? *Alens.p.4.q.78.mem.2.a.2.* dicit peccatum comittendum, v.g. homicidium externum, de quo pænitens solum habet merum propositum, & nullo modo accessit ad executionem, non esse materiam sigilli, pro indeque confessarium posse dicere Paulum occidendum esse a Petro. Hæc tamen sententia omninó rejicienda est, & affirmandum cum *Suar.n.4. & Vas.q.39. a.4. d.3.n.7. & Lugone d.27.n.52.* esse materiam sigilli, quia homicidium illud externum futurum, est connexum cum proposito, quod pænitens cōfitetur, itaut sine illo explicari nequeat. Unde rectè monet *Bel an.d.9.dub.1.n.17.* non posse detegi conspirationem de evertenda civitate cum periculo revelandæ confessionis.

Peccatum externum cōmittendum ad Sigillum.

Hereticus confitens animo pervertendi.

Positam resolutionem rectè limitat *Lugo d.23.n.53.* ut solum procedat quando quis dixit propositum animo confitendi, non autem quādo dixit animo inducendi confessarium ad illud peccatum: ut si (inquit) hereticus animo pervertendi confessarium illi confiteatur tentationes, quas habet contra fidem, & motiva: tunc, si de tali animo constet, posset ac deberet confessarius talem hæreticum denunciare.

1264. Dubium est 3. utrúm preter peccata, eorum circunstantias & objecta, dentur aliqua alia quæ cadant sub sigillo? Rectè affirmant *Valent.d.7.p.3. Suar.d.33.sec.3.n.5. & Vasq. n.2.* asserentes omnia necessaria & utilia ad explicandum peccatum, etiam secundùm solam aprehensionem, seu imaginationem pænitentis, esse materiam sigilli. Patet, quia illa ordinantur ad confessionem sacramentalem, & si revelari possent, sacramentum redderetur odiosum. Hæc intelligo, quando quæ inserviunt ad explicationē peccati non possunt revelari sine periculo revelandi peccatum, vel saltem revelata pudori vel dāno esse possunt pænitenti, aut alicui tertio. Aliter credo non cadere sub sigillo: ut si ex confessione cognovi in civitate esse monasterium, Petrum esse Sacerdotem.

Deffectus naturalis ad Sigillū.

Infertur 1. cum *Suario n.5.* esse contra sigillum revelare defectus natalium, & alios occultos naturales, ex quorum manifestatione redderetur confessio odiosa. Infertur 2. cum *Granado 22.contr.7.trat.11.disp.6.n.5.* cadere sub sigillo satisfactionem impositam, itaut nequeat cōfessarius dicere, quam injunxit, si illa sit signum culpæ lethalis, aut venialium specialium quoad numerum, vel speciem: secus, si sit levis, itaut ex illa deprehendi nequeat, nisi quòd pænitens habuerit materiam venialem.

Infero 4. quód in nullo authore invenire potui, esse aliquo modo contra sigillum, dicere: *Audivi Petrum de confessione annua*. Quanvis enim Petrus nullum peccatum cōmiserit in differendo confessionem per annum, tamen hæc dilatio manifestata injiceret ruborem Petro: cum arguat quandam in devotionem, & nigligentiam in rebus salutis, attenta cōmuni fidelium devotione. Si enim quis diceret Petrum esse valde propensum ad libidinem, & sæpe in voluntariè pollutum, vel tentatum in materia fidei sine ullo consensu, violaret sigillum; ergo dicens quòd arguit desidiam in rebus salutis.

Virtutes & revelationes ad Sigillum.

Dubium est 4. an virtutes & revelationes cadant sub sigillo? Negant absoluté *Henriq. lib.6. c.21.n.1. Sa v. confessio n.31. & Bonac.disp 5.q.6.sect. 5.punt.2 n.11.* Rectius distinguit *Lugo d.28.n.58* nā prædicta vel dicuntur confessario causa manifestandi integrē conscientiæ statum, & accipiendi consilium, seu instructionem, in quo evētu non spectant ad sigillum, sed ad secretum naturale: vel dicuntur ad melius declarandum peccatum, v.g. inconstantiam in bono, vel ingratitudinem erga Deum post tale beneficium, & tūc pertinent ad sigillum. Quæ in confessione dicuntur mere concomitanter, materia sigilli non sunt, juxta *Suar.n.10.*

Defectus naturales visi a cōfessare.

1265 Dubium est 5. an cadant sub sigillo

de-

defectus, quos confessarius inter confitendum deprehendit, v.g. balbutiem, ruditatem, tetrum odorem, ingenium morosum, dificile, irresolutũ? Respondeo negative cum *Lugone d.23.n.60.* Ratio est, quia defectus, quos intuetur confessarius, sicut non dicuntur secreto ita non manent sub sigillo. *Bellanus d.9.dub.1.n.11. & Granad.contr.7. de pen.disp.3.n.3.* affirmant confessarium violare sigillum, si dicat pœnitentem sibi caput obtundere suis minutijs, & scrupulis. Oppositum ex *Navarro cap.8.num.12.* rectiùs docet *Lugo num.60.* Quia hoc nomen (scrupulosus) cõmuniter denotat hominem timoratum: si autem denotat aliquem defectum, timiditatis, & impertinentiæ, est naturalis & instar aliorum qui sub sigillo non cadunt.

Scrupulositas ad Sigillum.

Addit *Lugo* loco citato non esse contra sigillũ revelare peccatum in confessione cõmissum, & non confessum, v.g. convitium contra ipsum confessarium: esse tamen contra sigillum dicere negatum ibi peccatum aliquod: quia virtute dicitur defectus integritatis. Hoc posterius assertum mihi placet, priori non acquiesco ob eandẽ rationem quam Lugo assignat: quia si ex manifestatione peccati negati arguitur defectus integritatis, etiam ex manifestatione peccati gravis in confessione commissi arguitur defectus doloris debiti: non enim stare potest verus dolor cum peccato actuali gravi; ergo si posterius, etiam prius contra sigillum est. Procedit juxta superiorem doctrinam quando peccator accessit animo suscipiendi sacramentum, non si animo conviciandi, vel suadendi suum errorem.

Publica peccata ad Sigillum.

Dubium est 6. an peccata publica sint materia sigilli? Conveniunt Theologi cum *S. Thomã in 4.dist.2.q.3.a.3.* quando peccata aliunde sunt cognita confessario? posse hunc uti sua scientia præcedente, vel subsequente confessionem: modò non addat certitudinem, vel circunstantiam ratione notitię sacramentalis. Unde potest confessarius accusare pænitentem, qui sibi confessus est rapuisse illius bona, si id alia via sciat. Item potest Parochus negare Eucharistiam usurario, el concubinario publico, cui negavit absolutionẽ.

1266. Difficultas est, an possit revelare peccatum publicum, dicens se illud accepisse in cõfessione? Affirmant *Ioan. Medina quæst. de bijs, quæ in confessione celanda sunt*, & alij. Negandum tamen est cum *Suario sect.3.n.6. Vasq.cit. art.4.dub.6.* & alijs communiter. Nam illa locutio est injuriosa sacramento, cum ostendat confessarium uti notitia sacramentali: etiam si dicat, Audivi peccatum homicidij quod Petrus mihi confessus est cum magno dolore: quia per accidens redundat in laudem pænitentis.

Sigilli fractio multiplex

Dubium est 7. an per solam manifestationem peccati, tacita persona pænitentis frangi possit sigillum? Affirmativa resolutio patet in multis casibus 1. quia si ex paucis pænitentibus (inquit Lugo d.23.n.63.) quos quis audivit, referat peccatum, ut aut singuli incurrant suspitionem, offenditur sigillum. 2. juxta *Villalobos tom.1tr.6. diff.73.n.5.* franget sigillum confessarius si dicat se audivisse in tali monasterio peccatum grave, etiam tacito pænitente. 3. idem extendunt *Suar. n.8. & Lugo n.63.* ad dicentem se audivisse monachum talis ordinis, ex qua narratione ordo cõtrahat ignominiam: hæc enim redundat in pænitentem.

4. Iuxta *Hurtadum de pænit. disp. 12.diff.4. Vasq.dub.3.n.3. & Rebellum. tom.1.trat.7.c.11.q.3. n.322.* idem procedit de dicente ex notitia confessionis in tali civitate esse talia crimina, nempe sodomias, usuras. Quod intelligo quando civitas non est nimis ampla, & pænitentes sunt aliquo modo suspecti. 5. *Turrianus de pænit.q.11. a.11. disp.33.dub.1.* apud *Dianam, p. 5.n.11.resol.45.* id extendit ad superiorem localem, qui dicit Generali vel Provinciali in tali conventu facultatem ad reservata frequenter postulari. Nam talis notitia ad externam gubernationem inutilis est, & offendit bonam æstimationem talis communitatis.

Dubiũm est 8. an possit esse contra sigillum asserere simpliciter se audivisse talem personam: ut si confessarius dicat, *Titius mihi h.die confessus est?* Bene affirmat *Lugo d.23.n.65.* nam possunt esse circunstantiæ, ex quibus colligatur casus reservatus pænitentis: ut si id affirmetur de monacho habente confessarium ordinarium, qui illa die non abfuit. Manifestius violaret, si id diceret prælato, a quo paulo ante petierat facultatem absolvendi a reservatis unum subditum. Idem est si prælatus diceret, *Titius petijt a me facultatem totam pro suo confessario.*

1267. Quid si postquam prælatus dedit facultatem sacerdoti ad absolvendum unum subditum suum & reservatis, inveniat forte Titium cõfitentem, & dicat postea Titio, *Tu confessus fuisti confessario extraordinario*: item si alius Tertius eũdem inveniat cõnfitentem, & alijs referat. *Lugo n.67*, quanvis asserat facturum imprudenter si de re illa loquatur: si subdito, vel ulli alteri: itẽ tertium illum iniquè acturum, si narret se vidisse illum confitentem: dicit tamen neutrum violare sigillum sacramentale: sicut si referret se vidisse religiosum confitentem pænitentiario in Basilica S. Petri. Ratio est, quia videns non accipit talem cognitionem ex notitia, quam pænitens dat confessario: sed ex notitia, quam per talem actionem dat omnibus videntibus: hæc autem non est confessio. Unde si pęnitens velit adesse aliquos suæ confessionis testes, hi non obligarentur ad sigillum, sed ad secretum.

Sigilli fractio in levi materia.

Dubium est 9. an fractio sigilli sit aliquando culpa venialis ex parvitate materię? Non procedit de culpa veniali ex defectu plenariæ advertentiæ: quia hæc in omni materia admittitur: sed ex defectu gravis materiæ. Affirmant aliqui in casu, quo sacerdos dicat peccatum levissimum pænitentis: quasi tunc neque pænitẽti, neque Sacramento gravis inferatur injuria.

Negandum tamen est cum *Maldero de Sigillo c.3. Diana p.5.trat. 5.resol.8.* & alijs recentioribus improbabili

probabile oppositum. Ratio est, quia obligatio gravis servandi sigillum non oritur ex gravitate peccatorũ, quæ celari debent, sed ex eo quòd sit res maximi momenti totum negotiũ sacramentalis confessionis esse secretum, ita ut in nullo omninò casu liceat ejus revelatio quæcũque, sed semper sit graviter injuriosa sacramento.

Nobis consentit *Lugo d.23.n.70.* addit tamen *n.71.* facilius posse admitti levitatem materiæ, quando narratur res afferens periculum ingerendi suspicionem, sed adeo tenue, vel ingerens suspicionem adeo remotam, ut non sufficiat ad gravem imprudentiam, vel gravem irreverẽtiam contra sacramentum. Addo juxta id quòd dixi num.1262. lædi aliquo modo sigillum a dicente audivi venialia, cum sacramento sufficiat unum veniale, videri hanc læsionem levem ex parvitate materiæ.

Materia parvitas in Sigillo

1268. Dubium est 10. quòmodo peccet cõfessarius audiens simul plures pueros doli capaces, vel de quibus dubitatur an sint doli capaces? Benè ex *Navarro in sum.c.8.n.13.* respondet *Lugo cit.n.72.* peccare gravi sacrilegio 1. quia offendit modum communem administrandi hoc sacramentum juxta *cap Omnis utriusq; sexus* ubi dicitur quòd solus soli confiteatur. 2. quia utitur sacramento ad risum & jocum. 3. quia exponit pueros moraliter periculo manifestandi sociorũ peccata.

Confessio multorum puerorum simul.

QUÆSTIO VII.

Quòmodo confessarius possit loqui & respondere de cognitis in confessione.

1 Difficultas est, utrùm liceat confessario loqui postea cum pænitente de cognitis in confessione? *Vasq. q.93.a.4.dub.10.n.9.* quanvis neget id licere, negat etiam frangi sigillum, ut pote secretum, quod nõ datur inter scientes. Dicendum tamen est cum *Suar. d.33.sect.5.n.2. & Lugone d.23.n.127.* talem locutionem absque licentia pænitẽtis esse contra sigillum. Patet, quia ex communi praxi fidelium contra sigillum est omnis locutio injuriosa sacramento, qualis illa quæ redderet illud difficile, & odiosum. Addit *Suar.n.3.* non posse duos confessarios qui audierunt idem peccatum loqui inter se de eodem. Unde rejiciendus omninò est F. Benedictus Remigius *trat.5.cap.5.§.22.num.7.* dicens absolutè posse confessarium loqui cum pænitente de auditis in confessione.

Locutiones contra sigillum.

Excipitur 1. cum *Lugone num.127.* si in hac præsenti confessione loquatur sacerdos de rebus, quas pænitens in præcedenti confessus est. Nã est idem forum sacramentale in quo sacerdos ad præsentem medelam potest considerare antiqua vulnera: secus si illa cognovit non ut confessarius, sed ut præteritæ confessionis interpres. Excipitur 2. ab eodem num.129. contra *Fagundes lib. 6.de 2 prae.Eccl cap.4.num.33.* quando si ita confessione aliquid circa illá, quod & memoria excideret, cõmendat pænitenti: cum adhuc moraliter censeatur durare idem judicium.

1269. Observ.1.cum Suar.d.33.sect.5.num.6. posse pænitentem dare dictam licentiam non solum dicendo extra confessionem, quæ in confessione exercet sed etiam manente confessionis sigillo, itaut confessarius retineat, vel communicet talem notitiam sub sigillo. Observa 2. quavis *Suar.d.33.sect.5.nu.3. & Filliuc.tom.1.trat.7.cap. 11.* existiment posse confessarium petita ea licentia, & injustè negata, loqui cum eo de auditis in confessione, negandum id tamen esse cum *Lugone d.23.num.140.* & multis quos citat *Bon tom. 1.trat.1.misul.resol.12.* Quia talis licentia etiam injustè negata, non obtinetur.

2. Difficultas est utrùm rogatus confessarius an sciat tale peccatum, respondere possit se nescire? Negant *Palud.d.25.3.art.3.& Sot.d.18 q.4. art.5.* & asserunt tunc debere confessarium tacere, & reprehendere sic interrogantem. Dicendum tamen omninò est cum *Suar .d.33.sect.6.nu. 7.& Lugone n.74.* quando ex silentio sequi possit suspicio, aut indirecta revelatio, sacerdotem posse ac debere dicere, se non audivisse, etiam si ad respondendum juramento adigatur. Quia tunc vitari potest mendacium restrictione mentis, v.g. se nescire ordinaria notitia.

Negatio absolutionis publico peccatori.

3. Difficultas est, quomodo possit loqui cõfessarius de negatione absolutionis, quando pænitentem non absolvit? *Caiet v. confessio & Armill.a* affirmant non revelari indirectè confessionem, quando sacerdos absolutè dicit. *Non absolvi illum.* Quia multiplex esse potest causa non absolvendi. Nihilominus oppositum omninò tenendum est cum *Valent. d. 7.q.13.p.3.& Vasq.d. 10.num.9.* Quia absolutionis negatio, vel dilatio moraliter loquendo datur propter peccatum grave, aut indispositionẽ pænitentis; igitur qui dicit absolutè non datam fuisse absolutionem indirectè revelat illud peccatum, vel indispositionem.

Dixi (qui dicit absolutè) quia rectè docet *Lugo.d.23.num.84.* sine peccato dicere posse confessarium: *Non absolvi illum, quia non habet materiam absolutionis.* Item. *Non absolvi, quia generalem confessionem incepit, quam non dum perfecit.* Et sic de similibus. Addit *num.85.* contra *Henriq.cap.21.n.3.* non posse dicere: *Non absolvi, quia non acquievi meæ sententiæ.*

1270. Quid de publico peccatore, quem confessarius non absolvit? Tenetur ne dicere se eum absolvisse? *Lugoni num.85.* meritò displicet *Caietan.* affirmans posse sacerdotẽ dicere: *Ego audivi n. illum publicum concubinarium: sed non absolvi: quia non egerat publicam pænitentiam.* Quia si erat dispositus, absolutione privari non debuit; si indispositus, hoc non potuit manifestari. Asserit igitur non posse sacerdotem absque mendacio dicere se eum absolvisse, sed debere interrogãti respondere: *Ego functus sum meo munere.*

Negatio absolutionis ad Sigillum.

Cui subscribo tantum in eo casu, in quo ex tali responsione nulla oriatur suspicio: at si oriatur, judico posse & debere affirmare se eum absolvisse, vitando tamen mendacium restrictione mentis, v.g. intelligendo: *Eum absolvi secundũ*

meam

meam apprehensionem. Nunquam tamen absque pœnitentis facultate poterit dicere (*Absolvi eum ab hoc peccato.*)

Quid si pœnitens, cui absolutio negata est, petat schedulam ad satisfaciendum Parocho, vel domino ex gentis? Multiplex authorum sententia est. *Bonacina d.5.q.6.sec.5.punt.4.num.7.* dicit talẽ schedulam negandam esse, ne fraudibus aperiatur via. *Ægid. Bellan. de sacram. d.9. dub.1.n.14.* asserit dandam omninò esse talem schedulam. Quia sic non mentitur, & illius negatione aliquo modo offenditur sigillum. *Henrriq.lib.3. de pæn.cap.22.num.4.* dicit schedulam illam posse a confessario dari, & posse negari, prout ei libuerit. Si enim detur, hoc cedet in favorem sigilli: si negetur, confessarius utetur jure suo, & favebit veritati. In tanta varietate,

Schedula ... petenti, cui absolutio negata est.

Dico 1. schedula data non continet mendacium. Quia in illa confessarius testatur se audivisse, & non dicit se absolvisse. Imo si oporteat addere *absolvi* poterit verificari per restrictionem mentis.

Dico 2. talis schedula aliquando potest & debet dari. Nam interdum ob fructum emendæ speratum expedit differre absolutionem pœnitẽti, cui interim proderit schedula ad vitandas pœnas.

1271. Dico 3. Aliquando schedula potest negari. Ratio est quia confessarius non tenetur positivè approbare illam confessionem, quando ex negatione approbationis nullum sequitur inconveniens: sicut nec tenetur dare puellæ hostiam non consecratam, propter matrem.

Dico 4. Aliquando schedula illa negari debet. Ratio est, quia ex illius confessione sequi potest scandalum, perseverantia in malo cum deceptione parochorum.

Eucharistia negati petanti

Quid si pœnitens, cui absolutio negata est, petat Eucharistiam? Bene respondet *Lugo d. 23.n. 88.* his verbis. Qando peccatori publico non disposito negatur absolutio, si ipse postea petat Eucharistiam, neganda est. Quod si dicat: *Confessus sum tibi, & tu me absolvisti.* Respondere potest confessarius: *De confessione tua scio: sed scio te esse publicum peccatorem, & ideo te repello a communione.* Quid autem dicendum sit de peccatore occulto in occulto petenti Eucharistiam, spondet tractare *sectione sequenti a. n.91.* & nos jam supra resolvimus num.1043. Illud denique asserit Freyre lib. 5.conf.23. ex Suar. tom.3. in 3. part.d.67. sect. 6.num.8. posse Sacerdotẽ administrare Eucharistiam publico peccatori indigno ad vitandum mortem, quę ipsi ex denegatione sequeretur. De quo Fagund. in 3.Eccl. præc.lib.3.cap.10. Vide Dian. part.3.trat.6. Miscel.resol.48. vers.7.

QÆSTIO VIII.

Ex qua confessione oriatur Sigillum.

Est communis & certa regula, in qua conveniunt Theologi apud *Suarium de pæn.d. 33. sect.2.num.1.* ex omni, ac sola confessione sacramentali oriri sigillum. Pro qua expedienda notabis 1. confessionem sacramentalẽ posse esse talem in re ipsa, ut quando pœnitens eam facit coram legitimo sacerdote, animo se subjiciendi clavibus: vel posse esse talem ex sola intentione pęnitentis, ut quando animo subjiciendi se clavibus confitetur coram judice illegitimo, v.g. laico vel non habente jurisdictionem. Notabis 2. cõfessionem sacramentalem posse fieri cum omnibus necessarijs ad sacramentum perficiendũ, vel aliquo substantialiter requisito deficiente, v.g. jurisdictione, aut intentione ex parte sacerdotis, vel dolore aut integritate ex parte pœnitentis.

Confessio sacramẽtalis quæ.

1. Difficultas est, an oriatur obligatio sigilli in omni confessione sacramentali, quæ talis sit in re ipsa? Constat ex sola confessione sacramentali oriri obligationem sigilli. Dubitatur an ex omni? Negabit aliquis, quasi nec detur, nec dari possit sigillum, quando confessio fit publicé legitimo sacerdoti: sigillum enim secretum est, & hoc cum publicitate stare nequit.

Confessio sacramẽtalis ad sigillum.

Affirmandum tamen est cum *Suar. cit. n.1. & Granado de pæn.trat.11.disp.2.num.1.* Patet, nam præceptum sigilli, quod naturaliter resultat, posita institutione hujus sacramenti, universale est, neque de una confessione quam de alia maior est ratio, precipué quando valide consummata fuit.

1272. Rogabis 1. an oriatur sigillum, quando data in pœnitente intẽtione subjiciendi se clavibus, defuit dispositio ad valorem absolutionis? Rectè affirmant *Valent.d.7.q.13.dub.3.Suar.num.7. & Lugo d.23.n.45.* Quia sacramentale judicium datur ubi primùm quis animo subjiciendi se clavibus peccata sua manifestat legitimo sacerdoti, ut pote judici.

Procedit resolutio 1. quanvis pœnitens accedat scienter absque ulla dispositione. 2. quanvis nolit confiteri integre 3. quanvis pœnitens non intendat absolutionem, sed velit (inquit *Suar. sec. 2.n.7.*) a confessario vel absolvi, vel curari. Oportet tamen (inquit *Lugo d.23.n.46.*) accedere bona fide cum animo non impediendi absolvitionem, vel certe absque animo contrario.

Intentio confitentis ad sigillũ.

Rogabis 2. an detur obligatio sigilli, quando in pœnitente deest intentio se accusandi, & dicta subjiciendi clavibus, v.g. quia vult sacerdotẽ consulere, vel decipere, vel conviciari? Negandum est cum *Suar.d.33.sect.2.num.6.Vasq. q. 93. art.4.dub 3.nu.8. Ægid.Conix. d.9.dub.1.n.4.&7. Bonac.de pæn.d.5 p.2.n.3. Vide Ægid. Trulane de Sacr.lib 4.c.8.dub.2.n.4.* Quia tunc non datur confessio sacramentalis. In dubio tamen standum est pro sigillo. Quid si in confessario desit intentio absolvendi? Bene resolvunt *Henriq.cap.21. & Suar. citat.num.5.* adhuc teneri sigillo, si talis intentio latet: secus si pateat manifestata per ipsum confessarium pœnitenti: quidquid repugnat Lug.d. 23.num.44. Excipitur parochus utpote qui ad audiendum sacramẽtaliter cogi potest: proindeque audiens supposita intentione pęnitentis, sigillo tenebitur.

Rogabis 3. an confessio sacramentalis scripta,

Confessio scripta ad sigillum. scilicet charta in qua pœnitens scripsit sua peccata sacerdoti detegenda obliget inventorê ad sigillum? Affirmât *Malderus, Rinaldus, Fagundes* & multi alij, quos citat & sequitur *Diana tom.2.trat.4. de Sacr.resol.112.* Quod admitto in tribus casibus 1. si mutus confiteatur per Scripturam, quam in manu confessarij quis legat, vel paulo post in confessionario inventam. 2. si quis legat Epistolam, qua alter petit licentiam a prælato, ut absolvatur a reservatis 3. si Scriptura est de confessione, quæ jam facta fuit. In alijs casibus, quando Scriptura facta est pro memoria pænitentis, & si gravissima obligatio secreti naturalis resultet, tamen obligatio sigilli rectè negatur a *Suario sect. 4.num.5.*

1273 2. Difficultas est, an oriatur sigillû ex confessione sacramentali, quæ in re talis non est, sed ex sola aprehensione & intentione pænitentis: ut si fiat apud judicem illegitimû? Constat affirmativa resolutio apud *Suarium d.33.sect. 2.num.4.* quando confessio fit cum sacerdote interveniente bona fide ex utraque parte circa illius jurisdictionem. Quia bona fides reddit illam confessionem sacramentalem. Procedit etiam si uterque sciat deesse jurisdictionem, dummodo confessio fiat cum spe illam obtinendi. Secus, si fiat sine illa spe. Quia tunc nullo modo fit apud judicem, atque adeo sacramentalis non est. Quid si confessio fiat cum laico, qui se fingit sacerdotê legitimum? Parit obligationem sigilli, ut ex dictis probant *Suar.sect.2.num.3.Vasq.q.93.art.4.& Lugo d.23.num.40.*

Confessio facta cû laico ad

QUÆSTIO IX.
Quæ personæ ad sigillum teneantur?

Sigillum quos obliget.

CERtum est obligari directè confessarium, & nullo modo obligari pænitentê sigillo. Est multiplex dubium de alijs personis, quales sunt interpres, internûcius, consiliarius, prælatus, a quo petitur licentia, auditor pænitentis casu vel industria. De inventore autem chartæ, in qua scripta est confessio, diximus n. superiori.

Dubiû est 1. an sigillo teneatur interpres, quo aliquando utitur pænitens? Negant *Caiet.V. confessio condit.11.& Sot. de secreto membro 3.q.4. concl. 4.* Affirmandum tamen est cum *Suar.d.33.sect.4 num.14.Vasq.q.93.art.4.dub.2.num.1.& Fagund. 2. prac.Eccl.lib.6.num.17.* interpretem indirectè sigillo obligari. Patet, quia notitia interpretis tota est sacramentalis, cum ille sit medium organû per quod pænitens loquitur, & confessarius audit. Idem procederet de internuncio, si per eum confessio fieri posset: sicut diximus de nuncio, per quem petitur facultas a superiori pro reservatis.

Consiliarius ad sigillum

Dubiû est 2. an obligetur sigillo côsiliarius quê confessarius consulit quomodo se gerere debeat? Cum côмuni & certa sapiêtia affirmât *Suar. sec.4.n.6. Fagund cit n.20.& Lugo d.23.n.25.* Ratio est, quia consiliarius participat actum claviû scientiæ, itaut ex illo & confessario moraliter unus confessarius integer coalescat; ergo una & eadem obligatio sigilli datur in utroque: quidquid in oppositum etiam diffidentes inter se teneant *Ioan. Medina Cod. de confess. quæst. de sigillo, Vasq.cit.dub.2.num.10.& Henriq.lib.c.cap.20.num.3.*

1274. Ex dictis rectè infert *Lugo d.23. num. 30.* consultum a duobus confessarijs de eodem peccato, quod pænitens ijsdem confessus est ita debere singulis cautè respondere, ut unus non veniat in notitiam confessionis factæ cum alio, nisi pænitens ad id expressam licentiam concederet.

Prælatus concedens reservata ad sigillum.

Dubium est 3. an teneatur sigillo prælatus a quo petitur facultas ad absolvendum a reservatis? Videtur negare *Henriq.cap. 20. num.3.* quatenus dicit esse obligationem secreti naturalis, sed ita stricti, ut nullo casu liceat violari. *Ægid. Bellan. disp.9.dub.3.num.49.* negat esse sigillum, quâdo facultas petitur extra confessionem. Nihilominus absolutè affirmandum est cum Suario. d.33. *sect.4.num.3.& Lugone d.23.num.34.* Patet, nam illa notitia quam prelatus accipit a confessario, oritur a notitia sacramentali, illa nempe quam confessarius accepit a pænitente in confessione inchoata; ergo manet sub sigillo. Idem (ut notat Lugo num.33.) procedit, quando subditus immeditatè per se ipsum recurrit ad prelatum, a quo petit facultatem ut absolvatur ab alio.

Dubium est 4. an teneatur sigillo ille qui scivit peccata confessa, vel iniquitate confessarij manifestantis, vel casu aut industria audiens pænitentem? Rectè contra *Ioan. Medinam Cod. de confess. quæst.de sigillo* resolvunt *Vasq.cit.dub.2.num. 10.& Suar.citat.sect.4.num.4.* illum cui inique confessarius manifestavit peccatum in confessione auditum, teneri sigillo. Nam tota illa notitia non aliunde habetur, nisi ex confessione. Eadem resolutio ex ratione eadem adhibetur a citatis & etiam a Lugone illi qui maliciose confessione audit, & furtivè notitiam accipit. Similiter côtra unicum Sotum extenditur per citates authores ad eum qui casu, & sine ulla culpa sua audivit peccata dicta in confessione.

Dubium est 5. an ille qui ex licentia pœnitentis, non consilij dandi causa, sed ob alium finem audivit peccatum a confessario, teneatur ad sigillum? Negant *Vasq. citatus & Hurt. de sacr.disp.12. diff.3.* Probant, quia ille non audit per confessionê, sed per notitiam, seu narrationê aliam extra confessionem. Affirmandum tamen est cum *Suar.d.33.sect.5.num.10.* Patet, quia tunc non datur notitia extra sacramentum sed eademmet notitia sacramentalis, quæ dabatur in confessario extenditur ad aliam personâ de licentia pænitentis, qui censetur velle ut transeat cum suo onere.

Confessio audita a multis.

1275. Dubium est 6. quid dicendum de obligatione audientium, quando pænitens fecit côfessionem publicé, vel coram alijs, quos voluit adesse testes: v.g. ut sic magis confunderetur? Conveniunt omnes cum *Suar.d.33.sect.4.num. 4. & Lugone d.23. num.* quando pænitens ex necessitate confitetur publicé, v.g. in naufragio aut incendio, omnes audientes teneri sigillo. Nam id postu-

id postulat reverentia sacramẽti a quo manavit. *Suar.num.*8. idem fore per se loquendo, si ea notitia perveniret ad omnes homines, & nõ interveniret notitia aliunde cõparata. Ex quo sequitur audiẽtes nec inter se nec cũ pœnitente posse loqui de auditis in illa confessione: sicut si pœnitens idem peccatum omnibus sacerdotibus regni successivè confiteretur.

Difficultas est an testes quos pœnitens cõfessioni adesse voluit ob suã confessionẽ obligẽtur sigillo? Negant *Bellan. dub.* 5 *n.*46. *& Lugo n.*39. quia locutio pœnitẽtis in tali confessione est virtute multiplex: nam prout dirigatur ad solum confessariũ est confessio sacramẽtalis: prout ex intentione pœnitentis dirigatur ad dictos testes est pura narratio ad humiliationem, & non confessio sacramentalis.

Hæc opinio quanvis videatur probabilis, mihi tamen non placet utpote judicãti oppositum. Quia tota illa narratio in cõfessione sacramẽtali sacramẽtalis est, & sic notitia ab illa emanans trãsit cum suo onere, præsertim quia transit ad finem sacramenti utiliùs & perfectiùs suscipiẽdi. Neque lex ulla excipit testes illos, sicut nec alios audientes sivè in naufragio, sivè successivè; igitur tota illa locutio censeri debet sacramentalis, etiam prout extenditur ad testes, quandiu pœnitens oppositum non exprimat.

Pœnitens ipse ad sigillum. Dubium est 7. an pœnitens ipse obligetur sigillo spectatus in ordine ad confessarium? Constat non teneri circa peccata, quæ ipse confessus est: dubitatur an teneatur circa audita a se & dicta per confessarium? Affirmant *Palud. dist.* 21. *q.*13.*n.*61. *Adrian.q.ult.de confes.dub.ult. & Navar. cap. sacerdos n.*115. quasi obligationi sigilli, quam contrahit sacerdos, debeat correspõdere obligatio correlativa pœnitentis.

1276. Oppositũ tamen videtur certũ *Suar. d.*33.*sec.*4 *n.*2. & rectè defenditur a *Vasq.dub.* 13. & cõmuniter ab alijs. Nam sigilli obligatio, posita institutione sacramenti, solũ data est ingratiã pœnitẽtis, ne peccatores metu revelationis a confessione retardarẽtur; ergo non debuit gravare ipsũ pęnitẽtẽ ex correlatione ad cõfessariũ.

QUÆSTIO XII.

Utrùm obligatio sigilli impediat omnem usum notitiæ sacramentalis, seu orta ex confessione.

Rectè *Suar.disp.*33.*sec.*5.*n.*4. *& Lugo d.*23.*sec.*5. *n.*137. conveniũt 1. præceptũ sigilli obligare non solũ ad non revelandũ peccatũ pœnitẽtis directè, sed etiã indirectè. Cõveniũt 2. nõ dari præceptũ sigilli quãdo pœnitẽs dat notitiã extra confessionẽ: quia talis notitia sacramẽtalis nõ est.

1. Difficultas est, quid prosit notitia confessionis, quando accedit licẽtia pęnitentis ad illius usum? Nota ex supra dictis posse pœnitentẽ dare illã notitiã, seu licentiã ad illã, non solũ dicẽdo extra confessionẽ, quę in confessione dixerat, *Notitia sacramentalis usu.* sed etiam manente confessionis sigillo ita ut cõmunicet talem notitiam sub eodem sigillo.

Dico 1. Quãdo sacerdos notitiã sub sigillo tenẽdã cõmunicat, potest ac debet dicere se id scire ex confessione. Ita *Suar.d.*33.*sec.*5.*n.*7. Ratio est, quia ex illo dicendi modo intelliget alius se teneri, eodem sigillo. Semper autem, etiam data pœnitentis licentia, ad usum illius, dari debet causa rationabilis.

1277. Dico 2. testimoniũ confessarij ex notitia sacramentali sive ad probandã innocentiã pœnitẽtis, sive ad aliũ finem, non valet pro foro externo. Ita *Suar.cit.sect.*5.*n.*6. contra *Navar. cap. Sacerdos n.*151. Quia testimoniũ confessarij totum resolvitur in testimonium pœnitentis, quod proinde in foro externo nullam fidem facit. *Testimonium cõfessarij.*

Dico 3. ad usum licentiæ, quam confessario pœnitens concedit, requiritur ut prudẽter constare possit de concessione: cõmuniter autẽ sufficit testimoniũ ipsius confessarij. Unde talis licentia, non nisi in casu raro obtinẽda in scriptis est propter periculũ & onus pœnitẽtis. Ita sentit *Suar.cit.n.*14. Quidquid ob severitatẽ calumniæ, consultat scriptum *Henr.lib.*2.*cap.*10.*num.*3.

2. Difficultas est, utrũ pœnitens dare possit licentiam confessario, ut utatur notitia peccati complicis, sive in bonum ipsius pœnitentis, *Complicis de ... ratio ... bonum ipsius pœnitentis.* sive in correctionẽ ipsius complicis? Constat *Suar.d.*34.*sec.*3.*n.*2. *& Vasq.q.*93.*a.*4.*dub.*5. contineri sub sigillo peccatũ complicis Addit *Lugo de pœn. d.*23.*n.*68. cõtra *Ioan.de Cruz in direct.p.*2.*q.*6.*dub.* 2.*conf.*2. etiã si pœnitens absq; necessitate manifestet cõplicẽ in confessione. Quia aliter pœnitens averteretur a cõfitẽda circunstãtia cõplicis, quæ plerũq; pro cõfessionis integritate necessaria est.

Dico 1. Pœnitens in sui comodũ potest date facultatẽ confessario, ut utatur notitia peccati cõplicis. Ita *Henr.l.*2.*c.*10.*n.*4. & *Suar. d.*34.*sec.*3. *n.*7. Patet, quia præceptũ sigilli datum est quod confessarius utatur cõplicis notitia. Et quanvis Vasq. quæst. 93. art. 4. dub. 5. num. 5. ad facultatem requirat consensum ipsius complicis, rectiùs id negat *Suarius disp.*34.*sect.*num.8. Quia tota causa & favor ad pęnitentẽm spectat.

Dico 2. Pœnitęns ad correctionem complicis, vel impediendum ejus delictum in bonum aliorum potest licentiam dare confessario, ut utatur notitia peccati complicis. Ita *Valent. d.*7. *quæst.*3.*dub.*3. *Ægid. Bellan. disp.*9. *dub.*1. *num.* 22. Quia non apparet virtus, cui opponatur talis licentia. Quidquid in oppositum dicant *Richardus dist.*21.*art* 5.*quæst.*2. *Angelus V. confessio* 1. *§.*3. *& Maior in* 4.*dist.*21.*art.*93.

1278. Nota 1. ut detur dicta licentia, postulari necessitatẽ complicis. & quod pęnitens per se ipsum nequeat utiliter corrigere. Nota 2. ut teneatur pœnitens ad talem licentiam dandam, præterdicta, requiri causam gravem. v.g. periculum relapsus, aut grave damnum impediendum juxta charitatis leges. Unde adultera potest monere complicem per confessariũ, ut caveat a marito. Nota 3. talem licentiam posse prodesse ad denuntiationẽ paternam, v.g. ut tollatur occasio non inquirẽdo, nocẽdo, molestando: non posse tamen prodesse ad denuntiationẽ

judicialem: unde si hæc judicetur necessaria, cogendus est pænitens ut ipse denunciet.

Rogabis, an superior possit uti prædicta licẽtia ad correctionẽ complicis? Bené resolvit *Suar. d. 34 sec. 4. n. 15.* nõ posse superiorẽ, ut ex confessione quorũda subditorum alios corrigat, v. g. obtinẽdo licet á pænitẽtis ad correctionẽ cõplicis, revocare ad se omnẽ jurisdictionẽ, vel præcipere ut confessiones subditorũ secum fiant. Hoc enim (inquit) valde violẽtũ & tyrannicũ foret. Unde *Clem. 8. in decreto de casuum res. pro regul.* §. 2. prohibuit superioribus confessiones audire, nisi subditi reservatum admiserint, vel sponte id ab eis petierint. Addit si post auditã confessionem intelligat postulare charitatem, ut corrigatur complex, posse tunc petere, & uti licentia. Addo expedire quód licentiam obtineat extra confessionem ad liberius agendum.

Complicis correctio ex notitia sacramentali.

3. Difficultas est, utrũ liceat aliquãdo uti notitia habita per cõfessionem absq; licentia penitẽtis? Constat licere usum talis notitiæ, quando nullum imminet periculũ revelationis, & non datur gravamen aliquod pænitentis: & contra non licere quando aliquod datur periculum revelandi directé vel indirecté, vel etiam ingerendi suspicionem. Ita *Suarius d. 33. sect. 7. Vasq. quæst. 93. artic. 4. & Bellanus dub. 4. numer. 51.* Unde sequitur 1. non esse licitum superiori ex tali notitia mutare loco, vel amovere ab officio cum tali periculo 2. posse imponi a confessario satisfactionem publicam, dummodo pænitens sponte acceptet. Si acceptare nolit, cogendus non est, ne datur indirecta revelatio.

Notitia sacramentalis usus absq; licẽtia pænitentis.

Quid si talis pænitentia sit medicinalis necessaria, qualis esse poterit dimissio officij, aut mutatio domus? Bené resolvunt *Henriq lib. 3. capit. 21. numer. 4. & Suar. num. 3.* confessarium, ut suo munere fungatur, debere instruere pęnitentem de obligatione, quã habet acceptandæ hujusmodi pænitentiæ, illam deinde imponere, & nisi accepterur, absolutionem negare.

1279. Dubitabis 1. an liceat aliquãdo usus notitię sacramẽtalis ad tollendam occasionẽ peccati invito pęnitẽte, cũ periculo suspicionis unius, qui talẽ occasionẽ sciebat? v. g. erigere parietem, vel claudere fenestram, qua subditi noctu egrediuntur. Affirmat *Henriq. quodlibet. 8. quæstio 29.* Negandum tamen omninó est cum *Suario d. 33. sect. 4. n. 4.* Quia id esset revelare confessionẽ, quod nunquã licitũ est, etiã in peccatis publicis.

Quid si solus pænitens id suspicetur? Bene resolvit *Suar. cit. n. 11.* licere, modo fiat absq; ullo gravamine pænitẽtis. Quia talis usus nõ redderet confessionẽ odiosã rationabiliter. Unde posset superior se emendare, si antea in vigilando desidiosus fuerat, modó non excedat modum regulæ. Dix (absque ullo gravamine pænitentis) quia nulla ratione superiori licitum est in tali casu subditum amovere ab officio, vel parare insidias, ut illum deprehendat in crimine.

Dubitatis 2. an secluso omni periculo etiam suspicionis, prælatus uti possit notitia sacramentali ad externum regimen? Affirmativam sententiam, quam communem vocat *Lugo d. 23. num. 92.* defendunt plusquam triginta authores apud *Sanches lib. 3. matr. disp. 16. a num. 2.* Eandem ex natura rei, seu sola ratione spectata improbare non audet *Suarius d. 33. sect. 7. num. 4.* Nihilominus negativam amplector cum eodem ibidem *Sanches num. 4. & Lugone disp. 23. num. 93.* Ratio est, quia ex natura rei si talis usus foret licitus, odderetur valde odiosa confessio, & homines ab ea averterentur. Unde *Clement VIII. decreto suo edito anno 1594. die 26. Maij* prælatis omnibus regularibus usum notitiæ confessionis prohibet. Strictiûs R. P. Claudius Aqua viva Societatis Generalis noster omnibus præcipit ne doctrinam contrariam publicé aut privatim doceant, ea ve utantur.

Notitia sacramentalis ad externum regimen.

1280. Ex dictis sequitur 1. ex notitia confessionis non posse prælatũ negare, vel auferre subdito officia quę aliás nec negaturus, nec ablaturus esset. Quod procedit etiã si officia sint ad nutũ amobilia, & ad libitũ cõcedibilia. Quidquid contradicat *Vasq. qui dub. 8. num. 5.* solum fatetur esse periculosum. Et quidẽ a fortori procedit, si ingerat suspicionem pænitenti, ut norat *Suar. numer. 4.* Sequitur 2. non posse confessarium cognito per confessionem indigno ad beneficium negare suffragium. Nam ad suadet athoritas Clementis prohibentis usum notitiæ sacramentalis regularibus. Nobis consentit *Suarius d 33. sect. 7. numer. 12.* quoad suffragia publica: quoad occulta veró solum dicit eligentem indignum taliter cognitũ ex confessione, non incurrere pænas contra malé eligentes, quia procedũt spectata notitiã ordinaria: imo probabilius nec culpa: quia nõ tenetur uti notitia quę talis actionis regula non est.

Indignus cognitus per confessionem

Dubitatis 3. an liceat confessario, v. g. parocho negare sacramẽta indigno, scilicet excõmunicato vitãdo, taliter cognito per confessionem, quãdo illa publ cẽ petit? Recté negãt *Henr. l. 3. c. 20. n. 4 & Suar. d. 33. sec. 6 n. 3.* Sumitur ex *c. pt. cum non ab homine de sent. excom. & capit. si sacerdos, de offic. ordin.* Nam ex tali negatione redditur sacramentum odiosum. Unde neque Eucharistia, neque ordo, neque matrimoniũ, & sic de alijs, negari poterũt in tali casu. Addũt *Suar. num. 4. & Lugo d. 23. num. 119.* etiam tali excommunicato pænitẽti privatim & occulto neque sacramentũ, neque convictum esse denegandũ: quidquid contradicant *Scotus d. 21. quæst. 2. & Navar in cap. Sacerdos de pæn. dist. 6. numer. 125.* Addit *Lugo numer. 124. & 125.* Sacerdotem qui ex confessione novit Ecclesiam esse pollutam, sive pollutio occulta fuerit, sive publica, non debere alios monere.

Sacramẽta quando possit conferri indigno.

Dubitabis 4. utrũm ex notitia confessionis liceat confessario fugere insidias, aut paratum in calice venenum, quando ex tali fuga sequatur indirecta revelatio solum quoad complices, vel saltem gravamen pænitẽtis? Affirmant

Mortis vitatio ex notitia cõfessionis.

Scotus

Scotus dist.21.quæst.2.ad 3.Gabriel art 3.dub.1. Major quæst.3.ad 2. Sylvestr. Verf. confessoris 3. quæst.2. Ægid. Bellan.dub.4 num.53. & Henr.cap. 24. num. 5.lib.3. Negandum tamen est cum *Vasq. dub. 10.num.5.&Suar. d. 33.sect.7. num.7.* Suadetur, nam illa indirecta revelatio est sacramento injuriosa, ideoque intrinsecé mala, & potiùs vita amittenda quàm injuria sacramento irroganda.

QUÆSTIO II.

Quænam sit malitia violationis sigilli, & quibus pœnis afficiatur?

1281. Constat 1. violationem sigilli continere malitiam in suo genere lethalem, & gravissimam. Nam materia hujus præcepti, & ejus finis sunt maximi momenti. Constat 2. violationem sigilli continere per se loquêdo duas malitias, alteram sacrilegij, & alteram injustitiæ: sacrilegij ex irreverentia sacramenti: injustitiæ, quia violatione sigilli per se loquendo infamatur proximus. Constat 3. malitiam sacrilegij esse inseparabilem. Quia impossibile est frangi sigillum, quin offendatur sacramentum.

Sigillum violantis malitia.

Difficultas est, an malitia injustitiæ sit etiam inseparabilis, itaut per violationem sigilli semper justitia violetur? Negant *Valent. quæst. 13. punt.4 &Vasq.q.93.art.4.dub.1.num. 9.* Quia aliquando evenit, ut sublata ratione sacramenti nô teneatur sacerdos naturale secretum servare ex aliquo pacto; ergo tunc sine injustitia poterit violari sigillum.

Nihilominus partem affirmativam judico non solum probabilem cum *Suar.d.33.sect.1. art. 14.* sed etiam probabiliorem cum *Lugone disp. 23. num.16.* Probatur, nam violatio pacti semper in justitia est: semper autem pactum includitur in confessione, & tacitè initur inter pœnitentes & confessarium, quo hic obligatur ad servandum id ad quod obligat prçceptû sigilli, juxta Christi intentionem, & sacramenti institutionem. Hæc tamen malitia injustitiæ (ut ait *Lugo d.23.n. 17.*) potest esse levis ex levitate materiæ, quando v.g revelatur aliquod veniale, cujus revelatio pœnitenti nec infamiam, nec ruborem affert.

Injustitia violantis sigillum.

Circa alteram quæstionis partem de pœnis, quas incurrit violator sigilli, tractant *Suar. d.33. sect.8.Fagund.de 2.præc.Eccl.lib.6.cap.7.Barb in collect.tom.2.lib.5.tit.38.cap.12.num.15.&Lugo d. 23. à num.146.* Rogabis 1. an dentur pœnæ aliquæ, quas violatores sigilli incurrant ipso jure? Quanvis *Speculator, & Majolus lib.5.de irreg. cap.19.n. 6.* dicant sacerdotem qui revelavit confessionem, ipso facto fieri irregularem: & alij dicant manere inhabilem ad testificandum in judicio: nihilominus tenendum est cum *Suar.num.1. & Lugone num.146.* nullam pœnam præter hoc delictum ipso jure incurri. Quia nullum apparet jus in quo pœna ipso facto incurrenda statuatur. Laicus autem si fit irregularis (ut notat Lug.) non est propter violatum sigillum, sed quia audivit serió confessionem fingens se sacerdotem. Denique revelantis testimonio nulla fides adhibetur in judicio, non quidem in pœnam, sed propter incapacitatem materiæ.

Pœnæ violantis sigillum.

Revelatio sigilli.

1282. Rogabis 2. Utrùm in jure statuantur aliquæ pçnæ, quibus sigilli violatores per judices Ecclesiasticos puniri debeant? Respondeo affirmativè cum citatis, & *Granado contr.7. de pœnit.trat.11.disp.8.* Nam *cap.sacerdos, de pœnit.dist. 6.* præcipitur ut violatores sigilli deponantur, ac perpetuó & ignominiosé peregrinentur. Hæc tamen perpetua & ignominiosa peregrinatio in *cap. Omnis utriusq; sexus, de pœnit. & remiss.* mutata est in perpetuam monasterij reclusionem. Addit *Henriq.cap.19. num.9.* confessarium revelantem aliquando fuisse degradatum, & aliquâdo morti traditum.

Punitio violantis sigillum.

Observandû est 1. dictas pœnas in jure præscriptas ferendas esse in confessarium, sive hic per se, sive per interpretem, sive alio modo confessionem exceperit: idque sive directè, sive indirecté revelet, tam formaliter quám æquipollenter, verbis aut factis, etiam si peccatum tantum veniale sit. Observandum est 2. omnem alium, qui confessarius non est, scilicet interpretem, vel qui casu, aut furtivé audivit: vel cui confessarius de licentia pœnitentis, aut sine illa aperuit, & similes non esse puniendos pœna ordinaria, sed alia pro gravitate delicti.

Rogabis 3. ad quem judicem spectet punire sigilli violatores? Constat non spectare ad judicem laicum, sed ad solum Ecclesiasticum, qualis est ab Episcopo constitutus. Dubitatur an possit & expediat hoc crimen deferri ad Inquisitores? Alij affirmant, quasi per tantum sacrilegium reddatur quis suspectus in fide. Alij dicunt Inquisitores non se ingerere, quando hoc delictû est mera confessionis revelatio. Et hanc praxim cum *Molfesio in summa tom.1.trat.7.cap.23.num. 68.* testatur *Diana tom.3.trat.8.resol.95.num.* His rectè assentitur *Lugo citat.148.* prout limitant (quando est mera confessionis revelatio) quia si habeat admixtum errorem, ut si confessarius diceret licitam esse violationem sigilli, vel aliter ostenderet se malé sentire de hoc sacramento, ad Inquisitores spectabit.

Iudex quis in puniendâ violatione sigilli.

1283. Rogabis 4. quomodo hoc dilictum probari debeat? Constat sufficienter probari per dictum confessarij, si hic afferat se in confessio ne audisse. Deinde conveniunt *Suar.num.3. & Lugo num.149.* sufficienter probari per multos pœnitentes, qui non sint contestes, sed testes singulares. Quia spectata qualitate delicti aliter vix unquam probari posset. Addit Suar. etiam conjecturis agendum esse.

Probatio violatione sigilli.

Dubitatur, cui nam incumbat onus probandi, quando sacerdos dicit se locutum ex alia scientia, vel de licentia pœnitentis, & pœnitens hoc neget? Onus probandi imcumbere sacerdoti videtur tenere *S. Thom.dist.21.q.3.art.2.ad 2* & hâc esse communem doctrinam fatetur *Navarrus cap. sacerdos num.164.* Hçc opinio judicatur difficilis à *Suario d.33 sect.8.num.4.* cum sacerdos probare nequeat licentiam illam, quæ regulariter secretó

datur. Favet *Sanch. lib. 3. Matr. d. 37. num. 5.* ubi si opponat tertius contra sacerdotem interfuisse matrimonio absque licentia parochi, ipsi tertio incumbit probare.

Quare resolvit *Suar. citat.* cum *Bernardo Dias in pract. crimin. cap. 109.* totum hoc ex conjecturis dijudicandum s, ectata probitate, & malitia sacerdotis: feceritne in proprium commodum, an in bonum, vel malum pœnitentis. Ab his nō discrepat *Lugo d. 23. num. 150.* addens *num. 151.* pœnitenti incumbere probare revelationis crimen, si id sacerdos neget. Quia nemo præsumitur malus, nisi probetur. Si autem sacerdos dicat se locutum ex alia scientia, ipsi incumbere probationem. Quia cum constet de revelatione, purgare se debet. Si autem dicat sacerdos se revelasse de licentia pœnitentis, idque neget quidā tertius pro pœnitente demortuo, huic tertio incumbere probationem: secus, si negaret ipse pœnitens. (Quia non ille, sed hic scientiam habet licentię non concessæ. Hæc non vocat examinare: nec si vacaret expedit: quia sunt fori externi. Quid in dubio? *Henriques* sacerdoti *Suares* pœnitenti favendum esse affirmat.

SECTIO VIII.

De ministro pœnitentiæ solicitante ad turpia.

QÆSTIO I.

A quibus præcipiatur denunciatio solicitantium, & quibus facienda sit?

1284. Apud *Bonacinam disp. 6. de oblig. denunc. punt. 3. a num. 1. Palaum trat. 4. disp. 9. part. 1. & Fragosum part 2 lib. 5. disp. 14. §. 1.* tres Summi Pontifices in suis Bullis pręcipiunt denunciari confessarium solicitantem ad turpia. *Pius IV. in Bulla 4.* quæ incipit *cum nuper* & *Paulus V. in Bulla Dilecte fili* edita anno 1608. die 16. *Septem.* jubent ut inquiratur contra hujusmodi delinquētes tanquam de hæresi suspectos. Quia verò dicti Pontifices loquūtur generaliter, *Gregorius XV. in Bulla expedita die 30. Augusti 1622.* incipiente *Universi Dominici gregis* illorum constitutiones cōfirmavit ampliavit. & extendit ad omnes existentes ubique terrarum.

Denunciatio ac solicitante ad turpia.

Præter hos tres Pontifices *Clemens VIII.* ut refertur in *quodam decreto supremi senatus Inquisitionis, edito die 3. Decembris Anno 1592.* solum statuit Inquisitorem generalem in Hispania posse procedere adversus quoslibet presbyteros seculares in sacramento pœnitentiæ, seu in actu confessionis sacramentalis solicitantes mulieres pœnitentes ad impudicitiam, seu peccata carnis, sicut & in alijs causis ad sanctissimum Inquisitionis officium pertinentibus, ut hactenus fecit, etiā privativè quoad superiores regularium, cujusvis ordinis & congregationis, etiam mendicantium existant, ipsosque regulares, non eximi ab onere deferendi, seu denunciandi hujusmodi delinquentes eidem S. Officio, quemadmodum in alijs casibus & causis Sanctæ Inquisitionis, in quibus alij Christi fideles de jure tenentur.

Bullas horum Pontificum ad extensum transcriptas affert *Fragosus citatus d. 14. a num. 1.* Quid vero inter ipsas discrepet, volens exponere *Palaus cit. d. 9. part 1. a n. 4.* notat 1. in omnibus relaus decretis solum pręcaveri solicitationem ad venerem, & non ad alia delicta etiam graviora. Notat 2. in Bulla Pij IV. in decreto Clementis VIII. solum haberi sermonem de solicitatione mulieris, at in Bulla Gregorij XV. cujusvis solicitationem præcaveri. Notat 3. in decreto Pij IV. & Clementis VIII. nullam imponi obligationem denunciandi præter eam quæ jure naturæ inest: at in decreto Gregorij præsupponi pœnitentes teneri confessarium sic solicitantem denunciare, insuper mandari omnibus confessarijs, ut eos de tali obligatione moneant.

Vereree delicta solum denunciand.

1285. Cum verò Inquisitores tum Castellæ, tum Lusitaniæ pro executione jurisdictionis a Pio IV. & Clemente VIII. sibi concessæ edicta sua sæpe evulgent, in quibus sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda præcipiant omnibus scientibus tale delictum, ut deferant ad tribunal S. Inquisitionis, fit, ut ab Inquisitoribus etiam præcipiatur illius denunciatio. Addit *Diana part. 4. trat. 5. resol. 31.* ex mandato Urbani VIII. per litteras Cardinalis Melini apud *Peyrinum in Bullam Gregorii XV.* teneri Archiepiscopos, & Vicarios generales sacerdotibus ad confessiones approbandis in ipsa approbatione legere.

Circa alteram quæstionis partem, quibus nā superioribus facienda sit hujusmodi denunciatio? Respondeo faciendam esse illi tribunali quod est magis idoneum ad procedendum in hujusmodi casibus, quale est tribunal S. Inquisitionis ita tamen ut si fiat Episcopo, & ille acceptet, non maneat quis obligatus denunciare Inquisitoribus: datur enim prævencio, ut ex Bulla Gregorii XV. cum *Bonacina num. 22. & 23.* tradit *Fragoso. cit. §. 3. num. 6. a n. 1.* & int mare, ut nimirum ex tunc cognoscant pœnas impositas confessarijs solicitātibus, & obligationem monendi pœnitentes solicitatos ad denunciandum, late probat jurisdictionem concessam a Paulo quinto sacro tribunali Inquisitionis non esse privativam sed accumulativam respectu Episcoporum. Probat, quia privativa conceditur cum inhibitione, ne alij de illis causis, seu causa possint cognoscere, vel inquirere, ut nos in *Elucidar. num. 1186.* exposuimus: hujusmodi autem inhibitio non reperitur cum hac restrictione in Bulla Pauli quinti, sed solum conceditur ut Inquisitores possint inquirere.

Denunciatio solicitantium quibus facienda.

Iurisdictio procedendi contra solicitantes qualis sit.

Verū quid est, quod in decreto Clementis VIII. (ut probat *Fagund. num. 5.*) in hoc casu cōtra solicitantes habent Inquisitores privativam jurisdictionem quoad superiores regularium ita ut prælati regularium nequeant cognoscere de regularibus, si forte regularis aliquis solicitet.

QUÆS-

QUÆSTIO II.

Qualis solicitatio denunciari debeat?

HÆC quæstio decidetur varijs dubijs expeditis: primum dubium est quid sit solicitatio, & qualiter certa, ut denuncietur? Solicitare ad actus inhonestos (ut exponunt *Sanctarel. de hæresi quæst.44. & Seraph. de Freytas quæst.1. num. 14.*) est invitare, allicere, & provocare ad turpia, etiam si actus non sint completi. Unde *Fragos. cit. num. 1.* solicitationem prohibitam judicat quæ fit actibus, aut verbis, aut nutibus, ut ictu oculorũ: & multo fortius, si confessarius osculetur pænitentem, vel amplexetur, illiusve manum, aut aliam partem attrectet.

Solicitare quid sit.

1286. Quid si dubia sit solicitatio, nempe dubitetur, an confessarius signum aliquod ex relatis fecerit, animo pænitentem fæminam provocandi? Denunciandam affirmat *Sanctarel. cap. 44.* Negandum tamen est cum *Aloys. Ric. in collect. decis. part. 1. coll. 220. Franc. Molina de ritu nupt. lib. 1. comp. 17. num. 2. & Farin. in praxi crimin. part. 3. quæst. 85. a num. 27.* Quia dubia in meliorem partem sunt interpretanda: itaut semper fiat benignior interpretatio.

Solicitatio dubia.

2. Dubium est, an sit denunciandus Inquisitoribus confessarius qui solicitat in confessione non ad venerem, sed ad alia scelera graviora? Affirmat *Pegna in director. inquisit. 2. part. commen. 81. versic. ille quoq;.* Negandum tamen est cum multis quos citant ac sequuntur *Bonac. citat. num. 13. Cumba tract. de solicit. quæst. 8. num. 3. & 6. Ioan. Sanc. disp. 11. num. 23. Palaus tract. 6. d. 9. part. 6. & Fragos. citat. §. 1. num. 3.* Quia licet Inquisitores ob facultatem generalem, quam habent ad cognoscendum de hæresis suspectis possint cognoscere de prædictis, at pænitentes non tenētur illos denũciare Inquisitoribus, quia nullibi præcipitur eã denunciationem fieri. Hæc igitur denunciatio, sicut & solicitantium ad venerem in usu aliorum sacramentorum solum facienda est juxta leges charitatis in correctione fraterna.

Suspecti de hæresi.

3. Dubium est, an sit denunciandus Inquisitoribus Sacerdos qui in confessione solicitavit fæminam aut virum ad concubitum nefandum, vel alios impudicos actus? Non loquimur de obligatione orta ex lege naturali, sed ex præcepto Ecclesiastico *Pij IV. & Clementis VII.* Negat *Fagundes de præcep. Eccl. 2. part. lib. 4. cap. 3. numer. 31. post medium.* Quia decreta horum Pontificum solum loquuntur de solicitantibus fæminas ad venerem. & rigor decretorum potius mitigandus est, quàm extendendus. Affirmandum tamen omninó est cum *Rodrig. tom. 1. regul. q. 50. art. 4. sine Ioan. Sanc. disp. 11. num. 12. Palao citat. part. 2. nu. 3. & Artenba de solicit. quæst. 6. a num. 6.* ubi affirmat idem judicasse Suarium consultum. Ratio est, quia ibi potiùs attenditur favor sacramenti extẽdendus, quàm mittigandus rigor contra delinquentes maiori turpitudine ejusdem generis. Dicta procedunt secundùm decreta *Pij & Clemẽtis?* Quia omnis dubitatio sublata est per Bullam *Gregorij XV.* utrumque sexum comprehendentis.

Solicitatio Sodomitica ad denunciandum.

1287. 4. Dubium est, an confessarius solicitans fæminam aut virum ad actus solum venialiter inhonestos, denunciari debeat sub gravi obligatione? Affirmant *Seraphinus a Freitas quæst. 7. num. 33. & Ioan. Sanch. disp. 11. selecti num. 21.* quia licèt contra castitatem peccata venialia externa sint, fæminæ scilicet manum tangere, vel mamillas, intorquere digitos, & similia, absque periculo pollutionis, tamen si fiant in confessione ante vel post immediatè, manent lethalia contra religionem.

Nihilominus *Castro Palao citato punt. 3. numer. 3.* videtur non improbabile, si pænitens intelligat confessarium prædicta gerentem nullo modo habere animum ulteriùs progrediendi, neque ipse pænitens habeat periculum consentiendi in grave crimen, non committi lethale peccatum contra religionem, proindeque non contrahi gravem obligationem denunciandi.

5. Dubium est, an sit denunciandus sacerdos qui in confessione tradidit pænitenti chartã provocativam ad venerem, sed legendam post confessionem? Affirmat *Ioan. Sanch. disp. 11. select. num. 31.* Quia illa chartæ traditio est incepta solicitatio, per quam sacramento irrogatur gravis injuria: si quidem eo tempore, quo monendus erat pænitens de mala vita mutanda in bonam, traditur ei instrumentum quó persistat in mala, & fiat peior.

Solicitatio per scriptum.

Palao tamen citato *punt. 4. num. 3.* videtur probabile talem chartæ traditionem non esse solicitationem comprehensam in Bullis, si charta non immediatè post sacramentum legatur, sed transacto jam tempore? Quia illa chartæ traditio non est vera solicitatio, sed tantum causa futuræ solicitationis 2. quia finis intentus in Bullis est ne pænitens loco medicinæ venenũ hauriat, & quando Deo conjugendus est, ab eo magis separetur: hic autem finis cessat, nec habetur per traditionem chartæ. Ego defendens priorem sententiam omninò credo talem denũtiandũ, & chartam ipsam sacro tribunali tradendam. Quia talis chartæ traditio in confessione fuit actualis solicitatio in radice, & fortassis peior: quia in scriptura ipsa permanentior, & persuasibilior. Accedit sublatam esse probabilitatẽ contrariæ opinionis per reprobationem S. Pontificis Alexandri VII. qui anno 1665. damnavit hanc propositionem (*Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit pænitenti chartam post ea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur solicitasse in confessione, ac proinde non est denunciandus.*) Damnavit etiam hanc (*Modus evadendi obligationem denũciandæ solicitationis est: si solicitatus confiteatur cũ solicitante: hic potest illũ absolvere absq; onere denũciandi.*)

6. Dubium est, an ad denuntiationẽ omninò requiratur quòd fiat solicitatio semper ut habeantur venerei actus inter confessarium & pænitentem? Mihi certa est negativa resolutio, quæ patebit in casibus sequẽtibus. 1. Est, si sacerdos fæminam solicitet ut alium admittat ad copulam fornicariam. Nam *Ioan Sanch. disp. 11. n. 43.* Graf-

Solicitatio ad venerem ex e tend. in cum alio.

43. *Graffis conf.1.num.41.& Acunba quest.17.nu.5.* recte sentiunt comprehendi in Bullis cum veré ad turpes actus inducat pænitentem 2. est si cõfessarius fæminam solicitet nõ sibi vel alteri turpiter conjugendam, sed ut mediet, vel intercedat ut alia consentiat in fornicationé. Hic enim casus certissimé comprehenditur in Bulla Gregorij XV. & quanvis *Freytas num.14.& Acunba quest.17.num.8.* probabile judicent non comprehendi in decretis Pij IV.& Clementis VIII. *Palaus cit.p.5.n.2.* existimat probabilius cõprehendi.

1288. Quid si fæmina confessarium provocet ad copulam, ipse verò renuens, & solum intendens se tactibus oblectare, ad eosdem fæminã provocet? *Ioan.Sanch.disp.11.num.28.fine* putat esse casum denuntiationis. Quia revera confessarius solicitavit ad tactus venereos. Negat *Palaus citat.num.4.* quia tunc confessarius per talem solicitationem ad partem nempe tactus, solum videtur consentire fæminæ solicitanti ad totum, nempe copulam, cujus partes, seu dispositiones sunt impudici tactus proindeque illam non solicitare. Secus esset (inquit) si confessarius fæminam solicitantem ad congressum sodomiticum, provocaret ad naturalem. Quia inter illos non datur dicta subordinatio. Mihi videtur prædictum esse omninó denunciandum saltem, quia habuit illicitos, & inhonestos sermones, & tractatus. Ita *Fagund.prac.2.lib.4.cap.3.num.56.* cõtra multos apud *Dian. part.1.trat.4.resol.11.* Imo id credo, si statim, ac solicitationi per turpia verba acquievit ab illis desistat, & differat complementum in aliud tempus, dilata etiam absolutione.

7. Dubium est, quænam solicitatio censeatur facta immediaté ante, vel immediate post confessionem, ut debeat Inquisitoribus denunciari juxta decretum *Gregorij XV.* & edictum Inquisitionum? Ex *Paramo lib.3.quest.10.numer.47. Freytas quest.5.num.20.& Ioan.Sanch.d.11.num.49.* illa dicitur solicitatio ante vel post confessioné immediaté, quando inter solicitationem & confessionem nihil aliud mediat, itaut ad actus extraneos neque pænitens, neque confessarius divertat. Unde si fiat solicitatio post diversionem ad tales actus denuncianda non est.

Solicitatio quænam dicatur ante, vel post immediate confessionem.

Quid si fæminæ volenti statim confiteri persuadeat confessarius ad venerem dissuadens confessionem? Erit solicitatio denuncianda. Quia non requiritur ut sequatur confessio. Dixi (statim confiteri) quia oppositum est tenendum, si fæmina dixit confessario se velle in crastinum confiteri. Item non est solicitatio denuncianda, si tempore quo facta fuit, neuter cogitavit de confessione, etiam si immediaté sequatur confessio. Secus si immediaté post confessionem fæminam insequatur, & in itinere solicitet. Item si post confessionem accedat ad domum pænitẽtis, & ibi eam solicitet: vide *Dianam part.1.trat.4.resol.14.fine.*

Quid si fæminæ dicenti se velle statim confiteri dissuadeat sacerdos confessionem, animo provocandi ad venerem: erit ne talis dissuasio solicitatio in confessione? Respondeo affirmativé cũ *Ioan. Sanch. disp.11.n.49.& Palao p.7.n.9.* si animus manifestetur sufficienter fæminæ, itaut possit ipsa intelligere, talem dissuasionem nasci ex animo provocandi ad venerem: secus si dictus animus non manifestetur. Prædictis addit *Sousa lib.1.cap.34.num.39.* denunciandum esse qui solicitaret puerum in cellam ductum titulo audi chirographum confessionis jam dudum peractæ. Quia hoc penderet a confessione. Certé (ut tenet *Freytas quest.14.num.16.*) denunciari debet confessarius qui pænitentem se munientẽ signo crucis interrumpens solicitat, dilata in aliud tempus absolutione, vel etiam statim ubi ad cõfitendum genuflectit. Secus, si pœnitentem solicitaret per literas amatorias in domum missas, vel per lenonem. Ita *Acunba quest.5.num.15.* Vide *Tragosum citatum §.4.*

1289. 8. Dubium est ex quibus signis & actibus intelligi possit solicitatio denuncianda? Existimo esse signum solicitationis omninó denunciandæ dicere pænitẽti verba manifesté turpia, quæ indicarent animum lascivum: quia hoc est habere inhonestos tractatus. Addit bené *Sousa lib.1.cap.34.& cap.18.num.14.* apud *Dian part.4. trat.5.resol.47.* esse denunciandum confessarium, qui satisfactionem fæminæ imponit, ut ab ipso nuda verberetur: vel sibi verenda ostendat, quæ in confessione infirma esse dixit, dum hæc postea accidunt. Addit *Bonac.d.6.part 3.num.5.* sufficere verba solicitationis tacitæ, qualem confessarius judicabitur facere, si fæminam laudet de eleganti pulchritudine, cum hujusmodi cõmẽdatio soleat fœminas multum allicere: bené tamé limitat, nisi præsumatur rationabiliter confessarium alia diversa intentione laudasse. Dixerat num.3. denunciandum esse confessarium qui osculetur, vel turpiter attrectet fæminam, quæ inter confitendum gravi somno, aut paroxismo correpta fuit. Secus (inquit) si interius delectetur, aut voluntarié polluatur, fæmina non advertente, etiam si illi extra confessionale hoc postea aperiat.

Solicitationis signum.

Pulchritudinis laus ad solicitandum.

9. Dubium est, an denuncianda sit solicitatio facta in confessione ficta, seu simulata? Non intelligimus per confessionem simulatam eam quam quis facit animo se accusandi sacramentaliter, sed sine dolore, & alijs requisitis ad sacramentum: quia hæc vera confessio est. Intelligimus eam, quæ fit.1. quãdo uterque ut tractent liberiús de rebus inhonestis confessioné simulãt. 2. si pænitens accedat ad confessarium non animo confitendi, sed alia tractandi, existimetur tamen a videntibus accedere ad confessionem: tũc enim simulatur confessio.

Simulata confessio ad solicitationem.

Conveniunt *Palaus trat 4. d.9 part. 8.num. 2. & Ioan.Sanch.d.35.num.3.* si pænitens & sacerdos accedant primo modo, scilicet facta conventione tractandi turpia, & committant gravissimum scelus contra castitatem, & religionem, excusari pænitentem a denuncianda, ne se prodat.

Ii ij secun-

In secundo modo, quando nempe pœnitens accedit animo tractandi alia negotia, si solicitetur ad turpia, tenetur denunciare confessarium solicitantem juxta *Bullam Gregorij XV.* Ita *Ioan. Sanches d.11.num.40.66. Palaus citat. num.14.* Ratio est, quia Pontifex præcipit ut denuncientur solicitantes ad turpia occasione vel prętextu confessionis. Notat *Palaus num.5.* ubi Bulla Gregorij recepta non fuerit, fœminam dicto modo solicitatam non teneri sacerdotem denunciare Inquisitoribus.

10. Quinam veniant in citatis decretis confessarij seu sacerdotis solicitantis nomine, ut denuncientur? Constat venire denunciandum sacerdotem verum, etiam omni jurisdictione carentem. Dubitatur de Episcopis, nuncijs, & legatis sedis Apostolicæ. Non venire Episcopos solicitantes ut denuncientur Inquisitoribus, rectè docet *Pallaus cit. part.9. num.2.* Quia Episcopus etiam in delicto hęresis non est subjectus Inquisitoribus ex *cap. Inquisitoris de hæretic. in 6. & Trident. sess.24. cap. de reform.* Nomine Episcopi Inquisitoribus non subjecti (ut tenent *Ioan. Sanch. d.11. num. 33 Mol. tom.6. de just. trat. 5. disp. 28. num.19. & Acunha quæst. 12. num.7.* veniunt titulares, vulgo *Bispos de Anel*, item electi, si a Pontifice sint. Electi tantum, & nondum approbati seu confirmati a Pontifice subdûtur Inquisitoribus, quibus proinde denunciari debent.

Confessarius denũciandus qui.

Episcopus solicitans

Nuntius Apostolicus si solicet.

1290. Nuncij & legati Sedis Apostolicæ, alijque ejusdem Sedis ministri & officiales nec Inquisitoribus, nec Ordinarijs denunciari possunt: quia neutris illorum etiam in delicto gravissimo subduntur, juxta *Molinam citat. num.20. & Farin. de hæresi quæst.136.* Notat verò *Molina ibidem* dicēdos esse Sedis Apostolicæ delegatos, seu ministros & officiales, qui Sedis Apostolicę delegatos, seu ministros & officiales, qui Sedis illius nomine ad negotiū ejusdē Sedis tractandū mittūtur: nō autē illos qui ad causas particulares inter alios judicādas a Sede Apostolica mittūtur: hic enim nō ad causas Sedis Apostolicæ, sed ejusdem authoritate ad causas particulariū judicādas designantur.

Quid si Inquisitor solicitet. Estne denunciandus tribunali, an ordinario? Respondeo cum *Molina cit. trat. 5. disp.28. num. 20. & Palao citat. part. 9. num.3.* decidendum esse dubium juxta duplicem sententiam: qui enim fuerit sequutus *Eymeric. lib.3. direct. quæst. 30. & Pegnam scol.79.* dicentes Inquisitores esse recensendos inter delegatos Sedis Apostolicæ, ejusque officiales, affirmabit Inquisitorem solicitantem, neque Episcopo esse denunciandum: qui autem sequutus fuerit *Simanch. tit.25.* Inquisitores esse subdelegatos & commissarios Inquisitores Generalis, asseret neque Episcopo, neque alteri Inquisitori esse denunciandum, se vel supremo senatui, vel Inquisitori Generali, qui subditur Docet verò *Molina trat.5. d.28. num. 20.* quanvis Episcopus & Inquisitor denunciari nequeant, ut puniantur ab alijs Inquisitoribus, posse tamen Inquisitores (si fiat denunciatio) accipere depositionem testium remittendam Sedi Apostolicæ, vel Generali Inquisitioni. Subscribunt *Acunha q.12. n. 9. & Ioan. Sanch. d.11. n.34.*

Inquisitor solicitans.

Quid de laicis qui sacerdotes fingunt, & solicitant excipientes confessionem? Benè respondet *Paulo p.9. n.5.* non comprehendi in citatis decretis, cum hæc expresi loquuntur de sacerdotibus. At comprehenduntur in constitutione *Gregorij VIII.* lata contra eos qui sacerdotes simulant, ut excipiant confessiones. Ut tamen denuncientur, postulatur ut impendant absolutionem. Ita *Ioan. Sanch. d.11. n.36. & Acunha q.13. n.13.* Interpres (inquit cū citatis *Palaus n.6. & 7.*) etiam si sacerdos sit, & solicitet, non venit denūciandus ex tenore Bullarum. Qui non est confessarius, sed potiùs & parte pœnitentis se tenet. Similiter pœnitens solicitans.

Laicus confessarius simulans.

Interpres solicitās.

QUÆSTIO III.

Quanam excusent a denunciando solicitantes?

1291. PRO decisione hujus quæstionis oportet multa dubia expedire. Dubium est 1. an cesset obligatio denunciandi, si præmissa correctione fraterna speretur solicitans integrè emendandus? Affirmant *Fagundes de 5. præc. Eccl. 2 p. lib.4. cap.3 1. n.1. & Sayrus in clavi lib. 11. c. 3. n.6. & Gutier. in canonic. lib.1. c. 11. a n. 20.* post alios qui affirmant quoties prælati jubent sub excommunicatione latæ sententiæ denunciare delinquentes id esse intelligendum servata forma juris naturalis & divini, quale datur de præmittenda correctione fraterna.

Emendatus an denunciandus.

Negandum tamen est cum *Bonacina d. 6. p. 3. n.9. Henriq. lib.6. cap.24. n.10. Acunha quæst.18. n 10. & Fragos. p.2. lib.5. d.14. §.1 n.7.* Quia crimen solicitationis, cum redat suspectum in fide, regulari debet quoad denuntiationē per crimen hæresis, in quo nula præmititur fraterna correctio. Palaus quanvis inclinet in oppositum, addit obligationem denunciandi raro cessare, quia rarò speratur emendatio.

Dubium est 2. an cesset obligatio denunciandi, quando constat solicitantem esse omninó emendatum? Affirmant *Sayrus in clavi lib.12. cap. 14. n.24. Henr. tom.2. lib.13. cap.18. n. 3. Salon. 22. q. 68. art.1 contr. 1. Frag cit. n.8.* Quia cessante causa cessat effectus: causa autem denunciationis est emendatio futura, quæ jam datur præsens. Emendatus autem præsumitur criminosus per spatium trium annorum juxta *Farinac. praxi q.13 num.26.*

Correctio fraterna ante denunciati-

Hæc tamen resolutio non valde placet *Bonacinæ citato num 9.* ubi ait denunciandum esse cōfessarium, etiam si post solicitationem statim eū pœniteat. Tum quia denunciatio & inquisitio contra hujusmodi delinquentes judicialiter fieri solet, nec instituitur tantum ad emendationē delinquentis, sed etiam in pœnam, ut tam ipse quam cæteri metu pœnæ a tali dilicto in posterum retrahantur.

Solicitantis diffamatio.

Dubium est 3. an cesset obligatio denunciandi,

di, quãdo solicitans nullo modo est de tali crimine diffamatus, itaut nullo modo in judicio probari possit? Affirmant *Fagund. citatus, & alij* ques tacito nomine allegat *Fragos.* §.1.n 10. Quia in *Bulla Pauli V.* dicitur quòd denunciandus de hoc crimine debet esse *quomodolibet infamatus*, & quia *Navarrus cap.25.n.46.l.ent.de excom.lib.13.cap.18. num.* 3. & alij communiter dicunt denunciationem præceptam sub excommunicatione regulariter non obligare in delictis occultis, quæ probari nõ possunt, excepto crimine hæresis.

1292. Negandum tamen est cum *Palao.p.* 10.*n.*3. *Bonacina citato n.*11. *Acunha.q.*10. *Sanctarello n.*12.*& Fragoso n.*10. Ratio est, quia in hoc delicto utpote gignente suspectionem de fide, procedendum est diverso modo atque in alijs: præcipué, quia si talis excusatio valeret, fæmina solicitata fere nunquam teneretur denunciare: si quidem hoc crimen secretissimè committitur. Verba Pontificis *quomodolibet infamatus* ita intelligi debent, ut non postulent esse infamatum apud alios, sed solum apud fæminam solicitatã: nam adverbium *quomodolibet* restringit infamiam.

Secretum naturale. Dubium est 4. an cesset obligatio denunciandi, quando quis sub secreto naturali scivit solicitationem? Affirmat *Fagundes citatus*: quia tale secretum non vergit in damnum proximi, & ex alia parte obligatio illius est de jure naturali: denunciatio verò, de jure positivo. Negandum tamen est cum *Palao citato p.*10.*n.*5. Quia secretum naturale servandum non est quando cedit illius observatio in damnum commune: at non denunciare solicitantem vergit in detrimentum sacramenti pænitentiæ, & illuc accedentium, quibus loco medicinæ paratur venenum.

Solicitata persona infamia. Dubium est 5. an amissio honoris, & jactura famæ (sive damnum hujusmodi sit inferendum fæminæ solicitatæ, sive ipsius parentibus) excuset a denunciatione? Rectè affirmant *Navar.in sum. cap.*22.*n.*83. *Henr.de matr.cap* 9.*n.*4. *Sanch. de matr. l.*3.*disp.*13.*n.*4. & alijquos refert ac sequitur *Fragos.p.*2.*lib.*5.*d.*14.*§. a n.*2. Ratio est, quia si metus amittendi amplum patrimonium est cadens in virum constantem, & æquiparatur metui mortis, a fortiori timor infamiæ ex *l. justa ff. de manumissis vindict.* talis autem metus excusat a denunciando. Quod intelligitur, si infamia sit gravis: secus si sit levis. Unde excusabitur (inquit *Fragos.num.*4) fæmina honesta sub potestate patris constituta quæ nõ potest exire domo neq; adire Episcopũ, neq; ejus vicariũ, & multo fortius excusabitur, si oporteat ire ad vicariũ Episcopi, vel Romam. Vide *Gutier.lib.*1.*canoc.c.*11.*n.*13.

Solicitata quæ consentit. 1293. Dubium est 6. an teneatur denunciare fæmina solicitata quæ præbuit consensum? Videtur Negandum ex traditis a Navarro de hæreticis conf.5.num.3.*per cap.quis aliquando. de pænit.dist.*1. quia nemo tenetur se prodere, quando non legitimé interrogatur. Affirmandum tamen est cum *Sanctarel. de hæresi cap.*44.*num.* 12. *Acunha q.*10.*n.*5.*& Bonac.tom.*1.*tr.de solicitat.n.*10 quos citat & sequitur *Frag.cit.n.*5. Quia fæmina illa non tenetur se detegere, nec se prodere, sed solum manifestare solicitantis turpitudinem: quod si de consensu interrogetur, negare potest amphibologicé per restrictionem mentis, ut sic vitet mendacium.

Dubium 7. an teneatur persona solicitata deferre confessarium solicitantem, postquam cõfessarius ob aliorum delationem jam convictus, vel confessus abjuravit, & pænam subijt? *Frag. cit.num.*10. absoluté negat. Quia ex tex. in *cap. quanto* 3. *de translatione Episcopi* ex quo pro eodẽ crimine fuit quis jam punitus, non debet rursus puniri, nisi de novo in idem relabatur. *Bonacina* tamen *n.*15. respondet bené cum distinctione, ita ut si confessarius fuit confessus vel convictus de solicitatione illius pænitentis nondum denunciantis, excusetur a denunciando: secus si solum fuit, convictus de alijs solicitationibus. Quia solum in priori casu militat ratio de non subeundo bis punitionem.

Dubium est 8. an teneatur denunciare solicitantem, qui habet notitiam solicitationis, quam accepit, non immediaté a confessario solicitante, nec a pænitente solicitato, sed ab alio tertio? Negat Bordonus de Sacro tribunali cap.23.n.94. & probat, nam audiens ab alijs, qui non sunt confessarius solicitans, vel pænitens solicitatus, non dicitur in hoc casu scire, & habere notitiam de crimine. *l.*2.§. *idem Labeo ff.de aqua pluv.al.arc.* ubi dicitur: *quod audiui nescire dixeris.* Suple, si proveniat ex audito mediate: eo quód ille qui crimen tibi narrat, ab alio audivit. Ego sentio, in hac materia, standum esse praxi S.Inquisitionis.

QUÆSTIO IV.

Quibus pænis afficiantur solicitantes in confessione?

Notandum est 1. solicitantes in confessione præ se ferre suspicionem hæresis, seu de hæresi esse suspectos. Ita ex *Paramo de origine S.Offic. q* 10.*n* 97. *Farinac.in praxi crimin. par.* 4. *de delict s carnis q* 137.*n.*28 *& Acunha q.*2.*n.*7. *Bapt Fragos. p.*2.*lib.*5 *disp.*14.§ 5.*num.*1. Sumitur ex proemio Constit. Pauli V. Nos (inquit) *in animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide catholica rectè sentiunt, sacramentis a Christo institutis abutantur, aut illis injuriam faciant.* Sumitur deinde ex eo quia fundamentum jurisdictionis quasi ordinariæ Inquisitorum sunt crimina, quæ de hæresi suspicionẽ ferunt. *Pænæ solicitantiũ*

1294. Notandum est 2. cum citatis solicitationem factam in confessione continere duplex crimen, alterum incestus, alterum sacrilegij. Continet incestum, quatenus pater spiritualis solicitat ad venerem filiam spiritualem: continet sacrilegium, quatenus solicitatio illa est indigna tractatio rei sacræ, nempe sacramenti pænitentiæ, cui gravis injuria irrogatur. His positis.

Dico 1. solicitantes in confessione incurrunt pænas, quibus suspecti de hæresi afficiuntur. Ita *Paramus cit.q.*10.*n.*90. *&* 97. *& Pegna* 2. *p. direct. Glos de hæreticis comm.*81.*fol.*383.*col.*2. Ratio manifesta sumitur *Pæna contra suspectos de hæresi.*

tur ex primo notando. Pœnæ autem contra suspectos de hæresi (ut tradit *Fragos. citat. n.*) sunt arbitrariæ) utpote pendentes ex varijs circunstantijs. Unde rectè monet *Calder. tract. de hæreticis rub. de hæreticis redeun. n.* 1. In pœnis imponendis aliter procedendum contra simplices, aliter contra prudentes, aliter contra laicos, aliter contra Ecclesiasticos.

Dico 2. Sollicitantes in confessione affici debent pœnis, quas incurrunt sacrilegi & incestuosi. Ita supponitur a citatis authoribus, cum verè committant sacrilegium & incestum. De sacrilegorum pœnis egimus *tract.* 32. *sect.* 5. In jure civili *l. aut facta* §. *locus ff. de pœnis*, pœna ordinaria sacrilegij capitalis est: & olim sacrilegi vel ex saxo præcipitati, vel pœna parricidarum solebant puniri.

Sacrilegorum pœna

Circa pœnam incestus notari debet ex *Boerio decis.* 316 *num.* 2. actum sollicitandi non reputari pro actu perfecto, nisi compleatur. Affectus enim non punitur pœna incestus ordinaria, nisi sequatur effectus, ut tradunt *Dueñhas regul.* 18. & *Tusch. lit. C. concl.* 544. limitant aliqui in atrocibus delictis, v.g. læsæ majestatis, simoniæ, veneficij, & propinantis venenum.

Affectus qualiter punitur.

Insuper ex *Paramo quæst.* 10. *nu.* 166 addit *Fragos. num.* 3. confessarios sollicitantes posse suspendi, privari officio ac beneficio, & alijs pœnis affici: subjungit debere suspendi a confessionibus, præsertim fœminarum excipiendis. Vide *Ruccium in praxi fori Eccles. decis.* 369. *num.* 1.

1295. Dubium est 1. an confessarius sollicitans, si sit nimis impurus, & incorrigibilis tradi possit brachio sæculari? Videtur negandum: quia talis etiam si relabatur, solum censetur suspectus de hæresi: hujusmodi autem suspectus, etiam relapsus seculari brachio tradendus non est. Nihilominus affirmandum est cum *Fragoso* §. 5. *num.* 5. dummodo præcedat degradatio. Sumitur ex verbis Paulinæ: *Procedas ac culpabiles repertos juxta excessuum suorum quantitatem prout juris fuerit puniens eos, etiam si & prout de jure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione sæculari judicis arbitrio puniendos tradendo.*

Solicitans incorrigibilis.

Dubium est 2. an sollicitans suspectus in fide abjuret de levi? Respondeo Affirmativè cum varijs, quos citat ac sequitur *Fragoso num.* 6. Quia suspecti de hæresi suos errores compelluntur abjurare. *Paramus citatus quæst.* 10. *num.* 166, dicit hanc abjurationem esse faciendam in secreta aula sancti officij coram Episcopo loci, & alijs viris religiosis. Addit *Camera* Sollicitantes non esse publicè puniendos propter scandalum.

Abjuratio facienda per solitanem.

Dubium est 3. quot, & quales testes sufficiant ad probandam solicitationem? Conveniunt citati authores cum *Fragoso num.* 7. *Palao punct.* 11. & *Ponacms num.* 24. sufficere testes singulares ad hujusmodi delicti probationem & punitionem. Qualiter autem probare possint, est dissidium. Nam *Bonacina num.* 24. asserit posse probari crimen hoc per testes singulares, nempe fœminas, quæ asserant se sursim sollicitatas seorsim a tali confessario, & deponant de diversis actibus sollicitationem inferentibus. *Fragosus tamen num.* 7. non sufficere duos testes, quorum unus deponat de uno actu, & alter de alio, proindeque in nostro casu testes singulares non sufficere ad puniendum pœna ordinaria, sed arbitraria. Ita *Clarus in pract. quæst.* 53. *Vers. dixi etiam* & *Pegna in direct. part.* 3. *comment.* 121.

Probatio solicitationis.

Observat bene *Bonac. n.* 26. non plene probari hoc crimen per testimonium duarũ fœminarum: quia fœminæ sunt leves, & fraudulentæ: atque adeo relinquitur Inquisitorum arbitrio, quot sufficiant fœminæ ad probandum hoc delictum, si sacerdos solicitans sit relaxandus seculari brachio. Ita etiam *Sanctarel. de hæresi cap.* 44. *num.* 6.

Qualiter, soleant Inquisitores Hispaniæ procedere in causa sollicitationis ad hoc delictum probandum & puniendum, breviter ac dilucidè exponit *Palaus tract.* 4. *disp.* 9. *puncto* 11. Illum vide. Quia nos ad exponendam satisfactionem sacramentalem, properamus.

SECTIO. IX.
De satisfactione sacramentali.

QUÆSTIO I.
Quænam sit potestas & obligatio Sacerdotis ad imponendam satisfactionem.

1296. Notandum est. 1. ex Trident. sess. 14. cap. 8. regulariter loquendo condonata culpa, superesse reatum pœnæ temporalis, pro qua satisfactio adhibenda est. Notandum. 2. ex varijs sacræ paginæ locis, quos refert *Bellarm. lib.* 4. *de pœnit. cap.* 8. & diffinitione *Trident. sess.* 6. *cap.* 14. posse hominem suis operibus satisfacere pro pœna temporali, quæ demissa culpa, luenda manet. Notandum. 3. satisfactionem quæ per confessarium imponitur pœnitenti, esse partem sacramenti non quidem essentialem, sed integralem.

Quod attinet ad quæstionem propositã, certum est sacerdotes in confessione sacramentali tanquam verè judices habere potestatẽ injungẽdi satisfactiones pœnitentibus secundùm gravitatem peccatorum. Hoc esse definitum de fide tradit *Vasq. quæst.* 94. *art.* 2. *dub.* 1. *num.* 5. esse veró ita certum, ut sine temeritate negari non possit, docet *Suar. d.* 38. *sec.* 7. *n.* 2. Et certé duo hi authores qui sunt duo præclarissima lumina Societatis Jesu, multumque fulgent inter reliquos, quantumvis omnimoda eruditione præclaros, & insignes, tantam adepti fuere apud omnes, qui in omni literaturæ genere, sunt versati, opinionem, sive existimationem, ut unusquisque tam Vasquez, quam Suarez sola prolatione suæ sententiæ, quin eam firmet ullis rationibus, conferre possit probabilitatem, quam Theologi vocant extrinsecam.

Satisfatio sacramentalis.

Difficultas est, an sacerdos hujusmodi potestate valeat pænitentem cogere ad satisfactionem acceptandam, an in hoc ab ipsius pænitētis voluntate pendeat? *Scotus in 4.d.18.q.1.a.1. Sylvester V.confessio 1.q.15.& Navar.in sum.c.26.n.20.* asserunt pęnitentē non posse obligari a confessario ut satisfactionē acceptet, & exequatur, cum possit reservare ad aliā vitā, ut in Purgatorio integré solvat: si tamen acceptet, obligari ad eam implendam.

Cōmunis tamen & omninó vera sententia, quā defendūt *Valentia.q.14.punt.4.& Bel.de pænit. l.4.c.5.* asserit confessariū posse obligare pænitentē ad acceptandē satisfactionē, ipsamque illi imponere independenter ab illius voluntate. Constat, nam *Florentinum in decreto Eugenij* docet satisfactionem esse imponendam secundúm arbitrium sacerdotis, & non secundum arbitrium pænitentis. Et *Trident. sect.4. cap.* 8. definit sacerdotes habere claves non ad solvendum tantum, sed etiam ad ligandum quoad satisfactiones injungendas.

1297. Circa alteram quæstionis partem de obligatione confessarij ad imponendam satisfactionem, certa resolutio est confessarium per se loquendo teneri sub reatu culpæ ex suo genere gravis illam pænitenti injungere. Ita *Suarius d.38.sect.3.num.1. & Granadus controv. 7. trat.12 disp.4.num.2.* Sumitur ex *Trident.sess.14. cap.8.* & ratione, quia satisfactio est pars integralis hujus sacramenti, & sacerdos, utpote minister curare tenetur, ut integre conficiatur.

Confessarii obligatio ad imponendam satisfactionem.

Rogabis 1. Utrum sacerdos possit aliquando licitē absolvere pænitentē nulla imposita satisfactione? Respondeo affirmativé cum *Navar. & Cajetano*, quos citat & sequitur *Suar. disp. 38.sec.3.num.4.* Patet, quia evenire potest quod pænitens sit ita debilis, & morti vicinus, ut satisfacere nequeat: imo ratione ægritudinis incapax omninó acceptandæ satisfactionis, quia, v.g. sensibus destitutus. Nam si possit, imponatur, ut semel corde dicat, Iesus: & si peccata id postulent, imponatur justa satisfactio exequenda cum ab infirmitate convaluerit. Adde ex *Granado num.3.* quanvis constaret pænitentem plenē satisfecisse, adhuc pro sacramenti integritatē aliquam satisfactionem injungendam esse. Ad hoc tamen solum tenebitur confessarius sub veniali.

Affirmant *Henriq.cap. 20. num.6.* opus non esse novis satisfactionibus repetendis quando pænitens vexatus scrupulis intra horam novis peccatis & circunstantijs confessarium adit, & absolutionem petit: neque enim videtur necessarium, ut semper nova satisfactio injungatur, præsertim cum peccata levissima sunt, & fere inclusa in confessionibus præcedentibus. Crederem hæc omnia absolvi sub eadem satisfactione imposita. Oppositum sentit *Granadus citat num.3.* dicens tunc dari diversa sacramenta, quæ proinde diversis satisfactionibus debent integrari.

Satisfactio nova in novis confessionibus repetitis.

1298. Rogabis 2. Utrum ut satisfactio sacramentalis sit, & ex opere operato effectum habeat, a confessario imponi debeat sub præcepto? Negat, & quidem valde probabiliter, ex S. *Thoma*, *Navarro & alijs Suar.disp.38. sect. 3.num.2.* Probat a simili: quia indulgentia vim habet ex opere operato, & tamen opera quibus eam lucramur, nobis non pręcipiuntur: sic ergo de satisfactione.

Affirmandum tamen est cum *Vasq.quæst.94. art.2.dub.1.num.9.& Granado controv.7.trat.12.d.4 num.4.* Suadetur, quia ut satisfactio sit sacramentalis, & habeat vim a clavibus ex opere operato, debet imponi a confessore tanquam judice, & ferente sententiam, quę pænitentem obliget; ergo sub pręcepto.

QUÆSTIO II.

Quando & quomodó satisfactio a confessario imponi debeat?

Circa tempus imponendæ satisfactionis, recté monet *Granad.citat.d.4.num.5.* quanvis per se loquendo liceat confessario satisfactionē injungere proximé post impensam absolutionē, melius tamen esse illam priùs imponere. Quia pænitens ante acceptam absolutionē paratior est ad satisfactionē acceptandā. Unde quando confessio fuerit lethaliū, & confessarius prudenter timeat debitam satisfactionem a pænitente non fore admittendam, illam ante absolutionem debet omninò imponere.

Circa modum satisfactionis imponendæ, recté docet *Suar.disp.38 sec.4.n.1.* in Ecclesia non dari præscriptam mensuram satisfactionis, quā sacerdos certis peccatis teneatur injungere: sed totam impositionem satisfactionis in foro interno hujus sacramenti commissam esse arbitrio sacerdotis. Sumitur ex Florent. in litteris. unions: *Tertia* (inquit) *pars est satisfactio pro peccatis secundúm arbitrium sacerdotis.* Assentitur Trident. sess.14.cap.8.

Satisfactionis imponendæ tempus.

1299. Ex quibus observandum est 1. ea opera in satisfactionem injungi debere quæ sint ex suo objecto moraliter bona, honesta, & satisfactoria ex opere operantis. Et quanvis, ut plurimum imponi debeat opera supererogationis: proindeque juxta *Henriq lib.5.c.21.§.3.* de illis confessarius intelligitur loqui, quandiu aliud nō declarat, tamen injungi possunt illa ad quæ pænitens aliunde ex pręcepto obligatur.

Opera satisfatoria

Observandum est 2. oportere satisfactiones (quantum fieri possit) proportionatas esse, seu oppositas delictis: ut si imponantur jejunia pro gula, eleemosynæ pro avaritia, afflictiones corporis pro incōtinētia, orationes pro peccatis commissis contra divinum cultum. Expedit iterdum ut pro peccatis publicis (non ita pro occultis) publicæ satisfactiones injungantur. Prodérit quandoque injungi certam frequentiam confessionum, ut a consuetudine committendi certa delicta pænitens deterreatur.

Obser-

Observandum est 3. ex varijs causis occurrentibus posse confessarium prudenter multùm imminuere satisfactionẽ imponendam: ut, v.g. si pœnitens ea ægritudine laboret, ut nulla salutis corporeæ detur spes: vel si credatur magnam satisfactionem ex imbecillitate spirituali non executurus: vel ob illam a confessionum frequentia deterrendus. In his eventibus (ut bené notat *Sà V. satisfactio num.* 13) moneri debet pœnités de injuncta satisfactione minori quám pro sceleribus, ut sciat pœnas acerbiores in Purgatorio luendas differri.

Illud denique observat prudens confessarius, valere plurimum ad salutem animarum, si pœnitens libenter acceptet, & facilé exequatur impositam satisfactionem. Unde rigidas admodũ satisfactiones, & præsertim de multiplicandis confessionibus (quod onus peccatoribus durissimum est) non imponet cum gravi pœnitentis renitentia: quam procul dubio superabit, si efficaciter & benevole æternæ salutis periculum exponat, nisi remedium illud adhibeatur.

QUÆSTIO III.

An pœnitens teneatur acceptare & implere satisfactionem.

1300. CAIETANUS *trat.* 1. *Opusc.tr.6.q.* 2. asserit pœnitentem neque teneri ad acceptandam, neque si acceptet, teneri ad implendam satisfactionem. Moderatiús sentiunt *Scotus in* 4. *dist.*18.*q.*1.*art.*1.*& Navarrus in sum cap.* 26.*num.*20. & alij existimantes pœnitentem non teneri, saltem sub mortali aceptare satisfactionem, si tamen acceptet, teneri ad implendam.

Satisfactionis acceptandæ obligatio.

Nostra tamen communis & vera sententia est pœnitentem teneri satisfactionem a confessario justé impositam acceptare, & acceptaram implere. Ita cum *S. Thoma in* 4. *dist.*18. *Bellarm. lib.*4.*cap* 5.*Valent.d.*7.*q.*14.*p.nt.*4.*Ægid.Belland.*10 *dub.*9.*nu.*79.*Suar.d.*38 *sect.*7.*Vasq.q.*94.*art.*2.*dub.* 1.*num.*5. *& Granadus contr.*7.*tr.*12.*dub.*6.*n.*3. Probatur, quia unusquisque tenetur obedire, seu mandata exequi sui legitimi judicis justé præcipientis: sacerdos autem in confessione est legitimus judex, cum habeat potestatem injungendi satisfactionem, si proportionatam ac salutarẽ injungat, legitimé & justè præcipit; ergo pœnitens tenetur ad implendam.

Procedit quando absolutio, quæ est sententia, valida fuerit: Si enim fuerit invalida, vel ex defectu dispositionis in pœnitéte, hic non obligatur: quia si detur primum, sacerdos non agit munus legitimi judicis: si detur secundum, non conficitur sacramentum, quod integrari debeat.

Satisfactionem acceptandi & implendi obligatio

Dubium est 1. an obligatio acceptandi satisfactionem sit gravis? *Tanerus* 10.4. *disp.*6. *quæst.* 8.*dub.*1.*n.*14. *& Ioan.Sanch.select.quæst.*15. *num.*14. existimant, & quidem probabiliter, esse peccatum grave satisfactionem levem scienter omittere. Quia materia peccati gravis est sacramenti integritas, quæ per impletam satisfactionem dari debet.

Dico tamen 1. Quando satisfactio imposita gravis est, & propter peccatum mortale semel confessum imponitur, mortaliter peccat non implens. Ita *Suar.d.*38.*sect.*7.*n.*4. *Reginal.lib.*7.*c.* 7.*num* 76.*& Belland.d.*10. *dub.*9. Patet, quia non obedire superiori Ecclesiastico præcipienti in materia gravi mortale est: & sic se habet pœnitens qui non obedit confessario in dicto evẽtu.

Dico 2. omissio satisfactionis levis, quæ imposita fuit ob peccata venialia iterum confessa venialis est. Ita cum *Suario citato num.*5.*Laymanus lib.*5.*tr.* 6.*cap.*15. *Filliuc.tr.* 8.*cap.*2. *quæst.*8. *& Fagund. ad* 2.*præc. Eccl.lib.*9.*cap.*3.*num.* 14. Ratio est, quia præceptum in materia levi, qualis est illa de qua loquimur, solum obligat leviter.

Dico 3. si satisfactio injuncta pro peccatis mortalibus sit levis, vel sacerdos imponẽs gravem solum intẽdat obligare sub veniali, omittens solum venialiter peccabit. Ita *Suar.d.*38.*sect.* 7.*n.*5 *& Granad.tr.*12.*d.*6.*n.*7. Constat, quia satisfactio levis indicat obligationem levem: deinde prælatus imperans in materia gravi leviter obligare potest.

1301. Dubium est 2. an peccet mortaliter qui non implet satisfactionem gravẽ justé impositam pro peccatis venialibus, vel mortalibus iterum confessis? Respondeo affirmativé cum *Henriq.lib.*5.*de Sacr.c.*2.*n.*3.*Belland.d.*10.*dub.*9.*& Rodrig.tr.*1.*sum.V.confessim* §.9. Ratio est, quia dicta peccata possunt esse sufficiens materia gravis obligationis, v.g. ex circunstantia repetitionis, aut periculo incidendi in mortale.

Satisfactiones qua si obligatio.

Dubium est 3. an pœnitens facta confessione sacramentali teneatur acceptare satisfactionem, si nolit recipere absolutionem, & velit alium confessarium adire? Ex doctrina *Suarij d.* 38.*sect.*7.*n.*4.*& Bellan.n.*80. respondeo affirmativé, si confessarius convenientem satisfactionem imponat: negativé, si nimis duram & improportionatam. 1. pars constat, quia sine causa justa nõ videtur licitum relinquere sacramentũ imperfectum: vix tamen erit culpa gravis: quia nec sacramento, nec sacerdoti infertur gravis injuria, cum sola illa inceptio fuerit ex parte materiæ. 2. pars suadetur, quia pœnitens se liberé submittit judicandum confessario, ac proinde nõ tenetur cum tanto onere ad illius judicium non declinandum.

Acceptatio pœnitẽtiæ.

Dubium est 4. Utrùm pœnitens, facta suppositione quód velit ab eodem confessario absolvi, possit obligari ad implendam satisfactionem antequam absolvatur? Nota satisfactionẽ vel sumi quá medicina est præservativa criminũ in posterum, vel quá vindicta est præteritorum. Sit resolutio. pœnitens obligari potest ad implendam statim satisfactionem ut medicinam, si confessor judicet eum aliter non esse bené dispositum: similiter ut vindictam, si rationabiliter præsumat aliter non impleturum. Ita *Suar. cit.n.*7. Ratio est quia confessarius in utroque illo casu utitur suo jure, & agit prudenter in reve-

Satisfactio implẽda ante absolutionem.

reverentiam sacramenti, & pœnitentis utilitatē.

QUÆSTIO IV.

Quando, quomodo, & in quo statu teneatur pœnitens implere satisfactionem.

1302. QUæstio continet tres difficultates, scilicet de tempore, modo, & statu implendæ satisfactioni. 1. difficultas est, intra quod tempus impleri debeat satisfactio a confessario imposita? Respondeo cum *Suar. d. 38. sect. 7. n. 6. & Granado contr. 7. trat. 11. sect. 6. n. 9.* si confessarius designet tempus intra quod satisfactio executioni mandanda est, teneri pœnitentem intra illud implere: si verò non designet, teneri non differre nimiū. Prior pars constat, quia tunc sub obligationem cadit tempus, v.g. mensis designatus, quo elapso non cessat obligatio. Unde si differatur per quatuor vel quinque dies, non videtur culpa gravis: imo si ex causa justa, nulla culpa erit. Posterior suadetur, quia rectè præsumitur voluntas præcipientis esse, ut impleatur satisfactio quàm primùm cōmodè possit: cum ejus finis sit integritas sacramenti, & præservatio a peccatis in futurum. Ex quanta dilatione contrahatur culpa gravis, relinquitur arbitrio prudentis.

Tempus implendæ satisfactionis.

2. Difficultas est, an pœnitens teneatur admodum satisfactionis, ut si confessarius præcipiat recitare rosarium flexis genibus, pœnitens teneatur sub mortali flexis genibus recitare? Negat *Vega tom. 2. sum. cap. 64. casu 6.* quia juxta *Suar. lib. 3. de legib. c. 29. n. 6.* nulla lex aut præceptū obligat ad modum actus. Affirmandum tamen est, quia cum confessarius expressè præcipiat talem modum, jam modus sub præceptum cadit, & actui intrinsecus est. Si autem modus videatur levis momenti; ejus omissio levis erit culpa: si autem gravis, ut in exemplo posito, ejus omissio lethalis erit.

Modus satisfactionis.

3. Difficultas est circa pœnitentis statum, an scilicet in statu gratiæ debeat implere satisfactionem, ut præcepto satisfaciat? Respondeo negativè cum *Vasq q. 94. a. 2. dub. 5. Suar. d. 38. sect. 8. n. 1. Turriano d. 38. dub. 2. & Filliuc. tr. 8. c. 2. quæst. 9.* Ratio est, quia ut quis plenè satisfaciat præcepto, sufficit quòd exequatur totum opus a præcipiente injunctum, etiam si non comparetur finis intentus: at in nostro casu pœnitens exequitur quidquid confessarius injunxit, etiam si non comparetur finis intentus, ut scilicet pœnā exolvat.

QUESTIO V.

Utrùm satisfactio uni imposita per alium impleri: & a confessore alio tolli, vel commutari possit?

1303. CIrca priorem quæstionis partem de satisfactione implēda per alium, certum est 1. bona opera fidelium in gratia existentium, si applicentur alijs justis in hac vita degentibus, vel etiam retentis in Purgatorio, illis prodesse quoad satisfactionem pro reatu pœnarum. Certum est 2. satisfactionem sacramētalem, quà medicinalis est, ad præservandum pœnitentem a relapsu, non posse per alium impleri. Dubitatur utrùm talis satisfactio quà pura vindicta est pro pœnis scelerum relictis, ab alio ita impleri possit, ut tanquam sacramentalis habeat effectum ex opere operato ultra opus operantis? Negant *Vasq q. 94 n. 2. dub. 1. a n. 11. Turrian. disp 35 dub. 3. Ægid. Bellan. disp. 10. dub. 8. n. 66. & Hurtado d. 14. diff. 5.* Quia satisfactio ut sit sacramentalis, debet cadere sub præcepto: & hoc non nisi pœnitentem ligare potest.

Satisfactio implenda per alium

Affirmandum tamen est cum *Suario disp. 38. sect. 9. n. 3. Reginaldo lib. 7. cap. 7. q. 2. Granado contr. 7. trat. 12. d. 7. & Bonacina disp. 5. q. 5. sect. 3.* Ratio est, quia ut illa satisfactio sit sacramentalis, sufficit quód per confessarium injungatur pœnitēti directa ad alium, nempe facta illi optione, ut per alium implere possit. Nunquam vero confessario præsumendus est id velle, nisi exprimat: quod non faciet nisi ex justa & necessaria causa. Expediet quandoque, cum id rationabile confessario visum fuerit, ut ipse partem satisfactionis assumere velit. Quod sanctorum exempla suadent. Noster S. Papa Alexander VII. modó inter alias reprobavit prop. 12. asserentium posse pœnitentem authoritate propria alium sibi substituere, qui pro ipso satisfaciat.

Confessarius exequens satisfactionem pœnitentis.

Circa posteriorem quæstionis partem difficultas est, utrum satisfactio ab uno confessario imposita, per alium confessarium tolli, vel immutari possit? Iuxta *Henriq. lib. 2. c. 21. & Suar. disp 38. sect. 10. n 3.* non procedit difficultas quando satisfactio est manifestè injusta: quia tunc quilibet vir doctus potest extra confessionem declarare pœnitentē non teneri ad illam implendam. In dubio autem an sit injusta, confessario parnadum est. Non procedit etiam quando pœnitens ad illius impletionem factus est impotens physicé aut moraliter: quia tunc impotētia excusat. Item non procedit de eodem confessario: quia certum est illum qui satisfactionem imposuit, sive in eadem, sive in diversa confessione posse eandem minuere, vel commutare, dūmodo idem judicium perseveret.

Satisfactionis quādo non implenda.

1304. Procedit igitur de solis alijs sacerdotibus sive æqualis, sive inæqualis, & minoris potestatis: an scilicet quando satisfactio fuit justé imposita, ad quam implendam datur sufficiens potentia in pœnitente, tolli, aut minui, aut mutari valeat a diverso confessario? Dico 1. confessarius tam æqualis quàm minoris potestatis satisfactionem ab alio impositam minuere, vel mutare potest, data rationabili causa, qualis erit magna difficultas, quam pœnitens habet ad implēdum, vel timor, ne ex fragilitate malé impleat. Ita *Valent. q. 14. punt. 4. Suar. d. 38 sec. 10 n. 4. & Granado tr. 12. d. 8. n. 3.* contra *Sotum in 4. dist 19. q. 2. art. 4 & Vasquum q. 94. art. 2. dub. 3. n. 8.* Ratio est quia, licet prior confessarius jam cognita causa sententiam tulerit, pœnitenti liberum est eandem causam ad judicium alterius confessarij deffer-

Satisfactionis mutatio, vel ablatio.

defferre, in quo satisfactio per novam sententiã mutari possit.

Dico 2. Confessarius inferior qui non habet potestatem absolvendi a reservatis nequit tollere, vel imminuere satisfactionem, quam confessarius superior pro reservatis sibi confessis imposuit. Ita Angelus, Tabiena, Sylvester & alij, quos sequitur *Suar. citatus n.* 14. Patet, quia ad eandem potestatem spectat a peccato absolvere & pro illo satisfactionem injungere.

Dico 3. Ut sacerdos tollat, minuat, vel commutet satisfactionem ab alio impositam, debet audire confessionem peccatorum, pro quibus illa injuncta fuit. Ita *Suar. citat. n.* 5. contra *Navarrum in sum. cap.* 26. *Henr. lib.* 7. *cap* 31. *& Granad. trat.* 12. *disp.* 8. *n.* 5. oppositum defendentes. Probatur, quia tollere, immutare, aut minuere satisfactioné est actus clavium, qui proinde exercetur a confessario tanquam judice: judex autẽ nequit prudenter ferre sententiam, nisi audita causa.

1305. Dubium est 1. Utrúm extra confessionem possit confessarius superior satisfactionem ab alio injunctam minuere, vel commutare? Respondeo 1. negativé, si talis superior utatur potestate jurisdictionis, aut prælationis. Ita *Sotus in* 4. *d.* 20. *q.* 2. *art.* 3. *Suar. d.* 38. *sect.* 10 *num.* 8. *& Granad. tr.* 12. *disp.* 8 *n.* 6. Ratio est, quia licét superior, v.g. Papa, vel Episcopus tollere valeat præceptum ab inferiore sacerdote impositum: tamen non potest tollere, nisi virtute clavium quod sacerdos inferior virtute clavium imposuit: sacerdos autem in confessione imposuit satisfactionem illam virtute clavium.

Satisfactio minuenda per superiorẽ.

Respondeo 2. affirmativé, si prælatus superior utatur potestate ad concedendas indulgentias, & satisfactio sumatur quâ vindicta, & non quâ medicina est. Ita *S. Thom. in* 4. *q.* 1. *art.* 3. *S. Bonav p.* 2. *art.* 1. *q.* 2. *Alensis* 4. *p. q.* 83. *mem.* 1. *q.* 1. & alij, quos sequitur *Suar. citat. n.* 10. Ratio est quia de fide constat dari in Ecclesia potestatem indulgentiarum ad tollendas pænas temporarias peccatis debitas: si ergo prælatus, cui ea potestas inest, eadem utatur, applicando indulgentiam, tollet, aut minuet satisfactionem.

Indulgentia minuens satisfactionem

Dubium est 2. Utrùm pænitens authoritate propria valeat mutare satisfactionem sibi præceptam in aliam evidenter graviorem & aptiorem? Respondeo negativè cum Bonacina de sacr. disp. 5. quæst. 5. sect. 3. pun. 5. ex doctrina hactenus explicata. Probatur, quia nemo extra confessionem potest imponere, vel immutare satisfactionem, ut pote sacramentalem, quanvis aliunde confessarius, & supremus prælatus sit; ergo a fortiori nec ipse pænitens. Si autem quis loco jejunij ordinarij impositi a confessario, vellet solo pane & aqua jejunare, procul dubio satisfaciet: quia jejunium ordinarium in extraordinario illo continetur. Unde rejiciẽdus non nihil est Ren ig. in sum Hisp. tr. 5. cap. 5. §. 18. n. 13 dicens posse commutari in æqualem.

Penitens mutans satisfactionem.

1306. Dubium est 3. Utrúm qui satisfactionis impositæ culpabiliter oblitus est, teneatur eadem peccata iterum confiteri, ut novam accipiat satisfactionem? Respondeo negativè cum *S. Thoma quodl.* 1. *a.* 2. *Sa. ro* 1 *e penit. c.* 38. *n* 9. *Vasquio q.* 94. *a.* 1. *dub.* 6. *Hurtado disp.* 14. *diff.* 11. *Ballano a.* 9. *n.* 86. *& Turriano disp.* 36. *d.* 4. Probatur, quia prima confessio valorem & effectum sortita est: neque enim culpabilis oblivio satisfactione subsecuta confessionem vitiare potuit; ergo pænités solum tenetur confiteri culpam oblivionis, non verò iterare confessionem. Unde si post talem culpam confessam recordetur prætentæ satisfactionis, eam implere tenebitur: si non recordetur, nihil loco illius præstare tenebitur. Quia preceptum satisfactionis nõ plus obligat quám præcepta Ecclesię: oblitus autem culpabiliter audire sacrum non tenetur eadem die aliud opus loco illius substituere.

Satisfactionis oblivio in pænitente.

QUESTIO VI.

Quos effectus habeat satisfactio sacramentalis, & quomodo?

PRæter effectus ex opere operantis, quos habet satisfactio sacramentalis, habere aliquem ex opere operato, utpote veram sacramenti partem integralem, recte docent *Suar. d.* 38. *sect.* 2. *n.* 1. *& Vasq q.* 94. *a.* 2. *dub.* 6. Cùm verò duplex effectus in considerationem veniat, alter gratiæ habitualis infusio, alter pænæ temporalis remissio, 1. difficultas est, an satisfactio sacramentalis causet ex opere operato aliquam gratiam habitualem? Negant *Palatius in* 4. *dist.* 16. *q.* 1 *Ægid. Bellan. de pæn. disp.* 10. *dub.* 10. *n.* 94. & *Card. Lug. d.* 25. *sect.* 1. *num.* 1. Quia talis satisfactio ex sua institutione solum ordinatur ad remissionem pænæ, & vitæ pravæ correctionem.

Effectus sacramentalis satisfactionis.

Affirmandum tamen est cum *S. Thoma in* 3. *p. q.* 90. *a.* 2. *ad* 2. *Suar. disp.* 38. *sect.* 2. *n.* 3. Probatur, quia sicut totum sacramentũ causat totum aliquem effectum, ita ejus partes causant particulariter eundem: totum autem pænitentiæ sacramentum causat gratiam habitualem ex opere operato. Adde ex *Suar. n.* 3. *& Bellano num.* 92. dictam satisfactionem conferre etiam ex opere operato gratiam auxiliantẽ, adjuvantem & perseveratem.

Gratia causatur a satisfactione.

1307. 2. Difficultas est, utrum & quando satisfactio sacramentalis conferat ex opere operato pænæ temporalis remissionem? Certum est 1. quamlibet satisfactionem etiam minimam & impropottionatam minuere ex opere operato aliquam partem pænæ peccatis debitæ. Certum est 2. quando confessarius imponit satisfactionem multó minorem quàm pro peccatis, ut infirmitati & impotentiæ pænitentis se acómodet, eam non tollere omnẽ omninó reatum pænæ debitæ.

Remissio pænæ per satisfactionem.

Sola dubitatio est an si confessarius prudenter arbitretur unicum jejunium esse æqualem satisfactionem, & illud injungat, liberetur pænitens ab omni reatu pænæ, etiam si a parte rei satisfactio illa æqualis non fuerit? Affirmant

Scotus d.18.q.1.Gabriel ibid.c.1. notabili 6.V. Maior d.20.q.1. Probant, quia sacerdos in confessione est judex arbiter ut prudenter judicet inter Deum & homines: absque adeo quidquid prudẽter judicaverit, ratum haberi debet.

Negandum tamen est cum *Suario disp.37.sect.5.n.3. Vasq.q.94.art.2.dub.6.Bellano disp.10.dub.10 n.90.& Lugone d.25.sect.2.n.19.* Ratio est, quia sacerdos quando imponit satisfactionem non remittit immediaté pœnam debitam, sed solum applicat causam quæ habet vim remittendi: sicut quando offert sacrificium pro aliquo, solum applicat illud quod ex divina institutione habet vim satisfaciendi; ergo ex sacerdotis arbitrio prudenti non mutatur efficacia satisfactionis, quam Deus voluit, & novit talem esse.

Rogabis an satisfactio exhibita in peccato mortali, sit utilis, an inutilis ad remissionem pœnæ? Esse omninò inutilem existimant *Adrianus q.2.de satisf.& Scotus in 4. disp.19.q.1.a.5.* asserentes satisfactionem exhibitam in peccato mortali esse invalidam, & nunquam effectum habere, etiam sublato peccato. E contra *Medina de confess.q.de pæn.& Marsit.in 4. q.11.art.3.* asserunt satisfactionem sacramentalem in peccato mortali exhibitam statim habere suum effectum.

Utraque sententia meritó displicet *Henrico l.2.cap.20.n.7.Navarro de pænit.dist.6.cap.1.n.48.& Suario d.38.sec.8.n.5* docentibus, quanvis illa satisfactio suum effectum non habeat, quandiu status in peccato mortali durat, at eo recedente, obtinere remissionem pœnæ ipsi satisfactioni correspondentem. Ratio est, quia cum illa satisfactio moraliter perseverans impediatur a peccato mortali ne suum effectum remittendæ pœnæ impendat, peccato recedente tanquam obice, statim illum impendit.

SECTIO. X.

De præcepto sacramenti pænitentiæ.

QUÆSTIO I.

Detur ne præceptum confessionis sacramentalis, & quale sit?

1308. Certum est ante legem Evangelicam neque naturale, neque divinum extitisse præceptum confessionis sacramentalis, ut contra *Petrum Oxomensem*, & non nullos Iuristas id asserentes rectè docent *Suar.d.35.sec.1.n.1.& Bellarm.tom.2.disp.4.generali lib.1.* ubi appellant illorum sententiam vanam & erroneam. De solo tempore legis Evangelicæ procedit quæstio, quæ duplici expedita difficultate expeditur.

1. Difficultas est, utrum in lege Evangelica detur præceptum divinum latum a Christo Domino de confessione sacramẽtali? Negant multi hæretici, prout dicunt non dari tale sacramẽtum: & ex catholicis *Hugo Victorinus, Alensis* & alij, prout dicũt illud dari, sed nõ fuisse a Christo Domino institutum. Affirmativa tamen sententia tanquam de fide rectè traditur a *Suar.d.39.sec.1.n.4.Vasq.q.90.a.1.dub.1.n.13.Bellarm.disp.5.dub.1.n.3.& Lugone disp.15.n.5.* Definiunt Tridentini *sess.14.cap.1.& 5.& can.6.7.8.& 9.* ex illo Iuan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Accedit congruentia, quia cum confessio sit res tanti momenti, debuit a Christo relinqui fixa & stabilis in Ecclesia, proindeque non solo humano præcepto firmari debuit.

Præceptũ divinum de confessione.

2. Difficultas est, an detur præceptum Ecclesiasticum sacramentalis confessionis? Negat, si non asseveranter, saltem dubitanter *Durandus d.17.q.8.& 14.* cum *Turrecrementa de pænit. dist.1.§. Denique n.4.* quatenus vocat in dubium, an possit Ecclesia præcipere confessionem statuto tempore faciendam. Nihilominus affirmativa resolutio tanquam certa rectè defenditur a *Vasq.q.90.a.1.dub.4.Suar.d.36.sec.1.n.4.& Lugone disp.15.n.89.* Habetur ex concilio Lateran.sub Innocent.3. quod refertur *Cap.Omnis utriusq; sexus* & aperte ex *Trident. sess.14.can.8.* ubi absoluté dicitur esse in Ecclesia præceptum annuæ confessionis, absque ulla mentione Eucharistiæ. *Confessio annua.*

1309. Sub hac tamen difficultate dubium est 1. Utrum data institutione hujus sacramenti, potuerit Ecclesia præcipere confessionem, si Christus eandem non præcepisset? Affirmant *Vasq.q.90.art.1.dub.4.n.44.& Suar.d.35.sect.1.a.1.* Negant *Scotus d.17.q.1.& Navar.de pænit.dist.5.* itaut dicamus potuisse Ecclesiam confessionem illam præcipere, si Christus ipsam instituesset absque integritate formali: secus, si instituisset, eo modo quo de facto instituit cum utraque illa integritate. Ratio utriusque partis est, quia in priori eventu manebat confessio facilis: in posteriori nimis difficilis atque adeo excedens potestatem humani legislatoris.

Infertur 1. cum *Vasquio q.93.art.1.dub.6.n.11.* non posse Ecclesiam præcipere confessionẽ eorundem peccatorum, quæ homo jam semel legitimé confessus est. Quia in hoc excederet præceptum Christi jubentis semel confiteri idẽ peccatum. Infertur 2. cum *Suar.d.35.sec.1.n.15.* non posse Ecclesiam abrogare præceptum cõfessionis quoad determinationem temporis. Nã illa provenit a jure divino hæc a jure humano, ut diximus.

Dubium est 2. an possit Ecclesia cum aliquo dispensare in præcepto confessionis pro omni tempore? Respondeo negativé cum citatis authoritate. Ratio est, quia potestas humana, qualis Ecclesiastica extendi nequit ad jus divinum, quod saltem in articulo mortis præcipit confessionem. Quid autem Ecclesia valide & licitè cum aliquo dispensare possit in ipsa temporis determinatione ad aliquod breve tempus, manifestum est. Notat veró *Suar.d.36.sec.1.n.6.* vix posse excogitari in hoc rerum statu causam aliquam rationabilem pro universa Ecclesia, ut dispensetur cum omnibus. *Dispensatio in præcepto confessionis.*

QUÆS-

QUÆSTIO I.

Quas personas obliget, & qualiter obliget præceptum confessionis?

1310. PRocedit quæstio de præcepto confessionis tam divino quàm Ecclesiastico, 1. difficultas est, utrum præceptum confessionis divinum, seu prout a Christo latum, obliget non baptizatos? Affirmant *Scotus d.16. q.1.a.1.Richar.d.17.q.4.a.2.&Sylvester V.confessio 2 n.5.* Quia Christus est Deus & omnium dominus, suo igitur præcepto omnes homines comprehendit.

Confessionis præceptum quos obliget.

Negandum tamen est cum *Valentia d.7. q. 9. p.3.Suario d.35.sec.2.n.2.&Vasquio q.90.a.2.dub.1. a num.3.* Ratio est, quia Christus solum voluit obligari suo præcepto homines qui possunt subjicere materiam sacramenti: sola autem peccata commissa post baptismũ sunt materia sacramenti, & non commissa ante baptismum; ergo solũ obligat baptizatos. Ex quo a forrori sequitur non baptizatos præcepto Ecclesiastico confessionis non teneri.

2. Difficultas est, utrum post Ecclesiam conditam, & sacramentum pænitentiæ institutum omnes homines baptizati obligentur præcepto divino & Ecclesiastico confessionis? Certum est nec pueros, ante usum rationis, nec omninò amentes præcepto confessionis obligari. Quid de alijs qui post baptismum lethaliter peccarũt? Communis & vera sententia, quam tradit Suar.d.35.sec.2.n.4. est omnes baptizatos non solum catholicos, etiam pueros doli capaces, sed etiam hæreticos, apostaras, & schismaticos præcepto divino obstringi. Constat ex *Trident .sess. 14.cap.5* definiente omnia peccata mortalia hominis Christiani esse materiam necessariam sacramenti pænitentię, & ipsum sacramentum esse medium necessarium ad salutem Christiani ea peccata habentis. Quod extenditur, ut etiam lethalia dubia dubio negativo, cadant sub tali præcepto.

Pueri & amentes ad confessionem.

Peccata dubia ad confessionem.

Maior est dubitatio de præcepto Ecclesiastico, an comprehendat pueros, & omnes infideles baptizatos? *Sotus d.12.q.1 a.11.* eximit pueros ante annum duodecimum. Dicendum tamẽ est cum *Suario d.36.sec.2.n.3.Vasq.art.2.dub.4.& Lugone d.15.n.149.* omnes pueros quando habent conscientiã peccati mortalis pręcepto Ecclesiastico obligari. Sumitur ex *Cap.Omnes utriusq; sexus, Tridentino sess.14.cap 5.* & *can.8.* & ratione: nam Ecclesia suo præcepto obligat omnes, quos comprehendit præceptum divinum, quoad tempus determinatum; ergo omnes habentes mortale post baptismum. Notat bené Sanch.lib.1.*Decal.cap.12.n.7.* dictos pueros, quanvis frangant præceptum annuæ confessionis, nõ incurrere excommunicationem.

1311. Quid de hæreticis, & alijs infidelibus baptizatis? Respondeo cum *Lugone d.15.n. 145.* hos omnes teneri pręcepto Ecclesiasticę confessionis. Quia (ut jam dixi) Ecclesia confessioni a Christo præceptæ addidit temporis determinationem: cum igitur Christus omnes comprehẽderit, & Ecclesia habeat pro subditis omnes baptizatos, debuit pro omnibus tẽpus præscribere. Nec refert præceptum *cap. Omnes utriusq; sexus*, dirigi ad omnes Christi fideles. Quia hæc vox (*fidelis*) usurpatur frequenter pro baptizatis quibuscumque sicut e contra vox (*infidelis*) accipitur pro non baptizatis etiam si habeant fidem, quales cathecumeni.

Hæratici ad sacramentum confessionis.

3. Difficultas est, utrum habentes solum peccata venialia, vel mortalia jam rite confessa, obligentur præcepto Ecclesiastico annuæ confessionis? Affirmant *S.Bonav.d.17.a.4 q.1.Richard. a.2. q.4.&Alensis 4.p.q.77.mem.1. a.1.* Probant ex *cap. Omnes utriusq; sexus* obligante omnes fideles qui possunt confiteri: tales autem quanvis non habeant materiã necessariã, habent sufficientem.

Negandum tamen est cum multis quos citant, ac sequuntur *Valent.d.7.q.9.punt.3. Henr.cit. cap.3.Vasq.citat.a.2.dub.2.a n.2.&Suar.d.36. sect.2. num.7.* Probatur, quia pręceptum divinum nõ obligat ad confessionem venialium, cum hæc sint materia non necessaria, quæ alijs vijs aboleri possint: sed Ecclesiasticum solum determinat divinum; ergo non obligat confiteri venialia, & afortiori jam rite confessa. Rectè igitur infert Hurt.de Sacr. disp.7. de pænit.diff. 11. per confessionem venialium (& idem est de mortalibus rite confessis) non satisfieri præcepto Ecclesiæ: quidquid in oppositum dicat Ochavia de Sacr.tr.2.quæst.9. Unde qui initio tẽporis quo urget tale pręceptum, confessus, fuit sola venialia, vel mortalia rite confessa, & postea commisit mortale, tenetur iterum confiteri, ut satisfaciat tali Ecclesiæ præcepto, ut contra Ochaviam bené tradit Mercerus in 3.p.q.6.a.5.num.3. Vide Dianam.p.4.tr.4.resol.206.fine.

Venialium confessio

4. Difficultas est utrum aliquando fuerit possibilis casus, in quo homo baptizatus habens peccata mortalia nullo præcepto etiam divino teneretur confiteri? rectè affirmat *Lugo de pænit. d.15.a n.30.* Exempla referens probat.1. quia si baptizatus ante institutum sacramentum pænitentiæ, & constitutam Ecclesiam peccaret mortaliter, non teneretur confiteri. Quia ex deffectu talis sacramenti & tribunalis in Ecclesia, peccatum illud non foret materia sacramenti. Probat.2. quia etiã post institutũ sacramentũ pænitẽtiæ post resurrectionẽ Ioan.20. si peccaret moliter ante diem Pentecostes, in quo probabiliter constituta Ecclesia lex nova incepit, de quo laté *Suar.de legib.lib.10.cap.4.* non teneretur, imo nec posset confiteri. Ratio est, quia cum nondũ esset Ecclesia, non dabatur tribunal, ad quod spectaret tale peccatum: proindeque non erat materia sacramenti jam instituti. Hæc enim materia esse debent peccata commissa ab homine existente intra Ecclesiam, juxta *Trident. sess.14.c. 2.* ex illo *Apost.1.Cor.1.Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, judicare?*

Peccata post baptismum commissa quando non foret materia sacramenti.

monitus confiteri noluit, nihil aliud est a medico præferendum. Quia lex clamat ... & præceptum a medico præscriptum de observando illo ... non intelligitur, nisi de observando, eo modo quo receptum est.

2. Difficultas est, utrum præceptum divinum confessionis obliget aliquando per se extra periculum mortis? Recte affirmant Vasq q. 90. a. 1. dub. 4. & Suar. d. 35. sect. 3. n. 9. Ratio est, quia Ecclesia præcipiens confessionem determinavit præceptum divinum, ut satis innuit Trident. sess. 14. c. 5. ac determinavit ad annuam confessionem, etiamsi non detur mortis periculum. Unde non sunt audiendi Sotus d. 17. a. 3. & Durandus q. 10. a. 3. oppositum tenentes.

Dubium est, an hoc divinum præceptum aliquando in vita obligaret, si de facto Ecclesia non determinaret tempus, vel abrogaret factam determinationem? Negant Suar. d. 35. sect. 3. n. 9. Vasq. dub. 5. num. 4. & Lugo d. Bellarmin. dub. 2. num. 38. quasi tunc non posset obligare, quando urgeret præceptum. Hoc satis probabile est ex authoritate tantorum authorum. Mihi tamen oppositum valde probabile videtur ex eo quia juxta omnes præceptum fidei, spei & charitatis aliquando obligant, quamvis Ecclesia nullum ad explendum determinaverit tempus.

3. Difficultas est an præceptum divinū confessionis obliget aliquando per accidens, seu ratione alterius præcepti? Vera est affirmativa resolutio in variis casibus, quos assignant citati authores. Primus est quando S. Eucharistia sumenda est ab eo qui habet conscientiam peccati mortalis. Ita Vasq dub. 2. num. 1. & Suar. d. 35. sect. 3. num. 12. ex Trident. sess. 13. cap. 7. & can. 11. de quo plura diximus tract. præced. Secundus casus est, quando confessio apparet medium omninò necessarium ad superandā gravē tentationē, & vitandum grave peccatū. Illum admittunt Suar. d. 35. sect. 3 n. 10. & Lugo d. 15. num. 42. Alij casus possunt videri in Henr. lib. 1. c. 2. & Dian. to n. 2. tract. 4. ref. 155.

Confessionis præceptum obligans ex accidenti.

QUÆSTIO V.

Qualiter computari debeat annus juxta præceptum Ecclesiasticum.

1315 Expeditur quæstio variis difficultatibus præfixis. Prima difficultas est, quos terminos habeat ânus, intra quos præceptum confessio jure divino, prout stat sub Ecclesiastica determinatione. Constat habere certos terminos, quibus incipiens & desinens clauditur. Dubium est, quinam termini sint, seu unde computari debeant? Alij computant a principio obligationis: alij a die quo quis peccavit lethaliter: alij ab ultima confessione. Omnes meritó rejiciuntur.

Annus computatio ad præceptum confessionis.

His rejectis, probabilis est sententia, quā defendunt Vasq. q. 90. art. dub. 1. & Lugo disp. 15. nu. 157. computari annū a prima die Ianuarij usq; ad ultimā Decēbris. Longè tamē probabilior mihi est illa quā defendunt communiter recentiores cum Suar. disp. 36. sect. n. 8. & Bel. disp. 5. dub. 6. scilicet cōputari annū a Paschate resurrectionis ad Pascha cū sua latitudine, quæ alicubi extenditur ad Dominicam Albam, alibi veró ad Dominicam ... interpretata est cōsuetudo, ut parochi adventum finalem exigant ... confessiones.

2. Difficultas est, utrum hoc præceptū impleatur per confessionem factā in qualibet anni die? Tres ... sententiæ. Prima est affirmativa, quam tenent Navar. in sum. c. 2. n. 9. & Domin. Sotus dist. 18. q. 1. a. 4. Secunda est negativa, quā defendunt Petrus Soto lec. 5. de confes. & ... in Cod. q. 18. dicentes illa præceptū solū impleri pro tempore Quadragesimæ. Tertia est Henr. ici lib. 1 cap 4. n. 2. & Suar. disp 36. sec. 3. num. 3. ... utramque priorem sententiam conciliare, quatenus asserunt primam veram esse, si homo jam confessus non habeat novum peccatum mortale in Quadragesima: secundam esse veram si tunc peccatum illud habeat.

Confessionis præcepta tēpus.

Has omnes sententias judico probabiles: mihi tamen prima videtur probabilior, & absolute defenditur a Lugone disp. 15. num. 164. Suadetur nam præcepto optimè satisfit faciendo id quod jubet: sed præceptum illud solum jubet confiteri semel in anno, nulla designata anni parte; ergo quacumque anni parte rite confitens satisfacit. Confirmatur, nam si quis habeat præceptum jejunandi semel in hebdomada, satisfaciet jejunans in qualibet die hebdomadæ; ergo ille cui præcipitur confessio semel in anno, satisfaciet cōfitens in qualibet die anni.

1316. Infertur 1. cum Suario d. 36. sect. 4. n. 6. illum qui semel confessus implevit præceptum, confitendo aliquod mortale, non teneri ex vi illius fateri peccata oblita, vel juxta causa omissa, quamvis oblivio fuerit peccaminosa venialiter. Secus si non implevit confitendo solum venialia. Infertur 2. cum Lugone d. 15. 162. si homo per totum annum frequenter confessus est venialia, & postea ante finitum annum lapsus fuit in mortale teneri hoc præcepto ad confitendum. Infertur 3. cum eodem authore num. 169. hominem confessum venialia, & simul mortale dubium, non teneri eodem anno ad confessionem de novis mortalibus.

Peccata mortalia ad impletionem præcepti confessionis.

3. Difficultas, utrum qui toto anno sive culpabiliter, sive inculpabiliter non est confessus, teneatur quam primum confiteri anno sequenti? Negant S. Antonin. 2. part. tit. 9. cap. 9 §. 3. Sylvester V. Eucharistia 3. quæst. 15. dicto 3. & alij apud Dianam tom. 2. tract. 4. ref. 130. ... si terminat annus cum suo onere. Affirmandum tamen est cum Vasq quæst. 90. art. 3. dub. 2. Suario d. 36. sect. 4. num. 2. Bellarm. disp. 5. dub. 8. & Lugone disp 15. n. 177. Ratio est quia præceptū confitendi in anno non fuit impositū in honorē tēporis, eo modo quo imponitur auditio sacri diebus festis: sed tēpus ānuū fuit præscriptū, ne ultra differretur obligatio; ergo post elapsum annum manet obligatio. Rogabis, utrū homo confessus in hoc anno pro implēda obligatione anni proximè elapsi teneatur iterū confiteri eodē met anno, an possit una & eadē confessione precepto utriusque anni satisfacere?

Confessionem omittens hoc anno tenetur quam primum confiteri.

Respondeo cum *Suario d.36.sect.4.num.5.* teneri iterú confiteri, si confessio facta fuit initio anni præteritis. Ratio est, quia hujusmodi confessio pertinet moraliter ad annum præteritum. & sic videtur esse in praxi. Opposita opinio, quæ quidem probabilis est, defenditur a *Lugone d. 25. num.*180.

Anticipata impletio præcepti. 4. Difficultas est utrum prævisa impotentia confitendi in fine anni, teneatur homo confessionem anticipare ex vi præcepti annuæ confessionis? Negant aliqui apud *Suar.d.36.sect.5.n.4.* loquentes de ijs, quibus impotentia involuntaria est. Affirmandum tamen cum eodem *n.2. & Lugone. disp.15.n.182.* Ratio est, quia quando præcepta obligant intra certum tempus vg. intra annum, intra hebdomadam, intra diem, ut possint impleri qualibet parte illius certi temporis, ita se habent, ut obligent ad anticipationem, ut videre est in præcepto audiendi Missam pro toto tempore matutino, & alijs. Unde habens reservata, si prævideat impotentiam etiam involuntariam confitendi cum superiore, tenebitur anticipare confessionem.

QUÆSTIO VI.

Quas pænas incurrant transgressores hujus præcepti?

1317. Certum est apud *Suar. d.36. sect.8.n.1.* dari in Ecclesia potestatem ad puniendum transgessores præcepti annuæ confessionis: quidquid reclamet *Durandus dist. 17. q.14.* existimans probabile, non posse punire hoc delictum, ex eo quód sit occultum, & in foro exteriori probari nequeat. Quia ut Ecclesia punire possit censuris, sufficit quod actus sit externus, quanvis aliunde occultissimus, ut patet in hæresi.

Pæna transgressorum cōfessionis annuæ. Dubium est 1. an Ecclesia de facto puniat aliqua pæna per jus commune, quæ ipso facto incurratur? Respondeo negative cum *Suar. citato num.2.* Quia in cap. *Omnis utriusq; sexus* solum dicitur ut trāsgressores hujus præcepti *arceantur ab ingressu Ecclesiæ, & priventur sepultura*: quæ verba non infligunt pænam, sed præcipiunt ferendam a judice per sententiam, si de transgressione constet.

Excōmunicatio in tra omittentes cōfessionem. Quid de pænis per jura Synodalium constitutionum? Constat per has, vel consuetudinem Episcopatuum puniri excomunicatione ipso facto incurrenda omittentes annuam confessioné, quanvis omissio occultissima sit, & nulla illius probatio præcedat. Nec requiritur quod omissio sit confessionis simul & Eucharestiæ, sed sufficit omissio alterutrius.

Dubium est 2. an aliqui hujus præcepti transgessores excusentur ab incurrenda excommunicatione Synodali? Repondeo affirmative. Quia juxta *Suar.cit. num 4.* excusantur habentes inadvertentiam, vel ignorantiam etiam culpabilem, quæ liberet a contumacia. Deinde juxta *Sanch. lib.1.Decal. cap.12.num 7.*non incurrunt illam pueri. Quanvis enim (inquit *Lugo disp. 15. num.150*) pueri doli capaces possint incurrere excommunicationem, v.g. si ingrediantur septa monialium, aut percutiant clericum, tamen quando regulariter fertur excommunicatio, nulla facta mentione puerorum, censentur pueri excepti: secus si fiat mentio. *Pueri ad excommunicationē*

In aliquibus locis fit mentio puerorum, quia ferri solet excommunicatio in omnes qui post octavum annum ætatis non confiteantur. Apud *Vasq.q. ast.90.art 2. dub. 4. num.7.* pueri ad talem effectum (Quando in illos non dirigitur excommunicatio) sunt omnes ante pubertatem, scilicet mares ante decimum quartum, fæminæ ante duodecimum annum.

Confessio ficta non vitat pænam. 1318. Dubium est 3. an excusentur ab incurrenda hac excommunicatione, qui exterius ficte confitentur non recipientes validam absolutionem? Certum est non excusari qui exteriùs confitetur ficte, sed non integré, etiam si recipiat absolutionem invalidam: item qui confitetur integré, sed ob indignitatem aliunde repellitur sine absolutione. Quia talis nullo modo implet præceptum Ecclesiasticum.

Dubitatur, quando integré confessus indignus absolutione est, illam tamen exteriùs recipit? Affirmant multi talem non incurrere pænas. Quia fecit exterius quidquid Ecclesia præcipit. Negandum tamen est cum *Suario d.36.sect.8.n.4.* Nam sic confessus non facit actionem exteriorem præceptum ab Ecclesia: Ecclesia enim non utcumque præcipit illas actionem externas, sed ut pertinent ad perfectionem sacramenti. Explicatur (inquit *Suar.citat. num.4.*) nam si Ecclesia præciperet sacerdoti sub pæna excommunicationis ipso facto incurrendæ ut alicui conferret baptismum, & ille exterius ablueret proferendo veram formā, sed sine intentione debita, procul dubio; non baptizaret ergo & in nostro casu.

Impotentia ad confitendū Dubium 4. utrum excusetur quis tum a præcepto confitendi, tum ab ipsis pænis ob impotentiam? Recte affirmat *Suar. disp 36. sect. 6.* Et videtur indubitata resolutio quando deest cōfessarius, vel solum adest sacerdos nullibi ad excipiendas confessiones expositus, ut testatur *Henriq. cap.8.num.4.* Item si multum distet, nec sine magna difficultate inveniri possit: quæ difficultas prudentis arbitrio judicabitur. Illud tandé observabis, quando datur periculum mortis, infamiæ, vel jacturæ bonorum in confitendo hoc vel illud peccatum, ut impleatur præceptum, confitenda esse reliqua mortalia: secus, si reliqua sint solum venialia, utpote de quibus præceptum non est.

TRACTATUS XXXX.

De suffragijs, indulgentijs, & Iubileo.

SECTIO I.

De suffragijs.

QUÆSTIO I.

An & qualiter possimus suffragari fidelibus viventibus per nostra bona opera?

1319. SUpponendum est 1. quid sit suffragium. Est enim apud Canonistas duce *S. Thom. in 4. d.st.45.* auxilium quoddam quod unus fidelis præstat alteri ad obtinendum a Deo remissionem pœnæ temporalis, vel aliquod commodum spirituale. Supponendum est 2. nostra bona opera triplicem habere qualitatem, scilicet impetrationis satisfactionis, & meriti. Supponendũ 3. dari inter fideles aliquam bonorũ operum communicationem, quibus se invicem juvare possunt, ut habetur expresse in Symbolo fidei.

Suffragium quod sit.

Constat 1. nostra bona opera quoad meritũ, seu quà meritoria sunt gloriæ, & gratiæ solis ea operantibus prodesse, itaut alijs applicari nequeant. Constat 2. nostra bona opera quoad impetrationem prodesse non solũ nobis, sed etiam alijs, juxta illud *Apost ad Rom. 15. Obsecro vos, fratres, ut adjuvetis me in orationibus.* Constat 3. inter fideles quorundam suffragia aliquo modo alijs valere ad remissionem pœnæ temporalis. Sic explicatur illa communio fidelium quã in Symbolo profitemur.

Quæritur 1. an inter fideles quorundam suffragia alijs valere possint ad remissionem pœnæ temporalis, itaut applicari possint tanquam sufficiens pretium quo pœnæ debitæ remittantur? Respondeo affirmative cum communi & certa sententia, quam cum *S. Thoma in 4. dist. 20. q. 1. art. 2.* defendunt *Suar. de pæn. q. 8. sect. 1. Bellarm. de Indulg. lib. 1. cap. 2. & Bonac. disp. 6. de suffr. q. 2 part. 1.* Sumitur ex communi Ecclesiæ sensu, cujus potissima ratio est charitatis unio, quę sicut efficit cor unum & animam unam, ita bona omnia facit communicabilia.

Satisfactio pœna per alios

Quæritur 2. utrum suffragia fidelium prosint fidelibus viventibus quoad remissionem pœnæ temporalis de justitia & infallibiliter, itaut applicatio sit efficax, & infallibilem habens effectum? Negant *Medina trat. 3. de satisf. q. 1. & 3. Corduba lib. 4. de indulg. & Bonacina cit. disp. 6. q. 2. p. 1.* Probat, quia licet Deus promiserit acceptare condignam satisfactionem cujusque fidelis pro se ipso, non constat promisisse acceptare pro alijs. Affirmandum tamen est cum *S. Thoma 3. contra gent. cap. 158. citato sect. 3. a num. 3. & Palao tr. 24. disp. vnic. p. 1. §. 1. n. 8.* Sumitur ex Pio V. in Catechismo, ubi sic: *Qui divina gratia præditi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persolvere.* Deinde ratione, nam posito quod certum est, justos in satisfactionibus communicare, hanc communicationem, & pro alijs satisfactionem esse firmam, & infallibilem, valde congruit divinæ liberalitati, misericordiæ, & justitiæ. Addit benè *Suar. n. 11.* ut satisfactio unius alteri prosit, non requiri quod alter pro se satisfacere nequeat, nec quod sciat, & acceptet satisfactionem.

Suffragia fidelium pro viventibus.

QUÆSTIO II.

Qualiter possit quis defunctis suffragari suis bonis operibus?

1320 VIsum mihi fuit ante suffragia præmittere, quid de Purgatorio referat Bellarm. tom. 2. de contr. lib. 2. de Purg. cap. 3. Narrat (inquit) Beda lib. 5. hist. cap. 13. visionem valde probabilem, cui ipse fidem adhibere non dubitavit: fuit autem in illa ostensum cuidam animæ, quæ ad corpus postea redijt, præter Infernum, & Purgatorium, & Regnum Cęlorum, quoddam quasi pratum florentissimum, lucidissimum, odoratum, amœnum, in quo degebant animæ, quę nihil patiabantur, sed tamen ibi manebant: quia nondum idoneæ erant visioni Beatæ. Cui revelationi multas alias conformes adducit Dionys. Carth. in dial. de judic. part. art. 31, & Greg. l. b. lib. 4. dial. cap. 36.

De ... pr...

Videtur mihi dicendum non esse improbabile talem aliquem locum reperiri: cæterum ejusmodi locum ad Purgatoriũ pertinere: & si enim ibi nulla sit pœna sensus, tamen est pœna damni: pœna autem non convenit nisi animæ, quæ nondum plenè purgata est: itaque erit locus ille mitissimum purgatorium, & quasi carcer Senatorius atque honoratus.

Purgatorium quid.

Idem citatus Bellar. cap. 14. de gravitate pœnarum, postquam retulit sententiam S. Thomæ exagerantis pœnas purgatorij, magis probat sententiam S. Bonav. his verbis. At S. Bonav. in 4 d. st. 20. art. 1. q. 2. docet 1. pœnam damni in purgatorio non esse maiorem omni pœna sive purgatorij sive hujus vitæ. Docet 2. Purgatorij pœnas esse maiores pœnis hujus vitæ solum in hoc sensu, quia maxima pœna purgatorij est maior quam maxima pœna hujus vitæ licet aliquando pœna purgatorij reperiatur minor aliqua pœna hujus vitæ. Quæ sententia (inquit Bel. mihi placet: nam licét absentia summi boni ex se generat in amante summam tristitiam, tamen in purgatorio mitigatur hæc tristitia, & levatur magna ex parte propter certam spem illius boni acquirendi. Ita enim certissima spes affert incredibile gaudium, & quò magis appropinquat finis illius exilij, tanto magis crescit.

Suffragia pro defunctis.

Hæc Bellarm. Modò pergamus ad suffragia.

Certum est de fide suffragia viventium prodesse aliquibus defunctis ad remissionem pœnarum. Ita *Suar. cit. d. 48. sec. 4. Canisius in cathec. tit de Euchar. cap. 7. & Bellar. lib. 1. de Purg.* Definitur a *Trident. sess. 25. decreto 1.* juxta illud 2. Machab. 12. *Sancta & salubris cogitatio est pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Accedit ratio; quia illi nobiscum habent communionem, utpote membra unius corporis sub uno capite Christo existentia, ut valeamus portare illorum onera.

Solû erit difficultas exponere quibus defunctis prosint nostra suffragia juxta tres eorum gradus, quos posuit S. *August. Enchir. cap. 109.* scilicet beatorum, damnatorum, & eorum, qui in Purgatorio detinentur: quibus possumus addere existentes in Limbo. Constat 1. viventium suffragia non prodesse defunctis cũ Christo regnantibus. Est veritas catholica, ut tradit Innocentius 3. *Cap. cum Marthæ.* Constat 2. suffragia vivorum non prodesse damnatis. Si enim intelligatur de expiatione pœnæ æternæ debitæ mortalibus in hac vita nõ remissis est de fide. Nã, talis pęna ex immutabili Dei lege finiri nequit.

Beatis nõ prosunt suffragia.

Unde *Valent. disp. 11. q. 1. punt. 3. & Bellar. disp. 11. dub. 8.* rectè monent commentitiam esse illam historiam, qua refertur Trajanum precibus S. Gregorij liberatum fuisse ab Inferno. Si resolutio (inquit *Suar. disp. 48. sec. 4*) procedat de mitigatione talis pœnæ, ita est certa, ut oppositum sit errorum: si autem de pœna debita venialibus, aut mortalibus in hac vita remissis quoad culpam, etiam certa est.

Damnatis non prosunt suffragia.

Constat 3. apud *Palaum tr. 24. disp. unica §. 2. num. 4.* nostra suffragia nullatenus prodesse in Limbo existentibus. Quia si decesserunt cum solo peccato originali, non habent pœnam sensus, quæ per nostra suffragia remittatur: pœna autem damni irremissibilis est. Si decesserunt cum aliquo peccato veniali, quod vix credi potest, ratione peccati originalis, per quod excluduntur a gratia Dei, incapaces manent remissionis cujusvis. An Damnati semper peccent, & his peccatis semper addantur pœnæ in ęternum per mansuræ? Videtur affirmãdum, ex his quæ tradit Salas tom. 2. tract. 13. disp. 3. sect. 3.

Limbo existentes

Melius tamen sentit noster Ortega tr. 2. de Deo uno contr. 8. de Ang. disp. 5. q. 2. cert. 3. n. 7. & 8. asserens semper peccare: his tamen peccatis non mereri novam pœnam: sicut beati per actus virtutum non merentur novam gloriam: Quia ad utrumque requiritur status viæ.

Damnati semper peccat.

1321. Superest ut viventium suffragia solũ prosint animabus in Purgatorio detentis, non solum ad mitigationem pœnarum, sed etiam ad integram remissionem. Esse catholicam veritatem definitam a *Trident. sess. 25. decreto 1.* docent *Suar. cit. sect. 4. num. 17. & Palaus cit. num. 5.* qui rectè notant, quando suffragia indifferenter pro omnibus offeruntur, omnes quidem juvari, utpote capaces & indigentes, sed non omnibus æquè prodesse, ac si pro singulis oblata forent.

Purgatorij animæ.

Difficultas est explicare qualiter, seu quibus modis suffragia viventium prosint animabus in Purgatorio detentis? Procedit de remissione pœnæ temporalis vel per modum impetrationis, seu condignæ satisfactionis. *Suar. sec. 5. n. 17. & 9.* certum putat beatos interdum orare pro animabus Purgatorij. Quanvis enim (inquit) tales orationes illis non impetrent gratuitam remissionẽ, tamen possunt 1. ut Deus satisfactiones vivorũ pro illis acceptet. 2. ut præbeat viventibus auxilium, quó pro illis satisfaciant debito modo 3. ut data compensatione intensionis pœnarum, liberatio acceleretur. 4. ut aliquot satisfactiones superabundantes, ex Thesauro Ecclesiæ illis applicentur.

Defunctis qualiter prosint suffragia.

Beatiorũ res pro animabus Purgatorij.

Quod attinet ad juvamen per modum impetrationis, itaut justorum orationes impetrent, ut Deus gratis & liberaliter, non quidem semper, sed quando divinæ providentiæ placitum fuerit: remittat pœnas Purgatorij, docent *Navar. de Jubil. notab. 22. num. 11. Bellarm. lib. 2. de Purg. cap. 16. & Ægid. Bell. u. d. 11. dub. 7. conc. 4. num. 54.* Quia hoc sicut impetratur a judice humano remittente pœnas reo, ita consonum est credere quòd obtineatur a judice divino.

Impetratio remissionis pœnarum.

Hæc sententia quamvis satis probabilis videatur *Palao cit. num. 11.* tamen cum *Suario d. 48. sec. 5. num. 5.* judicat probabilius nunquam animabus Purgatorij aliquam liberalem pœnæ remissionem impetrari. Ratio est, quia divinam providentiam maximè decet modus remittendi pœnas stabilis ac firmus, & qui magis consonet divinæ justitiæ vindicativæ, qualis datur per solutionem & satisfactionem.

1322. Quod attinet ad suffragia per modum satisfactionis, seu oblatæ solutionis, quęritur an prosint defunctis ex justitia? Constat esse justã satisfactionem, si attendatur sola compensatio æqualis. Pœna enim Purgatorij secundùm mortalem æstimationem compensari potest per voluntariam pœnam hujus vitæ. Dubium est an sit ex justitia ex parte Dei itaut Deus teneatur ex justitia acceptare? Respondeo affirmative cum *Suar cit. sect. 6.* Ratio est, quia interveniente promissione sub conditione operis, nihil ad veram justitiam deest, quando opus exhibetur. Addit *Suar. num. 9.* omnes animas Purgatorij indefinitè acceptas, esse capaces suffragiorum. Dixit (indefinitè) propter catechumenos, quibus licèt prosint suffragia privata, tamen neque sacrificium Missæ, neque communia suffragia Ecclesiæ, de facto illis prosunt.

Suffragia acceptantur ex justitia.

Cathecbumeni in Purgatorio.

QUÆSTIO III.

Quæ requirantur conditiones, ut defunctis prosint suffragia?

Vt suffragia prosint fidelibus, non nullæ requiruntur conditiones tum ex parte offerentis, tum ex parte illius pro quo suffragium offertur. Utrasque conditiones latè & rectè exponunt ex S. *Thom. in 4. dist. 45. quæst. 2. Suar. de pænit.*

Suffragia ut prosint quas conditiones exigant.

pœnit. disp. 48. sect. 7. & 8. Bonac disp. 6. de suffrag. q. 1. part. 2. & Palaus trat. 24. disp. unica s. 3. & 4. Nos ex eorum doctrina duplici quæsito satisfacientes paucis exponemus.

Quæritur 1. quę postulentur conditiones ex parte ejus pro quo offertur suffragium, ut infallibilem sortiatur effectum? Respondeo tres postulari conditiones. Prima conditio est, ut culpa, ratione cujus debetur pœna, jam sit remissa. Quia cum homo semper sit dignus pœna, quandiu durat culpa, fieri nequit, ut pœna remittatur, non remissa prius culpa. Secunda conditio est, ut is pro quo offertur suffragium, sit in statu gratiæ. Quia communicatio suffragiorum fundatur in unione charitatis, qua justi sunt ligati, & quam non habet carens gratia. Tertia conditio est, ut is pro quo suffragium offertur, effectu satisfactionis indigeat, seu debitor sit alicujus pœnæ. Nam ei qui nihil debet, nihil remitti potest.

Cathechumenus ad suffragia. 1323. Infertur 1. cum *Palao citat. a num. 4.* non requiri characterem baptismalem, ut alicui prosit suffragium orationis, vel etiam satisfactionis. Sufficit enim unio per charitatem, quam nobiscum habere potest cathechumenus etiam si charactere baptismali careat. Infertur 2. non requiri ut sit impotens ad satisfaciendum ille pro quo offertur suffragium. Infertur 3. opus non esse speciali acceptatione illius, cui suffragatur alter, proindeque suffragari posse alicui ignoranti.

Conditiones ex parte offerentis suffragium. Quæritur 2. quæ postulentur conditiones ex parte offerentis suffragium? Respondeo postulari alias tres. Prima conditio est; ut offerens sit in statu gratiæ, quando efficit opus, per quod vult juvare alterum sive vivum, sive defunctũ. Sumitur ex illo 1. ad Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest:* si ergo non mihi, neque alijs. Hæc conditio procedit absolutè ut certa de suffragijs quæ offeruntur a privatis hominibus privato nomine. Nam si loquamur de orationibus aut divinis officijs quæ publicè fiunt a ministris Ecclesię pro defunctis, nomine Ecclesię, si tunc omnes ministri illi sint in peccato mortali, adhuc proderunt quoad impetrationem, non verò quoad satisfactionem (ut inquit *Suar. sect. 8.*) seu per modum solutionis: quidquid in oppositum reclamet *Palaus citatus §. 4. num. 4.*

Suffragia publica per ministros in peccato mortali.

Secunda conditio est, ut is qui suffragium offert, faciat opus proportionatum ad satisfaciendum ex conditione ipsius operis, ut est a tali operante. Ita ex *Suario d. 48. sect. 8. num.* 10. Palaus citat. num. 2. ubi benè advertit esse aliqua opera, quæ fieri possunt medio internuncio tanquam instrumento, ut est largitio eleemosynæ per famulum, & hanc ex iniquitate instrumenti non vitiari, sed accipere honestatem & valorem ex voluntate domini imperantis. Quibus addit *Suar. num.* 18. quando pauper accipit eleemosynam sub conditione ut oret pro defuncto quanvis teneatur ad substantiam orationis, tamen nõ teneri ad modum illius, scilicet ut oret in gratia. Quia tale opus non præcipitur ut formaliter satisfactorium, sed ut impetratorium. Et quidem verisimile est ex præcepto alterius conferre aliquid ad impetrationem.

Eleemosyna data sub conditione orandi.

Destinationis omissio ut detineatur anima in Purgator. 1324. Dubium est, detineatur quis in Purgatorio ob omissionem restitutionis, quam fieri quis mandavit? Benè respondet *Suarius cit. num. 19. & 20.* nullo modo detineri animam in Purgatorio ob solam omissionem restitutionis, si non habeat reatum pœnæ. Quando verò decessit cũ reatu pęnæ ob culpam non restituendi, tunc soluto tali reatu, non ampliùs detinebitur: nec extrema restitutio (inquit) facta ab hæredibus aliquid conferet ad pœnæ solutionem, nisi juxta communem sententiam, quę asserit executionẽ eleemosynæ mandatæ a defuncto conferre postea ad specialem satisfactionem. His consentit *Palaus num. 9.* addens ob executionem restitutionis non posse alio modo citius liberari, quam liberatur executione cujusvis legati pij: illis tamẽ modis esse manifestum liberari posse, ideoque per accidens detineri in Purgatorio: quia non præstatur id, quo Deus moveri solet ad excitãdos animos fidelium, ut in favorem defuncti restituentis novas satisfactiones exhibeant.

Legati pij executio.

Tertia conditio est, ut suffragans intendat per opus suum ferre suffragium alteri. Nam quando opus satisfactorium pro altero non offertur ex intentione operantis, hujus tantum manet: quia non est unde ad alium transferatur. Imo renuente operante, per voluntatem superioris alteri applicari non potest. Quando ille cui applicatur opus satisfactorium, eo non indiget, vel ipse operans eo similiter non indigens alteri nõ applicat, in thesauro Ecclesiæ reponitur. Hæc omnia ex *Suar. citat. sect. 1.*

Satisfactio a vitore. Quartam conditionem, quæ supponitur a Suario numerando, exprimit Palaus §. 4. nu. 6. nempe quod suffragans viator esse debet, si suffragium satisfactionis sit: si nom extra viam, seu vitam hanc mortalem, nemo satisfacere vel mereri potest, juxta illud Ioan. IX. *Veniet nox quando nemo potest operari.* Dixi (satisfactionis sit) quia (ut bene notat *Palaus citato loco*) dubium non est posse beatos, imo animas in Purgatorio existentes suffragio impetrationis vivis fidelibus prodesse.

Impetratio per animas purgatorij.

SECTIO II.
De Indulgentijs.

QUÆSTIO I.
Quid & quotuplex sit indulgentia?

Indulgen. quid sit. 1325 INDULGENTIA (ut videre est in meo *Elucidar. num.* 1635. derivatur a verbo *indulgeo* quod significat obsequor, consentio, inservio: & apud Latinos sumitur non solũ pro simplici concessione, sed etiam pro molli quadam permissione, quæ severitati opponitur: in quo sensu dixit Quintil. lib. 1. cap. 3. *Mollis illa*

illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit.

Apud Theologos & Canonistas accommodatur hæc vox ex usu Ecclesiæ ad significandā specialem remissionem pœnæ debitæ pro peccatis jam remissis quoad culpam, quæ fit a pastore Ecclesiæ habenre ad hoc potestatem juxta *cap. quod autem, de pænit. & remiss & cap. Indulg. eod. tit. in 6* In qua acceptione juxta *Suar. disp. 49. sec. 4.* definitur in hunc modum: *Est quidam actus spiritualis jurisdictionis, quo peccator in foro Dei liberatur a reatu pœnæ temporalis, extra sacramentum.*

Effectus indulgentiæ. Quod attinet ad multiplicitatem, hæc rectè deprehenditur ex primario effectu indulgentiæ, qui est remissio temporalis pœnæ relictæ in foro Dei ex peccatis remissis quoad culpam: qui effectus licèt unus sit in specie, est tamē multiplex in quantitate, juxta quam dividitur indulgentia in totalem & partialem. Ita *Clemens VI. in Extrav. unigenitus de pænit. & remiss.* Totalis quę alio nomine dicitur plenaria, est illa, quæ totam pœnā remittit ei cui applicatur. Partialis est quæ solum remittit partem pœnæ. *Indulgentia quotplex.*

Modus usitatissimus concedendi indulgentiā est per numerum dierum, aut annorum, & sic concedi solent Quadragena idest quadraginta dies indulgentiæ, & septenna, idest indulgentia septem annorum. Vocari solet alia carena, quæ utranque predictam complectitur. Tempus illud non denotat durationem pœnarum in Purgatorio, sed proximé significat durationem pœnitentialis satisfactionis, in hac vita exhibitæ pro peccatis: quasi per indulgentiam remitatur non sola satisfactio illa pœnitentialis, sed tanta pœna Purgatorij, quanta per pœnitentiam unius diei, vel anni remitteretur. Olim enim pro peccatis gravioribus, v.g. adulterio & similibus solebant injungi pœnitentiæ septem annorum, & pro gravissimis longiores *cap. hoc ipsum 33. quæst. 2. ubi Glos.* *Quadragena & carena quid.*

1326. Plenaria indulgentia concedi intelligitur, quoties non additur signum, aut verbum determinans ad partem pœnæ. Quid discriminis inter indulgentiam plenariam, plenorem & plenissimam? Rectè docet *Bellarm. lib. 1. de Indulg. cap. 9.* nullum inter illas discrimen esse, sed Pontifices bis uti formulis ut ostendant se dare quantas possunt maximas.

Maior difficultas est, quando ultra indulgentiam plenariam conceduntur tot dies, vel quadragenæ indulgentiæ: quid indulgentię omninó plenæ addi possit per illam concessionem? Respondeo cum *Suario d. 49. sect. 4. num.* si concessio ad diversa tempora, & actiones referri possit, dari tunc duas indulgentias, aliam plenariam pro hoc tempore, & aliam partialem pro alio tempore. Si vero confessio unica sit, itaut ad diversa tempora referri nequeat, sensum verborum esse, ut post plenariam indulgentiam, quam quis sibi lucratur, applicare valeat illos dies vel annos indulgentiæ per modum suffragij. Unde cum Pontifex non possit concedere indulgentias defunctis per modum absolutionis, sed per modū suffragij, observabis differentiam inter has duas concessiones. Concedere per modum absolutionis nihil aliud est, quam authoritate judicativa, quæ in solos subditos exercetur, remittere pœnam. Concedere per modum suffragij, est offerre Deo pretium æquivalens ex thesauro communi, cujus potestas & dispensatio penes Pontificē est. Talis enim modus nec jurisdictionem in concedenre, nec subjectionem in recipiente postulat. *Plenaria indulgentia cum addito.*

QUÆSTIO II.

Quid sit thesaurus Ecclesiæ, & qualiter se habeat ad indulgentias?

1327. Agunt de thesauro Ecclesiæ *Bellar. tom. 3. trat. de indulg. in princ. Valent. tom. 4. disp. 7. quæst. 20. part. 1. Suar. disp. 51. Layman. lib. 5. tr. 7. cap. 1. Ægid. Bellan. disp. 12. dub. 1. Bonac. disp 6. de indulg. quæst. 1. part. 1. & Palaus de indulg. tr. 24. disp.* unica punct. 2. num. 4. ex quorum doctrina breviter decidemus sequentes difficultates.

1. Difficultas est, an detur, & quid sit thesaurus Ecclesiæ? Dari in Ecclesia communem thesaurum, qui est veluti basis & fundamentū indulgentiarum, constatque ex satisfactionibus Christi & Sanctorum, inter catholicos indubitatum est. Nam videtur de fide Suario sect. 1. asserenti ita certum esse, ut oppositum a Theologis judicetur erroneum. Traditur a *Clemente 6. in Extrav. unigenitus de pænit. & remiss. & Trident. sess. 21. cap. 9.* apud *Valentiam tom. 4. quæst. 20. disp. 7. cap. 1. Layman. lib. 5. trat. 7. cap. 11.* & alios. Patet ex unione Verbi Incarnati ad humanam naturam, & illius infinitis meritis & satisfactione, quæ exhauriri nequeunt, & post diem judicij etiam in æternum durabunt. Neque censetur otiosum, quòd non omnia de facto applicandæ sint: quemadmodum potentia Dei non censetur otiosa, etiam si infinita possit operari, quæ non operabitur. *Thesaurus Ecclesiæ quid.*

2. Difficultas est utrum thesaurus Ecclesiæ, qui per indulgentias dispensatur, conster etiam ex satisfactionibus Sanctorum? Respondeo affirmativè cum certa sententia, quam tenent citati authores, & expressit *Clemente VI. in Extrav. citata, & Leo 10. in Bulla*, qua errores Lutheri cōdemnavit. Ratio est, quia justus propter unionem charitatis in statu viatoris potest satisfacere pro alijs: cum igitur multi justi fecissent multa opera pœnalia & satisfactoria, quibus non indigebant, hujusmodi satisfactiones in thesauro Ecclesiæ reponi debuerunt. *Thesaurus Ecclesiæ qualiter expendatur.*

3. Difficultas est, utrum indulgentiæ solū ex thesauro Ecclesiæ concedi valeant? Sententia affirmativa vera est apud *Suarium citat. disp. 51. sect. 1.* & Theologos communiter. Quia verò in thesauro continentur opera Christi & sanctorum, quæ & meriti & satisfactionis rationem habent, dicta sententia a nobis per resolutiones sequentes explicabitur. *Indulgentiarum dispensatio ex thesauro.*

Dico I.

1328. Dico 1. Vis & efficacia indulgentiarum necessario pendet ex thesauro, saltem ut constante ex Christi meritis, quà meritis. Est de fide apud *Suar. ubi sect. 3 num. 4.* ex illo generali principio, quod nulla remissio culpę aut pœnæ conceditur hominibus, nisi propter Christi merita. Dico 2. Thesaurus Ecclesiæ, ut constans ex satisfactionibus Christi, est simpliciter necessarius ad valorem & efficaciam indulgentiarum. Ratio est, quia Christus non tantum operatus est nostram salutem per modū meriti, sed per modum satisfactionis, cujus sufficientia supervacanea esset, si non applicaretur ad effectum, quantum convenienter fieri potest.

Satisfactiones sanctorum ad indulgen. Dico 3. Thesaurus Ecclesiæ ut constans ex satisfactionibus sanctorum non est simpliciter necessarius, ut indulgentiæ concedantur, quanvis de facto ex illis etiam fiat concessio. 1. pars constat ex sufficientia infinitæ satisfactionis Christi. 2. pars traditur ab *Extrav. Unigenitus.*

Dico 4. Opera sanctorum, ut meritoria sub formali ratione meriti, nihil per se conferunt ad effectum indulgentiæ. Ratio est, quia sancti nec meruerunt Ecclesiæ potestatem concedendi indulgentias, nec etiam ut suæ satisfactiones pro alijs oblatæ a Deo acceptarentur.

QUÆSTIO III.
Quem effectum habeat indulgentia?

Indulgentiæ effectus. CUM jam exposuerimus quid & quotuplex sit indulgentia, & qualiter ex Thesauro Ecclesiæ expendatur, magis patebit illius quidditas & multiplicitas, explicato effectu, quem præstat. 1. difficultas est utrum effectus indulgentiæ usque ad culpam extendi possit? Duplici resolutione satisfiet. 1. resolutio. Indulgētia per se remissionem culpæ operari nequit: comitanter veró aliquid secum interdum affert quod ad illam facilius obtinendam prodest. Ita Suar. disp. 50. sect. 1. Ratio prioris partis est, quia *Culpæ remissio per indulgentiam.* culpa mortalis nō remittitur sine infusione gratiæ sanctificantis, ut definit *Trident. sess. 6. cap. 7.* gratia autem sanctificans infundi nequit per solā indulgentiam, vel remissionem aliquam extra sacramentum. Quanvis enim Christus id potuerit facere per se ipsum, vel instituere ut fieret per Ecclesiam, tamen nec fecit, nec instituit. Ratio posterioris est, quia interdum cum indulgentia conceditur facultas absolvendi a reservatis, & censuris, commutandi vota & componendi aliquas restitutiones, quod multum confert ad remissionem culparum. *Venialis culpa ad indulgent.*

1329. Dico 2. multo probabilius est quam oppositum indulgentiam per se non valere ad remissionem culpæ venialis. Ita *Suar. cit. num. 10* Ratio est, quia culpa venialis secundum legem ordinariam deleri nequit sine actu, quo voluntas hominis mutetur: per indulgentiam autem non datur homini hujusmodi actus contra culpā venialem.

Dixi (probabilius) quia hæc resolutio non est æque certa ac præcedens: tum quia ad remissionē culpæ venialis non requiritur gratiæ infusio: tum quia multi putant sacramentalia delere culpas veniales ex opere operato ob solam Ecclesiæ institutionem: quæ concessio esse non potest, nisi per modum indulgentiæ factæ utenti hoc vel illo sacramentali. *Venialis peccati remissio.*

2. Difficultas est, utrum indulgentia tollat reatū pœnæ temporalis debitæ apud Deum, vel tantum remittat pœnitentias injunctas in foro sacramentali? Dico 1. Ecclesia potest talem indulgentiam concedere, ut per eam remittat extra sacramentum pœnitentiæ reatum pœnæ temporalis apud Deum. Traditur a *Suar. cit. sec. 2. n°* 2. tanquam de fide. Constabit ex dicendis de potestate Ecclesiæ ad concedendas indulgentias. Dico 2. Ecclesia per indulgentias non solum potest remittere pœnæ reatum debitum ante confessionem sacramentalem, sed etiam relictū facta confessione. Est certum, quia Christus Verbis illis *Quodcunq; solveris* Matth. 16. non limitavit promissionem; ergo nos limitare non possumus.

Dico 3. Per effectum indulgentiæ tolli potest, seu relaxari sacramentalis pœnitentiæ quantitatem. Traditur a *Suario sect. 2. n.* 4. tanquam sententia communis. Patet, quia comparato effectu indulgentiæ, ipso jure & facto tollitur necessitas injunctæ pœnitentiæ, & ideo per se cessat ejus obligatio. Dixi (juxta indulgentiæ quantitatem) Quia non omnis tollit omnem reatum pœnæ, sed illa tantum quæ est plenaria, vel saltem adæquata pœnæ debitæ. Procedit, quando pœnitentia est imposita per modum vindictæ & satisfactionis: non veró si imponatur per modū medicinæ præservantis. Observalis potestatem relaxandi pœnas peccatorum coram Deo, & pœnitentias injunctas in foro sacramentali non esse duplicem, sed unam & eandem. Quia una eademque actione effectum præstat. *Penitentia sacramentalis relaxata per indulgentiam.*

1330. Difficultas 3 est utrum per indulgentias quæ sunt in usu relaxentur aliæ pœnæ præter satisfactiones injunctas in foro sacramentali? Dico 1. per indulgentias, quæ de facto sunt in foro Dei. Ita *Suario citat. sect. 3. num. 4 & 6.* Ratio est, quia si de facto ita non fieret, Ecclesia per indulgentias magis damnificaret quam juvaret fideles: absolveret enim eos a pœnitentiis injunctis, & remitteret ad graviores pœnas Purgatorij. Deinde pœnitentia sacramentalis non relaxatur per se, sed consequenter, quatenus habet cōnexionem cum reatu pœnæ, qui per indulgētiam tollitur; ergo indulgentia primo & per se remittit pœnas in foro Dei. *Pœnæ sublatæ per indulgentias, quæ.*

Dico 2. Indulgentiæ concessæ simpliciter, & sine ulla adjectione (de pœnitentijs adjunctis) nō solum remittunt pœnitentias adjunctas seu pœnas illis correspondentes, sed etiam quaslibet alias juxta quantitatem concessionis. Ratio desumitur ex illo principio, quod Indulgentia valet prout conceditur: neque a nobis est restringēda utpote favorabilis, sed potius amplianda, quantum *Effectus indulg.*

tum

tum verba patiuntur. Dico 3. quamvis tenor indulgentiæ sit de injunctis pœnitentijs, nihilominus valet ad remittendas pœnas Purgatorij, seu peccatorũ, si pro illis nullæ pœnitẽtiæ injũctæ sint. Patet, quia illa adjectio (a pœnitentijs injunctis) potius ampliativa quã restrictiva est: magis enim videtur remittere pœnas pro quibus sacramentalis pœnitentia est injuncta, quam reliquas.

QUÆSTIO IV.

Quænam sit potestas concedendi indulgentias, & quinam illam habeant?

DARI in Ecclesia potestatem concedendi indulgentias, eamque non esse ordinis, sed jurisdictionis, quam Petrus, ejusque successores a Christo Domino acceperunt, & alijs possunt communicare, catholicum dogma est. quod habetur in jure canonico *Cap cum ex eo & cap autem Extrav. Unigenitus de pænit. & remiss.* atque non tantum a Trident *sess. 21. cap. 9. de reform.* & expressius *sess. 25. in decreto de indulgent.*

Potestas indulgentiarum a quo, & in quibus.

Quod attinet ad alios extra Summum Pontificem successorem Petri, certum est concilium generale, prout conjunctum suo capiti, saltem hujus ratione posse concedere indulgentias. Dubitatur de tali concilio, si spectatur prout a capite distinctum est, an possit eas concedere? Affirmāt *Navar. de indulg. notab. 31. num. 2. Corduba de indulg. quæst. 12. & Henr. cap. 31. num. 1.* Negandum tamē est Concilium Generale sive per mortem Pontificis in Sede Vacante, sive vivente Pontifice, ejus jussu congregatum habere potestatem concedendi indulgentias. Ita *Bellarm. lib. 1. cap. 11. col. 2. Suar. disp. 55. d. 1. sect. num. 7. & Layman lib. 5. tract. 7. cap. 4. num. 1.* Ratio est, quia Christus soli Petro, ejusque successoribus eas commisit, quando dixit *Pasce oves meas. Ioan. 21.*

1331. Quid de Episcopis, & alijs Ecclesiæ prælatis? *Valent. disp. 7. quæst. 20. part. 3. Rutilius Benzonius de Iubileo quæst. 3. & Petrus de Soto de indulgent. quæst. 3.* affirmant Episcopos, & quosdam alios prælatos habere jure divino potestatem concedendi indulgentias, sed a Pontifice dependentem. Affirmandum tamen est cum *Suar. ubi sect. 2. Bonacina disp. 1. quæst. 1. part. 3. num. 2. & Barb. de potest. Episc. 3. p. all. 88. n. 5.* talē potestatem a solo Christo immediate fuisse datam Pontifici, & ab hoc in alios derivari. Quod suaditur ex citatis textibus.

Episcopi ad indulgentias.

Dicunt tamen quod Pontifex cum restrictione eam potestatem impenderet Episcopis & Archiepiscopis, & dicto cap. pœnitentiæ testatur cũ citatis *Pelaus tr. 24. punt. 5. num. 8. ex cap. cum ex eo de pœn. & rem. f.* Ibi enim statuitur in dedicatione Ecclesiæ, sive ab uno, sive a pluribus Episcopis facta solum unius anni indulgentiæ, annum concedi posse: in anniversario vero dedicationis vel alias quando Episcopo placuerit, solum quadraginta dies pœnitentiæ injunctæ relaxari. Hinc ulterius in indulgentiam posse Archiepiscopum concedere per totam suam provinciam & suffraganeorum, quamvis non sit in actu visitationis, ex *cap. nostro, ut cit. & remiss. &c. Suar. disp. 55. sect. 3. num. 7. & Barb. 3. de potest. all. 88. num. 15.*

Archiepiscopi ad indulgentias.

ex quo bene docent concessa per Episcopũ quadraginta visitantibus aliquod templum, posse quadragenam aliam concedi ab Archiepiscopo, itaut sic eles talis templum visitantes dupliciter quadragenam lucrentur. Unusquisque Episcopus potest dictam indulgentiam in diœcesi aliena visitantibus aliquem pium locum concedere suis subditis, non vero subditis alienis. Quia talis cõcessio provenit ex jurisdictione voluntaria, & nõ contentiosa.

Notabis 1. hanc potestatem, quæ ordinaria est, proindeque per Episcopum delegari potest clerico & non laico, extendi nequaquam posse ad defunctos. Ita præter citatos *Bellarm. lib. 1. cap. 11. & Layman tr. 7. cap. 4. num.* Notabis 2. ex declaratione *Bonif. aug 8. in cap. ult. de pœnit. & remiss. in 6.* non posse Episcopum concedere ampliorem indulgentiam quām supradictam. Unde si concedat, nulla evadet, non quidem omnino, sed solum quoad excessum. Notabis 3. cum *Suar. d. 55. sect. 3. num. 15.* dictam limitationem procedere de quacunque concessione, sive publica & solenni, sive secreta & in foro sacramentali. Notabis 4. Episcopum ut concedat illas indulgentias, vel deleget potestatem ad concedendum esse debere non excommunicatum. Quia excommunicatus privatur usu jurisdictionis, saltem licite: si vero denũciatus sit, etiam potestate ipsa privatus existit.

1332. Rogabis 1. an prælati Episcopo superiores, qualis Primas, Patriarcha, Cardinalis Legatus a latere, & Summus Pœnitentiarius possint concedere indulgentias? *Valent. d. n. 4. disp. 7. quæst. 20. punt. 3. Azor part. 2. lib. 3. cap. 55. quæst. 6 & barb. ubi all. 88. num. 16.* bene resolvunt. 1. Primatem seu Patriarcham in suo Archiepiscopatu posse concedere indulgentiam, non vero in tota sua provincia seu regno, in quo non exercet jurisdictionem. Resolvunt 2. Cardinalem, & legatum a latere ex vi juris communis nullam habere potestatem, at ex commissione speciali, imò generali per consuetudinem approbata, habere non solum potestatem Episcopis æqualem, sed ampliorem: qualis vero & quanta sit (inquit Suar. num. 22.) attendi debet specialis commissio, & consuetudo. De Summo Pœnitentiario testantur Azor. & Barb. citati habere suo muneri annexam potestatem concedendi centum dies indulgentiæ.

Prælati seculares ad indulgentias.

Rogabis 2. an capitulum Sede Vacante possit concedere Episcopales indulgentias? Affirmant *Rip. ... Azor. 2. part. lib. 3. c. 27. quæst. 9.* cum multis *Barb. all. 88. num. 21.* Quia Capitulum succedit Episcopali jurisdictione quæ jure non excipitur: & prædicta excepta non est. Negant tamen, & quidem probabilius *Henr. cap. 31. num. 4. Grasss. in appen. lib. 2. cap. 2. nu. 9. ... quæst. 1. part. 3. num. 2. & Suar. d. 55. sec. 4. num. 5.* Quia Capitulum solum succedit Episcopo in jurisdictione necessaria ad regimen diœcesis, non vero in alia, quæ solum competit Episcopo ob specialem dignitatē, qualis est dicta concel-

Capitulũ ad indulgentias.

cõcessio. Ex quo infertur vicarium Episcopi ex vi sui vicariatus non habere talem illam potestatem utpote voluntariam.

Prælati regulares ad indulg. Rogabis 3. an prælati Episcopo inferiores, quales sunt Priores, Abbates, Religionum Provinciales & Generales, possint concedere indulgentias? Respondeo spectato jure cõmuni non posse. Ita *Filliuc. t. 8. cap. 4. & Bonac. d. 6. de indul. q. 1 pun. 3.* probatur ex *cap. accedentibus, de excessib. prœl.* Dixi (spectato jure commun.) quia multi ex privilegio possunt. Illud recte monet *Navarr. de indulgent. notab. 30. num. 14.* spectandam esse formam privilegij concessi, an concedatur prælatis immediate, ut ipsi concedant subditis, & eorum benefactoribus, vel concedatur immediatè religiosis, alijsque religionis benefactoribus, in quo casu prælatus denunciare indulgentiam debet, non a se, sed ab Apostolica sede concessam: secus in primo casu.

Præscriptio ad indulgent. 1333. Rogabis 4. An prælati ex consuetudine præscripta legitimé possint acquirere potestatem concedendi indulgentias? Negant *Corduba de indulgent. quæst. 10. prop. 1. dub. . Sotus in 4. d. 21. 22 quæst. 1. art. 4. Navar. & indulgent. notab. 31. num. 7. Valent. tom. 4. d. 7. quæst. 2. pun. 3. & Sua. d. 55. sect. 3. num. 3.* Probant a simili de potestate absolvendi a peccatis, quæ per consuetudinem acquiri non potest *cap. 2. de pœnit. & remiss. in 6.* Affirmandum tamen est saltem probabiliter cum *Palao punt. 6. num.* ubi citat *Hostiensem & Panorm* & bene probat, quia ex consuetudine legitimè præscripta sicut potest acquiriri potestas ad absolvendum ita ad concedendũ indulgentias: textus verò citatus solum dicit non posse acquiriri contra volũtatẽ Pontificis, quod fatemur: at talis voluntas tacite datur in *cap. cum contingat, de foro compet.*

Poterat rogari, an & qualiter inter vivos indulgentiarum communicatio fieri possit? Difficultatis tamen hujusmodi decisio quæri potest in decisione alterius, quam late disputat *Palaus citatus a num. 8.* an & qualiter prælati religionum possint cooptare aliquos insignes benefactores ut fratres religionis, eosque quasi illius membra efficere, simulque participes omnium gratiarum, & bonorum operum. *Communicatio gratiarũ & bonorũ operum.*

QUÆSTIO V.

Quænam sit forma concedendi indulgentias, & qualiter interpretari possit?

Forma concedendi indulg. 1334. CUM indulgentia sit actus jurisdictionis Ecclesiæ ad favorem hominum in Ecclesia visibili, per aliquam formam declarari & sufficienter exprimi debet. Apud *Suar. disp. 56. sect. 1. num. 2.* est duplex modus concedendi indulgentiam, alter continet indulgentiam ferendam, v.g. quando Pontifex concedit alicui, ut cum venerit ad mortis articulum, possit a confessore absolvi non solũ a culpa, sed etiam ab omni pœna: alter continet indulgẽtiam latã, v.g. quando Pontifex concedit alicui indulgentiam, eo ipso quod in gratia moriatur. Deinde in utroque modo dari potest modus ut indulgentia conferatur in solo articulo mortis vero, vel etiam in præsumpto, scilicet ut in illo utpote unico semel, in hoc utpote multiplici sæpe comparari possit.

Ex quibus patet utrumq; indulgentiæ genus postulare formã aliquã verborũ, vel signorum æquivalẽtiũ, quę juxta illos diversos modos determinetur. Ratio est, quia duæ illæ indulgẽtiæ habent diversos effectus proximos: prima enim dat immediatè potestatem, secunda dat immediatè remissionem. *Conditionata vel absoluta forma.*

Notari etiam debet differentia inter formam concessionis ordinariam, qua utitur primus dispensator, & illam quã utitur executor. Nam illa est conditionata: *Si hoc vel illud feceris, remitto, vel consequaris, obtineas.* At executor, cum supponat jam impletam conditionẽ utitur forma absoluta: *Concedo tibi indulgentiam, vel tot annos indulgentiæ.* Aut per verba æquivalentia, ut *Absolvo te, Remitto tibi.* Nec requiritur quod in forma declaretur potestas, vel quantitas indulgentiæ, neque remissio potius pœnæ quàm culpæ, dummodo ponatur pronomen (Te) vel aliquid æquivalens.

Unde sufficiet in confessione uti forma (Ego te absolvo) sub duplici intentione, scilicet faciẽdi sacramentum, & concedendi indulgentiã. Nam hæc similiter sufficit ad absolvendũ a culpa & cẽsura. Imo sufficiet, si pœnitẽti interroganti a cõfessore, *Concedas mihi indulgentiam ex vi hujus indulti?* Confessor annuat uno verbo aut signo habens intentionem. Infertur 1. cum *Suar. num. 7.* ad valorem indulgentiæ non requiri quod quis petat, vel sciat sibi concedi. Infertur 2. neq; etiã requiri quod confessor sciat de indulto pœnitentis: sed sufficere quod proferens formam (Absolute) habeat intentionem absolvendi a culpa, & a pœnæ, quantũ potest, & quocunque titulo.

1335. Quid de forma delegationis hujus potestatis? Quando verba sunt valde generalia, ut si quis dicat (*Concedo tibi facultatem meam ad remittenda peccata:*) non intelligitur concessa potestas concedendi indulgentias. Nam *Cap. 3. de officio vicarij in 6.* habetur illud juris principium, *In generali concessione jurisdictionis vel administrationis Ecclesiæ non venit libera donatio, nisi exprimatur.* Quãdo forma est generalis, sed intra latitudinem indulgentiarum, sufficit: ut si dicat Pontifex, *Concedo tibi facultatem indulgentias largiendi.* *Delegationis forma.*

Difficultas est, qualis & quanta potestas ex vi illius formæ concedatur? Certè si adderetur particula (*Quascunque*) Videretur judex concedere totam suam potestatem. Illa tamen non addita, & manente propositione indefinita, Episcopi probabiliter (inquit *Suar. [illegible]* 10.) committunt omnes indulgentias, quas ipsi possunt concedere, cum [illegible] valde [illegible] tæ, nisi aliud ex circumst[illegible] colligatur. *Facultas concessa ad indul.*

Oppositum d[illegible] est [illegible] enim quanvis adjũg[illegible] [illegible] facta propositione [illegible] va, [illegible]

setur concedere totam suam potestatem, quæ amplissima est. Quare sub illa non comprehenditur indulgentia pro defunctis, nec plenaria, sed tantum ea facultas, quam ordinarij pastores sub Pontifice habent. Sicut quando Pontifex concedit alicui absolutam potestatem audiendi confessiones & absolvendi, non censetur maioré jurisdictionem concedere, quam parochi ordinarij habent.

Formæ indulgentiæ ipso facto latæ.

1336. Quid de forma indulgentiæ ipso facto latæ? Constat indulgentiá latá sive per modú suffragij, sive per modum absolutionis exigere formam sensibilem, qua significetur. Cum enim Ecclesia militans sensibilis sit, potestas ligandi & solvendi Petro concessa per signa sensibilia exerceri debet. Oportet igitur in tali forma utpote secundum communem usum conditionata duo distinguere, alterum, injunctionem operis contentam illis verbis: *Qui hoc vel illud fecerit*: alterum, concessionem remissionis contentam his *Hoc vel illud consequatur*. Cum enim in his consistat forma substantialis, debent esse determinata quoad effectum indulgentiæ. Unde si solum dicitur, consequatur indulgentiam, nihil determinatum fieri poterit: ideoque semper aliquid addi debet, quo declaretur talem indulgentiam esse integram, vel alicujus certæ partis.

Interpretatio indulgentiarum.

Quod attinet ad interpretationem formæ indulgentiarum, ut paucis complectar quidquid *Suar.disp.56.sect.2.&3.* fusè resolvit, loqui possumus de potestate concedendi indulgentias, vel de ipsa actuali illarum concessione. Dico 1. si loquamur de potestate (quæcunque illa sit sive ordinaria in Pontifice & Episcopis, sive delegata in alijs) strictè interpretanda est. Patet, quia in *Cap.cum ex eo, de pœn.&remiss.* postquam fit restrictio indulgentiarum, subditur ratio his verbis: *quia per nimias indulgentias pœnitentialis satisfactio enervatur* Adde *Trident in decreto indulgentiarum sess.* 25. ubi post commendatam potestatem illas cōcedendi, subdit, *In his tamen concedendis moderationem juxta veterem & probatam Ecclesiæ consuetudinē adhiberi cupit* scilicet Sancta Synodus, *ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur.*

Indulgentiarum nimia cōcessio.

Unde potest graviter peccare qui indulgentias præter cōmunē utilitatē concedat, etiam intra limites potestatis. A fortiori grave sacrilegiū erit, & turpe mendaciū annunciare indulgentias, eas ultra veritatem extendendo.

Confessionis interpretatio.

1337. Dico 2. si loquamur de concessione indulgentiæ, & constet de potestate, intra ejus latitudinē amplissimè est interpretanda, quantum veritas & proprietas verborum patiatur. Ratio est, quia cum in concedente sit potestas & volūtas, indulgentia, non quatenus manat a potestate, sed quatenus manat a voluntate, & datur actualis concessio, habet rationem beneficij & favoris, cui proinde debetur ampliatio. Quare (concludit *Suar.num.*10. cum forma indulgentiæ regulariter habeat duas partes, nempe impositionem oneris & favorem remissionis, prior strictè, posterior amplé interpretanda est.

Indulgentia valet quantum sonat.

Rogabis, utrum forma indulgentiæ tantum valeat quantum sonat? Sensus quæsiti est, an verba formæ totum illum effectum conferat, quē ex vi suæ significationis promittunt? Ex mente *Suar.citati sect.3.cui* accedit *Palaus.tr.24 pun.4.n.6* Dico 1. Indulgentia operatur infallibiliter quantum sonat, si causæ omnes ad illam necessariæ concurrant. Est resolutio manifesta ex dictis. Dico 2. In particulari & individuo non est infallibile indulgentiam tantum operari quantum sonat. Ratio est, quia in individuo facilè deficit aliqua conditio requisita. Illud observabis, ubi evidenter non constet indulgentiam sine legitima causa esse concessam, non debere reputari minoris efficaciæ quàm verba sonant. Imo nūquam est publicé reprehendenda, quanvis contineat manifestum errorem in quantitate, vel causa.

QUÆSTIO VI.

Quænam esse debeat causa finalis indulgentiæ?

Exposuimus jam *quæst.*4. & 5. causam efficientem, & formalem indulgentiarum, ut modò exponamus causam finalem advertendū est nos non loqui de causa finali intrinseca, quæ est effectus proximus indulgentiæ, nempe liberatio animæ a Purgatorio: sed de causa finali extrinseca, quæ moveat concedentem. Sensus igitur quæstionis est, utrum præter effectum indulgentiæ requiratur aliqua causa finalis extrinseca quæ moveat concedentem: & quænam talis causa esse debeat? Necessariam esse piam & honestam causam, non solum ut licitè, sed etiam ut validè concedatur indulgentia, consentiunt cum *S. Thoma in suppl. quæst.27.art.2. Valent.tom.4.d.7.quæst.20 part.4. Laymann lib.5.tr.7 cap.5.num.1.Suarus d.* 54.sect.1. V.2. Bellanus d. 12.dub.6.&Bonac.d.6.de indulg. *quæst.1. part.4. num.1.* Constat ex *cap.cum eo de pæn.&remiss.* & ratione, quia in concessione indulgentiæ Pontifex non ut Dominus, sed ut dispensator procedit.

Causa pia ad indulgentiā proportionata.

Dubium est 1. an postuletur ad valorem indulgentiæ non solum causa pia & honesta, sed etiam proportionata cōcessioni? Negant *Valent. d.7 quæst.20.part.4. Reginal. in praxi tom.1.lib.7.nu. 132.V.indulg.num.1.& Bonac.disp.6.citat. quæst. 1. part.4.num.5.* Probant, quia semper quando intervenit causa pia, indulgentia conceditur juxta intentionem Christi quoad valorem.

1338. Affirmandum tamen est cum *Bellarmino lib.1.de indulg.cap.12. Suario disp. 54. sect.3.num.5. & Bellano d.12 dub.6.concl.2. num.* 31. Suadetur, nam qua ex parte indulgentia causam excedit concessio judicatur fieri absque causa pia, justa & rationabili, imo absque ulla causa; ergo proportionata concessioni. Notant benè citati authores ad hujusmodi proportionem non requiri causam spectatam in se, sed æqualem prudentis arbitrio. Sic enim dispensator fideliter agit, & juxta Christi domini voluntatem.

Dubium.

Dubium est 2. Unde ad concessionem indulgentiæ sufficientia causæ sumi debeat? Respõdeo cum citatis authoribus esse desumendam ex promptione ad cultum Dei, propagationem & exaltationem fidei, hostium Ecclesiæ conversionem, specialem S. Ecclesiæ reverentiam, & gratificationẽ pro obsequijs: neque requiri sẽper quód finis sit communis & publicus, sed solum quando indulgentia communis est: nam pro indulgentia uni concessa, privatus sufficit,

Notabis 1. quando ad integram concessionẽ causa inæqualis est, non perire ex toto, sed subsistere ex ea parte, qua sufficientem causam habet. Notabis 2. quanvis indulgentia deficiat ob defectum causæ, manere tamen facultatem absolvendi a reservatis, commutandi vota & juramenta, si simul cum indulgentia concessa fuit. Notabis 3. etiam si causa subditis videatur levissima, debere præsumi sufficientem esse ad plenariam indulgentiam. Quia in dubio semper pro facto Principis, & actus valore stat præsumptio.

QUÆSTIO VII.

Quæ postulentur conditiones in lucraturo indulgentias?

1339. Rejecta conditione, quam ad lucrandas indulgentias excogitavit *Cayetan.t.1.Opusc.tr.10.q.1.* nempe solicitudinẽ exercendi opera pœnalia in satisfactionẽ peccatorum, 1. conditio, quã in lucraturo rectẽ postulant *Suar.disp.52.sect.2.& Bonac.d.6.q.1.p.5.n.1.* est baptismus, per quem homo fit membrum Ecclesiæ. Nam thesaurus satisfactionũ Christi & Sanctorum Ecclesiæ relictus fuit, ut in mẽbra Christi expendatur. Deinde quando conceditur indulgentia per modum absolutionis, est jurisdictionis actus, qui proinde in solos subditos, quales baptizatos exerceri potest. An per modum suffragij concedi possit catechumeno existenti in gratia? Affirmant *Henr lib.7.cap.18.num.3.Navar.de Indulg.not.31.& Benzon.de Iubil.cap.15.dub.28.asser.6.* Probabilius negat *Suar.d.52.sect.4.num.8.& Fillituc.tr.8.cap.8.quæst.10 num.214.* Quia Ecclesia nunquam fuit usa hujusmodi modo applicationis.

Conditiones ad indulgent.

Cathecumenus ad indulgent.

2. Conditio est, ut existat in gratia eo puncto temporis, quo indulgentiam consecuturus est. Ita præter citatos *Navar.de Indulg.not.17.n.1. Sà V. indulg.num.2.& Bellan.disp.12.dub.7.* Obnoxius enim pœnæ æternæ incapax est remissionis pœnæ tẽporalis. Dixi *(eo puncto temporis)* quia authores non reputant necessarium ad valorem & consecutionem indulgentiæ quód omnia opera antecedenter requisita fiant in statu gratiæ.

Gratiæ status ad indulgentiam.

Dubium est, an qui puncto illo temporis nõ lucratus fuit indulgentiam ob impedimentum peccati mortalis, postea recedente impedimento illam lucretur? Affirmant cum *Palao in 4.dist.20.q.4.a.3. Sylvester V.Indulg.n.7.& Henr.lib.7.cap.9.num.3.* & mihi non videtur improbabile, quasi se habeat indulgentia instar sacramenti informis, quod recedente fictione causat gratiam:

Oppositũ tamen longe probabilius est apud *Suar.d.52.sect.2.a num.13.Filliucium tr.8.cap.6.n.141.Reginal.lib.7.num.169.Bonac.d.6.quæst.1.part.5 num.13.& Palaum tr.24.part.8.num.4.* Ratio est, quia nullum causat effectum id quod nunquam existit: indulgẽtia autem illa nunquã extitit; ergo recedente peccato mortali non causabit effectum. Secus de sacramento illo, quod veré extitit, sed informe.

1340. Tertia conditio postulata a citatis authoribus est, ne quis ligetur excommunicatione maiori. Hęc enim privat communibus Ecclesiæ suffragijs bonis dividendis inter mẽbra Ecclesiæ unita. 4. conditio est quod quis sit reus pœnæ tempore, quo indulgentia comparatur. Non enim debet reservari in futurum. 5. conditio est, quod ante consecutionem indulgentiæ debeat executioni mandari opus injunctum. Sed de hoc in sequentibus.

Excommunicatio privat in dulgent.

QUÆSTIO VIII.

Quanam executio operis injuncti adcomparandam indulgentiam postuletur.

Operis executio pro indulgentiam.

PRæsupponimus in hac quæstione alia esse certa, alia dubia. Certũ est 1. nisi in concessione indulgẽtiæ exprimatur eã concedi impeditis opus injunctũ exequi, nullo modo lucrari indulgentiã, qui ex impotentia opus injunctum nõ exequitur. Certum est 2. ad lucranda indulgentiam præstandum esse opus tale & taliter, quale & qualiter injunctum est: cum indulgẽtiarum cõcessio sit liberalis donatio, quæ sub tali conditione impenditur. Certum est 3. nõ posse injungi opus quod nec honestum, nec utile sit ad indulgentiarum consecutionem.

Dubium est 1. an opus injunctum taliter esse debeat honestum, ut ex nulla circunstantia vitietur? Affirmant cum *Navar.de indulg. not.19. num.6. Bellan.disp.12.dub.8 & Roter.in quæst.regul.q.99 art.6.* Quia opus debet esse tale quod placeat Deo: & ut sic exigitur a Pontifice ad concessionem: opus autem vitiatum Deo displicet.

Oppositum tenent *Corduba de indulg.quæst.22. & Suar.d.52.sect.6.a num.2.* quia certum est posse Pontificem concedere indulgentiam absque cõditione alicujus operis injuncti; ergo a fortiori sub cõditione alicujus operis de se honesti, & cõducentis ad finem indulgentiæ, quanvis aliunde vitietur: v.g. si imponat eleemosynam dandam in subsidium terræ Sanctæ: & elargitio illius vitietur ex pravo fine largientis. Et hæc sententia jure arridet *Palao num.7.*

1341. Dubium est 2. an quis lucrari possit eodem opere diversas indulgentias, v.g. si recitet unicum rosarium habens plura grana benedicta, quorum unicuique concessus est annus indulgentiæ, si recitetur rosarium? Affirmant *Henriq.lib.7.cap.17.num.55. Sà V.indulg. num.18. Graffis de indulg.c.5.n.55. & Corduba q.25.pag.439.* Quia non datur maior ratio ut faciens opus injũctum lucretur unam indulgentiã, & non alias.

Opus unum ad multas indulg.

Oppositum tamen defendunt cum *Suar.disp. 52.sect.8 num.10. Layman.lib.5.tr.7.cap.6. Bonacina d.6.quaest.1.part.5.num.29.& Filliuc.tr.8.cap.6.q.14. num.168.* & certe probabilius. Ratio est, quia frequenter imponitur opus pro complenda causa requisita ad concessionem indulgentiae: si igitur opus unicum pluribus applicetur causis, obtinebit minorem virtutem, quám si applicaretur unicuique illarum, proindeque ex defectu causae sufficientis non valebit indulgentia; ergo per unicum opus non lucrabitur operans omnes indulgentias, sed illam solum ad quam intentionē direxerit.

Ex dictis recté infertur cum *Bonacina cit.d. 6. quaest.1.part.5.num.31.* posse comparari plures indulgentias uno eodemque tempore per diversos actus, eodem exercitos: Ut si essent concessae plures indulgentiae recitanti horas canonicas & audienti Missam, & quis eodem tempore utrunque praestaret.

Operis repetitio ad indulgentiam.

Dubium est 3. an quis repetito opere, cui indulgentia conceditur, possit eandem saepe lucrari? Videtur negandum ex textu in *l.boves §. hoc serm.ff.de verb.signif.* ubi definitur, quód sermo absoluté prolatus solum de prima vice intelligi debet. Bené tamen *Henriq.lib.7.cap.11.n.1.Navar. de indulg.not.15.num.19.Cord.quaest.35.lib.5.& Suar. d.57.sect.1.num.4.* distingunt inter indulgentiam quae conceditur sine ulla determinatione temporis, & illam quae impenditur cum temporis determinatione; asserentes, si concedatur absq; determinatione temporis, v.g. visitantibus templum divi Petri, esse perennem, itaut semel, & pluries obtineri possit: si concedatur autem determinato tempore, v.g. visitantibus templum in festo ipsius dedicationis, eo solo die computati posse.

Confessio postulata ad indulgentiam.

Dubiū est 4. Utrū alij plus, alij minus de indulgētia lucrentur juxta diversū modū exequēdi opus? Affirmant *Bellonus dub.6.num.34. Navar. de indulg.notab.15.& Layman.lib.sum.tr.7.cap. 5. n 2.* Nam aequū est, quod per opus diligenter & fervidé executioni mandatum aliquid plus comparetur, quám si tepide & oscitanter fiat.

1342. Rectiùs distingunt cum *Suar.d.52.sec. 8.a num.3.Filliuc.tr.8.cap.6.quaest.14. & Rotericus in cruciata 57.num.4.* inter opus complens sufficiētiam causae finalis, & non complens. Si enim cōpleat, quomodocumque fiat etiam remissè, indulgentia integra comparabitur: si autem non compleat, etiam si fervidé ac diligenter fiat, sola pars comparabitur juxta proportionem causae.

Dubium est 5. an sufficiat confessio in voto ijs quibus conceditur indulgentia, si contriti & confessi visitaverint tale templum? Respondeo cum *Suar.d.52.sect.3.num.5.& Bonacina* multos referente *disp. 6. de indulg.q.1.p.5.n.7.* si lucraturus nullo peccato mortali se gravatum sentiat, posse comparare indulgentiam absque ulla confessione praemissa. Quod procedit, etiam si Pontifex confessioni adjecerit S. Eucharistiae receptionē. Quia intelligendus est de confessione necessaria ante Eucharistiam, qualis solum requiritur pro existentibus in lethali. Unde si Pontifex illam pro indulgentiae concessione exigat, verbis apertissimis debet exprimere.

Quid de habente conscientiam peccati mortalis? Si non detur copia confessarij, recté docent *Layman. lib.5.tr.7.cap.6.quaest.& Sà V. Indulg. num. 3.* sufficere contritionem. Quia tali casu Pontifex praesumitur id voluisse. Si autem detur confessarij copia quanvis tutius sit, & consulendum praerequiri confessionem actualem, tamen valde probabile est sufficere contritionē. Quia per hanc fidelis capax fit, ut de thesauro Ecclesiae participet. Ita *Suar.d.50.sect.5. num.10. & Filliuc.tr.8.cap.6.num 148.*

Confessio iteranda ad indulgentiam.

Quid si Pontifex expresè postulavit confessionem sacramentalem intra certos dies, & postquam quis illam praemisit, lethale peccatum cōmisit ante diem ultimum? Debet ne iterum cōfiteri? Negant *Bonacina d.6.quaest.1.p.5.n.9.& Nonnus in addit ad 3.part.quaest.27.art.3.* Quia Pontifex non plures confessiones, sed unicam postulavit. Securius tamen & probabilius affirmandum est cum *Palao citato num.24.* Quia Pontifex praesumitur exegisse confessionem, ut certiús indulgentia compararetur. Idem procedit, si quis in confessione omittat aliquod lethale ex causa inculpata, & intra eandem hebdomadam habeat confessarium cum quo possit illud confiteri.

Possit illud confiteri.

Addit *Suar.d.52.sect.3.num.7.* Si facta confessione ante tempus, quo indulgentia comparanda est, veniat in memoriam lethale oblitū, opus esse alia confessione ad indulgentiam. Oppositum tamen probabilius recte judicat *Palaus n.25* Quid si Pontifex nulla mētione confessionis facta communicationem postulet? Bené respōdet *Palaus num.27.* tunc in conscio peccati lethalis ante communionem, ut comparetur indulgentia, postulari confessionem, non per se, sed per accidens ad dignam Eucharistiae sumptionem.

QUAESTIO IX.

Qualiter defunctis indulgentiae applicari possint, & quando cessent?

Indulgentiae pro defunctis.

1343. Quaestio duas habet partes: prior de indulgentia applicāda defunctis, illud imprimis certum continet, posse indulgentias applicari defunctis in Purgatorio existentibus. Constat ex praxi Ecclesiae, & Sūmorum Pontificum decisione, praecipuè Innocentij 8. Pij 2. & Sixti 4. & haec resolutio (inquit *Suar d.53.sect.1.*) ita indubitata est, ut sine errore negari non possit. Certum (addit) est 1. Solis animabus Purgatorij prodesse indulgentias, applicatas defūctis Unde nec beatis, nec dānatis, nec existentibus in Limbo prosunt: imo nec cathecumenis etiā si existant in Purgatorio juxta *Palaum p.10.n.4.* Certum est 2. dictis animabus non prodesse indulgentias nisi id in concessione exprimatur. Unde nō sufficit cōcedi omnibus fidelibus: quia fideliū nomine veniūt soli vivētes.

Indulgentiarum concedendi modu. Rogabis 1. qualiter Pontifex concedere possit defunctis indulgentias? Notandum est duplicem dari modum concedendi indulgentias, alterum per modum absolutionis & alterum per modum suffragij, & utrunque inter se differre 1. quod modus absolutionis significet actum judicialem, proindeque jurisdictionem exigat: modus autem suffragij communior sit 2. quod indulgentia per modum suffragij non sit propria defunctorum, cum etiam viventibus lucraturis pro alijs viventibus concedatur, at indulgentia per modum absolutionis viventium propria sit. 3. quod concedens indulgentiam per modum absolutionis immediatè remittat pœnam, tanquam minister Dei & judex ejus locum tenens: quando verò concedit per modum suffragij, nō remittat pœnam, sed offerat Deo pretium æquivalens, ut ipse remittat.

Igitur quæsito respōdeo cum *Valent. quæst. 20. punt. ult. Suar. d. 53. sec. 2. n. 4 & Bellan. disp. 12. dub. 10* Pontificem non posse concedere indulgentiam defunctis per modum absolutionis, sed tantum per modum suffragij. Ratio primæ partis est, quia modus absolutionis denotat jurisdictionē, quæ non datur in Pontifice erga animas Purgatorij, ut pote non subditas. Ratio alterius partis est, quia modus suffragij non exigit jurisdictionem: & suffragium fieri potest ex thesauro communi, cujus potestas, & dispensatio penes Pontificem est.

1344. *Defunctis applicata indulg.* Rogabis 2. an applicatio illa facta defunctis habeat infallibiliter effectum, sicut haberet, si viventibus ritè dispositis fieret? Negant *Cajetan. tract. de indulg. 16. quæst. 5. & 6. Henriq. lib. 7. cap. 7. num. 4. Layman. lib. 5. tr. 7. cap. 7. nu. 2. & Bonac. d. 6. quæst. 1. part. 6.* asserentes indulgentiam applicatam defunctis non operari infallibiliter, sed solum per modum cujusdam impetrationis ex libera Dei acceptatione.

Meliùs tamen affirmant cum *S. Thoma in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 3. Navar. & indulg. notab. 22. & Suar. d. 53. sect. 3. num. 3.* data causa legitima concessionis, indulgentiam infallibiliter applicari æquè defunctis ac vivis. Sumitur ex *Epist. Leonis 10. ad Cajetan.* ubi nulla facta distinctione inter vivos & defunctos statuit prodesse vivis per modum absolutionis: defunctis per modum suffragij, & utranque distributionem ex Apostolica authoritate provenire.

Indulgentia defunctis qualiter possit. Rogabis 3. quæ postulentur conditiones, ut indulgentia defunctis prosit? Respondeo cum *Suar. d. 53. sect. 4. & Bonac. disp. 6. quæst. 1. part. 6.* alias postulari ex parte concedentis, & alias ex parte lucrantis. Nam in concedente requiritur potestas, quæ in solo Pontifice tanquam in fonte residet, in alijs verò ex illius delegatione: deinde causa proportionata concessioni: denique ut in forma exprimatur, quod indulgentia possit applicari defunctis. Ex parte lucrantis, requiritur quòd mandetur executioni opus injunctum cū intentione saltem virtuali, ut defuncto applicetur indulgentia. Alij requirunt ut qui opus exequitur sit in gratia: sed meritò rejiciuntur a *Laymano lib. 5 sum. tr. 7. cap. 6.* & proximè citatis. Quia status gratiæ solum exigitur, ut tollat obicē peccati mortalis lucraturo indulgentiam, cui proinde obstare nequit concedentis, vel opus exequētis peccatum. Præter assignatas conditiones, alias postulant alij quos benè confutat *Palaus a num. 11.*

1345. Circa alteram partem quæstionis inquirentis quando cessent indulgentiæ? Imprimis videndum est quæ diximus de cessatione, seu extinctione privilegij, in priori parte n. 255. nā indulgentia quodā privilegij genus est. Modo apud citatos authores præcipue Palaū punt. 11. invenio extingui seu cessare tripliciter indulgentiā. *Indulgentiarum cessatio.*

Cessat 1. per temporis extinctionem, quando fuit temporalis, seu pro limitato tempore concessa. Et similiter quando concessa fuit sub aliqua conditione, aqua in suo conservari pendet & talis conditio cessat. Ita citati authores ex *cap. super litteras, de rescript. & cap. cum capella, de privil.* Quia concessio extendi nequit ultra intentionē concedentis.

Quid si Pontifex concessit indulgentiam per septennium, & non dignavit tempus inceptionis apponens hanc clausulā (præsentibus id septenniū valituris)? Placet Quintanad in Theol. mor. tr. 2. Appen. dub. 2. num. 3. existimans posse imperrantem eligere septem annos, quos vellet. Quia illis verbis non determinat Ponti hos potius quam illos annos futuros, & mediatè, vel immediate sequentes concessionem, vel publicationem. Sensus enim verborum est (*concedo ut septem annis banc indulgentiam lucrentur fideles in singulis annis*) Si vero jubilæi concessio sit prorogatio alterius, cujus septennium, v.g. non sit elapsum: donec elapsum sit, non incipiet prorogationis tempus.

Addit 1. ex praxi hos annos non interpolatos, sed continuatos esse debere. Addit 2. non naturales, seu solares, sed morales Ecclesiasticos esse computandos incipiendo a die, qua in primo anno obtinetur jubilæum ad diem illi correspondentem in septimo anno.

Addit 3. Bordon. tom. 2. resol. 81. num. 25. si obtineatur indulgentia per annos subsequentes pro S. Ioseph, v.g. sed breve non perveniat tempore debito, ideoque primo illo anno exponi non possit indulgentiam, priorem illum annum perdi, & non computari in sequentibus. Quia verba indulgentiarum tantū valent, quātum sonant.

Cessat 2. per revocationem, quæ nempe fiat ab eo qui indulgentiam concessit, vel a successore, aut alio paris, vel maioris potestatis. Sumitur ex *Clem. Dudum §. nos autem, de sepult. & Extrav. Quemadmodum de pænit. & remiss.* Ratio est, quia indulgentia a concedente non solum in fieri, sed etiam in conservari pendet. An regularium indulgentiæ revocatæ a Paulo V. sint hodie revalidatæ? Negandum omninò est: Quia Papa Alexander VII. anno 1665. damnavit hanc *Revocatio indulgentia.*

 propo-

propositionem: (*Indulgentia concessa regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie sunt revaluatæ*)

Notant bene *Suar.d.57.sect.2.& Bonac.d.6. q.1. part.ult.* ad validam revocationem nullam postulari causam: ut tamen licite fiat, præter honestatem finis, regulariter debere adesse talem causam, quæ respiciat Dei cultum, maiorem fructum fidelium, & bonum Ecclesiæ. Non habebit tamen revocatio effectum, donec illius notitia perveniat ad eos in quorum favorem indulgentia concessa fuit.

Cessatio indulgentia per destructionē loci vel rei.

Cessat 3. per destructionem rei, in cujus favorem hominibus concessa est. Cum enim sit accidens motale, sine subjecto consistere nequit. Quid si templum vel altare, quibus inerat, post tempus non longum reædificetur? Ex *Suar disp. 52.sect.1.num.8.& 9. & Bonac.d.6.q.1.p.ult. num.4.* bene resolvit *Palaus punt.11.num.3.* si locus destructus fuit cum spe reædificationis, redire eandem indulgentiam, quæ interim suspensa fuit: secus, si fuit destructus in pœnam delinquentium. Quid si templum sine prælati authoritate, sive de facto destructum in alium locum transferatur ædificandum? Transferri eadem privilegia & easdem indulgentias citati authores cum alijs recte docent.

Denuntiatio indulgentia.

1346. Ex dictis colliges 1. cum *Lezana tom.3 V.festi dies n.13.* apud *Dianam part.6.tr.8.resol.31.* in fine, indulgentiam quæ conceditur alicui festo, non transferri cum officio illius festi. Si autem cum officio transferatur etiam festum, & in concessione non fiat mentio diei mensis, sed solū festivitatis, tunc judicat *Diana cit.& tr. 2.res. 31.* cum *Sylvio V. Indulg.2.§. si autem* transferri etiam indulgentiam: quia tunc est festum alicujus sancti, cum ejus officium & festum celebratur.

Colliges 2. cum *Suar disp. 52. sect.2. & Palao punt.11.num.4.* præter tres assignatos modos cessandi, nullum alium proprie assignari posse. Unde nec cessat per mortem concedentis: quia est gratia facta & beneficium Principis, nec cessat per aliam eidem loco supervenientem: quia si est compatibilis superveniens, cum priori consistet: si incompatibilis, irrita evadet: denique nec cessat ex renunciatione, nec etiam ex cessatione causæ. Ratio prioris est, quia licèt quis poterat non acceptare indulgentiam, tamen postquam acceptavit a legitimo concedente, non potest se privata potestate, quam habet utendi illa. Ratio posterioris est, quia duratio indulgentiæ non pendet a duratione causæ, si hæc a principio concessioni proportionata fuit. Nam propter causam temporalem indulgentia prepetua conceditur.

SECTIO III.
De Iubilæo.

QUÆSTIO I.
Quid sit Iubilæus, & quotuplex?

Consonum fuit annectere indulgentijs jubilæum: quia inter indulgentiam plenariam (inquit *Ægid. Bellan.disp.12.dub.5.num.28.*) & jubilæum in ratione indulgentiæ, non est ulla distinctio substantialis, sed solum quædam accidentalis ratione adjunctorum. In jubilæo enim solet concedi maior potestas absolvendi a reservatis casibus, vel censuris, liberandi ab inhabilitatibus, dispensandi & commutandi vota.

Jubileus quid sit.

Jubilei nomen.

Cum igitur præcedenti sectione maneant explicatæ indulgentiæ quoad naturam, multiplicitatem & effectus, proclivius erit explicare jubilæum quoad suam peculiarem & condistinctivā rationem. Iubilæus, vel (ut alijs placet) Iubeleus, derivatur a voce Hebræa *Iubel*, quæ significat libertatem. Levit 25. si autē mavis, a dictione *Iubal*, quæ apud Iosephum lib.3. antiq.cap. 10. sonat remissionem, seu dimissionem.

Jubileus definitur.

1347. Unde jubileus significabat Hæbreis annum quinquagesimum remissionis, in quo juxta Levit. 15. relaxabantur delicta, donabantur servi libertate, exules in patriam redibant, & prædia divendita ad pristinos dominos, revertebantur. Hæc est quod in gratia hæc vox jubileus opportune usurpata fuit ad significandum id quod intendimus definire in hunc modum: Iubileus est indulgentia plenissima quibusdam indultis seu favoribus vestita, scilicet facultate eligendi confessarium, absolvendi a reservatis, commutandi vota, & similibus. Importat igitur jubileus, quà indulgentia est, omnimodam remissionem pœnarum, & quà distingitur ab indulgentia, reliquas facultates.

Jubileus quotuplex.

Quotuplex sit jubilæus ut innotescat saltem in genere, rectè dividitur in Romanum, Compostellanum, & extraordinarium. Romanus dictus ab verbe Roma, ubi concessus fuit omnibus undequaque veniētibus & visitantibus limina Apostolorum Petri & Pauli: primum anno centesimo: postmodum quinquagesimo: tandē vigesimo quinto.

Romanus Jubileus.

Quale initium habuerit, & aquo Pontifice authenticé concessus, ignoratur, proindeque nō improbabiliter *Henr. de indulg. cap.15.num.6.* refert illius originem ad Apostolorum tempora.

Suspensio indulgentiarum & facultatū per jubilæum Romanum.

Qualia opera ad consecutionem jubilei Romani postulentur, & quales gratiæ & facultates per illum concedantur, paucis exponit *Palaus tr. 24.punt.12.§.1.* & multis *Fragos.part.2.lib.2.disp.5. §.1.* de susceptione indulgentiarū, & facultatū, quæ fit durante Romano jubileo agit *Palaus a num.7.* ubi ait suspendi non quaslibet indulgentias, sed solum plenarias etiam instar jubilei cōcessas: item facultates & indulta quæcunq; causa lucrandæ indulgentiæ concessa, scilicet facultates eligendi confessarium ut absolvat a reservatis, censuris & alijs pœnis, componat malē oblata, commutet vota, aut dispenset. Ab hac tamen suspensione generali excipitur jubileus Compostellanus ex brevi Sixti V.

Cruciata tempore jubilei.

1348. Dubium est 1. an tempore jubilei Romani suspendatur Bulla cruciata quoad indulgētiā plenariam, & facultates cōmutādi vota, absolvendi a reservatis, & componendi incerta malē oblata?

ablatat? Affirmat suspendi *Navar.§. indulg.notab. 28.num 7.* estò Bulla concedatur in remunerationem, vel ob causam onerosam interveniente pretio. Negandum tamen est cum *Palao trat.de de legib.disp.4.punt.ult.§.2.num.3.&trat.de jubil.par. 12.§.1.num.10.* Quia clasula illa jubilei Romani (*Omnia indulta quovis modo, quibusq; causis,& quomodolibet concessa*) nimis generalis est: debuit enim in illa exprimi modus concessionis per contractum, vel remunerationem.

Dubium est 2. an per dictum jubilæum suspendatur facultas absolvendi a reservatis, & cōmutandi vota, quam habent religiosi? Videtur affirmandum. Quia suspentio fit omnium facultatum quæ sunt concessæ personis singularibus & communitatibus. Rectiùs tamen negat *Palaus cit.num.11.* cum *Henriq.lib.7.cap.28. num.7. & Sanch. in Decal.lib.4.de voto cap.54. in fine* ex praxi recepta, & quia illæ facultates dispensandæ per singulares personas fuere concessæ in favorē totiùs Religionis, & bonum Ecclesiæ. Ita *Bosumb. im medulla lib.V.trat.4.dub.4.§.2. & Lugo de pænit. d. 20.sect.8.num.145.* ex declaratione Urbani VIII. anno 1625. Vide *Fragos.part.2.lib.2.§.1. a nu.14.*

Dubium est 3. an indulgentiæ plenariæ & facultates anno jubilei suspensæ indigeāt nova cōfirmatione, ut prosint anno jubilei elapso? Videtur affirmandum. Quia in *Extrav. Quemadmodum* & Bulla Gregor. XIII. suspensio illa fit ad Pontificis beneplacitum: & hoc censetur durare quandiu voluntas non mutatur. Negandū tamē est cū *Palao nu.13. & Layman.lib.5.sum.tr.7.cap.8.num.2.* ex praxi recepta, & quia licet beneplacitū absolute sumptum duret usque ad revocationē, non ita quod cum restrictione ad tempus limitatur: hoc enim per lapsum temporis finitur.

Compostellanus jubilæus. Iubilæus Compostellanus est ille quem Pontifices Calixtus 2. & Alexander 3. concessere omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus verè pænitentibus & confessis, qui Ecclesiam S. Iacobi in Compostella visitaverint in anno, in quo festum ejusdem Apostoli venerit in Dominica, a Vigilia Circuncisionis & per integrum illum annum, usque ad diem ejusdem Circuncisionis, in diebus quibus magis eis placuerit: tales enim obtinebunt indulgentias, & facultates concessas per jubileum Romanum visitantibus Ecclesias urbis. Vide hujus explicationem apud *Palaum citatum §.2.*

Extraordinarius Iubileus. 1349. Iubilæus extraordinarius est ille quē ob aliquam rationabilem causam, v.g. Pontificis coronationem, & gravem aliquam calamitatem, qua urgetur Ecclesia, concedit Pontifex ijs qui assistunt processionibus, quas indixerit Ordinarius, aut visitaverint Ecclesias ab ipso designatas, ibique fuderint preces pro exaltatione fidei, extirpatione hæresum, & concordia Principum Christianorum, in aliqua ex duabus hebdomadis assignatis? Eucharistiā sūpserint jejunaverintq; feria quarta, sexta & sabbatho, ecogaverintq; eleemosynam pro cujusq; devotione: concedit (inquā) indulgentiā plenariā, qualem in jubileo Romano.

Quod si aliquis ob justam causam nequiverit exequi prædicta, datur facultas confessario cōmutandi omnia & singula prout sibi visum fuerit, in opus piū. Insuper confessario per ordinarium approbato delegatur potestas absolvendi ab omnibus censuris & pœnis a jure vel ab homine in foro cōsciētiæ, & omnibus peccatis tametsi gravibus, etiam in Bulla cœnæ contentis. Tandem datur facultas commutandi quælibet vota exceptis Castitatis & Religionis.

Vocari potest extraordinariūs, saltem ob circunstantias, quibus concēssus fuit, Portiunculæ jubileus. Constat enim ex 1. part.lib.2.cap. 1. Cronicæ Minorum, Papam Honorium concesse jubileum Portiunculæ, quæ est eremitorium Deiparæ ab Angelis prope Assisium, Christo Domino jubente B.Francisco, ut illum ipsius jubētis nomine exigeret a Pontifice. Qualis autem sit hujusmodi jubilæus, videatur Pottel V. indulgentia num.1.

QUÆSTIO II.

Qualiter se habeat jubileus, precipuè extraordinarius quoad rationes communes?

CUM jubileus in communi acceptus prout abstrahit a Romano, Compostellano & Extraordinario, sive respiciat potestatem concedentium, sive capacitatem accipientium, in ordine ad suas causas & effectus possit ingerere varias dubitationes, quæ decisione indigeant. *Iubileus sine causa concessus.*

1. Dubitatio est, an & quomodo valeat jubileus absque ulla causa rationabili cōcessus? Respondeo cum *Suar.de pæn.d.58 sect.2.num.18.Palao tr.25. part.7.num.& Layman.lib.5.sum.trat.7. cap.5. in fine* juxta ea quæ supra notavi num.1338. valere quoad facultatem eligendi confessarium, qui ab absolvat a reservatis, & commutet vota, non tamen ad consequendam indulgentiūm. Ratio utriusque partis est, quia facultas elegendi confessarium pro reservatorum absolutione, pendet omninò a voluntate Pontificis; cum reservatio peccatorum & votorum sit de jure Ecclesiastico cujus Pontifex dominus est: at indulgentia conceditur ex Thesauro Ecclesiæ, cujus Pontifex cum dominus non sit, fidelis dispensator esse debet, proindeque ex justa caus.

1350. 2. Dubitatio est utrum ad lucrandū jubileum universis Christi fidelibus concessum postuletur Bulla cruciata? Respondeo negativé cum *Dom.Roterico a Cunha tract.de jubil.cap.4. dub. 7.num.17.* ubi tanquam huic resolutioni valde faventes citat *Lessium de just.lib.2.cap.42.dub.12.n. 60.& Fr. Erman.Roter.in Explic.Cruciatæ in addit. ad §.9.* Ratio est, quia si postularetur Cruciata, esset ex clausula ejusdē Bullæ, qua suspendūtur aliæ indulgentiæ ut sine eadem Bulla comparari nequeant: atqui indulgentiæ quæ suspenduntur ex vi talis clausulæ sunt tantum illæ quæ concedūtur determinatis personis, monasterijs, & locis pijs, ut in eadem clasula videre est; cum igitur *Bulla cruciata ad Iubileum*

jubileus, de quo loquimur, non determinetur ad certas personas, vel loca, sed concedatur universis Christi fidelibus, & toti Ecclesiæ, non impeditur per Bullam, nec proinde illa indiget.

Jubilei quatuor Ulyssiponensis diœcesis.

An quodruplex jubileus, quem ex indulto Pontificis Pij IV. omnes diœcesani Archiepiscopatus Ulyssiponensis lucrari possunt singulis annis in festis Nativitatis, Pentecostes, Assumptionis Deiparæ, & Omnium Sanctorum, indigeat Bulla cruciatæ? Fateor me valde propendere in partem negativam, propter verba Bullæ *Py. IV.* quem afferunt *Constitutiones lib. 1. tit. X.* ubi expressè dicit Pontifex se nolle derogari, vel suspendi talem jubileum per quascunque indulgentias, gratias, vel dispositiones in posterum concedēdas etiam in favorem Sanctæ Cruciatæ: non tamen audeo damnare partem affirmativam: quia videtur pro illa stare praxis, & cōmunis sensus.

3. Dubitatio est, utrum sufficiat notitia particularis de jubileo concesso & expedito Romæ, ut quis in propria parochia vel civitate, antequā ibi publicetur, lucrari possit? Respondeo negativè cum *Illust. Roterico à Cunha citato cap. 3. nu. 15.* cui favet *Fr. Eman. Rodrig. in exposit. Cruciatæ §. 1. num. 1.* asserens non valere Bullam hanc, antequā publicetur. Ratio est, quia in litteris, per quas conceditur jubileus solet disponi quod publicetur jubileus prius in loco, quo lucrandus est, ibique designetur, vel Ecclesia per ordinarios locorum, & assignentur hebdomadæ: quæ omnia ante publicationem præstari nequeunt.

1351. 4. Dubitatio est, utrum qui post publicationem factam in propria parochia vel civitate per ignorantiam, aut culpam non lucratus fuit jubileum, possit illum in alia parochia vel civitate lucrari? Rectè affirmant *Illust. Acunha cap. 3. num. 8. Sanctarellus de Iubil. cap. 7. dub. 1.* & *Leander in Compen. 1. disp. 14. num. 30.* Ratio est, quia Pontifex intendit ut omnes fideles lucrentur publicatum jubileum ubique terrarum, nec limitat illum locum, ut constat ex tenore Bullæ, quod autem quis ignorasset, vel scienter voluisset lucrari in propria parochia, obstare nequit ad lucrandum postea, cum adhuc duret gratia, & voluntas concedentis.

Jubilei lucratio repetita.

5. Dubitatio est an qui jam in propria diœcesi vel parochia lucratus fuit jubileum, possit illum in alia diœcesi vel parochia lucrari? Affirmant *Henriq. lib. 6. cap. 16. n. 3. & Benzonius de jubil. lib. 5. cap. 15. dub. 23.* Quia jubileus conceditur propter opera, & hæc in varijs locis repiti possunt. Negandum tamen est cum *Laymano lib. 5. trat. 7. cap. 8. num. 9. Leandro in compen trat. 5. de pæn. disp. 14. num. 36. & Filliuc. to. 1. trat. 8. c. p. 10. n. 278.* ubi testatur interrogatum Clementem 8. respōdisse jubileum semel tantum lucrari posse, idemq; Sacram Congregationem declarasse. Ratio est, quia jubileus in se est personalis, nempe concessus fidelibus; igitur postquam semel fidelis illum lucratus est cessavit omnino respectu illius.

6. Dubitatio proximæ similis est, utrum in eadem parochia possit quis in duplici assignata hebdomada lucrari bis jubileum si opera injuncta bis præstet? Affirmant *Rodrig. tom. 2. sum. cap. 184. num. 14. & Henriq. lib. 6. de pæn. cap. 16. num. 3. & lib. 7. de indulgen. cap. 11.* Quia beneficia Principis late interpretari debent: & verba jubilei cōcedentia unam e duabus hebdomadis dictam interpretationem admittere possunt.

Negandum tamen est cum *Suar. de pæn. d. 57. sect. 1. num. 7. Layman. tr. 7. cap. 8. num. 8. Sanch. de voto cap. 54. num. 30. Fragos. part. 2. lib. 2. disp. 6. §. 3. n. 16. Bonac. de pæn. disp. 5. q. 7. p. 5. & Palao tract. 24. p. 12. §. 3. num. 4.* Ratio est, quia verba jubilei non cōcedunt utranque hebdomadam ad bis lucrandū, sed solum dant optionem per particulam disjūctivam, ut in prima vel secunda comparetur.

Reservata in jub.

1352. 7. Difficultas est an lucrans jubileū in una hebdomada, postquam semel a reservatis & censuris absolutus fuit si postea incidat in similes, possit iterum absolvi antequam hebdomada elabatur? Videtur negandum cum *Suar. to. 2. de relig. trat. de voto lib. 7. cap. 16. num. 17.* ex verbis jubilei: *Hac vice tantum absolvere & liberare valeant.* Affirmandum tamen est cum *Henr. lib. 7. c. p. 10. num. 2. Reginald. in praxi lib. 7. cap. 13. num. 155. Fragos. cit. §. 3. num. 16.* qui ait esse de mente Sanaij lib. 4. recal. cap. 54. num. 26. Quia verba illa (una vice) debent intelligi pro tempore illius hebdomadæ, ut ea durante, sive sit prior, sive posterior, absolutio impendatur toties quoties.

Maior est difficultas, an comparato jam jubileo in priori hebdomada per omnia injuncta opera impleta, possit quis hebdomada sequenti repetere eadem onera, & absolvi ab omnibus, in quæ postea lapsus est? Affirmant *Henr. lib. 6. de pæn. cap. 16. §. 3. Villalob. in sum. tr. 26. num. 2. diff. 24. Vega in summa part. 2. cap. 7. V. Indulg. casu 1.* & probabile judicat *Palaus citatus num. 6.* ubi citat *Reginald lib. 8. num. 64. & Graffiis de manl. cap. 5. n. 32.* Favet *Navar. de jubil. notab. 32. num. 47. & notab. 34. num. 7. Vers. 3.* ubi ait indulgentiam Anni Sancti, posse eo durante toties quoties comparari oneribus injunctis.

Negandum tamem omninò est cum *Suar. tr. de voto lib. 6. cap. 16. num. ultim.* dicente esse fere certum, *Sanch. cit. lib. 4. cap. 54. num. 30. Layman. & Bonac. supra* citatis & *Fragos. cit.* asserente opinionem oppositam nec esse tutam, nec in praxi admittendam. Constat ex verbis jubilei, quę nullo modo important ut jubileus copulative in una vel altera hebdomata comparetur, nec indefinite pro illa duplici hebdomada, sed solū disjunctive, facta optione ut in una vel altera cōparari possit.

Publicatio jubilei per parochum.

8. Dubitatio est, utrum facta Romæ publicatione hujus jubilei si illius legitimum transūptum, v.g. subscriptum a publico notario, & munitum sigillo alicujus personæ in dignitate cōstitutæ veniat ad manus alicujus parochi Lusitani, antequam illud publicetur in cathedrali propriæ diœcesis, vel etiam in regno, & talis Parochus publicet illud in propria parochia, sit valida & licita hujusmodi publicatio? Respon-

deo

pondeo affirmative cum *Henriq.lib.7.de indulg.cap* 20.§.3.loquente de valore, & cum Illust.Roter. a Cunha cap.3.n.6.&7.loquente de utroque.

1353. Fundamentum sumitur ex Bulla jubilei, in qua Pontifex præcipit omnibus ordinarijs, & in eorum defectum, curam animarum habentibus, ut quam primum transumptum suarum literarum notario publico subcriptum, & munitum sigillo personæ in dignitate constitutę, ad eorum manus pervenerit, statim illud publicent: nec exigit ad valorem publicationis etiam licitè faciendam per parochos, quod tale transumptum firmetur authoritate ordinariorum; ergo in his terminis, illa publicatio valida & licita erit.

Notitia privata ad publicandum, vel lucrandum jubileum. 9. Dubitatio est, an si ad parochum Lusitanum veniat, non quidem transumptum eo modo quo diximus, authenticum, sed sola notitia certa per Epistolam amici testantis, quod jubileus sit publicatus Romæ, possit ex vi talis notitiæ illum publicare in sua Parochia? Respondeo negative cum *Fragoso citat.§ 1.num.7.fine &* ex simili doctrina *Henriq lib.7.cap.29.num.3. & Acunha cap.3.num.15.* negantium sufficere notitiam privatam de jubileo concesso & expedito Romæ, ut quis alibi lucrari possit. Ratio est, quia sicut jubileus publicus exigit causam publicam, ita & notitiam publicam: ideoque in literis postulatur ut mittatur transumptum authenticum, & fiat publicatio.

10. Dubitatio est, an si ad manus parochi veniat transumptum authenticum, antequam publicetur in regno, & cathedrali, & hac de causa nolit parochus illum publicare in sua parochia, possit tamen moribundis, aut in longinquum discessuris applicare? D. Rotericus Acunha hanc dubitationem in utranque partem discutit, & in negativam rectè inclinat tum ex praxi, tum quia debent priùs fieri supplicationes, & solemnis publicatio antequam alicui applicetur jubileus, ut testatur *Henriq.lib.7.cap.20.num.* 3. observari in Ecclesijs Romæ.

Iubilei tempus abbreviatum. 11. Dubitatio est, utrum currendū tempus jubilei post legitimam publicationem, possit ex justa causa per confessarium ita abbreviari, ut unica die comparari possit, v.g. ab ægroto qui ita morti proximus est, ut judicetur moriturus eadem die? Respondeo affirmative cum citato *Acunha cap.3.num.*18. qui suam resolutionem benè deducit & probat ex doctrina *Henriq. lib. 7. indulgent.cap.10.num.6.&Sanch.lib. Decal. cap. 54. num.28*. Nam hi authores rectè docent posse confessarium ex justa causa commutare jejunia, & visitationes templorum in alia pia opera, v.g. in eleemosynas & actiones, quæ brevi tempore exequi possunt; ægrotus igitur post confessionem recipiens statim Eucharistiam lucrabitur jubileum.

Addit Acunha *citat.num.19.* ex *Corduba lib. 5. de indulg.quæst.36.&Vega 2.part.V.indulg.cap. 7. casu* 51. si ægrotus sit in extremis compos sui, & petat jubileum posse a confessario illi applicari post absolutionem cum solo onere, ut ter in corde suo, dicat Iesus.

1354. 12 Dubitatio est, utrum si post publicatum Romæ jubileum, moriatur Pontifex, cesset ipse jubileus tum quoad indulgentias tum quoad facultates alias? Affirmat *Comitulus respon. moral.quæst.108.num.1.lib.1.* dicens sic fuisse resolutum Romæ super jubileum concessum ab Innocentio IX. qui electus 20. Octobris anno millesimo quingentesimo nonagesimo primo obijt 29. Decembris ejusdem anni. Ita Eman.Roter. in sum.tom.3.cap.211. *Iubilei cessatio per mortē Papæ.*

Notandum est dubitationem procedere in triplici sensu 1. an cesset respectu fidelium ad quos adhuc non pervenit notitia mortis Pontificis. 2. an cesset respectu fidelium ad quos quando pervenit notitia talis mortis, jam exequi inceperant aliquot opera a jubileo præscripta. 3. an cessat respectu fidelium, ad quos quando pervenit notitia mortis, nondum publicatum erat.

In primo sensu, dato, & non concesso, quod per mortem Pontificis cesset jubileus quoad indulgentias & facultates, adhuc fideles, si ad eos non pervenit notitia mortis, jubileum lucrantur quoad utranque illam partē. Ratio est, quia in terminis fortioribus, quādo scilicet Pontifex revocavit jubileum quoad omnem gratiam, fideles adhuc, ad quos non pervenit notitia revocationis, illum lucrantur quoad omnia, ut cum communi docent *Suar. de pæn.d.17.sect. 2. num.9. Palau trat. 24.punt.11.num.2.& Fragos.part.2.lib.2. disp.6.§.1.num.8.* Et certe fidenter possumus ac debemus adhærere hujusmodi citatis authoribus, tum propter rationes, quibus nituntur, ac loculenter probant, non obstare mortem Pontificis jubileo concesso quoad indulgentias, & facultates lucrandas: sicut (ut vidimus) copiosè tradunt. *Iubilei revocatio.*

Accedit cessare posse per revocationē factam ab eo qui concessit, vel illius successore, vel superiore: quia indulgentia, sicut pendet in fieri a voluntate concedentis, ita in conservari. Sumitur manifestè tum ex Clem. *Dudum §. nos autem:* tum ex frequenti usu Ecclesiæ passim revocante indulgentias. Non habet tamen effectum revocatio. quousque perveniat in notitiam eorū, in quorum favorem concessa est.

Accedit spiritualis ratio pro favore concesso ad eligendum confessarium, & facultatem confessario datam: quod facta per communem errorem cum titulo colorato valida sunt. Unde cum ignoretur mors Pontificis commutatio votorum, & absolutio a reservatis, etiam ex hoc capite valida essent. Dixi supra (dato & non concesso quod per mortem Pontificis cesset jubileus) quia morte Pontificis, neq; quoad indulgentiam, neque quoad alias facultates cessat. Ratio est quia jubileus est gratia facta quæ proinde non expirat morte concedentis. Ita *Sanch.de matr. lib.8. disp.28.num. 48. Suar. de pænit. d.27. sect. 4. num. 8. & Palaus citat. num. 4.* Ex

quo fundamentum patet solutio dubitationis in secundo & tertio sensu. Nam si jubileus non cessat morte Pontificis & aliunde (ut supponimus) non est revocatus per successorem, de novo publicari potest, ut comparetur: & a fortiori cōparari, ubi já publicatus & inceptus fuerit.

QUÆSTIO III.

Qualiter se habeat jubileus quoad imposita opera in communi accepta?

1355. 1. Dubitatio est, utrum ad lucrandum jubileū postuletur, quod opera in eo præscripta ita sint moraliter bona in individuo, nēpe ita fiant honestè, ut nulla prava circunstantia vitientur? Hanc dubitationem jam resolvimus *sect. 2. de indul. q. 8. dub. 1.* pro parte negativa, quam modo roboramus hac ratione addita, quia de facto Pontifex non exigit in operibus jubilei plus quā exigit in operibus implētibus præcepta Ecclesiastica: hæc autē per opera honesta exse, quanvis ex circunstantiis vitiate impleantur.

Opera jubilei.

2. Dubitatio est, an requiratur quod opera præscripta fiant in statu gratiæ? Affirmant *Cajet. de indul. de jubil. cap. 9. Adian. in 4 quæst. de clavibus col. 3. Hen. Gandav. quod. ult q. 14. Navar. de jub. notab. 16 n. 7.* Negant tamē *S. Anton. p. 1. tit. 10. c. 3. §. 3. Crassus decis. aut p. 1. l. 4. c. 15. n. 39. Bellar. l. 1. de indul. c. 13.* Nos media incedentes via existimamus sufficere quod homo sit in gratia tempore quo exequitur ultimū opus. Et in hoc consentiunt *Palaus de indulg punt. 8. n. 3. & Cunha cap. 4. n. 4. ex Suar. de pan. d. 52. sect. 2. n. 6. & Ægid. Bellan de sacra. 12. dub. 7. nu. 37.* Ratio est quia jubileus cōparatur in ultimo opere, in quo proinde debet homo esse capax remissionis pœnæ: at talis non erit in statu peccati mortalis, sed gratiæ. An verò si quis exequens illud ultimū opus, tēpore quo erat lucraturus jubileū, mortali peccato impeditus noncōparavit, postea recedēte peccato, & adveniente gratia comparet? Iam supra negavimus quæst. 7. sec. 2.

Status gratiæ ad jubileum.

3. Dubitatio est, an opera omnia a jubileo præscripta fieri debeant in eadem hebdomada, in qua jubileus comparatur? Affirmant *Henr. lib. 7. c. 10. n. 2. Villal. in sum. tr. 26. diff. 24. n. 3. Frag. p. 2. l. 2. d. 6. §. 3. n. 18. Sanctar. de jub cap. 7. dub. 1. & Leander tr. 5. de pæn. d. 14. n. 35.* Quia liberalis donatio non subsistit, nisi impleatur conditio sub qua fit: & Pontifex concedit jubileum sub conditione ut omnia opera fiant eadem hebdomada.

1356. Quanvis hæc sententia (ut notat *Palaus de indul. pun. 12. n. 19*) securior sit, & consulēda, verior tamen apparet, quam tenent *Palaus* ibid *Laym. lib. 5. sum. tr. 7. cap. 8. dub. 4. Bon. de indul. disp. 6. q. 1 p. 5. n. 34. & Mald. V and. n. 14.* nempe posse authoritate propria opera requisita partim in una hebdomada, partim in alia præstari, v.g. jejunādo in prima, confitendo & cōmunicādo in secūda. Ratio desumitur ex praxi Romana, nam Romæ jubileus, qui est norma cæteris partibus extra urbem, vidente & non repugnante Pontifice, comparatur, itaut jejunetur in una hebdomada, & in alia visitentur sacræ Ecclesiæ, fiat confessio, & sumatur sacra Eucharistia. Adde ex justa causa posse ultra duas illas hebdomadas prorogari tempus a confessore, etiam illi qui sua culpa non implevit. Vide *Dianam. part. 5. trat. 12. resol. 26.*

4. Dubitatio est, an si ex præscriptis operibus aliquod omittatur per inculpabilem oblivionem, vel ignorantiam, comparetur jubileus? Respondeo negativè ex dictis supra sect. 2. q. 8. init. Ita *Ægid. Bellan. de sacram. disp. 12. dub. 7. num 38. Villalob. trat. 26. diff. 14. num. 1. Suar. Bonac.* & alij supra citati. Ratio est manifesta, quia jubileus est gratia, & donatio liberalis, quæ impēditur sub illa conditione præstandi talia opera: deficiente autem conditione, subsistere nequit dispositio. Excipe tamen nisi in concessione caveatur jubileum concedi impeditis opus injunctum exequi. Tunc enim qui ignoravit, per ignorantiam impeditus fuit.

Opera omissa ex oblivione.

5. Dubitatio est, an omnia opera præscripta debeant fieri, seu executioni mandari in eodem loco, in quo jubileus publicatus est? Respondeo negative cum *Layman. lib. 5. sum. trat. 7. cap. 8. dub. 5. & Bonacin. d. 6. de indulg. quæst. 1. part. 5.* quos citat & sequitur *Palaus citat. part. 12. §. 3. nu. 21.* Ratio sumitur ex tenore Bullæ jubilei, in quo innuitur duplex tantum opus debere fieri in loco, ubi pubicatur, nempe visitare Ecclesiam designatam, & in ea preces Deo fundere: cetera autem opera non addixit eidem loco, & per consequens, ubicunque fiant intra designatum tempus, Iubileus comparabitur.

Locus ad opera jubilei.

Denique pro resolutione duplicis alterius, observabis 1. non obstare jubileo lucrando quod opera fiant ex duplici fine, nempe ex motivo jubilei, & simul ob recreationem videndi Ecclesiam illam. Observabis 2. lucrari jubileum, illum qui semel constituit illum lucrari, quanvis dum opera exequitur, talis intentionis omninó obliviscatur. Nam virtualis hujusmodi intentio, etiam in materia sacramentorum & meriti sufficit. Observabis 3. posse comparari jubileum per opera aliunde præcepta. Quia non repugnat uno actu satisfieri multis obligationibus.

QUÆSTIO IV.

Qualiter se habeant visitatio Ecclesiæ, oratio, & jejunium?

1357. Sufficere ex intentione Sūmi Pontificis declarata in literis jubilei, unum ex assignatis visitare Ecclesiam, ubique preces fundere, certum est. Notat *Bossius de jub. sect. 4. casu 16. num 6.* si Episcopus deputaret plures Ecclesias in sua civitate quam Papa deputavit in urbe, sufficere visitare quot deputavit Papa: si e contra deputaret pauciores quam Papa, vel una tantum, illam sufficere.

Ecclesia visitatio in jubileo

1. Dubitatio petit, utrum satisfaciat ad lucrandum qui a cœmeterio tantum visitat? Respondeo

pondeo affirmativé cum *Laym. lib. 5. trat. 7. cap. 3. num. 9. Leandro tr. 5. de pæn. disp. 14. num. 27. Ludovico da Cruz in Cruciata d. 1. cap. 8 dub. 23. nu. 5. & Diana part. 5. trat. 12. resol. 19.* cum alijs. Ratio est, quia moraliter visitat Ecclesiam, qui a cæmeterio visitat: nam infavorabilibus nomine Ecclesiæ venit cæmeterium.

Intentio ad jubileum. 2. Dubitatio est, an lucretur jubileum qui visitat principaliter Ecclesiam causa recreationis, sicut si anno sancto Romam pergat principaliter ex curiositate videndi Romam? Negant *Vega in sum. tom. 2. cap. 7. casu 2. Corduba de indulg. quæst. 25. & Eman. Rocer. in Cruciata §. 8. num. 9.* Affirmandum tamen est cum *Suar. tom. 4. in 3. part. d. 52. sect. 6. num. 5. Iacobo Granado de sacram. contr. 12. trat. 5. disp. 4. num. 10. & Leandro tract. 5. de penit. disp. 14. num. 27.* Ratio est quia talis per illam intentionem non excludit voluntatem faciendi quod jubileus præcipit, cum utraque illa intentio stare possit: deinde facit opus injunctum saltem cum virtuali intentione, quanvis non principali lucrandi jubileũ ergo sic lucrari potest.

Oratio ad jubileum. 3. Dubitatio est, an oratio quæ postulatur in assignato templo facienda, necessarió vocalis esse debeat, an sufficiat mentalis: & quanto temporis spatio habenda? Bené respondet *Leander citatus disp. 14. num. 26.* sufficere quamlibet, sive vocalem, sive mentalem. Ratio est quia oratio in communi & indeterminaté accepta, sive determinetur ad vocalem, sive ad mentalem, est vera oratio: & Pontifex in suis litteris solum petit orationem, nullam ex duabus determinatè exigens. Quod attinet ad durationem orationis, cum nulla designetur, sufficiet brevissima. Ita *Bossius de jubil. sect. 4. casu 17. num. Leo de jub. pa 1. cap. 18. num. 8. & Filliuc. tom. 1. tra. 8. cap. 6. nu. 164.*

4. Dubitatio est. Utrũ oratio, aliunde debita v. g. ex voto, vel ex sacramẽtali satisfactione sufficiat? Et idem est de jejunio, & eleemosyna? Respondeo affirmativé juxta ea quæ resolvi generaliter supra quæst. 3. fine, & modo in specie cum *Bossio de jub. sect. 4. casu 17. num. 15. Leandro cit. num. 26. & Diana part. 5. tr. 12. resol. 33.* Ratio est, quia unum & eadem opus debitum ex varijs titulis, potest unico actu impleri, itaut omnibus debitis satisfiet. Et hæc resolutio saltem quoad jejunium videtur approbari a Pontifice, quando jubet publicari jubileum in quadragesima vel quatuor temporibus.

Ieiunium pro jubileo. 1358. 5. Dubitatio est utrum sufficiat jejunium cum lacticinijs & ovis ad comparandum jubileum? Bené satisfacit affirmando *Leander cita. num. 25.* Quia Pontifex in hoc jejunio non censetur plus exigere quàm in alijs jejunijs extra Quadragesimam, in his autem non prohibentur lacticinia juxta probabilem sententiam. Addit tanquam probabile quod si fuisset publicatus jubileus in Quadragesima, non impedire ipsius lucrationem jejunium cum lacticinijs, quanvis alias peccaretur cõtra præceptũ Quadragemsiale.

6. Dubitatio est, utrum pueri & senes debeant omninó jejunare ut lucrentur jubileum?

Affirmativa resolutio vera omninó est ex supradictis, & doctrina *Suarij d. 52. sect. 5. nu. 3. Laym. tr. 7. cap. 6. num. 3. & Bonat. d. 6. quæst. part. 5. nu. 20.* quos sequitur *Palaus part. 9. num. 1.* Probatur, quia concessio sub aliqua forma & conditione, ea non servata corruit, Arg. *l. qui hæredi. 54. l. Mevius ff. de condit. & demonst.* At Summus Pontifex jubileum concedit, unum tanquam contractũ iniens (do, ut facias) in contractibus autẽ onerosis, non impleta conditione corruit cõtractus. Possunt tamen prædicti ex causa commutationem obtinere.

QUÆSTIO V.

Qualiter se habeat ad obtenendum jubileum eleemosyna?

1359. SUppono quod jam in alijs operibus dictum, repetitum & probatum est, scilicet per eleemosynam ex præcepto, voto, vel alio titulo debitam posse comparari jubileum.

1. Dubitatio est, an pauperes impotentes ad erogandam eleemosynam possint lucrari jubileum, si nec illam erogent, nec obtineant cõmutationem? Affirmant *Henriq. lib. 7. cap. 10. p. 6. Grassius in Appen. lib. 2. cap. 5. num. 58. Faustus de Iubil. lib. 4. quæst. 55. Leand. cit. num. 2. & Fernan. in medulla part. 3. cap. 7. §. 8.* & certé probabiliter. Quia mens Pontificis in hoc casu non videtur exigere eleemosynam ab ijs, qui illa indigent. *Eleemosyna ad jubileum.*

Nihilominus est securior, & videtur probabilior negativa resolutio, quam tenent *Lavorius de jubil. cap. 19. num. 6. Sanctarellus de eod. cap. 7. nu. 1. Leo de jub. part. 2. num. 32. & Palaus cit. part. 9.* Ratio est, quia (ut sæpe monuimus) non comparatur jubileus, nisi mandetur executioni opus præscriptum, vel si detur ad illud impotentia, obtineatur commutatio in aliud; ergo ex præcisa ratione paupertatis non datur excusatio ab alterutro. Credo tamen satisfacere pauperem per eleemosynam minimam, v. g. unius oboli. *Pauperes ad jubileum.*

2. Dubitatio est, an eleemosyna præstari debeat juxta facultatem, seu possibilitatem personæ? Affirmant *Navar. de jubil. notab. 31. num. 34. Reginald. in praxi tom. 1. lib. 7. cap. ult. quæst. 4. n. 187. Corduba de indulg. lib. 5. quæst. 22. & Lavorius de jubil. part. 1. cap. 21. nu. 46.* Quia ratio exigit ut unusquisque operetur prout suæ personæ & facultatibus congruit.

Negandum tamen est cum *Filliucio tom. 1. tr. 8. cap. 6. num. 166. Suar. de pæn. d. 52. sect. 8. num. 1. Leone de jub part. 2. num. 132. & Faust. de eod lib. 4. q. 49.* Ratio est, quia non tenetur quis plus præstare quam exigit Pontifex: hic autem solum exigit eleemosynam, non attendat ad facultates erogantis, ergo sufficiet quæcunque quantitas in qua verificetur eleemosyna.

Quid si in Bulla præscribatur ut fiat eleemosyna justa cujusque facultates? Adhuc nonnulli apud *Cæsarem Bothonum in observ. sup. Bul. Sixti V. fol. 196.* dicunt sufficere quod fiat eleemosyna in

in quantitate minima. At rationabilius est quod tradit *Bossius de tripl. jub. sect. 4. casu 21. num. 29. juncto num. 35.* nempe quantitatem illam minimam non esse mensurandam mathematicè, sed solum moraliter, & arbitrio prudentis, respectu facultatum cujusque, ut nempe eroget talem eleemosynam, qualem solent erogare viri suæ conditionis.

Eleemosyna data per aliũ. 1360. 3 Dubitatio est, an satisfaciat quis erogando eleemosynam per famulum, vel amicum? Respondeo affirmativè cum *Leandro citato num. 2. & Palao punt. 9. nu. 9.* Ratio est, quia quãdo opus injunctum non postulat actionem personalem, sicut postulat jejunium, flagellatio, & oratio, potest fieri per alium: & sic se habet distributio eleemosynæ, cum non personam, sed bona extrinseca respiciat. Limitat benè *Suar. cit.* nisi Pontifex aliter præscripserit.

4. Dubitatio est, an comparet jubileum, qui misit per famulum eleemosynam, si famulus nõ erogavit? Affirmat Sàetum post correctionem Romanam *V. indulg. num. 4.* & hoc judicat probabile *Leander cit. num. 20.* Negandum tamen est cum communi sententia, quam defendunt ipse *Leander* citatus *Homobonus de jub. lib. 4. quæst. 53. Bonacina de sacram. disp. 6. quæst. 1 p. 3. n. 29. & Leo de jub. p. 2. q. 14. sect. 6. n. 175.* addentes hoc procedere etiam si famulus post transactam hebdomadam erogaret. Ratio est quia non comparatur jubileus nisi opus præscriptũ in re ipsa præstetur: est enim conditio prærequisita; ergo cum eleemosyna errogata non sit, comparatus non est.

Eleemosina spiritualis. 5. Dubitatio est, utrum ad lucrandum jubileum sufficiat eleemosyna spiritualis? Affirmat *Zenardus in Direct. p. 1. de pæn. cap. 21. quæst. 26.* fine, quia eleemosyna spiritualis, qualis oratio, vel cõsilium bonum, æqué necessaria est animæ, atque corporalis corpori: utraque enim levat miseriã proximi. Negandum tamen est cum *Leandro citato n. 21. & Diana 5. tr. 12. res. 31.* Ratio est, quia in Bulla dicitur erogandam esse eleemosynam pauperibus, nempe illis qui communi æstimatione reputantur pauperes, quales destituti bonis temporalibus: ex quo satis intelligitur eleemosynam debere esse corporalem: nam spiritualis æqué pauperibus atque divitibus fieri potest.

6. Dubitatio est, an eleemosyna possit erogari ante vel post communionem? Respondeo affirmativé cum *Leone de jubil. p. 2. q. 14. sect. 14. num. 174. Henr. lib. 7. cap. 10. num. 6. & Graffio in Append. lib. 2. cap. 5. num. 58.* & procedit, etiam si cõmunio fiat die dominica, dummodo eleemosyna erogetur intra tempus jubilei. Et sic fertur declaratum fuisse a Gregorio XIII.

Eleemosyna religiosorum ad jubileum. 1361. 7. Dubitatio est, utrum nolente prælato religionis erogare eleemosynam pro suis religiosis ad lucrandum jubileum, possint religiosi eo inscio, de bonis monasterij illam erogare? Negat *Homobonus de jub. lib. 4. quæst. 57.* Affirmat tamen *Diana part. 5. tr. 12. resol. 31.* Quia tunc prælatus est irrationabiliter invitus, & ideo in tali casu subditus religiosus operatur ex licentia superioris debita. Eandem resolutionem extendit ad uxores, servos, filios familias, & moniales respectu suorum superiorum, de quibus *Sanch. in Decal. tom. 2. lib. 7. cap. 19. num. 54. & 95.* In hoc casu credo fore tutius, si tales personæ petãt a confessario commutationem in aliud piũ opus. Vide *Fragosum* late agentem de eleemosyna danda a regularibus part. 2. lib. 2. d. 6. §. 4. num. 37.

8. Dubitatio est, an pro lucrando jubileo sufficiat dare eleemosynam de re non sua, v.g. de furto ablatis? Videtur omninò negandum. Quia res suo domino debetur, & non pauperi. Idem procedere de rebus contra legem acquisitis, v.g. per simoniam, per ludum aut alios modos ex lege vetitos tradunt *S. Thom. 2. 2. q. 32. a. 7. Richar. in 4. dist. 15. a. 2. q. 5. & Alensis p. 4. q. 33. mem. art. 1. usq. ad 5.* Loquendum tamen est cum distinctione, & asserendum cum multis, quos allegat & sequitur *Fragosus citat. §. 4. a num. 31.* si furto ablata transierunt in dominium accipiẽtis, v.g. per comixtionem; quia triticum furtivum fuit commixtum proprio, posse furem ex toto acervo, utpote jam suo facere eleemosynã: secus ante commixtionem, quia ante illam, triticum ablatum, suum non est. Unde in priori casu tenetur fur restituere valorem: in secundo reddere ipsummet triticum. *Eleemosyns de rebus alienis.*

9. Dubitatio est, an pro lucrando jubileo sufficiat quod eleemosyna erogetur ijs, quibus debetur ex justitia, vel ex charitate? Respondeo affirmativé cum *Henr. lib. 7. cap. 10. §. 6. & Fragoso cit. d. 6. §. 4. nu. 34.* Unde sufficiet dari eleemosynam parenti, vel extremé indigẽti, quibus ex precepto debetur. Ratio de sumitur ex illo cui committitur distributio bonorũ facienda inter pauperes, ille enim potest dare eleemosynam suis propinquis & consanguineis. Imo juxta Barbos. *Capaun satis dist. 86.* prius dãda est consanguineis pauperibus, quam alijs. *Eleemosyna debita ex præcepto ad jubileum.*

QUÆSTIO VI.

Qualiter se habeat jubileus quoad facultatem eligendi confessarium.

1362. 1. Dubitatio est a quonam ordinario debeat esse approbatus sacerdos, ut in confessarium virtute jubilei eligi possit? *Sà v. confessor num. 6. Henr. lib. 7. de ind. cap. 12. num. 3. Vega lib. 2. casu 208. & Medina 1. 2. q. 9. a. 6. col. 17.* asserunt sacerdotem ab uno ordinario approbatum, posse eligi ubique terrarum. Hæc opinio parum tuta est, proindeque rejicienda cum *Suar. de pæn. d. 28. sec. 6. n. 5. Ægid. Bellan. de sacram. tom. 2. disp. 8. num. 52.* & alijs quos sequitur *Frag. p. 2. lib. 2. disp. 6. §. 5. num. 41.* sacerdotem eligendum debere esse approbatum ab ordinario pænitentis. Ratio est quia Pontifex exigit in Bulla jubilei, ut talis sacerdos sit approbatus ab ordinario loci, hoc est ipsius pænitentis, ut exponit Quaranta in summa Bullarij V. confessor. fol. 195. Unde si Eborensis commoretur Olyssipone, ibique inveniat sacerdotem *Confessarius eligendus per jubileum.*

Eboræ approbatum ad excipiendas confessiones, potest illum eligere virtute jubilei.

Approbatio ad audiendas confessiones in jubileo. 2. Dubitatio est, qualis nam approbatio requiratur, ut sacerdos eligi possit? Supponimus tripliciter sacerdotem approbari posse ad audiendū confessiones. 1. absolute simpliciter ad totam diœcesim sine ulla restrictione. 2. absolute ad omnes personas, & ad totam diœcesim, sed limitate quoad tempus. Sic est mos in diœcesi Olyssiponensi solum ad annum concedere licentiam audiendi confessiones, non ob defectum scientiæ, sed quia Prælatus ita vult ob alias rationes. 3. limitate quoad certum locum & parochiam, & limitate quoad certas personas.

Approbationis duratio. Dico 1. approbatus primo modo, nempe absolute absque ulla limitatione, potest eligi ubiq; terrarum sic, dummodo non mutet domicilium. Ita *Reginald. in praxi lib. 1. cap. 16. num. 188. Leander tr. de pœn. disp. 11. num. 26. & Palaus de pœn. tr. 23. pun. 17. §. 2. num. 9.* Vide dicenda infra §. *Hæc doctrina* Dixi (dummodo non mutet domicilium) quia apud eundem *Palaum citatum §. 4.* quanvis probabile sit per mutationem domicilij non deperdi approbationem, oppositum probabilius est.

1363. Dico 2: approbatus secundo modo potest eligi quandiu durat tempus approbationis. Constat ex proxime dictis. Difficultas est, an trāsacto anno, sine nova licentia possit eligi virtute jubilei? quanvis probabile sit posse eligi: idq; absolute teneat *Leander. num. 26.* loquendo de Bulla cruciatæ, ubi est maius dubium: tamen probabilius est oppositum, ut tenet *Palaus tract. 24. de Cruciata punt. 8. §. 1. num. 30.* Suadetur, qui approbatus ad tempus, eo transacto jam approbatus non est; ergo eligi nequit.

Approbatus cum limitatione. Dico 3. Approbatus limitatè ad certam parochiam non ex defectu scientiæ, sed quia ita est consuetudo Episcopatus, potest eligi in tota diœcesi. Ita *Rodrig. in Cruciata dub. 5. Ledesma in summa tom. 1. tr. de pœn. cap. 13. dub. 9. & Diana part. tr. 11. resol. 10.* Ratio est, quia in jubileo non dicitur, approbatus ad totam diœcesim, sed approbatus ab ordinario: & dictus ab ordinario approbatus est.

Quod attinet ad approbatum cum restrictione ad certas personas, v.g. si ob defectum ætatis approbetur tantum ad fæminas, *Suar. de pœn. disp. 28. sect. 7. num. 3. & Rodrig. tom. 1. sum. cap. 60. num. 4. concl. 4.* Affirmant talem posse solum eligi ab illis personis, respectu quarum approbatus fuit, v.g. a viris & non a fæminis. Hoc tutius est, & satis probabile. Nihilominus satis tutum quoad tanquam probabilius defendunt *Bellanus disp. 8. dub. 7. num. 57. Sanch. lib. 8. Matr. d. 34. num. 16. Barbos. de pot. Episc. alleg. 35. num. 17. Bonac. d. 5. de pœn. q. 7. p. 4. §. 1. num. 22.* posse eligi ab omnibus, etiam fæminis: nam satisfacit cōditioni Bullæ qui eligit approbatum ab ordinario.

Parochus eligendus per jubileum. 3. Dubitatio est, utrum parochus virtute jubilei possit eligi, & a quibus? Posse parochum, qui actu retinet beneficium curatum, virtute jubilei eligi in confessarium, non solum in sua diœcesi, sed etiam extra, & ubique terrarum, negant *Layman. lib. 5. tr. 6. cap. 11. num. 7. Florentius de casib. reser. part. 1. cap. 4. §. 12. num. 2. & Gutier. lib. 1. q. Canon. cap. 27. num. 21.* Affirmandum tamen est cum *Suar. de pœn. cap. 6. n. 8. Valerio in differ. utriusq; fori V. absolutio diff. 1. num. 16. Trullench. de C. in tam lib. 1. §. 7. dub. 4. num. 3. & Palao tr. 26. de Cruciat. p. 8. §. 1. num. 2.* Ratio est, quia dum beneficium retinet, ubilibet est parochus, ratione cujus Cōcilium illum censet idoneum ad confessiones audiendas, quadam absoluta & authentica approbatione, neque ad personas, neque ad locum determinatum addicta.

Hæc doctrina, sicut & prima resolutio secundæ dubitationis poterat tuto sequi ante decretum Urbani VIII. Opposita tamen tenenda est, ut ex *Lugone de pœn. d. sp. 21. sect. 2. num. 29.* tradit *Busembaus in medulla Theol. lib. 6. trat. 4. de pœn. cap. 2. num. 8.* his verbis. An approbatus ab uno Episcopo, possit in alia diœcesi sine nova approbatione recipere jurisdictionē, controvertunt DD. ac licet utraque sententia olim videri potuerit probabilis, post decretum tamen Urbani VIII. anno 1628. apud Lugo *disp. 21. sect. 2. num. 29.* negativa omninò tenenda est. Vide *Areisam. q. 16. sect. 8.*

1364. Quid si parochus beneficium relinquat, vel cū alio non parochiali mutet? Adhuc posse eligi ubique mordicùs defendit *Leander cit. num. 23. cum Rodrig. & Villal.* nisi alias Episcopus expressè ab illo approbationem auferat, vel suspendat, donec iterum examinetur. Negandū tamen est cum *Barbos. de pot. Episc. part. 2. alleg. 25. num. 18. Fagund. prac. 2. Eccl. lib. 7. cap. 2. num. 38. Florentio de casib. reser. part. 1. cap. 4. §. 12. num. 7. & Palao tr. 26. part. 8. §. 1. num. 2.* Ratio est, quia in ijs quæ pendent a jure positivo, standum est verbo ejusdem juris: Trident. autem expressè dicit (*nisi parochiale habeat beneficium*) sed ille jam non est parochus relinquens beneficium; ergo non est eligibilis. *Parochus eligendus per jubileum.*

4. Dubitatio est, an virtute jubilei possit eligi in aliquo casu sacerdos approbatus, non ab Episcopo, sed a parocho? casus est, quando dari nequit recursus ad Episcopum, & parochus tempore jubilei est nimis defatigatus, nec dantur sacerdotes approbati quibus juvetur. Quanvis neget *Suar. de pœn. d. 28. sect. 4. num. 3.* esse sufficientē parochi approbationem, quanvis datam Sacerdoti sancto & docto: tamen *Ludovico da Cruz de Bulla disp. 1. cap. 2. dub. 10.* judicat satis probabilem resolutionem affirmativam: & *Diana part. 5. trat. 12. resol. 48.* testatur illam docuisse olim duo lumina Salmanticensis Academiæ Mancium & Gallum, quos citat & sequitur *Henriq. lib. 6. cap. 6. num. 2.* *Parochus approbans.*

5. Dubitatio est, utrum regulares approbati a suis proprijs prælatis, & non ab ordinario loci, possint virtute jubilei ab alijs regularibus eligi? Negat sententia probabilior, quam cum Suario, Reginaldo & alijs sequitur Palaus num. 11. Ratio est, quia regulares approbati a suis præla- *Approbatio regularium ad jubileo.*

 tis

tis ad audiendos suos regulares; non dicuntur approbati ab ordinario loci: & hujus approbationem expresse requirit Bulla jubilei. Nihilominus affirmativam opinionem judicant probabilem ipse *Palaus & Bonacina:* dicunt enim illa verba (approbatum ab ordinario) sumenda esse ampliative, & non privative. Nam designatus a prælatis ordinis ipsorum, approbatus ab ordinario dici potest. Hanc etiam judicat tutam & probabilem *Bossius de jubil. sect. 3. cas. 3. nu. 10.* & cum multis *Diana part. 5. trat. 12. res. 37.*

1365. 6. Dubitatio est, utrum sit eligibilis per jubileum regularis ab Episcopo approbatus, etiam si a suo prælato per sententiam privatus sit ne audiat confessiones sæcularium? Negant *Ioan. de la Cruz de statu relig. l. 2. c. 6. dub. 21. & Rodrig. in addit ad Bulla Cruciatam §. 9. num. 7. & quæst. reg. tom. 1. quæst. 60. art. 21.* Affirmant vero *Trullench. in Cruciata lib. 1. §. 7. dub. 6. num. 7.* & cum multis citatis *Diana part. 1. trat. 11. res. 13. de part. 5. trat. 12 resol. 49.* Probat, quia jurisdictio in regulares non provenit a prælato regulari, sed ab Episcopo; ergo prælatus regularis impedire nequit valorem absolutionis.

Hæc affirmativa resolutio mihi non displicet, fundamentum tamen displicet: quia saltem in nostra Societate jurisdictio emanat a nostro prælato regulari, & non ab Episcopo. Quidquid tamen sit de hoc, videtur in jubileo, jurisdictionem immediaté conferri a Papa cuicunque sacerdoti qui a suo ordinario loci sit approbatus.

Prælati regulares ad jubi-

7. Dubitatio est, utrum prælati regularium, quales Provinciales, Priores, Rectores, & Guardiani, non approbati ab Ordinario sint eligibiles virtute jubilei a sæcularibus? Affirmarũt olim *Marcius, Gallus, Medina, Barbes,* quos citat & sequitur *Henriq. lib. 6. cap. 6. num. 2.* Hanc opinionem speculativé probabilem credit *Ludovic. de la Cruz disp. 1. cap. 2 dub. 11. num. 8.* & etiam probabilem practicé *Bossius tr. de jub. sect. 3. tup. 2. §. 1. nu. 53.* Quia tales prælati habent curam animarum instar parochorum.

Negandum tamen est cum *Suar. de pæn. disp. 28 sect. 8 num. 2. Rodrig. in Cruc. §. 9. num. 4. Fagund. præc. 2. Eccl. lib. 7. cap. 2. nu. 39. & Tamburino de jure abbat. tom. 2. disp quæst.* Ratio est quia Tridenr. loquẽs de omnibus religiosis ait illos debere esse ab Episcopo approbatos, ut possint audire confessiones sæcularium: tales autem prælati religiosi sunt, & nec sunt parochi, nec ab Episcopo approbati. An vero possint eligi a sæcularibus de eorum familia, & servientibus ipsorum monasteriis? Probabile pro utraque parte dicit Leander citatus num. 22.

Regulares jubileum eligentes confessarium.

1366. 8. Dubitatio est, utrũ regulares utriusque sexus possint in confessorem virtute jubilei eligere sacerdotem sæcularem ab ordinario approbatũ. Respõdet affirmativé cũ *Leandro citato n. 34 & Diana part. 5. trat. 12. res. 37. §. Notandũ Peyrino in privil. Minim. to. 3 c. 4. & Bossio de jub sect. 3. casu 4. n. 17.* ubi notat non posse superiorem prohibere tempore jubilei suis subditis, ne confiteantur sacerdotibus sæcularibus, vel religiosis alterius ordinis. Ratio desumitur ex Bulla jubilei concedente facultatem regularibus utriusque sexus ut possint sibi eligere in confessorem sacerdotem ab ordinario loci approbatum, sive sæcularem sive regularem. Quod procedit, etiam si in Bulla non contineatur clausula derogativa privilegiorum.

QUÆSTIO VII.

Qualiter se habeat jubileus quoad confessionem, & facultatem absolvendi?

Confessio sacrilega ad jubileum.

MULta quæ pertinent ad confessioné, quá opus injunctum per Bullam jubilei, diximus supra a num. 1342. sect. 2. de indulg. quæst. 8. modo pro reliquis ad confessionem, & facultatem absolvendi spectantibus, sit 1. dubitatio, utrũ per confessioné sacrilegam possit quis lucrari jubileum, si postea, durante jubilei tempore veram eliciat contritionem? Respondeo negativé cum *Leandro citato num. 32.* Ratio est, quia prædictus non fecit opus præscriptum in jubileo, exigente confessionem: nam jubileus postulans confessionem intelligitur de vera, non de ficta: quia ficta non est confessio. Deinde non sufficit contritio: quia hæc non est confessio in re: debet igitur valide confiteri.

Confessio quando facienda ad jubileum.

2. Dubitatio est, utrum possit fieri confessio & impendi absolutio a reservatis in ipsa Dominica die, in qua jubileus publicatus est? Respõdeo affirmativé cum *Leandro citato num. 33. & Palao tr. 24. punt. 12. §. 3. num. 2.* ubi testatur ita esse praxim. Suadetur, quia die Dominica jam est principium hebdomadæ sequentis: cum igitur assignetur duplex hebdomada, & (ut aliqui volunt) quindecim dies, a prima Dominica die incipit jã prima hebdomada. Affirmat verò *Palaus citatus num. 2. fine cum Layman. lib. 5. sum. trat. 7. cap 8. dub. 1. num. 6.* quod possit quis confiteri uno vel altero die ante jubileum publicatum: sed nihil dicit circa reservata. Mihi non videtur probabile posse absolvi a reservatis ante publicationem.

Reservata jubileo.

1367. 3. Dubitatio est, an virtute jubilei possit quis absolvi non solum a peccatis, & censuris Papæ reservatis sed etiã a contentis in Bulla cænæ? Respondeo affirmative cum communi Theologorum. Ratio desumitur ex tenore Bullæ jubilei expresé concedentis facultatem absolvendi ab omnibus reservatis quomodocunque ordinariis, vel Sedi Apostolicæ, etiam contentis in Bulla cænæ Domini.

Hæresis absolutio per jubileum.

Maior difficultas est, utrum in prædicta concessione ex clausula illa (etiam a contẽtis in Bulla cænæ) detur potestas absolvendi ab hæresi occulta externa, quæ vocatur occulta per accidẽs? Affirmant *Reginald. trat. 1. lib. 8. cap. 5. sect. 1. nu. 53. fine Fagund. de præc. Eccl. tr. 2. lib. 8. cap. 8. num. 28. Molfesius in sum. tom. 1. tr. 7. cap. 21. num. 62. Alfonsus de Leone trat. jubil. part. 2. quæst. 11. num. 43.* & ita fuisse Romæ declaratum anno 1607. in sacra peni-

Pœnitentiatia, & servari in praxi testatur *Fillius. tom.1.trat.22.cap.16.num.265.* & certe hæc opinio videtur probabilis *Suar. tom. 5. de censuris disp. 7.sect.5.num.13.& Frag part.2.lib.2.disp.6.§.5.num 54.* Nam casus Bullæ cænę omnes æqualiter sunt reservati: & omnes conceduntur per jubileum. Et certe habet magnam vim illa particula (quomodocunque reservatis.

Negandum tamen est cum *Suar.tr.de fide disp. 21.sect.4.num.21. Florono de casibus reserv.part. 1. cap.4.§.22.num.4.Navar in singul.concl.3.n.8. Avila de cens.part.2.c.7.disp.1. dub.7. concl.1.* & alijs qui asserunt id habere stylum Curiæ Romanæ, & ita fuisse declaratum a Gregorio XIII. Quæ opinio semper teneri debet, si in concessione jubilei nō addatur particula (quodcunq; vel quomodolibet reservatis).

Absolutio a reservatis in jubileo. 3. Dubitatio est, an virtute jubilei possit quis absolvi a toties quoties inciderit in illa? Respondeo affirmativè cum *Sanch.lib.4.Decal.cap.52.num. 36.& Palao tr.24.punt.12. § 3.* dummodo fiat absolutio intra eandem hebdomadam, qua quis lucratetur indulgentiam. Ratio est quia indulgētia non comparatur nisi in complemento ultimi operis, & potestas absolvendi a reservatis hoc fine conceditur, ut fideles indulgentiam comparent: sed hæc non comparatur nisi in ultimo opere completo, quod ad minus in sabbato habet complementum; ergo toties qnoties in eadem hebdomada potest absolvi. Notat veró *Palaus citatus* spatium totius hebdomadæ reputandū in ordine ad absolvendum a reservatis, etiam si indulgentia briviori tempore comparetur.

1368. 4. Dubitatio est, utrum possit absolvi a reservatis qui lucratus fuit jubileum in prima hebdōmada, si in secunda incidat in nova reservata? Negant *Layman.trat.7.cap.8.nu.8. Suar. de pan.d.57.sect.1.Bonac.disp 5.de pæn.quæst.7.part.5.* & alij quibus adhæret *Sanch. lib.4.de voto cap.52 num.28.* Ratio est quia illa facultas conceditur occasione indulgentiæ quæ semel comparari potest, & ubi comparatur, cessat finis. Hæc opinio est probabilior & securior. *Reservatorum absolutio repetita.*

Nihilominus probabile est posse absolvi in secunda hebdomada a reservato noviter cōmisso qui in prima hebdomada jam fuit lucratus jubileum. Ita cum *Graffio de indulg.cap.5. num. 31. Henriq.Reginá d.Rodr.* & alijs quos citat & sequitur *Palaus citatus.num.6.* Ratio est, nam facultates absolvendi a reservatis, & commutandi vota, quanvis occasione indulgentiæ concedantur, tamen pro toto eo tempore, quo jubileus obtineri potest a Christiano populo, videntur concedi. Non enim expedit quod ad singularem cujusque modum procedendi in indulgentiæ consecutione adstringantur.

Reservata oblita in jubileo. 5. Dubitatio est, an qui fecit omnia requisitā ad lucrandum jubileum, & solum non est confessus, quia facta diligentia non occurrerunt mortalia, quæ teneretur confiteri, possit postea transacto tempore jubilei, a reservatis oblitis absolvi? Negandum est cum *Sanch.de matr.tom. 3.lib.8.dist.15.num.21.sect.4.Florono da cas.re.er p 1. cap.6.§.0.num.3.Pottel.in addit.ad dubia re.ul.V Jubileus num.19.* Ratio est, quia reservatio non tollitur ipso facto per jubileum, sed per absolutionem sacramentalem, vel saltem per illam indirectè.

Nihilominus affirmativam partem defendūt *Sanctarellus de jub.cap.13. dub.2. Alphonsus de Leone tract. de jub.part.2.quæst.17.num.197. Leander citat. disp.17.num.13. Diana part.3.tract.4.resol.150.* Et mihi non videtur improbabilis. Ratio est, quia talis fecit omnia opera præscripta a jubileo, & consequenter acquisivit privilegium ut absolveretur a reservatis, etiam transacto tempore: si quidem in opinione probabili non tenebatur cō fiteri ad lucrandum jubileum absque conscientia peccati lethalis, quam de facto non habeat.

1369. 6. Dubitatio est, utrum possit absolvi a reservatis tempore jubilei qui accedit ad cōfessionem sine intentione lucrandi illum? Respondeo negative cum *Vasq.quæst.91.art.3.dub.6. Suar.d.31.sect.4.num.4.Palao tr.23.punt.15.§.6.n.6 & Bonac.* referente multos *d.5.de pæn.q.7.p.5. §. 5. num.16.* Ratio est, quia nemo accedit dispositus ad absolutionem a reservatis sine facultate, quā Pontifex solum concedit in ordine ad obtinendum jubileum: deficiente autem intentione lucrandi illum, deficit concessio. Non enim videtur rationi consonū frui potestate sine illo fine propter quem illa concessa fuit. *Intentio lucrandi jubileum.*

7. Dubitatio est, utrum qui fecit confessionē intentione lucrandi jubileum intra tempus aptū, sed postea mutavit intentionem possit transacto tempore jubilei absolvi a reservatis oblitis in prima confessione? Videtur negandum. Quia nolens jubileum videtur se reddere incapacem ad fruēdum potestate per jubileum concessa. *Reservata oblita in jubileo.*

Affirmandum tamen est cum *Leandro cit. disp. 12.num.22.Sanch.de Matrim.lib.8.d sp.15.nu.21. & Palao tr.24.punt.12.num.11.* Ratio est, quia quādo ille homo fecit confessionem, & fuit absolutus tempore jubilei, habebat intentionem lucrandi illum, ac proinde per absolutionem confessarij intendentis absolvere quantum potuit, sublata fuit absolute omnis reservatio: absolutio enim datur absolutè independenter a futuro, ergo cū per mutationem intentionis reservatio nequeat reviviscere, potest absolvi ab oblitis.

8. Dubitatio, utrum qui tempore jubilei, animo illum lucrandi fecit confessionem invalidam v.g. ex defectu doloris maneat liber a reservatione, ut postea a reservatis confessis possit absolvi a quocunque confessore? Negant *Ledesma in summa tom.1.tr.de pæn concl.2.dub 7.& Villalobos tom.1.tr.27.Claus.9.§.2.num.16.* hac distinctione, nempe quando pænitens scit illam confessionem esse irritam: secus, si talis processit bona fide non advertens nullitatem confessionis. *Confessio invalida ad tollendam reservationem.*

1370. Nihilominus satis probabiliter absolute affirmantem partem tenent Leander citatus num.14. & multi quos citat & sequitur *Comitolus in respon.moral lib.1.quæst.3.num.2.* Ratio est,

quia pænitens detulit peccata reservata habenti jurisdictionem, & satisfecit legi Ecclesiæ reservationis. Idem videtur sentire *Palaus tr.23. de pæn. punct.25. §.6. num.2.* ubi ait quod absolutus per superiorem, vel ejus delegatum a reservatis, quamvis absolutio fit nulla, tollitur reservatio. Vide *Suarium de pæn. d.31. sect.4. num.22. & Reginal. in prax. tom.1. lib.8. cap.6. sect.2.*

Confessionis dilatio. 9. Dubitatio est, utrum ille, cui fuit dilata confessio a confessario ad illam perficiendā transacto tempore jubilei, possit absolvi a reservatis, commissis post finitum jubilei tempus? Respondeo affirmative cum *Leandro tr.5. disp.12. num.18.* Ratio est, quia jurisdictio semel habita, quamdiu res non est integra, utpote jam causa incepta, nō expirat, donec causa finiatur. Accedit quod jam sæpe diximus, posse confessarium ex juxta causa prorogare tempus ad jubileum præscriptum.

Jubilei fiducia commissum peccatum. 10. Dubitatio est, utrum virtute jubilei possit impendi absolutio illis reservatis quę quis cōmisit intuitu & spe obtinendi jubileum? Negant *S. Antoninus 1. part. tit.10. cap.3. & Ioan de Anania tr. de Iub. dub. ult. Covar. lib.2. var. cap. 20. num. 15. & Menoch. lib.5. præsum.10. num.6.* Quia non videtur rationabiliter præsumi velle Pontificem malitiam & iniquitatem fovere.

Affirmandum tamen est cum *Henriq. lib. 7. c.9. num.4. Bellarmino de indulg. lib.1. cap.10. Graff. s lib.1. cap.13. num.54. Benzonio de jub. lib.5. cap.15. dub.24. Suar. tom.2. de relig. lib.6. de voto cap.13. num.6. Sanch. lib.4. de voto cap.54. num.18. & Palao tr.24. part. 12. num.16.* Ratio est, quia Pontifex in jubileo absolute sine ulla distinctione & determinatione concedit facultatem absolvendi, quæ comprehendit quodlibet peccatum: & aliunde non apparet ex quo fiet restrictio ad peccata quæ fiducia obtinendi jubileum, fuere commissa.

QUÆSTIO VIII.

Qualiter se habeat jubileus ad communionem, & commutationem votorum?

1371. 1. Dubitatio est, quando debeat fieri communio? Respondeo cū *Palao tr.24. pun.12. §.3. num.2.* faciendam esse prima die Dominica, vel alia die sequentis hebdomadæ, nempe Domica sequenti immediaté post publicationem, vel in quacunque die ejusdem hebdomadæ. Sic enim præcipitur in Bulla jubilei. *Cōmunio ad jubileum.* Notat Palaus ibidem ad communionem suscipiendam, Ecclesiam visitandam, eleemosynamque concedendam tres dies Dominica tolere concedi: nam cum jubileus spatio duarum hebdomadarū soleat durare, seu (ut alijs placet) quindecim diebus, & Dominica dies non solum sit principium sequentis hebdomadæ, sed finis præcedentis (medium enim est inter utranque hebdomadam) fit ut tres Dominicæ in prædicto spatio contineantur.

Quod si dicatur in jubileo quod fiat cōmunio in die Dominica: satisfaciet ne quis communicando alia die hebdomadæ? Videtur negandum, quia Pontifex assignando ad cōmunionem certā diem illam, videtur non aliter jubileum concedere. Nihilominus affirmativam partē non sine probabilitate defendit *Bossius de jubil. sect.4. casu 20. num.17.* Quia Pontifex assignans diem Dominicam pro communione, id censetur assignare non præceptivé, sed consultivé tanquā tempus magis congruum perfectissimo operi implendo.

Cōmunio sacrilega ad jubileum. 2. Dubitatio est, an pro lucrando jubileo sufficiat communio sacrilega, scilicet facta in peccato mortali? Negant *Zenardus in direct. p.1. de sacr. pen. cap.21. q.28. Alphonsus de Leone de jub. p.2. sect. 5. n.168. & Sanctarel. de jub. cap.7. dub.2.* Quia Pontifex sicut confessionem validam, ita & communionem recté factam exigit. Hæc opinio probabilis est: sed opposita affirmativa etiam probabilitate non caret. Eam defendunt *Henriq. lib.7. cap.9. n.5. Fernandes in exam. Theol. moral p.3. c.7. §.8. n.1. & Bartholo. de S. Fausto de jub. lib.4. q. 46.* Ratio est, quia ad lucrandum jubileum sufficit quod ultimum opus requisitum fiat in gratia, ut omnes communiter docent: at non omninò postulatur quod communio sit ultimum opus.

Pueri ad jubileum. 3. Dubitatio est, an pueri qui ob defectum ætatis non valent decenter sumere Eucharistiam lucrentur jubileum non communicando, sed implendo cætera opera? Recté negant *Faustus de jub. lib.4. quæst.45. & Diana part.5. tr. 12. resol.17. §. ult. contra Zanardum in direct. confess. par.1. c. cap.21. quæst.28. & Fernan. in Medulla part.3. cap.8. §.8 num.3.* etiam si communicent spiritualiter. Quia Pontifex exigit communionem realem. Ut igitur lucrentur jubileum, debent a confessario obtinere commutationem in aliud pium opus.

1372. Circa alteram quæstionis partem de commutatione, notandum est 1. omnia opera præscripta in jubileo a Pontifice, cōmutari posse a confessario in alia pia opera, si adsit causa justa. Notandum est 2. posse etiam virtute jubilei commutari omnia vota excepto castitatis & religionis, quæ communiter excipiuntur: aliquando etiam vota Compostellanæ, Hierosolymitanæ & Romanæ peregrinationis.

Cōmutatio votorum in jubileo. 4. Dubitatio est, utrum virtute jubilei possit confessarius commutare juramenta promissoria Deo facta, vel vota jurata, ex præcisa facultate, quam habet commutandi vota? Negant *Azor to. 1. lib.11. cap.10. quæst.2. cap.42. dub. 12. num.60. & Sanch. lib.4. Decal. cap.53. num.20.* Probant, quia privilegium, in quo continetur dispensatio, quæ est vulnus legis, stricté & non laté interpretandum est. Accedit quia votum continet duplex vinculum diversæ rationis, in quo proinde augetur difficultas relaxationis.

Juram. & jubilei commutatio. Nihilominus affirmativa sententia judicatur probabilis & tuta ab ipso *Sanch. loco citato.* & eam absoluté tenent *Suar. de rel. tom.2. lib.6. cap.14. num. 19. & Basilius Ponce de Matr. lib.8. cap.11. num.5. & Leander tr.11. disp.14. num.40.* Ratio est, quia juramentum, & votum quanvis distinguantur, cum materia & obligatio utriusque vinculi ad solum Deum ordinentur, idem procedit de juramentis homi-

homini factis, & nondum acceptatis.

2. Dubitatio est, utrum possint commutari juramenta injustè extorta, vel aliter injustè, quavis acceptata? Negant *Layman. lib. 4. tr. 3. cap. 11 num. 8. Sanches, Suares* & alij apud *Dianam p. rt. 4 tract. 4. resol. 19. & part. 5. tr. 12. resol. 56.* Hæc opinio probabilis est, sed non minus probabilis opposita affirmativa, quam defendunt *Leander tr. 5. disp. 14. num. 41. Ægid Trullench. de Cruciata lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 2. num. 7.* & alij quos citat & sequitur *Diana part. 4. num. 4. resol. 19. & part. 5. trat. 12. resol. 56.* Ratio est, quia omne juramentum per quod tertio non comparatur jus, relaxari & commutari potest per jubileum: tunc enim tota obligatio oritur ex Deo vocato in testem: at homo per acceptationem juramenti injusti nullum jus comparat.

Juramentum castitatis & religionis.

1373. 3. Dubitatio est an possint commutari juramenta perpetuæ castitatis, & religionis? Affirmant *Alphonsus de Leon part. 2. quæst. 13. sect. 1. num. 83.* & hoc tanquam probabile defendit *Diana part. 5. tract. 12. resol. 59.* Negandum tamen est cum *Sanch. de Matr. lib. 8. disp. 13. num. 7. Layman lib. 4 num. 3. cap. 11. num. 4 & Leandro citato num. 43.* Ratio est, quia juramentum factum Deo æquiparatur voto: sed votum religionis & castitatis est reservatum; ergo etiam erit reservatum juramentum, & ideo non commutabile.

Castitatis votum in jubileo.

4. Dubitatio est, utrum commutari possint virtute jubilei vota religionis & castitatis emissa metu levi ab extrinseco, & incusso ad extorquendum votum? Negant *Suar. de relig. tom. 2. lib. 9. cap. 6. num. 4. & Reginal. in praxi tom. 2. lib. 18. cap. 22. n. 336.* quasi votum solum sit coactum & involuntarium per accidens, atque adeo indispensabile per Episcopum, & consequenter incommutabile per jubileum. Nihilominus opinio affirmans est valde probabilis, & eam tenent *Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 18. num. 127. Leander citatus. num. 44. & Diana part. 1. tr. 11. resol. 73.* Suadetur, quia Papa non intelligitur velle reservare vota, nisi fiant propter amorem ipsius virtutis: & quanvis ille metus levis non auferat voluntarium, aufert tamen perfectionem voti, amorem & affectum religionis & castitatis, propter quem sunt reservata.

Pœnalia vota in jubileo.

5. Dubitatio est, utrum per jubileum possint commutari vota castitatis & religionis pœnalia, qualia sunt, si Petrus dicat *Voveo castitatem & religionem, si lusero*, quasi in pœnam ludendi? Difficultas eadem est de dispensatione & commutatione per Cruciatam; atque de commutatione per jubileum. Negant *Acosta in Bulla quæst. 73.* & alij. Affirmandum tamen est cum *Sanch. de Matr. tom. 3. lib. 8 disp. 15. num. 8. Villal. in sum tom. 1. tr. 27. claus. 9. §. 3. num. 42. Fernandez in Exam. Theol. part. 3. cap. 9. sect. 2. Cruz in direct. conf. part. 2. prac. 2. dub. 10. concl. 4. & Nugno in 3. part. tom. 2. tr. de Bulla §. 2.* Ratio est quia votum castitatis & religionis simpliciter & absolutè reservatum soli Pontifici est quod emittitur ex puro affectu, seu amore religionis & castitatis: at non ita se habet votum pœnale: hoc enim potius emittitur ex timore & odio, quo quis vult deterreri, ne committat delictum, quod proposuit vitare. Ergo sicut potest dispensari & commutari per Cruciatam, & jubileum. Vide *Lessium lib. 2. cap. 40. dub. 18. & nos supra tract. 31. sect. 6.*

Conditionalia vota ad jubileum.

Nota 1. positam resolutionem procedere de votis pœnalibus acceptis non solum ante, se etiam post impletam conditionem. Quia etiã post illam impletam deficiũt valde a perfecta ratione voti castitatis, & religionis. Nota 2. eandem resolutionem procedere de votis castitatis & religionis conditionalibus, non pœnalibus: quia illa adhuc non retinent omnimodam perfectionẽ in suo genere. Vide *Leandrum citatum num. 52. & Dianam 5. part. tr. 11. resol. 53. & 54.*

Reincidentia in eadem vincula.

1374. Ultima dubitatio est, utrum possit quis obtinere commutationem votorum, antequam exequatur opera in jubileo præscripta? Respondeo affirmativè cum *Sanchez lib. 4. de voto cap. 54. num. 42. Suario tr. de voto lib. 6. cap. 16. num. 6. & Palao tr. 24. part. 12. §. 3. num. 10.* ubi ait certam esse hujusmodi resolutionẽ, quam omnes citati æquè affirmant de absolutione a reservatis, & cõmutatione votorum: & rectè intelligunt de habente synceram intentionem faciendi omnia requisita ad lucrandum jubileum. Nam illa absolutio & cõmutatio conceduntur tanquam præparatoria ut jubileus comparetur.

Quid si postquam obtinuisti commutationẽ votorum, & absolutionem reservatorum ex intentione lucrandi jubileum, & postea mutata intentione noluisti lucrari: reincidisne in eadem vincula votorum & reservatorum? Rectè negant *Sanch. lib. 8. Matr. disp. 15. num. & 20. Suar. de pœn. 31. sect. 4. n. 5.* Ratio est, quia vinculum reservationis fuit omninò & absolute ablatum, vinculum votorum fuit omninò & absolute commutatum; ergo nequeunt reviviscere, ut quis in eadem reincidat.

TRACTATVS XXXXI.

De Bulla Cruciata.

SECTIO I.

Quid sit Bulla, & Bulla Cruciatæ: qualiter interpretanda: quo tempore sumenda: quibus prosit: & sub quibus conditionibus?

QUÆSTIO I.

Quid sit Bulla: quid & quotuplex Bulla Cruciata, & quæ contineat?

BULLA apud *Plin. 33. hist. natur cap. 2.* & *Alexandrum ab Alex. lib. 5. dier. genial. cap. 18.* significat aureum illud signum, figurã cordis habens, a collo appensum, inclusis intra illud remediis adversus invidiam validissimis, quod Romani Imperatores, & filij Patriciorum gestabant. Hinc nomen Bullæ derivatũ est ad significandum illud aureum vel plumbeum signum quod pendet ex litteris Apostolicis, ac tandem applicatum est, ut totum diploma significet. *Bulla nomen.*

1375. Bulla dicitur a *Bulli* voce Græca, quæ significat concilium & matura deliberatione expediri solet. In hunc modum definitur. *Est scriptura in membrana descripta, plumbo funibus pendente jure munita, salutationem cum narratione, ac Papæ concessionem, aliaq; necessaria continens.* Singulas particulas hujus definitionis exponimus in nostro *Elucidario a num. 419.* Sub hoc communissimo Bullæ nomine continentur tot quot potest & solet expedire Summus Pontifex, quarum præcipuæ sunt Bulla Cænę, & Bulla cruciatę. *Bulla definitio.*

Bulla cruciatæ, de qua nobis est sermo, sic appellatur (ut cum multis refert *Palaus tr. 25. punt. 1. num. 2.* quia continet indulta, gratias, & privilegia valde similia ijs, quæ concessa fuerunt Urbani II. & Innocentij III. tempore omnibus illis, qui pro recuperatione terræ Sanctæ adversus Turcas ibant pugnaturi, gestantes crucem rubeam in pectore. Sic describi solet: *Est diploma Pontificium, per quod certæ indulgentiæ, & privilegia conceduntur solventibus certam eleemosynam in subsidium belli contra infideles.* *Cruciatæ nomen.*

Quotuplex sit hæc Bulla, seu potius quas sub se contineat partes, breviter respondet *Ægid. Trull. in proœm. dub. 1. num. 3.* esse quadruplicem, seu quatuor præcipuas habere partes, nimirum Bullam vivorum, Bullam defunctorum, Bullam compositionis, & facultaté Cõmissarij. Omnia enim quæ continentur in Bulla Latina, vel spectant ad vivos aut defunctos, vel ad incertorum compositionem, vel ad facultatem Commissarij: cui tandem datur potestas, ut de Latino idiomate transferat in vulgarem linguam, juxta ritus Provinciarũ, in quibus publicatio facienda est. *Cruciata quotuplex.*

Denique quæ sint in Bulla cruciatæ contenta, exponit *Palaus citatus a num. 2. ex Bellarm. lib. 1. de indulg. cap. 1. & Gregorio Lopez leg. 2. tit. 18. part. 3.* & sunt quatuor, scilicet indulgentia, privilegium, facultas & gratia. Indulgentia, de qua supra n. 1325. definitur relaxatio pœnæ temporalis pro peccato debitæ extra sacramentum ex applicatione Thesauri Christi, & Sanctorum. Privilegium est privata lex contra generalem juris cõmunis dispositioné, & privatis personis concessum. Facultas est potestas exercendi actum, qui alias exerceri non poterat. Gratia quanvis a Theologis multipliciter usurpetur, tamé juxta Glos. *Clement. 1. de Magistr.* præcipué sumitur pro beneficio collato a Summo Pontifice. *Gratiæ concessæ in Bulla.*

QUÆSTIO II.

Quis possit interpretari Cruciatam: & qualiter?

1376. CIrca priorem quæstionis parté notandum est 1. interpretationem a nobis accipi in tota sua latitudine, tum prout interpretari est declarare legé in tali casu carere vi obligandi, tum prout est exponere rem dubiam ad verum sensum indagandum & eruendum. Notandum est 2. interpretationem esse duplicé, alteram juridicam & authenticam, quæ solum potest adhiberi a legislatore, vel ejus Commissario: alteram doctrinalem, quæ nullo modo cõdit aut roborat legem, sed solum elucidat. *Interpretatio Cruciatæ.*

Dico 1. juridica & authentica interpretatio Cruciatæ, ipsorumque privilegiorum & gratiarum, jure ordinario spectat ad solum Pontificem: ex commissione verò, ad illum, cui Pontifex suas vices demandaverit. Ita *Trullench. in proœm. cruciatæ dub. 3. num. 4.* Ratio est, quia illa interpretatio, cum legem augeat vel minuat, ad illum spectat, cujus est legem augere, vel minuere: legislator autem, aut ejus commissarius utrunq; potest.

Dico 2. Doctrinalis & probabilis interpretatio Bullæ Cruciatæ potest licité & apté impendi a Rectoribus, & viris litteratis. Ita *Trullen. cit. num. 5.* Ratio est, quia assignari nequit sufficiens disparitas ob quam doctrinalis interpretatio legum tum civilium, tum canonicarum & cujuscunque diplomatis Pontificij spectet ad Rectores, & non interpretatio Doctrinalis Cruciatæ: sed constat illam spectare; ergo hæc spectat.

Quid de interpretatione facienda per Congregationem Cardinalium? Apud *Eman. Roterricum tom. 1. quæst. 9. regul. quæst. 11. art. 2.* quidam Rector loquens *Cardinalium declarationes.*

loquens de congregatione Cardinalium pro dubijs Tridentini, existimat illorum interpretationem solum esse doctrinalem, proindeque nec habere vim legis, nec sententiæ definitivæ. Quia nulla datur lex Pontificis jubentis talem interpretationem pro lege vel sententia habendam. Dicendum tamen est cum *Eman. Roter. citato Ioan. d a Cruz. de statu relig. lib. 2. cap. 2. num. 1. & Trullen. dub. 3. & 9.* hujusmodi declarationem, si authentica sit, & congregationis sigillo aut alio habeatur juridicé, vim sententiæ obtinere, & obligare in utroque foro, in conscientia nempe, & in judicio, Vide Zorolam 1. part. praxis Episc. V. authoritas in fine.

1377. Circa posteriorem quęstionis partem de modo interpretationis, difficultas est an privilegia Cruciatæ sint interpretanda amplé vel strictè? Notandum est 1. privilegium sicut strictè sumptum est singulare jus inductum contra jus commune: privilegium laté sumptum est quæcunque concessio præter jus facta, etiam si fiat pro maiori declaratione juris communis. Notandum 2. omnia quæ continentur in Cruciata, sive sint indulgentiæ, sive alia indulta, dupliciter accipi 1. quoad actum exercitum & actualem dispensationem 2. quoad facultatem, seu potestatem dispensandi.

Dispensationis interpretatio.

Dico 1. si loquamur de privilegijs Bullæ, prout actualem juris dispensationem continent, strictè interpretari debent, itaut non fiat extẽsio ultrà verborum proprietatem. Ita *Navar. lib. 2. tit. de jure s. consf. 1. num. 6. Lopez lib. 9. de Bulla pag.* 844. *Sanch. lib. 8. de matr. disp. 2. num. 7. & Eragos. part. 2. lib. 2. d. 7. num. 2.* Ratio est, quia actualis dispensatio, cum sit relaxatio juris, & vulnus legis proindeque odiosa strictè interpretanda est, juxta regulam *quæ a jure de reg. juris in 6.* Ergo idem dicendum de privilegijs Bullę quoad actuale exercitium.

Dico 2. si loquamur de privilegijs Bullæ, prout continent dispensandi, commutandi, & absolvendi facultatem, non strictè sed laté interpretanda sunt, & quandoque extendenda ultra verborum proprietatem Ita *Rodrig. tom. 1. quæst. 9. regul. quæst. 11. art. 9. Henr. lib. 7. de indulg. cap. 30. num. 30. Suar. de relig. tom. 2. lib. 6. cap. 16. num. 3. & Villal. tom. 1. tr. 27. in citat. num. 7.* Probatur, quia potestas dispensandi est favorabilis, & tanquam beneficium Principis late interpretanda est.

Indulgentiarum interpretatio.

Notant *Henr. lib. 7. cap. 30 num. 8. & Navar. de jub. not. 9. num. 8.* indulgentiam esse stricte interpretandam. Quia licet sit favorabilis respectu illius cui conceditur, est tamen odiosa prout continet dispensationem in jure divino, & præcepto satisfaciendi. Monent tamen non esse interpretandam summo rigore, itaut non possit aliquando mitius intelligi, & extendi ad aliquos casus.

QUÆSTIO III.

Quonam tempore ut prosit, Bulla sumi debet?

1378. Quanvis olim cruciata absque tẽporis limitatione concederetur, & postmodum intra spatium duorum annorum claudi soleret, tamen in præsenti limitata est ad unum annum computandum a die publicationis illius loci, in quo Bulla sumpta est. Sumitur ex clausula sic habente: *Qui intra annum a die publicationis præsentium in singulis locis prædictis faciendæ inchoandum.* Unde cum *Henriq. lib. 7. cap. 20. num. 3. Villalob. tom. 1. tr. 27. clausf. 4. num. 4. & Ioan. Sanch. in select. disp. 55. num. 8.* rectè notat *Palaus tr. 25. punct. 3. num. 1.* non esse computandum annum a die publicationis illius loci in quo quis residet, vel a die publicationis in cathedrali Ecclesia, sed a die publicationis loci in quo Bullam suscipit.

Tempus Cruciatæ.

Annus Cruciatæ computandus.

Annus solaris & Ecclesiasticus.

Difficultas est, quando finiatur annus intra quẽ Bulla durat, seu prodest? Pro cujus resolutione videndum est, an talis annus sit naturalis & solaris, nempe acceptus pro toto illo tempore, quo sol proprio motu, spatio dierum 366. si sit bisextilis, & 365. si sit vulgaris, motum circularem per totum orbem: an sit Ecclesiasticus, ab uno scilicet termino in alium ex designatione Ecclesiæ, quanvis aliquando desint, aut supersint aliqui dies ad complendum annum solarem? Affirmat aliqui cum *Rodrig. §. 5. num. 2.* annum durationis esse solarem, seu naturalem. Quia annus simpliciter dictus communi usu pro naturali accipitur. Et hoc videtur probabile.

Dicendum tamen est cũ *Henriq. lib. 7. de indulg. cap. 20. num. 2. Villal. tr. 27. clausf. 4. num. Ioan. Sanch. disp. 55. select. num. 2. Palao tr. 25. part. 3. num. 2. & Trullen. lib. 1. §. 1. dub 11. num. 3.* annum Cruciatæ accipiendũ esse pro Ecclesiastico, & non pro solari naturali, proindeque non mathematico modo, sed Ecclesiastico, nempe a publicatione unius Bullæ usque ad publicationem alterius, quanvis aliquando interveniant plures, aliquando pauciores dies inter unam & aliam publicationem: dummodo nova publicatio Bullæ sit certa, & in proximo ut fiat. Sic enim contingit in anno confessionis & communionis: & pro anno Bullæ præsumitur stare mens Pontificis.

1379 Addit *Ioan. Sanch. cit. num. 9.* & quidem pié, ut notat *Palaus num. 2.* computandum esse annum a die publicationis illius loci, in quo sũpta est Bulla usque ad sequentem publicationem illius loci, in quo quis de facto versatur, quando sit publicatio sequentis Bullæ: tametsi hæc secũda publicatio aliquot dies vel menses posterior fiat. Unde si existens Matriti Bullam accepisti quæ fuit publicata primo die Adventus anni 1630. & profectus es Hispalim, ubi publicatio fit in septuagesima, extenditur tibi Bulla usque ad septuagesimam anni 1631. ex præsumpta voluntate Pontificis.

Revocatio & cessatio Bullæ.

Rogabis, utrum intra annum publicationis aliquando Bulla spiret, aut revocetur? Constat

apud citatos authores, finito anno a nobis proxime explicato, cessare Bullam quoad omnes gratias ibidem concessas, nisi causa fuisset incepta: nam si incoasti confessionem, poteris eo finito perficere, & absolvi a reservatis.

Dubium est 1. an cesset Cruciata per publicationem Bullæ cænæ quæ fit quotannis? Videtur affirmandum: quia in fine Bullæ cænæ revocantur omnes facultates absolvendi a casibus illis, quos reservat nisi in ijsdem facultatibus expressi fuerint. Negandum tamen est cum *Navarro de indulg. notab. 33. num. 2. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 11. num. 27. Villal. tr. 27. clausula 4. num. 11. Fagund. lib. 8. cap. 8. num. 33. & Ludov. a Cruce. in Cruc. disp. 1. cap. 10. dub. 4.* Ratio est quia Cruciata est privilegium onerosum, quod proinde absque expressa ipsius mentione nunquam censetur revocari.

Gratiam revocatio

Dubium est 2. an cesset & revocetur Cruciata morte Pontificis, an commissarij? Respondeo negative cum *Sà V. Gratia, Corduba de indulg. quæst. 23. Ludov. a Cruce disp. 1. cap. 10. dub. 3. num. 1. Palaò de leg. tr. 3. disp. 4. part. 16. §. 4. num. 7. & Trullen. l. b. 1. §. 1. dub. 13. num. 3.* Probatur, quia Cruciata est gratia facta, & hæc non expirat morte concedentis, ut diximus in priori parte num. 261. Deinde juxta regul. juris in 6. docet beneficium Principis esse permanens: unde favores non expirant morte concedentis, sed mandata.

1380. Dubium est 3. an Cruciata suspendatur, aut revocetur per annum sanctum jubilei plenissimi? Affirmant *Navar. de indulg. not. ab. 33. nu. 3. & Ludov. Lopez in expositione Bullæ cap. 10.* Quia per talem jubileum suspenduntur omnes facultates singularibus personis concessæ, quales sunt contentæ in Cruciata. Negandum tamen est cū *Rodrig. §. 12. num. 13. Villalob. part. 1. trat. 27. clauf. 12. num. Sanch. lib. 8. Matr. d. 3. num. 10. Alphonso Perez. in comp. trium grati pag. 27. & Palao tr. 3. disp. 4. part. 21. §. 2. num. 3.* Ratio est, quia Extrav. Sixti Quarti *de pæn. & remiss.* in qua prædictus jubileus conceditur, solum suspenduntur facultates concessæ communitatibus, v.g. Ecclesiis, monasterijs, hospitalibus, pijs locis, universitatibus, non veró singularibus personis: at per Cruciatā personis singularibus conceduntur.

Annus Sanctus.

QUÆSTIO IV.
Quibus personis Cruciata prosit?

Nihil aliud est prodesse Bullam Cruciatæ alicui, quam posse virtute illius frui indulgētijs, privilegijs, facultatibus & gratijs in tali Bulla contentis. Dubium est 1. an Bulla posit fidelibus usu rationis carentibus? Affirmativa resolutio, quæ vera est, ut explicetur. Dico 1. pueris ante usum rationis, & perpetuò amentibus prodest Cruciata, ut tempore interdicti ministrentur sacramenta quorum sunt capaces, nempe baptismus & confirmatio. Item ut sepeliantur in loco sacro, cum moderata pompa, & cum Missa in gratiarum actionem. Ita *Palaus trat. 25. part. 2. n. 1. & Trullen. lib. 1. §. 1.*

Pueris inserviens Cruciata

Notat benè *Palaus trat. 25. part. 2. num. 1.* ut amentes & pueri doli non capaces, intersint divinis tempore interdicti non egere Bulla. Quia interdictum (ut docet *Suar. de cens. d. 36. sect. 2. num. 6. & d. 34. sect. 1. num. 34.*) solum prohibet humanam assistentiam, qualem non habent rationis usu destituti.

1381. Dico 2. Bulla prodest amentibus, & phreneticis, qui post usum rationis inciderunt in amentiam vel phrenesim. 1. ut tempore interdicti sepeliantur cum moderata pompa: eisq; possit administrari Eucharistia & extrema unctio, si aliunde non impediantur: 2. ut eis in articulo mortis absolutio a censuris, & applicatio indulgentiæ conferri possint. Ita cum *Henriq. lib. 7. cap. 20. num. 8. lit. T. Trullen. citatus dub. 6. num. 2.* Ratio est, quia Bulla generaliter loquitur: & illi, ex eo quod Christiani vixerint, censentur virtualiter petere ea quæ sibi ad salutē æternā prosunt.

Cruciata pro destitutis usu rationis.

Dubium est 2. an & qualiter Bulla vivorum prosit defunctis? *Henriq. citatus* partem affirmativam ita defendit, ut asserat, si quis pro defuncto excommunicato, ut tempore interdicti capiat Bullam posse defunctum sepeliri in loco sacro, & absolvi ab excommunicatione reservata. Fundatur in communi doctrina, quam tradunt *Suar de cens. d. 7. sect. 1. num. 4. & Sayrus in Thes. lib. 1. cap. 8. num. 10.* asserentes & si mortuus a censura absolvi directē non possit, quia jam non est hujus fori, posse tamen indirectē, si cum signis cōtritionis decessit. Hæc autem absolutio operatur, ut in loco sacro sepeliri, & pro eo suffragia offerri possint. Igitur ad hunc effectum Bulla vivorū potest defunctis prodesse.

Defunctis ad Bullā vivorum.

Oppositum tamen rectius defendit *Trullench. lib. 1. Cruciata §. 1. dub. 6. num. 2.* Quia Bulla vivorum ut prosit, debet eam vivus accipere ipse, vel alius pro eo, ut colligitur ex illius verbis. Deinde Bulla vivorum non conceditur defunctis: jam enim pro defunctis alia Bulla datur in qua solum continetur indulgentia plenaria per modū suffragij. Quando igitur defunctus absolvitur ab excommunicatione, hoc non fit per Bullam, sed per eum, qui poterat defunctum ipsum, antequam moreretur, absolvere.

1382. Dubium est 3. an Bulla prosit existenti in peccato mortali, excommunicato, & hæretico? Constat Bullam prodesse existenti in peccato mortali non quoad indulgētias utpote supponentes statum gratiæ ad remissionem pænæ, sed quoad privilegia & alias gratias. Dubitatur, an prosit excomunicato? Videtur negandum, ex *Cap. 1. de rescrip. in 6.* ubi statuitur rescriptum per excommunicatum super alio articulo quam excommunicationis, non valere.

Excommunicatis an prosint Bullæ.

Affirmandum tamen est cum *Henriq. lib. 7. cap. 18. n. 2. Villalob. p. 1. t. 27. claus. 1. n. 6. Ludov. a Cruce d. 1. c. 1. dub 4. n. 2. & Trull. l. 1. §. 1. dub. 8. n. 2.* Bullam prodesse excommunicato quoad omnia privilegia, præter indulgentias. Ratio est, quia unum ex privilegijs Bullæ est ut quis per eam ab excommunicatione reservata absolvi possit; ergo

ergo tunc supponitur ab excommunicato sumẽda. Accedit quia confert alias gratias quæ non pugnant cum excommunicatione. Addit *Trul. citatus ex Navar. notab. 19. num. 19.* & alijs pium & probabile esse si excommunicatus sit contritus, non stet per ipsum quominus absolvatur ab excommunicatione, posse consequi indulgentias Bullæ, & suffragia Ecclesiæ.

Hæreticus ad Bullam Cruciatæ. Maior est difficultas, an prosit hæretico? Videtur omninó negandum. Quia Pontifex cõcedit Bullam Christi fidelibus: hæreticus autem etiam puré mentalis non est Christi fidelis, cum discesserit ab orthodoxa fide. Nihilominus dicẽdum est cum *Ludov. citato num. 3. & Trullen num. 3.* prodesse Bullam hæretico pure mentali ut illius virtute audiat missam tempore interdicti, vescatur lacticinijs, & fruatur similibus gratijs. Ratio est, quia sicut hæreticus puré mentalis non venit nomine infidelis hæretici, ut feriatur excommunicatione, ita non excluditur a nomine fidelis, ut possit frui bullæ privilegijs. Addit *Trullen. num. citato* hoc extendi ad hæreticum externum: sed non approbo.

Religiosi ad Bullæ. Dubium est 4. an & quomodo Bulla prosit religiosis? Suppono cum *Rodrig. tom. 1. quæst. 21. art. 10. & Trullen. lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 9. num. 4.* religiosos mendicantes, etiam ordin s Minorũ posse licité procurare pecunias, & accipere Bullam pro indulgentijs, & nonnullis alijs gratijs abtinendis. Ad quod non indigent facultate superioris, quia (ut notat *Palaus. trat. 25. par. 2. num. 10*) Pontifex supremus religionum prælatus licentiam præsumitur concedere.

1383. Gravis difficultas est, an hujusmodi Bulla prosit religiosis ad facultatem eligendi cõfessarium per quem a reservatis absolvantur? Affirmant *Encebius de Herrera de statu religioso dec. 19. Ioan. Sanch. in select. disp. 43. num. 10. in fine Basil. de Leon in manuscripta de Cruciata quæst. ult.* & id tradidisse plures Magistros Salmanticenses consultos testatur *Villalob. trat. 25. clausul. 9. num. 13.* Quia Bulla æqué sæcularibus concedit facultatem eligendi confessarium pro reservatis, sicut & alia indulta.

Negandum tamen omninó est cum *Henriq. lib. 6. cap. 6. §. 9. Villalob. clauf. 9. §. 3 Rodrig. quæst. regula tom. 1. quæst. 21. art. 10. Sebastiano a Costa quæst. 107. Suar. de relig. tom. tr. 8. lib. 2. cap. 16. Frag. part. 2. lib. 2. d. 7. num. 16. & Palao citato punt. 7. §. 2. num. 2.* ubi ait hanc sententiam esse fere omnium Doctorum, qui sua scripta typis mandarunt. Ratio est, quia licet concedamus quod a principio illa facultas eligendi confessarium impenderetur æque secularibus, & regularibus; at post tot restrictiones & declarationes Pontificum, omnis dubitandi ratio sublata est.

Societatis Iesu religiosi ad Cruciatã. Quid de religiosis Societatis Iesu? Bené resolvit *Palaus trat. 25. part. 8. §. 3.* nulla omninó ratione posse virtute Cruciatæ eligere confessarium pro reservatis. Quia omnes religiosi Societatis tã solemniter professi, quam tribus votis simplicibus ligati comprehenduntur in Bulla *Clementis 8. edita anno 1599. Novem. 23.* ubi declarat nullos religiosos cujuscumque sexus posse uti Cruciata ad eligendum confessarium. Quod specialiter servandum in religiosis Societatis Iesu *Gregor. 13.* præcipit *sua Bulla edita anno 1575. May 3.* Cum veró etiam post has declarationes aliqui dubitarent, Urbanus 8. in Bulla edita Martij die ult. 1629. omnem dubitationem abstulit his verbis, *Nulli religiosorum ejusdem Societatis licere facultatibus Cruciatæ hujusmodi inquacunq; mundi parte publicata vel publicandæ, quoad eligendum confessarium, & obtinendam absolutionem a casibus reservatis uti decernimus.*

Quæ diximus de virtute Cruciatæ ad eligẽdum confessarium pro reservatis, bene docent *Palaus citatus num. 5. & Suar. de relig. tom. 4. trat. 8 lib. 2. cap. 16. a num. 3.*

Militares Religiosi ad Cruciatam. Quid de religiosis ordinum militarium? Posse absque licentia superiorum Bullam accipere & ejus privilegijs gaudere, sicut seculares, bené docent *Henriq. lib. 7. cap. 22. num. 4. lit. T. & Trullen. lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 9. num. 3.* Quid Novitij cujuscũque religionis ad Cruciatam? Posse libere absq; ulla superioris licentia accipere Bullam Cruciatæ & omnibus illius privilegijs frui, sicut alij seculares, tradit expresse *Trullen. citat. dub. 9. n. 2.* Quia Novitij nomine religiosorum veniunt in favoralibus, non veró in odiosis. *Novitij ad Cruciatam.*

QUÆSTIO V.
Sub quibus conditionibus Bulla prosit ipsam sumentibus?

1384. CUM omnes fere conditiones ad Bullæ valorem & utilitatem postulatæ concernant, vel respiciant personas, a quibus Bulla sumitur, hæc quæstio de requisitis conditionibus optima præcedentis completio & elucidatio erit.

Locorum conditio ad Bullã. Rogabis 1. quibus in locis commorari debeat persona, ut cum fructu Bullam suscipiat? Cum hoc privilegium nec sit meré personale, nec sit meré locale, sed mixtum nempe concessum personis quæ in certis ac determinatis locis existũt, conditio necessaria est ne attendantur personæ in ordine ad locos. Omnes igitur personæ (ut videre est apud *Palaum trat. 25. part. 2. n. 2. & Trullen. lib. 1. §. 1. d. 1.*) frui possunt Cruciata, si commorentur in regnis Hispaniæ, sub cujus appellatione, utpote favorabili venit Lusitania, in insulis eis adjacentibus, in Sicilia ultra Pharum, in sardiniæ regnis, omnibusq; terris ac dominijs Terræ firmæ, & Indicarum, Maris Oceani, seu alias nuncupatis. Quod igitur non solum de incolis, sed etiam de alijs qui ad prædicta loca divertunt, & ibi commorantur.

Hispania Cruciatã. Infertur 1. cum Palao citato num. 3. sumpta Bulla a commorante in prædictis regnis, tametsi ad aliena regna divertat, posse uti tali Bulla, anno publicationis durante, tamen ut non utatur privilegio vescendi pro libito ovis & lacticinijs, item carne diebus vetitis ex consilio utriusque medici.

Infertur 2. cum Henriq. lib. 7. cap. 20. Villalobos trat. 27. in tit. num. 2. & eod Palao num. 4. Hispanos in exteris regnis cōmorantes non posse uti Bulla medio internuncio in Hispania suscepta. Ratio est quia Bulla solum conceditur commorantibus in locis Hispaniæ, vel ad ea divertentibus. Est enim privilegium regionis, quo fruuntur homines in ea habitantes, vel in ea ad tempus cōmorantes. Probabile tamen existimant Ludovicus de Cruce disp. 1. cap. 1. dub. 3. num. 4. & alij quos citat Palaus nu. 4. Bullam prodesse Hispanis extra Hispaniam degentibus.

Confidentia Bullæ ad peccandum. Rogabis 2. an sit conditio ad fruendum privilegio Bullæ pro absolutione a reservatis, quod quis non peccet ex prava confidentia Bullæ? Affirmant Covar. lib. 2. Var. cap. 2. num. 26. & alij apud Dianam part. 1. tract. 11. resol. 16. Negandum tamen est cum Ledesma in sum. tom. 1. tract. de pœnit. cap. 13. dub. 10. Sanchez tom. 1. Decal. lib. 4. cap. 54. n. 18. Filliucio tom. 1. tr. 8. cap. 10. num. 262. & Trullen. lib. 1. §. 1. dub. 9. num. 5. qui pro hac resolutione citat Suar. tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 13. num. 6. & omnes docent peccantem ex confidentia Bullæ, posse virtute illius a reservatis absolvi, & votorum commutationem obtinere. Ratio est, quia Pontifex concedens in Bulla tale privilegium absolute, nullam fecit restrictionem ex qua colligatur ab illo excipere peccantes ex confidentia: ergo sine fundamento poneretur illa conditio, seu fieret talis exceptio.

Bullæ susceptio. 1385. Rogabis 3. an sit conditio ad fruendū Bulla, quod quis illam per se, vel per alium suscipiat? Videtur negandū quia alijs Pontificis privilegijs non requiritur acceptio Bullæ scriptæ, ut tenent Armilla V. privilegium num. 10. & Sylvest. V. Privilegium quæst. 14. ergo neque ad fruendum privilegijs Cruciatæ.

Affirmandum tamen est cum Henriq. lib. 7. Indulgentia cap. 20. num. 5. Acosta quæst. 12. Rodrig. in exposit. Bullæ §. 5 num 2. Villalob. claus. 12. num. 12. & Trullen. lib. 1. §. 1. num. 3. Ratio est, quia in Bulla tam Latina, quam vulgari postulatur realis susceptio per se, vel per alium. Unde non sufficit nomen scriptum apud depositarium, si Bullam cum effectu non accipiat.

Acceptio Cruciatæ. Dixi (per se vel per alium) quia hæc susceptio non ita personalis est, ut per alium fieri nequeat. Unde juxta Trullench. lib. 1. §. 1. dub. 3. potest Bulla sumi pro absenti, qui tamen sit intra regna, in quorum favorem conceditur. Notat bene Palaus citat. part. 2. num. 5. ex Suar. de pœnit. d. 5. sect. 7. num. 5. oportere, si Bulla suscipiatur per alium te inscio, ut illius acceptionem ratam habeas. Aliter enim Bullæ indulgentijs & privile-

Assensus ad Bullā. gijs uti non posses. Nec requiritur (inquit) ut scias evidenter alium accepisse: sufficit enim, si moraliter certus sis illius acceptionis v.g. si tibi amicus fidelis fidem de[...] de illa suscipienda.

Quid si accepta a te Bulla, amicus alteram tibi accepit? Si nomine tuo, inquit Palaus cit. t.) accepit, vel illius acceptionem ratam habuisti, non poteris applicare alteri sumptam Bullam: quia tibi jam applicuisti utranque. At, si tibi Bullā ab amico acceptam non acceptasti, poteris eam alteri vel gratis, vel sua eadem stipe cōcedere. Quia talis Bulla nullius est, cum a nemine sit acceptata: ac proinde nomine commissi[...] eam alteri concedis. Neque obstabit si tuū nomen in scriptum sit: quia facile deleri potest, & nomen alterius scribi.

1386. Rogabis 4. an sit conditio ad fruendū Bulla, quod quis susceptam apud se retineat? Videtur affirmandum. Quia sic præcipitur in Bulla Latina: Summarium hoc qui hujusmodi gratiarum participes esse voluerint, recipiant, & retineant. Hoc tamen rectè intelligunt Henriq. 7. Ind. cap. 20. nu. 3. & Rodrig. §. 12. nu. 17. ut sufficiat quod quis acceptam Bullam habeat apud se, vel apud alium. Nam quod Bulla præcipit est moraliter intelligendum: censetur enim quis apud se habere, quod ipsius nomine alter habet. Cruciata retentio apud se.

Maior est difficultas, an sufficiat retentio instantanea, vel requiratur continuata, ita ut Bulla conservetur incolumis, quin deperdatur aut pereat? Bené conveniunt cum Henriq. lib. 7. cap. 20. §. 3. lit. A. Ludovicus a Cruce exposit. Bul. d. 1. cap. 2. dub. 2. num. 2. Diana tr. 11. resol. 95. & Trullen. lib. 1. §. 1. dub. 4. sufficere instantaneam retentionem, si cōtingat Bullam inculpabiliter amitti, vel comburi. Quia in tali eventu salvatur finis, ob quem Bulla est conservanda, scilicet ne quis circa gratias sibi concessas culpabiliter errare possit. Si autem culpa recipientis ac retinentis pereat, dicūt citati non prodesse. Verum Palaus citatus part. 2. num. 6. innuit oppositum his verbis: si semel suscepta Bulla, & in tuam translata potestatem pereat (maximé absque culpa) non obinde privilegijs & gratijs privaris. Nam in his (maximé absque culpa) innuitur prodesse, etiam si detur culpa. Cruciata amissio vel combustio.

Rogabis 5. an ad valorem & profectum in Bulla requiratur inscriptio proprij nominis? Videtur necessarium utpote postulatum in Bulla Castellana his verbis (Escrito en ella vuestro nombre). Unde sub pœna excommunicationis præcipitur receptoribus, ut nomen capientium in Bullis scribant. Negandum tamen est cum Henriq. lib. 7. cap. 20. §. 5. Villal. tr. 27. claus. 12 num. 24. Rodrig. §. 12. num. 16. Trullen. dub. 4. num. 3. & Palao citato num. 7. Ratio est, quia id in Bulla Latina non præscribitur, sed tantum quod re ipsa sumatur. Si veró per commissarium ponitur in Hispania, Escrito en ella vuestro nombre) hoc non continet præceptum, sed consilium. Nomen scriptum in Bulla.

1387. Rogabis 6. an & qualis sit conditio solvendi eleemosynam pro Bulla? Bené Trullen. lib. 1. §. 3. dub. 1. num. 1. tanquam certum statuit 1. Cruciatæ privilegia concedi a Pontifice conferētibus certam quantitatem pecuniæ per contractum, ita ut si talem quantitatem non conferant, privilegijs non gaudeant. Statuit 2. talem quātitatem non determinari a Pontifice, sed ab eo commissi determinandam per commissarium, & huic determinationi standum esse. Statuit 3. [...] Eleemosyna pro Cruciata

n ista-

missariūm potestate sibi facta quantitatem pecuniæ tum pro Hispanijs tum pro Indijs juxta qualitatem personarum disignasse.

Notandum est 1. non esse Simoniacum, sed quid pium, & honestum dare pecuniam pro Bulla & privilegijs in ea contentis? Ratio est, quia talis pecunia non datur tanquam pretium rei spiritualis, sed ut eleemosyna ordinata ad rē spiritualem, nempe Ecclesiæ quietem, quæ non obtinebitur, nisi profligatis illius hostibus. Notandum 2. satis esse quod quis solvat per alium, imò per solam obligationem solvendi in se susceptam. Nam hoc solutioni æquipollet. Adde sufficere quod depositarius alicui Bullam gratis concedat: tunc enim solvendi obligationem in se suscipit. Quid si accipiens Bullam creditò nō habeat intentionem solvendi? Bulla illi non proderit: quia deest conditio sub qua conceditur, nempe contributio eleemosynæ in subsidium. Ita *Palaus num.8.ex Rodrig.quem citat.* *Eleemosyna per Cruciata solutio.*

Dubium est 1. an prosit Bulla solventi eleemosynam ex pecunia turpiter comparata? Respondeo cum *Villalob.tr.27.claus.4.num.4. Acosta in Cruciata quæst.106.Rodrig.§.9.num.6.Palao part. 2. num.9.& Trullen lib.1.§.3.dub.1.n 9.* si ablata transeant in dominium sumentis, qualis pecunia, quam turpiter acquirit meretrix, vel judex per injustā sententiam, vel fur commiscens alienam cum propria, talem Bullam prodesse: secus, si ablata in sumentis dominium non transeant. Ratio est, quia in Bulla exigitur, ut quis faciat eleemosynam ex bonis proprijs, qualia non sunt aliena, quorum alter Dominus est. *Eleemosyna ex pecunia Villalob.*

1388. Dubium est 2. qualiter in solvenda eleemosyna se debeant gerere religiosi qui nullius pecuniæ dominium habent, nec usum sine voluntate superioris? *Corduba in annot.ad comp. V. Cruciata § 5. & Villal citat.claus.12,num.30.* affirmant Minores ex concessione Pauli 3. facta vivæ votis oraculo 2. Junij. 1533. non suscepta Bulla illorum privilegijs frui posse dummodo sacerdotes loco eleemosynæ duo sacra faciant, alij religiosi clerici bis psalmos pœnitentiales recitant, laici verò ducenties *Pater noster*, *& Ave Maria.* Hæc tamen concessio videtur jam non habere vigorem tum ex desuetudine, tum ex revocatione. *Regulares ad eleemosynam pro Bulla*

Illud *Palaus citat.num.10.* benè, ut certum statuit non posse religiosum ex bonis conventus sumere Bullam inconsulto superiore. Quia sumeret ex non suis prælato rationabiliter invito. At si religiosus habeat pecuniam, quam ex superioris facultate in proprios usus possit expendere, poterit ex illa pecunia Bullam sumere: etiam (addit *Palaus ibid.*) renitente prælato: quia tunc Pontifex supremus prælatus facultatē concedit.

Notat *Henr.lib.7.cap.20.num. 3.lit.Z* eos qui juxta taxam tenentur contribuere octo, si secūdam Bullam sumant, solū teneri duas dare. Quia talis præsumitur Commissarij intentio. Huic tamen doctrinæ contradicit *Trullen.citat.§.3,dub.1. num.15.* Quia ratio militans in prima vice, scilicet belli subsidium, & qualitas personæ, militat in secunda.

QUÆSTIO VI.

Qualiter se habeat Bulla pro defunctis concessa & qualiter defunctis prosit?

1389. HUJUS quæstionis resolutio valde pendet ab illa, quam supra resolvimus num.1343. nempe qualiter indulgentiæ defunctis applicari possint: & quas conditiones exigant, ut fructuosè applicentur. Modo prænotamus cum *Palao tr.25.punt.12 nu.1.* Pontificem ex Thesauro Ecclesiæ non solum fidelibus vivis impendere favores, sed etiam defunctis ideoque indulgentiam plenissimam concedere defuncto, in cujus gratiam vivus erogata eleemosyna Bullam sumpserit. *Cruciata pro defunctis.*

Postulant aliqui conditionē in vivo, qui pro defuncto accipit Bullam erogando eleemosynam ut hæc exequatur in statu gratię æquè requiritur comparatione sibi atque alijs beneficium indulgentiarum. Dicendum tamen est cum communi sententia, quam defendunt *Suar. de pænit. disp.52. sect.4. num. 6. Acosta de Cruc. quæst. 21. & Villal. 1.part.trat.28.num.3.* non requiri te esse in gratia, quando sumis Bullam pro defuncto, ut ei prosit. Non enim quando sumis Bullam pro defuncto, ei satisfactionem concedis, quia pœnæ remittuntur, sed solum apponis conditionem, qua posita Pontifex ex thesauro satisfactionem pro pœnis exhibet.

Difficultas est an sumpta una Bulla pro defūcto, expediat alias pro eodem sumere? Videtur negandum: quia si credimus sufficere unam, utpote per quam indulgentia plenissima confertur, superfluum ac vitiosum est alias sumere. Affirmandum tamen est cum *Navar.de indulg. notab. 22.num.50.Villal.tr.29.num.5 & Acosta in Cruc. quæst. 22.* plures pro uno defuncto Bullas sumi posse & expedire. Constat ratione, quia indulgentiæ valor pendet valde ex causa finali & motiva cōcessionis: & potest frequenter evenire, ut causa sufficiens pro remissione tertiæ partis peccatorū, multiplicata per varias Bullas dicta remissione, augeatur ad obtinendam plenariam remissionē. Bullam defunctorum latè exponit *Trullench. toto lib.4.* *Bulla multa sumenda.*

SECTIO. II.

De commodis spiritualibus, ac privilegijs Cruciatæ circa interdictum, & cibos vetitos.

QUÆSTIO I.

Quibus personis, & qualiter indulgentia plenaria per Bullam concedatur?

1390. DEcidetur tota quæstio, si discurramus per quatuor genera personarum, quibus per Cruciatam indulgentia conceditur: sed oportebit revocare prius in memoriā, quæ *Indulgentia plenaria data per Cruciatam.*

onis hujusmodi restrictionem non solum competere concurrentibus ad bellum hoc temporali subsidio, sed etiam bello personaliter interessentibus, vel mittentibus pugnatores. Quia intra annum nullus sanus, seu incolumis potest obtinere vi Bullæ indulgētiā plenariā nisi semel.

Mors presumpta quod periculum mortis. Dubium est 1. quid intelligatur per particulam *semel in vita*, & per particulam, *semel in morte*? Respondeo ex citatis *Palao num. 8. & Trullent. num. 2. & Corduba quæst. 36. part. 1. a. 3.* particulam (*semel*) ita esse intelligendam, ut intra publicationis annum possit consequi illam indulgentiā semel in vita, & semel in articulo mortis. Nam sicut Pontifex intra talem annum limitat absolutionē a reservatis, ita & indulgentiam. Nomine mortis intelligitur mors præsumpta, & idē valet (*in morte*) atque si diceretur in articulo, seu periculo mortis. Quare (inquit *Palaus cit.*) si eo anno obtenta indulgentia in periculo mortis in aliud periculū incidas non poterit tibi alia indulgentia applicari ex vi horum verborū: bené tamen sumpta alia Bulla eodem anno, vel anno sequenti.

Indulgentia applicatio per confessarium. Dubium est 2. an requiratur ad valorē hujus indulgentiæ applicari pænitenti per confessariū? Negant *Curiel. de Iub. & Eman. Rodrig. §. 9 num. 43.* quasi eadem sit ratio de hac, atque de alia indulgentia concessa contritis, cū ad hanc non requiratur illa applicatio. Affirmandū tamen est cū *Navar. not. 30. de ind nu. 4. & 16. Trullen. c p. 2. dub. 19 num. 3. & Palao cit. num. 8.* Quia Pontifex (ut constat ex verbis Bullæ) non confert hanc indulgentiā immediate pænitenti, sed media confessarij applicatione: secus de alia, ut videbimus

1394. Notat bené *Suar. de pen d. 56 sect. 1. n. 7. & 8.* habenti Bullam in articulo mortis non esse necessariū, ut expresse & formaliter petat indulgentiam sibi applicari, sed sufficere virtualem & interpretativam petitionem, ut confessarius fructuose illam applicet.

Pænitentiæ sacramentum ad indulgentiam. Dubium est 3. Utrum hujusmodi indulgentia applicari debeat intra sacramentū pænitētiæ? Recte affirmat *Navar. de ind not. 18. n. 1. & Trullen. lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 19. n. 4.* quando est possibile sacramentū pænitentiæ, itaut supra legitimam cōfessionem cadat absolutio a peccatis. Constat ex illis verbis Bullæ: *Qui possit eligere confessarium*, & *ab eo plenariam absolutionem & remissionem obtinere.* Nam hujusmodi indulgentia conceditur corde contritis & ore confessis, casu quo actualis cōfessio necessaria & possibilis est.

Dixi (quando est possibile sacramentum pænitentiæ) quia si hoc sit impossibile, v.g. quia infirmus lethargicus, aut phreneticus nullū signū contritionis potuit exhibere in mortis articulo, recté docent *Navar. cap. 26. num. 27. Henr. lib. 3. pan. c. 9. n. 4. Villal. part. 1. tr. 27. clauf. 1. n. 1. Lusov. a Cruce in exposit Bullæ 2. p. 1. cap. 8. dub 14. n. 6.* & alij, absolvendū esse per confessarium a censuris, eique applicandam esse indulgentiam, extra sacramentum pænitentiæ.

Dubium est 4. utrum esse debeat sacerdos ab ordinario approbatus qui extra articulū mortis applicet hāc indulgentiā? Respōdeo affirmativé cum *Henr. lib. 7. de indulg. cap. 9. n. 6. lit. A. & Trullen. cit dub. 19. n. 6.* Constat ex illis Bullæ verbis: *Ut possit eligere confessariū ab ordinario approbatū, qui eū a reservatis absolvat, & plenariā indulgentiā & remissionē obtineat.* Ex quo colligitur hanc indulgentiā, utpote in sacramento impendendam, soli præsenti, & non absenti applicari posse. *Indulgentiæ applicatio in vita.*

1394. Dixi (extra articulum mortis) quia in articulo mortis consentiunt authores quemlibet sacerdotem simplicē eā posse applicare. Est enim legitimus confessarius ab ipsa Ecclesia habens jurisdictionē. Adde probabiliter ex *Navar. not. 30. n. 8. 9. & 10. & Henr. l. 3. de pæn. c. 9. nu. 4.* in absentia sacerdotis, id posse etiam simplicē tonsuratum. Addit *Diana trat. 11. resol. 107.* magis pié quam probabiliter id posse purè laicum.

Ad hunc effectum applicandi indulgentiam, bené notat *Trullen. citatus num. 11.* articulum mortis, idem esse atque verum mortis periculum. Notat etiam num. 13. non sufficere actum internum confessarij quo velit applicare indulgentiam, nisi faciat actum externum, quo suam intētionem significet: ad quod sufficient verba absolutionis.

QUÆSTO III.

Quænam alia indulgentia vel commoda spiritualia per Cruciatam impendantur?

PRO explicatione indulgentiarū spiritualiū cōmodorū necesse est aponere clausulā Bullæ conceptis verbis: *Item erogantes prædicti qui diebus jejunio non suppositis, ad implorandum divinū auxiliū pro unione & victoria prædictis, voluntariū jejuniū, vel si jejunare legitimé impediti fuerint, aliud opus piū, arbitrio eorum confessoris, vel parochi, assumpserint, & simul preces ad Deum pro unione & victoria prædictis fuderint, toties quoties id fecerint, dicto anno durante quindecim annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, & quomodolibet debitis pænitentijs misericorditer in Domino relaxantur: insuper omnium precum, eleemosynarum, peregrinationum, etiam Hyerosolymitanæ, & aliorum bonorum operū quæ in universali militanti Ecclesia, & singulis ejus membris fiunt, participes redduntur.*

Certū est 1. hujusmodi indulgentiā non esse plenariā & totalē, sed partialē, utpote determinatā ad aliquā partē pænarū scilicet ad quindecim annos, & quindecim quadragenas. Certū est 2. quadragenā significare numerū quadraginta dierū jejunij in pane & aqua: ex quo sequitur quindecē quadragenas continere sexcentos dies indulgentiæ. Notat bené *Trullen. §. 5. dub. 1. n. 1.* hoc tēpus quindecim annorū, & sexcentorū dierū non esse intelligendū de annis & diebus Purgatorij, sed de annis & diebus pænitentiæ in hac vita, itaut pæna Purgatorij remittenda correspondeat satisfactionibus, & pænitentijs quindecim annorum, & quindecim quadragenarum hujus vitæ. *Quadragena quid*

1396. Observabis 1. cum *Trullen. n. 2. & Lopezio de Bulla cap. 7.* per hujusmodi indulgentiam. fieri quidem remissionem, non solum de pænis, seu pænitentijs injunctis a confessario, sed etiā de

pœnis, seu pœnitentijs rationabiliter injungẽdis. Constat ex verbis Bullę relatis. *Quomodolibet debitis.* Observabis 2. opus ad comparandam hujusmodi indulgentiam esse triplex, nempe eleemosynã pro Bullę sumptione designatam, jejunium & orationem. De eleemosyna jam diximus supra num. 1387.

Iejuniũ ad indulgentiam Cruciatæ. Rogabis 1. an sufficiat jejunium necessarium, seu ex pręcepto debitum, quale debetur in Quadragesima & vigilijs, vel requiratur jejunium supererogationis, seu voluntarium? Respondeo cum *Eman. Rodr.* §. 7. *Cruc. num.* 3. *Trullen. num.* 4. & *Palao de Cruciata tr.* 25. *part* 5. *num.* 1. requiri jejunium voluntarium. Constat ex illis verbis: (*In diebus jejunio non suppositis*) & ratione: quia sicut Põtifex ex liberalitate & supererogatione cõcedit indulgentiã, ita exigit opera supererogationis.

Rectè tamen Palaus citatus monet 1. eum qui ex labore, ætate, vel infirmitate excusatur a præcepto jejunij, posse lucrari indulgentiam, si jejunet diebus, in quibus Ecclesia jejunium præcipit. Monet 2. cum *Rodrig.* §. 7. *num.* 3. eum qui ex voto teneretur jejunare omnibus diebus, posse obtinere indulgentiam jejunio obligationis. Cum per tale votum non debuerit fieri deterioris conditionis.

Oratio qualis ad indulgentiam. Rogabis 2. sufficiat ne mentalis oratio, an postuletur vocalis? Conveniunt citati authores potuisse Pontificem exigere orationem mentalem. Quia licet humanus legislator nequeat pręcipere actus merè internos, at potest illos exigere pro conditione, sine qua non conferat puram gratiam & beneficium, qualis est indulgentia. An de facto exigat solam vocalem? Negant *Ludovicus da Cruz in exposit Bullæ d.* 1. *cap.* 8. *dub.* 11. *n.* 4. & *Trullen. citat num.* 5. Quia de facto sufficit oratio mentalis ad lucrandas indulgentias stationũ; ergo ad indulgentiam Cruciatæ.

1397. Dicendum tamen est cum *Navarro not.* 22. *de indulg. num.* 33. *Rodrig. in add. ad* §. 7. *vers.* 2. & *Palao part.* 5. *num.* 3. postulari omninò orationem vocalem. Ratio est, quia Pontifex, cum non postulasset expressè orationem mentalem, censetur exegisse illam quæ est magis consona & cõformis tum Ecclesiæ, tum ipsius capiti injungẽti. Ecclesia enim & Pontifex sunt visibiles & sensibiles, qualis oratio vocalis & non mentalis.

Impeditus ad jejunandũ. Rogabis 3. quid agendum, si quis legitimè impediatur a jejunando? Respondeo cum *Trull. citat.* §. 5. *dub.* 2 *num.* 6. talem impeditum jejunare posse consequi indulgentiam, si faciat aliud opus pium ad arbitrium non cujuslibet, sed solius confessoris, vel parochi: id enim cavetur illis Bullæ verbis (*arbitrio parochi, vel confessarij*) Nam ablativum absolutum (*arbitrio*) resolvitur in conditionem, ut sumitur ex *l. continuus* §. 1. *ff. de verb. signif.* Circa quod notat *Palaus num.* 4. solum dari in confessario vel parocho talem potestatem, quando impedimentum jejunandi tale est, ut sufficiat ad excusandum a jejunandi præcepto, si adesset. Notat etiam *Trullen. citat.* opus pium in quod est commutabile tale jejunium, debere esse aliud ab oratione: quia Pontifex ad lucrationem hujus indulgentiæ duo requirit, scilicet orationem, & jejunium, vel aliud opus pium loco jejunij, promdeque vel eleemosynam, vel flagellum, vel aliud.

Rogabis 4. an consequantur æqualiter dictã indulgentiam qui opera illa injuncta jejunij & orationis inæqualiter exequuntur, v.g. quando unus magis jejunat & orat quam alius? Benè ex *Rodrig.* §. 7. *num.* 4. Respondet *Trullen. lib.* 1. §. 5. *dub.* 1. *num.* 8. cũ distinctione, scilicet ex parte indulgentiæ æqualẽ effectũ, seu pęnarũ remissionẽ cõsequi: ex parte tamen operantis, inæqualẽ: nam cæteris paribus magis meretur gratiam & gloriam qui magis jejunat, & magis orat.

Quod attinet ad alias gratias & commoda spiritualia, conceditur sumenti Bullam participatio omnium bonorum quæ in Ecclesia fiunt. Quænam sit hujusmodi participatio, exponit breviter *Palaus part.* 5. *num.* 5. Dicit enim per hujusmodi participationẽ nõ applicari fructus spirituales fidelium sumentibus Bullam quantum ad satisfactionem: hæc enim applicatur ex solo thesauro Ecclesiæ, sed quantum ad vim impetrandi bona spiritualia: ex vi cujus applicationis factæ per Pontificem caput Ecclesiæ, seclusa alia speciali operantium applicatione, prosunt sumenti Bullam, ut inflectatur Deus ad eum a peccato eruendum, vel si in gratia sit, ad maiora beneficia impendendum. *Participatio bonorum operum.*

1398. Pręter explicatas gratias Bulla ijs qui devote visitaverint quinque Ecclesias vel altaria, aut in eorum defectu quinquies unum altare, ibique pro concordia Christianorum Principum & victoria contra infideles, preces fuderint, cõcedit amplissimam stationum indulgentiam, nẽpe ut consequantur omnes & singulas gratias stationum intra & extra muros Urbis tam pro se quam per modum suffragij pro defunctis, pro quibus visitaverint. *Stationũ indulgentia.*

Pro explicatione nota 1. Visitationem debere esse devotam ex animo formali, aut virtuali cõsequendi indulgentiam. Nota 2. nomine altaris intelligi oratorium ab Episcopo approbatũ pro celebranda Missa. Nota 3. cum *Palao citat. par.* 5. *num.* 7. contra *Rodrig* §. 8. *num.* 8. quanvis in oppido sint quinque Ecclesiæ, quas quis facilè visitare posset, non teneri, sed posse quinque altaria in eadem visitare. Quia ut notavit *Villal. sup.* 8. *num.* 4. Bulla disjunctivè exigit quinque Ecclesias vel altaria. *Ecclesiarum visitatio.*

Addit benè *Palaus citatus num.* 7. ex defectu quinque Ecclesiarum, vel altarium sufficere unũ quinquies, aut quinque vicibus distributis duo vel tria altaria visitare: nec opus esse, ut eam visitationem facias, ex uno loco in alium transferri, cum ex eodem loco omnes visitationes perfici possint, si ex animo ad singula altaria convertaris: sicut opus non est, ut quinquies detur ingressus ad unicam Ecclesiam, in qua est unicum altare, si ex animo perficiendi quinam visitationẽ, quinquies orationem fundas.

Nota

Nota 4. sub hac concessione venire gratias, non quæ Romæ sunt diebus singulis, sed solum quæ ad stationes pertinent. Nota 5. has indulgentias stationum posse te applicare defunctis per modum suffragij, quæ specialis gratia & favor est. Nota 6. hanc indulgentiam solum posse comparari semel in die, qui computatur a primis vesperis usque ad occasum diei sequentis.

1399. Difficultas est an hujusmodi indulgẽtiæ sint plenariæ? Negant Casarub. *in compend. privilegio Minor.* ut *Indulgentiæ stationum* & Corduba de indulg. quæst. 38. Quia Bulla non exprimit indulgentiam plenariam, & debuit exprimi, ut intelligeretur concessa. Nam concessio indulgẽtiæ videtur strictè interpretanda.

Affirmandum tamen est cum *Palao de Cruciata part. 5. num. 9.* concedi de facto indulgentiam plenariam. Ratio est, quia (ut benè notavit *S. Thomas in 4. quæst. 20. art. 3.* & in addit. quæst. 21. art. 2.) quamvis stationes Urbis fuerint institutæ a Gregorio Magno cum septem annis indulgentiæ pro singulis diebus, tamen postea illis accesserunt omnes illæ, quæ conceduntur septem Ecclesijs Romæ præcipuis, scilicet Lateranensi, S. Mariæ majoris, S. Laurentij extra muros, SS. Fabiani, & Sebastiani extra muros, S. Crucis in Hyerusalem. Et visitantibus quolibet die Ecclesiam Lateranensem specialiter indulgentia plenaria concessa est.

Ecclesiæ septem Romæ præcipuæ.

QUÆSTIO IV.

Qualiter per Bullam concedatur Missam celebrare, vel celebrari facere in Oratorijs privatis.

Quid sit oratorium privatum prout distinguitur ab oratorio publico, & quale sit discrimen inter oratorium & Ecclesiam, exposuimus in nostro *Elucidar. num.* 1401. Modò pro decisione præsentis quæstionis recolendum est quod supra num. 1084. resolvimus cum *Sanch. lib. 9. de Matr. d. 25. num. 24. & Suar. de Missæ sacrif. disp. 81. sect. 3.* esse peccatum lethale celebrare extra locum ab Episcopo deputatum. Nam in *cap. Nullus presbyter, de consecr. d. 1.* præcipitur sub pœna suspensionis ferendæ, ut nullus presbyter celebret extra Ecclesiam, seu locum sacrum ad hoc peculiariter deputatum. Olim cum postularetur locus deputatus per rigorosam consecrationem, hodie ad sufficientem deputationem sufficit benedictio.

Locus ad celebrandum.

1400. Illud notandum est, quod cum olim possent Episcopi permittere alicui ut celebrarent quocunque loco honesto in altari portatili: sic enim sumitur ex *cap. Missarum de consecrat. d. 1.* illis verbis. *In locis ab Episcopo consecratis, vel ubi Episcopus permiserit:* hæc tamen facultas restricta fuit per Trident. sess. 22. decreto *de observandis & evitandis in celebrat. Missæ:* ibi enim præcipitur Episcopis ne patiantur in privatis domibus, aut omninò extra Ecclesiam, & ad divinum cultum dicata oratoria, ab eijsdem Ordinarijs designanda & visitanda sanctum hoc sacrificium a secularibus aut regularibus quibuscunque peragi.

Quare (ut notat *Suar. citat. disp. 81. sect. 3.*) non videtur per Tridentinũ Episcopis omnino ablata potestas, quin in aliquo casu raro necessitatis extraordinariæ possint concedere licentiam celebrandi in loco apto & honesto, etiam si non sit deputatus ad divinum cultum, sed statim convertendus in usus communes. Addunt aliqui ex verbis Tridentini, *vel Oratorium ab ipsis designatum, vel visitatum*, fuisse Episcopis concessam facultatem designandi, & visitandi oratoria in domibus privatis dicata ad cultum divinum, & celebrandam Missam.

Episcopi potestas circa Oratoria.

Verum hæc omnia (inquit *Trullen lib. 1. §. 1 dub. 4. num. 5.*) & si demus vera fuisse usque ad annum 1615. postea admitti nequeunt: quia S. C. Cardinalium de mandato Pauli V. per decretum factum 25. Octobris ejusdem anni licentias omnes celebrandi in oratorijs ab Episcopis concessas irritavit, & ab ipso Papa concessas suspendit, vetuitque Episcopis ne possent concedere facultatem celebrandi in privato oratorio absque Sedis Apostolicæ expressa licentia. Anno tamen 1618. Iulij 30. idem Pontifex de consilio Cardinalium Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis concessit facultatem visitandi, designandi, & approbandi oratoria, & licentiam celebrandi in ipsis oratorijs, cum multis tamen limitationibus, quas affert & exponit *Aug. Barb. de pot. Episc. part. 2. alleg. 23.*

Illud notabis decretum supradictum solum comprehendere oratoria in privatis domibus existentia, non vero capellas publicas ab ijsdem privatis domibus omninò sejunctas, ad quas patet liber accessus, & habent ostium patens ad viam publicam. Sic enim declaratum refert a S. Cong. Card. *Barbosa de jure universo lib. 1. cap. 11. num. 28.*

1401. His prænotatis, videamus quid concedatur per Bullã circa oratoria privata, & Missam in ipsis celebrandam. Difficultas est, utrum cuilibet sumenti Bullam concedatur habere domi suæ oratorium privatum, in quo per ordinarium designato & visitato possit celebrare, vel celebrari facere? Affirmant *Ioannes Sales in explic. Cruciat quæst. 19. Rodrig. §. 5. num. 4. Palaus tr. 25. p. 6 num 2. & Ludovicus a Cruce in exposit Bullæ disp. 1. cap. 5. dub. 1.* Probant, quia licet id in Bullæ concessione non habeatur expressè, tamen manifestè supponitur his verbis: *Conceditur ut dicto anno durante &c. vel in privato oratorio ad divinum cultum tantum deputato ab Ordinario visitando & designando, etiam tempore interdicti divina officia per se, vel per alios celebrari.*

Oratoriũ privatum ad celebrãdum ex

Ex quibus (inquit) ut in privato oratorio tẽpore interdicti celebretur. Ergo supponitur cõcessum alijs temporibus, utpote quod minus est, ex regula juris in 6. *Cui conceditur, quod est plus: conceditur quod est minus.* Tum ex illa dictione *etiam*, quam addit Bulla Latina, quæ casum difficiliorẽ, & magis dubitabilem exprimit: supponit tamen faciliorem, & minus dubitabilem, qualis erat

extra tempus interdicti.

Mihi tamen videtur omninò negandum, & assentiendum *Ægidio Triulench. in exposit Cruciatæ lib.1.§.3.dub.4.num.7.* tum quia praxis optima legum interpres id suadet: videmus enim in Lusitania nobiles & optimates pro privato oratorio suis in domibus obtinendo in quo Missa celebretur, recurrere ad Pontificem, & impetrare peculiaria diplomata; quod esset superfluum, si sufficeret Cruciata: tum quia (ut bene arguit *Trullen.citat.* Bulla conceditur indifferenter personis omnibus cujuscunque conditionis & status, etiam mediocris facultatis & infimæ sortis: & non est credendum voluisse Pontificem illis omnibus Bullam sumentibus concedere oratoriū privatum, inquo celebrari posset: cum hoc cederet in vilipendium tremendi sacrificij, & damnum parochialium Ecclesiarum.

1402. 2. Difficultas est, qualiter in privato oratorio jam per ordinarium visitato & approbato, in quo Missæ celebratæ sunt, concedatur per Bullam celebrari facere? Certum est ipso *Trullen.num.9.* annuente, posse habentem Bullā celebrare, vel celebrari facere in oratorio,in quo aliquando ex licentia Pontificis, Nuncij Apostolici, vel Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati, celebratum fuit. Dubium est, an ipso tali oratorio decenter conservato, in quo non dantur antiqua paramenta sacra, possit quis ad veniens novus habitator ædium, per Bullam celebrare, vel celebrari facere, si fiant nova paramenta convenientia, etiam si nec videantur, nec approbentur per Ordinarium?

Privatum oratorium ad Missam ex Cruciata.

Respondeo affirmativè, dummodo talia paramenta sint sacrata, vel benedicta a legitimo ministro juxta formam juris, *cap. Vasa, de consecr. d.1.& cap. Vestimenta, ead.dist.* Consentiunt *Azor tom.1.lib.10.cap.28.quæst.9.& Mascar.tracta 5. disp. 5.num.*340.355.372. Moveor, quia secundum jus commune *Cap.Nemo Ecclesiam de consecr.dist.*5. & Trident. sess.22. solum permittitur celebrari in templis & oratorijs publicis, quæ omninò sunt dedicata cultui divino & separata ab usu prophano cum alijs requisitis: unde cum Pontifex intendat virtute Bullæ concedere privilegiū ad celebrandum in oratorijs privatis, vult ut quamvis in omnibus non consentiant, saltem assimilentur in eo quod consecrentur Deo, & separentur ab usu profano, juxta illa verba, *In privato oratorio ad cultum divinum duntaxat deputatum ab ordinario loci approbando & visitando.* Quibus innuitur tali oratorio paramenta accessoriè venire: si quidem hæc per consecrationem, benedictionem ve censentur approbata.

Paramenta sacra ad oratorium.

Sequitur igitur, in eo quod oratorium persistat dicatum divino cultui, & separatum ab usibus profanis, consistere durationem suæ approbationis, & consequenter ea durante posse celebrari in illo sicut antea celebrabatur, etiam cum diversis ornamentis, & vasis, dūmodo sacra vel benedicta sint. Confirmatur 1. quia si post primam visitationem, & approbationem oratorij cum omnibus paramentis, aliqua successivè de novo fiant, præter suam accommodatam consecrationem vel benedictionem, non requirent aliquam ordinarij approbationem; ut cum illis in tali oratorio celebretur; ergo neque si omnia omninò de novo fiant.

Confirmatur 2. quia si dominus oratorij jam approbati petat mutua paramenta alicujus templi, cum quibus in eo celebretur, poterit cum his in privato illo oratorio celebrari; ergo similiter cum alijs, quæ diximus, noviter factis.

1403. 3. Difficultas est, utrum in oratorio privato semel per ordinarium approbato ad celebrandum, in quo conservatur eadem decentia, & idem ornatus, possit virtute Bullæ celebrari quocunque anni tempore, etiam in festis solemnissimis? Respondeo affirmativè cum *Eman. Rodrig. in addicion.ad §.5.num.4.Castro Palao tr.25.part. 6.num.2.Vasq.tom.3.in 3.part.disp.219.cap.5. num. 59.Trullench.lib.1.§3.dub.5.nu.3.* & novissimè *P. Eman.Mascarenhas tom.1.de Sacram. tract. 5. cap. 5. num.288.§.Probo 2.* Ratio est, quia oratorium semel approbatum. quandiu servat eandem decentiam & ornatum, servat eandem approbationem, ut expressè tenent *Quintanad.tom. 1.Theol. moral.tr.7.sing.32.num.4.& Hurt.resol.moral.tr. 12. cap. 1. num.* 2245. & patet 1. quia privilegium concessum alicui Ecclesiæ perseverat quandiu durat Ecclesia, ut docet Suar. lib.8. de legib. cap. 5.nu.6. Patet 2. quia approbatio data per Episcopum sacerdoti ad audiendas confessiones, durat absque limitatione temporis; ergo similiter approbatio oratorij in quo proinde virtute Cruciatæ potest celebrari absque limitatione tēporis.

Oratorij aprobatio quantum duret.

Quod etiam in festis solemnissimis, traditur expressè a *Rodrig.in addit ad Cruciat.§.5.num.1.Diana part.4.tr.4.resol.76.& Trullen.lib.1.§.3.dub. 4. nu.* 11.ubi dicit id nec ab Episcopo posse prohiberi. Ratio est, quia Bulla absolutè & absque ulla tēporis restrictione concedit celebrare, vel celebrari facere in privato oratorio per ordinarium approbato: indefinita autem oratio æquipollet universali. *Cap.Quia circa, de privil.*

Oratoria in festis solemnissimis.

Denique circa Missam est etiam in Bulla Latina hoc privilegium per hæc verba *Conceditur facultas Commissario, quod personis nobilibus, & quæ juxta ipsius arbitrium qualificatæ fuerint, ut Missas per horam ante lucem, & post meridiem audire, & celebrare facere valeant indulgere possit.* Ex quibus infert *Palaus part.6.num.* ex hoc privilegio posse Missam incoari duabus horis cum horis cum dimidia, ante solis ortum & prima hora post duodecimam, meridie, & hoc in sua, suorunque familiarium, domesticorum & consanguineorum præsentia. Unde cum Bulla solum faciat mentionem facultatis Commissarij ad celebrandam Missam una hora ante lucem, & una etiam post meridiem; non vero ad alia privilegia, videtur dicendum non requiri facultatem dicti Commissarij, ad hoc ut quisque habens Bullam celebret, vel celebrari faciat ab aurora usque ad meridiem etiam in festis solemnissimis.

QUÆS-

QUÆSTIO V.

Quanam & qualiter per Bullam concedantur privilegia tempore interdicti,

Concessiones quæ per Bullam fiunt tempore interdicti, ut innotescant, sequentes difficultates expediri debent. 1. Difficultas est, utrũ & quomodo per Bullam possit quis interdicto durante, Missæ & alijs divinis officijs adesse? Expidietur per resolutiones sequẽtes. Sit 1. resolutio. Sumens Bullam potest tempore interdicti audire Missam & alia divina officia in Ecclesijs in quibus aliàs divina officia, interdicto durante, quomodolibet celebrari permissum fuerit: item in oratorio privato, cujus privilegium habeat Missam celebrare, vel celebrari facere. Ita *Palaus tr. 25. part. 6. num. 4. & 5. & Trullench. citat. §. 3. dub. 2. num. 6.* Sumitur ex verbis Bullæ citatis num. 1401. & ex illis, *In Ecclesijs in quibus alias divina officia, interdicto durante, quomodolibet celebrare permissum fuerint.*

Interdictio tempore divinis adesse per Bullam.

1404. Pro resolutionis explicatione, nota 1. illum qui habet privilegium oratorij privati ad celebrandum, non posse illo uti tempore interdicti nisi habeat Bullam, quia in *Cap. Alma mater, de sent. excom. in 6.* solum conceditur quotidie celebrari, non in omni loco, seu in Ecclesijs & monasterijs, proindeque non in oratorijs privatis. Nota 2. hoc privilegium Bullæ non intelligi respectu clericorum, sed laicorum: quia clerici, quorũ nomine veniunt etiam solum tonsurati, & religiosi utriusque sexus, etiam novitij, ex jure habent assistentiam divinorum juxta *Cap. Alma mater.* Excipiuntur tamen clerici conjugati, nisi fuerint alicujus Ecclesiæ servitio addicti, & habuerint alia requisita ad gaudendũ privilegijs clericorum,

Clerici ad interdictum.

Maior dubitatio est, an privilegiũ quod concedit Bulla assistendi divinis officijs tempore interdicti, solum habeat locum in interdicto generali loci, minimè vero quando interdictum est particulare hujus vel illius Ecclesiæ? Affirmant communiter authores cum *Henriq. lib. 7. cap. 13. num. 3. Rodrig. §. 5. num. 4. in addi. ad §. 5. num. 2. Palaus cit. num. 5. Covar. 2. part. relect. in cap. Alma mater §. 4. num. 1. Vásq. tom 3. in 3. part. disp. 219. cap. 2. n. 43. Villalob. claus. 4. num. 14. & Trullen. cit.* Fundantur in verbis Bullæ: *in Ecclesijs, in quibus alias divina officia, interdicto durante, quomodolibet celebrari permissum fuerit.* At per jus, *Cap. Alma mater,* solum permittuntur divina officia tempore interdicti generalis loci, non vero tempore interdicti specialiter interdicta.

Interdictũ generale & speciale ad Cruciatam.

His omnibus libenter acquiesco, prout loquuntur exponentes Bullam Castellanam in ordine ad terras & dominia pro quibus conceditur. At si loquamur de Bulla Lusitana, quæ conceditur in ordine ad totum regnum, & monarchiam Lusitanorum, dicendum omninò est virtute illius posse sacerdotes celebrare, & laicos Missam audire etiam in Ecclesia specialiter interdicta, dũmodo servẽtur moderationes *Cap. Alma mater,* ut nẽpe Missa dicatur summissa voce, januis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis. Ita senserunt doctissimi Olysipone consulti, quorum ego litteras & judicium magni pendo.

Cruciata Lusitana in interdicto.

1405. Moveor, quia Bulla Lusitana in hoc loco a Castellana differt. quia absolute loquitur de interdicto nulla facta distinctione, vel restrictione: *In locis (inquit) interdicto, quavis etiam authoritate Apostolica suppositis:* & statim subdit: *Et tempore interdicti hujusmodi divinis interesse.* Loquitur igitur per indefinitam, quæ æquipollet universali *l. si ita relictum ff. de legat. 2.* Deinde ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus *Cap. permittimus, de sent. excom. in 6.* Item quia privilegiũ Principis est latissimè interpretandũ *cap. olim, de verb. signis. l. beneficium ff. de constit. princ.* præsertim quando non affert. Confirmatur 1. efficaciter, quia omne privilegium debet aliquid operari, ut est vulgare pricipium: Si autem privilegium Bullæ ad celebrandum, & assistendum officijs divinis solum haberet locum tempore interdicti generalis localis, nihil omninò operaretur, saltem quoad clericos: hi enim ex jure cõmuni in *cap. Alma mater,* possunt tempore interdicti generalis localis celebrare, & officijs divinis assistere. Confirmatur 2. quia juxta *Suar. de cens. disp. 34. sect. 2. num. 1. & Avilam de cens. part. 5. disp 4. sect. 2. lib. 1. §. 2. notandum* totum fundamentum quo nituntur ad asserendum facultatem cõcessam a jure in *cap. permittimus, de sent. exam.* ad celebrandum unum sacrum singulis hebdomadis pro conficienda Eucharistia pro infirmis servanda, extendi ad Ecclesiam specialiter interdictam, est quia textus absolute loquitur. Similiter juxta *Trullen. lib. 1. §. 3. dub. 10. num. 5.* & alios ideo resolvitur tempore interdicti posse defunctos sepeliri in Ecclesia specialiter interdicta: quia Bulla (inquiunt) absolute loquitur, ut mortuorum corpora sepeliri possint, & non limitat excipiens Ecclesias specialiter interdictas; ergo sic dicendum in nostro casu.

2. Resolutio. Habens Bullam potest tempore interdicti secum afferre suos familiares, domesticos & consangineos, ut secum Missam audiant, quanvis ipsi Bulla careant. Ita *Henriq. lib. 7. cap. 13. num. 3. Rodrig. §. 5. Palaus nu. 7. & 8. & Trullen. dub. 3. num. 1.* Habetur expresse in Bulla Latina: *In sua (inquit) ac familiarium, & domesticorum, ac consanguineorum suorum præsentia, Missas, & alia divina officia, per se ipsos, presbyteri fuerint celebrare, vel per alium celebrari facere, & tempore interdicti divinis interesse.*

Familiares ac domestici ad Bullam.

Per famaliares & domesticos *Palaus, & Trullen. citati* rectè intelligunt illos famulos qui dominum, vel dominam suam comitari solent, etiam si don habitent. Addunt, si ex dictis aliqui absint, vel ægrotent, posse totidem assumere, ne privatus decenti ac debito comitatu incedat. Notant si dominus habeat plures familiares, & cum aliquibus audivit sacrum, non posse reliquos

reliquos aliud audire domino absente: secus, si dominus cum illis velit aliud sacrum audire. Addit *Trullen.num.* 3. probabile esse Magistros ob privilegium Bullæ, posse secum deferre discipulos ad Ecclesiam, ut sacrum audiant, quãdo eos cum periculo relinquere nequeunt.

Familiares ad privatum oratorium

1406. Dubium est an familiares & consanguinei possint in privato oratorio sacris interesse absente domino, qui Bullam habet? Negant *Villal.*1.*part.trat.*27.*clauf.*4.*num.*16. & *Rodrig.*§.5. *num.*5. Quia privilegium accessoriè conceditur in gratiam sumentis Bullam. Affirmandum tamen est cum *Salas quæst.*19.*post princ.*& *Palao n.* 9. quia non esse omninò requisitam domini præsentiã in privato domini oratorio, innuitur per verba Bullæ. *Poterit* (inquit) *tempore interdicti, etiam in Oratorio celebrare vel celebrari facere in sua, & familiarium, & domesticorum, & consanguineorum præsentia.* Ergo sicut in sua, ita in presentia illorum.

Consanguinei ad Bullam.

Per consanguineos intelligit *Henriq. lib.*7.*de Indulg.cap.*13.*num.*2. uxorem, filios, patrem, & matrem. Quia concessio non videtur extendenda ultra primum gradum. Rectius tamen *Villal. clausul.*4.*num.*16.*Rodrig.*§.5.*num.*5.*Palaus num.*8.& *Trullen.dub.*3.*num.*5. dicunt intelligi omnes cognatos usque ad quartum gradum lineæ rectæ & transversalis: sic enim consanguinitas usque ad quartum numeratur ab Ecclesia ad dirimendũ. At neque maritus & uxor, neque alij affines nomine consanguineorum veniunt.

Familiares ad interdictum

Si occasione præcedentis dubij quæras, an veniant nomine familiarium in ordine admittendæ ad divina in interdicto puellæ nec religiosæ, nec novitiæ, quæ habitant in monasterjis eo fine, ut postea religiosæ fiant? Videtur affirmandum ex *Barb.de Appel.verb. Ap.* 56. Sed oppositũ innuit *Suar.tom.*4.*de relig.trat.de societat.lib.*9.*cap.*4.*num.*14.

Sacramentorum ministratio per Bullam.

2. Difficultas est utrum virtute Bullæ concedatur tempore interdicti localis susceptio Eucharistiæ, & aliorum sacramentorum? Pro resolutione observa tempore interdicti esse prohibitum ministrare tria tantum sacramenta, scilicet Eucharistiam, Ordinem, & extremam unctionem. Reliqua enim quatuor, nempe baptismus, confirmatio, pænitentia, & matrimonium non prohibentur.

Eucharistia tempore interdicti

Resolvimus igitur cum *Henriq.lib.*7.*cap.*13.§.4.*lit.S. Lopez cap.*6 *de Bulla Ludovico a Cruce disp.*1.*cap.*5 *dub.*5.*num.*1.*Palao num.*13.& *Trullen.dub.*7.*nu.*3. habenti Bullam concedi, ut possit tam in Ecclesia quam in oratorio Eucharistiam, præterquam in Pascha, idest per communionem paschalem, tempore interdicti recipere: item ordinem, & extremam unctionem.

1407. Circa quæ *Trullench.dub.*7.*a num.*4. *notat* 1. Eucharistiam virtute Bullæ sumi posse in Oratorio approbato, non solum tempore generalis interdicti, sed etiam extra illud. Notat 2. posse Eucharistiam tempore generalis interdicti loci ministrari & sumi, non solum in oratorio, sed etiam in Ecclesia generaliter interdicta. Notat 3. & si concedat Pontifex, ut per annum tã tempore interdicti, quam extra illud, ministretur Eucharistia in oratorio, prohibere tamen ne in eo in die Paschæ alicui conferatur. Per diem Paschæ intelligitur tempus Paschale illud nempe in quo impletur præceptum cõmunionis.

Rogabis 1. an qui Paschalis communionis præcepto jam satisfecit, possit virtute Bullæ in Oratorio ipso die Paschatis ex devotione accipere Eucharistiam? Negat *Trullench.citat.num.*8. & 9. *cum Navarro cap.*21.*num.*52.& *Azorio tom.* 1. *lib.* 7. *cap.*30.*quæst.*7. negantibus posse regulares ex vi suorum privilegiorum ministrare tempore Paschali Eucharistiam sumentibus ex devotione: quæ ratio omninò militat in privilegio Bullæ ad dandam Eucharistiam in oratorio.

Mihi tamen videtur affirmandum cum *Suar. in* 3. *part. quæst.*82. *art.*3.*disp.* 72. *sect.* 3. §. *Censeo igitur.*& *Rodrig.tom.*1.*quæst.*56. *art.* 3. *ver. ad hanc* affirmantibus posse regulares per suum privilegium ministrare Eucharistiam die Paschatis illam sumentibus ex devotione. Consentiunt *Filiucius tom.*1.*trat.*4.*cap.*9.*nu.*265.*Fagund.in* 3. *præc. Eccl.lib.*5.*cap.*5.*num.*9. & *Ludov. a Cruz in Cruciata disp.*1.*cap.*5.*dub.*6.*num.*11. Quia mens Pontificis concedentis hoc privilegium fuit, excipere Paschalem communionem, non materialiter, idest, quæ in die Paschatis fit, sed formaliter, prout est præceptum in lege quæ præcipit semel in Paschate communicare; ergo eodem modo intelligitur facta exceptio in dicto privilegio Cruciatæ.

Eucharistia in Paschate per Bullã

Rogabis 2. utrum ex dicto privilegio Bullæ possit quis recipere Eucharistiam a quolibet simplici sacerdote, a quo alias de jure non posset? Negant aliqui authores moderni cum *Villalob.*1. *part.summæ trat.*27.*clauf.*4. in fine. Quia ex affirmativa resolutione sequeretur posse etiam recipere extremam unctionem a quolibet sacerdote, & ordinem a quolibet Episcopo: quod absurdum est.

Rectius tamen affirmant *Suar.tom.*3.*in* 3.*part. disp.*72.*sect.*2.*Lasq.tom.*3.*in part.quæst.*77.*disp.*219 *cap.*5.*a num.*47.& *Palaus tr.*25.*part.*6.*num.*15. Ratio est quia hujusmodi privilegium sumendi Eucharistiam a quocunque sacerdote, non solum datur pro tempore interdicti, sed etiam extra interdicti tempus: si autẽ extra interdicti tẽpus non esset privilegiũ sumendi Eucharistiã a quolibet simplici sacerdote prout sit nullum esset: cũ sine privilegio possit quis a sacerdote proprio Eucharistiam recipere. Neque ex hoc infertur posse recipi alia sacramenta a quolibet ministro.

1408. Illud notat *Palaus cit.num.* 17. ad fruendum hoc privilegio duo requiri, alterũ quod quis interdicto causam non dederit, neque per ipsum stet, quin tollatur: alterum ut quoties privilegio velit uti, preces fundat pro victoria cõtra infideles, & pace inter Christianos Principes. Prior conditio omninò requiritur, non ita posterior.

3. Diffi-

Benedicti ones nuptia es ad Bullam. 3. Difficultas est, an tempore interdicti habẽti Bullam conferri possint benedictiones nuptiales? Non esse prohibitum matrimonium tempore interdicti, bené docent *Sylvester V. Interdictum 5. quæst. 7. part. 5. Henriq. cap. 45. num. 3. & Covar. cap. Alma mater 2. part. §. 2. num. 7.* sunt tamen prohibitæ benedictiones nuptiales, nisi fiat cum ijs circunstantijs, quibus licité celebrari potest.

Benedictionum nuptialium tempus. Cum veró benedictiones nuptiales sub divinis officijs contineantur, ut recté monent *Suar. de interdicto disp. 33. sect. 1. nu. 4. & Avila dub. 6. concl. 4.* dicendum est cum *Trullen. cit. dub. 9. nu. 1. & Palao num. 12.* per Bullæ privilegium licitum esse tempore generalis interdicti loci accipere benedictiones nuptiales tum in Ecclesia, tum in oratorio, dũmodo non fiant intra tempus a jure cõmuni prohibitum, quale est a prima die adventus usque ad Epiphaniam inclusivé, & a die cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusive, & illas accipientes non dederint causam interdicto, nec per ipsos stet quominùs amoveatur.

Sepultura per Cruciatam. 4. Difficultas est quid per Cruciatam liceat circa sepulturam? Nota ex *Suar. de censuris disp. 35 sect. 1. num. 26.* jure communi prohibitam esse sepulturam Ecclesiasticam tempore interdicti generalis aut specialis, localis vel personalis in Ecclesijs vel cæmeterijs loci interdicti. Quæ prohibitio usque ad pueros usu rationis carentes extenditur.

Conceditur igitur per Bullam, ut qui illam habet, si moriatur possit sepeliri in loco sacro cũ moderata pompa funerali. Unde laicus adultus, puer ante usum rationis, amens, & phreneticus poterunt sepeliri in loco sacro cum moderata pompa funerali. Unde laicus, puer ante usum rationis, amens, & phreneticus poterunt sepeliri in loco sacro dummodò in ipsorum vita fuerit Bulla suscepta, etiam pro amentibus & phreneticis, & pueris: hi enim habent voluntatem interpretativam, quia licét non voluerint actu, præsumit Ecclesia, si discursum habuerint, liberé volituros. Non memini de clericis: quia clericus absque privilegio, nisi ipse sit interdictus, potest in loco sacro sepeliri. Quid intelligatur per moderatam pompam, respõdent *Villal. claus. 5. & Rodrig. §. 5. nu. 13.* intelligi, si ter tantum pro viris, bis pro fæminis pulsentur cymbala, & more solito apertis januis officium defunctorum canatur, excepta Missa ex declaratione Leonis X. Rectius *Palaus nu. 19.* asserit standum esse cõsuetudini receptæ, & Episcopi, si adsit, declarationi; sin minus, parochi.

Cessatio divinis ad cruciatã. 1409. 5. difficultas est, an dictum privilegium pro interdicto extendatur ad cessationem a divinis? Videbitur alicui affirmandum ex *Clem. 1. §. Quod etiam & §. in cessationibus decent excom.* ubi interdictum generale æquiparatur cessationi a divinis. Videntur igitur privilegia pro tempore interdicti extendi ad cessationem a divinis.

Negandum tamen est cum *Henriq lib. 7. de indulgentia cap. 30. num. 2 Navarro cap. 27. num. 189. Suar. de censur. d. 38. sect. 2. num. 11. Rodrig. §. 5. num. 8 & Avila de cessat. a divinis disp. 7. dub. 5.* Ratio est, quia in cessatione a divinis ita sistitur in omnibus divinis officijs, ut solum permitatur celebrari semel in hebdomada per sacerdotem cum suo ministro assistente, & concessio *Cap. Alma mater*, juxta *Suarium & Avilam*, citatos non datur in cessatione a divinis; ergo nec privilegium interdicti.

QUÆSTIO VI.

Qualiter per Bullam concedatur privilegium edendi cibos vetitos?

Nomine ciborum vetitorum, sive in quadragesima, sive extra illam in diebus jejunij, item feria sexta & sabbatho in hebdomadis per annum, venite esum carnium, ovorum & lacticiniorum, planum est. Quanta veró & qualis sit, & existat hodie illorum prohibitio, resolvimus tract. sect. 2. quæst. 3. & 4. Superest modò ut exponamus privilegium Cruciatæ circa hos cibos. *Ciborum prohibitorum ejus per Cruciatam.*

Quod attinet ad esum carnium, Bulla expressè concedit ut quibuscunque diebus prohibitis sive in Quadragesima, sive extra illam possit quis comedere carnes, non quidem ad libitum, sed de utriusque medici, corporalis & spiritualis consilio. Nomine medici spiritualis (inquit *Palaus tr. 25. part. 8. num. 2.*) non venit solum Episcopus, & parochus qui remoto privilegio possunt ex causa cum subditis dispensare juxta *Lessium de just. lib. 4. dub. 6. num. 45.* sed etiam quicunque confessor electus legitimé per Bullam, ut cum varijs tenet *Ioan. Sanchez in selec. disp. 51. nu. 11.* qui bené addit ad hujusmodi dispensationem opus non esse confessionem audire, cum sufficiat approbatum esse ut audiat. *Medicus spiritualis quis.*

1410. Major est difficultas exponere quid hujusmodi privilegium operetur? Nam quando alicui constat sibi nocere graviter quadragesimales cibos, potest vesci carnibus absque ulla dispensatione, & medici consilio. Quia excusatur a legis obligatione: quando igitur non constat de gravi illo nocumento, quod quidem dubium est; cum doctrina communis ex *S. Thoma 2. 2. quæst. 147. art. 4. cap. 2. dub. 6. num. 45. & Filliuc. 2. part. trat. 27. cap. 6. num. 126.* contra *Ioan. Sanch. in select. d. 51. num. 9.* statuat teneri quempiã lege jejunij, quæ in dubio possidet, tunc privilegium Cruciatæ operatur, ut assistente medico corporali dati tale dubium, possit quis ex consilio medici spiritualis vesci carnibus. *Carnium privilegium per Bullam.*

Dubium est 1. an si uterque medicus judicet tibi sufficere ad sanitatem, unicam carnis comestionem, pecces motaliter bis aut ter, si ultra illam comestionem bis aut ter carnem edas? Affirmat *Ioan. Sanch. disp. 51. select. num. 14. & 15.* Probat, quia cum præceptum abstinendi a carnibus sit negativum, obligat per totam illam diem singulis horis & momentis, itaut non habens excusationem peccet illud frangendo; ergo quacunque illius diei hora quis sine necessitate edat car-

carnem peccabit.

Hæc sententia (ut rectè monet *Palaus part.8. §.16.*) quamvis omninò consulenda sit, & in praxi servanda, at raró servatur, & non levibus scrupulis est exposita. Et certé infirmus lecto decumbens & continua febri laborans a nemine prudenter damnabitur, si ultra unam carnis comestionem, quæ sufficiens est, aliam habeat. Resolvit igitur, & quidem non improbabiliter, hoc præceptum quâ negativum est, & horas omnes ciet afficit, afficere solos sanos, & non infirmos. Quia in infirmis semper durat ratio excusationis, quæ est nocumentū ciborum quadragesimalium, quæ non datur in sanis.

1411. Dubium est 2. an deobligatus abstinere a carnibus teneatur servare legem jejunij unica carnium comestione? Dubium est 3. an dispensatus ad esus carnium, possit simul cum carnibus pisces edere? Sed has & similes dubitationes jam resolvimus supra *tract.* 35. *de jejunio.* Vide interim *Palaum* proximé citatum *a num. 7. & Trullent. de Cruc. lib.1.§.4.dub.2.*

Quod attinet ad esum lacticinorum & ovorum, suppono esse cibos vetitos in diebus jejunij quadragesimalis, & etiam diebus Dominicis ejusdem quadragesimæ, non verò in alijs diebus extra quadragesimam, in quibus esus carnium prohibetur: de quo jam diximus *tr.35.sec.2.q.4.* Quærimus modó an & qualiter liceat per Cruciatam? Respondeo 1. concedi sumentibus Bullam, ut in omnibus diebus prohibitis etiam quadragesimæ possint ad libitum vesci ovis & lacticinijs, sed non lardo, aut sagimine, vulgo *manteyga de porco*: his enim non licet uti (inquit *Palaus tr.24. part.7. §. 2. num.* 4. nisi in partibus ubi consuetudo fuerit recepta, sicut fertur esse in Gallecia & Peru propter defectum olei.

Lacticinorum & ovorum esus per Cruciatā

Lardi & sagminis esus per Bullam.

Respondeo 2. cum *Palao num.5.* concedi hoc privilegiū solis existentibus in regnis Hispaniæ, & non extra, etiam si in Hispania Bullam sumpserint, Quod constat ex verbis Bullæ: *Item, ut dicto anno durante, in omnibus & singulis regnis &c. & non extra illa* Respondeo 3. cum eodem *num. 6.& Trullen.dub.2.* ab hoc privilegio in Bulla Castellana & Latina excipi Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & alios inferiores prælatos, item regulares, & qui in ordine presbyteratus fuerint etiam seculares, nisi sexagenarij fuerint. Constat ex verbis Bullæ. Dixi (in Bulla Castellana & Latina Quia in Bula Lusitana nulla talis exceptio fit, ac proinde privilegium in Lusitania comprehendere omnes dictos Ecclesiasticos qui per Castellanam excipiuntur in Castella.

Notabis 1. cum *Palao n.6.* hanc exceptionē Bullæ Castellanæ habere locum in solis diebus quadragesimæ, & non in alijs vetitis extra illam, sive oriatur prohibitio ex jure scripto, sive ex cōsuetudine. Notabis 2. cum eodem, nomine regularium, ut excludantur a privilegio, venire omnes religiosos utriusque sexus, sed non novitios: quia hæc restrictio odiosa est: unde novitij ad hoc privilegium habentur sicut seculares. Nō veniunt etiam fæminæ quæ non obligantur votis solemnibus degentes extra clausuram, vulgo dictæ *Beatæ.* Similiter Eremitæ nullis religionis votis obstricti. Item omnes cōmendatarij uxorati, & omnes Militenses, seu Equites S. Ioannis, denique omnes presbyteri sexagenarij. Nam hi omnes Bullæ privilegio fruuntur.

Regulares & presbyteri ad ova & lacticinia

Novitij ad privilegiū.

1412. Utrum in sententia asserente in Dominicis quadragesimæ prohiberi esum ovorum, lacticinorum, liceat illis vesci in prædictis Dominicis personis exclusis a privilegio edendi ova & lacticinia in quadragesima? Negant *Henr. lib. de indulg.cap.13.num.10.Rodrig.in explic.Bullæ §. 6. num.8.Villal.claus.7.num.11.& Ioan. Sanch.disp. 52. num.25.* ubi testatur se vidisse super hac re declarationem Gregorij XIII.

Nihilominus affirmativam partem satis probabilem existimant *Corduba in sum.q. 8. fol. 437. Nuno Cabezudo de pæn.in exposit. Bullæ §. 8. dub. 5. & Anton.Gomez in explic.Bullæ claus.7.num.7.* Ratio est quia per dies quadragesimales non intelligun tur hodie Dominicę, quāvis olim intelligerentur Cum enim olim inciperet Quadragesima a prima tamē Gregorius Dominicas a quadragesima subtraxit, & loco illarum addidit quatuor dies Dominicę quinquagesimæ, & duos ex hebdomada Sancta. Habetur in cap. *Quadragesima, de consec.dist.5.* jur cto *c.denig, dist.4.* Propter hæc judicat *Palaus n.9.* hanc opinionem sequi posse.

Quadragesima quid.

SECTIO. III.

De facultate eligendi confessarium per Bullam, & de potestate confessarij per illam electi.

QUÆSTIO I.

Quisnam dicatur confessarius idoneus ut eligatur per Cruciatam?

CRuciata in §.7. sic habet: *Conceditur ut possint eligere confessorem secularem, vel cujuscunque etiā Mendicantium ordinum regularem, ex his qui ab Ordinario, & quoad regulares semel tantum approbati fuerint.* Igitur Summus Pontifex in hoc §. concedit facultatem eligendi confessorem ab ordinario approbatum. Ut veró intelligamus qualis sacerdos sit eligibilis per Bullam ad confessiones audiendas, videndum est quid sit illa approbatio, a quo prælato impendenda, & quomodo censeatur impensa, de quo satis egimus tract. 39.sect.5,

Confessarius per Bullam eligibilis qui.

1413. Dubium est 1. a quonam Ordinario illa approbatio impendi & debeat, ut confessarius sit eligibilis per Bullam? Ratio dubitandi est triplicitas ordinarij approbantis. Nam approbans esse potest vel ordinarius loci, in quo fit confessio, vel ordinarius pænitentis, vel ordinarius confessarij. Quodruplex in hoc dubio satis probabilis versatur opinio. Prima est requiri approbationem Ordinarij ipsius confessarij. Ita

Approbatio a quonam Ordinario.

Suar.

Suar. tom.4. in 3.part.disp.28.sect.6.num. 6. Ægidi. Bellamus disp.8.de ministro pænit.dub.7.num.50. & Palaus trat.24.part.7.§.1.nu 1. Quia approbatio est actus jurisdictionis, quæ proinde respicit subditum confessarium, cui impenditur.

Secunda opinio est, requiri approbationem collatam, ab ordinario ipsius pænitentis. Ita Lopez cap.8.de Bulla in princ. Rodrig.§.9.dub.2 num. 5 Gutier.in lib.Canon.cap 27.num 6.& Ludov.a Cruz in exposit Bullæ disp.1.cap.2.dub.25. Fundantur in quadam declaratione Cardinalium, quæ data fuit ad instantiam Dom. Ioan. a Ribera Archiepiscopi Valent. Tertia opinio est requiri approbationem ab Ordinario loci, ubi facienda est confessio. Ita D. Roterius a Cumba in addition. ad §.9.num.13.fol.55.& Fragosus de regimen. part. 2. lib.2.disp.7.num.10. Et videtur fundari, quia sicut in jubilæo postulatur approbatio conferenda per ordinarium loci, ita in Cruciata.

4. Nihilominus opinio est asserentium sufficere approbationé cujuslibet Ordinarij, sive loci, sive pænitentis, sive confessarij: Ita Henriq. lib.7. Indulg cap.12.num.4. Emman. Sà V.confessor num.16. Ledesma in sum.trat de pænit.cap.13.concl.1.dub.7. & acerrimé Vallerius V. absolutio diff.1.1.num.1. & hæc mihi plus arridet. Ratio est, quia nec Bulla, nec concilium limitarunt, designantes certũ Ordinarium, sicut fit in jubilæo; non debemus igitur in privilegio, quod latè interpretari debet, adhibere limitationem.

Dubium est 2. qualis parochus, & qualiter sit eligibilis? Constat quemlibet actualiter parochum, simpliciter & absolutè approbatum posse intra suam diœcesim eligi per Bullam etiam ab alienis ovibus. Dubitatur de tali parocho, an possit ubique terrarum eligi? Negat Gutier.lib. 1. quæst.9.canon.cap.17.num.21. Affirmandum tamé est cum Henriq. lib. 3. de pænitent. cap. 6. numer. 7.lit.A. Suar.tom.4. in 3. part.d.28.sect.4.num. 18. & Trullent.de cruc.lib.1.§.7.cap. 1.dub.4.num. 3. & Reginald.tom.1.lib.1.cap.15.quæst.3.num.187. Ratio est, nam ex ipso quod parochus absolutè judicatus idoneus ad beneficium parochiale, hoc habet, censetur absolutè approbatus ut ubiq; cõfessiones audiat, etiam alienarũ oviũ, si ipsi cõferatur jurisdictio, qualis confertur per Bullam.

Parochus eligibilis per Cruciatam.

1414. Dixi (actualiter parochum) quia si beneficiũ dimisit per renunciationé, vel amisit per sententiam, non potest validé eligi per Bullam, ut bené resolvit Trullent.citat.num.4. cum multis Diana trat.11.resol.8. contra Villalob.de pæn.trat. 9. diff.55.num.5. & alios. Idem procedit, si per justam sententiã sit suspensus a beneficio, seu jurisdictione: quia licét privatus beneficio non sit, est tamé justé impeditus. Addit bené Trullent. cit. num.5. esse eligibilé parochũ intrusum, qui népe occultè excõmunicatus adeptus est parochiale beneficiũ, ad quod habet titulũ coloratũ. Hic enim potest eligi etiam a cognoscente excõmunicationé dũmodo inducendo non peccet. Et sic de alijs, similiter intrusis. Quid si parochus injuste beneficio privetur, vel absolute approbatus injusté reprobetur? Acosta quæst. 40. dicit eligi posse, & hoc probabile reputat Cruz.p.2.de pen. q. 5.dub.8.cap.4.

Dixi (simpliciter & absolute approbatus) quia si stricté & pressé sit approbatus, seu judicatus idoneus cum limitatione ad tales parochianos ob loci asperitaté, & fructuũ tenuitaté, hic non est eligibilis ubique: poterit tamen a consimilibus eligi, ut tenet citatus Trullen.n.4. ex Ledesma dub.7. Quid de prælato regulari non approbato ab ordinario: potest ne eligi per Bullam, tanquã verus parochus. Affirmant Sanches Gallus & alij apud Hen.lib.5.c.6.n.2. & novissime Bossius de jubil. sect.3.casu 2.§.2.n.53. Negandum tamen est cum Suar.de pæn.d.28.sect.8.n.2. Quia talis prælatus nõ habet beneficium parochiale, quale exigit Trid.

Dubium est 3. an & qualiter sit eligibilis approbatus, sed non simpliciter & absolute, utpote cum restrictione ad loca, personas, vel tẽpus? Respondeo 1. approbatũ ad certũ locũ, vel certas personas, si absoluté & simpliciter sit approbatus, seu judicatus absoluté sufficiens, pius, & doctus, posse virtute Bullæ eligi in alio loco, & ab alijs personis. Ita ex Henr.lib. 3.de pen.cap.6.n.8. Trullen.cit.n.6. Quia licet tunc jurisdictio Episcopi sit limitata, tamen approbatio est ampla, & non stricta, cum sacerdos (ut suppono) credatur pius, doctus, & prudens. Vide Dian p.1.tom. 10. resol.93. Respondeo 2. cum Henr.lib.3.de pæn. c. 6.n.3.& Ledesma de pæn cap.13.concl.1. dub. 9. si sacerdos approbetur cum limitatione ad certũ locum, & certas personas, quia non reputatur absolute sufficiens in doctrina, prudentia, vel pietate, per Bullã non manere eligibilé ubiq; & ab omnibus. Quia talis non censetur absoluté, & simpliciter approbatus. Notat verò Ludov.a Cruz. cum varijs disp.1.c.2.dub.9.n.7. posse talé eligi a consimilibus, & non habentibus difficilia negotia. Quia ad hos censetur idoneus.

Approbatio sacerdotis ut eligatur per Bullam

1415. Respondeo 3. cum Rodrig. in addit.ad § 9.n.3.& Trullen.dub.3.n.7. contra Acosta approbatũ per annũ, si absoluté sit aprobatus absq; alia restrictione posse eligi indifferenter intra annũ virtute Bullæ, elapso tamen anno, eligi validè non posse. Nam talis æquiparatur parocho, cujus eligibilitas & approbatio tandiu durat, quandiu parochia. Sic illius approbatio cum tempore, cui adstricta est, labitur. Quid si approbatus ab Ordinario reveta idoneus non sit, & hoc constet evidenter? Qui bona fide reputat eum idoneum, potest eum validé eligere. Non enim tenetur examinare illius idoneitaté, sed potiús credere, quandiu de opposito sibi non constat. Secús si reputet in sufficienté. Quia tunc peccabit eligẽdo, & ad sacramentum cooperando.

Dubium est 4. Utrum & qualiter sit eligibilis per Bullam sacerdos regularis? Respondeo cũ Trullen.citat.dub.3.num.9. Sacerdoté regularé, etiã ex Mendicantibus dumodó ob ordinario sit approbatus, posse eligi virtute Bullæ constat manifesté ex verbis Bullæ. Ibi Secularé. vel cujuscunq; etiã Mendicantiũ ordinũ regularé. Addit bené ex Lopez cap.8.

Regularis sacerdos eligibilis per Bullam.

cap.8.de claribus, nomine regularium ad talem effectum, venire Mendicantes, etiam si hi non exprimirentur in Bulla.

Illud cum *Rodrig.§.9.num.31.&32.* rectè obſervat *Palau cit part.7.§.1.num.4.* regularē ſemel approbatū in unico Epiſcopatu, eligi poſſe virtute Bullæ in illo Epiſcopatu, ſive juſte ſive injuſtè approbatio revocetur. Sumitur ex Bulla Latina ſic habente: *Quoad regulares ſufficiat, quod talis confeſſor fuerit ſemel approbatus.* Illud certé obſervandū eſt ex Trident. ſeſſ. 23. cap. 15. nullū regularem, quātūvis a ſuis prælatis approbatum ad ipſorum regularium confeſſiones audiendas, poſſe validé confeſſiones ſecularium audire niſi ab Epiſcopo, ſeu Ordinario approbetur.

Maior eſt difficultas, utrum regularis ab uno Epiſcopo approbatus poſſit virtute Bullæ a quovis, & ubique eligi? Negativam ſententiam defendit *Suar. de pæn. diſp. 28. ſect.7. num.8 &10.* quatenus affirmat regularem approbatum a ſuo ordinario Epiſcopo, ſi mutet quaſi domicilium, ſeu habitationem in locum alterius diœceſis, indigere nova approbatione Epiſcopi illius diœceſis, ut poſſit eligi per Bullam. Addit tamen ſi religioſus ille approbatus nō mutet illud domicilium, ſeu habitationem & peregrinetur per varias diœceſes, poſſe in illis a quovis eligi virtute Bullæ; quia adhuc per conſervationem habitationis retinet approbationem. Ita ſentit *Ludov. a Cruce d.1.cap.2.dub.15.* & quidē probabiliſſimé.

1416. Nihilominus valde probabilis & tuta eſt ſententia affirmans regularem ab aliquo ordinario abſoluté & ſimpliciter approbatum manere ubique per Bullam eligibilem, abſque alia approbatione, etiam ſi domicilium mutet. Ita expreſsé *Trullent. cap.1. dub.5. num.7.* & videtur eſſe de mente illorum, quos num. 1413. ſequuti fuimus aſſerentes ſufficere cujuſlibet ordinarij approbationem, ut ſacerdos per Bullam eligi poſſit. Vide *Dianam part 1. tr.11. reſol.7. & 12. & part.5. tr.12. reſ.52.*

Approbatio regularium ad cruciatam. Dubium eſt 5. an regularis præſentatus a ſuo prælato, & ab Epiſcopo approbatus ſit eligibilis per Bullam, poſtquam ei a ſuo prælato prohibitum ſit confeſſiones ſecularium audire? Reſpondent *Lopez de Bulla cap.8.pag.819 Rodrig. in addit. ad §.9. num.7. & Ioan. da Cruz de ſtatu relig. c. 6. dub.2.* ſi talis regularis ob cauſam fuit juridicé a ſuo prælato per ſententiam privatus juriſdictione & approbatione, non poſſe eligi per Bullam: quod ſi eligatur irritas manere confeſſiones: ſecus ſi mandato ſimplici prohibeatur.

Nihilominus *Trullen. citat. lib.1. §.7. cap.1. dub. 6. num.7.* affirmat confeſſores regulares ab ordinario approbatos, quoad ſeculares, ſive a ſuis ſuperioribus prohibeantur per ſententiam, ſive per ſimplex mandatum ne audiant confeſſiones ſecularium, poſſe per Bullam validé eligi. Addit ex *Villalob part.1. trat.9. diff.50. num.4. & Diana tr. 11. reſol.13.* in fine poſſe talē etiā ſine Bulla audire validé ſeculariū confeſſiones, virtute approbationis & juriſdictionis ab ordinario conceſſæ.

Quid ſi regularis a prælato ſuo non ſit præſentatus, & ab Ordinario approbetur? Poterit ne audire confeſſiones ſecularium virtute Bullæ? Negat *Rodrig. tom.1. quaſt.7. regul. quaſt. 60. art.3.* exiſtimat enim talem approbationem fore invalidam. Quia jus commune medio prælatorum conſenſu ſua privilegia cōmunicat regularibus. Accedit quia Epiſcopi quando approbant, videntur conferre talem poteſtatem regularibus dependenter a proprijs ipſorum prælatis præſentantibus.

1417. Nihilominus partem affirmativam judicat probabiliſſimam *Trullent. cit. num.8.* eamque cum *Salas de leg. d.16. ſect.10. num.43. Pitigiano* & multis alijs defendit *Diana part. 1. trat. 11. reſ.13.* Ratio eſt quia talis habet omnia requiſita, nempe poteſtatem ordinis, approbationem ab Ordinario, & juriſdictionem a Pontifice virtute Bullæ; ergo validé conferet ſacramentum pænitentiæ: ilicité tamen, utpote agens contra ſui prælati obedientiam. Graviter ne an liviter? Iudicandum erit ex vi ſuarum conſtitutionum ſic vel ſic obligantium.

QUÆSTIO II.

Qualiter confeſſarius electus per Bullam poſſit abſolvere a peccatis?

Conſtat ex verbis Cruciatæ, ut cum *Acoſta quaſt.63.* expendit *Palaus tr.24. part. 7. §. 1. num.4.* confeſſarium legitimé per bullam electū poſſe abſolvere ab omnibus peccatis quæ Sedi Apoſtolicæ reſervata non ſunt, etiam ſi fuerint reſervata Epiſcopis, vel alijs prælatis toties quoties intra annum Bullæ ſumptæ: a reſervatis veró Sedi Apoſtolicæ, excepto crimine hæreſis, ſemel tantum in vita, & ſemel in articulo mortis. Quia crimen hereſis (ut inquit *Trullem. cap.2. dub.7. num. 7.*) excipitur in Bulla Caſtelana, & intelligitur etiā de hæreſi occulta per accidens. *Abſolutio à peccatis per cruciatam.* *Hæreſis abſolutio per Bullā*

Dubium eſt 1. circa modum abſolvendi ſemel in vita, & iterum ſemel in morte: an hæc abſolutio unica poſſit ac debeat intelligi de peccatis ejuſdem ſpeciei, & non de peccatis ſpecie diverſis? Sunt qui putent debere intelligi de ſolis peccatis ejuſdem ſpeciei: qualia ſunt v.g. plures ablationes bonorum naufragantium. Unde ſi quis incidit in unum peccatum reſervatum, incidat in aliud diverſæ ſpeciei, affirmant poſt abſolutionem prioris poſſe obtinen abſolutionem poſterioris. Hæc opinio meritó judicatur improbabilis a *Palao citato num.5.* probata ſine fundamento. *Abſolutio à reſervatis ſemel in vita.*

Affirmandum igitur eſt cum *Villal. clauſ.9. §.2. num.5. Acoſta quaſt.7. & Rodrig. §.9. num.35.* debere intelligi abſoluté de peccatis reſervatis Pontifici. Ratio eſt, quia Bula abſoluté loquitur concedens unicā abſolutionem a reſervatis ſemel in vita, & aliā unicā ſemel in morte; ergo virtute illius Bullæ alia a reſervatis diverſæ ſpeciei obtineri nequit. Dixit (virtute illius Bullæ) quia (ut notat *Palaus num.5.*) ſi aliam Bulam ſuſcipias, ut ſuſcipere potes, & non plures: poteris iterum in *Bullæ duplicis ſuſceptio.*

vita,

vitæ, & iterum in morte absolvi a peccatis ejusdem aut diversæ speciei.

Reservata oblita in confessione habentis Bullam. 1418. Dubium est 2. an qui abens Bullam, & intentionem gaudendi privilegio absolutionis, oblitus fuit in confessione peccatum reservatum, possit elapso tempore illius Bullæ, ab eo absolvi, quin Bullam aliam sumat? Respondeo affirmativé cum *Trullen. citat. dub. 3. num. 4.* Ratio bené desumitur a simili: nam intra jubilei tempus, qui animo illum lucrandi confessionem fecit oblitus reservatorum, potest ab illis absolvi post jubilæi tempus elapsum, ut recté docent *Sanch. lib. 4. Decal. cap. 54. num. 39. & Suar. de pæn d. 31 sect. 4. num. 15.* & nos supra diximus num. 1369. ergo similiter de reservatis oblitis in confessione facta virtute Bullæ.

Articulus & periculum mortis. Dubium est 3. quid intelligatur per illam particulam (semel in morte)? Respondeo intelligi articulum, seu probabile periculũ mortis. Quanvis enim articulus & periculum mortis, si in rigore veluti metaphysico sumatur, discrimen vẽdicent, tamen quoad hunc effectum absolvendi a reservatis, juxta *Sanch. lib. 2. Decal. cap. 13. num. 5 in 3. part. d. 11. sect. 1. num. 15.* pro eodem usurpantur, quidquid in oppositum dicat *Covar. cap. Alma mater part. 1. §. 11. num. 18.* Illud autem datur, quando est probabile dubium de morte, & frequenter in eo casu evenire solet, v.g. si fœmina partui appropinquans est debilis complexionis.

Illud notat *Anton. Lopez.* ad decimam clausulã *num. 13. & 14. Villal. claus. 9. §. 2. num. 7. Acosta quæst. 71. Suar. de pæn. disp. 26. sect. 4. num. 3. & Palaus part. 7. §. 1. num. 9.* non requiri quod ille mortis articulus sit verus: cum satis sit esse præsumptum. Quia non requiritur infallibilitas, sed sufficit probabilitas mortis. Denique notat *Sanch. l. 2. Sum. cap. 13. num. 14.* illum qui est in mortis articulo, & habet casus reservatos, non teneri sumere Bullam, ut ab eis absolvatur: sed posse ab eis absolvi a quovis sacerdote cum obligatione comparendi, si absolutio fuit a censuris reservatis Pontifici.

1419. Dubium est 4. quid operetur hoc privilegium absolvendi per Bulam in articulo mortis? Ratio dubitandi est, quia jure communi *cap. Pastoralis, de offic. ordin. & Triden. sess. 14. cap. 7.* in tali articulo nulla est reservatio. Respondeo cum *Palao tr. 24. part. 7. § 1. nu. 19.* Operari 1. ut possit in eo articulo a quolibet approbato absolvi præsente proprio sacerdote, quod justa cõmuniorem sententiam licitum non erat. Operari 2. ut sic maneat absolus tum a peccatis, tum a censuris, & non teneatur si mortem effugiat, coram superiore comparare. Vide *Trullench. cap. 2. dub. 5.*

Hæresis crimen ad cruciatam. Dubium est 5. ad quos casus reservatos extendatur hujusmodi privilegiũ absolvẽdi? Respondeo extẽdi ad omnia peccata reservata, excepto crimine hæresis, ob ejus specialẽ deformitatẽ. Hæresis tamẽ illa (ut recté expendit *Sanch. lib. 2. Dec. c. 10 & 11.*) debet esse exterior, nẽpe quæ ipsomet exteriori actu declaretur, & innotescat. Reliqua veró peccata, quanvis sint gravissima, & commissa post Bullam, imó ex fiducia ipsius, possunt virtute Bullæ absolvi sicut diximus de jubileo.

Dubium est 6. an extendatur Bulæ privilegium ad absolvendum religiosos a suis casibus reservatis? Affirmativam resolutionem fuisse plurium Magistrorum Salmantensium, tradunt *Ioan. Sanch. in select. disp. 43. num. 10. Villal. trat. 25. claus. 9 num. 13.* & probabilem reputant *Corduba de indulgentiis quæst. 49. Eman. Rodrig. in exposit. Cruciatæ §. 9. num. 24. & 25.* *Regulares ut absolvantur per Bullã.*

Dicendum tamen omninó est Bullam religiosis non prodesse quoad facultatem eligendi confessarium pro absolutione a reservatis. Ita *Henriq. lib. 6. cap. 6. §. 9. Suar. de relig trat. 8. lib. cap. 15 art. 3. & Palaus cit. §. 2. num. 2.* ubi ait hanc sententiam esse omnium fere Doctorum, qui sua scripta typis mandarunt. Constat ex declaratione multorum Pontificum, sed proprié Clementis Octavi, & Pauli V. qui pro omnibus regularibus declararunt nunquam esse, nec fore suæ mentis in facultate Cruciatæ, aliorumque indultorum concedentium facultatem eligendi confessorem, comprehendere religiosos. Et bené notat *Palaus citat.* hanc declarationem, seu restrictionem non tolli per subsequentem Cruciatæ concessionem.

1420. Quid de religiosis Societatis Iesu? Quanvis ex eo quod sint veré religiosi, etiam illi qui post biennium vota emiserũt, comprehendantur proxima generali resolutione, tamen de illis certius procedit resolutio, postquam *Urbanus VIII. in Bulla edita ult. Maij 1629.* specialissimé declaravit Cruciatam nõ prodesse religiosis Societatis ad eligendum confessarium. Quod *Palaus citatus part. 5. ex Suar. tom. 4. de relig. trat. 8. lib. 2. cap. 16. a num. 3.* ita intelligit, ut eligi nequeat etiam ad peccata mortalia non reservata. *Societatis religiosi ad cruciatam.*

Quid Novitijs cujuscunque religionis. Certum est hoc privilegio uti posse, etiam pro reservatis, qnanvis prælati aliquod breve impetrent, ne eorum religiosi virtute jubilæi vel alterius indulti eligant confessarium extraneum. Quia notitij nomine nomine religiosorum in odiosis non veniunt. Vide *Palaum tr. 25 part. 7. §. 2. n. 7.* *Novitij ad cruciatam.*

QUÆSTIO VI.

Utrum confessarius electus per Bullam possit absolvere a Censuris & pœnis.

Absolutio à censuris per Bullã. QUæstio proponit duplicem difficultatem, alteram de absolutione a censuris, alteram de absolutione a pœnis. Circa priorem notandũ est triplicem communiter numerari censuram, scilicet excommunicationem, suspensionem, & interdictum. Dubium est 1. an per Cruciatam, detur facultas absolvendi ab omnibus censuris acceptis in genere? Affirmant *Palaus citatus part. 8. §. 4. num. 1.* ubi sic habet: Certum est (inquit) confessarium virtute Bullæ absolvere posse ab excommunicatione, suspensione, & interdicto:

quia verè sunt censuræ juxta textum in *cap. quærenti de verb. signif.* & in Bulla (addit) datur facultas absolvendi ab omnibus censuris. Cum verò non detur ab omnibus in particulari, debet resolutio procedere de omnibus in genere.

Cessatio a divinis ad Cruciatam. Dubium est 2. an sub illa concessione absolvendi ab omnibus censuris, detur facultas absolvendi a cessatione a divinis? Videtur affirmãdum ex doctrina *Soti in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. & Covar. Cap. Alma 2 part. §. 1. in princ.* asserentiũ cessationem a divinis esse speciem interdicti, & censuram.

Negandum tamen est cum *Villalob. claus. 9. §. 2. num. 26. Rodrig in addit. ad Cruciatam §. 9. num. 60. Trullen cap. 2. dub. 16. num. 3. & Palao §. 4. num. 2.* Ratio est, nam facultas absolvendi data per Bullam est in ordine ad censuram, quam absolvendus ipso jure contrahere potest: at cessatio a divinis esto sit species interdicti, & censura, nõ ita se habet; quia non afficit personam, pro cujus causa imposita est, sed afficit locum sacrũ in quo divinas laudes silere facit.

Irregularitas ad Cruciatam. 1421. Dubium est 3. utrũ sub prædicta concessione intelligatur absolutio abirregularitate? Certum est 1. non intelligi iregularitatem, quæ contrahitur sine culpa, qualis imposita ob indecentiam, v.g. contracta ex bigamia, ex defectu natalium, ex occisione hominis facta per authoritatem publicam. Certum est 2. non intelligi etiam contractam ex homicidio sive voluntario, sive casuali. Quia licèt hæc sit culpabilis, etiam contrahitur ob indecentiam, & improportionẽ, quam habet cum statu Ecclesiastico.

Solũ igitur dubitatur de absolutione irregularitatis, quę non imponitur ob indecentiam, sed solum ob culpam, qualis contracta ex apostasia vel hæresi, ex violatione censuræ, ex iniqua sacramentorum administratione, an virtute Cruciatæ possit tolli per absolutionem? Affirmant *Medina 1. 2. quæst. 96 art. 4. Corduba de indulg. quæst. dub. 4 & Sotus in 4. dist. 22 quæst. 3. art. 1. & Gutier. lib. 1. canon quæst. 9. cap. 3.* & se viros doctos consuluisse testatur *Bannes 2. 2. quæst. 64. art. 8.* & probabilem credit *Rodrig §. 9 num. 64. & Sa V. absolutio num. 20.* *Irregularitas an censura.* Ratio est quia hæc irregularitas est verè censura, ut desumitur ex *Extrav. de privil. §. observent.* & Trident, sess. 24. cap. 6. Cruciata autem concedit absolutionem omnium censurarum.

Negandum tamen est cum sententia longè probabiliori, quam tenent *Anton. Gomez claus. 10 in Cruc. num. 30. Avila de irregul. pub. 14. Villal. claus. 9. num. 91. Navar. cap. 27. num 194. & Palaus §. 4. n. 5.* Ratio est, quia irregularitas nullo modo appellari potest censura, postquam Pontifex in *cap. Quærenti de verbor. signific.* decernens quid veniat nomine censuræ solum meminit de tribus, scilicèt excommunicatione, suspensione, interdicto. An verò irregularitas prout Ecclesiastica pæna est, per Bullam dispensari, vel auferri possit? Dicemus in altera quæstionis parte.

1422. Dubium est 4. Utrum per Cruciatam possit quis validè absolvi ab omni censura, genericè sumpta in ordine ad tria numerata mẽbra, sive ab homine, tam occulta, quam publica, & deducta ad forum contentiosum? *Censura omnis solenda per Cruciatã* Videtur negandum. Quia illa nimia facultas est odiosa, ut pote contra potestatem ordinariorum. Et confirmatur Ex *Trident. sess. 24. c. p. 6.* ubi concessa facultas ampla Episcopis absolvendi a censuris & dispensandi in censuris & irregularitatibus limitatur tamen ad occultas, & non deductas ad forum contentiosum.

Affirmandum tamen est cum *Soto in 4. dist. 22. art. 3. Henr. lib. 8 de Euchar. cap. 60. num. 4. Rodrig. in addit num. 49. §. 9. Samb. lib. 6. Decal. cap. 17. num. 43.* & aliis, quos citat & sequitur *Palaus tr. 25. par. 8. § 4. num. 8.* Ratio est, quia privilegium Principis absolutè & sine limitatione datum, quale est Cruciatę in ordine ad censuras, a nobis limitari non debet. Dixi (validè) quia pendente lite illicitè dabitur absolutio, nisi forte in loco distanti, ubi prorsus ignoratur censura.

Dubium est 5. an per Bullam possit quis absolvi ab omni excommunicatione? Respondeo *Excommunicatio tollenda per Cruciatam.* cum *Trullen. lib. 1. d. 7. cap. 2. d. 8.* ab omni censura & consequenter excommunicatione, una excepta quæ incurritur per hæresim, posse absolvi virtute Bullæ, si sint reservatæ Episcopo, toties quoties: si sint reservatæ Pontifici semel in vita, & semel in articulo mortis. Quid si excommunicatio imponatur per motũ proprium in quo dicatur non posse absolvi, per Cruciatam? Certũ est possit absolvi, si motus proprius datus fuit ante concessionem Bullæ quia Cruciata posterius concessa dat facultatem cõmissario, ut suspendat omnẽ gratiã Bullæ contrariã. Si autẽ datus fuit post concessionẽ Bullæ, tenet *Rod. in addit. ad §. 9. n. 57.* non posse absolvi: sed *Trul. en. citat. n. 5.* defendit posse, & sic fuisse a cõmissario declaratum.

Quid de nominatim excommunicato? Quod procedit de nominatim suspenso, vel interdicto? *Nominatim ex.communicatus.* De his latè *Trullen. citatus dub. 10.* ubi benè resolvit posse validè absolvi saltem in foro interiori, satisfacta tamen parte, casu quæ læsa fuerit, saltem cum cautione juris. Dixi (validè) quia quãdo publica est excommunicatio nominatim denunciati vel in loco ubi litigatur, publica lis est, licitè absolvi nequit.

1423. Dubium est 6. an per Bullam possit quis absolvi ab omni suspensione? Conveniunt *Suspensio ad Cruciatam.* authores ex generali concessione censurarum per Bullam, posse quenlibet absolvi ab omni suspensione sive a jure, sive ab homine toties quoties, si non sit Pontifici reservata: si autem sit reservata, semel in vita, & semel in morte. Dubitant de suspensione quæ incurritur per susceptionem ordinum ante legitimam ætatem. Nam *Rodrig in addit. ad §. 9. num. 59. & 2. tomo sum. c. p. 79.* absolutè negat virtute Bullę posse absolvi ab hac suspensione: cum id neque commissarius possit. Affirmandum tamen est cum *Henriq. lib. 7. de indulg. cap. 13 num 3. Avila part. 3 cap. 6. dub. 2. & Ludov. a Cruce in expos. Bullæ d. sp. 1 cap. 4. dub. 10. num.*

10.*num.*3. Quia sine funpamento fit exceptio talis suspensionis.

Interdicti absolutio per Bullã. Dubium est 7. an per Bullam possit quis absolvi ab omni interdicto? Cum interdictum aliud sit locale, & aliud personale, Doctores consentiunt virtute Bullę posse absolvi ab omni personali interdicto sive a jure, sive ab homine, tam generali, quam particulari. Difficultas est circa locale, de quo *Rodrig. in addit. ad §.9. num.*60.dubitans an sit censura resolvit, si non est censura per solum judicem posse tolli: si autem censura, posse tolli per Bullam: quia hæc solum concedit beneficium absolutionis pænitentibus, & consequenter solis personis, & non locis.

Pæna tollẽda per Cruciatã 1414. Circa alteram difficultatem, seu partem quæstionis de absolutione per Cruciatam a pœnis, quæ censuræ non sunt, ut melius innotescat, an per illam possit tolli irregularitas contracta ex delicto, dicendũm est cum *Navar.cap.* 27.*num.*124.*Villadiego de irregularitas col.*43.*&* alijs quos sequitur *Palaus tr.*25 *part.*8.§.4.*num.*5. etiam si demus quod irregularitas illa non sit censura, sed pæna Ecclesiastica, adhuc per Bullam tolli non posse. Ratio est, quia (ut inquit *Palaus num.*5) illa irregularitas neque venit sub nomine pænæ, de qua in Bulla est sermo: nam ibidem pæna prescripta est quæ impedit susceptionem pænitentiæ & communionis, ut si confessor te suspendisset a confessione & communione pro aliquo tempore: vel ob antiquum stylum, quo fideles juxta *cap. Presbyter* 82.*dist.* ob aliqua delicta a communione arcebantur. Bulla enim solũ intendit auferre impedimenta confessionis & communionis, qualis non est dicta irregularitas.

QUÆSTIO IV.

Qualiter per Cruciatam absolutio a censuris impendi debeat.

CUM in præcedentibus jã exposuerimus potestatem absolvendi datã a Bulla tum circa personas absoluturas & absolvendas, tum circa casus, censuras, & pænas, pro quibus absolutio impendi debet: superest exponere modum impendendæ absolutionis.

Absolutio per Bullã qualiter præstanda Certum est 1. ut per Bullam impendatur absolutio, non postulari certam ac determinatam formam verborum, sed sufficere quęcunque signa aut verba quibus dicatur excommunicatum esse absolutum a censura. Certum est 2. in quibusdam gravissimis criminibus, qualia sunt incendia, percussio Episcopi vel Cardinalis, & alia notoria & scandalosa, exigendum esse ab excõmunicato juramentum, quod stabit pijs Ecclesiæ mandatis, & quod parebit super eo mandatis Ecclesiastici judicis. Hoc tamen non requiritur ad essentiam absolutionis.

1425. Dubium est 1. utrum absolvendus ab excommunicatione debeat causam, vel causas proponere & manifestare? Respondeo cũ *Henriq lib.*13.*de excom.num.*1.*cap.*29.*& Trullenb.de Cruc.lib.*1.*§.*7.*cap.*2.*dub.*18.*num.*15. quãvis expediens valde sit quod exprimat, tamen valere absolutioné causa non expressa, si absolvens potest & intendit absolvere. Casu tamen quo petens absolutioné, proponat causam, veram debet proponere, aliter enim non valebit absolutio, nisi judex habeat animum utrunque absolvere, etiam si causa illa proposita non subsistat.

Absolutio ad reincidentiam. Dubium est 2. an confessarius virtute cruciatæ possit absolvere ad reincidentiam? Quid sit absolvere ad reincidentiam, exposuimus in *Elucidar.num.*1729. Videtur affirmandum, quia hujusmodi absolutio fit a potestate quæ est ad ligãdum & solvendum: & talis videtur dari per Bullam: cui enim conceditur maius nempe absolvere in totum, videtur concedi minus, nempe absolvere in partem.

Negandum tamen est cum *Navar.cap.*27.*num* 15.*Gomez claus.*7.*num.*27. *Acosta quæst.*91.*Rodrig.* §9.*num.*57 *& Palao citato num.*14. Suadetur manifeste, quia in Bulla solum datur facultas ad absolvendum censuram: absolutio autem ad reincidentiam non tam est absolutio censuræ, quam illius suspensio pro determinato tempore

Absolutio extra cõfessionem. Dubium est 3. an absolutio a censuris per Cruciatam ita in sacramento pænitentiæ impẽdi debeat, ut extra illud impendi non possit? Affirmãt *Covar.cap.Alma mater.*1.*p.*§.11.*n.*11.*Nav. cap.*26.*n.*31.*Sarmiento*1.*select. cap.*9.*n.*5. *& Rodrig. in exposit. Bullæ*§.9. 54. Fundatur in tenore Bullæ postulantis auditionẽ peccatorũ per illa verba, *eorũ peccatis diligenter auditis*, quæ innuunt sacramẽtum pænitentiæ, & videntur inducere forma.

1426. Dicendum tamen est, quanvis expediat, & consultum sit in sacramento pænitentiæ impendere talem absolutionem, posse tamẽ impendi extra illud. Ita *Villalob tr.*27.*claus.*9.*n.* 13. *Ludov.a Cruce in Cruciata d.*1.*cap.*4 *dub.* 5. *num.* 6. *Trullen.lib.*1.*§.*7.*cap.*2.*dub.*13.*num.*6. *Palaus tra.*25. *part.*8.*§.*5.*num.*3.& colligitur ex *Sanch.lib.*8.*Matrim.d.*16.*num.*11.*& d.*15. *num.* 25. ubi dicit posse per privilegium commutari vota, etiam si in privilegio expresse ponatur *Confessionibus deligenter auditis.* Cum enim censura ex se ad absolutionem non præexigat confessionem sacramentalem, quando hæc postulatur in privilegio, non ad censuram, sed ad peccata referri debet.

Forum externum in Cruciatam. Dubium 4. an absolutio censurarum per Bullam prosit tantum in foro conscientiæ seu interiori? Ante resolutionem notabis, si absolutio per Bullam non prosit in foro exteriori, teneri sic absolutum se gerere in publico ac si maneret censuratus, & judicem posse illum ut talem tractare & punire: secus si pro foro exteriori prosit: tũc enim impedit ne judex contra illũ procedat.

Hoc posito, dictam absolutionem prodesse in utroque foro defendunt authores non contemnendi, *Pegolin de cens.tab.*1.*cap.*1.*§.*4. *num.*5. *Rodr.in exposit.Cruc.*§.9.*num.*55.*Bobadil. in p. sit. lib.* 2.*cap.*19.*num.*46.*Medina lib.*2.*sum. cap.* 12. *Vega in sum.*1.*part.cap.*6 *casu* 52. & alij quos citat ac sequitur *Nicol. Garcia de benef. part.*2.*cap.*5. *num.*55. Probant, quia concessio per Cruciatam ad absolvendum a censuris procedit absolute, & non limitat

mitat ad forũ internũ; ergo nec nos limitare debemus. Confirmant, quia quando Pontifex vult ut absolutio solum prosit pro foro interno, id solet exprimere: nam sic expressit in *Trident. sess. 24. cap. 6. de refor.* concedens facultatem Episcopis: sic etiam limitat in sacra Pænitentiaria, quando dispensationes pro solo foro interno expediuntur.

Nihilominus probabiliùs negant *Covar. cap. Alma 1. part. §. 12. num. 16. Sayrus de censur. lib. 2. cap. 20. num. 3. Avila 2 part. cap. 7. d. 3. dub. 10. Suar. de censur. d. 7. sect. 5. num. 21. Sanch. lib. 6. in Decal. cap. 17. num. 43.* & multi alij quos citat & sequitur *Palaus citat. num. 9.* asserentes absolutionem per Cruciatam solũ prodesse pro foro conscientiæ, & nullatenus pro judiciali, seu externo. Ratio est, quia (ut constat ex verbis Bullæ) potestas absolvendi a peccatis & censuris impenditur, ut maiori cum puritate quis possit consequi indulgentiam: ad quod satis fuit, ut pro solo foro interno concederetur.

Illud notabis, si demus juxta priorem sententiam prodesse absolutionem in foro externo, eã sufficienter probari coram judice per schedulam, in qua confessarius testatur se virtute Cruciatæ absolvisse satisfacta parte. Prior opinio de valore absolutionis in foro externo juxta Bullam Lusitanam omninó limitanda est, ut non procedat in excommunicationibus & censuris ab homine latis & ferendis.

1427. Dubiũ est 5. Utrũ ad valorẽ supradictæ absolutionis postuletur realis satisfactio partis? Procedit dubium, quando excommunicatus intulit damum, secus si non intulit, v. g. si excõmunicetur ob perseverantiã in concubinatu. Constat ex *cap. venerabilibus de sent. excom. in 6.* non esse impendenda absolutionem, quia potens in re ipsa prius satisfaciat, vel si non potest, cautionem præstet: & aliter illicitè impendi,

Satisfactio partis ad Cruciatam.

Difficultas est, an valeat absolutio, si de facto potens quis satisfacere absolvatur ante satisfactionem de facto exhibitam? Negant *Corduba sum. quæst. 18. part. 1. dicto 2. Henriq lib. 7. indulg. cap. 13. n. 2. Emman. Rodrig.* sibi contrarius in *Bulla §. 9. num. 52. Ledesma 2 part. 4. quæst. 26. art. 1. fol. 153. Medina lib. 2. cap. 12. fol. 302. & Gutier. alleg. 9. num. 6.* probant quia talis satisfactio realiter exibenda ponitur in forma concessionis tamquam conditio, sine qua non confertur gratia: si ergo non præexistat, absolutio nulla erit.

Hæc opinio probabilior & tutior est. Nihilominus opposita affirmativa satis probabilis & tuta reputatur a *Covar. cap. Alma 1. part. §. 9. num. 8. & Sanch. lib. 3. Matr. d. 33. num. 3.* quos citat & sequitur *Palaus tr. 25. part. 8. §. 5. nu. 3.* Ratio est, quia satisfactio in dicta concessione non apponitur conditio, sed solum ut monitio illius quod confessarius a trento jure servare debet. Confirmatur quia talis satisfactio eodem modo se habet ad absolutionẽ, atque ad electionem confessarij: sed potest fieri confessarij electio nondum satisfacta parte, ergo & impendi validé absolutio,

Pars satisfaciendas.

sufficiet igitur ante absolutionem exigere cautionem jura tam de statim satisfaciendo.

QUÆSTIO V.

Quænam & qualis facultas confessario per Bullam electo concedatur ad vota commutanda?

1428. Qui in speciali tractatu Bullam Cruciatæ exposuerunt, quales *Ægidius Trullench. & Ludovicus a Cruce,* Latissimè diffunduntur exponentes simul Bullæ indultum & votorum commutationem, nos veró quia jã laté egimus de voto ejusque dispensatione & cõmutatione *tract. 31. sect. 5. & 6.* in hac quæstione breviter expediemus indultum Cruciatæ, quod habetur per hæc verba: *Conceditur illis vota (ultramarino, castitatis, & religionis duntaxat exceptis) in aliquod subsidium hujus expeditionis per eundem confessorem commutari.*

Commutatio votorum per Cruciatam.

Dubium est 1. an cõfessarius electus per Bullam habens potestatem commutandi vota, in eisdem dispensare possit? Videtur affirmandum ex ratione in oppositum: nam qui habet facultatem dispensandi, commutare potest; ergo & contra. Negandum tamen est cum multis quos citant ac sequuntur *Lessius de voto dubio 11. num. 94 Suar. lib. 6. de voto cap. 12. num. 9. & Sanch. lib. 4. sum. cap. 53. num. 4.* Ratio est firmans nostram resolutionem, & dissolvens rationem pro parte opposita, quia potestas ad dispensandum maior est quam potestas ad commutandum: hæc enim est veluti pars illius: qui enim dispensat tollit omnẽ omninò obligationem: qui veró commutat, solum transfert in aliam materiam.

Dubium est 2. quænam causa sufficiat ut per Cruciatam fiat commutatio votorum? Constat ad faciendam commutationem voti de materia bona ad minus bonam postulari causam: inquirimus quæ postuletur ut fiat cõmutatio per Cruciatam? Bené ex *Sanch. lib. 4. de voto cap. 50. num. 19.* dicimus sufficere eleemosynam quę datur in subsidium ad belli expeditionem: nam hujusmodi commutatio in bonum commune cedit.

Causa sufficiens ad commutationem.

Difficultas est qualis in hoc subsidiũ eleemosyna facienda sit, temporalis per pecuniam, an spiritualis per orationes pro felici eventu? *Anton. Gom. claus. 10. num 54. Thomas methodo curat. 3. part. cap. 4. § 42. & Suar. lib. 6. de voto cap. 19. num. 18.* credunt sufficere spiritualem. Et hoc est probabile. Probabilius tamen quod absoluté cũ multis defendunt. *Sanch lib. 8. Matr. disp. 15. num. 1. & Palaus cit. part. 9. num. 8.* requiri temporalem eleemosynam. Nam intentio Pontificis & regis est prorogare bellum contra infideles: & hoc in re ipsa fit per eleemosynam temporalem.

Subsidiũ ex Bulla.

Temperant hanc resolutionem *Suar. lib. 6. de voto cap. 19. num. 10 & Azor. par. 1. lib. 11. cap. 18. q. 9.* ut procedat in commutatione adæquata, secus de inadæquata: dicunt enim illorum, votorum commutationem posse fieri in eleemosynã partim temporalem, partim spiritualem. Hæc limita-

limitatio probabilis est: sed oppositum probabilius spectato juris rigore, ut videre est apud *Palaum citatum num.* 10.

Voto jurata ad Cruciatam. Dubium est 3. Utrum virtute Cruciatæ possit fieri commutatio in votis etiam juratis, tum in confessione, tum extra illam? Conveniunt authores cum *Henriq. lib. 7. indulg. cap. 30. num. 6. Sanchez lib. 4. Sum. cap. 14. num. 16. & Villal. clauf. 9. num.* 36. commutationem, sive juxta diversas opiniones sit votorum, sive sit juramentorum, extra confessionem fieri posse. Quia non colligitur ex Bullæ verbis debere fieri in confessione. Addit *Palaus num.* 12. posse fieri per sacerdotem electū vi Bullæ, quanvis non sit ordinarius confessarius voventis.

Difficultas est de commutatione facienda in votis juratis. Dupliciter potest dici votum juratum. 1. si juramentum præstetur ad voti emissi confirmationem, ut si quis voveat jejunium, & hujus voti memor juret illud servaturum. Et tunc ex communi consensu docent Theologi cū *Suar. lib. 6. de voto cap. 14. a. num. 24. & Sanch. lib. 8. Matrim. disp. num.* 23. posse virtute Cruciatę cōmutari. Quia tunc juramentum est accessorium voto, quo proinde commutato commutatur.

Vota jurata ad Bullam. 2. Si juramentum ejusdem rei non præstetur in voti confirmationem, sed independenter, ut si quis immemor voti juret se facturum illam eandem rem in obsequium Dei, tunc *Azor. lib. 11. cap. 10. quæst. 2. Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 11. num. 94. & Matr. d. 2. num.* 23. existimant privilegium Bullæ non comprehendere simul votum & juramētum illud. Quia sunt duo vincula sine dependētia inter se. Nihilominus oppositum tenēt *Suar. lib. 6. de voto cap. 14. num. 19. Trullen. de Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 3. num. 4. & Palaus tr. 25. part. 9. nu.* 13. asserentes privilegium Bullæ circa votum extēdi ad tale juramentum. Quia obligatio tam voti, quam juramenti Deo facti continentur sub eadem specie religionis. Unde cui delegatur facultas commutandi votum, etiam ad juramentum commutandum delegatur.

Juramenta homini facta ad Bullam. Hæc sententia procedens absolutê vel etiam de Bulla Lusitana, mihi valde probabilis est tū pricipuê ex authoritatê. Si autem procedat de Bulla Castellana videtur omninò certa ob specialem clausulam: *Podra tambien el dicho Confessor cōmutarles qualesquier votos, aunque sean echos con juramento* Dixi (obsequium Dei) quia si fiat in gratiā & obsequium hominis, probabilius est sub præcisa concessione voluntariorum non contineri.

Commutationis tēpus quod. 1430. Dubium est 4. intra quod tempus vota & juramenta facta per Bullam commutari debeant, & possint? Rectè cum multis docent. *Azor part. 1. lib. 11. cap. 18. quæst. 9. Rodrig. § 9. in Cruc. num. 111. Sanch. lib. 4. sum. cap 53. & Suar. lib. 6. de voto cap. 3. a num.* 4. non excludi a predicta commutatione vota vel juramenta eo quod fuerint emissā post publicationem, vel susceptionē Bullæ. Quia tam commutandi quam absolvendi privilegium, cum fuerit absolutè concessum, toto anno publicationis durat, omnia vota ante & post publicationem emissa complectitur. Adde etiam si fuerint emissa ex fiducia commutationis obtinendæ.

Notant benè citati authores etiam post finitū publicationis annum posse comperi votorum prædictorum commutationem: si v.g. durante anno illo confessarius legitimè electus commutavit vota in illud subsidium, quod ipse vel alius vir doctus judicaverit expedire: Tunc enim post annum valebit designatio utpote commutationis tempore legitimo factæ complementū.

Dubium est 5. qualia vota castitatis religionis, & peregrinationis Hyerosolymitanæ, & qualiter facta excipiantur a dicto privilegio cōmutationis? Rectè docent *Sanch. lib. matr. disp. 15 a num. 3. Sayrus in clavi lib. 6. de voto cap 26. num.* 17. vota illius triplicis generis, quæ in Bulla excipiuntur, debere esse absoluta, & omninò integra, seu perfecta. Unde si quodlibet ex dictis votis fuerit vel conditionatum, vel limitatum ad certam materiam, eo modo quo exposuimus tr. 31. sect. 5. & 6. per Bullam commutari poterit.

SECTIO IV.

De Commissario Bullæ, & ipsius facultatibus.

QUÆSTIO I.

An & qualiter possit commissarius suspendere & revalidare indulgentias, & facultates?

1431. Commissarius ex vi nominis est ille, cui aliqua potestas seu facultas commissa est. Unde commissarius Cruciatæ ille dicitur, quia Pontifice habet facultatem exequendi ea quæ ipsi in Bulla cruciata committuntur. Ut igitur decidatur præsens quæstio, præmittendum est ex tenore Bullæ, de quo *Palaus trr 25. part. 10. num.* 1. concedi facultatem cōmissario, ut suspendat anno publicationis Bullæ omnes similes indulgentias & facultates a Sede Apostolica, vel ejus authoritate quibusvis Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, Pijs locis, Universitatibus, Confraternitatibus singularibus personis, & regnis in solis terris, locis & dominijs Regis Philipi, etiam in favorem fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, vel alterius similis Cruciatæ, siquæ in regnis, terris, insulis & dominijs præfactis receptæ adhuc durant concessas hujusmodi, etiam si clausulas aliquas contra suspensionem facientes continerent, itaut interim neque prædicari possint, neque publicatæ cuivis hominum communiter, vel divisim suffragentur: exceptis tamē concessis mēdicantium ordinum superioribus, quoad eorum fratres tantum. *Indulgentiarum suspensio per Cruciatam.* *Commissarius Cruciatæ.*

Item conceditur facultas Commissario, ut per se, vel per alium, seu alios, quando, & quoties sibi videbitur, indulgentias & alias gratias per eum suspensus, in favorem illorum, qui præsentium

sentium gratiarum in hanc causam pro religionis defensione concessarum participes effecti fuerint, revalidare absque aliquo præmio possit.

Pro hujusmodi suspensionis & revalidationis explicatione, ut separemus certa ab incertis seu dubijs, certum est 1. non suspendi facultates absolvendi, dispensandi, & commutandi vota, quæ competunt Episcopis jure ordinario, vel extraordinario tanquam delegatis a Sede Apostolica. Certum est 2. non suspendi facultates & indulgentias, quas aliquibus locis pijs aut personis Episcopi concederunt. Quia emanant immediate ab authoritate Episcopali.

1432. Certum est 3. non suspendi facultates & privilegia quæ sunt inserta in corpore juris. Quia præter speciale robur quod a jure habent, Commissarius solum potest suspēdere quæ conceduntur ex speciali Sedis Apostolicæ delegatione. Certum est 4. non suspendi privilegia & facultates universitatibus, privatisque concessa, quæ omninò sunt dissimiles cōcessis per Cruciatam, quales sunt facultates testandi, ingrediendi in altari portali. Quia hæ usum Cruciatæ non impediunt. Idem procedit de exceptis in ipsa concessione suspensionis, quales facultates concessæ superioribus mendicantium, quoad eorum fratres.

Certum est 5. suspendi indulgentias & facultates concessas Hospitalibus, Monasterijs, locis pijs, confraternitatibus. His enim solent indulgentiæ concedi pro visitantibus tali aut tali die Ecclesiam, vel altare, & pro offerentibus sacrificium. An etiam respectu mendicantium? Infra dicetur. Certum est 6. suspendi concessas singularibus personis aliquam imaginem deferentibus vel aliquid in illius honorem recitantibus, præsertim si fuerunt concessæ ad instantiam alicujus Principis. Nam si ad instantiam Superiorum Mendicantium, probabile est non suspendi cōparatione religiosorum mendicantium. Ita *Ioan. Salas in Cruciata quæst.25.*

Certum est 7. suspendi facultates, si quæ sunt aliquibus Ecclesijs, Monasterijs, vel singularibus personis celebrandi ante Auroram, vel post meridiem, assistendi tempore interdicti divinis, celebrandi, vel faciendi celebrare in oratorio privato, eligendi confessarium vel quoad vororū commutationem, vel quoad peccatorum reservationem. Quia hæ omnes Cruciatæ expeditæ valde obstant.

Illud notabis facultates omnes quæ suspenduntur a Commissario, revalidari per susceptionem Bullæ: quod etiam certum est.

1433. Superest ambigua quæstio, utrum facultates absolvendi a reservatis, & commutandi vota, quas habent religiosi in ordine ad sæculares, suspendantur, itaut sine Cruciata nequeant illis uti? Suspendi affirmant *Rodrig. in Bulla §. 12. num.4. Navar. lib.5. consil. in edit. de privil. cons. 16. nu. 1. & Ludovicus lopez 2. part. Instr. conf. cap. 2. col. 10.* Fundantur, quia facultates absolvendi a reservatis, & commutandi vota fuere concessæ monasterijs ex quibus coalescit ordo religiosus, proindeque authoritate Apostolica sunt concessa singularibus personis religiosorum: commissarius autem legitimè suspendit omnes facultates concessas monasterijs, & singularibus eorum personis.

Cruciatæ usus in regularibus erga sæculares.

Negandum tamē est cum *Henriq. lib.6. de pæn. cap.16. num.7. & lib.7. de indulg. cap.28. num.7. Emman. Rodrig. mutante* sententiam in addit. *ad Cruc. §. 12 num.4 Villal. clauf. 12. num.4. & Sanch. lib. 4. Decal. cap.54. in fine* Ratio est, quia tales facultates non fuere concessæ monasterijs qua singularibus, scilicet uni vel alteri ex peculiari intuitu illorum, sed absolutè universæ religioni ob commune bonum fidelium: Commissarius autem solum potest suspendere concessas locis, monasterijs, & personis singularibus, qua talibus.

Observabis 1. cum prædictæ facultates, & gratiæ quæ singularibus Monasterijs & pijs locis fuere concessæ suspendantur, religiosos non mendicantes absque Bulla illis frui non posse, posse tamen mendicantes: quia eorum superiobus quoad suos fratres fuere concessæ. Quod si non mendicantes communicaverint in privilegijs cum mendicantibus, fruentur.

Observabis 2. non suspendi gratias, quæ non mendicantibus fuere concessæ, si directè conceduntur statui religioso, & inde ad religiosos singulos descendant. Ex quo rectè affirmat *Villalob. tr.22. Bullæ clauf.12. num.8.* non suspendi potestatem, quam plures religiones habent suspendendi generale interdictum in suis Ecclesijs. Talis enim potestas toti ordini impensa est.

1434. Observabis 3. novitios, ut pote in favoribus religiosorum nomine comprehensos, in prædicta suspensionis exceptione contineri. Observabis 4. omnes illos regulares, quorum facultates a commissario suspenduntur erga sæculares posse illis uti, si Bullam suscipiant, itaut non exigatur quod tam regularis suscipiat, sed quod alteruter. Nam facultates illæ suspensæ per Bullam susceptam revalidatæ convalescunt. *Revalidatio per Bullam.*

QUÆSTIO II.

Quas alias Commissarius ex Cruciata facultates obtineat?

PRÆTER facultatem suspendendi & revalidandi gratias & indulgentias? quam superiori quæstione exposuimus, impenduntur Commissario nonnullæ facultates, quas breviter ex authoribus fusè tractantibus, *Rodrig. §. 13. Villal. clauf. 13. Acosta quæst. 93. Trullench lib.2. & Ludovico a Cruce* & alijs expediemus. *Cōmissarij Cruciatæ multiplex potestas.*

1. Datur Commissario potestas taxandi eleemosynam, quam suscipientes Bullam erogare debent, ut ipsis prosit. Hęc autem taxatio prudentis arbitrio facienda est.

2. Datur eidem Commissario potestas componendi cum his qui tenentur ad fructuum restrictionem ex omissione Horarum canonicarū, itaut compositionis quantitas pro medietate de- *Componēdi potestas ex Cruciata*

tur Ecclesijs, quarum ratione prædictas Horas recitare debent: & pro altera medietate detur in hujus negotij subsidiũ. Hæc facultas sectione ultima, ubi de Bulla cõpositionis, explicabitur.

3. Datur eidem commissario potestas dispẽsandi & componendi super irregularitate cum his, qui ligati quibuscunque Ecclesiasticis censuris Missas & divina officia (non tamen in contemptum clavium) celebrarunt, seu aliás se immiscuerunt: item super alia illis qualibet irregularitate, præterquam homicidij voluntarij, aut Simoniæ, vel Apostasiæ a fide, aut hæresis, vel propter malam ordinum susceptionem contractam, cum retentione beneficiorum & fructuũ ex eis perceptorum, & infamiæ, aut inhabilitatis exinde provenientis abolitione & executione ordinum non malé susceptorum.

Irregularitas ad Cruciatã.

1435. Pro explicatione advertendum est in hjusmodi concessione, aliquas irregularitates contineri, exceptis alijs. Quia (ut bené notat *Palaus tr.25.p.11.n.5.* irregularitates in quibus Commissarius dispensare potest, sunt omnes & solæ, quæ ex delicto proveniunt, quatuor exceptis; quarum prima est irregularitas ex homicidio voluntario, sub qua non debent comprehendi quæ pro homicidio casuali, & quę pro voluntaria mutilatione contrahuntur. Secunda est quæ provenit ex Simonia. Tertia quæ pro venit ex apostasia a fide, seu hæresi. Quarta quæ provenit ex mala ordinum susceptione, eo quod ordinem quis furtivé suscepit.

Cum igitur commissarius solũ habeat facultatẽ circa irregularitates ex delicto, sequitur nihil posse circa illas quæ ex delicto non proveniunt, quales sunt irregularitas ex defectu natalium ex homicidio facto authoritate publica, in bigamia propria, & interpretativa. Poterit tamen dispẽsare in bigamia similitudinaria: quia hęc nascitur ex delicto. 4. Datur comissario facultas dispẽsãdi nullis datis literis, seu per confessorem laniatis, cum his, qui primo & secundo affinitatis ex fornicatione contractę gradibus conjuncti matrimonium contraxerunt, dummodo post Trid. ipsius formam servaverunt, ac impedimẽta hujusmodi penitus occulta sint, & alter contrahentium tempore contracti matrimonij impedimẽti ignarus extiterit, & altero ita prædictũ impedimentum ignorãte de nullitate prioris consensus prius certificato, tacitaque, si videbitur ad vitanda scandala, causa nullitatis, matrimonium inter se etiam secreté de novo contrahere possint in foro conscientiæ duntaxat, ad evitanda gravia scandala, dispensandum judicaverint, dispensare, prolemque susceptam, & suscipiendam legitimam decernere.

Comissarius ad dispensãdum in matrimonio ex Cruciata

Pro intelligentia hujus facultatis observabis 1. cum *Sanch. lib.8. Matr. d.6. num.15. & d.34. num.55. Villalob. de Cruc. clausf.13. num.18. & Palao cit. num. 8.* Commissario concedi hanc facultatem, si quatuor interveniant conditiones. 1. ut juxta formã Tridentini sess.24. cap. 1. matrimonium fuerit celebratum. 2. ut tale impedimentum sit occultum, scilicet, nec publicum, nec deductum ad forum contentiosum, quanvis sit aliquibus probabiliter cognitum. 3. ut adfuerit bona fides, saltem ex parte unius contrahentis, qui impedimentum ignoravit. 4. ut conjux qui impedimẽtũ ignoravit, certior fiat de matrimonij nullitate, ut sic possit legitimũ cõsensũ præbere. Vide *Trullenc. lib.2.§.4. dub. 1. & de legitimatione prolis dub.2.*

1436. Observabis 2. Commissarium posse dispensare absque expeditione litterarum, vel si eas placuerit expedire, supprimendã esse dispensandorum nomina, & litteras, expedita dispensatione, per confessarium dilaniandas: nec oportere ad revalidationem matrimonij, quod fiat coram parocho & testibus.

Matrimonij dispẽsatio per Cruciatã

5. Datur commissario facultas dispensandi in simili affinitatis impedimento superveniente post contractum matrimonium, ut impeditus possit debitum petere. De quo laté *Trullench. cit. dub.3.* Illa enim copula fornicaria, quæ antecedens dirimit matrimonium, subsequens solum debiti petitionem impedit.

In hoc igitur impedimento sicut Episcopus, & superiores ordinum mendicantium, ita commissarius Cruciatæ dispensare potest. Extendũt *Villalob. num.21. & Rodrig. cit. §. 13. num. 17.* hanc facultatem commissarij ad impedimentum cognationis spiritualis. Sed rectiùs id negat *Sanch. citat. d.15. num.13.* Quia fornicatio cum cognata spirituali non incestus, sed sacrilegium est.

6. datur commissario facultas, ut pro nobilibus personis, & quæ pro ipsius arbitrio qualificatæ fuerint, possit dispensare ad Missas audiendum & celebrare faciendum, per horam ante lucem, & post meridiem. Pro cujus explicatione nota 1. cum *Menochio lib.2 de arbitr. casu 6. & 68.* nobilem esse illum, qui jure communi, vel statuto, vel consuetudine patriæ nobilis creditur: qualificatum veró, qui aliqua qualitate generis, vel officij illustris insignitus est: & ideo vir illustris dici poterit. De quo *Trullen. citat. §. 5.*

Missarũ auditio ad Cruciatam.

Nota 2. ex *Acosta quæst.89. Villalob. clausf.13. nu. 23. & Rodrig. in addit. §.13.* dari præceptũ ab Apostolica Sede, & Bullæ commissario promulgatũ ut in Hispaniarũ regnis omnes Episcopi, eorũq; ministri seu officiales, alijsque inferiores prælati applicent omnes pœnas pecuniarias in subsidium hujus sanctæ expeditionis. Quod si non fecerint ultra peccatum commissum applicatio sibi, vel alteri facta nulla est. Addit *Palaus cit. num.12.* se non videre quomodo possint ab hujus præcepti obligatione excusari, nisi forte ob contrariam consuetudinem receptam, etiam stante Bullæ publicatione.

Ab hujusmodi applicatione citati authores excipiunt partem accusatori fiscali competentem ex præsumpta voluntate Pontificis, ut nempe fiscalis excitetur ad instituendã accusationẽ, & procurandam delictorum vindictã. Addit Palaus ibidem illam partem quæ accusatori applicatur, esse quodamodo debitam ante condemnationẽ lege sic disponente & applicante.

SECTIO V.
De Bulla Compositionis.

QUÆSTIO I.
Quænam sit hujusmodi concessio: qualium debitorum, & qualiter fieri debeat compositio?

1437. De Bulla compositionis egerunt præter *Sylvestrum, Sotum, Navarrum*, & alios antiquos, *Rodrigo s. unico, Villalobos tract. 29. Palaus tr. 25. punt. ultim. Trullench. de Cruciata lib. 3. & Ludov. da Cruz disp.* Nos paucis agemus hac ultima sectione. Imprimis tres propositæ quæstionis partes expediemus dubijs sequentibus expeditis.

Concessio per Bullã cõpositionis quæ. Ante expeditionem supponendum est ex habitis expressè in Bulla compositionis Summum Pontificem concedere omnibus Christi fidelibus cujuscunque status, conditionis, vel religionis, sive Ecclesiastici sint, sive sæculares, etiam si sint ex ordinibus Mendicantibus, qui in regnis Hispaniarum assistunt, vel ad ea quomodolibet declinaverint, ut erogatis duobus argenteis in subsidium belli contra infideles, quantitas duorum millium marapetinorum, & infra, de debitis incertis remittatur, obtinereque possint remissionem usque ad quantitatem debitam centũ millium marapetinorum: sed ultra nequeant nisi ex beneplacito Cõmissarij Generalis: ex ejus tamen consensu & voluntate optimè possint. Bulla Lusitana cohæret in his cũ Castellana, excepta quãtitate providendi pro extinguendo debito. Quia potest quis facere compositionem retinendo sibi summam centum millium regalium æreorum vul *de cem mil reis* accipiendo tot Bullas compositionis, quot sufficiant ad talem summam, ita ut pro qualibet bulla retineat sibi quinque millia regalium, *vulgo cinco mil reis*, dando centum ad rationem unius pro quinquaginta. Vide *Abreum de pasoc bo. lib. 10. sect. 6. num. 563.* Debita autem debent esse contracta absq; fiducia hujus remissionis: aliàs huic indulgentiæ non erit locus.

His præmissis, nemini dubium est, debitis certis, qualia sunt certo vel cognito creditori debita, quæque ipsi restitui possunt, nullam virtute hujus Bullæ fieri posse remissionem bonorum, quæ agnoscunt dominum comparentem ipso invito.

Incerta debita ad Cruciatã. Dubium est 1. an possit fieri compositio de bonis, quorum dominus scitur, ita tamen absens est, ut ex impotentia faciendi illi restitutionem debitor excusetur eidem restituere? Negat *Sotus lib. 4. Inst quæst. art. & in 4. dist. 22. q. 2. art. 4.* Probat, quia Bulla solum concedit compositionem debitorum incertorum, nempe quorũ creditor ignoratur: & in casu proposito debitũ non est incertum.

Affirmandum tamen cum *Covar. in regul peccatum 3. part. §. 1. Acosta quæst. 95. Villalobos tr. 29 num. 12. & Rodrig. in præsenti dub. 2.* Ratio est, quia humano & morali modo tale debitum incertum reputatur, quod domino reddi nequeat. Nam proinde est debitori habere creditorem absentem atque ignoratum, si æquè ex absentia, atque ignorantia excusatur a restitutione illi facienda:

1438. Dubium est 2. an prędicta compositio ita licite & validè fiat ut saltem quandiu nõ comparet creditor, excusetur debitor ab integra debiti solutione? Negant *Dominicus Sotus in 4. dist. 21. quæst. 2. art. 4. & Banches 2. 2. quæst. 62. art. 5. dub. 8.* Probant, quia juxta textum *in cap. cum. fin. de usuris*, talis restitutio fieri debet pauperibus; ergo facta per illam compositionem, in pauperũ cedit præjudicium, atque adeo illicitè & invalide fiet. *Pauperes ad bona incerta.*

Affirmandum tamen est cum *Palao tr. 25. part. ultim. §. 1. num. 5.* quia pauperes non sunt illorum bonorum domini: & quanvis aliqua ratione illis competant per legem pontificis, in sua lege Pontifex dispensare potest data præcipuè evidẽti ratione boni communis, ut nempe comparetur subsidium ad debellandos infideles, & fideles ære alieno gravati habeant modum facilem se ab illo exonerandi.

Dubium est 3. Utrum post factam legitimè compositionem virtute Bullæ, si creditor comparet, teneantur illi restituere qui se composuit? Constat 1. non esse illi restituendam partem illam quæ in belli subsidium data fuit, ut pote authoritate Principis ex præsumpta creditoris voluntate collata. Constat 2. si post factam cõpositionem vel currat tẽpus legitimæ præscriptionis, vel ita consumantur bona, ut debitor ex parte sibi remanente non fiat ditior, ad nullam teneri restitutionem. *Creditor comparẽs post factã cõpositionem.*

Dubitatio solum datur, quando ex prædicta compositione quis ditior factus est, quia extant bona in specie vel æquivalenter, & nondum cucurrit tempus præscriptionis, an teneatur comparenti creditori restituere? Affirmant *Villalobos tr. 29. num. 8. Cordub. lib. 5. quæst quæst. ultim. Cajetan. 2. 2. quæst. 61. artic. 6. & Rodrig. citatus.* Probant, quia non videtur absolutè Pontifex remisisse illa debita, sed quandiu creditor non comparet: rationi enim dissonum est creditorem ignotum dominio suorum bonorum absolutè spoliare. Accedit, quia debitor comparens habet jus sua omnia debita postulandi in judicio, & ubicunque invenerit, vindicandi, itaut judex reddere obligetur.

1439. Hæc opinio quanvis consulenda & defendenda sit, tamen opposita non caret probabilitate, quam sic tenuerunt *Acosta quæst. 93. & 94. Hanriq. lib 7. de indulg. cap. 34. num. 5. Sotus Banches* & alij quos sequitur *Palaus num. 7.* asserens in foro conscientiæ non dari obligationem reddendi residuum, saltem quousque a judice condemnetur. Ratio est quia Pontifex habet potestatem disponendi de illis bonis propter commune bonum Ecclesiæ, itaut facta dispositione nulla maneat obligatio reddendi antiquo illorũ

domino

domino compatenti, & sic credendum est de facto disponere circa partem debitoris, sicut disponit de parte data in subsidium belli contra infideles:

Princeps faciens compositionem de bonis incertis. Dubium est 4. an non solus Pontifex, sed etiam principes alij facere possint hujusmodi remissionem? Negant *Sylvester V. restitutio.quæst. 7. & 8. Corduba lib. 5. de indulg.quæst. 4. & Rodrig. de Cruciata dub. 4. & 5.* Fundantur in *Cap. cum tu de usuris*, per quod a Pontifice inhibentur Principes disponere de bonis incertis sive bené sive malè ablatis.

Quidquid tamen sit de resolutione fundata in lege Pontificia inhibente fieri talem remissionem, existimo cum *Palao cit. num.5.* seclusa lege Pontificia inhibente, posse sæcularem Principem facere remissionem de bonis temporalibus incertis, sive bené sive malé ablatis: secus de Ecclesiasticis: & contra posse Episcopum in sua diœcesi facere remissionem de ecclesiasticis: secus de temporalibus.

QUÆSTIO II.

Quinam sint casus, in quibus prædicta compositio locum habeat?

Bona inique ac quisita ad cōpositionē. SOlent authores numerare casus quindecim, quos duce *Palao tract.25 pun. ulti.§. 2.* brevissime percurremus. 1. casus est, in quo generaliter concedit Pontifex fieri posse compositioné de rebus acquisitis per furtum, rapinam, usurâ, aut quovis modo alio illicito, si post diligentiam debitam præmissam non comparet creditor.

1440. Rogabis, quæ diligentia censeri possit debita & sufficiens? Rectè judicant *Medina 1. 2. quæst 76. art.2. fine Corduba lib 1. quæst. quæ .. 9. 1. & Rodrig. in præsenti dub. 2. num.10.* id relinqui prudentis arbitrio spectata debiti qualitate. Addunt illam diligentiam certò sufficere, quam homines timorati in simili negotio præstarent.

Fructus beneficiorum ad compositionem. 2. Casus est, in quo compositionem possunt facere personæ Ecclesiasticæ tum de beneficiorû fructibus, tum de alijs Ecclesiasticis emolumétis malé præceptis: vel quia omiserunt recitationem officij divini: vel quia sine titulo habuerunt beneficium, vel quia irregulares aut excómmunicati perstiterunt: hac tamen conditione, ut ultra illos duos argenteos, quos impendunt ad subsidium bujus expeditionis, alios duos argenteos pro remissione duorum millium marapetinorum tribuant Ecclesiæ in qua est beneficium, pro quo fit compositio.

Cum enim jure Ecclesiastico qui omittunt divini officij recitationem impediútur ab acquirendo dominio in fructus beneficiorum, sicuti si nullo beneficij titulo legitimo gauderent: & juxta opinionem probabilem, qui irregularitatem, aut excommunicationem contraxerunt, proindeque debeant ex ipsometEcclesiastico jure restituere fructus sic acquisitos fabricæ, vel pauperibus, merito Pontifex qui dominus, seu dispensator est bonorum Ecclesiasticorum, concedit dictam remissionem sub dicta conditione, ultra eleemosynam in subsidium, alia similis fabricæ Ecclesiæ impendatur. Hæc *Palaus citatus, & Acosta quæst.76.& 98.* bené loquentes juxta BullamCastellæ: Si tamen loquamur juxta Bullam Lusitaniæ, potest fieri compositio etiam de parte spectante ad Ecclesiam, ut bené notat *Abreus de parrocho lib.10.sect.6.num.559.* & his Bullæ verbis: *Ita quod compositione hujusmodi soluta sit componens a portione, etiam quæ Ecclesiæ deberetur, integre absolutus.*

1441. Prædicta compositio (ut bené notant *Villal. tr.27. clauf.13. num. 2. & Rodrig. hic dub. 2. num 16.*) locum non habet in canonicis non residétibus, quando ob eorum absentiam accrescunt fructus interessentibus. Quia tunc creditor certus est. Similiter nec in fructibus amissis ab Episcopo vel Parochis ob non residentiam. Quia id cavetur per *Trident. sess.23. cap.1. de refor.*

Legata ad cōpositionis. 3. Casus est in legatis, quæ testator reliquit in satisfactionem malé acquisitorum. In illis enim Pontifex concedit compositioné pro medietate, si legatarij per annum negligentes fuerint in recuperandis dictis legatis. Esto enim creditores certi sint, potuit id concedere tum in pœnam negligentiæ, cum in bonum Ecclesiæ. Legatarij igitur negligentes medietate illa privati, alteram integram habebunt. Debent tamen legata non excedere summam centû mille marapinorum: quia si excedant, compositio non nisi ex commissarij consensu fieri poterit.

4. Casus est in legatis & fidei commissis juxta *l. a Titio ff. de verb.oblig. & l. illud ff ad leg. Aquil.* in illis enim potest fieri compositio vel antea factis, vel tempore publicationis faciendis, quando legatarij vel fidei commissarij præmissa diligentia debita ignorantur. Differt hic casus a præcedenti (inquit bené *Palaus num 5*) quia in præcedenti, eo quod non erant legatarij cogniti non permittebatur integra legati compositio, sed solum de medietate. At in præsenti integra permittitur, eo quòd legatarij ignoti sint. Item in præcedenti casu legata erant in satisfactionem bonorum malé aquisitorum, quod tamé in præsenti non requiritur.

Iudices ad Bullā cōpositionis. 5. Casus est in judicibus tam ordinarijs quàm delegatis: his enim conceditur compositio pro bonis susceptis ob iniquam sententiam, ob iniquam dilationem causæ, vel aliam injustitiam similem in præjudicium partis. Adverte parti læsæ semper integré satisfaciendû esse: quia creditor injusté vexatus certus est: &idem dicendû, si ille qui accepit pecuniam ad injuste vexâdum id non præstitit. Solum est locus compositioni, quando ob acceptam pecuniam injusté vexavit: ut maneat omninó quietus in conscientia vitans diversitatem opinionum: cum alij negent, alij affirmant teneri ad restitutionem.

Compositio per Bullā circa munera data judicibus. 1442. Quid si judex ob justam sententiam accepit munus? Bené respondet *Palaus numer.6.* si illud datum fuit ob justum timorem ne a parte contraria subornaretur, compositioni non esse locum,

locum, sed integré restituendum: at si datum fuit liberaliter, ut motus tali munere favorem danti exhiberet, posse componi, si velit sequi opinionem teneri judices ad restituenda munera sibi data, vulgo *peytas*: si autem oppositam, compositione non egere. Vide infra casum octavum.

6. Casus est in advocato qui accepit pecuniam ob tuendā causam injustā, sciente eo in cujus favorem advocavit. Hic enim potest facere cōpositionem de acceptis. Quia Pontifex illam concedit pro obtinenda securitate conscientiæ: cum inter doctores controversum sit, an ille teneatur ad restitutionem. At ob talem compositionem non excusabitur a reparandis omnibus damnis, quæ intulit parti contrariæ, utpote certo & cognito creditori.

7. Casus datur in multis similiter injusté operantibus, v.g. potest facere compositionem testis qui aliquid accepit ob falsum testimonium, accusator ob falsam accusationem, vel eam ad quam tenebatur, omittendā, & generaliter omnes personæ, quę vel ob injustitiam faciendam, vel præstandam diligentiam, ut fieret, pecuniam acceperunt: ita tamen ut pars læsa integré reparetur. Pontifex enim (ut notant citati authores) potest dictam compositionem concedere: quia accepta ob turpem causam, casu quo restituenda sint, pauperibus vel pijs operibus applicari debent.

Judicum munera ad Bullā compositionis. 8. Casus est in judicibus tam laicis, quā Ecclesiasticis in causis temporalibus: nam si tales ob administrandam justitiam munera acceperunt, facere possunt compositionē de acceptis. Quod intelligitur, quando qui dedit ignoratur, vel datum fuit in causa dubia ob finem subornationis. Nam extra hos casus (ut bené ex *Villal. num* 27. tenet *Palaus citatus num*. 9.) compositioni locus non est: sed danti fieri debet restitutio, si cognoscatur, casu quo dederit in redemptionem vexationis: si autem omninó liberaliter, cessat probabiliter restitutionis obligatio, antequam judex sententiam ferat.

Pontifex & commissarius cum loquerentur de judicibus Ecclesiasticis, notanter expresserunt compositionē facere posse de acceptis ob administrationem justitiæ in causis temporalibus: quia sic (ut tenent *Rodrig. num*. 27. & *Villal. tr*. 29. *n*. 27.) tacité indicarunt non potuisse facere compositionem, ob accepta in causis spiritualibus, quasi parta per Simoniam. Oppositum tamen judicat *Palaus num*. 9.

Taxa laboris m ministris justitia. 1443. 9. Casus est circa notarios, aliosque ministros justitiæ, ut possint componi de acceptis ultra taxam sui laboris: ea enim quæ excedunt taxam, laboris prætium non sunt, proindeque injusté capiuntur: hæc igitur restitui debent danti, si fieri possit: & tunc locus compositioni non est. Si vero ipsi nequeat fieri, pauperibus est facienda: & tunc juxta citatos authores, datur locus compositioni.

Ludentes injuste ad Cruciatā. 10. Casus est in ludo, & cusoribus circa acquisita injusté, seu per fraudes, vulgò *trapaças*. Hæc igitur (sicut jam in similibus resolvimus) semper parti læsæ, seu defraudatæ restitui debent, quando pars agnoscitur, & moraliter fieri potest restitutio. Si autem detur impotentia ut sic fiat, compositioni locus est.

Qualiter evadat ludus injustus, & quas ad justitiam postulet conditiones, exposuimus *tract*. 21. *sect*. 1. & 2.

11 Casus est in simulātibus sanctitatem, vel paupertatem: qui enim ob hanc causam nō motivam, sed finalem aliquid datum acceperunt, si restitutio dantibus fieri nequeat, compositionem facere possunt, quando totum illud pauperibus vel pijs operibus erogare nolint. *Pauperes facti ad restitutionem cōpositi.*

12. Casus in illis qui venando, piscādo, vel alia via nocuere satis alienis, vel hæreditatibus cum obligatione restitutionis. Hi omnes possunt uti beneficio restitutionis, dummodo creditoribus, quibus intulere damnum, restitutio fieri nequeat. Qualis autem oriatur obligatio restituendi ex incisione arborum, piscatione & venatione in alienis fluminibus, & saltubus, diximus tract. 7. sec. 4.

13. Casus est in fœminis inhonestis, quæ meretrices non sunt: hæ enim possunt facere cōpositionem, si acceperunt aliquid ob actum turpem: similiter homines a fęminis non uxoratis aliquid ob eandē causam accipientes. In hac cōcessione tacité insinuatur, non esse locum compositioni meretricibus. Quia hę licite retinent acquisita, utpote ex permissione reipublicæ acquisita. Cum autem respublica non permittat, sed puniat inhonestatem aliarum fœminarum, ideo pro utraq; parte opinantur Doctores circa obligationem restituendi turpiter accepta, proindeq; compositioni locus est. Dixi (homines a fœminis non uxoratis accipientes) quia si accipiatur ab uxoratis sine consensu maritorum, his restituendum est, & compositioni locus non dabitur. *Meretrices ad compositionem.*

1444. 14. Casus est in acquisitis per falsa pondera, mixtiones adulterinas, aliamve similē deceptionem: in his enim si restitutio fieri nequeat, compositio dari poterit. Bené tamen advertunt citati Doctores juxta doctrinam, quæ tradidimus trac. 12. in prædicta deceptione quāvis creditor damnificatus in particulari ignoretur, in genere tamen notum esse: v.g. quia venditor mercium probé scit se damnificationem fecisse in tali oppido, cui proinde restitutio facienda est. Et tunc non datur locus compositioni: similiter si quis sciat se uni ex duobus rem debere. Quia in tali dubio tenetur inter tales duos rem dividere. *Pondera falsa ad Bullā cōpositionis*

15. Casus est in bonis inventis, quorum dominus facta debita diligentia comparet. Quamvis enim non desint authores qui dicant inventorem ea sibi retinere posse alij oppositum judicant, ut diximus *tract*. 8. *sec*. 5. *q*. 6. Unde Pontifex pro maiori severitate concedit compositionem.

Deniq; circa omnes prædictos casus Pontifex suam

suam declarat mentem his verbis: *Beneficio compositionis uti possunt quicunq; forma & modo, etiam illicito, acquisitam retinent, creditore non comparente: dummodò non acquisierint sub spe, & fiducia hujus compositionis.* Ad quæ verba benè notant Rodrig. in præsenti *num.75.& Villalob. num. 37.* censeri sub fiducia hujus compositionis acquirere illum qui ejus occasione movetur ad sic acquirẽdum credens se posse retinere beneficio compositionis sic acquisita saltem ex parte: secus esse; si sperata cõpositio iniquæ acquisitionis causa non foret, esto illam comitaretur.

TRACTATUS XXXXII.

De Sacramento Ordinis, & extremæ unctionis.

SECTIO. I.

De Ordinis essentia, multiplicitate, effectu, & Officio.

QUÆSTIO I.

Quid sit ordo, & quæ ad ipsius essentiam requirantur?

1445. *Ordo quid.* APUD Latinos nomen ordinis accipitur pro digestione, seu rei cujusque in congruenti loco collocatione, veluti in exercitu, ubi equites, ubi pedites, & reliqua omnia suo quæque collocantur ordine: in quo sensu sic definitur a *S. August. lib. 9. de civit Dei cap. 13. Est parium, dispariumq; rerum sua cuique loca tribuens dispositio.* Apud Legistas sumitur pro recto tenore litis secundum jus, & vocatur ordo juris. Apud Canonistas *ad Cap. Duo sunt 12. quæst. 1.* accipitur pro qualitate & statu hominum, & sic Romæ tres erant hominum ordines, seu status, nempe Senatorius, equestris, & plebeius.

Apud Theologos, cum quibus nobis sermo est, antonomasticé usurpatur pro statu clericorum, qui (ut docet *Bellarm. lib. 1. de cler. cap. 1.*) ex divina ordinatione & dispositione consecrantur, & deputantur in Dei cultum & obsequium. Sed ad nostrum præsens institutum rectè definitur ab *Ægid. Bellano disp. 20. dub. 1. num. 2.* in hunc modum. *Ordo quã Sacramẽtum.* *Ordinatio est quædam sacra cæremonia, qua alicui peculiaris potestas traditur destinata aliquo modò ad mysterium venerabilis Eucharistiæ rite peragendum.* Clarius & aptius (ut opinor) definitur a Suario lib. 7. consil. cap. 1. dub. 1. in hunc modum: *Est Sacramentum quo potestas spiritualis significatur, & traditur in ordine ad Corpus Christi consecrandum.* Fuisse ordinis Sacramentũ a Christo domino institutũ in ultima cæna tradit *Palaus tr. 27. part. 1. num. 4. & Vasq. com. 3. in 3. part disp. 239. cap. 1 num. 2.* benè notat illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem* Christum Apostolis præcepisse suum corpus & sanguinem consecrare & simul in sacerdotes illos instituisse.

Qualiter veró ordo secundúm suam essentiam & multiplicitatem inserviat summo & ineffabili Sacramento Eucharistiæ, constabit ex dicendis, præcipué in quæst. 3. ubi de officijs singulorum ordinum. Nunc resolvamus dubia.

Dubium est 1. Utrum ordo sit sacramentum novæ legis? *Sacramẽtum ordo* Si loquamur de ordine indeterminaté accepto, non attendendo ad hunc, vel illũ determinatum, esse sacramentum novæ legis, de fide est definitum ab Eugenio 4. in suo decreto, & a *Trident. sess. 7 can. 1 de sacram. in genere & sess. 23. can. 3.* si loquamur de singulis in specie, etiam certum est omnes ordines sacros esse sacramentum.

1446. Difficultas est 1. an Episcopi ordinatio prout distinguitur a presbyteri ordinatione, *Episcopi ordinatio an sacramenta.* huic superadditur, sit sacramentũ? Negant *S. Bonaventura 2. part. dist. art. 2. quæst. 3. Covar. lib. 1. Variar. cap. 10. n. 15. Sotus quæst. 1 art. 3. & Sotus quæst. 1.* Quia in ordinatione Episcopi nulla forma aut materia apparet.

Affirmandum tamen est cum *Valent. disp. 9. q. 1. part. 4. Bellarmin citatus cap. 5. Vasq. 240. cap. 4. Ægid. Bellan. disp. 20. dub. 6. & Becano cap. 23. quæst. 3.* Sumitur ex Triden. sess. 23. cap. 3. ubi decernit ordinationem esse sacramentum gratiam conferens, probatque ex Apostolo. 2. ad Thimot. 1. docente ordinationem esse collativam gratiæ, & ibi sermo est de ordinatione Episcopi, ut superadita ordinationi presbyteri.

2. Difficultas est, an collatio quatuor minorum ordinum, & primæ tonsuræ sit sacramentũ? *Ordines minores an sacramentum.* Communis Theologorum concensus est, uno excepto Ayala contrarium insinuante, collationem primæ tonsuræ sacramentum non esse, quia Ecclesiasticus ordo non, sed quædam designatio ad ordines. Dubitatur circa quatuor minorum ordinum collationem, an sacramentum sit? Negant cum *Magistro in 4. dist. 24. Sotus quæst. 1. art. 4. Medina lib. 1. de contin. cap. 46. & Vasq. d. 2. 7. cap. 2.* Quia tales primi quatuor gradus non fuerunt a Christo instituti, cum ab initio Ecclesiæ non extiterint.

Affirmandum tamen est cum *S. Thom in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 1 quæst. 3. Covar. 1. resol. cap. 10. Val. disp 9. quæst. 1 part. 4. Bellano disp. 20. num. 47. & Gaspare Hurt. trat. de ord. diff. 9.* quatuor minores ordines esse sacramentum novæ legis: sumitur ex *Trident. sess. 23. cap. 2. & 3 & can. 3.* nam postquam

cap. 2. recensuit septem ordines maiores & minores, postea cap. 3. & can. 3. absolute & sine ulla limitatione ordinationem vocat sacram, & definit esse sacramentum. Quæ omnia insinuaverat Eugenius 4. in suo decreto. Illud tanquam certum notabis cum *Sanch. lib. 7. conf. cap. 1. d. 1.* quanvis septem ordines sint sacramenta, unum esse, & non plura sacramenta.

1447. Dubium est 2. quænam sit hujus sacramenti materia & forma absolute & in genere? Dico 1. Materia hujus sacramenti est illa per cujus traditionem confertur ordo. Ita *Sanch. cit. num. 10.* & cõstabit in quæstione sequẽte, cũ singulis ordinibus suas materias assignaverimus. Dico 2. Forma hujus sacramenti est illa, quæ per modum imperativum traditur, scilicet *Accipe potestatem* & constat ex usu Ecclesiæ, & ex *Florent. in decreto Eugenij IV.* ubi etiam definitur formam esse ea verba, quæ Episcopus profert, cum porrigit ordinandis materiam. Ratio est, quia institutio hujus sacramenti non fuit per se ordinata ad hominem sanctificandum, ut est persona privata, sed in ordine ad populum, in quo minister & persona publica constituitur: & ideo (addit *Sanch. num. 8.*) sicut oratio Regis fit per verbum imperativum *Accipe potestatem*, tradendo illi sceptrum, sic quando Ecclesiæ minister ordinatur. Notant bené authores invocationem Trinitatis esse de decentia, sed non de essentia ordinationis.

Materia & forma ordinis.

Dubium est 3. an spectet ad essentiam quód initiati tangant materiam? Negant *Cayetan. in sum. V. Ordinandi, Armil. V. Ordo num. 4. Tabien. V. Ordo 2 §. 1.* & hanc opinionem judicant probabilem *Henriq lib. 10. de Ordin cap. 10 num. 1. Victoria de Ord. num. 230. Ledesma 2. 4. quæst. 36. art. 5. Sotus 4. d. 24. quæst. 1. art. 2. & Sanch. cit. dub. 2. num. 1.* Satis enim videtur quód episcopus ordinando præsentet materiam dicens *Accipe potestatem.* Præcipué quia Florentinum cum ponat materiam & formam hujus sacramenti, non meminit contactus.

Tactus materiæ per ordinandum.

Affirmandum tamen est cum sententia longé probabiliori, quam tenent *S. Thom. in 4, dist. 24. q. 1. art. 1. Navar. in sum. Latina cap. 22. num. 27. Henriq. Ledesma, & Sanch.* citati. Ratio est, quia verba formę ita debent verificari, ut actus per illam significati impleãtur: alioquin inefficacia & vana forent: sed verba formæ præcipiunt veram acceptionẽ materiæ exhibitæ, quæ verificari nequit in sola acceptione interna, præsertim quia Ecclesia de internis non judicat; ergo externa acceptatio per contactum requiritur.

1448. Illud cum multis bené notat *Sanchez citat. num. 3.* non requiri fieri tactum ambabus manibus, sed sufficere quod fiat una manu: nec requiri quòd tangantur omnia, ut calicem, patenam, & hostiam, sed sat esse tangere quomodocunque & modicum quid alicujus rei, quę nullum discontinuum medium habeat ad totum: nec requiri tangere calicem consecratum. Missa enim in calice non consecrato celebrari potest. Iuxta dicentes (concluit *Sanch. num. 6.*) impositionem manus esse de essentia ordinis in sacerdotio & diaconatu, requiritur contactus corporalis.

Contactus per impositionem manuum.

Dubium est 4. an sit de essentia ordinis, ut ministretur ab Episcopo faciente sacrum? Constat negativa resolutio de prima tonsura & minoribus ordinibus: ad quorum valorem & essentiam spectare, ut conferantur ab Episcopo Missam celebrante, tenent *Sylvest. V. Ordo 2. quæst. 8. dicto 1. Angelus V. Ordo 4. num. 5. Anton. cap. litteras, de tempor. ordinat. Raynerius* & alij. Ratio desumitur ex inviolabili, & antiquissimo usu Ecclesiæ.

Dicendum tamen est cum *Panorm. ad cap. quod sicut num. 12. Tabiena V. Ordo 2. quæst 5. Soto in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 4. conclus. 2.* & alijs, quos citat & sequitur *Sanch. lib. 4.* celebrationem Missæ in Episcopo ordinante esse de præcepto, non tamẽ de essentia. Ratio est, quia nullus apparet locus vel in Concilijs, vel in Pontificis definitionibus, ex quo colligatur Missam Episcopi pertinere ad valorem ordinationis: quia de essentia sacramẽti tantum esse potest materia, forma, & minister; superest igitur ut sit cæremonia inter alias justissimé præcepta.

Episcopi Missa ad ordinationem.

1449. Dubium est 5. an sit de valore & essentia ordinis, quod idem Episcopus qui profert verba, porrigat materiam ab ordinando tangendam? Certum est in ordinibus minoribus id nõ esse de essentia, ut constat ex *cap. Acolytus. dist. 23.* & Concilio *Carthagin. IV. cap. 7.* Difficultas est circa maiores & sacros, in qua quidquid dicat *Sotus in 4. dist. 24. quæst. 1. num. 5.* rectè affirmant *Sylvest. V. Ordo 2 quæst. 7. dicto 1. Henr. lib. 10. de ordine cap. 8. num. 3. Tabiena ordo 2. quæst. 12. & Sanch. cit. dub. 5.* dicentes ad valorem cujuscunque ordinis imprimentis characterẽ essentialiter requiri traditionem, faciendam ab Episcopo qui ordinat. Probatur a simili, nam in alijs sacramentis, excepto pænitentiæ, necessarium est, ut forma, & materia ab eodem ministrentur; ergo in hoc, exceptis minoribus ob Ecclesiæ usum oppositum.

Traditio in ordinatione.

Illud observabis, quod si exorcistæ tradatur liber habens solum Evangelia, vel Diacono liber habens solum exorcismos, nihil valere ordinationem. Nam tradi debet exorcistæ liber habens exorcismos, & Diacono liber habens Evãgelia, vel cuilibet liber habens utrumque.

Ordinationis certitudo.

Denique si quis circa Episcopalem & presbyteralem ordinem invalidè susceptum urgeatur scrupulis, & secum sic ratiocinetur. Cum sit ex natura rei omnino possibile, & valde contingẽs, quod inter tot Episcopos & presbyteros Ecclesiæ Dei, decursu tot sæculorum currentium, aliqui non sint veri Episcopi, & aliqui non sint veri presbyteri ex varijs defectibus, seu capitibus: vel quia non habuerunt intentionem accipiendi sacros ordines, vel quia non erant validé baptizati, vel quia illi a quibus acceperunt Episcopalem, & sacerdotem ordinem, caruerunt potestate aut intentione illos ordinandi, aut ex similibus defectibus, v.g. in non adhibendo le-

gitimam

gitimam materiam & formam: quæ omnia (ut suppono) invincibiliter ignorantur: poterit ne dici Christum de potentia absoluta suppleturum esse tales defectus, utpote intolerabiles in suaEcclesia? Item poteritne dici Christum per extraordinariam providentiam nunquam permissurum, ut tales casus eveniant?

Respondeo posse. Si enim Deus ut author naturæ, in physicis eidem naturæ succurrit, v.g. ne detur vacuum, propter inconvenientia naturalia, quæ ex vacuo sequerentur, cur ut author gratiæ in moralibus non impediet inconvenientia moralia, quæ statui legis gratiæ repugnant? Item, si ut author naturæ habet specialem providentiam in physicis, ne deperdatur omninó aliqua ex speciebus infimis, v. g. inter animalia, vel plantas: cur non habebit in moralibus, ne deperdantur Episcopi, aut sacerdotes, etiam in hac vel illa provincia? Ergo sic de divina providentia in moralibus sentiendum est. Hæc videntur satis, & recté observata ad tollendos scrupulos.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit ordo: & quotuplex ipsius forma, & materia?

Utranque multiplicitatem & ordinis, & ipsius formæ ac materiæ, ut explicemus, multipliciter ac diversimodé Doctores opinati fuere circa numerum ordinum. Nam *Zenedo ad decret collect.* 105. *num.* 2. *Covar. in cap. nos, de testam. num.* 4. *& Fillius. cap sicut & 3. de Simonia num.* .. novem ordines esse dixerunt, scilicet primam tonsuram, quatuor ordines minores, tres maiores, & Episcopatum.

Alij cum *Titelman. lib de sacram. cap.* 3. numérant decem: prædictis enim addunt *Psalmistam* alio nomine *cantoriam*, idque probant ex *Concilio Carthaginense IV. cap.* 10. hoc ministerium inter ordines referente. Alij cum *Navar. cap.* 12 *numer.* 18. *Cajetan. tom. 1. Opuscul. tr. 11. & Vallent. disp.* 9. *q* 1 *part.* 2. excludentes primam tonsuram, & cantoriam ab ordine, octo recensent. *Ordinum numerus.*

1450. Verior tamen, securior & communior est sententia *S Thomæ in præsenti quæst.* 37. *artic.* 2. *quæst.* 2. *& Alberti Magni in* 4. *dist.* 24. *art.* 5. qui excludentes primam tonsuram ab ordine, & collocantes Episcopatú sub presbyterio septem tantum esse ordines docent, scilicet sacerdotum, Diaconorum, subdiaconorum, Acolytorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum. Sic enim statuit *Trident. sess.* 23 *cap.* 2. *& can.* 2. numerando & referendo sex inferiores ad ultimum superiorem seu supremum, quale sacerdotium. *Septem ordines.*

In hoc septennario constat dari tres ordines maiores, & sacros nempe sacerdotium, diaconatum & subdiaconatum: & quatuor minores & non sacros scilicet Acolythum, Lectorem, Exorcistam, & ostiarium. Priores tres (inquit *Palaus tract.* 27 *part.* 2 *num.* 3.) dicuntur *maiores*, quia exaltátes sacrificium, ad quod sex omnes dirigú- *Sacri ordines.*

tur, proxime concurrunt. Dicuntur *sacri* quia forte ipsi soli sunt sacramentum, non auté quatuor minores: sed præcipué, quia votum cælibatis habent annexum, quo homines in Dei cultú sacrantur. Ut tamen innotescat clarius hic septenarius ordinum numerus.

Dubium est 1. an Episcopatus sit veré ordo? Negant plures cum *Sylvestr V. ordo* 1. 1. *quæst. dub.* 3. *Covar.* 1. *var. cap.* 20. *num* 15. *& Soto lib* .. *de iust.* & hæc sententia probabilis est: sed probabilior & tenenda affirmativa, quam defendunt *Altisiod. in sum. tr.* 8. *quæst.* 1. *Angles* 1. *part. mat. de ord. fol.* 108. *& bellarm. tom. controv lib.* 1. *de ord. cap.* 5. eam appellans verissimam. Ratio est, quia Episcopalis ordinatio imprimit characteré: est enim indelebilis, & repeti nequit. Deinde confert gratiam: nam Episcopus qua talis debet quædá sacramenta ministrare, quæ sine gratia non digné ministrantur. *Episcopalis ordo.*

1451. Quæres tamen, quomodo se habeat Episcopatus ad sacerdotium? Respondet Bellarm. citatus Episcopatum esse diversum ordinem a sacerdotio: quando veró dicuntur septem ordines, esse unum cum sacerdotio, non specie sed genere. Melius tamen dicitur (inquit *Sanchez lib.* 7. *consil. cap.* 1. *dub.* 9. *num.* 5) sicut consecratio panis & vini constituunt unum sacramentú tanquam partes integrantes heterogeneæ, sic consecrationem simplicis sacerdotis esse unum sacramentum tanquam perfectum & imperfectum. Nam presbyteratus est ordo sacerdotalis non completus, & non consummatus: Episcopatus veró completus & consummatus. *Presbiteratus ordo.*

Dubium est 2. an Cardinalatus sit ordo, & in quo differat ab Episcopatu? Certa resolutio, quam cum multis docet *Samb. lib.* 7. *consil. dub.* 10. habet Cardidalatum nec esse ordinem, nec sacramentum: siquidem ad Eucharistiam nullo modo ordinatur. Imo (addit num. 3.) non jure divino, sed solo Pontificio institutus est proindeque a Papa aboleri potest, sicut & Archiepiscopatus, & Patriarchatus. *Cardinalatus quid*

Præter id quod Cardinales habent commune vel cum presbyteris, vel cum Diaconibus, quando tales sunt, habent duo munia specialia. Primú est Papam eligere juxta *Cap. in nomine Domini dist.* 23. Secundum est assistere Papæ, eumque in regenda Ecclesia consilio & industria juvare. Unde si consideremus potestatem ordinis, maior est Episcopus Cardinali vel presbytero, vel Diacono. Nam solus Episcopus potest consecrare ordines, confirmare, & vasa sacra consecrare. Ideo Papa se vocat Episcopum, non Cardinalem: Episcopos vocat fratres: Diacones veró & presbyteros Cardinales, dilectos filios,

1452. Si consideremus (addit *Samb. num.* 7.) potestatem jurisdictionis, nempe Episcopi in propriam diœcesim, Cardinalis in suum titulum, vel diaconiam, maior est jurisdictio Episcopi. Nam Episcopus tanquam ordinarius habet potestaté ferendi leges, dispensandi, indulgendi, puniendi, Cardinalis veró non Episcopus in suo titulo *Iurisdictio cardinalis & Episcopi.*

 nil

nil potest, nisi quantum ei Episcopus permiserit. Si denique consideremus regimen Ecclesiæ universalis, Cardinalis non Episcopus maior est Episcopo non Cardinali, ut patet.

Quid distet inter Episcopos & presbyteros, inter Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, Primates, & Papam, tradit dilucidè citatus *Sanch. dub.* 11.

Explicata multiplicitate Ordinis, sequitur explicanda multiplicitas materiæ & formæ, ut intelligatur quæ sit materia & forma singulorum ordinum. Procedamus igitur a gradibus inferioribus ad superiores seriatim, eo modo quo in ordinandorum initiatione proceditur. Cum verò jam dixerimus materiam ordinum esse illam, per cujus traditionem confertur ordo, seu imprimitur character: verba autem exprimētia traditionem potestatis esse formam, ex communi Theologorum cum multis quos citant ac sequuntur *Vasq. disp.* 238. *cap.* 5. *Palaus tr.* 27. *part.* 4. & *Sanch lib.* 7. *Consil. cap.* 1. *dub.* 12. singulorum ordinū materias & formas accipe.

Materia & forma singulorum ordinum. Materia Ostiariatus est traditio clavium Ecclesiæ: materia Lectoratus est traditio libri exorcismorum, cui triplici materiæ correspondet triplex forma. Forma gradus Ostiarij est: *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur* Forma Lectorum est: *Accipite, & estote Verbi Dei relatores, habituri, si fideliter & utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui Verbum Dei bene ministraverunt ab initio.* Forma exorcistatum est: *Accipite & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive cathecumenos.*

Acolytus, Latinè ceroferarius, habet duos actus, nempe portare cereum ante sacerdotem celebraturū, & ministrare postmodum in Missa subdiacono dando illi urceolos cum vino & aqua. Unde acolytis fit duplex traditio, altera per hæc verba: *Accipite ceroferarium cum cereo, & sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipatos in nomine Domini.* Altera per hæc: *Accipe urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi in nomine Domini.* *Character impressio.* Verius est imprimi characterem in traditione urceoli utpote actu magis accedente ad celebrationem Eucharistiæ.

1453. Ut accedamus ad maiores & sacros ordines, in subdiaconatu datur duplex traditio, *Subdiaconatus materia & forma.* altera libri Epistolarum, quam facit Episcopus dicendo, *Accipe librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta tam pro vivis, quā pro defunctis, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti,* Altera Calicis vacui cum patena, & dicit Episcopus. *Videte cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis quod Deo placere possitis.* Forma igitur sunt hæc verba posteriora: nā idem valent ac: Trado vobis potestatem ministrandi in tali ministerio.

Diaconatus forma In Diaconatu imprimitur character in traditione libri Evangeliorum, quando accedit forma, nempe hæc: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini.*

Sacerdotij character materia & forma. In sacerdotio imprimitur character saltem quoad potestatem consecrandi per traditionem calicis cum vino & aqua, cum patena superposita cum hostia, dicente Episcopo verba formæ: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasq; celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini.* Alia verò potestas, nempe absolvendi a peccatis, probabilius est quod conferatur, quando sacerdoti Episcopus imponit manus, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis: & quorum retinueris, retenta sunt.* Unde sunt duæ formæ partiales: prioris formæ materia est traditio calicis cum iis, quæ diximus: posterioris est manus impositio. In secunda nō imprimitur novus character, sed idem extenditur.

1454. Quid de Episcopatu? Cum diximus supra num. 1451. Episcopatum constare ex sacerdotio, & hujus complemento, exposuerimusque jam sacerdotii materiam, & formam, solum nobis exponēda est materia & forma talis complementi. *Episcopatus forma & materia.* Dicimus igitur cum Palao tr. 27. part. 4. num. 1. hujusmodi materiam esse impositionem manuum trium Episcoporum, qui necessariò in Episcopali consecratione debent cōcurrere: formam verò esse illa verba, quæ ab ipsis Episcopis proferuntur, cum manus imponunt. Constat a simili in reliquis nuper explicatis ordinibus.

QUÆSTIO III.

Quanam Episcopalis consecratio postulet essentialiter: & quanam ex præcepto?

QUI hactenùs essentiam singulorum ordinū exposuimus, & ordinem Episcopalem tetigimus, hanc de Episcopatu integram, sed brevem quæstionem instituimus. *Episcopalis consecratio quid.* Pro decisione præmittimus in Episcopi consecratione quatuor considerari, scilicet cæremonias, tempus, locū, & ministrum. Quod attinet ad cæremonias, observari debent quæ habentur in Pontificali Romano, & sunt præcipuæ tres, nempe Missa, unctio consecrandi in calice, & manibus, & impositio manuum ac libri Evangeliorum super caput consecrandi.

Cæremoniæ in cōsecratione Episcopi. Nec Missa (ut latiùs docet *Sanch. lib. 7. consil. c. 3. dub.* 15.) nec unctio spectant ad essentiam, sed solum ad præceptum. Unde valida erit consecratio sine missa & sine unctione: vel alio Episcopo celebrante, imo sine impositione libri Evāgeliorum. At impositio manuum super caput Episcopi, cum illis verbis, quæ proferunt Episcopi consecrantes, *Accipe Spiritum Sanctum,* sunt de essentia: & sic verba illa sunt forma, & impositio manuum est materia, ut diximus. Nam in tali actu charater imprimitur.

1455. Quod attinet ad locum & tempus, neuter est de essentia. Locus de jure communi debet esse Ecclesia, quam elegerit Metropolitanus, ad quem spectat consecratio. *Papa cōsecratur.* Papa consecrari debet

bet in sua Ecclesia: potest tamen in quacunque etiam extra Urbem, juxta *Trident. sess. 23. cap. 2. de reform.* Potest fieri consecratio in Ecclesia cōsecrandi, vel in sua provincia, vel in curia Romana.

Tempus cōsecrationis. Fieri debet consecratio in die Dominica hora tertia, idest *ás wore ds menha.ã*, existentibus tam consecrantibus, quam consecrando jejunis. Episcopus etiam Cardinalis, si intra tres menses nō consecratur, manet abnoxius restitutioni fructuū perceptorum: si intra totidem id neglexerit, Ecclesijs est ipso jure privatus. Sic *Triden. sess. 23. cap. 2. de reform.* Nec proderit dispensatio Papæ ultra sex menses, nisi sit expressa.

Jejunium ordinādo rum. Tres illi menses debent computari a die confirmationis: si autem negligens fuerit in petenda confirmatione, computabuntur a die electionis. Non requiritur quod jejunium sabbathi continuetur cum die Dominica, sicut requiritur quādo ordines sacri sunt die Dominica celebrandi. Quamvis duo ordines sacri nequeant eadem die conferri, nec duabus immediatis, at potest quis sabbatho ordinari sacerdos, & die sequenti Episcopus.

Cōsecrationis Episcopi minister. Quod attinet ad ministrum, consecratio saltem ex præcepto facienda est a tribus Episcopis Nam unus principaliter totam consecrationem perficit: duo alij sunt coadjutores. Essentialia necessariò fieri debent ab eodem: si enim alius dicat verba, nihil fiet. Papam consecrant quinque Episcopi, præsertim Cardinales, & ex consuetudine Episcopus Hostiensis. Primatem, & Metropolitanum tres Episcopi suffraganei, alijs advenientibus ad assistendum, nisi sint legitimé impediti. Archiepiscopus debet consecrari ex consensu Primatis, cui subest. Episcopus suffraganeus ab Archiepiscopo, exemptus a Papa, vel ab alio ex ejus commissione. Si Metropolitana sedes vacet, debet Episcopus suffraganeus ex illius Capituli jussu consecrari ab alijs suffraganeis: nec tunc requiritur consensus primatis, si forte illi Archiepiscopus, vel Sedes Metropolitana subsit.

Papæ cōsecratio.

Minister cōsecrationis Episcopalis. 1456. Hactenus de ministro quoad necessitatem præcepti. Si verò inquiramus necessitatem sacramenti: Certū est 1. esse de essentia quod cōsecrans sit Episcopus. Nam spectat ad characterē Episcopalem posse consecrare Episcopos. Certum est 2. non esse de essentia, sed tantum de necessitate præcepti, quod consecratio fiat de jussu Archiepiscopi, vel Primatis, seu Patriarchæ, & ab Episcopis suffraganeis. Nam hoc pertinet ad jurisdictionem: jurisdictio autem solū in pænitentia & matrimonio est de necessitate sacramenti. Episcopus tamen sic consecratus contra tale præceptum, non poterit exequi officium. Difficultas est, an sit de essentia quòd consecratio fiat a tribus Episcopis? Affirmant aliqui. Probabilius tamen negandum est. Quia in nullo alio sacramento sunt de necessitate sacramēti plures ministri: & unus Episcopus eadē

Iurisdictio ad sacramētū.

potestate or dinis præditus est, ac tres Episcopi. Has omnes resolutiones tenens firmat textibus, & illustrat authoribus *Sanch. citatus toto dub. 15.*

Pallium Archiepiscop. Quid ad potestatē Archiepiscopi, Patriarchæ, seu Primatis conferat pallij receptio, & dixit copiosè *Sanch. cit. dub. 16.* paucis accipe. Pallium est ornamentū ad modū stolæ sacerdotalis, crucibus nigris intextū, super alia ornamenta delatū, humeros ad instar coronæ, pectusq; circundās, ante dependens, quod significat plenitudinē potestatis. Ideo illo semper utitur Papa, non ita Archiepiscopus, vel Patriarcha. Ut exponam quid afferat obligationis, authoritatis & utilitatis. Dico 1. tam Archiepiscopus quā Patriarcha tenetur infra tres menses petere palliū a Papa: aliter, si accusetur, cessante legitimo impedimento, potest removeri. Petens debet præstare juramentū fidelitatis & obedientiæ Ecclesiæ Romanæ. Illi tres menses intelliguntur post confirmationē, si antea erat Episcopus cōsecratus: si non, post cōsecrationē. Dico 2. Archiepiscopus solum potest uti pallio intra suam provintiā, & Patriarcha intra suū Patriarchatū. Quod si habeant privilegium utendi extra, debet id fieri de licentia diæcesani.

Festivitates ad usū Palij. 1457. Dico 3. Solum potest uti pallio inter Missarum solemnia, & tunc si ipse Missam cantet:: & quidem solum in festis præcipuis, qualia sunt Nativitas Domini, festum B. Stephani, B. Joannis Evangelistæ, Circuncisio, Epiphania, Dominica Palmarum. Feria 5. in Cæna Domini, sabbatum sanctum, Dies Resurrectionis cum duobus sequentibus, Dominica in Albis, Pentecostes, Nativitas S. Joannis Baptistæ, festa omnium Apostolorum: in dedicatione clericorum, consecratione Episcoporum: in principalibus festivitatibus Ecclesiæ suæ, in die anniversarij consecrationis suæ, & in die anniversarij Ecclesiæ suæ: in festo Ascensionis, festo omnium Sanctorum, tribus proprijs festis B. Mariæ. Vide *Pontificale R.*

Pōtificalis quid. Dico 4. Ante pallij receptionem nec potest ante se portare crucem, nec se nominare Archiepiscopum, vel Patriarcham: nec exercere Pontificalia, qualia sunt ordinare clericos, conficere chrisma, Episcopos consecrare, dedicare basilicas, convocare ad concilium. Cum verò pallium sequatur personam ratione loci, hinc est quod non possit accommodari, nec in morte alicui relinqui, sed debet Archiepiscopus cum illo sepeliri. Quid si Archiepiscopus ad alium Archiepiscopatum transferatur? Non debet secum illud deferre, nec successori relinquere: sed uterque debet novum pallium petere.

Pallij usus

Archiepiscopus, si non sit in mora petendi, potest delegare alijs Episcopis ut cōsecrent Episcopum sibi suffraganeum. Quia solum prohibetur eo tempore exercere ea quæ sunt ordinis, & cogere concilium: talis autem delegatio est actus jurisdictionis.

Ex dictis patet resolutio hujus difficultatis. *Triden. sess. 23. cap. 1. de reform.* præcipit Episcopis ne a sua diœcesi absint ultra tres menses sine causa legitima, & justa. Quidam jam confirmatus, & consecratus Archiepiscopus petijt a Papa Pallium. Quæritur quando incipiant illi tres menses absentiæ, quam potest facere? Respondeo incipere a die receptionis pallij, quando non est in mora petendi instanter ipsum. Quia ante pallij receptionem commode nequit ad Ecclesiam suam venire, nec Archiepiscopus vocari.

QUÆSTIO IV.

Quinam sint ordinum effectus, quæ eorum inter se dependentia, & officia?

1458. TRES habet quæstio partes: prima versatur circa ordinis multiplicem effectum. Imprimis certum est inter catholicos, prout definitur a *Tridentino sess. 23. capit. 3.* Sacramentum ordinis causare gratiam habitualem cum respectu ad auxilia necessaria ad rite & competenter exercendum cujuscunque ordinis officium. *Sacramenti ordinis effectus.*

An verò hujusmodi gratia causetur ab omnibus septem ordinibus, quos quæst. 2. numeravimus? Qui quatuor minoribus rationem sacramenti denegant, cohærenter solis tribus majoribus sacris vim productivam gratiæ concedunt. Nos veró quia omnes septem ordines sacramentum novæ legis esse defendimus, consequenter ab omnibus produci gratiam asserimus. *Gratia causatur a sacramento ordinis.*

Est alius ordinis proprius effectus, nempe character, qui appellatur qualitas quædam supernaturalis animæ inhærens, & indelebilis, qua, quasi quodam signaculo ordinatus a non ordinato distinguitur, & destinatur ad exercenda officia suscepti ordinis. Cum veró tract. 37. sect. 1. de sacramentis in genere statuerimus omnia sacramentis in genere statuerimus omnia sacramenta quæ reiterari non possunt, imprimere characterem, & pro comperto habeamus nullum ex septem ordinibus reiterari posse, modó cum *Vallen. d. 9. quæst. 2. punt. vnic. Bellan. d. 20. dub. 8. & Bonacina disp. 8. quæst. vnic. part. 6. num. 5.* omnes septem ordines tam majores quá minores characterem imprimere asserimus. *Charater ordinis.*

1459. Difficultas est, utrum per partiales ordinationes ejusdem ordinis, v.g. per ordinationem partialem sacerdotis ad consecrandum & aliam partialem ad absolvendum imprimantur distincti characteres partiales? Negant *Henr. lib. 1?. cap. 6. Reginal. lib. 30. cap. 4. Vasq. lib. 10. cap. 6. & Layman. cap. 4.* asserentes per priorem ordinationem partialem imprimi characterem, non per posteriorem. *Characteres ordinis partiales.*

Affirmandum tamen est cum *Bellarm. de ordin. cap. 5. Ægid. Bellano disp. 20 num. 74. & Gaspare Hurtado de ordine diff. 16.* per ordinationes partiales ad distincta ministeria ejusdem ordinis, characteres partiales distinctos imprimi. Quia consonū rationi est, ut sicut prior potestas collata in partiali ordinatione affert Characterem, ita posterior potestas adjungenda priori potestati afferat partialem charactraem, qui priori charactert adjungatur. Ex quo fit juxta *Palaum tr. 17 part. 5. num. 4.* ut quando sacerdos consecratur Episcopus, imprimatur novus character partialis, vel ut alii dicunt, complementum quoddam characteris, quo prior augeatur & consummetur.

2. Quæstionis pars versatur circa ipsorum ordinum connexionem inter se, & independentiam tum inter se, tum ab alijs sacramentis: quæ omnia innotescent duplici difficultate expedita. 1. Difficultas petit quænam sacramenta necessario debeant antecedere ordinationem? Certum est 1. baptismum ita prærequiri ad ordines, ut si omittatur etiam ignoranter, omnis susceptio vel tonsuræ vel cujuslibet ordinis evadat nulla. Est enim baptismus re ipsa susceptus janua omnium sacramentorum. Certum est 2. prærequiri non quidem necessitate sacramenti, sed præcepti confirmationem. Nam *Trident. sess. 23. cap. 4.* ita habet: *Prima tonsura non initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint.* *Baptismus & cōfirmatio ante ordines.*

1460. Dubium est, an hoc præceptum obliget graviter, ita ut susceptio ordinis ante confirmationem sit lethalis culpa? *Bonacina disp. 8. de sacrament. quæst. vnic. part. 5. numer. 9.* quem citat & sequitur *Palaus tract. 27. part. 5. num. 7.* existimant talem susceptionem vel nullam esse culpam, vel esse lethalem. Quia si verba Tridentini inducunt præceptum & non consilium, materia gravis est.

Dicendum tamen est cum *Navarro cap. 22. num 9. Reginaldo in praxi lib. 28. numer. 24. Villalobos tr. 11. de ordin. diff. 7. num. 2. Suar. tom. 3. in 3. part. disp. 20. de ordin. dub. 10* & multis citatis *Barbos. de pote Episc. alleg. 2. num. 14.* solum esse culpam venialem. Quia ex natura rei nulla apparet gravis ibi dependentia & subordinatio, & verba concilij non ostendunt intentionem obligandi graviter.

2. Difficultas petit, quænam sit connexio & dependentia inter ipsos ordines suscipiendos, ut alij præcedere, alij subsequi debeant? Constat 1. ex præcepto Tridentini sess. 23. cap. 2. nullum ordinem posse suscipi, quin primæ tonsuræ susceptio præcedat. Quanvis enim certum sit validé suscipi ordinem sine tali præcedentia, tamen graviter peccabitur contra praxim Ecclesiæ, & Tridentini præceptum, ut tenent *Villalob. tr. 11. diff. 3. num. 7. & Bonacina d. 8. quæst. vnica part. 5. num. 11.* Constat 2. ordines inter se ea subordinatione esse connexos, ut semper a minoribus ad maiores fieri debeat ascensio. Sic enim disponit *Trident sess. 23 cap. 2.* Unde si talis dispositio invertatur, quanvis ordo susceptus persistat validus, tamen sic ordinatus peccat graviter, & manet suspensus ab exercitio suscepti ordinis *cap. sicut o'im 46. dist.* *Ordinū suscipiendorū præcedentia.*

Notat veró Palaus citatus part. 5. num. 9. cum Villalobos tract. 11. de ordinat. diff. 7. in fine, posse

Suspensio ab exercitio ordinis malè suscepti. Posse Episcopum in hujusmodi suspensione dispensare: ut autem dispenset tum ut ordinem prætermissum suscipiat, tum ut susceptum exerceat, tum ut ad maiorem ascendat, opus esse, ne in suscepto ordine ex malitia ministraverit. Nam eo ipso videtur fieri irregularis, & irregularitati publica Episcopus non dispensat.

Ordinum singulorũ officia. 1461. Tertia quæstionis pars versatur circa ordinum pecularia officia, ut nempe explicemus quænam singulis ordinibus ministeria, seu officia competant. Quæ igitur Sanch. lib. 7. cons. c. 2. dub. 17. eruditè collegit, paucis accipe. Ut incipiamus ab infimo & seriatim progrediamur ad summum, *Ostiarij* munus est pulsare cymbalum ad convocandum populum, aperire ostium Ecclesiæ, dignos admittere, indignos repellere, ut infideles & excommunicatos.

Munia singulorũ ordinum. *Lectoris* munus est legere prophetias in Ecclesia ad instruendum cathecumenos, cantare propheras, & lectiones quæ canuntur in Ecclesia, maximè in sabbato sancto, ad quod non indiget dalmatica, sed solum super pelliceo. *Exorcistæ* munus est arctare & pellere dæmones per adjurationem. *Acolyti* est præparare lumina in sacrario, portare cereum: pyxidem cum pane, & urceolos cum vino & aqua præparare, & ad altare deferre.

Subdiaconi munus est legere solemniter Epistolas, panem in patena, vinum & aquam in calice portare, & offerre Diacono, ut hic ea sacerdoti ministret: item lotionem Manuum presbyteri habere paratam. *Diaconi* munus est ministrare & assistere sacerdoti in omnibus quæ aguntur in Missæ celebratione: & sacerdoti tradere materiam consecrandã, & cantare solemniter Evangelium.

Sacerdotis officium. *Sacerdotis* munus est consecrare Eucharistiam, ligare & absolvere, per quem actum proximè disponuntur fideles qui sunt corpus Christi mysticum ad recipiendum corpus Christi verum. Tandem benedicere beneditione simplici in fine Missæ populum absente Episcopo, & ipso absente, de mandato ejus interpretativo. Unde præsenti Episcopo debet innuere an velit benedicere: & si velit, ipse non benedicat. Benedictio solemnis spectat ad Episcopum solum in sua diæcesi, Archiepiscopum in sua provincia, dum visitat & legatum in terminis suæ legationis, & illos Abbates quibus id ex privilegio concessum est, in Ecclesijs sibi pleno jure subjectis. Cap. Abbates, de privil. in 6. *Benedictiones per Sacerdotẽ*

QUÆSTIO V.

An & quomodò supplendum sit, si quid in celebratione ordinum omittatur.

Sacerdotis potestas duplex 1462. CUM valde diversum feratur judicium de suplendis essentialiter, vel solum accidentaliter ad ordinem quemlibet requisitis, antequam illud feramus, occurrit grave dubium circa sacerdotium, an quando Episcopus porrigit ordinando materiam sanguinis & corporis proferens illa verba *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo* conferatur simul potestas absolvendi a peccatis? Affirmant Sylv. v. Ordo 2. q. 4. dicto 4. Sotus in 4. dist. 24. quæst. 1. ar. 5. & Ledesma de sacram. ord. d. 4. asserentes utramq; potestatem dari quando ordinandus tangit materiã Episcopus dicit *Accipe potestatem offerre.* Unde quando postea Episcopus dicit, *Accipe Spiritũ S. quorum remiseris peccata* dicunt nullam de novo tradi potestatem, sed explicare priùs collatam, & sic illa posteriora verba non esse de essentia, sed solum de præcepto.

Dicendum tamen est cum Panorm. *Cap. fin. de sacram. non iteran.* num. 2. Scoto in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 3. Petro Soto sect. 2. de ordin. &c. Bellarmino lib. 1. controv. de sacr. ord. cap. 9. §. 3 *nota*, per priorem formam dari potestatem consecrandi, per posteriorem dari potestatem absolvendi, & sic esse duas formas particulares, & duas materias partiales: nam prioris formæ materia est traditio calicis &c. Posterioris verò manus impositio. Et hæc resolutio ita vera est, ut dicat Bellarm. citatus oppositum non esse probabilem. Hoc posito videamus quid supplendum sit in defectuosa ordinatione.

Duplici resolutione, cui nos subscribimus, optimè decidit Sanches lib. 7. consil. cap. 1. dub. 13. *Defectus in ordinatione supplendi* quid suppleri opporteat. Sit 1. resolutio. Si quod omissum fuit, spectet ad essentiam ordinis, vel dubitetur an ejus essentia sit, totum sacramentũ iterandum est. Patet, quia totum fuit nullum, saltèm sub dubio. Quod intelligitur quando ordo non habet duas cæremonias distinctas essentiales independentes inter se: nam si eas habeat independentes, ut in sacerdotio manus impositio, & traditio calicis ac patena, tunc quæ omissa fuerit supplenda est, & altera non iteranda.

1463. 2. Resolutio: si certum sit omissum non esse de essentia, non debet iterari sacramentum sed solum supleri id quod omissum est. Unde peccabit ministrans in tali ordine, antequam suppleatur res omissa: at non fiet irregularis. Nõ oportet supleri orationes, quæ nec sunt de essentia, nec de solemnitate. Supletio fieri debet eodem tempore, quo ordines possunt celebrari, ut difinitur expressè *Cap presbyter.* Item ab eodem Episcopo qui ordinavit, si possibile fuerit. Cum pertineat ad ejusdem sacramenti, quod ministravit, perfectionẽ. Quod si fieri nequeat, ab alio. *Iteratio pretium sacramẽti.*

Si appleatur aliquis actus, debent iterari orationes tali actui annexæ. Si altera munus inuncta est, & dicta oratio, non debet iterari, sed inungi alia manus cum oratione; si pars orationis omissa, tota iteranda est.

SEC-

SECTIO II.

De Ordinis ministro & subjecto, ejusq́ ætate, scientia, & probitate,

QUÆSTIO I.
Quis sit Ordinis minister de necessitate Sacramenti?

CUM possit inquiri de ministro ordinis tum quoad validam, tum quoad licitam & legitimam ordinationem, hac secunda inquisitione remissa ad quæstionem sequẽtem, ut primam exequamur, supponimus ordinis ministrũ alterũ ordinariũ alterũ delegatum, seu ex cõmissione.

Minister, ordinarius ordinis. Rogabis 1. quisnam sit ordinis minister ordinarius? Respondeo cum Vasquio disp. 243. cap.2.num.3. Laymano lib.5. sum. tr.9. cap. 9. concl. 3.&Sanches citat.dub.18. omnem & solum Episcopum consecratum esse ministrum ordinarium, scilicet ex officij sacramenti ordinis. Est de fide definita a Trident. sess. 23. cap. 4. & can.7. Circa quod notandum est 1. cum Palao tr.27.part.14.num.1. esse sufficientem ministrũ ut validè ordines conferat, illum etiam Episcopum qui per saltũ ad Episcopatũ ascendit, nullo alio ordine recepto præter presbyteratus, & Episcopatus consecrationem. Quia solum ex his duobus facultas ad ordinandum pendet.

Episcopus minister ordinis. Notandum 2. Cum Valent.tom.4. disp. 9. q. 3.part.2.Vasq.d.243.cap.1.&Barb. de pot. Epis. alleg.3.num.3. non privari hujusmodi potestate Episcopum, quanvis excommunicetur, suspendatur, degradetur, aut Episcopatui renunciet. Quia talis potestas ex institutione Christi est, proindeque a solo Christo, & non ab Ecclesia tolli potest. Nec obstat *Cap. in Ecclesia* 1. *quæst.* 1. ubi dicitur ordinationem factam ab hæretico, seu excommunicato non esse ratam. Quia intelligi debet non quoad valorem ordinis, & impressionem characteris, sed quoad executionem & usum.

1464. Notandum 3. cum Palao num. 2. dicta procedere de omnibus ordinibus etiam minoribus. Quia juxta probabiliorem sententiam omnes septem sunt sacramentum a Christo institutum, acproinde a solo Christo pendet facultas illos conferendi. Et quanvis juxta sententiam oppsitam minores ordines sint sacramentalia, acproinde intra potestatem Ecclesiæ, hæc prudẽter noluit privare ministrum delinquentem facultate illos conferendi, ne se exponeret periculo nullitatis.

Minister ordinis ex cõmissione Rogabis 2. quisnam sit ordinis minister delegatus, seu ex commissione? Certum est ex cõmissione summi Pontificis etiam nondum cõsecrati Episcopi simplicem sacerdotem posse cõferre primam tonsuram, & omnes ordines minores. Ita Sanch.citatus dub.18. qui benè addit Papam non posse dictum munus committere ulli non sacerdoti: Episcopum verò non posse illud committere ulli non Episcopo etiam sacerdoti.

Dubium est, an Papa possit committere sacerdoti non Episcopo conferre ordines sacros? Affirmant Ang.V.ordo 2.num.2. & Ledesma 2. 4.quæst.40.art.1. qui addit se audivisse a quodã monacho S. Benedicti suum Abbatem conferre ex privilegio Papæ subdiaconatum & diaconatum. Accedit Victor.mater.de ordin. nu. 235. dicens se vidisse Bullam, in qua Papa commisit sacerdoti conferre subdiaconatum, & quosdam asserere commisisse etiam diaconatum: & si hoc ita est (inquit) factum tenet. Inclinat Vasq.dist. 243.cap.4.&5.& probabile hoc judicat Palaus part.14.num.10.de subdiaconatu, & diaconatu.

Negandum tamen est cum S. Thoma in 4. dist.25.quæst.1.Soto lect.5. de ord.Sylv.V. ordo cap.7.Bonacina pisp.8. de sacr.quæst. unica part.4.num.5.& Sanch.dub.18.num.10. Ratio est, quia cum certum omninó sit (ut fatetur Palaus num.9.) non posse ex commissione Papæ sacerdotem non Episcopum, conferre presbyteratum, eo quod contineat omnium supernatulium perfectissimam potestatem in Christi corpus reale ac mysterium etiam congruum fuit, ut non poterit committere duos alios sacros ordines presbyteratui proximè connexos, & inservientes.

1465. Rogabis 2. quibus non Episcopis de facto in jure commissum sit primam tonsuram, & ordines minores conferre? Satisfaciam quæsito duplici resolutione, quam multis firmat & locupletat Thomas Sanch.consil.lib.7. dub. 19. *Primæ tõsura collatores.*

Sit 1. resolutio. Nullus sacerdos qui Episcopus non sit, potest conferre primam tonsuram absque Pontificis privilegio. Summitur ex Trid. sess.14.cap.4. de ref. Quod adeo verum est, ut nulla consuetudo etiam immemorialis possit in oppositum prævalere. Quanvis enim presbyteri Cardinales Romanæ Ecclesiæ conferant primam tonsuram & ordines minores suis familiaribus, hoc non faciunt ex mera consuetudine, sed ex privilegio, quod indicat consuetudo. *Cardinales ad cõferendos ordines*

2. Resolutio Abbates qui presbyteri sunt ab Episcopis benedicti, si baculo & mitra utantur, primam tonsuram & ordines minores conferre possunt tantum in suo monasterio conversis suorum monasteriorum, & ijs qui ad illa convolaverint: & si habeant jurisdictionẽ quasi Episcopalẽ etiã alijs sibi subditis. Ita exprimitur in *Cap. Quoniam dist.69.* ex Synodo 7.cap.4. Requiritur in Abbate benedictio ut conferat prædictos ordines, nisi vel ex consuetudine non benedicatur, vel culpa sui Episcopi diæcesani, a quo benedici debet, non obtineat benedictionem. *Abbates quos ordines cõferant.* *Benedictio in Abbate.*

Nota 1. quoad locum posse Abbates conferre prædictos ordines solum in suo monasterio, vel in alio exempto, si ab ejus prælato invitetur. Nota 2. quoad personas, solum posse conferre monachis sibi subditis, & si habeat jurisdictionem quasi Episcopalem, laicis subditis; item ijs qui monasteria adierint, ut fiant monachi, proinde-

que suis novitijs, quanvis hoc non expediat. Ita Sanch.citat.num. Sed Palaus punt. 14. num. 6. sentit novitios non esse Abbati subditos quoad ordinum susceptionem.

Corepiscopi. Si quis a me roget quinam sint Coruepiscopi: quam dignitatem, & potestatem habeant? Respondeo fuisse olim quosdam prælatos, qui instituebantur in tentorijs& oppidis: solumque minores ordines conferebant.

Ordines minores per Abbates. 1466. Difficultas est, an teneat factum, si Abbates conferant ordines non subditis, vel suis subditis extra monasterium? Respondetur affirmativé. Quia privilegium fuit concessum absolute quoad posse, licét limitatum quoad licité, & bené conferendum.

Abbas si sit electus & confirmatus Episcopus, & si nondum consecratus, potest subditos talis Episcopatus ordinare minoribus ordinibus. Hoc enim privilegium (inquit Sanch.cit. num. 19.) utpote concessum per Synodum generalē VII. & quia insertum est in corpore juris *Cap. Abbatibus de privil. in 6.* non censertur revocatū a Trid. sess.23. cap.10. *de reform.* Quia Trident. non fecit de illo sufficientem mentionem.

QUÆSTO II.

Quis sit minister ordinis necessitate præcepti, scilicet quoad licitam, ac legitimam ordinationem?

Ordinatio licita seu legitima. UT probé intelligatur ex quibus licita & legitima ordinatio coalescat, variæ postulātur conditiones tum ex parte ordinantis, tum ex parte loci, in quo ordinatio celebretur. Ex parte ordinantis requiruntur omnes conditiones, quæ adesse debent pro licita cujuslibet sacramenti administratione, v.g. ne minister illius sit aliquo peccato lethali infectus, vel censura aliqua innodatus. Ex parte ordinati requiritur ad ordinantem subjectio, quæ contingit dupliciter, 1. per se. 2. per accidens, seu per dimissorias a suo superiore acceptas. Fit autem quis subditus Episcopi per se tripliciter, nempe origine, domicilio, & beneficio. Singula breviter exponam.

Subjectio ad ordines quum liter acquiratur. 1467. Origine patris fiet quis subditus Episcopo loci, in quo per se natus fuerit *l. Qui ex vico ff. ad municipal.* juxta Ricciō resol. 257. Dixi (Origine patris) quia per origiem matris non acquirit quis subjectionem ad Episcopum. Dixi (per se natus fuerit) quia ex nativitate per transitum non acquiritur subjectio. Domicilio comparatur subjectio, quando eligitur locus ad habitationem perpetuam. Denique beneficio etiā valde tenui, & nullam residentiam exigente comparatur subjectio ex *cap. cum nullus, de tempr. ordin in 6.*

Reverēda litteras ad ordinationem. Per hanc triplicem subjectionem fit quis subditus per se Episcopi, ut ab eo licité ac legitimé ordinibus initiari possit. Maior tamen & copiosior occurrit tractatio de subjectione per accidēs, quæ acquiritur per litteras dimissorias, quas vocant reverendas a proprio Episcopo datas, & destinatas ad alienum. Nam ex Trid.sess.7.cap.10. *de refor.* hujusmodi litteras concedere potest ille prælatus qui potest ipsos ordines conferre. Itē præcipitur *Cap.1. & 2. de temp. ordin. in 6.* ut quilibet a proprio Episcopo ordinetur, vel ab alio de ejus licentia.

Quod præceptum recté fundatur in eo quod proprius Episcopus melius cognoscit suos subditos: tum quia per hoc pax inter Episcopos servatur. In 6 licét quis (inquit Sanch.dub.20) habeat generale vel speciale rescriptū, ut a quocūque ordinetur, nō debet ordinari, nisi ejus probitas testimonio ordinarij sui commendetur. Sic Trident.sess.23.de refor.cap.8. Quærit Sanch. dub 22. quis sit proprius Episcopus ut possit ordinare, vel dare Reverendas? Et bené resolvit hac conclusione. Episcopus proprius ad hunc effectum est Episcopus illius diæcesis, de qua promovendus est oriundus, seu in qua beneficium Ecclesiasticum obtinet seu in qua habet domicilium licét alibi natus fuerit. Ita *Cap. 3. de tempr. ordin. in 6.* Dixerat bené dub.20. num. 31. Episcopum electum & confirmatum a Papa, posse dare Reverendas suis subditis: secus si sit tantum electus, & nondum confirmatus.

1468. Rogabis 1. qualiter licentia proprij Episcopi ad ordines haberi, & constare debeat? Bené cum varijs resolvit Sanch.citat.dub.20. licentiam Episcopi debere constare per litteras concludentes, vel instrumentum publicum, vel per testes. *Cap ut circa de elect. in 6.* Excipe, quando Episcopus Italiæ vellet ordinare Ultramontanum clericum: tunc enim requiritur scriptura juxta *Cap.1. de tempr. ordin. in 6.* *Licentia proprij Episcopi ad ordines*

Præcipitur a Trident.sess.7.cap.11. de refor. ut in litteris dimissorijs ponatur causa excusationis, ob quam proprius Episcopus nequit ordinare: & aliàs non suffragentur. Si litteræ sint speciales, nempe ut a tali Episcopo ordinetur absq; dimissorijs. Si veró sint generales, scilicet ut a quocunque antistite gratiam & communicationem Sedis Apostolicæ habente, non potest fieri ordinatio ab excommunicato, suspenso, vel interdicto, vel hæretico, vel schismatico. Tales enim non habent gratiam Sedis Apostolicæ.

Quando in dimissorijs solum ponitur licentia promovēdi a quocunq; Episcopo in propria diæcesi residente, non potest fieri ordinatio ab alio qui in aliena diæcesi de licentia proprij pōtificalia exerceat. In dictis litteris exprimi debēt ordines conferendi. Si veró concedatur recipi ordines minores, vel ordines absoluté, non cōprehendūtur ordines sacri. Non debent concedi dimissoriæ ante legitimum examen, & approbationem. Creditur autem litteris Episcopi asserentis esse legitimum & examinatum. Si in illis dicatur, dummodó ætatis, & litteraturę sufficientis, aliâsque idoneus repertus fuerit, tenetur promovens examinare, & de sufficientia inquirere. Episcopus dimissorias, quas concessit, ante sortitū effectum revocare valet. Hæc omnia ex Sanch. citat. a num.6. Vide Fragosum part.2. lib. 8.d.18. *Dimissoriæ quales*

8.d.18. § 4. dimissorijs.

1469. Rogabis 2. an sufficiat ratihabitio de futuro, ut possit quis ordinari absque litteris dimissorijs? Affirmant Raymundus in sum.tit. *de forma consecrat.* & Maiolus de irregul.lib. 4. cap. 2.num.7. Quia furtum non facit qui credit domino placere.

Ratihabitio ad ordines.

Negandum tamen est, & dicendum 1. cum Mandosio reg.24.concl.quæst. 4. num. 10. non satis esse talem ratihabitionem, nempe spem approbationis, seu ratihabitionis proprij Episcopi, ut alter possit alienum subditum ordinare. Sumitur ex Trident.sess.14.cap.3. de refor. ubi cavet ne Episcopi titulares aliquem ordinent absque expresso sui Episcopi consensu.

Dicendum 2. cum Salzedo in practica Bernardi Dias cap.26. *§.& non solum,* ordinationem factam absque licentia proprij Episcopi esse irritam quoad executionem. Unde sic initiatus tonsura non gauderet privilegio clericali: & sic promotus Ecclesiastica beneficia obtinere non posset. Dicendum 3. cum Rebusto de *forma dimissor.* n. 11. proprium ordinati Episcopum non posse ratam habere talem ordinationem: quod si habuisset ratam nihil profuturam ejus ratihabitionem.

Rogabis 3. an detur casus in quo Episcopus alienus possit aliquem ordinare absque licentia Episcopi? Respondeo affirmative cum authoribus citatis & alijs quos citant ac sequuntur Armilla V. ordo num.16.& Sanch.num.18.duplicem casum assignantes. Prior est quando Episcopus proprius est manifesté suspensus eo quod ordinavit clericos absque licentia proprij Episcopi. Tunc enim possunt clerici ejus subditi ordinari absq; ejusdem licentia a vicinis Episcopis: Secus quando ob alias causas suspensus est. *Capit.* 2. *de temp ordin.in* 6.

Ordinatus absq; licentia proprij Episcopi.

1470. Nota 1. manifestam suspensionem esse idem atque notoriam, sive facti, sive juris. Nota 2. quod jus solis clericis permittit in tali casu ab alieno Episcopo ordinari: secus laicis. Nota 3. Episcopos debere esse vicinos, & non remotos: item debere facere ordinationem in sua diœcesi. Nota 4. ad hunc effectum nomine Episcopi venire Archiepiscopum.

Posterior casus, quem affert & exponit Sanc. cit.num.20. est ut possit Episcopus ordinare familiarem suum non subditum, si per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium, omni fraude cessante illi conferat. Sic Triden.sess. 23. cap.9. de refor. Ut censeatur familiaris ad hunc effectum, non requiritur quòd sit domesticus, & commensalis: sed requiritur quod in obsequio Episcopi intra vel extra domum, ejusdem Episcopi expensis alatur, dummodò censeatur præsens obsequio assistere. Non enim sufficeret, si absens esset in regione remota, etiam si sumptibus Episcopi viveret. Familiares vel famuli familiarium Episcopi, qui expensis Episcopi aluntur, dicentur familiares Episcopi ut gaudeant hoc privilegio.

Familiaris Episcopi ad ordines.

Nota 1. si Episcopus conferat beneficium in ea diœcesi, posse statim non expectato triennio, ordinare eum familiarem. Quia tunc non ordinaret prætextu familiaritatis, sed quia ratione beneficij sortitur domicilium in ea diœcesi: sicut si daret beneficium cuicunque extraneo, posset illum statim ordinare. Nota 2. Episcopum titularem non posse suum familiarem post trienniũ ordinare Trid.*sess.14.cap.2.de refor.*

Nota 3. si Episcopus diœcesanus noluerit ad ordines promovere habentem beneficium & alias qualitates requisitas, posse legatum de latere Nuncium Apostolicum per appelationem aditũ committere viciniori Episcopo, ut si repererit eas necessarias qualitates in eo concurrere, dimissorias ei cõcedat, ut a quocũque Episcopo suæ legationis ordinetur.

Nuncius Apostolicus ad reverendas.

1571. Rogabis 4. qui possint alij litteras dimissorias concedere ad ordines? Dico 1. Capitulum Sedevacante potest dare Reverendas post elapsum unum annum, ex quo Sedes vacat: ante illum, non nisi recipienti beneficium, quod requirit ordinem. Ita Trid.sess.7.cap.10. de reform. ubi statuitur quod is qui ultra hos casus obtinet Reverendas a Capitulo, & illis initiatur, si solis minoribus, nullo privilegio clericali gaudeat: si sacris, ipso jure sit suspensus ab executione ordinis ad beneplacitum futuri prælati: & in utroque casu capitulum subjaceat interdicto Ecclesiastico. Non sufficit gradus in Theologia requirens ordinem. Quia non est beneficium: imo ut sufficiat beneficium, hoc debet postulare ordinem. Non procedit Triden. de collegio Cardinalium vacante Sede Apostolica. Hæc ex Sanch.dub.20.num.36.quibus addit Palaus tr.17.part.15.num.8.sub dicta prohibitione non comprehendi litteras testimoniales de vita, & moribus ordinandorum, quas Capitulũ, & alij prælati concedere possunt.

Dimissoria a quibus cõcedi possint.

Capitulũ ad dimissorias.

Dico 2. Officialis Episcopi, seu vicarius Generalis in spiritualibus vulgo *Provisor*, non potest regulariter dare reverendas, nisi quando Episcopus in remotis agit. *Cap 3.de temp.ord.in 6.* Unde in generali commissione facta Vicario nõ cõtinetur potestas dandi Reverendas, sed requiritur speciale. Episcopus juxta aliquos dicitur agere in remotis quando est extra provinciam, vel ultra duas diætas, aut saltem unam. Gloss. ibi dicit hoc esse arbitrarium judici.

Provisor ad reverẽdas.

Dico 3. Religiosis exemptis, dimissorias ut a quocunque Episcopo ordinentur, debent dare prælati eorum regulares. Religiosi non exempti debent ordinari ab Episcopo in cujus diœcesi commorantur, vel cum litteris illius a quocunq; Episcopo. Nec prælati regulares illis reverendas dare possunt.

Religiosi ad reverẽdas.

1472. Dico 4. Abbates, & alij prælati habẽtes jurisdictionem quasi Episcopalem in subditos sæculares, possunt illis dare reverendas. Ita Sanch.cit.dub.21. qui benè notat hoc procedere de habentibus talem jurisdictionem ex jure communi. Nam tales Abbates & prelati possunt

Abbates ad reverẽdas.

omnia

omnia quæ possunt Episcopi spectātia ad potestatem jurisdictionis. Nec obstat Trident. *sess.* 23.*cap.* 10.*de reform.* ubi privat Abbates, & similes prælatos potestate dandi reverendas suis subditis secularibus. Quia solum intelligitur de illis Abbatibus & prælatis, qui ex privilegio speciali, vel consuetudine id faciebant: non verò de illis qui ex jure communi. Nam privilegium insertum in corpore juris non tollitur per derogationem generalem privilegiorum.

Locus ad ordinationem. Rogebis 5. qualis requiratur locus, & qualiter ad licitam ordinationem? Sciendum est ex parte loci ad licitam ordinationem postulari: quod ordinans in eum locum habeat jurisdictionem, ex se, vel ex delegatione proprij prælati. Dico igitur 1. Archiepiscopus nec potest ordinare subditos in diœcesi Episcopi suffraganei absque ejus licentia: nec potest subditis suffraganei dare ordines, vel reverendas ad alios Episcopos. Habetur ex *cap.* 3.*de tempor.ordin.in 6.*

Dico 2. Si Episcopus titularis conferat ordines in alterius Episcopi diœcesi absque ipsius facultate, etiam in loco exempto, suspenditur ipso jure ab exercitio Pontificaliū per annum: Episcopus verò diœcesim habens si in aliena diœcesi proprio Episcopo irrequisito ordines conferat, supenditur per annum, non ab omni Pontificali sed solum a collatione ordinum. Ita Palaus tr. 27.part.15.num.9. ex *Cap. Eos qui* de tempor. ordin. in 6. & Trident.sess.14.de reform.cap.2. & sess.23.cap.8. Uterque verò ille Episcopus si in aliena diœcesi conferat ordines, & exerceat alia pontificalia absque licentia Ordinarij talis loci, suspenditur ipso jure a Pontificalibus. Ita *Trident.sess.*5.*cap.*7.*de reform.*

1473. Dubium est, an Episcopus sive titularis, sive habens diœcesim possit exercere Pontificalia in loco exempto ex licentia ordinarij illius loci, nulla postulata licentia ab Episcopo, intra cujus diœcesim locus ille exemptus est? *Pontificalia exercens.* Videtur affirmare Vasq.disp.243. cap.5.num.53. Idque suadetur ex Verbis Concilij, quæ non Episcopi, sed Ordinarij licentiam exigunt.

Oppositum tenet Palaus citatus punt. 15.nu. 10. rectè judicans probabilius, si locus ille exēptus sub aliqua diœcesi contineatur, non solum exigi licentiam Ordinarij illius loci, sed etiam Episcopi. Quia uterque verè censetur Ordinarius. Secus esset, si locus exemptus ad nullam spectaret diœcesim. Sic decisum testatur Barbosa in remiss.Concil.citata sess.cap.5.& de pot.Epis. alleg.6.num.12.

QUÆSTIO III.

Quæ sint alia spectantia ad ministrum Ordinis?

Ordinatus per ipsum Papam. CIRCA ministrum conferentem ordines, & prælatum ordinarium illorum qui ordinibus initiantur, nonnulla expedienda supersunt: pro quorum explicatione rogabis 1. quid dicendum quando Summus Pontifex per se ipsum ordinavit aliquem Diaconum, aut subdiaconum? Poteritne aliquis Episcopus talem sic ordinatum ad superiores ordines promovere absq; licentia Pontificis? Benè negat Sylvester. V. ordo quæst.2. quia sic exprimitur in *Cap. cum in distribuen. de tempr. ordinan.* Idem dicunt Archid. *Cap.3.de tempor.ordin. in 6.* & alij quando Papa providet alicui in Curia de aliquo beneficio.

Negandum tamen est cum Joan.Andr. ibidē & Rebuff. in praxi *benef de litte. is dimissor.* nu. 8. asserentibus ex eo quod Papa conferat alicui beneficium, etiam Episcopatum, non reservare sibi ordines. Quia oppositum, nullo textu probari potest.

1474. Rogabis 2. quis sit proprius Episcopus ut possit promovere ad ordines expulsum a religione, & an is promoveri possit? Sanch.lib. 7.consil. cap.1 dub.24. ex Navarro lib.1. consil. tit.14. de ætate & qualit.ordin.cons.9. triplicem adhibet resolutionem, juxta quam Dico 1. Talis potest promoveri, si aliunde non sit irregularis, vel inhabilis. Ratio est, quia non apparet textus id prohibens. Dico 2. Talis expulsus debet ordinari ab Episcopo originis, si patrimoniū sufficiens, & alias qualitates requisitas habeat. Ratio est, quia hoc domiciliū semper retinetur. Dico 3. Expulsus ille si sit irregularis, & non absolutus antea per privilegia religionis, dispēsandus est vel à Papa, vel ab Episcopo originis juxta reservationem irregularitatis. *Expulsus a religione ad ordines.*

Rogabis 3. an si dedit Papa alicui licentiam, ut ordinaretur extra tempora à suo ordinario tātum, possit ordinari ab alio cum dimissorijs sui ordinarij? Videtur negandum. Quia illa vox (tantum) excludit alios ordinantes: & a proprietate verborum discedendum non est, *Cap. ad audientiam, de decimis l non aliter ff. de legat.* 3. *Ordinatio extra tempora.*

Affirmandum tamen est cum Navarro, quem citat & sequitur Sanch.prox.dub.25. Quia vox (tantum) licét taxativa sit, non excludit simila, in quibus est eadem ratio. Suadetur a simili, nā in *l.fin.C.de revocat. donat.* dicitur tantum posse revocari donationes ob causas ibi positas, & tamen Glossa addit casum alium ex similitudine rationis.

Rogabis 4. an Capitulum Sede vacante ante annum elapsum possit licentiā dare alicui Episcopo, ut in diœcesi ordinet habentes aliunde dimissorias, sive sint subditi ejusdem diœcesis, qui v.g. illas habeant ab Episcopo demortuo, aut Nuncio Papæ, sive sint non subditi qui illas habeant a suo Episcopo? Respondeo affirmativé cum Sanch.citato dub. 26. num. 3. Quia dare licentiam, ut aliquis ordinetur. Hoc autem solū prohibet Trident. *sess.6.cap.5.de reform.* *Capitulū Sede vacāte ad ordines.*

1475. Rogabis 5. an cum Episcopus proprius dat reverendas alicui subdito ut ordinetur a quocunque Episcopo, censeatur concedere, ut dispenset cum ordinato in quacunque irregularitate, vel impedimento ad ordines in quo potest dispensare proprius Episcopus? Affirmant Sylvest.V.irregularitas quæst.9.Angel.V.eodem num.34. & Armil. num.81. probant ex *l.2.ff. de jurisd.* *Dispensatio ad ordines.*

cap. 2. recensuit septem ordines maiores & minores, postea cap. 3. & can. 3. absolute & sine ulla limitatione ordinationem vocat sacram, & definit esse sacramentum. Quæ omnia insinuaverat Eugenius 4. in suo decreto. Illud tanquam certum notabis cum *Sanch. lib. 7. conf. cap. 1. d. 1.* quanvis septem ordines sint sacramenta, unum esse, & non plura sacramenta.

1447. Dubium est 2. quænam sit hujus sacramenti materia & forma absolute & in genere? Dico 1. Materia hujus sacramenti est illa per cujus traditionem confertur ordo. Ita *Sanch. cit. num. 10.* & cõstabit in quæstione sequẽte, cũ singulis ordinibus suas materias assignaverimus. Dico 2. Forma hujus sacramenti est illa, quæ per modum imperativum traditur, scilicét *Accipe potestatem* & constat ex usu Ecclesiæ, & ex *Florent. in decreto Eugenij IV.* ubi etiam definitur formam esse ea verba, quæ Episcopus profert, cum porrigit ordinandis materiam. Ratio est, quia institutio hujus sacramenti non fuit per se ordinata ad hominem sanctificandum, ut est persona privata, sed in ordine ad populum, in quo minister & persona publica constituitur: & ideo (addit *Sanch. num. 8.*) sicut oratio Regis fit per verbum imperativum *Accipe potestatem*, tradendo illi sceptrum, sic quando Ecclesiæ minister ordinatur. Notant bené authores invocationem Trinitatis esse de decentia, sed non de essentia ordinationis.

Materia & forma ordinis.

Dubium est 3. an spectet ad essentiam quód initiati tangant materiam? Negant *Cajetan. in sum. V. Ordinandi, Armil. V. Ordo num. 4. Tabien. V. Ordo 2 §. 1.* & hanc opinionem judicant probababilem *Henriq lib. 10. de Ordin cap. 10 num. 1. Victoria de Ord. num. 230. Ledesm. 2. 4. quæst. 36. art. 5. Sotus 4. d. 24. quæst. 1. art. 2. & Sanch. cit. dub. 2. num. 1.* Satis enim videtur quód episcopus ordinando præsentet materiam dicens *Accipe potestatem.* Præcipué quia Florentinum cum ponat materiam & formam hujus sacramenti, non meminit contactus.

Tactus materiæ per ordinandum.

Affirmandum tamen est cum sententia longé probabiliori, quam tenent *S. Thom. in 4, dist. 24. q. 1. art. 1. Navar. in sum. Latina cap. 22. num. 27. Henriq. Ledesm., & Sanch.* citati. Ratio est, quia verba formæ ita debent verificari, ut actus per illam significati impleãtur: alioquin inefficacia & vana forent: sed verba formæ præcipiunt veram acceptioné materiæ exhibitæ, quæ verificari nequit in sola acceptione interna, præsertim quia Ecclesia de internis non judicat; ergo externa acceptatio per contactum requiritur.

1448. Illud cum multis bené notat *Sanchez citat. num. 3.* non requiri fieri tactum ambabus manibus, sed sufficere quod fiat una manu: nec requiri quód tangantur omnia, ut calicem, patenam, & hostiam, sed sat esse tangere quomodocunque & modicum quid alicujus rei, quæ nullum discontinuum medium habeat ad totum: nec requiri tangere calicem consecratum. Missa enim in calice non consecrato celebrari potest. Juxta dicentes (concluit *Sanch. num 6.*) impositionem manus esse de essentia ordinis in sacerdotio & diaconatu, requiritur contactus corporalis.

Contactus per impositionem manuum.

Dubium est 4. an sit de essentia ordinis, ut ministretur ab Episcopo faciente sacrum? Constat negativa resolutio de prima tonsura & minoribus ordinibus: ad quorum valorem & essentiam spectare, ut conferantur ab Episcopo Missam celebrante, tenent *Sylvest. V. Ordo 2. quæst. 8. dicto 1. Angelus V. Ordo 4. num. 5. Anton. cap. litteras, de tempor. ordin. Rajnerius* & alij. Ratio desumitur ex inviolabili, & antiquissimo usu Ecclesiæ.

Dicendum tamen est cum *Panorm. ad cap. quod sicut num. 12. Tabiena V. Ordo 2. quæst 5. Soto in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 1. conclus. 2.* & alijs, quos citat & sequitur *Sanch. lib. 4.* celebrationem Missæ in Episcopo ordinante esse de præcepto, non tamẽ de essentia. Ratio est, quia nullus apparet locus vel in Concilijs, vel in Pontificis definitionibus, ex quo colligatur Missam Episcopi pertinere ad valorem ordinationis: quia de essentia sacramẽti tantum esse potest materia, forma, & minister; superest igitur ut sit cæremonia inter alias justissimé præcepta.

Episcopi Missa ad ordinationem.

1449. Dubium est 5. an sit de valore & essentia ordinis, quod idem Episcopus qui profert verba, porrigat materiam ab ordinando tangendam? Certum est in ordinibus minoribus id nõ esse de essentia, ut constat ex *cap. Acolytus. dist. 22.* & Concilio *Carthagin. IV. cap. 7.* Difficultas est circa maiores & sacros, in qua quidquid dicat *Sotus in 4. dist. 24. quæst. 1. num. 5.* recté affirmant *Sylvest. V. Ordo 2 quæst. 7. dicto 1. Henr. lib. 10. de ordine cap. 8. num. 3. Tabiena ordo 2. quæst. 12. & Sanch. cit. dub. 5.* dicentes ad valorem cujuscunque ordinis imprimentis characterẽ essentialiter requiri traditionem, faciendam ab Episcopo qui ordinat. Probatur a simili, nam in alijs sacramentis, excepto pænitentiæ, necessarium est, ut forma, & materia ab eodem ministrentur; ergo in hoc, exceptis minoribus ob, Ecclesiæ usum oppositum.

Traditio in ordinatione.

Illud observabis, quod si exorcistæ tradatur liber habens solum Evangelia, vel Diacono liber habens solum exorcismos, nihil valere ordinationem. Nam tradi debet exorcistæ liber habens exorcismos, & Diacono liber habens Evãgelia, vel cuilibet liber habens utrumque.

Ordinationis certitudo.

Denique si quis circa Episcopalem & presbyteralem ordinem invalidé susceptum urgeatur scrupulis, & secum sic ratiocinetur. Cum sit ex natura rei omnino possibile, & valde contingẽs, quod inter tot Episcopos & presbyteros Ecclesiæ Dei, decursu tot sæculorum currentium, aliqui non sint veri Episcopi, & aliqui non sint veri presbyteri ex varijs defectibus, seu capitibus: vel quia non habuerunt intentionem accipiendi sacros ordines, vel quia non erant validé baptizati, vel quia illi a quibus acceperunt Episcopalem, & sacerdotem ordinem, caruerunt potestate aut intentione illos ordinandi, aut ex similibus defectibus, v.g. in non adhibendo legitimam

gitimam materiam & formam: quæ omnia (ut suppono) invincibiliter ignorantur: poterit ne dici Christum de potentia absoluta suppleturum esse tales defectus, utpote intolerabiles in suaEcclesia? Item poteritne dici Christum per extraordinarium providentiam nunquam permissurum, ut tales casus eveniant?

Respondeo posse. Si enim Deus ut author naturæ, in physicis eidem naturæ succurrit, v.g. ne detur vacuum, propter inconvenientia naturalia, quæ ex vacuo sequerentur, cur ut author gratiæ in moralibus non impediet inconvenientia moralia, quæ statui legis gratiæ repugnant? Item, si ut author naturæ habet specialem providentiam in physicis, ne deperdatur omninó aliqua ex speciebus infimis, v. g. inter animalia, vel plantas: cur non habebit in moralibus, ne deperdantur Episcopi aut sacerdotes, etiam in hac vel illa provincia? Ergo sic de divina providentia in moralibus sentiendum est. Hæc videntur satis, & recté observata ad tollendos scrupulos.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit ordo: & quotuplex ipsius forma, & materia?

Utranque multiplicitatem & ordinis, & ipsius formæ ac materiæ, ut explicemus, multipliciter ac diversimodé Doctores opinati fuere circa numerum ordinum. Nam *Zenedo ad decret collect. 105 num. 2. Covar. in cap. nos, de testam. num. 4. & Fillius. cap sicut & 3. de Simonia num...* novem ordines esse dixerunt, scilicet primam tonsuram, quatuor ordines minores, tres maiores, & Episcopatum.

Alij cum *Titelman. lib de sacram. cap. 3.* numerant decem: prædictis enim addunt *Psalmistatū* alio nomine *cantoriam*, idque probant ex *Concilio Carthaginense IV. cap. 10.* hoc ministerium inter ordines referente. Alij cum *Navar. cap. 12 numer. 18. a, tan. tom. 1. Opuscul. tr. 11. & Vallent. disp. 9. q 1 part. 2.* excludentes primam tonsuram, & cantoriam ab ordine, octo recensent.

Ordinum numerus

1450. Verior tamen, securior & communior est sententia *S Thomæ in præsenti quæst. 37. artic. 2. quæst. 2. & Alberti Magni in 4. dist. 24. art. 5.* qui excludentes primam tonsuram ab ordine, & collocantes Episcopatū sub presbyterio septem tantum esse ordines docent, scilicet sacerdotum, Diaconorum, subdiaconorum, Acolytorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum. Sic enim statuit *Trident. sess. 23 cap. 2. & can. 2.* numerando & referendo sex inferiores ad ultimum superiorem seu supremum, quale sacerdotium.

Septem ordines.

In hoc septennario constat dari tres ordines maiores, & sacros nempe sacerdotium, diaconatum & subdiaconatum: & quatuor minores & non sacros scilicet Accolythum, Lectorem, Exorcistam, & ostiarium. Priores tres (inquit *Palaus tract. 27 part. 2 num. 3.*) dicuntur *maiores*, quia exaltātes sacrificium, ad quod sex omnes dirigū-

Sacri ordines.

tur, proxime concurrunt. Dicuntur *sacri* quia forte ipsi soli sunt sacramentum, non auté quatuor minores: sed præcipué, quia votum castitatis habent annexum, quo homines in Dei cultū sacrantur. Ut tamen innotescat clarius hic separari s ordinum numerus.

Dubium est 1. an Episcopatus sit veré ordo? Negant plures cum *Sylvestr V. ordo 1. 1. quæst. dub. 3. Covar. 1. var. cap. 20. num 15. & Soto lib ... de iust. 1. de iust.* & hæc sententia probabilis est: sed probabilior & tenenda affirmativa, quam defendunt *Altisiod. in sum. tr. 8. quæst. 1. Angles 1. part. mat. de ord. fol. 108. & Bellarm. tom. controv lib. 1. de ord. cap. 5.* eam appellans verissimam. Ratio est, quia Episcopalis ordinatio imprimit characteré: est enim indelebilis, & repeti nequit. Deinde confert gratiam: nam Episcopus qua talis debet quædā sacramenta ministrare, quæ sine gratia non digné ministrantur. Episcopatus ordo.

1451. Quæres tamen, quomodo se habeat Episcopatus ad sacerdotium? Respondet Bellarm. citatus Episcopatum esse diversum ordinem a sacerdotio: quando veró dicuntur septem ordines, esse unum cum sacerdotio, non specie sed genere. Melius tamen dicitur (inquit *Sanchez lib. 7. consi. cap. 1. dub. 9. num. 5*) sicut consecratio panis & vini constituunt unum sacramentū tanquam partes integrantes heterogeneæ, sic consecrationem simplicis sacerdotis esse unum sacramentum tanquam perfectum & imperfectum. Nam presbyteratus est ordo sacerdotalis non completus, & non consummatus: Episcopatus veró completus & consummatus. Presbiteratus ordo.

Dubium est 2. an Cardinalatus sit ordo, & in quo differat ab Episcopatu? Certa resolutio, quam cum multis docet *Sanch. lib. 7. consil. dub. 10.* habet Cardinalatum nec esse ordinem, nec sacramentum: siquidem ad Eucharistiam nullo modo ordinatur. Imo (addit num. 3.) non jure divino, sed solo Pontificio institutus est proindeque a Papa aboleri potest, sicut & Archiepiscopatus, & Patriarchatus. Cardinalatus quid

Præter id quod Cardinales habent commune vel cum presbyteris, vel cum Diaconibus, quando tales sunt, habent duo munia specialia. Primū est Papam eligere juxta *cap. in nomine Domini dist. 23.* Secundum est assistere Papæ, eumque in regenda Ecclesia consilio & industria juvare. Unde si consideremus potestatem ordinis, maior est Episcopus Cardinali vel presbytero, vel Diacono. Nam solus Episcopus potest consecrare ordines, confirmare, & vasa sacra consecrare. Ideo Papa se vocat Episcopum, non Cardinalem: Episcopos vocat fratres: Diacones veró & presbyteros Cardinales, dictos filios.

1452. Si consideremus (addit *Sanch. num. 7.*) potestatem jurisdictionis, nempe Episcopi in propriam diœcesim. Cardinalis in suum titulum, vel diaconiam, maior est jurisdictio Episcopi. Nam Episcopus tanquam ordinarius habet potestaté ferendi leges, dispensandi, indulgendi, puniendi, Cardinalis veró non Episcopus in suo titulo Iurisdictio cardinalis & Episcopi.

bet in sua Ecclesia: potest tamen in quacunque etiam extra Urbem, juxta *Trident. sess. 23. cap. 2. de reform.* Potest fieri consecratio in Ecclesia consecrandi, vel in sua provincia, vel in curia Romana.

Tempus cõsecrationis. Fieri debet consecratio in die Dominica hora tertia, idest *ab hore de mensha.ĩ*, existentibus tam consecrantibus, quam consecrando jejunis. Episcopus etiam Cardinalis, si intra tres menses nõ consecratur, manet obnoxius restitutioni fructuũ perceptorum: si intra totidem id neglexerit, Ecclesijs est ipso jure privatus. Sic *Triden. sess. 23. cap. 1. de reform.* Nec proderit dispensatio Papæ ultra sex menses, nisi sit expressa.

Jejunium ordinãtorum. Tres illi menses debent computari a die confirmationis: si autem negligens fuerit in petenda confirmatione, computabuntur a die electionis. Non requiritur quod jejunium sabbathi continuetur cum die Dominica, sicut requiritur quãdo ordines sacri sunt die Dominica celebrandi. Quamvis duo ordines sacri nequeant eadem die conferri, nec duabus immediatis, at potest quis sabbatho ordinari sacerdos, & die sequenti Episcopus.

Cõsecrationis Episcopi minister. Quod attinet ad ministrum, consecratio saltem ex præcepto facienda est a tribus Episcopis Nam unus principaliter totam consecrationem perficit: duo alij sunt coadjutores. Essentialia necessariò fieri debent ab eodem: si enim alius dicat verba, nihil fiet. *Papæ cõsecratio.* Papam consecrant quinque Episcopi, præsertim Cardinales, & ex consuetudine Episcopus Hostiensis. Primatem, & Metropolitanum tres Episcopi suffraganei, alijs advenientibus ad assistendum, nisi sint legitimé impediti. Archiepiscopus debet consecrari ex consensu Primatis, cui subest. Episcopus suffraganeus ab Archiepiscopo, exemptus a Papa, vel ab alio ex ejus commissione. Si Metropolitana sedes vacet, debet Episcopus suffraganeus ex illius Capituli jussu consecrari ab alijs suffraganeis: nec tunc requiritur consensus primatis, si forte illi Archiepiscopus, vel Sedes Metropolitana subsit.

Minister cõsecrationis Episcopalis. 1456. Hactenus de ministro quoad necessitatem præcepti. Si verò inquiramus necessitatem sacramenti: Certũ est 1. esse de essentia quod cõsecrans sit Episcopus. Nam spectat ad characterẽ Episcopalem posse consecrare Episcopos. Certum est 2. non esse de essentia, sed tantum de necessitate præcepti, quod consecratio fiat de jussu Archiepiscopi, vel Primatis, seu Patriarchæ, & ab Episcopis suffraganeis. Nam hoc pertinet ad jurisdictionem: jurisdictio autem solũ in pœnitentia & matrimonio est de necessitate sacramenti. *Iurisdictio ad sacramentũ.* Episcopus tamen sic consecratus contra tale præceptum, non poterit exequi officium. Difficultas est, an sit de essentia quòd consecratio fiat a tribus Episcopis? Affirmant aliqui. Probabilius tamen negandum est. Quia in nullo alio sacramento sunt de necessitate sacramẽti plures ministri: & unus Episcopus eadẽ potestate ordinis præditus est, ac tres Episcopi. Has omnes resolutiones tenens firmat textibus, & illustrat authoribus *Sanch. citatus toto dub. 15.*

Quid ad potestatẽ Archiepiscopi, Patriarchæ, seu Primatis conferat pallij receptio, & dixit copiosè *Sanch. cit. dub. 16.* paucis accipe. *Pallium Archiepiscopi.* Pallium est ornamentũ ad modũ stolæ sacerdotalis, crucibus nigris intextũ, super alia ornamenta delatũ, humeros ad instar coronæ, pectusq; circundãs, ante dependens, quod significat plenitudinẽ potestatis. Ideo illo semper utitur Papa, non ita Archiepiscopus, vel Patriarcha. Ut exponam quid afferat obligationis, authoritatis & utilitatis. Dico 1. tam Archiepiscopus quã Patriarcha tenetur infra tres menses petere palliũ a Papa: aliter, si accusetur, cessante legitimo impedimento, potest removeri. Petens debet præstare juramentũ fidelitatis & obedientiæ Ecclesiæ Romanæ. Illi tres menses intelliguntur post confirmationẽ, si antea erat Episcopus cõsecratus: si non, post cõsecrationẽ. Dico 2. Archiepiscopus solum potest uti pallio intra suam provintiã, & Patriarcha intra suũ Patriarchatũ. Quod si habeant privilegium utendi extra, debet id fieri de licentia diœcesani.

1457. Dico 3. Solum potest uti pallio inter Missarum solemnia, & tunc si ipse Missam cantet: & quidem solum in festis præcipuis, qualia sunt Nativitas Domini, festum B. Stephani, B. Joannis Evangelistæ, Circuncisio, Epiphania, Dominica Palmarum. Feria 5. in Cœna Domini, sabbatum sanctum, Dies Resurrectionis cum duobus sequentibus, Dominica in Albis, Pentecostes, Nativitas S. Joannis Baptistæ, festa omnium Apostolorum: in dedicatione clericorum, consecratione Episcoporum: in principalibus festivitatibus Ecclesiæ suæ, in die anniversarij consecrationis suæ, & in die anniversarij Ecclesiæ suæ: in festo Ascensionis, festo omnium Sanctorum, tribus proprijs festis B. Mariæ. Vide *Pontificale R.* *Festivitates ad usũ Pallij.*

Dico 4. Ante pallij receptionem nec potest ante se portare crucem, nec se nominare Archiepiscopum, vel Patriarcham: nec exercere Pontificalia, qualia sunt ordinare clericos, conficere chrisma, Episcopos consecrare, dedicare basilicas, convocare ad concilium. *Põtificalia quid.* Cum verò pallium sequatur personam ratione loci, hinc est quod non possit accommodari, nec in morte alicui relinqui, sed debet Archiepiscopus cum illo sepeliri. *Pallij usus* Quid si Archiepiscopus ad alium Archiepiscopatum transferatur? Non debet secum illud deferre, nec successori relinquere: sed uterque debet novum pallium petere.

Archiepiscopus, si non sit in mora petendi, potest delegare alijs Episcopis ut cõsecrent Episcopum sibi suffraganeum. Quia solum prohibetur eo tempore exercere ea quæ sunt ordinis, & cogere concilium: talis autem delegatio est actus jurisdictionis.

Ex

Ex dictis patet resolutio hujus difficultatis. *Triden. sess. 23. cap. 1. de reform.* præcipit Episcopis ne a sua diœcesi absint ultra tres menses sine causa legitima, & justa. Quidam jam confirmatus, & consecratus Archiepiscopus petijt a Papa Pallium. Quæritur quando incipiant illi tres menses absentiæ, quam potest facere? Respondeo incipere a die receptionis pallij, quando non est in mora petendi instantet ipsum. Quia ante pallij receptionem commode nequit ad Ecclesiam suam venire, nec Archiepiscopus vocari.

QUÆSTIO IV.

Quinam sint ordinum effectus, quæ eorum inter se dependentia, & officia?

Sacramenti ordinis effectus.

1458. TRES habet quæstio partes: prima versatur circa ordinis multiplicem effectum. Imprimis certum est inter catholicos, prout definitur a *Tridentino sess. 23. capit. 3.* Sacramentum ordinis causare gratiam habitualem cum respectu ad auxilia necessaria ad rite & competenter exercendum cujuscunque ordinis officium.

Gratia causatur a sacramento ordinis.

An veró hujusmodi gratia causetur ab omnibus septem ordinibus, quos quæst 2. numeravimus? Qui quatuor minoribus rationem sacramenti denegant, cohærentet solis tribus majoribus sacris vim productivam gratiæ concedunt. Nos veró quia omnes septem ordines sacramentum novæ legis esse defendimus, consequentet ab omnibus produci gratiam asserimus.

Charater ordinis.

Est aliud ordinis proprius effectus, nempe character, qui appellatur qualitas quædam supernaturalis animæ inhærens, & indelebilis, qua, quasi quodam signaculo ordinatus a non ordinato distinguitur, & destinatur ad exercenda officia suscepti ordinis. Cum veró tract. 37. sect. 1. de sacramentis in genere statuerimus omnia sacramentis in genere statuerimus omnia sacramenta quæ reiterari non possunt, imprimere characterem, & pro comperto habeamus nullum ex septem ordinibus reiterari posse, modó cum *Vallen. d. 9. quæst. 2. punt. vnic. Bellan. d. 20. dub. 8. & Bonacina disp 8 quæst vnic. part. 6. num. 5.* omnes septem ordines tam maiores quá minores characterem imprimere asserimus.

Charactères ordinis partiales.

1459. Difficultas est, utrum per partiales ordinationes ejusdem ordinis, v.g. per ordinationem partialem sacerdotis ad consecrandum & aliam partialem ad absolvendum imprimantur distincti characteres partiales? Negant *Henr. lib. 1 . cap. 6. Reginal. lib. 30. cap. 4. Vasq. lib. 10. cap. 6. & Layman. cap. 4.* asserentes per priorem ordinationem partialem imprimi characterem, non per posteriorem.

Affirmandum tamen est cum *Bellarm. de ordin. cap. 5. Ægid. Bellano disp. 20 num. 74. & Gaspare Hurtado de ordine diff 16.* per ordinationes partiales ad distincta ministeria ejusdem ordinis, characteres partiales distinctos imprimi. Quia consonũ rationi est, ut sicut prior potestas collata in partiali ordinatione affert Characterem, ita posterior potestas adjungenda priori potestati afferat partialem characterem, qui priori charactert adjungatur. Ex quo fit juxta *Palaum tr. 27 part. 5. num. 4.* ut quando sacerdos consecratur Episcopus, imprimatur novus character partialis, vel ut alii dicunt, complementum quoddam characteris, quo prior augeatur & consummetur.

Baptismus & cõfirmatio ante ordines.

2. Quæstionis pars versatur circa ipsorum ordinum connexionem inter se, & independentiam tum inter se, tum ab alijs sacramentis: quæ omnia innotescent duplici difficultate expedita. 1. Difficultas petit quænam sacramenta necessario debeant antecedere ordinationem? Certum est 1. baptismum ita prærequiri ad ordines, ut si omittatur etiam ignorantet, omnis susceptio vel tonsuræ vel cujuslibet ordinis evadat nulla. Est enim baptismus re ipsa susceptus janua omnium sacramentorum. Certum est 2. prærequiri non quidem necessitate sacramenti, sed præcepti confirmationem. Nam *Trident. sess. 23. cap. 4.* ita habet: *Prima tonsura non initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint.*

1460. Dubium est, an hoc præceptum obliget graviter, ita ut susceptio ordinis ante confirmationem sit lethalis culpa? *Bonacina disp. 8. de sacrament. quæst. vnic. part. 5. numer. 9.* quem citat & sequitur *Palaus tract. 27. part 5. num. 7.* existimant talem susceptionem vel nullam esse culpam, vel esse lethalem. Quia si verba Tridentini inducunt præceptum & non consilium, materia gravis est.

Dicendum tamen est cum *Navarro cap. 22. num 9. Reginaldo in praxi lib. 28. numer. 24. Villalobos tr. 11. de ordin. diff. 7. num. 2. Suar. tom. 3. in 3. part. disp. 20. de ordin. dub. 10* & multis citatis *Barbos. de pote Episc. alleg. 2. num. 14.* solum esse culpam venialem. Quia ex natura rei nulla appatet gravis ibi dependentia & subordinatio, & verba concilij non ostendunt intentionem obligandi graviter.

Ordinũ suscipiendorũ præcedentia.

2. Difficultas petit, quænam sit connexio & dependentia inter ipsos ordines suscipiendos, ut alij præcedere, alij subsequi debeant? Constat 1. ex præcepto Tridentini sess. 23. cap. 2. nullum ordinem posse suscipi, quin primæ tonsuræ susceptio præcedat. Quanvis enim certum sit validé suscipi ordinem sine tali præcedentia, tamen graviter peccabitur contra praxim Ecclesiæ, & Tridentini præceptum, ut tenent *Villalob. tr. 11. diff. 3. num. 7. & Bonacina d. 8. quæst. vnica part. 5. num. 11.* Constat 2. ordines inter se ea subordinatione esse connexos, ut semper a minoribus ad maiores fieri debeat ascensio. Sic enim disponit *Trident sess. 23. cap. 2.* Unde si talis dispositio invertatur, quanvis ordo susceptus persistat validus, tamen sic ordinatus peccat graviter, & manet suspensus ab exercitio suscepti ordinis *cap. sicut olim 46. dist.*

Notat veró Palaus citatus part. 5. num. 9. cum Villalobos tract. 11. de ordinat. diff. 7. in fine, posse

Posse Episcopum in hujusmodi suspensione dispensare: ut autem dispenset tum ut ordinem prætermissum suscipiat, tum ut susceptum exerceat, tum ut ad maiorem ascendat, opus esse, ne in suscepto ordine ex malitia ministraverit. Nam eo ipso videtur fieri irregularis, & irregularitati publica Episcopus non dispensat.

Suspentio aa exerci tio ordinis malé suscepti.

1461. Tertia quæstionis pars versatur circa ordinum pecularia officia, ut nempe explicemus quænam singulis ordinibus ministeria, seu officia competant. Quæ igitur Sanch.lib.7. cons. c. 2. dub.17.erudité collegit, paucis accipe. Ut incipiamus ab infimo & seriatim progrediamur ad summum, *Ostiarij* munus est pulsare cymbalum ad convocandum populum, aperire ostium Ecclesiæ, dignos admittere, indignos repellere, ut infideles & excommunicatos.

Ordinum singulorũ officia.

Lectoris munus est legere prophetias in Ecclesia ad instruendum cathecumenos, cantare prophetas, & lectiones quæ canuntur in Ecclesia, maximé in sabbato sancto, ad quod non indiget dalmatica, sed solum super pelliceo. *Exorcistæ* munus est arctare & pellere dæmones per adjurationem. *Acolyti* est præparare lumina in sacrario, portare cereum: pyxidem cum pane, & urceolos cum vino & aqua præparare, & ad altare deferre.

Munia singulorũ ordinum.

Subdiaconi munus est legere solemniter Epistolas, panem in patena, vinum & aquam in calice portare, & offerre Diacono, ut hic ea sacerdoti ministret: item lotionem Manuum presbyteri habere paratam. *Diaconi* munus est ministrare & assistere sacerdoti in omnibus quæ aguntur in Missæ celebratione: & sacerdoti tradere materiam consecrandã,& cantare solemniter Evangelium.

Sacerdotis munus est consecrare Euchãristiam, ligare & absolvere, per quem actum proximé disponuntur fideles qui sunt corpusChristi mysticum ad recipiendum corpus Christi verum. Tandem benedicere beneditione simplici in fine Missæ populum absente Episcopo,& ipso absente, de mandato ejus interpretativo. Unde præsenti Episcopo debet innuere an velit benedicere: & si velit, ipse non benedicat. Benedictio solemnis spectat ad Episcopum solum in sua diæcesi, Archiepiscopum in sua provincia,dum visitat & legatum in terminis suæ legationis, & illos Abbates quibus id ex privilegio concessum est, in Ecclesijs sibi pleno jure subjectis. Cap. Abbates, de privil.in 6.

Sacerdotis officium.

Benedictiones per Sacerdotẽ

QUÆSTIO V.

An & quomodò supplendum sit, si quid in celebratione ordinum omittatur.

1462. CUM valde diversum feratur judicium de suplendis essentialiter, vel solum accidentaliter ad ordinem quemlibet requisitis, antequam illud feramus, occurrit grave dubium circa sacerdotium, an quando Episcopus porrigit ordinando materiam sanguinis & corporis proferens illa verba *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo* conferatur simul potestas absolvendi a peccatis? Affirmant Sylv.v.Ordo 2.q. 4.dicto 4.Sotus in 4. dist.24.quæst.1.ar.5.& Ledesma de sacram.ord.d.4. asserentes utramq; potestatem dari quando ordinandus tangit materiã Episcopus dicit *Accipe potestatem offerre*. Unde quando postea Episcopus dicit, *Accipe Spiritũ S. quorum remiseris peccata* dicunt nullam de novo tradi potestatem, sed explicare priùs collatam,& sic illa posteriora verba non esse de essentia, sed solum de præcepto.

Sacerdotis potestas duplex

Dicendum tamen est cum Panorm. *Cap. fini de sacram.non iteran.* num.2. Scoto in 4.dist. 24. quæst.1.art.3. Petro Soto sect. 2. de ordin. &c. Bellarmino lib.1. controv.de sacr.ord.cap.9. §.3 *nota*, per priorem formam dari potestatem consecrandi, per posteriorem dati potestatem absolvendi, & sic esse duas formas particulares, & duas materias partiales: nam prioris formæ materia est traditio calicis &c. Posterioris verò manus impositio. Et hæc resolutio ita vera est, ut dicat Bellarm.citatus oppositum non esse probabilem. Hoc posito videamus quid supplendum sit in defectuosa ordinatione.

Duplici resolutione, cui nos subscribimus, optimé decidit Sanches lib.7.consil.cap.1. dub. 13. quid suppleri opporteat. Sit 1. resolutio. Si quod omissum fuit, spectet ad essentiam ordinis, vel dubitetur an ejus essentia sit, totum sacramentũ iterandum est. Pater, quia totum fuit nullum, saltèm sub dubio. Quod intelligitur quando ordo non habet duas cæremonias distinctas essentiales independentes inter se: nam si eas habeat independentes, ut in sacerdotio manus impositio, & traditio calicis ac patenæ, tunc quæ omissa fuerit supplenda est, & altera non iteranda.

Defectus in ordinatione supplendi

1463. 2. Resolutio: si certum sit omissum non esse de essentia, non debet iterari sacramentum sed solum supleri id quod omissum est. Unde peccabit ministrans in tali ordine, antequam suppleatur res omissa: at non fiet irregularis. Nõ oportet supleri orationes, quæ nec sunt de essentia, nec de solemnitate. Supletio fieri debet eodem tempore, quo ordines possunt celebrari, ut difinitur expresse *Cap presbyter.* Item ab eodem Episcopo qui ordinavit, si possibile fuerit. Cum pertineat ad ejusdem sacramenti, quod ministravit, perfectionẽ. Quod si fieri nequeat, ab alio.

Iteratio pretium sacramẽti.

Si appleatur aliquis actus, debent iterari orationes tali actui annexæ. Si altera manus inuncta est, & dicta oratio, non debet iterari, sed inungi alia manus cum oratione; si pars orationis omissa, tota iteranda est.

SEC-

SECTIO II.

De Ordinis ministro & subjecto, ejusq; ætate, scientia, & probitate,

QUÆSTIO I.

Quis sit Ordinis minister de necessitate Sacramenti?

CUM possit inquiri de ministro ordinis tum quoad validam, tum quoad licitam & legitimam ordinationem, hac secunda inquisitione remissa ad quæstionem sequẽtem, ut primam exequamur, supponimus ordinis ministrũ alterũ ordinariũ alterũ delegatum, seu ex cõmissione.

Minister ordinarius ordinis. Rogabis 1. quisnam sit ordinis minister ordinarius? Respondeo cum Vasquio disp. 243. cap.2.num.3. Laymano lib.5. sum. tr.9. cap. 9. concl.3.&Sanches citat:dub.18. omnem & solum Episcopum consecratum esse ministrum ordinarium, scilicet ex officij sacramenti ordinis. Est de fide definita a Trident. sess. 23. cap. 4. & can.7. Circa quod notandum est 1. cum Palao tt.27.part.14.num.1. esse sufficientem ministrũ ut validè ordines conferat, illum etiam Episcopum qui per saltũ ad Episcopatũ ascendit, nullo alio ordine recepto præter presbyteratus, & Episcopatus consecrationem. Quia solum ex his duobus facultas ad ordinandum pendet.

Episcopus minister ordinis. Notandum 2. Cum Valent.tom.4. disp. 9. q. 3.part.2.Vasq.d.243.cap.1.&Barb. de pot. Epis. alleg.3.num.3. non privari hujusmodi potestate Episcopum, quanvis excommunicetur, suspendatur, degradetur, aut Episcopatui renunciet. Quia talis potestas ex institutione Christi est, proindeque a solo Christo, & non ab Ecclesia tolli potest. Nec obstat *Cap.in Ecclesia 1. quæst. 1.* ubi dicitur ordinationem factam ab hæretico, seu excommunicato non esse ratam. Quia intelligi debet non quoad valorem ordinis, & impressionem characteris, sed quoad executionem & usum.

1464. Notandum 3. cum Palao num. 2. dicta procedere de omnibus ordinibus etiam minoribus. Quia juxta probabiliorem sententiam omnes septem sunt sacramentum a Christo institutum, acproinde a solo Christo pendet facultas illos conferendi. Et quanvis juxta sententiam oppositam minores ordines sint sacramentalia, acproinde intra potestatem Ecclesiæ, hæc prudẽter noluit privare ministrum delinquentem facultate illos conferendi, ne se exponeret periculo nullitatis.

Minister ordinis ex cõmissione Rogabis 2. quisnam sit ordinis minister delegatus, seu ex commissione? Certum est ex cõmissione summi Pontificis etiam nondum cõsecrati Episcopi simplicem sacerdotem posse cõferre primam tonsuram, & omnes ordines minores. Ita Sanch.citatus dub.18. qui benè addit Papam non posse dictum munus committere ulli non sacerdoti: Episcopum verò non posse illud committere ulli non Episcopo etiam sacerdoti.

Dubium est, an Papa possit committere sacerdoti non Episcopo conferre ordines sacros? Affirmant Ang.V.ordo 2.num.2. & Ledesma 2. 4.quæst.40.art.1. qui addit se audivisse a quodã monacho S. Benedicti suum Abbatem conferre ex privilegio Papæ subdiaconatum & diaconatum. Accedit Victor.mater.de ordin. nu. 235. dicens se vidisse Bullam, in qua Papa commisit sacerdoti conferre subdiaconatum, & quosdam asserere commisisse etiam diaconatum: & si hoc ita est (inquit) factum tenet. Inclinat Vasq.dist. 243.cap.4.&5.& probabile hoc judicat Palaus part.14.num.10.de subdiaconatu, & diaconatu.

Negandum tamen est cum S. Thoma in 4. dist.25.quæst.1.Soto lect.5. de ord.Sylv.V. ordo cap.7.Bonacina disp.8. de sacr.quæst. unica part.4.num.5.& Sanch.dub.18.num.10. Ratio est, quia cum certum omninò sit (ut fatetur Palaus num.9.) non posse ex commissione Papæ sacerdotem non Episcopum, conferre presbyteratum, eo quod contineat omnium supernaturalium perfectissimam potestatem in Christi corpus reale ac mysterium etiam congruum fuit, ut non poterit committere duos alios sacros ordines presbyteratui proximè connexos, & inservientes.

1465. Rogabis 2. quibus non Episcopis de facto in jure commissum sit primam tonsuram, & ordines minores conferre? Satisfaciam quæsito duplici resolutione, quam multis firmat & locupletat Thomas Sanch.cons.lib.7. dub. 19. *Primæ tõsuræ collatores.* Sit 1. resolutio. Nullus sacerdos qui Episcopus non sit, potest conferre primam tonsuram absque Pontificis privilegio. Summitur ex Trid. sess.14.cap.4. de ref. Quod adeo verum est, ut nulla consuetudo etiam immemorialis possit in oppositum prævalere. Quanvis enim presbyteri Cardinales Romanæ Ecclesiæ conferant primam tonsuram & ordines minores suis familiaribus, hoc non faciunt ex mera consuetudine, sed ex privilegio, quod indicat consuetudo. *Cardinales ad cõferendos ordines*

2. Resolutio Abbates qui presbyteri sunt ab Episcopis benedicti, si baculo & mitra utantur, primam tonsuram & ordines minores conferre possunt tantum in suo monasterio conversis suorum monasteriorum, & ijs qui ad illa convolaverint: & si habeant jurisdictionẽ quasi Episcopalẽ etiã alijs sibi subditis. Ita exprimitur in *Cap.Quoniam dist.69.* ex Synodo 7.cap.4. Requiritur in Abbate benedictio ut conferat prædictos ordines, nisi vel ex consuetudine non benedicatur, vel culpa sui Episcopi diæcesani, aquo benedici debet, non obtineat benedictionem. *Abbates quos ordines cõferant.* *Benedictio in Abbate.*

Nota 1. quoad locum posse Abbates conferre prædictos ordines solum in suo monasterio, vel in alio exempto, si ab ejus prælato invitetur. Nota 2. quoad personas, solum posse conferre monachis sibi subditis, & si habeat jurisdictionem quasi Episcopalem, laicis subditis; item ijs qui monasteria adierint, ut fiant monachi, proinde-

que

que suis novitijs, quanvis hoc non expediat. Ita Sanch. citat. num. Sed Palaus punt. 14. num. 6. sentit novitios non esse Abbati subditos quoad ordinum susceptionem.

Corepiscopi. Si quis a me roget quinam sint Coruepiscopi: quam dignitatem, & potestatem habeant? Respondeo fuisse olim quosdam prælatos, qui instituebantur in tentorijs & oppidis: solumque minores ordines conferebant.

Ordines minores per Abbates. 1466. Difficultas est, an teneat factum, si Abbates conferant ordines non subditis, vel suis subditis extra monasterium? Respondetur affirmativé. Quia privilegium fuit concessum absolute quoad posse, licét limitatum quoad licité, & bené conferendum.

Abbas si sit electus & confirmatus Episcopus, & si nondum consecratus, potest subditos talis Episcopatus ordinare minoribus ordinibus. Hoc enim privilegium (inquit Sanch. cit. num. 19.) utpote concessum per Synodum generalē VII. & quia insertum est in corpore juris *Cap. Abbatibus de privil. in 6.* non censetur revocatū a Trid. sess. 23. cap. 10. *de reform.* Quia Trident. non fecit de illo sufficientem mentionem.

QUÆSTO II.

Quis sit minister ordin s necessitate præcepti, scilicet quoad licitam, ac legitimam ordinationem?

Ordinatio licita seu legitima. UT probé intelligatur ex quibus licita & legitima ordinatio coalescat, variæ postulātur conditiones tum ex parte o dinantis, tum ex parte loci, in quo ordinatio celebretur. Ex parte ordinantis requiruntur omnes conditiones, quæ adesse debent pro licita cuj: slibet sacramenti administratione, v.g. ne minister illius sit aliquo peccato lethali infectus, vel censura aliqua innodatus. Ex parte ordinati requiritur ad ordinantem subjectio, quæ contingit dupliciter, 1. per se. 2. per accidens, seu per dimissorias a suo superiore acceptas. Fit autem quis subditus Episcopi per se tripliciter, nempe origine, domicilio, & beneficio. Singula breviter exponam.

Subjectio ad ordines quomodo liciter acquiratur. 1467. Origine patris fiet quis subditus Episcopo loci, in quo per se natus fuerit *l. Qui ex vico ff. ad munic pal.* juxta Ricciō resol. 257. Dixi (Origine patris) quia per origiem matris non acquirit quis subjectionem ad Episcopum. Dixi (per se natus fuerit) quia ex nativitate per transitum non acquiritur subjectio. Domicilio comparatur subjectio, quando eligitur locus ad habitationem perpetuam. Denique beneficio etiā valde tenui, & nullam residentiam exigente comparatur subjectio ex *cap. cum nullus, de tempr. ordin in 6.*

Reverēdæ literas ad ordinationem. Per hanc triplicem subjectionem fit quis subditus per se Episcopi, ut ab eo licité ac legitimé ordinibus initiari possit. Maior tamen & copiosior occurrit tractatio de subjectione per accidēs, quæ acquiritur per litteras dimissorias, quas vocant reverendas a proprio Episcopo datas, & destinatas ad alienum. Nam ex Trid. sess. 7. cap. 10. *de refor.* hujusmodi litteras concedere potest ille prælatus qui potest ipsos ordines conferre. Itē præcipitur *Cap. 1. & 2. de temp. ordin. in 6.* ut quilibet a proprio Episcopo ordinetur, vel ab alio de ejus licentia.

Quod præceptum recté fundatur in eo quod proprius Episcopus melius cognoscit suos subditos: tum quia per hoc pax inter Episcopos servatur. Imó licét quis (inquit Sanch. dub. 20) habeat generale vel speciale rescriptū, ut a quocūque ordinetur, nō debet ordinari, nisi ejus probitas testimonio ordinarij sui commendetur. Sic Trident. sess. 23. de refor. cap. 8. Quærit Sanch. dub. 22. quis sit proprius Episcopus ut possit ordinare, vel dare Reverendas? Et bené resolvit hac conclusione. Episcopus proprius ad hunc effectum est Episcopus illius diæcesis, de qua promovendus est oriundus, seu in qua beneficium Ecclesiasticum obtinet seu in qua habet domicilium licét alibi natus fuerit. Ita *Cap. 3. de tempr. ordin. in 6.* Dixerat bené dub. 20. num. 31. Episcopum electum & confirmatum a Papa, posse dare Reverendas suis subditis: secus si sit tantum electus, & nondum confirmatus.

1468. Rogabis 1. qualiter licentia proprij Episcopi ad ordines haberi, & constare debeat? Bené cum varijs resolvit Sanch. citat. dub. 20. licentiam Episcopi debere constare per litteras concludentes, vel instrumentum publicum, vel per testes. *Cap ut circa, de elect. in 6.* Excipe, quando Episcopus Italiæ vellet ordinare Ultramontanum clericum: tunc enim requiritur scriptura juxta *Cap. 1. de tempr. ordin. in 6.* *Licentia proprij Episcopi ad ordines*

Præcipitur a Trident. sess. 7. cap. 11. de refor. ut in litteris dimissorijs ponatur causa excusationis, ob quam proprius Episcopus nequit ordinare: & aliàs non suffragentur. Si litteræ sint speciales, nempe ut a tali Episcopo ordinetur absq; dimissorijs. Si veró sint generales, scilicet ut a quocunque antistite gratiam & communicationem Sedis Apostolicæ habente, non potest fieri ordinatio ab excommunicato, suspenso, vel interdicto, vel hæretico, vel schismatico. Tales enim non habent gratiam Sedis Apostolicæ.

Quando in dimissorijs solum ponitur licentia promovēdi a quocunq; Episcopo in propria diæcesi residente, non potest fieri ordinatio ab alio qui in aliena diæcesi de licentia proprij pōtificalia exerceat. In dictis litteris exprimi debēt ordines conferendi. Si veró concedatur recipi ordines minores, vel ordines absoluté, non cōprehendūtur ordines sacri. Non debent concedi dimissoriæ ante legitimum examen, & approbationem. Creditur autem litteris Episcopi asserentis esse legitimum & examinatum. Si in illis dicatur, dummodó ætatis, & litteraturę sufficientis, aliásque idoneus repertus fuerit, tenetur promovens examinare, & de sufficientia inquirere. Episcopus dimissorias, quas concessit, ante sortitū effectum revocare valet. Hæc omnia ex Sanch. citat. a num. 6. Vide Fragosum part. 2. lib. 8. d. 18. *Dimissoriæ quales*

8.d.18. § 4. dimissorijs.

1469. Rogabis 2. an sufficiat ratihabitio de futuro, ut possit quis ordinari absque litteris dimissorijs? Affirmant Raymundus in sum.tit. *de forma consecrat.* & Maiolus de irregul.lib. 4. cap. 2.num.7. Quia furtum non facit qui credit domino placere.

Ratihabitio ad ordines.

Negandum tamen est, & dicendum 1. cum Mandosio reg.24.concl.quæst. 4. num. 10. non satis esse talem ratihabitionem, nempe spem approbationis, seu ratihabitionis proprij Episcopi, ut alter possit alienum subditum ordinare. Sumitur ex Tridenr.sess.14.cap.3. de refor. ubi cavet ne Episcopi titulares aliquem ordinent absque expresso sui Episcopi consensu.

Dicendum 2. cum Salzedo in practica Bernardi Dias cap.26. *§.&non solum,* ordinationem factam absque licentia proprij Episcopi esse irritam quoad executionem. Unde sic initiatus tonsura non gauderet privilegio clericali: & sic promotus Ecclesiastica beneficia obtinere non posset. Dicendum 3. cum Rebusto de *forma demissor.* n. 31. proprium ordinati Episcopum non posse ratam habere talem ordinationem: quod si habuisset ratam nihil profuturam ejus ratihabitionem.

Ordinatus absque licentia proprij Episcopi.

Rogabis 3. an detur casus in quo Episcopus alienus possit aliquem ordinare absque licentia Episcopi? Respondeo affirmative cum authoribus citatis & alijs quos citant ac sequuntur Armilla V. ordo num.16.&Sanch.num.18.duplicem casum assignantes. Prior est quando Episcopus proprius est manifesté suspensus eo quod ordinavit clericos absque licentia proprij Episcopi. Tunc enim possunt clerici ejus subditi ordinari absq ejusdem licentia a vicinis Episcopis: Secus quando ob alias causas suspensus est. *Capit. 2. de temp ordin.in 6.*

1470. Nota 1. manifestam suspensionem esse idem atque notoriam, sive facti, sive juris. Nota 2. quod jus solis clericis permittit in tali casu ab alieno Episcopo ordinari: secus laicis. Nota 3. Episcopos debere esse vicinos, &non remotos: item debere facere ordinationem in sua diœcesi. Nota 4. ad hunc effectum nomine Episcopi venire Archiepiscopum.

Familiaris Episcopi ad ordines.

Posterior casus, quem affert &exponit Sanc. cit.num. 20. est ut possit Episcopus ordinare familiarem suum non subditum, si per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium, omni fraude cessante illi conferat. Sic Triden.sess. 23. cap.9. de refor. Ut censeatur familiaris ad hunc effectum, non requiritur quòd sit domesticus, & commensalis: sed requiritur quòd in obsequio Episcopi intra vel extra domum, ejusdem Episcopi expensis alatur, dummodó censeatur præsens obsequio assistere. Non enim sufficeret, si absens esset in regione remota, etiam si sumptibus Episcopi viveret. Familiares vel famuli sanctiunt Episcopi, qui expensis Episcopi aluntur dicentur familiares Episcopi ut gaudeant hoc privilegio.

Nota 1. si Episcopus conferat beneficium in ea diœcesi, posse statim non expectato triennio, ordinare eum familiarem. Quia tunc non ordinaret prætextu familiaritatis, sed quia ratione beneficij sortitur domicilium in ea diœcesi: sicut si daret beneficium cuicunque extraneo, posset illum statim ordinare. Nota 2. Episcopum titularem non posse suum familiarem post triennium ordinare Trid.*sess.14.cap.2.de refor.*

Nota 3. si Episcopus diœcesanus noluerit ad ordines promovere habentem beneficium & alias qualitates requisitas, posse legatum de latere Nuncium Apostolicum per appellationem aditū committere viciniori Episcopo, ut si repererit eas necessarias qualitates in eo concurrere, dimissorias ei cōcedat, ut a quocūque Episcopo suæ legationis ordinetur.

Nuncius Apostolicus ad reverendas.

1571. Rogabis 4. qui possint alij litteras dimissorias concedere ad ordines? Dico 1. Capitulum Sede vacante potest dare Reverendas post elapsum unum annum, ex quo Sedes vacat: ante illum, non nisi recipienti beneficium, quod requirit ordinem. Ita Trid.sess.7.cap.10. de reform. ubi statuitur quod is qui ultra hos casus obtinet Reverendas a Capitulo, &illis initiatur, si solis minoribus, nullo privilegio clericali gaudeat: si sacris, ipso jure sit suspensus ab executione ordinis ad beneplacitum futuri prælati: & in utroque casu capitulum subjaceat interdicto Ecclesiastico. Non sufficit gradus in Theologia requirens ordinem. Quia non est beneficium: imo ut sufficiat beneficium, hoc debet postulare ordinem. Non procedit Triden. de collegio Cardinalium vacante Sede Apostolica. Hæc ex Sanch.dub.20.num.36. quibus addit Palaus tr. 17.part.15.num.8. sub dicta prohibitione non comprehendi litteras testimoniales de vita, & moribus ordinandorum, quas Capitulū, & alij prælati concedere possunt.

Dimissoriæ a quibus cōcedi possint.

Capitulū ad dimissorias.

Dico 2. Officialis Episcopi, seu vicarius Generalis in spiritualibus vulgo *Provisor*, non potest regulariter dare reverendas, nisi quando Episcopus in remotis agit. *Cap 3.de temp.ord.in 6.* Unde in generali commissione facta Vicario nō cōtinetur potestas dandi Reverendas, sed requiritur speciale. Episcopus juxta aliquos dicitur agere in remotis quando est extra provinciam, vel ultra duas diætas, aut saltem unam. Gloss. ibi dicit hoc esse arbitrarium judici.

Provisor ad reverēdas.

Dico 3. Religiosis exemptis, dimissorias ut a quocunque Episcopo ordinentur, debent dare prælati eorum regulares. Religiosi non exempti debent ordinari ab Episcopo in cujus diœcesi commorantur, vel cum litteris illius a quocunq; Episcopo. Nec prælati regulares illis reverendas dare possunt.

Religiosi ad reverēdas.

1472. Dico 4. Abbates, & alij prælati habētes jurisdictionem quasi Episcopalem in subditos sæculares, possunt illis dare reverendas. Ita Sanch.cit.dub.21. qui benè notat hoc procedere de habentibus talem jurisdictionem ex jure communi. Nam tales Abbates & prælati possunt omnia

Abbates ad reverēdas.

omnia

omnia quæ possunt Episcopi spectātia ad potestatem jurisdictionis. Nec obstat Trident. *sess.* 23.*cap.* 10.*de reform.* ubi privat Abbates, & similes prælatos potestate dandi reverendas suis subditis secularibus. Quia solum intelligitur de illis Abbatibus & prælatis, qui ex privilegio speciali, vel consuetudine id faciebant: non verò de illis qui ex jure communi. Nam privilegium insertum in corpore juris non tollitur per derogationem generalem privilegiorum.

Locus ad ordinationem. Rogabis 5. qualis requiratur locus, & qualiter ad licitam ordinationem? Sciendum est ex parte loci ad licitam ordinationem postulari: quod ordinans in eum locum habeat jurisdictionem, ex se, vel ex delegatione proprij prælati. Dico igitur 1. Archiepiscopus nec potest ordinare subditos in diæcesi Episcopi suffraganei absque ejus licentia: nec potest subditis suffraganei dare ordines, vel reverendas ad alios Episcopos. Habetur ex *cap.3.de tempor.ordin.in 6.*

Dico 2. Si Episcopus titularis conferat ordines in alterius Episcopi diæcesi absque ipsius facultate, etiam in loco exempto, suspenditur ipso jure ab exercitio Pontificaliū per annum: Episcopus verò diæcesim habens si in aliena diæcesi proprio Episcopo irrequisito ordines conferat, supenditur per annum, non ab omni Pontificali sed solum a collatione ordinum. Ita Palaus tr. 27.part.15.num.9. ex *Cap. Eos qui* de tempor. ordin. in 6. & Trident.sess.14.de reform.cap.2. & sess.23.cap.8. Uterque verò ille Episcopus si in aliena diæcesi conferat ordines, & exerceat alia pontificalia absque licentia Ordinarij talis loci, suspenditur ipso jure a Pontificalibus. Ita *Trident.sess.5.cap.5.de reform.*

1473. Dubium est, an Episcopus sive titularis, sive habens diæcesim possit exercere Pontificalia in loco exempto ex licentia ordinarij illius loci, nulla postulata licentia ab Episcopo, intra cujus diæcesim locus ille exemptus est? *Pontificalia exercens.* Videtur affirmare Vasq.disp.243. cap.5.num.53. Idque suadetur ex Verbis Concilij, quæ non Episcopi, sed Ordinarij licentiam exigunt.

Oppositum tenet Palaus citatus punt. 15.nu. 10. rectè judicans probabilius, si locus ille exēptus sub aliqua diæcesi contineatur, non solum exigi licentiam Ordinarij illius loci, sed etiam Episcopi. Quia uterque verè censetur Ordinarius. Secus esset, si locus exemptus ad nullam spectaret diæcesim. Sic decisum testatur Barbosa in remiss.Concil.citata sess.cap.5.& de pot.Epis. alleg.6.num.12.

QUÆSTIO III.

Quæ sint alia spectantia ad ministrum Ordinis?

Ordinatus per ipsum Papam. CIRCA ministrum conferentem ordines, & prælatum ordinarium illorum qui ordinibus initiantur, nonnulla expedienda supersunt: pro quorum explicatione rogabis 1. quid dicendum quando Summus Pontifex per se ipsum ordinavit aliquem Diaconum, aut subdiaconum? Poteritne aliquis Episcopus talem sic ordinatum ad superiores ordines promovere absq; licentia Pontificis? Benè negat Sylvester. V. ordo quæst.2. quia sic exprimitur in *Cap cum in distribuen. de tempr. ordinan.* Idem dicunt Archid. *Cap.3.de tempor.ordin. in 6.* & alij quando Papa providet alicui in Curia de aliquo beneficio.

Negandum tamen est cum Joan.Andr. ibidē & Rebuff. in praxi *benef.de litte. u dimissor.* nu. 8. asserentibus ex eo quod Papa conferat alicui beneficium, etiam Episcopatum, non reservare sibi ordines. Quia oppositum, nullo textu probari potest.

1474. Rogabis 2. quis sit proprius Episcopus ut possit promovere ad ordines expulsum a religione, & an is promoveri possit? *Expulsus a religione ad ordines.* Sanch.lib. 7.consil. cap.1 dub.24. ex Navarro lib.1. consil. tit.14. de ætate & qualit.ordin.cons.9. triplicem adhibet resolutionem, juxta quam Dico 1. Talis potest promoveri, si aliunde non sit irregularis, vel inhabilis. Ratio est, quia non apparet textus id prohibens. Dico 2. Talis expulsus debet ordinari ab Episcopo originis, si patrimoniū sufficiens, & alias qualitates requisitas habeat. Ratio est, quia hoc domiciliū semper retinetur. Dico 3. Expulsus ille si sit irregularis, & non absolutus antea per privilegia religionis, dispēsandus est vel à Papa, vel ab Episcopo originis juxta reservationem irregularitatis.

Rogabis 3. an si dedit Papa alicui licentiam, ut ordinaretur extra tempora à suo ordinario tātum, possit ordinari ab alio cum dimissorijs sui ordinarij? *Ordinatio extra tempora.* Videtur negandum. Quia illa vox (tantum) excludit alios ordinantes: & a proprietate verborum discedendum non est, *Cap.ad audientiam, de decimis l non aliter.ff.de legat.*3.

Affirmandum tamen est cum Navarro, quem citat & sequitur Sanch.prox.dub.25. Quia vox (tantum) licèt taxativa sit, non excludit simila, in quibus est eadem ratio. Suadetur a simili, nā in *l.fin.C de revocat. donat.* dicitur tantum posse revocari donationes ob causas ibi positas, & tamen Glossa addit casum alium ex similitudine rationis.

Rogabis 4. an Capitulum Sedè vacante ante annum elapsum possit licentiā dare alicui Episcopo, ut in diæcesi ordinet habentes aliunde dimissorias, sive sint subditi ejusdem diæcesis, qui v.g. illas habeant ab Episcopo demortuo, aut Nuncio Papæ, sive sint non subditi qui illas habeant a suo Episcopo? *Capitulū Sede vacāte ad ordines.* Respondeo affirmativè cum Sanch.citato dub. 26. num. 3. Quia dare licentiam, ut aliquis ordinetur. Hoc autem solū prohibet Trident. *sess.6.cap.5.de reform.*

1475. Rogabis 5. an cum Episcopus proprius dat reverendas alicui subdito ut ordinetur a quocunque Episcopo, censeatur concedere, ut dispenset cum ordinato in quacunque irregularitate, vel impedimento ad ordines in quo potest dispensare proprius Episcopus? *Dispensatio ad ordines.* Affirmant Sylvest.V.irregularitas quæst.9.Angel.V.eodem num.34. & Armil. num.81. probant ex *l.2.ff. de juris.*

ju isdi omni judic. juxta quã, concesso aliquo videtur concessum id, sine quo illud consistere nequit.

Negandum tamen est cum Navarro lib. 1. concil.tit.11.de tempor.ordin.consil.17.& Sanches cit.dub.27.num.2. Ratio est 1. quia a separatis non fit illatio, *Cap.ad audientiam, de decim.* at potestas ordinandi, & dispensandi sunt diversa & separata. 2. quia privilegium non extenditur ultra casum expressum *Cap.porro de privil.* sed reverendæ litteræ sunt privilegium ordinandi non subditum ; ergo non extenduntur ad casum dispensandi.

Infertur 1. Episcopum qui juxta Trid.sess. 23.*cap.9.de refor.* potest ordinare familiarem trienalem non posse cum eo dispensare in impedimentis. Infertur 2. quod Episcopus dans reverendas alicui ut ordinetur ab alio Episcopo, debet dispẽsare in interstitijs, vel expressé committere Episcopo ordinaturo ut dispenset: aliter nõ poterit hic dispensare.

Coactio ad ordines suscipiendos. 1476. Rogabis 6. an possit Episcopus proprius compellere subditos ad ordines suscipiendos, vel eis ordines petentibus negare? Priori rogationis parti Sanch.lib.7.consi.cap.1.dub. 29. bené satisfacit triplici conclusione. 1. conclusio. Si clericus habeat beneficium, cui annexus est aliquis ordo sacer ex jure vel statuto, potest Episcopus illum cogere ad talem ordinem suscipiendum, per beneficij subtractionem. *Cap.Invocamus dist.60.* nisi sit legitimé excusatus, ut si post beneficium fiat sine culpa sua irregularis, ut si factus sit cæcus.

2. Conclusio. Si beneficio illi non sit annexus prædictus ordo, non potest Episcopus ad illum ordinem cogere, nisi necessitas, vel utilitas Ecclesiæ hoc postulet: necessitas erit, quando Ecclesia indigeat ministris, & non sint alij idonei præter illum. Coactio fiet per remotionem illius a beneficio, & promotionem aliorum: nisi aliás esset necessarius, aut valde utilis Ecclesiæ. *Cap quæris, de ætat.* 3. conclusio. Si talis nullum habeat beneficium, non potest cogi. Quia de Ecclesiæ bonis non alitur.

Negatio ordinum. Posteriori rogationis parti circa negationem ordinum, recte satisfacit author citatus ibidem quadruplici conclusione. 1. Conclusio: sit petens ordines non sit subditus Episcopi ordinantis, nõ debet Episcopus ei conferre ordines, si novit ejus peccatum, vel impedimentum occultum. Patet quia nullus Episcopus tenetur ordinare non subditos.

2. Conclusio. Si petens ordines sit subditus Episcopi, a quo petit, non tenetur Episcopus, nec debet illum ordinare, si sciat habere peccatum mortale, vel impedimentum, licét occultũ si clericus ille non habet beneficium, cui annexus est ordo. Ratio est, quia non habet jus petendi.

3. Conclusio. Si petens a proprio Episcopo, habet beneficium, cui talis ordo est annexus, non potest eum Episcopus repellere propter impedimentum occultum, si aliás habet cætera requisita. Nam habet jus petendi. Ex *Cap.1 v. tenore, de tem p.ordin.* An teneatur Episcopus eum monere ut a peccatis desistat, vel alio colore illi ordines denegare, dixit Sanches lib.3.Matr.d.15.num.8. 4. conclusio. Si vitium, vel impedimentum sit manifestum, publicé potest eum repellere. Tunc enim nullam irrogat illi sic diffamato injuriam.

Ordinis suscepti exercitiũ 1477. Rogabis 7. qualiter ordinatis debeat permitti usus susceptæ ordinationis? Cum postulet recta ratio ut nullus ordinatus permittatur exercere susceptum ordinem, nisi prius judicetur idoneus ad illius exercitium, quæritur quid agẽdum sit ordinato, ut licité in suscepto ordine ministret? Bené respondet Palat s tr.27.pun.16 num.1. solum exercitium presbyteratus regulariter prohiberi tum ad Missam celebrandam, tum ad confessiones excipiendas, ante quam quis ad tale munus per examen idoneus probetur. Secus ad usum inferiorum ordinũ, ad quos communiter quis judicatur sine præmisso examine idoneus.

Litteræ commendatitiæ ad sacerdotũ exercitium. Additur ex *Cap.Monachum.20.quæst.4.* & *Trid. sess.23.cap.16.de reform.* Sacerdotes non esse permittẽdos in aliena diœcesi celebrare, nisi exhibeant litteras commendatitias sui ordinarij, in quibus testetur tum de sacerdotio, tum de carentia impedimenti ad tale munus. Addunt Ricius in praxi fori Eccl.decis.750. & cum multis Barbosa de pot.Episc.alleg.21.num.8. posse Episcopum sub pœna excommunicationis prohibere prælatis exemptis, ne ad missas celebrandas admittant in suis domibus sacerdotes exteros & incognitos, quin ipse priùs litteras commendativas recognoscat.

Quid si talis sacerdos exterus non afferat tales litteras? Citatus Barb. alleg. 21. num.2. ex Navarro, & Ricio bené respondet, si talis sacerdos aliqua ratione sufficienter probet se esse verũ sacerdotem, & nullo impedimento ligatum ad celebrandum, posse Episcopum, sed non teneri illum admittere. Addunt Henriq.lib.10.cap.34. num.6.& Navarro in sum.cap.27. num. 153. si talis sacerdos se judicat idoneum, posse scandalo cessante celebrare. Denique teneri Episcopum suo sacerdoti habenti justam causam recedendi a diœcesi concedere litteras commendatitias, bené desumitur ex Trident.sess.23.cap.16.

QUÆSTIO IV.

Quænam ad subjectum ordinis postuletur capacitas sexus, & ætatis?

Sexus virilis ad ordines. 1478. EXplicato ministro circa facultatẽ conferendi ordines, superest explicare subjectum quoad illos recipiendi capacitatem. Prior quæstionis pars inquirit capacitatẽ sexus, an ita ad valorem ordinationis requiratur virilis, ut nequaquam sufficiat fœmineus? Negativam partem tenuerunt olim quidam hæretici dicti Pepuziani asserentes, etiam fœminas ex Christi institutione esse capaces ordinationis cujus.un-

rifcunque: quod probabant ex Apost. ad Galat. 3. ubi ait in Christo Jesu masculum & fœminam unum esse.

Affirmandum tamen est cum catholicis subjectum ordinationis capax esse virum & non fœminam. Hanc resolutionem tenet Palaus tract. 27. pun. 6. num. 1. ubi asserit esse certam de fide apud S. Thom. in 4. dist. 25. quæst. 2. art. 1. Scotum quæst. 2. §. sic breviter, & alios relatos a Vasq. disp. 245. cap. 2. Probatur 1. ex natura ordinis, per quem constituitur quis in gradu eminente inter fideles cum facultate illos docendi, & sacramenta ministrandi: fœminæ autem jure divino sunt incapaces dicti ministerij, juxta Apostolum 1. ad Corinth. 14. *Mulieres in Ecclesia taceant.*

Probatur 2. ex non usu Ecclesiæ, quæ nunquā ordinem ulli fœminæ etiam sanctissimæ contulit.

Dubitatur, an saltem primam tonsuram possit Ecclesia conferre fœminis? Affirmant Paludanus in 4. dist. 25. quæst. 3. art. 1. & Gaspar Hurtado tract. de ord. diff. 20. Probant quia prima tonsura solum datur ex institutione Ecclesiastica, quam proinde Summus Pontifex & tollere, & mutare potest. Unde addit Hurtado citatus potuisse fœminas initiari quatuor minoribus, si non essent ex institutione Christi, sed Ecclesiæ, ut credunt Vasq. & alij.

Negandum tamen omninó est cum Vasq. disp. 245. cap. 2. num. 12. Ægid. Bellano disp. 20. dub. 10. num. 95. Laymano lib. 5. sum. tr. 9. cap. 6. num. 2. Sanch. de ord. dub. 30. & Palao cit. punt. 6. num. 2. mulierem capacem esse primæ tonsuræ. Probatur, quia licét prima tonsura non sit ordo Ecclesiasticus a Christo institutus, est tamen Ecclesiastica dispositio, seu deputatio ad ordines Ecclesiasticos suscipiendos, ad quos, cum sit incapax, neque disponi, neque deputari potest.

1479. Maior est difficultas circa Hermaphroditū, an sit capax ordinis, ita ut validé ordinetur? Ex *l. quæritur ff. de statu hominum* rectè supponit Sanch. citatus dub. 31. num. 1. Hermaphroditum judicandum esse virum aut mulierem ex sexu qui in eo prævalet, itaut si prævaleat virilis, reputetur vir: si prævaleat muliebris, reputetur mulier. Illud notat Vasq. citatus ex Aristot. 4. lib. de genr. anim. cap. 3. nullum ex his monstris habere sexum utrunque perfectum, & si exterius appareat, sed necessario alterum ex illis prævalere.

Sit resolutio. Spectandum est quinam sexus in eo prævaleat, virilis, capax est ordinis jure divino, sed per jus Ecclesiasticum ab ordine repelli debet tanquam irregularis: si autem prævaleat muliebris, incapax omninó est ordinis divino & humano jure. Ita Sanches dub. 31. Palaus punt. 6. num. 3. & Bonacina disp. 8. de sacram. quæst. unic. part. 5. num. 6. Quid si in eo sit uterque sexus par? Sanches num. 2. ex Sylvest. D. Antonino, Navarro & a ijs resolvit ita esse incapacem ordinis, ut si sic ordinetur, factum non teneat.

Posterior quæstionis pars inquirit capacitatem ætatis ordinandorum: & imprimis quærendum est an sit aliqua determinata ætas, quæ postuletur ad valorem ordinationis? Affirmavit Duran. in 4. dist. 25. quæst. 2. numer. 8. dicens pueros ante usum rationis esse ordinis recipiendi omninò incapaces. Quia dedecet sacramentum aliquod, excepto Baptismo, qui est de necessitate salutis, alicui incapaci propriæ voluntatis conferre: puer autem ante usum rationis voluntatem propriam habere nequit.

1480. Negandum tamen est, & dicendum cum certa, & communi sententia, puerum ante usum rationis capacem esse validæ ordinationis. Ita S. Thom. in 4. distin. 25. quæst. 1. arti. 1. quæst. 2. Valentin. disp. 9. quæst. 4. part. 2. Sanches de ordine dub. 32. Layman. lib. 5. sum. tract. 9. cap. 6. asser. 2. & Bonacina disp. 8. de sacram. quæst. unic. part. 5. numer. 1. Sumitur ex *Cap. unico de clerico per saltum promoto* & ratione, quia usus rationis solum est de necessitate sacramentorum in ijs sacramentis, quæ aliquem suscipientis actum requirunt: ordo autem ut conferatur nullum suscipientis actum requirit.

Procedit resolutio etiam de Episcopatu quoad consecrationem, ubi extenditur character sacerdotalis: non veró quoad jurisdictionem. Hæc enim (ut benè docet Sanches dub. 32.) requirit actum acceptantis. Ex dictis (inquit Palaus cit. numer. 4.) non licet inferre amentem qui aliquando usum rationis habuit, ordinari posse, si tempore discretionis ordinem non petivit. Quia juxta Vasq. disp. 246. cap. 1. num. 8. & alios citatos, sacramenta quæ necessitatis, repelli censentur, si petita non fuerunt tempore, quo peti poterant.

Quid de perpetuo amentibus, qui nunquam habuere rationis usum post septennium? poterit ne illis validé conferri ordo? Non inveni casum hunc expresśé decisum in aliquo authore. Filiucius tamen tract. 9. cap. 4. quæst. 3. videtur affirmare, quatenus ait illos qui naturali jure sunt inhabiles ad exercendos ordines, quales omninò cæci, & perpetuò amentes, posse validé ordinari.

Favet Sanches dub. 33. num. 19. quatenus ad hoc illos æquiparat infantibus: sed non exponit an procedat post septennium.

Superest dicendum de ætate requisita ad licitam ac legitimam ordinationem. Ut a minoribus ad maiores ordines procedamus, mislis varijs sententijs, rectè Sanches dub. 34. statuit 1. nec primam tonsuram, nec minores ordines posse conferri ante usum rationis. Sumitur ex *Tridentin sess. 23. cap. 4. de reform.* Esset (inquit Sanches num. 16.) peccatum mortale conferre primam tonsuram ante usum rationis. Nam per *cap. nullus, de temp. ordin. in 6.* sic conferens suspenditur per annum a collatione primæ tonsuræ quæ pœna utpote gravis supponit culpam gravē.

1481. Statuit 2. cit. dub. 33. num. 17. omnes

 ordines

Fœminæ ad ordinem.

Fœminæ ad primā tonsuram.

Hermaphroditus ad ordinem.

Ætas ad valorem ordinis.

Amens ad ordines.

Ætas postulata ad licitam ordinationem.

ordines minores posse conferri septennio completo. O[illegible] (ut tenet Greg. r. Lopez l. [illegible] tit. 6. part. [illegible]) temporum interstitia, quæ exigit cap. in singulis dist. 77. non sunt in usu. Bene tamen Vasq. d. 246. cap. 4. num. 41. & Bellanus disp. 20. dub. 10. num. 102. notant rarò ante novem aut decem annos præsumi puerum ea scientia & discretione pollere, quæ ad primam tonsuram, & a fortiori ad exercitium muneris commissi in alijs ordinibus sufficiat.

Minores ordines ad ætatē.

Quod attinet ad maiores & sacros ordines, cũ olim determinaretur certa ætas, quæ pro temporum varietate diversa fuit, ut constat ex *Clem. Generalem 3. de ætat. & qualit. ordin.* & ex cap. 1. ac sequen. 77. dist. jam hodie novo jure Tridentin. *sess. 23. cap. 12. de reform.* statuitur ut nullus admittatur ad subdiaconatum ante vigesimum secundum annum, ad Diaconatum ante vigesimum tertium, ad sacerdotium ante vigesimũ quintũ.

Sacri ordines ad ætatem.

Satis est (inquit Sench. cit. dub. 33. num. 12.) ut dicti anni sint incepti per unam tantũ diem, & ut hæc sit incepta: v. g. implectur hodie ætas 24. annorum: potest igitur post dimidiā noctē ordinari sacerdos. Nam in favorabilibus dies incepta habetur pro completa. Ætas computari debet non a die conceptionis, sed a die nativitatis, etiam si quis nascatur cæso matris utero. Quid de ętate requisita ad Episcopatum? Bene respond. [illegible] Palaus tr. 27. p. 7. num. 6. ex *Cap. cum in cunctis, de elect.* esse trigesimum annum completum.

Ætatis cōputatio

Quid de dispensatione in ætate ad ordines requisita? Sanch. de ordin. dub. 33. num. 18. docet Episcopum non posse in illa dispensare. An ex privilegio possint regulares prælati cum suis subditis? Vide Rodrig. quæst. tom. 3. quæst. 23. art. 7. & tom. 1. quæst. 8. & Palaum cit. num. 8. & 9. Qualiter possint prælati Societatis dispensare cũ Missionarijs, constat ex Bulla Innocentij X. expedita anno 1[illegible]49. quā ego legi, & incipit. *Universis & singulis.* Concepta verba illius sunt hæc *Missis quo ue per horam ante auroram ipsi Patres Societatis celebrare possint, ac cum suis regularibus ut ad sacros ordines etiam presbyteratus per annum ante legitimam ætatem promoveri possint, dispensare valeant.*

Ætas ad Episcopatum.

Dispensatio in ætate ad ordines.

QUÆSTIO V.

Quænam postuletur capacitas, seu qualitas ordinandorum quoad mores & scientiam?

1482. Duplicem proponit quæstio difficultatem, alteram quoad probitatem, alteram quoad scientiam. Quod attinet ad priorem, de vitæ probitate, seu honestate ordinandorum, quid decernat Tridentinum sess. 23. cap. 12. de reform. exponunt Sanches [illegible] consil. cap. 1. dub. 46. Palaus [illegible] part. 8. & Ca[illegible] de ordin[illegible] sess. 22 [illegible] paucis [illegible] vitæ, ita ut [illegible] careat peccato [illegible], sed etiam habeat [illegible] honestate [illegible] so-

Probitas [illegible] ordinandorum.

[illegible] casus [illegible]. Nam [illegible] quem [illegible].

Unde peccat mortaliter E[illegible] ordinans scienter non habentes [illegible] probitatis. Quia mortaliter [illegible] in re gravi [illegible] munus dispensatoris. Nec sufficit pro excusatione quod Episcopus nesciat ordinatum esse malum: sed requiritur quod [illegible] examen ut moraliter certificetur de prædicta sufficientia. Examen fieri debet ab Episcopo qui dat reverendas: si autem in illis dicatur: *Si idoneus repertus fuerit:* tenetur ordinans examinare. Et hoc [illegible] fieri, quando absentes ab Episcopo proprio sunt clerici.

Juxta Tridentinum sess. 23. cap. 12. de reform. pro examine clerici sæcularis fiet triplex veluti scrutinium. Primum erit remotum: nam si velit ordines minores: habere debet testimonium a parocho, & magistro scolæ in qua educatur.

Si velit ordines sacros, per mensem ante ordinationem adeat Episcopum, qui parocho, vel alteri committet, ut nomen & desiderium promovendi publicé in Ecclesia proponet: & de illius natalibus, personæ ætate, & moribus a fide dignis diligenter inquiret, & testimoniales litteras de inquisitione ad Episcopum mittet.

1483. Secundum scrutinium fiet proxime ante ordinationem, vocatis peritis & probis, qui diligenter investigent ordinandorum genus, personam, ætatem, mores, fidem. Tertium fiet quando conferuntur ordines, & Episcopus interrogat Archidiaconũ, an sciat adesse ordinādos, & esse idoneos. Hæc pro examine clericorum sæcularium. Examen regularium (ut ait Sanches dub. 46.) committitur Episcopo per Tridentinum. sess. 23. cap. 12. de reform. Advertit tamen Palaus part. 8. num. 4. regulares (ut declaravit congregatio concilij) non teneri nomen, & desiderium suum in Ecclesia publicé proponi facere, & testimonium deferre in Tridentino præscriptum, sed sufficere testimonium a suis superioribus allatum.

Regularium examen ad ordines.

Addit tamen num. 15. illorum examen quoad scientiam & doctrinam Episcopo competere. Notat deinde num. 1. & si attestatio & informatio pro omnibus ordinandis debeat regulariter fieri, aliquando tamen poterit Episcopus ordinandum promovere omissa informatione si ordinandus sit spectatæ virtutis & notus omnibus.

Circa puritatem generis nihil inveni definitum jure communi, nisi irregularitatem illegitimorum, de qua Suar. de cens. dist. 5[illegible]. sect. 3. & nos agemus tract. 50. De jure dicæcesano Olyssiponensi juxta constitut. [illegible] lib. 1. tit. 12. decis. 2. § 1. est impedimentum ad ordines illegitimitas, & genus infectum sanguine Hebreo, mahometano, hæretico, Æthiopico, seu nigrorum, aut mulatorum.

Quid

Scientia requisita ad ordines. Quod attinet ad posteriorem difficultatem de scientia ordinandorum, notandum est 1. cum Sanch. dub.46.non ex necessitate sacramenti, sed praecepti aliquam scientiam requiri etiam ad primam tonsuram. *Cap praecipimus dist.*34.Unde Episcopus (inquit) nequit dispensare cū omninò illiterato ut primam tonsuram recipiat. Addit Turrec. nec Papam posse dispensare cum omninó illiterato ad sacerdotium. Est enim de jure divino. Oseæ 4.

Notandum est 2. illiteratos, ut sint irregulares ad ordines minores, dici qui nesciunt legere: respectu verò maiorum ordinum, qui nesciunt linguam, in qua scripta sunt ea, quæ lecturi sunt, ut si nihil sciant de lingua latina, sive sunt in Ecclesia Latina, & nihil de Græca, qui sunt in Græca. Nam sunt omninó idiotæ, cum legendo assequi nequeant ea ministeria ad quæ per ordines deputantur.

1484. Sit igitur generalis resolutio. Ut vitetur peccatum mortale in promotione, ea scientia requiritur, quæ necessaria est ad bonam executionem ministerij ordinis suscepti: proindeque major requiritur ad unum quā ad alium. Ratio est, quia cum facultas operandi sit propter usum ei rectè facultas traditur, qui ea scit uti. Unde non potest admitti ad beneficium, vel sacros ordines, qui nesciat recitare horas Canonicas, nisi tali sit ingenio, ut saltem cum socio credatur posse legitimé recitare statim post adeptum beneficium, vel ordines. Beneficiarius nesciens potest cogi ab Episcopo, ut beneficium renunciet, vel discat necessaria.

Horarum canonicarum scientia ad ordines, & beneficiū.

Scientia ad singulos ordines. Superest cum Sanch.cit.dub. 45. exponere quæ scientia in particulari requiratur ad singulos ordines. Dico 1. Ad primam tonsuram requiritur quod sciat legere & scribere, & fidei rudimēta. Sic Trident.sess.23.cap.4. de reform. Sufficit autem quod sciat legere characteres vernaculos, v.g. Lusitanos, aut Italos. Quia talis non dicitur absoluté nescire legere: & Trid. sic habet. *Non initietur prima tonsura, qui nesciat legere.*

Ordines quis iniciar qui sunt. Dico 2. Ad quatuor ordines minores requiritur ut ordinandus saltem Latinam linguam intelligat. Sic Trident.sess.23.*cap.* 11. *de refor.* In quo non potest Episcopus dispensare, Sanch.cit. num.14 contra Menochiū lib.2. de arbitr. cent. 5.casu.4 5.num.58. Dico 3. Ad subdiaconatū & diaconatum postulatur, ut initiandus legere Latinè sciat, & quæ legit, intelligat. Ita Trid. sess.23.cap.13. de refor. Dico 4. Ad sacerdotiū ultra dicta exigitur, ut eo initiatus sacrificium illud intelligat, proindeque bene legat, & mediocriter intelligat contenta in missa, & possit servare ea quæ spectant ad missam ritè conficiēdam: ut sciat defectus occurrentes in missa, materiam & formam consecrationis, & dispositionem necessariam ex parte corporis.

Sacerdotis scientia. 1485. Addit Trident.sess.23.cap.14.de refor. quód ordinandus sacerdos comprobetur idoneus sufficienti examine ad docendum populum ea quæ omnibus scire necessariū est ad salutem, & administrandum sacramentà. Unde infert Ledesma debere scire quæ sit materia & forma cujuslibet sacramenti. An omnino idiota, sed versatus in divino officio, ut sacrista, & monachus qui potest choro deservire, possit sacris ordinibus initiari, vide Emman.Rodrig.quæst.24.art.7. & Suar.de Irreg.

Rogabis, an eadem scientia quæ postulatur ad ordines in sęcularibus, etiam postuletur in regularibus? Videtur affirmandum: quia Tridentinū exigens talem vel talem scientiam ad ordines, ut vidimus nullam facit distinctionem inter ordinandos sæculares & regulares. Dicendum tamē est cum S. Thoma in 4. dist.24.quæst.1.artic. 3. Henriq. lib.10.de ord.cap.16.Villalob. tr. 31. de irreg.diff.34.num.5.&Rodrig.tom.1.quæst. regu a quæst.24.art.7. minorem scientiā linguæ Latinæ in religioso quàm in sæculari clerico postulari. Quia in religioso suppletur defectus tū aliorum cum quibus vivunt, doctrina, tum puritate, prudentia, monitis & correctione prælatorum, quod in sæcularibus non cernitur. Vide Palaum part.8.num.17. *Regularium scientia ad ordines.*

QUÆSTIO VI.

Quas cum clericatu obligationes contrahat ordinatus

Agendū imprimis est de præcipua obligatione, quæ solum adstringit sacris ordinibus initiatos, qualis obligatio continentiæ. De impedimento dirimente matrimonium, quod sacris ordinibus annexuit Trid.sess.24.can. 9. dicemus num.1798. Hanc igitur obligationem presbyteratui & Diaconatui annexam fuisse, multis ostendit Bellarm.lib.1. de clericis.cap.19. Solum est incertum quando fuerit annexa subdiaconatui, cum certum omninó sit annexā eodem modo triplici sacro ordini, matrimoniū contrahendum dirimere, contractum verò impedire quoad usum, & cohabitationem. *Capit. Nullum. Cap. præterea. Cap. quando 28.dist.* *Cōtinetia & castitas clericorū*

1486. Notabis 1. ex capitibus proximé citatis olim expressé continentiam promitti a suscipientibus sacros ordines: hodie veró non expressé, sed eo ipso quo quis sacrum ordinem suscipit, tacité castitatem vovere. Notabis 2. quāvis aliqui dixerint castitatem jure divino esse annexam sacris ordinibus, longe verius esse annectì solo jure Ecclesiastico, ita ut obligatio servādi castitatem non solum emanet a voto in ordinibus emisso, sed etiam a præcepto Ecclesiastico illam vovendi. Vide Sanch.lib.7.Matr.d. 27. n. 9. Addit 1. noster Thamburinus lib.7. de ordine cap.3.§.3.num.6.obligationem secundæ castitatis constituto in sacris esse immediaté ex voto, at impedimentum dirimens matrimoniū esse immediaté ex Ecclesiæ præcepto.

Addit 2. num.9. si quis ordinetur ordine sacro nolens expressé vovere castitatem, ad eam non teneri ex voto, peccare tamen mortaliter quandiu perseverat in ea nolitione: quia tenetur ad vovendum. Melitenses equites, quos vulgo

dicimus *Melitenses*. religionis voto tenentur ad castitatem: sunt enim milites regulares.

Melitēses equites. Rogabis 1. an invalidè promotus ex defectu alicujus requisiti substantialis, maneat obligatus ad continentiam? Videtur teneri ex *Cap. Plurum, de convers. conjug.* ubi conjugati invalidè profitētes tenentur castitatem servare. Negandum tamen est cum Sanch. lib.7. Matr. d.27. num. 14. Quia castitas in ordinis susceptione non promittitur per se, sed ut sacro ordini accessoria.

Infās sacro ordine initiatus. Rogabis 2. an infans promotus obligetur ad castitatem servandam? Affirmant S. Anton.3.p. tit.1.cap.8.conclus.2.& Paludan.in 4. dist.37. q.1.art.1. quia castitas est accessoria; proindeque sacro ordini annexa. Negandum tamen est cum communi & vera sententia, quam defendunt Sanch.lib.7. Matr.d.30.num.3. Vasq. disp. 246. num.25. Bellarmus disp.2.dub.4. & Barb. alleg. 15.num.4. Ratio est, quia si talis infans obligaretur ad castitatem, vel talis obligatio proveniret ex voto, cum hoc requirat liberum consensum, cujus non est capax infans: non ex lege, quia nec lex divina, nec Ecclesiastica infantes obligat. Hic tamen sic promotus, ad votum castitatis tenebitur, si post 14. annum completum acceptam ordinationem ratificet, cognita voti obligatione. Quæ de infante initiato sacris ordinibus ad obligationē castitatis diximus, de quocunque clerico in sacris dici potest, si post mortem reviviscat. Cum enim per mortem cessaverit obligatio castitatis, poterit ille eligere clericalem, vel conjugalem statum.

Clericus in sacris si reviviscat.

1487. Quid si puero rationis usum habenti ante pubertatem conferatur ordo? Sanch. citat. disp.30.num.8.& Barb.alleg.15.num.4. cū multis adhuc negant manere obligatum ad castitatē. Probant a simili ex *Cap. Ad nostram regul.* ubi deciditur irritum esse votum professionis religiosæ emissum ante pubertatem. Affirmandum tamē est cum Sayro in clavi lib.6.cap.5.num. 9. Ægid Bellan.disp 20.dub.14.num. 136. & Bonacina de matr. quæst.3.pun.9.num.16. Probatur, quia spectato jure naturæ tale votum est validum, & non apparet jus aliquod positivum per quod irritetur. Notant bené citati authores, si post natam pubertatem ordinis exercitio, vel aliter approbetur ab ordinato tale votum, manere obligatum. Vide Tamburinum citatum num.18. & 19.

Votū castitatis in clerico ante pubertatem.

Rogabis 3. an maneat obligatus voto castitatis qui talis voti & obligationis ignarus suscepit ordinem sacrum? Respondeo cum Ægid.Bellan. disp.20.dub.14.diff 3. num.145.& Palao tr. 27. part.17.num.18. sic distinguentibus, quando quis probabili ratione ductus existimās nullam castitatis obligationē sacro ordini annectī illum suscepit, non manere obligatum: quia talis ignorantia utpote inculpabilis a voti & legis obligatione liberat: secus, si culpabili ignorantia initiatus fuit. Tunc enim quanvis non teneatur ex voto, tenetur ex lege.

Rogabis 4. an quis coactus metu cadente in virum constantem, sacro ordine initietur, obligatus maneat castitati? Videtur negandum a simili: nam si quis gravi metu coactus religiosam emisit professionem, hæc venit irritanda; ergo & votum castitatis annexum ordini, per gravem metum suscepto, irritum erit.

Coactus ad ordines sacros.

Affirmandum tamen est cum Palao citato n. 13. Quia ut diximus tract.31. de voto, nullum, quantumvis metu gravi extorqueatur, jure naturæ irritum est: jure autem positivo ea sola vota irrita decernuntur, quæ religiosam professionem constituunt.

1488. Sequitur exponenda alia clericorum obligatio, quæ est tonsuram deferre, & habitum clericalem congruentem ordini. Notabis 1. tōsuram, quam alij clericam, alij coronam vocāt, de cujus origine Palaus tr. 27. part. 18. num. 2. esse quid essentiale in habitu clericali, vestes, & reliqua esse concomitantia. Notabis 2. licét quędam vestes utpote indecentes, sint clericis interdictæ, at non esse jure definitum quæ vestes sint clericales, & ideo tales censeri, quas in provincia communis usus receperit.

Tonsura seu corona clericalis.

Vestes clericales.

Difficultas est expendere an, & qualiter peccet clericus non deferens tonsuram, neque vestes clericales. Peccare mortaliter omnem clericum, etiam in minoribus constitutum, qui tonsuram & clericalem habitum non gestat, dixit Panorm.in *Cap. si quis, de vita & honest. clerici* Mitiùs tamen & Rectiùs censent Sotus in 4. distin. 23.quæst.2.art.1. Navar. cap.25.num.110.Sanc. lib.7.cons.cap.1.dub.49.& Palaus cit.num.3.clericos in minoribus, si beneficio careant, obligatos non esse tonsuram & habitum deferre, cum possint liberé ab statu clericali ad laicalem redire: quibus proinde omnia licent quæ laico tam in civilibus, quam criminalibus. Addit bené Palaus num.3. si illi bigami sint, cum priventur omni privilegio clericali, non posse deferre tonsuram & clericalem habitum.

Habitus clericalis obligati.

Quid si clericus in minoribus habeat beneficium, vel Ecclesiasticam pensionem? Respondeo cum Palao citat.num.3. obligari ad tonsurā & habitum clericalem eo modo quo obligantur clerici in sacris constituti, ut sumitur ex *Cap. si quis, de vita & honest. cleric.* Quód veró hi graviter obligentur, itaut peccent mortaliter omittendo habitum & tonsuram, docet Sanch. citat. ex *Trident. sess. 14. cap. de refor.* & *Clem.2. de vita, & honest.cleric.* Quod rectè intelligunt & temperant Vasq.d.250.cap.5.num. 22. Layman. lib.5. sum.tr.9.cap.12. & Barbosa alleg. 9. a nu. 11. ut procedat de excessu ita gravi, ut spectatis circunstantijs personæ, loci, ac temporibus offendat graviter honestatem, cedatque in scandalum: secus, si gravis non sit, ut si habitus dimissio fiat ad breve tempus, v.g. ad exercendū ludum, vel causa necessitatis. At mortale erit, si fiat animo liberiús vagandi & occultandi scelus ad personam aliquod patrandum.

Clericus in minoribus ad habitum.

Clericus in sacris ad habitū.

QUÆS.

QUÆSTIO VII.
Quibus pœnis afficiantur delinquentes in mala promotione?

Pœna cōtra malè initiatos. 1489. CUm possint susceptione ordinis committi multa delicta, v.g. si detur initiatio ante ligitimam ætatem, vel sine facultate proprij Episcopi, vel sine sufficienti patrimonio, & similia, pro ijs coercendis jus statuit nonnullas pœnas, quas expediemus.

Quod attinet ad primum, si quis ex malitia fuerit initiatus ante legitimam ætatem, manet suspensus ab exercitio suscepti ordinis. Habetur in Extrav. Pij II. incipiente, *Cum ex sacrorum* apud Qua rantam in summa Bullar. Verbo *Ordo* in prin. Excusabitur tamen a suspentiones, si bona fide initietur: quia Bulla exigit dolum, ut suspensio incurratur. Ita cum multis Barb sa alleg. 16. num. 20. Villal. tr. 11. diff. 11. num. 6. & Bonac. d. 8. de sacr. part. 5. num. 13. *Initiatus ante ætatē ad pœnas.*

Notant benè Suar. de cens. d. 31. sect. 1. num. 23. & Avila de cens. 3. part. disp. 5. dub. 7. non sequi ex hoc quod sic initiatus possit susceptum ordinem exercere, sive non contraxerit suspensionem, sive in ea dispensatus sit. Quia Conciliū prohibens ordinari ante statutam ætatem, consequenter prohibet exercitium ordinis ante illā. Ex quo rursus notant Vilalob. tract. 11. diff. 11. num. 7. & Bonac. cit. par. 5. num. 13. si prædictus susceptum ordinem ante completā ætatē exerceat, esto graviter peccet, non incurrere irregularitatem utpote nullibi expressam.

Pœna cōtra promosos sine licentia propij Episcopi. Quod attinet ad ordinatum licentia proprij Episcopi, si loquamur de suscipiente ordines sacros constat hunc esse suspensum per Extrav. Pij secundi, aqua tamen suspensione potest absovere Episcopus, ut tradunt Marchinus de ordine p. 5. cap. 11. num. 5. & Bonacina de cens. tom. 3. d. 3. quæst. 1. punt 11. num. 28. Si loquamur de tōsurando & ordinando in minoribus, quanvis probabile sit huic non prodesse tonsuram, & sic incapacem esse beneficij, nec posse hanc ordinationem ratificari a proprio Episcopo, tamē juxta oppositum probabilius apud Sanch. dub. 28.

Ordinatus absq licētia sui Episcopi. 1490. Dico 1. quanvis prædictus utendo eo ordine ante ratificationem superioris peccet, tamen non est proprié suspensus, atque ideo per talem usum non fit irregularis. Ita Sanch. citat. num. 5. ex Navarro lib. 1. consil. tit. 11. Patet a simili in eo qui recipit ordines ante legitimā ætatem: non enim est suspensus, ita ut celebrans fiat irregularis; sed ad hunc sensum, quod non recipit executionem, seu exercitium: non enim potest absque mortali uti eo ordine ante completā ætatem.

Beneficij collatio facta malè promoto. Dico 2. Collatio beneficij facta prædicto valida est, etiam ante ratificationem. Ita Sanch. citatus num. 6. Patet, quia non est proprié suspensus. Debet tamen ille quærere ratificationem, licét bona fide absque peccato fuerit ordinatus. Quia ad hunc effectum lex non tam pœnalis, quám dispositiva est.

Dico 3. probabile est talem ordinationē posse approbari, seu ratam haberi a proprio Episcopo: unde ea ratificatione obtentā manet habilis ad alios ordines & beneficia. Dico 4. si Episcopus excommunicet eos qui accedunt sine debita licentia, tunc talis ordinatus incurrit irregularitatem, sicut quincunque excommunicatus recipiens ordines, Ita Sanch. dub. 28. qui a num. 11. exponit praxim sic excommunicandi. *Ratificatio ordinatē.*

Rogabis an maneant capaces beneficij Ecclesiastici ordinati litteris dimiss. ijs Capitul Sede vacante infra annum vacationis? videtur absolute negandum. Quia Trid. sess. 7. cap. 10 *de reform.* statuit tales illis dimissorijs ordinatos nullo gaudere clericali privilegio: capacitas autem ad beneficia privilegium clericale est.

Dicendum tamen est cum Sanch. dub. 28. nu. 34. prædictos esse capaces ante sententiam judicis. Quia Tridentinum per illud verbum futuri *non gaudeant*, non inducit privationem ipso jure, sed solum post sententiam. Quid de constitutione Six IV. edita anno 1588. qua statuit malé promotos esse irregulares, & indispensabiles etiam virtute decreti Tridentini? Clemens VIII. anno 1595. illam reduxit ad terminos juris communis & Trident. & Extrav. Pij. II. quoad omnia in ea contenta prçterquam quod simoniacé promotos, & promoventes. Vide Sanch. citatum. *Promoti male puniuntur.*

Pœna cōtra ordinatos sine patrimonio. 1491. Quod attinet an ordinatos absque titulo beneficij, vel sufficienti patrimonio Trident. sess. 21. *cap. 2. de reform.* innovat pœnas contra ordinatos absque beneficio, vel patrimonio sufficienti contentas *Cap Sanctorum, Cap. Neminem dist 70 & Cap. cum secundum, de praeben.* Et si quando ordinans & ordinatus sunt in culpa, utrasque incurrunt, nempe ordinans obligationem alendi ordinatum, & ordinatus suspensionem. Si alter non habet culpam, talis non incurret. Quia igitur post collationem beneficij ante possessionem initiaretur, licét peccaret contraveniens Tridētino, tamē nullam incurret pœnam. Vide de hoc fusius Sanch. dub. 35. ad finem & Palaum tr. 27 part. 12.

Qui habens verum patrimonium ad cujus titulum subdiaconatu initiatus est, & illud renunciavit, & tacita renunciatione ostendit & per ipsū diaconatu & presbyteratu initiatus fuit, juxta Sanch. dub. 40. non incurrit pœnas contra initiatos sine patrimonio. Quia illa renunciatio fuit invalida. Idem affirmat dub. 42. de eo qui donatione accepit prædium ut ad titulum illius ordinaretur, & ante initiationem contraxit debita maiora prædio. Quia illa debita neç debent, nec possunt solvi de illo prædio.

Pœnæ in clericos nubentes vel luxuriantes. Quid de pœnis contra clericos matrimoniū cōtrahentes, aut contrahere tentantes? item contra clericos luxuriosos? Resolutione triplici satisfaciam. 1. Resolutio. Clerici constituti in minoribus, si validé ineant matrimonium, beneficijs Ecclesiasticis privantur ipso jure, neque possunt jam renunciare ea in favorem tertij. Ita Gutier. pract. quæst. 104 Bernar, Dias pract. cap. 15. num. 129. &

129.&Sanch.lib.7.Matr.disp.44 *Cap. 1.de cleric. conjug.* & ratione, quia ob status incompatibilitatem censentur beneficijs illis renunciasse. Procedere hoc etiam de Ecclesiastica pensione ex stylo curiæ, bene tradit Covar.4.decut.2.part.cap 6.§.3.num.6.

2. Resolutio. Clerici in sacris, si contrahere matrimonium tentaverint, officio & beneficio privantur. Habetur *Cap. decernimus, cap. de his* 28. *dist.* Ipsone facto, an per sententiam? Verius per sententiam judicat Palaus tr.27.part.17.num. 14. ex Sanch.citat.d.43.num.5. Adde cum Bernardo Dias pract.cap.80.prædictos ipso jure excõmunicari per *Clem.un.de Consang.&affin.*

3. Resolutio. Contra clericos habentes copulam cum moniali, cum consanguinea, vel affine, vel soluta, variæ pænæ judicis arbitrio statuuntur apud Ber.Dias in pract.cap.78. Quanvis multi existiment incurri suspensionem a clerico ob concubinam notoriã domi vel extra retentã ex *Cap. Preter 32.dist.&cap. Si qui sunt 81.distinc.* tamen Suar. de cens.disp.31.sect.4. apud Palaum tract.27.part.17.num. 16. affirmat Trident.sess. 25.cap.14. illo jure abolito statuisse qualiter clerici concubinarij sint puniẽdi. Consule utrunque: De pænis contra ordinatos furtive, per saltum, extra tempora & non servatis in terstitijs, vide infra num.1478. *Concubinatij clerici pæna*

SECTIO V.

De Patrimonio ordinandorum, & temporibus ordinationis.

QUÆSTIO I.

Utrum promovendus ad ordines habere debeat Patrimonium, vel beneficium?

1492. Cum rectæ rationi consonum sit, ut divinis ministerijs deputati habeant de bonis temporalibus ad honesté vivendũ ne cum ordinis dedecore cogantur vel mendicare, vel turpem quæstum exercere, illis per sacros canones & concilia de necessarijs ad vitam honesté sustinendam provisum fuit. *Patrimoniũ ad ordines.*

Dubium est 1. an requiratur patrimonium vel beneficium pro omnibus initiandis tam maioribus, quam minoribus ordinibus? Respondeo cũ Navarro lib.1.consil.cons.14. de temp.ordin. n. 1. Gracia part.2. de benef.cap.5.num.4. Rivio in praxi resol.271.num.3.& Barbosa de pot. Episc. part.2.alleg.19.num.3. asserentibus titulum beneficij, vel patrimonij non esse requisitum pro ordinibus minoribus, sed tantum pro sacris, nẽpe presbyteratus, diaconatus, & subdiaconatus. Desumitur ex jure in *Cap.Tuis, cap. Episcopus, cap. cum secundum de prabend s.* Probatur ratione, quia a minoribus ordinibus potest quis resilire uxorem ducens, non ita ab ordinibus sacris. *Minores ordines ad patrimonium.*

Dubium est 2. an patrimonium vel beneficium statutum sit pro omnibus suscipientibus sacros ordines, tám sæcularibus, quam religiosis? Respondeo negativé cum Vasquio d. 246. cap.6. Henriq.lib.10.cap.17.§.3.& Barb.cit.part.2.alleg 19.num.4. asserentibus Tridentinum sess.21.cap 2. de reform.solum exegisse beneficium vel patrimonium pro clericis sæcularibus, non verò pro regularibus professis. Unde Pius V. motu proprio die 12. Novem. 1568. exponens Trid. de solis professis, declaravit regulares non professos absque titulo beneficij vel patrimonij initiari non posse sacris ordinibus. *Religiosi ad patrimonium pro ordinibus.*

1493. Quid de regularibus Societatis Jesu vota bienij emittentibus? Sanches dub.35.narrat propter motum citatum Pij V. fratres Societatis qui pro illo tempore non habebant patrimonium, solitos fuisse ante ordines sacros emittere professionem trium solemnium votorum. Hoc tamen postea sublatum fuit per Gregoriũ XIII. in Bulla *Ascendente* octavo Kalen. Junij anno 1584. & Gregorium XIV. in Bulla *Ecclesia catholicæ* anno 1591. statuentes ut nostri post vota bienn'j utpote veri religiosi ad effectum Patrimonij ita reputarentur, ac si essent solemniter professi. *Societatis religiosi ad ordines*

Dubium est 3. Utrum si quis subdiaconatu initiatus fuit absque patrimonio & beneficio, possit sine his ad superiores ordines ascendere? Recté negant Gracia de benef.2. part,cap.5 .nu. 124.Suar.de cens.disp.31.sect.1.n. 39. & Barbosa de potest Episc.al eg.20.num.22. & procedit resolutio, quanvis vere habuerit patrimoniũ, vel beneficium, sed illud amiserit. Ratio est, quia jus canonicum indefinité prohibet ascensum ad sacros ordines absque beneficio vel patrimonio, & ratio prohibitionis non cessat ex eo quod subdiaconatus advenerit.

Difficultas est an in tali casu, & similibus possit Episcopus dispensare ut quis absque beneficio vel patrimonio initietur? Affirmant in casu accepti subdiaconatus Henriq.lib.13.cap.37. nu.2. & Avila 3.part.de cens.disp.5.dub.3. si detur spes ut susceptis ordinibus superioribus ille sit acquisiturus honestam sustentationem. His accedunt Corduba in sum.quæst.36.Vega 1.part.sum.cap. 57.casu.1.&Gonzal.ad reg.8.Cancell.glos.4.n. 36.addentes posse Episcopum dispensare, ut quis absq; prædictis initietur, si sit vir litteris insignis, cui meritò præsumatur non defuturum beneficium. Nam talis spes ita proxime certa loco beneficij haberi potest. *Dispensatio Episcopi in patrimonio ad ordines.*

Rectiùs tamen negandum est cum Petro de Ledesma de sacr. ordinis cap.7. Salzedo praxi c. 18.num.7. Genuensi cap. 8. num.2. & Rodrig. tom.1.cap.15.Sumitur ex Trident.citato Generaliter prohibẽte ne quis clericus sæcularis,quanuis alias sit idoneus moribus, scientia & ætate, sacris initietur absque beneficio, vel patrimonio. Accedit S. Congregetionis declaratio,quam refert Garcia de benef. part.1.cap.5.num.129.

1494. Dubium est 4. an si quis habens patrimonium ordinetur non facta illius titulum ordinatus. Hoc dubiũ absolute resolvit affirmative *Patrimonij ...*

Glossa

ficii ad cujus titulum quis promotus fuit, debeat Glossa *Cap. Episcopus de præb.* ... Mihi placet resolutio, quam ex Imola cap. citato & *Capit. suis, de præb. in* 6. num.3. affert & probat Sanch. lib.7.consil.cap.1. dub.39. dicens censeri ad illius titulum ordinatum, ut Episcopus ordinans non teneatur eum alere: non veró ut tale patrimonium censeatur: titulus enim non reputatur, nisi expressè talis fiat: & ideo sine facultate Episcopi alienari potest. Addunt Panorm. eod. *cap.* Imola, Hostien. & Joan.And. etiam in dubio non censeri assignatum in titulum. Quia ad hoc requiritur expressa & specifica designatio.

QUÆSTIO II.

Qualenam beneficium postuletur ad ordines?

Beneficiũ quale ad ordines. EX canonico & civili jure argumento *Cap. de causis de offic. deleg. & lib. 1. ff. de jure delib.* rectè consentiunt Henriq.lib.10.cap.17.§.3. & Gracia 2.part. de benef. quod exigitur pro titulo ad ordines sufficiens esse debere ad clericum honestè sustentandum. Quale autem sufficiat, Gracia citatus num.115. putat sufficere id quod attingat quinquaginta, vel triginta scuta reddituum. Melius authores alij id remittunt arbitrio Episcopi, spectata non qualitate ordinandi, sed honesta illius sustentatione.

Certé constitut. Archiepisc. Olyssip. lib.1. tit.12 §.11. decernũt sufficere beneficium vel patrimonium quod singulis annis ad minimum attingat proventum duodecim miliũ terunciorum. *Patrimonii & beneficii sufficientia.*

1495. Quid si quis habeat beneficium valde tenue, & patrimonium valde tenue, itaut neutrum sufficiat seorsim acceptum, bené tamen sufficiat acceptum simul? Talem posse cum illis ordinari rectè judicant cum multis Barb. 2. part. de pot.Episc.alleg.19.num.14.& Bonacina disp. 8.de sacr.quæst.unica.part.5.num.39.

Observandum est 1. cum Genuensi in praxi cap.81.num.2. reditus beneficij ut sufficiant, debere esse certos, & a proprio labore & industria independentes. Unde teste Garcia 2. part cap. 5. num.125. non sufficient emolumenta quæ haberi possunt exercitio ordinum, etiam si honesto officio musicæ sustentari possit: imò quāvis Episcopus se obliget supplere quidquid defuerit. Nã hæc omnia vel infirmitate clerici, vel morte Episcopi deficere possunt. *De dote & patrimonio.*

Addit Barb. in *remiss. ad concil. sess. 21 cap. 2.* ex declaratione S.Congregationis, si clericus habeat beneficium curatum cujus fructus insufficientes sint, nec habeat aliunde reditus stabiles, quibus supplere possit, non teneri intra annum presbyteratu ordinari, sed potius teneri illud beneficium dimittere. Item juxta Sanch.dub. 35. non sufficiet esse collegialem, vel habere gradum Doctoris. Si de beneficio, vel patrimonio (adjungit) modicum quid ad sustentationem deficiat, parum faciet: secus si notabile, quale erit quinq; respectu viginti quinque.

Observandum est 2. cum Bonac.disp.7.quæst unic.part.5. num. 40. ex Tridentino sess.4 1. c 2. ut beneficium sufficiat pro titulo ordinationis, debere esse perpetuum. Unde non sufficiet vicaria temporalis, vel cappellania amovibilis. Item non sufficiet titulus coadjutoriæ cum futura successione. Quia non est beneficium, sed hujus spes incerta cum possit proprietarius supervivere. Secus erit si tali coadjutori portio competens & sufficiens assignetur. Tunc enim (inquiunt Gonz.Gloss.5.§.9.num.6. & Garcia de benef. part.2.cap.5.num.132) sufficiet pro titulo ordinationis sicut titulus seminarij, si fructus in perpetuum pro servitio assignentur.

1496. Quid si beneficium tale sit, ut nemo ejus fructus valeat percipere, nisi factus presbyter? Ex declaratione congregationis bene resolvit Barb.2.part.de pot.Episc.alleg.19. num. 29. sufficere ad ordinationē. Quia illa conditio neque sufficientiam, neque perpetuitatem impedit.

Observandum est 3. cum Salzedo cap.18.nu 6. & citatis beneficium, ad cujus titulũ quis ordinatur, debere actu possideri, ita ut non sufficiat nominatio, præsentatio, postulatio vel electio, imò nec collatio. Summitur ex Tridentino ducta sess. 21.cap.2. exigente beneficiũ pacificé possessum. Unde non rectè sentiunt Majolus de Irreg.lib.4.cap.15. num 3. & Sayrus de cens.lib. 4.cap.14.num.19. posse quempiam ordinari ad titulum beneficij quærendi.

Adde non sufficere beneficium possessum, nisi pacificé possideatur. Quia hoc expressit citatũ Tridentin. Unde Barb. notat cum multis alleg 19. a num.15. si lis mota sit, sive de jure, sive de facto super beneficium & omnes ejus fructus, ea durante lite non sufficere illud ad ordines. Dixi (super omnes fructus) quia si solum moveatur super partem fructuum, & quæ superest, congruam sustentationem suppetat, beneficium litigiosum censeri non debet. Quid si moveatur lis non super beneficium, sed super illius possessionem? Menochius de arbitr.casu 202. num.18. & Flumin. de resig.lib.2.quæst.3.num. 52. affirmat tale beneficium non censeri litigiosum, sed pacificé possessum. Rectius id negat Barb.citat. alleg. 19.num.20. *Litigiosũ beneficiũ ad ordines.*

Rogabis 1. an ordinatus ad titulũm beneficij possit illud resignare sub pensione sufficiente ad sui sustentationé, quin declaret se ad illius titulũ fuisse promotum? Affirmant Navar. cons. 4. de renunc. Flamin. de resig.lib.2.quæst.6. num. 41. & Rodrig.tom.1.sum.cap.15.num.12. Quia per talem pensionem reservatam menti concilij satisfecit. Negandum tamen est cum Garcia de benef.2.part.cap.5.num.215. & Barbosa citatis alleg.19.num.42. Quia mens concilij fuit ut admittens resignationem cum ijsdem qualitatibus & conditionibus, quibus benefi cium fuerat vinculatum: & hoc præstari nequit absque prædicta declaratione. Addit tamen Sanch. cit. dub. 38. valere in foro conscientiæ talem resignationem, si ordinatus habeat aliunde unde vivat, quanvis tacuerit quod ad illius titulum fuerit ordinatus. *Resignatio & permutatio beneficii ad cujus titulum quis ordinatur.*

1497. Rogabis 2. an in permutatione beneficij

8.d.18. § 4. dimissorijs.

1469. Rogabis 2. an sufficiat ratihabitio de futuro, ut possit quis ordinari absque litteris dimissorijs? Affirmant Raymundus in sum.tit. *de forma consecrat.* & Maiolus de irregul.lib. 4. cap. 2.num.7. Quia furtum non facit qui credit domino placere.

Ratihabitio ad ordines.

Negandum tamen est, & dicendum 1. cum Mandosio reg.24.concl.quæst. 4. num. 10. non satis esse talem ratihabitionem, nempe spem approbationis, seu ratihabitionis proprij Episcopi, ut alter possit alienum subditum ordinare. Sumitur ex Trident.sess.14.cap.3. de refor. ubi cavet ne Episcopi titulares aliquem ordinent absque expresso sui Episcopi consensu.

Dicendum 2. cum Salzedo in practica Bernardi Dias cap.26. *§.& non solum,* ordinationem factam absque licentia proprij Episcopi esse irritam quoad executionem. Unde sic initiatus tonsura non gauderet privilegio clericali: & sic promotus Ecclesiastica beneficia obtinere non posset. Dicendum 3. cum Rebusto de *forma demissor.* n. 11. proprium ordinati Episcopum non posse ratam habere talem ordinationem: quod si habuisset ratam nihil profuturam ejus ratihabitionem.

Rogabis 3. an detur casus in quo Episcopus alienus possit aliquem ordinare absque licentia Episcopi? Respondeo affirmative cum authoribus citatis & alijs quos citant ac sequuntur Armilla V. ordo num.16.&Sanch.num.18.duplicem casum assignantes. Prior est quando Episcopus proprius est manifesté suspensus eo quod ordinavit clericos absque licentia proprij Episcopi. Tunc enim possunt clerici ejus subditi ordinari absq ejusdem licentia a vicinis Episcopis: Secus quando ob alias causas suspensus est. *Capit.* 2. *de temp ordin.in 6.*

Ordinatus absque licentia proprij Episcopi.

1470. Nota 1. manifestam suspensionem esse idem atque notoriam, sive facti, sive juris. Nota 2. quod jus solis clericis permittit in tali casu ab alieno Episcopo ordinari: secus laicis. Nota 3. Episcopos debere esse vicinos,&non remotos: item debere facere ordinationem in sua diæcesi. Nota 4. ad hunc effectum nomine Episcopi venire Archiepiscopum.

Posterior casus, quem affert &exponit Sanc. cit.num.20. est ut possit Episcopus ordinare familiarem suum non subditum, si per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium, omni fraude cessante illi conferat. Sic Triden.sess. 23. cap.9. de refor. Ut censeatur familiaris ad hunc effectum, non requiritur quòd sit domesticus, & commensalis: sed requiritur quód in obsequio Episcopi intra vel extra domum, ejusdem Episcopi expensis alatur, dummodó censeatur præsens obsequio assistere. Non enim sufficeret, si absens esset in regione remota, etiam si sumptibus Episcopi viveret. Familiares vel famuli familiarium Episcopi, qui expensis Episcopi aluntur dicentur familiares Episcopi ut gaudeant hoc privilegio.

Familiaris Episcopi ad ordines.

Nota 1. si Episcopus conferat beneficium in ea diæcesi, posse statim non expectato triennio, ordinare familiarem. Quia tunc non ordinaret prætextu familiaritatis, sed quia ratione beneficij sortitur domicilium in ea diæcesi: sicut si daret beneficium cuicunque extraneo, posset illum statim ordinare. Nota 2. Episcopum titularem non posse suum familiarem post trienniū ordinare Trid.*sess.*14.*cap.*2.*de refor.*

Nota 3. si Episcopus diæcesanus noluerit ad ordines promovere habentem beneficium & alias qualitates requisitas, posse legatum de latere Nuncium Apostolicum per appelationem aditū committere viciniori Episcopo,ut si repererit eas necessarias qualitates in eo concurrere, dimissorias ei cōcedat,ut a quocūque Episcopo suæ legationis ordinetur.

Nuncius Apostolicus ad reverendas.

1471. Rogabis 4. qui possint alij litteras dimissorias concedere ad ordines? Dico 1. Capitulum Sedevacante potest dare Reverendas post elapsum unum annum, ex quo Sedes vacat: ante illum, non nisi recipienti beneficium, quod requirit ordinem. Ita Trid.sess.7.cap.10. de reform. ubi statuitur quod is qui ultra hos casus obtinet Reverendas a Capitulo,&illis initiatur, si solis minoribus, nullo privilegio clericali gaudeat: si sacris,ipso jure sit suspensus ab executione ordinis ad beneplacitum futuri prælati: & in utroque casu capitulum subjaceat interdicto Ecclesiastico. Non sufficit gradus in Theologia requirens ordinem. Quia non est beneficium: imo ut sufficiat beneficium, hoc debet postulare ordinem. Non procedit Triden. de collegio Cardinalium vacante Sede Apostolica. Hæc exSanch.dub.20.num.36.quibus addit Palaus tr.27.part.15.num.8.sub dicta prohibitione non comprehendi litteras testimoniales de vita, & moribus ordinandorum, quas Capitulū, & alij prælati concedere possunt.

Dimissorias a quibus cōcedi possint.

Capitulū ad dimissorias.

Dico 2. Officialis Episcopi, seu vicarius Generalis in spiritualibus vulgo *Provisor*, non potest regulariter dare reverendas, nisi quando Episcopus in remotis agit. *Cap 3.de temp.ord.in 6.* Unde in generali commissione facta Vicario nō cōtinetur potestas dandi Reverendas,sed requiritur speciale.Episcopus juxta aliquos dicitur agere in remotis quando est extra provinciam, vel ultra duas diætas, aut saltem unam. Gloss. ibi dicit hoc esse arbitrarium judici.

Provisor ad reverēdas.

Dico 3. Religiosis exemptis, dimissorias ut a quocunque Episcopo ordinentur, debent dare prælati eorum regulares. Religiosi non exempti debent ordinari ab Episcopo in cujus diæcesi commorantur, vel cum litteris illius a quocunq; Episcopo. Nec prælati regulares illis reverendas dare possunt.

Religiosi ad reverēdas.

1472. Dico 4. Abbates, & alij prælati habētes jurisdictionem quasi Episcopalem in subditos sæculares, possunt illis dare reverendas. Ita Sanch.cit.dub.21. qui benè notat hoc procedere de habentibus talem jurisdictionem ex jure communi. Nam tales Abbates & prælati possunt

Abbates ad reverēdas.

omnia

omnia quæ possunt Episcopi spectātia ad potestatem jurisdictionis. Nec obstat Trident. *sess.* 23.*cap.* 10.*de reform.* ubi privat Abbates, & similes prælatos potestate dandi reverendas suis subditis secularibus. Quia solum intelligitur de illis Abbatibus & prælaris, qui ex privilegio speciali, vel consuetudine id faciebant: non verò de illis qui ex jure communi. Nam privilegium insertum in corpore juris non tollitur per derogationem generalem privilegiorum.

Locus ad ordinationem. Rogebis 5. qualis requiratur locus, & qualiter ad licitam ordinationem? Sciendum est ex parte loci ad licitam ordinationem postulari: quod ordinans in eum locum habeat jurisdictionem, ex se, vel ex delegatione proprij prælati. Dico igitur 1. Archiepiscopus nec potest ordinare subditos in diæcesi Episcopi suffraganei absque ejus licentia: nec potest subditis suffraganei dare ordines, vel reverendas ad alios Episcopos. Habetur ex *cap.* 3.*de tempor.ordin.in* 6.

Dico 2. Si Episcopus titularis conferat ordines in alterius Episcopi diæcesi absque ipsius facultate, etiam in loco exempto, suspenditur ipso jure ab exercitio Pontificaliū per annum: Episcopus verò diæcesim habens si in aliena diæcesi proprio Episcopo irrequisito ordines conferat, supenditur per annum, non ab omni Pontificali sed solum a collatione ordinum. Ita Palaus tr. 27.part.15.num.9. ex *Cap. Eos qui* de tempor. ordin. in 6. & Trident.sess.14.de reform.cap.2. & sess.23.cap.8. Uterque verò ille Episcopus si in aliena diæcesi conferat ordines, & exerceat alia pontificalia absque licentia Ordinarij talis loci, suspenditur ipso jure a Pontificalibus. Ita *Trident.sess.*5.*cap.*5.*de reform.*

1473. Dubium est, an Episcopus sive titularis, sive habens diæcesim possit exercere Pontificalia in loco exempto ex licentia ordinarij illius loci, nulla postulata licentia ab Episcopo, intra cujus diæcesim locus ille exemptus est? *Pontificalia exercens.* Videtur affirmare Vasq.disp.243. cap.5.num.53. Idque suadetur ex Verbis Concilij, quæ non Episcopi, sed Ordinarij licentiam exigunt.

Oppositum tenet Palaus citatus punt. 15.nu. 10. rectè judicans probabilius, si locus ille exēptus sub aliqua diæcesi contineatur, non solum exigi licentiam Ordinarij illius loci, sed etiam Episcopi. Quia uterque verè censetur Ordinarius. Secus esset, si locus exemptus ad nullam spectaret diæcesim. Sic decisum testatur Barbosa in remiss.Concil.citata sess.cap.5.& de pot.Epis. alleg.6.num.12.

QUÆSTIO III.

Quæ sint alia spectantia ad ministrum Ordinis?

Ordinatus per ipsum Papam. CIRCA ministrum conferentem ordines, & prælatum ordinarium illorum qui ordinibus initiantur, nonnulla expedienda supersunt: pro quorum explicatione rogabis 1. quid dicendum quando Summus Pontifex per se ipsum ordinavit aliquem Diaconum, aut subdiaconum? Poteritne aliquis Episcopus talem sic ordinatum ad superiores ordines promovere absq; licentia Pontificis? Benè negat Sylvester. V. ordo quæst.2. quia sic exprimitur in *Cap. cum in distribuen. de tempr. ordinan.* Idem dicit Archid. *Cap.*3.*de tempor.ordin. in* 6. & alij quando Papa providet alicui in Curia de aliquo beneficio.

Negandum tamen est cum Joan.Andr. ibidē & Rebuff. in praxi *benef.de litte.u dimissor.* nu. 8. asserentibus ex eo quod Papa conferat alicui beneficium, etiam Episcopatum, non reservare sibi ordines. Quia oppositum, nullo textu probari potest.

1474. Rogabis 2. quis sit proprius Episcopus ut possit promovere ad ordines expulsum a religione, & an is promoveri possit? Sanch.lib. 7.consil. cap.1 dub.24.ex Navarro lib.1. consil. tit.14. de ætate & qualit.ordin.cons.9. triplicem adhibet resolutionem, juxta quam Dico 1. Talis potest promoveri, si aliunde non sit irregularis, vel inhabilis. Ratio est, quia non apparet textus id prohibens. Dico 2. Talis expulsus debet ordinari ab Episcopo originis, si patrimoniū sufficiens, & alias qualitates requisitas habeat. Ratio est, quia hoc domiciliū semper retinetur. Dico 3. Expulsus ille si sit irregularis, & non absolutus antea per privilegia religionis, dispēsandus est vel à Papa, vel ab Episcopo originis juxta reservationem irregularitatis. *Expulsus a religione ad ordines.*

Rogabis 3. an si dedit Papa alicui licentiam, ut ordinaretur extra tempora à suo ordinario tātum, possit ordinari ab alio cum dimissorijs sui ordinarij? Videtur negandum. Quia illa vox (tantum) excludit alios ordinantes: & a proprietate verborum discedendum non est, *Cap.ad audientiam, de decimis l non aliter.ff.de legat.*3. *Ordinatio extra tempora.*

Affirmandum tamen est cum Navarro, quem citat & sequitur Sanch.prox.dub.25. Quia vox (tantum) licét taxativa sit, non excludit simila, in quibus est eadem ratio. Suadetur a simili, nā in *l.fin.C.de revocat. donat.* dicitur tantum posse revocari donationes ob causas ibi positas, & tamen Glossa addit casum alium ex similitudine rationis.

Rogabis 4. an Capitulum Sedé vacante ante annum elapsum possit licentiā dare alicui Episcopo, ut in diæcesi ordinet habentes aliunde dimissorias, sive sint subditi ejusdem diæcesis, qui v.g. illas habeant ab Episcopo demortuo, aut Nuncio Papæ, sive sint non subditi qui illas habeant a suo Episcopo? Respondeo affirmativé cum Sanch.citato dub. 26. num. 3. Quia dare licentiam, ut aliquis ordinetur. Hoc autem solū prohibet Trident. *sess.*6.*cap.*5.*de reform.* *Capitulū Sede vacāte ad ordines.*

1475. Rogabis 5. an cum Episcopus proprius dat reverendas alicui subdito ut ordinetur a quocunque Episcopo, censeatur concedere, ut dispenset cum ordinato in quacunque irregularitate, vel impedimento ad ordines in quo potest dispensare proprius Episcopus? Affirmant Sylvest.V.irregularitas quæst.9.Angel.V.eodem num.34. & Armil. num.81. probant ex *l.*2.*ff. de juris.* *Dispensatio ad ordines.*

juscunque: quod probabant ex Apost. ad Galat. 3. ubi ait in Christo Jesu masculum & fœminam unum esse.

Fœmina [illegible] ad ordinationem.

Affirmandum tamen est cum catholicis subjectum ordinationis capax esse virum & non fœminam. Hanc resolutionem tenet Palaus tract. 27. pun. 6. num. 1. ubi asserit esse certam de fide apud S. Thom. in 4. dist. 25. quæst. 2. art. 1. Scotum quæst. 2. §. sic breviter, & alios relatos a Vasq. disp. 245. cap. 2. Probatur 1. ex natura ordinis, per quem constituitur quis in gradu eminente inter fideles cum facultate illos docendi, & sacramenta ministrandi: fœminæ autem jure divino sunt in capaces dicti ministerij, juxta Apostolum 1. ad Corinth. 14. *Mulieres in Ecclesia taceant.*

Fœminæ ad primã tonsuram.

Probatur 2. ex non usu Ecclesiæ, quæ nunquã ordinem ulli fæminæ etiam sanctissimæ contulit. Dubitatur, an saltem primam tonsuram possit Ecclesia conferre fœminis? Affirmant Paludanus in 4. dist. 25. quæst. 3. art. 1. & Gaspar Hurtado tract. de ord. diff. 20. Probant quia prima tonsura solum datur ex institutione Ecclesiastica, quam proinde Summus Pontifex & tollere, & mutare potest. Unde addit Hurtado citatus potuisse fœminas initiari quatuor minoribus, si non essent ex institutione Christi, sed Ecclesiæ, ut credunt Vasq. & alij.

Negandum tamen omninó est cum Vasq. disp. 245. cap. 2. num. 12. Ægid. Bellano disp. 20. dub. 10. num. 95. Laymano lib. 5. sum. tr. 9. cap. 6. num. 2. Sanch. de ord. dub. 30. & Palao cit. punt. 6. num. 2. mulierem capacem esse primæ tonsuræ. Probatur, quia licét prima tonsura non sit ordo Ecclesiasticus a Christo institutus, est tamen Ecclesiastica dispositio, seu deputatio ad ordines Ecclesiasticos suscipiendos, ad quos, cum sit incapax, neque disponi, neque deputari potest.

Hermaphroditus ad ordines.

1479. Maior est difficultas circa Hermaphroditũ. an sit capax ordinis, ita ut validé ordinetur? Ex *l. quæritur ff. de statu hominum* recté supponit Sanch. citatus dub. 31. num. 1. Hermaphroditum judicandum esse virum aut mulierem ex sexu qui in eo prævalet, itaut si prævaleat virilis, reputetur vir: si prævaleat muliebris, reputetur mulier. Illud notat Vasq. citatus ex Aristot. 4. lib. de gener. anim. cap. 3. nullum ex his monstris habere sexum utrumque perfectum, & si exterius appareat, sed necessario alterum ex illis prævalere.

Sit resolutio. Spectandum est quinam sexus in eo prævaleat, virilis, capax est ordinis jure divino, sed per jus Ecclesiasticum ab ordine repelli debet tanquam irregularis: si autem prævaleat muliebris, incapax omninó est ordinis divino & humano jure. Ita Sanches dub. 31. Palaus punt. 6. numer. 3. & Bonacina disp. 8. de sacram. quæst. unic. part. 5. num. 6. Quid si in eo sit uterque sexus pari? Sanches num. 2. ex Sylvest. D. Antonino Navarro & a ijs resolvit ita esse incapacem ordinis, ut si sic ordinetur, factum non teneat.

Ætas ad valorem ordinis.

Posterior quæstionis pars inquirit capacitatem ætatis ordinandorum: & imprimis quærendum est an sit aliqua determinata ætas, quæ postuletur ad valorem ordinationis? Affirmavit Duran. in 4. dist. 25. quæst. 2. numer. 8. dicens pueros ante usum rationis esse ordinis recipiendi omninó incapaces. Quia dedecet sacramentum aliquod, excepto Baptismo, qui est de necessitate salutis, alicui incapaci propriæ voluntatis conferre: puer autem ante usum rationis voluntatem propriam habere nequit.

1480. Negandum tamen est, & dicendum cum certa, & communi sententia, puerum ante usum rationis capacem esse validæ ordinationis. Ita S. Thom. in 4. distin. 25. quæst. 1. arti. 1. quæst. 2. Valentin. disp. 9. quæst. 4. part. 2. Sanches de ordine dub. 32. Layman. lib. 5. sum. tract. 9. cap. 6. asser. 2. & Bonacina disp. 8. de sacram. quæst. unic. part. 5. numer. 1. Sumitur ex *Cap. unico de clerico per saltum promoto* & ratione, quia usus rationis solum est de necessitate sacramentorum in ijs sacramentis, quæ aliquem suscipientis actum requirunt: ordo autem ut conferatur nullum suscipientis actum requirit.

Amens ad ordines.

Procedit resolutio etiam de Episcopatu quoad consecrationem, ubi extenditur character sacerdotalis: non veró quoad jurisdictionem. Hæc enim (ut bené docet Sanches dub. 32.) requirit actum acceptantis. Ex dictis (inquit Palaus cit. numer. 4.) non licet inferre amentem qui aliquando usum rationis habuit, ordinari posse, si tempore discretionis ordinem non petivit. Quia juxta Vasq. disp. 246. cap. 1. num. 8. & alios citatos, sacramenta quæ necessitatis, repelli censentur, si petita non fuerunt tempore, quo peti poterant.

Quid de perpetuo amentibus, qui nunquam habuere rationis usum post septennium? poterit ne illis validé conferri ordo? Non inveni casum hunc expresśé decisum in aliquo authore. Filiucius tamen tract. 9. cap. 4. quæst. 3. videtur affirmare, quatenus ait illos qui naturali jure sunt inhabiles ad exercendos ordines, quales omninó cæci, & perpetuó amentes, posse validé ordinari.

Favet Sanches dub. 33. num. 19. quatenus ad hoc illos æquiparat infantibus: sed non exponit an procedat post septennium.

Ætas postulata ad licitam ordinationem.

Superest dicendum de ætate requisita ad licitam ac legitimam ordinationem. Ut a minoribus ad maiores ordines procedamus, missis varijs sententijs, recté Sanches dub. 34. statuit 1. nec primam tonsuram, nec minores ordines posse conferri ante usum rationis. Sumitur ex *Tridentin. sess. 23. cap. 4. de reform.* Esset (inquit Sanches num. 16.) peccatum mortale conferre primam tonsuram ante usum rationis. Nam per *cap. nullus de temp. ordin. in 6.* sic conferens suspenditur per annum a collatione primæ tonsuræ quæ pœna utpote gravis supponit culpam grave.

1481. Statuit 2. cit. dub. 33. num. 17. omnes

 ordines

ordines minores posse conferri septennio completo. Quia (ut tenet Greg. r. Lopez l. [illegible] tit. 6. part. [illegible]) temporum interstitia, quæ exiguntur *cap. in singulis dist. 77.* non sunt [illegible]. Bene tamen Vasq. d. 246. cap. 4. num. 41. & Bellanus disp. 20. dub. 10. num. 102. notant rarò ante novem aut decem annos præsumi puerum ea scientia & discretione pollere, quæ ad primam tonsuram, & a fortiori ad exercitium muneris commissi in aliis ordinibus sufficiat.

Minores ordines ad ætatē.

Quod attinet ad maiores & sacros ordines, cū olim determinaretur certa ætas, quæ pro temporum varietate diversa fuit, ut constat ex *Clem. Generalem 3. de ætat. & qualit. ordin.* & ex cap. 1. ac sequen. 77. dist. jam hodie novo jure Tridentin. *sess. 23. cap. 12. de reform.* statuitur ut nullus admittatur ad subdiaconatum ante vigesimum secundum annum, ad Diaconatum ante vigesimum tertium, ad sacerdotium ante vigesimū quintū.

Sacri ordines ad ætatem.

Satis est (inquit Sanch. cit. dub. 33. num. 12.) ut dicti anni sint incepti per unam tantū diem, & ut hæc sit incepta: v.g. impletur hodie ætas 24. annorum: potest igitur post dimidiā noctē ordinari sacerdos. Nam in favorabilibus dies incepta habetur pro completa. Ætas computari debet non a die conceptionis, sed a die nativitatis, etiam si quis nascatur cæso matris utero. Quid de ætate requisita ad Episcopatum? B[illegible] respond. t Palaus tr. 27. p. 7. num. 6. ex *Cap. cum in cunctis, de elect.* esse trigesimum annum completum.

Ætatis cōputatio

Ætas ad Episcopatum.

Quid de dispensatione in ætate ad ordines requisita? Sanch. de ordin. dub. 33. num. 18. docet Episcopum non posse in illa dispensare. An ex privilegio possint regulares prælati cum suis subditis? Vide Rodrig. quæst. tom. 3. quæst. 23. art. 7. & tom. 1. quæst. 8. & Palaum cit. num. 8. & 9. Qualiter possint prælati Societatis dispensare cū Missionariis, constat ex Bulla Innocentii X. expedita anno 1[illegible]49. quā ego legi, & incipit. *Universis & singulis.* Concepta verba illius sunt hæc *Missas quoque per horam ante auroram ipsi Patres Societatis celebrare possint, ac cum suis regularibus ut ad sacros ordines etiam presbyteratus per annum ante legitimam ætatem promoveri possint, dispensare valeant.*

Dispensatio in ætate ad ordines.

QUÆSTIO V.

Quænam postuletur capacitas, seu qualitas ordinandorum quoad mores & scientiam?

1482. DUplicem proponit quæstio difficultatem, alteram quoad probitatem, alteram quoad scientiam. Quod attinet ad priorem, de vitæ probitate, seu honestate ordinandorum, quid decernat Tridentinum sess. 23. cap. 12. de reform. exponunt Sanches [illegible] cap. 1. dub. 46. Palaus [illegible] 27. part. 8. & Ca[illegible] de ordin. [illegible] 22 [illegible] in [illegible] cam partem [illegible] requiritur [illegible] vitæ, ita ut [illegible] peccato mortali, sed etiam [illegible] honestate [illegible] sit lubricus, castus, m[illegible]. Nam [illegible] ad quem ascendit.

Probitas & honestas ordinandorū.

Unde peccat mortaliter Episcopus [illegible] scienter non habentes [illegible] probitatis. Quia satis [illegible] in re gravi [illegible] munus dispensationis. Nec sufficit pro [illegible] one quod Episcopus nesciat [illegible] malum: sed requiritur quod fiat examen ut moraliter certificetur de prædicta sufficientia. Examen fieri debet ab Episcopo qui dat reverendas: si autem in illis dicatur: *Si idoneus repertus fuerit,* tenetur ordinans examinare. Et hoc debet fieri, quando absentes ab Episcopo proprio sunt clerici.

Juxta Tridentinum sess. 23. cap. 12. de refor. pro examine clerici sæcularis fiet triplex veluti scrutinium. Primum erit remotum: nam si velit ordines minores: habere debet testimonium a parocho, & magistro scolæ in qua educatur.

Si velit ordines sacros, per mensem ante ordinationem adeat Episcopum, qui parocho, vel alteri committet, ut nomen & desiderium promovendi publicé in Ecclesia proponet: & de illius natalibus, personæ ætate, & moribus a fide dignis diligenter inquiret, & testimoniales litteras de inquisitione ad Episcopum mittet.

1483. Secundum scrutinium fiet proxime ante ordinationem, vocatis peritis & probis, qui diligenter investigent ordinandorum genus, personam, ætatem, mores, fidem. Tertium fiet quando conferuntur ordines, & Episcopus interrogat Archidiaconū, an sciat adesse ordinādos, & esse idoneos. Hæc pro examine clericorum sæcularium. Examen regularium (ut ait Sanches dub. 46.) committitur Episcopo per Tridentinum. sess. 23. cap. 12. de reform. Advertit tamen Palaus part. 8. num. 4. regulares (ut declaravit congregatio concilii) non teneri nomen, & desiderium suum in Ecclesia publicé proponi facere, & testimonium deferre in Tridentino præscriptum, sed sufficere testimonium a suis superioribus allatum.

Regularium examen ad ordines.

Addit tamen num. 15. illorum examen quoad scientiam & doctrinam Episcopo competere. Notat deinde num. 1. & si attestatio & informatio pro omnibus ordinandis debeat regulariter fieri, aliquando tamen poterit Episcopus ordinandum promovere omissa informatione si ordinandus sit spectatæ virtutis & notus omnibus.

Circa puritatem generis nihil inveni definitum jure communi, nisi irregularitatem illegitimorum, de qua Suar. de cens. dist. 50. sect. 3. & nos agemus tract. 50. De jure Ecclesiano Olyssiponensi juxta constitut. synodales lib. 1. tit. 12. decis. 2. §. 1. est impedimentum ad ordines illegitimitas, & genus infectum sanguine hebreo, mahometano, hæretico, Æthiopico, seu nigrorum, aut mulatorum.

Quod

Quod attinet ad posteriorem difficultatem de scientia ordinandorum, notandum est 1. cum Sanch. dub.46.non ex necessitate sacramēti, sed præcepti aliquam scientiam requiri etiam ad primam tonsuram. *Cap præcipimus dist.*34.Unde Episcopus (inquit) nequit dispensare cū omninò illiterato ut primam tonsuram recipiat.Addit Turrec. nec Papam posse dispensare cum omninò illiterato ad sacerdotium. Est enim de jure divino. Oseæ 4.

Scientia requisita ad ordines.

Notandum est 2. illiteratos, ut sint irregulares ad ordines minores, dici qui nesciunt legere: respectu verò maiorum ordinum, qui nesciunt linguam, in qua scripta sunt ea, quæ lecturi sunt, ut si nihil sciant de lingua latina, sive sunt in Ecclesia Latina, & nihil de Græca, qui sunt in Græcia. Nam sunt omninò idiotæ,cum legendo assequi nequeant ea ministeria ad quæ per ordines deputantur.

1484. Sit igitur generalis resolutio. Ut vitetur peccatum mortale in promotione,ea scientia requiritur, quæ necessaria est ad bonam executionem ministerij ordinis suscepti: proindeque maior requiritur ad unum quā ad alium. Ratio est, quia cum facultas operandi sit propter usum ei rectè facultas traditur, qui ea scit uti. Unde non potest admitti ad beneficium, vel sacros ordines, qui nesciat recitare horas Canonicas,nisi tali sit ingenio, ut saltem cum socio credatur posse legitimé recitare statim post adeptum beneficium, vel ordines. Beneficiarius nesciens potest cogi ab Episcopo, ut beneficium renunciet, vel discat necessaria.

Horarum canonicarum scientia ad ordines, & beneficiū.

Superest cum Sanch.cit.dub. 45. exponere quæ scientia in particulari requiratur ad singulos ordines. Dico 1. Ad primam tonsuram requiritur quod sciat legere & scribere, & fidei rudimēta. Sic Trident.sess.23.cap.4. de reform. Sufficit autem quod sciat legere characteres vernaculos,v.g. Lusitanos, aut Italos. Quia talis non dicitur absolutè nescire legere:&Trid. sic habet. *Non initietur prima tonsura, qui nescit legere.*

Scientia ad singulos ordines.

Dico 2. Ad quatuor ordines minores requiritur ut ordinandus saltem Latinam linguam intelligat. Sic Trident.sess.23.*cap.* 11. *de refor.* In quo non potest Episcopus dispensare, Sanch.cit. num.14 contra Menochiū lib.2. de arbitr. cent. 5.casu.4 5.num.58. Dico 3. Ad subdiaconatū & diaconatum postulatur, ut initiandus legere Latiné sciat, & quæ legit, intelligat. Ita Trid. sess.23.cap.13. de refor. Dico 4. Ad sacerdotiū ultra dicta exigitur, ut eo initiatus sacrificium illud intelligat, proindeque bene legat, & mediocriter intelligat contenta in missa, & possit servare ea quæ spectant ad missam ritè conficiēdam: ut sciat defectus occurrentes in missa, materiam & formam consecrationis, & dispositionem necessariam ex parte corporis.

Ordines quas sciāt requirant.

1485. Addit Trident.sess.23.cap.14.de refor. quód ordinandus sacerdos comprobetur idoneus sufficienti examine ad docendum populum ea quæ omnibus scire necessariū est ad salutem, & administrandum sacramenta. Unde infert Ledesma debere scire quæ sit materia & forma cujuslibet sacramenti. An omnino idiota, sed versatus in divino officio,ut sacrista, & monachus qui potest choro deservire,possit sacris ordinibus initiari, vide Emman.Rodrig.quæst.24.art.7. & Suar.de Irreg.

Sacerdotis scientia.

Rogabis,an eadem scientia quæ postulatur ad ordines in sæcularibus, etiam postuletur in regularibus? Videtur affirmandum: quia Tridentinū exigens talem vel talem scientiam ad ordines,ut vidimus nullam facit distinctionem inter ordinandos sæculares & regulares. Dicendum tamē est cum S. Thoma in 4. dist.24.quæst.1.artic. 3. Henriq. lib.10.de ord.cap.16.Villalob. tr. 21. de irreg.diff.34.num.5.&Rodrig.tom.1.quæst. regular.quæst.24.art.7. minorem scientiā linguæ Latinæ in religioso quàm in sæculari clerico postulari. Quia in religioso suppletur defectus tū aliorum cum quibus vivunt, doctrina, tum puritate, prudentia, monitis & correctione prælatorum, quod in sæcularibus non cernitur. Vide Palaum part.8.num.17.

Regularium scientia ad ordines.

QUÆSTIO VI.

Quas cum clericatu obligationes contrahat ordinatus

Agendū imprimis est de præcipua obligatione, quæ solum adstringit sacris ordinibus initiatos, qualis obligatio continentiæ. De impedimento dirimente matrimonium, quod sacris ordinibus annexuit Trid.sess.24.can. 9. dicemus num.1798. Hanc igitur obligationem presbyteratui & Diaconatui annexam fuisse, multis ostendit Bellarm.lib.1.de clericis.cap.19. Solum est incertum quando fuerit annexa subdiaconatui, cum certum omninó sit annexā eodem modo triplici sacro ordini, matrimoniū contrahendum dirimere, contractum verò impedire quoad usum, & cohabitationem. *Capit. Nullum. Cap.praterea. Cap. quando* 28.*dist.*

Cōtinētia & castitas clericorū

1486. Notabis 1. ex capitibus proximé citatis olim expressé continentiam promitti a suscipientibus sacros ordines: hodie verò non expressé, sed eo ipso quo quis sacrum ordinem suscipit, tacité castitatem vovere. Notabis 2. quāvis aliqui dixerint castitatem jure divino esse annexam sacris ordinibus, longe verius esse annectī solo jure Ecclesiastico. itaut obligatio servādi castitatem non solum emanet a voto in ordinibus emisso, sed etiam a præcepto Ecclesiastico illam vovendi. Vide Sanch.lib.7.Matrid. 27. n. 9. Addit 1. noster Thamburinus lib.7.de ordine cap.3.§.3.num.6.obligationem secundæ castitatis constituto in sacris esse immediaté ex voto,at impedimentum dirimens matrimoniū esse immediaté ex Ecclesiæ præcepto.

Addit 2. num.9. si quis ordinetur ordine sacro nolens expressè vovere castitatem, adeam non teneri ex voto, peccare tamen mortaliter quandiu perseverat in ea nolitione; quia tenetur ad vovendum. Melitenses equites, quos vulgo

 dicimus

dicimus *Melitenses* religionis voto tenentur ad castitatem: sunt enim milites regulares.

Melitēses aquites. Rogabis 1. an inva idè promotus ex defectu alicujus requisiti substantialis, maneat obligatus ad continentiam? Videtur teneri ex *Cap. Placuit, de conversi. conjug.* ubi conjugati invalide profitētes tenentur castitatem servare. Negandum tamen est cum Sanch. lib. 7. Matr. d. 27. num. 14. Quia castitas in ordinis susceptione non promittitur per se, sed ut sacro ordini accessoria.

Infās sacro ordine initiatus. Rogabis 2. an infans promotus obligetur ad castitatem servandam? Affirmant S. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 8. conclus. 2. & Paludan. in 4. dist. 37. q. 1. art. 1. quia castitas est accessoria, proindeque sacro ordini annexa. Negandum tamen est cum communi & vera sententia, quam defendunt Sanch. lib. 7. Matr. d. 30. num. 3. Vasq. disp. 246. num. 25. Bellanus disp. 2. dub. 4. & Barb. alleg. 15. num. 4. Ratio est, quia si talis infans obligaretur ad castitatem, vel talis obligatio proveniret ex voto, cum hoc requirat liberum consensum, cujus non est capax infans: non ex lege, quia nec lex divina, nec Ecclesiastica infantes obligat. Hic tamen sic promotus, ad votum castitati tenebitur, si post 14. annum completum acceptam ordinationem ratificet, cognita voti obligatione. Quæ de infante initiato sacris ordinibus ad obligationē castitatis diximus, de quocunque clerico in sacris dici potest, si post mortem reviviscat. Cum enim per mortem cessaverit obligatio castitatis, poterit ille eligere clericalem, vel conjugalem statum. *Clericus in sacris si revivis cat.*

Votū castitatis in clerico ante pubertatem. 1487. Quid si puero rationis usum habenti ante pubertatem conferatur ordo? Sanch. citat. disp. 30. num. 8. & Barb. alleg. 15. num. 4. cū multis adhuc negant manere obligatum ad castitatē. Probant a simili ex *Cap. Ad nostram regul.* ubi deciditur irritum esse votum professionis religiosæ emissum ante pubertatem. Affirmandum tamē est cum Sayro in clavi lib. 6. cap. 5. num. 9. Ægid Bellan. disp 20. dub. 14. num. 136. & Bonacina de matr. quæst. 3. pun. 9. num. 16. Probatur, quia spectato jure naturæ tale votum est validum, & non apparet jus aliquod positivum per quod irritetur. Notant benē citati authores, si post nactam pubertatem ordinis exercitio, vel aliter approbetur ab ordinato tale votum, manere obligatum. Vide Tamborinum citatum num. 18. & 19.

Rogabis 3. an maneat obligatus voto castitatis qui talis voti & obligationis ignarus suscepit ordinem sacrum? Respondeo cum Ægid. Bellan. disp. 20. dub. 14. diff 3. num. 145. & Palao tr. 27. part. 17. nu. 12. sic distinguentibus, quando quis probabili ratione ductus existimās nullam castitatis obligationē sacro ordini annectī illum suscepit, non manere obligatum: quia talis ignorantia utpote inculpabilis a voti & legis obligatione liberat: secus, si culpabili ignorantia initiatus fuit. Tunc enim quanvis non teneatur ex voto, tenetur ex lege.

Rogabis 4. an quis coactus metu cadente in virum constantem, sacro ordine initietur, obligatus maneat castitati? Videtur negandum a simili: nam si quis gravi metu coactus religiosam emisit professionem, hæc venit irritanda; ergo & votum castitatis annexum ordini, per gravem metum suscepto, irritum erit. *Coactio ad ordines sacros.*

Affirmandum tamen est cum Palao citato n. 13. Quia ut diximus tract. 31. de voto, nullum, quantunvis metu gravi extorqueatur, jure naturæ irritum est: jure autem positivo ea sola vota irrita decernuntur, quæ religiosam professionem constituunt.

1488. Sequitur exponenda alia clericorum obligatio, quæ est tonsuram deferre, & habitum clericalem congruentem ordini. Notabis 1. tōsuram, quam alij clericam, alij coronam vocāt, de cujus origine Palaus tr. 27. part. 18. num. 2. esse quid essentiale in habitu clericali, vestes, & reliqua esse concomitantia. Notabis 2. licét quędam vestes utpote indecentes, sint clericis interdictæ, at non esse jure definitum quæ vestes sint clericales, & ideo tales censeri, quas in provincia communis usus receperit. *Tonsura seu corona clericalis.* *Vestes clericales.*

Difficultas est expendere an, & qualiter peccet clericus non deferens tonsuram, neque vestes clericales. Peccare mortaliter omnem clericum, etiam in minoribus constitutum, qui tonsuram & clericalem habitum non gestat, dixit Panorm. in *Cap. si quis, de vita & honest. clerici* Mitiūs tamen & Rectiūs censent Sotus in 4. distin. 23. quæst. 2. art. 1. Navar. cap. 25. num. 110. Sanc. lib. 7. cons. cap. 1. dub. 49. & Palaus cit. num. 3. clericos in minoribus, si beneficio careant, obligatos non esse tonsuram & habitum deferre, cum possint liberé ab statu clericali ad laicalem redire: quibus proinde omnia licent quæ laico tam in civilibus, quam criminalibus. Addit bené Palaus num. 3. si illi bigami sint, cum priventur omni privilegio clericali, non posse deferre tonsuram & clericalem habitum. *Habitus clericalis obligatio.*

Quid si clericus in minoribus habeat beneficium, vel Ecclesiasticam pensionem? Respondeo cum Palao citat. num. 3. obligari ad tonsurā & habitum clericalem eo modo quo obligantur clerici in sacris constituti, ut sumitur ex *cap. si quis, de vita & honest. cleric.* Quód veró hi graviter obligentur, itaut peccent mortaliter omittendo habitum & tonsuram, docet Sanch. citat. ex *Trident. sess. 14. cap. de refor.* & *Clem. 2. de vita, & honest. cleric.* Quod recté intelligunt & temperant Vasq. d. 250. cap. 5. num. 22. Layman. lib. 5. sum. tr. 9. cap. 12. & Barbosa alleg. 9. a nu. 11. ut procedat de excessu ita gravi, ut spectatis circunstantijs personæ, loci, ac temporibus offendat graviter honestatem, cedatque in scandalum: secus, si gravis non sit, ut si habitus dimissio fiat ad breve tempus, v.g. ad exercendū ludum, vel causa necessitatis. At mortale erit, si fiat animo liberiús vagandi & occultandi scelus ad personam aliquod patrandum. *Clericus in minoribus ad habitum.* *Clericus in sacris ad habitū.*

QUÆS-

QUÆSTIO VII.

Quibus pœnis afficiantur delinquentes in mala promotione?

Pœnæ cōtra malè initiatos.

1489. Cum possint susceptione ordinis committi multa delicta, v.g. si detur initiatio ante ligitimam ætatem, vel sine facultate proprij Episcopi, vel sine sufficienti patrimonio, & similia, pro ijs coercendis jus statuit nonnullas pœnas, quas expediemus.

Initiatus ante ætatē ad pœnas.

Quod attinet ad primum, si quis ex malitia fuerit initiatus ante legitimam ætatem, manet suspensus ab exercitio suscepti ordinis. Habetur in Extrav. Pij II. incipiente, *Cum ex sacrorum* apud Quarantam in summa Bullar. Verbo *Ordo* in prin. Excusabitur tamen a suspentiones, si bona fide initietur: quia Bulla exigit dolum, ut suspensio incurratur. Ita cum multis Barb. sa alleg. 16. num. 20. Villal. tr. 11. diff. 11. num. 6. & Bonac. d. 8. de sacr. part. 5. num. 13.

Notant benè Suar. de cens. d. 31. sect. 1. num. 23. & Avila de cens. 3. part. disp. 5. dub. 7. non sequi ex hoc quod sic initiatus possit susceptum ordinem exercere, sive non contraxerit suspensionem, sive in ea dispensatus sit. Quia Conciliū prohibens ordinari ante statutam ætatem, consequenter prohibet exercitium ordinis ante illā. Ex quo rursus notant Vilalob. tract. 11. diff. 11. num. 7. & Bonac. cit. par. 5. num. 13. si prædictus susceptum ordinem ante completā ætatē exerceat, esto graviter peccet, non incurrere irregularitatem utpote nullibi expressam.

Pœna cōtra promosos sine licentia propij Episcopi.

Quod attinet ad ordinatum licentia proprij Episcopi, si loquamur de suscipiente ordines sacros constat hunc esse suspensum per Extrav. Pij secundi, aqua tamen suspensione potest absovere Episcopus, ut tradunt Marchinus de ordine p. 5. cap. 11. num. 5. & Bonacina de cens. tom. 3. d. 3. quæst. 1. punt. 1. num. 28. Si loquamur de tōsurando & ordinando in minoribus, quanvis probabile sit huic non prodesse tonsuram, & sic incapacem esse beneficij, nec posse hanc ordinationem ratificari a proprio Episcopo, tamē juxta oppositum probabilius apud Sanch. dub. 28.

Ordinatus absq; licētia sui Episcopi.

1490. Dico 1. quanvis prædictus utendo eo ordine ante ratificationem superioris peccet, tamen non est propriè suspensus, atque ideo per talem usum non fit irregularis. Ita Sanch. citat. num. 5. ex Navarro lib. 1. consil. tit. 11. Patet a simili in eo qui recipit ordines ante legitimā ætatem: non enim est suspensus, ita ut celebrans fiat irregularis: sed ad hunc sensum, quod non recipit executionem, seu exercitium: non enim potest absque mortali uti eo ordine ante completā ætatem.

Beneficij collatio facta malè promoto.

Dico 2. Collatio beneficij facta prædicto valida est, etiam ante ratificationem. Ita Sanch. citatus num. 6. Patet, quia non est propriè suspensus. Debet tamen ille quærere ratificationem, licet bona fide absque peccato fuerit ordinatus. Quia ad hunc effectum lex non tam pœnalis, quám dispositiva est.

Ratificatio ordinē.

Dico 3. probabile est talem ordinationē posse approbari, seu ratam haberi a proprio Episcopo: unde ea ratificatione obtentā manet habilis ad alios ordines & beneficia. Dico 4. si Episcopus excommunicet eos qui accedunt sine debita licentia, tunc talis ordinatus incurrit irregularitatem, sicut quincunque excommunicatus recipiens ordines, Ita Sanch. dub. 28. qui a num. 11. exponit praxim sic excommunicandi.

Rogabis an maneant capaces beneficij Ecclesiastici ordinati litteris dimissorijs Capituli Sede vacante intra annum vacationis? videtur absolute negandum. Quia Trid. sess. 7. cap. 10 *de reform.* statuit tales illis dimissorijs ordinatos nullo gaudere clericali privilegio: capacitas autem ad beneficia privilegium clericale est.

Promoti male puniuntur.

Dicendum tamen est cum Sanch. dub. 28. nu. 34. prædictos esse capaces ante sententiam judicis. Quia Tridentinum per illud verbum futuri *non gaudeant*, non inducit privationem ipso jure, sed solum post sententiam. Quid de constitutione Six. V. edita anno 1588. qua statuit male promotos esse irregulares, & indispensabiles etiam virtute decreti Tridentini? Clemens VIII. anno 1595. illam reduxit ad terminos juris communis & Trident. & Extrav. Pij. II. quoad omnia in ea contenta pręterquam quod simoniacé promotos, & promoventes. Vide Sanch. citatum.

Pœnæ cōtra ordinatos sine patrimonio.

1491. Quod attinet an ordinatos absque titulo beneficij, vel sufficienti patrimonio Trident. sess. 21. *cap. 2. de reform.* innovat pœnas contra ordinatos absque beneficio, vel patrimonio sufficienti contentas *Cap Sanctorum, Cap. Neminem dist 70 & Cap. cum secundum, de preben.* Et si quando ordinans & ordinatus sunt in culpa, utrasque incurrunt, nempe ordinans obligationem alendi ordinatum, & ordinatus suspensionem. Si alter non habet culpam, talis non incurret. Quia igitur post collationem beneficij ante possessionem initiaretur, licét peccaret contraveniens Tridētino, tamé nullam incurret pœnam. Vide de hoc fusius Sanch. dub. 35. ad finem & Palaum tr. 27 part. 12.

Qui habens verum patrimonium ad cujus titulum subdiaconatu initiatus est, & illud renunciavit, & tacita renunciatione ostendit & per ipsū diaconatu & presbyteratu initiatus fuit, juxta Sanch. dub. 40. non incurrit pœnas contra initiatos sine patrimonio. Quia illa renunciatio fuit invalida. Idem affirmat dub. 42. de eo qui donatione accepit prædium ut ad titulum illius ordinaretur, & ante initiationem contraxit debita maiora prædio. Quia illa debita nec debent, nec possunt solvi de illo prædio.

Pœnæ in clericos nubentes vel luxuriantes.

Quid de pœnis contra clericos matrimoniū cōtrahentes, aut contrahere tentantes: item contra clericos luxuriosos? Resolutione triplici satisfaciam. 1. Resolutio. Clerici constituti in minoribus, si validé ineant matrimonium, beneficijs Ecclesiasticis privantur ipso jure, neque possint jam renunciare ea in favorem tertij. Ita Gutier. pract. quæst. 104 Bernar. Dias pract. cap. 15. num. 129. &c

129.&Sanch.lib.7.Matr.disp.44 *Cap. 1.de cleric. conjug.* & ratione, quia ob status incompatibilitatem censentur beneficijs illis renunciasse. Procedere hoc etiam de Ecclesiastica pensione ex stylo curiæ.bene traditCovar.4.decut.2.part.cap 6.§.3.num.6.

2. Resolutio. Clerici in sacris, si contrahere matrimonium tentaverint, officio & beneficio privantur. Habetur *Cap. decernimus, cap. de his* 28. *dist.* Ipsone facto, an per sententiam? Verius per sententiam judicat Palaus tr,27.part.17.num. 14. ex Sanch.citat.d.43.num.5. Adde cum Bernardo Dias pract.cap.80.prædictos ipso jure excõmunicari per *Clem.un.de Consang.&affin.*

3. Resolutio. Contra clericos habentes copulam cum moniali, cum consanguinea, vel affine, vel soluta, variæ pœnæ judicis arbitrio statuuntur apud Ber.Dias in pract.cap.78.Quanvis multi existiment incurri suspensionem a clerico ob concubinam notoriã domi vel extra retentã ex *Cap. Præter* 32.*dist.&cap. Si qui sunt* 81.*distinc.* tamen Suar. de cens.disp.31.sect.4. apud Palaum tract.27.part.17.num.16. affirmat Trident.sess. 25.cap.14. illo jure abolito statuisse qualiter clerici concubinarij sint puniẽdi. Consule utrunque. De pœnis contra ordinatos furtive, per saltum, extra tempora & non servatis in terstitijs, vide infra num.1478.

Concubinatij clerici pæna

SECTIO V.

De Patrimonio ordinandorum, & temporibus ordinationis.

QUÆSTIO I.

Utrum promovendus ad ordines habere debeat Patrimonium, vel beneficium?

1492. CUM rectæ rationi consonum sit, ut divinis ministerijs deputari habeant de bonis temporalibus ad honesté vivendũ ne cum ordinis dedecore cogantur vel mendicare, vel turpem quæstum exercere, illis per sacros canones & concilia de necessarijs ad vitam honesté sustinendam provisum fuit.

Patrimoniũ ad ordines.

Dubium est 1. an requiratur patrimonium vel beneficium pro omnibus initiandis tam maioribus, quam minoribus ordinibus? Respondeo cũ Navarro lib.1.consil.cons.14. de temp.ordin. n. 1. Gracia part.2. de benef.cap.5.num,4. Rivio in praxi resol.271.num.3.& Barbosa de pot. Episc. part.2.alleg.19.num.3. asserentibus titulum beneficij, vel patrimonij non esse requisitum pro ordinibus minoribus, sed tantum pro sacris,nẽpe presbyteratus, diaconatus, & subdiaconatus. Desumitur ex jure in *Cap.Tuis, cap. Episcopus, cap. cum secundum de præbend.s.* Probatur ratione, quia a minoribus ordinibus potest quis resilire uxorem ducens, non ita ab ordinibus sacris.

Minores ordines ad patrimonium.

Dubium est 2 an patrimonium vel beneficium statutum sit pro omnibus suscipientibus sacros ordines, tám sæcularibus, quam religiosis? Respondeo negativé cum Vasquio d. 246. cap.6. Henriq.lib.10.cap.17.§.3.& Barb.cit.part.2.alleg 19.num.4. asserentibus Tridentinum sess.21.cap 2. de reform.solum exegisse beneficium vel patrimonium pro clericis sæcularibus, non verò pro regularibus professis. Unde Pius V. motu proprio die 12. Novem. 1568. exponens Trid. de solis professis, declaravit regulares non professos absque titulo beneficij vel patrimonij initiari non posse sacris ordinibus.

Religiosi ad patrimonium pro ordinibus.

1493. Quid de regularibus Societatis Jesv vota bienij emittentibus? Sanches dub.35.narrat propter motum citatum Pij V. fratres Societatis qui pro illo tempore non habebant patrimonium, solitos fuisse ante ordines sacros emittere professionem trium solemnium votorum. Hoc tamen postea sublatum fuit per Gregoriũ XIII. in Bulla *Ascendente* octavo Kalen. Junij anno 1584. & Gregorium XIV. in Bulla *Ecclesia catholica* anno 1591. statuentes ut nostri post vota biennij utpote veri religiosi ad effectum Patrimonij ita reputarentur, ac si essent solemniter professi.

Societatis religiosi ad ordines

Dubium est 3. Utrum si quis subdiaconatu initiatus fuit absque patrimonio & beneficio, possit sine his ad superiores ordines ascendere? Recté negant Gracia de benef.2. part,cap.5.nu. 124.Suar.de cens.disp.31.sect.1.n.39. & Barbosa de potest Episc.al eg.20.num.22. & procedit resolutio, quanvis vere habuerit patrimoniũ, vel beneficium, sed illud amiserit. Ratio est, quia jus canonicum indefinité prohibet ascensum ad sacros ordines absque beneficio vel patrimonio, & ratio prohibitionis non cessat ex eo quod subdiaconatus advenerit.

Difficultas est an in tali casu, & similibus possit Episcopus dispensare ut quis absque beneficio vel patrimonio initietur? Affirmant in casu accepti subdiaconatus Henriq.lib.13.cap.37. nu.2. & Avila 3.part.de cens.disp.5.dub.3. si detur spes ut susceptis ordinibus superioribus ille sit acquisiturus honestam sustentationem. His accedunt Corduba in sum.quæst.36.Vega 1.part.sum.cap. 57.casu.1.&Gonzal.ad reg.8.Cancell.glos.4.n. 36. addentes posse Episcopum dispensare, ut quis absq; prædictis initietur, si sit vir litteris insignis, cui meritò præsumatur non defuturum beneficium. Nam talis spes ita proxime certa loco beneficij haberi potest.

Dispensatio Episcopi in patrimonio ad ordines.

Rectiùs tamen negandum est cum Petro de Ledesma de sacr. ordinis cap.7. Salzedo praxi c. 18.num.7. Genuensi cap. 8. num.2. & Rodrig. tom.1.cap.15.Sumitur ex Trident.citato Generaliter prohibẽte ne quis clericus sæcularis,quanuis alias sit idoneus moribus, scientia & ætate,sacris initietur absque beneficio, vel patrimonio. Accedit S. Congregationis declaratio,quam refert Garcia de benef. part.1.cap.5.num.129.

1494. Dubium est 4. an si quis habens patrimonium ordinetur non facta illius titulum ordinatus. Hoc dubiũ absolute resolvit affirmative

Patrimonij n.e.1a.

Glossa

ficij ad cujus titulum quis promotus fuit, debeat Glossa *Cap. Episcopus de praeb.* in fine. Mihi placet resolutio. quam ex Imola cap. citato & *Cap. fin. de praeb. in 6.* num 3. affert & probat Sanch. lib.7.consil.cap.1.dub.39. dicens censeri ad illius titulum ordinatum, ut Episcopus ordinans non teneatur eum alere: non veró ut tale patrimonium censeatur: titulus enim non reputatur, nisi expressè talis fiat: & ideo sine facultate Episcopi alienari potest. Addunt Panorm. eod. *cap.* Imola, Hostien. & Joan.And. etiam in dubio non censeri assignatum in titulum. Quia ad hoc requiritur expressa & specifica designatio.

QUÆSTIO II.

Qualenam beneficium postuletur ad ordines?

Beneficiũ quale ad ordines. EX canonico & civili jure argumento *Cap. de causis de offic. deleg. & lib. 1. ff. de jure delib.* recté consentiunt Henriq. lib.10.cap.17.§.3. & Gracia 2.part. de benef. quod exigitur pro titulo ad ordines sufficiens esse debere ad clericum honesté sustentandum. Quale autem sufficiat, Gracia citatus num.115. putat sufficere id quod attingat quinquaginta, vel triginta scuta reddituum. Melius authores alij id remittunt arbitrio Episcopi, spectata non qualitate ordinandi, sed honesta illius sustentatione.

Certé constitut. Archiepisc. Olyssip. lib.1.tit.12 §.11. decernũt sufficere beneficium vel patrimonium quod singulis annis ad minimum attingat proventum duodecim milliũ terunciorum.

Patrimonium beneficij sufficientia. 1495. Quid si quis habeat beneficium valde tenue, & patrimonium valde tenue, itaut neutrum sufficiat seorsim acceptum, bené tamen sufficiat acceptum simul? Talem posse cum illis ordinari recté judicant cum multis Barb. 2. part. de pot.Episc.alleg.19.num.14.& Bonacina disp. 8.de sacr.quæst.unica.part.5.num.39.

Observandum est 1. cum Genuensi in praxi cap.81.num.2. reditus beneficij ut sufficiant, debere esse certos, & a proprio labore & industria independentes. Unde teste Garcia 2. part cap. 5. num.125. non sufficient emolumenta quæ haberi possunt exercitio ordinum, etiam si honesto officio musicæ sustentari possit: imò quāvis Episcopus se obliget supplere quidquid defuerit. Nã hæc omnia vel infirmitate clerici, vel morte Episcopi deficere possunt. *Doctorales ad patrimonium.*

Addit Barb. in *remiss. ad consil. sess.21 cap.2.* ex declaratione S.Congregationis, si clericus habeat beneficium curatum cujus fructus insufficientes sint, nec habeat aliunde reditus stabiles, quibus supplere possit, non teneri intra annum presbyteratu ordinari, sed potius teneri illud beneficium dimittere. Item juxta Sanch.dub. 35. non sufficiet esse collegialem, vel habere gradum Doctoris Si de beneficio, vel patrimonio (adjungit) modicum quid ad sustentationem deficiat, parum faciet: secus si notabile, quale erit quinq; respectu viginti quinque.

Observandum est 2. cum Bonac.disp.7.quæst. unic.part.5. num. 40. ex Tridentino sess.21.c. 2. ut beneficium sufficiat pro titulo ordinationis, debere esse perpetuum. Unde non sufficiet vicaria temporalis, vel cappellania amovibilis. Item non sufficiet titulus coadjutoriæ cum futura successione. Quia non est beneficium, sed hujus spes incerta cum possit proprietarius supervivere. Secus erit si tali coadjutori portio competens & sufficiens assignetur. Tunc enim (inquiunt Gonz. Gloss. 5.§.9.num.6. & Garcia de benef. part.2.cap.5.num.132) sufficiet pro titulo ordinationis sicut titulus seminarij si fructus in perpetuum pro servitio assignentur.

1496. Quid si beneficium tale sit, ut nemo ejus fructus valeat percipere, nisi factus presbyter? Ex declaratione congregationis bene resolvit Barb.2.part.de pot.Episc.alleg.19. num. 29. sufficere ad ordinationē. Quia illa conditio neque sufficientiam, neque perpetuitatem impedit.

Observandum est 3. cum Salzedo cap.18.nu 6. & citatis beneficium, ad cujus titulũ quis ordinatur, debere actu possideri, ita ut non sufficiat nominatio, præsentatio, postulatio vel electio, imò nec collatio. Summitur ex Tridentino ducta sess.21.cap.2. exigente beneficiũ pacifice possessum. Unde non recté sentiunt Majolus de Irreg.lib.4.cap.15. num 3. & Suyrus de cens.lib. 4.cap.14.num.19. posse quempiam ordinari ad titulum beneficij quærendi.

Litigiosũ beneficiũ ad ordines. Adde non sufficere beneficium possessum, nisi pacificé possideatur. Quia hoc expressit citatũ Tridentin. Unde Barb. notat cum multis alleg 19. a num.15. si lis mota sit, sive de jure, sive de facto super beneficium & omnes ejus fructus, ea durante lite non sufficere illud ad ordines. Dixi (super omnes fructus) quia si solum moveatur super partem fructuum, & quæ superest, congruam sustentationem suppetat, beneficium litigiosum censeri non debet. Quid si moveatur lis non super beneficium, sed super illius possessionem? Menochius de arbitr.casu 202. num.18. & Flamin. de resig.lib.2.quæst.3.num. 52. affirm. tale beneficium non censeri litigiosum, sed pacificé possessum. Rectius id negat Barb.citat. alleg. 19.num.20.

Resignatio & permutatio beneficij ad cujus titulum quis ordinatur. Rogabis 1. an ordinatus ad titulũ beneficij possit illud resignare sub pensione sufficiente ad sui sustentationé, quin declaret se ad illius titulũ fuisse promotum? Affirmant Navar. cons. 4. de renunc. Flamin. de resig.lib.2.quæst.6. num. 41. & Rodrig.tom.2.sum.cap.15.num.12. Quia per talem pensionem reservatam menti concilij satis fecit. Negandum tamen est cum Garcia de benef.2.part.cap.5.num.215. & Barbosa citatis alleg.19.num.42. Quia mens concilij fuit ut admittens resignationem cum iisdem qualitatibus & conditionibus, quibus beneficium fuerat vinculatum: & hoc præstari nequit absque prædicta declaratione. Addit tamen Sanch. cit. dub. 38. valere in foro conscientiæ talem resignationem, si ordinatus habeat aliunde unde vivat, quanvis tacuerit quod ad illius titulum fuerit ordinatus.

1497. Rogabis 2. an in permutatione beneficij

etiam fieri prædicta declaratio, seu mentio? Videtur negandum ex quadam decisione S. Congregationis, quam refert Barbosa *in remis. Concily* in qua deciditur illum qui permutat beneficium nulla facta mentione quod ad illius titulum promotus fuerit, tutum esse in conscientia, si obtentum beneficium omninò æquivalens priori fuerit.

Affirmandum tamen est cum Barbosa citato alleg. 19. num. 43. Garcia 2. part. de benef. cap. 5. num. 218. & Gonzales reg. 8. Cancel. glos. 5. §. 10. a num. 43. Probatur, nam concilium expressè prohibet resignationem illius beneficij, ad cujus titulum quis promotus fuit, nisi facta prædicta declaratione: atqui permutatio beneficij est habiti beneficij resignatio, & alterius acquisitio; ergo indiget tali mentione. Accedit, quia illud beneficium subrogatum indiget illa mentione, ut vinculetur.

Observandum est 1. cum Barbosa cit. alleg. 19. num. 48. sicut nemo resignare potest beneficium, ad cujus titulum promotus fuit, nisi sub illa duplici conditione, ita neminem fructus illius obligare aut hypothecare. Quia prohibitus alienare, hypothecare prohibetur. Observandū est 2. ex constitutione Pij V. quæ incipit *Ecclesia Dei* data 1. Aprilis anno 1568. si Episcopus admittat resignationem beneficij a clerico non habente aliunde unde vivat, suspendi a collatione beneficiorum, & teneri alimenta illi clerico præstare.

Hipotecatio fructū beneficij.

QUÆSTIO III.

Qualenam patrimonium, seu pensio requiratur pro ordinandi sustentatione?

1498. MAnebit explicata qualitas patrimonij, si explicuerimus conditiones, quas requirit, nempe debere existere actu & non sola spe, debere esse verum, & non fictum debere constare ex bonis immobilibus, non debere alienari sine licentia Episcopi: quibus omnibus datis videndum est, qualiter inter bona Ecclesiæ recenseri possit.

Quod attinet ad primam conditionem, scilicet debere actu existere & non sola spe, Surdus de alim. tit. 7. quæst. 37. num. 2. illam negat existimans filium cujus parentes sunt divites, posse initiari sacris ordinibus per solam certam spem pinguis legitimæ. Ratio est, quia tali congrua sustentatio deesse nequit: & quia juxta *Glos. l. 2. Cod. qui ætat. lib.* 10. filius censetur dives, si habeat patrem divitem.

Patrimoniū actū existens.

Affirmanda tamen est dicta conditio, & negādum cum Barbos. de pot. Episc. alleg. 19. num. 60 Garcia de benef. 2. part. cap 5. num 91. & Flamin. lib. 2. de resign. sufficere expectatam illam pinguem legitimam, ut quis in sacris promoveatur. Quia filius per illam spem certam non dicitur habere propria: Tridentinum verò cit. to loco, non exigit solum quod promovendus habeat congruam sustentationem, sed quod ex propijs habeat.

Notabis 1. cum Sanches lib. 4. Matrim. disp. num. 7. & Barb. alleg. 19. num. 63. posse filium obligare patrem divitem, ut sibi det patrimonium ad sacros ordines. Nam sicut potest exigere dotem a patre pro matrimonio carnali *l. fin. ff. de dotis promis.* sic & pro spirituali.

Posse filiū [illegible]

Notabis 2. cum Matienzo glos. 9. num. 8. & Azevedo lege 10. num. 3. tit. 6. lib. 5. novæ recopil. donationem factam filio pro tali patrimonio non posse revocari. Addit Sanches citat. lib. 7. concil. cap. 1. dub. 44. etiam si fieret per meliorationem respectu aliorum filiorum.

1499. Gravis dubitatio est, an hujusmodi patrimonij constitutio computari debeat in legitima? Negant Stephan. Gratian. disc. forens. cap. 159. a num. 31. Dueñas reg. 222. numer. 3. Anton. Gom. lib. 29. Tauri num. 21. & Cevallos com. opin. quæst. 682. probant, quia illa bona dantur filio pro alimentis necessarijs: quæ autem sic dantur, in legitimam computari nequeunt.

Legitima ad patrimonium ordinum.

Affirmandum tamen est cum Gutier. lib. 2. pract. quæst. 65. num. 7. 2. Covar. *Cap. Raynaldus de testam.* §. 2. num. 7. Molina de just. tract. 2. d. 238. & Garcia part. 2. de benef. cap. 5. num. 159. Sumitur ex *l. omni modo §. imputa i C. de inofficioso testam.* ubi dicitur bona a patre concessa, quæ sunt per se alienabilia, & transmissibilia ad hæredes, computari in legitimam: hujusmodi autē est tale patrimonium, cum solum pertineat pro congrua ordinati sustentatione, qua data alienari & transmitti ad hæredes potest.

Quod attinet ad secundam conditionem, scilicet debere patrimonium illud esse verum & non fictum, sciendum est consistere fictionem patrimonij in eo quod accipiatur sub pacto & conditione, ut donanti reddatur. Quia prout sic non veritatem, sed solum quandam speciem, & simulationem patrimonij vendicat. Rogabis 1. an sit fictum proindeque jure reprobatum patrimonium quod ordinando confertur sub obligatione reddendi, cum fuerit adeptus sufficiens beneficium, vel habuerit aliunde, unde vivat? Respondeo negativé cum Garcia 2. part. de benef. cap. 5. num. 169. & Barbosa part. 2. de potest. Episc. all. 20 num. 31. Ratio est, quia illa obligatio non adversatur juri: habita enim sustentatione congrua patrimonium alienari potest.

Patrimoniū fictum [illegible]

1500. Rogabis 2. an patrimonium fictum, cujus fictio consistit in pacto & conditione reddendi illud, quanvis ordinatus aliunde non habeat unde vivat, teneatur reddere, & implere cōditionem? Negant Henriq. de excom. cap. 37. num. 2. & Toler. lib. 1. cap. 48. Affirmant Suar. de cens. disp. 31. sect. 1. num. 37. & Sanches lib. 6. de matr. disp. 32. num. 8. pro resolutione notabis tripliciter illud potuisse conferri 1. absque intentione donandi. vel cum pacto ne petatur donatum 2. sub intentione donandi, sed non absolute sed sub tempore limitato 3. simpliciter absolute donetur ut statim in dominium transeat. sed cū onere ut susceptis ordinibus donanti reddatur.

Patrimoniū fictum [illegible]

Sit

Sit resolutio: si patrimonij collatio facta fuit primo vel secundo modo, placet posterior sententia affirmans reddendum esse collatori: at si collatio facta fuit. 3. Modo, & conditio retrodonandi implenda erat post ordinem susceptum nulla obligatio reddendi est. Ita Pala. tr. 27. p. XI. Constat prior pars, quia illo primo & secundo modo collationis, vel nihil donatum fuit, vel solum cōmodatum ad tempus. Suadetur posterior pars, quia illa conditio ut pote turpis & cōtra legem invalida est, proindeque a donatione excluditur, ac si apposita non esset.

Patrimonium ex imobilibus.

Quod attinet ad tertiam, & quartam conditionem, debet patrimonium constare ex bonis immobilibus, & non alienabilibus propia authoritate, in qua recte consentiunt omnes apud Riccium in praxi fori Ecclesia. decis. 315. & Barb. cit. alleg. 19 n. 55. quia constitutum in re mobili, cum possit facile consumi, ordinandus cogetur mendicare.

Census redimibilis ad patrimonium.

1501 Dubium est 1 an possit patrimonium constitui in censu redimibili? Negant Ugolinus de post. Episc. cap. 26. §. 10. n. 2. & Bonacina d. 8. de sacr. q. un. p. 5. n. 31. Quia facta redemptione, census consumi potest. Dicendum tamen est cum multis quos referunt, ac sequuntur Flamin. de resign. q. 6. n. 75. & Gracia p. 2. de benef. c. 5. n. 95. talem censum sufficere ad patrimonium, adhibita tamen cautione, ut si fiat redemptio, deponatur pecunia ex judicis decreto apud idoneas personas, ut census iterum constituatur. Ratio est, quia juxta Molinam de primog. lib. 2. cap. 10. n. 6. hoc sufficit ad constituendum maioratum; ergo similiter ad patrimonium.

Alienatio patrimonij.

Dubium est 2. an & qualiter sacro ordine initiatus patrimonium possit alienare? Constat ex Trid. cit. sess. 23. c. 2. de reform. Illud absque licētia Episcopi alienari non posse, donec promotus habeat beneficium, vel aliquid sufficiens unde ali possit. Vnde non potest vendi, hypothecari, & obligari. Quia juxta citatos hypothecatio & obligatio est quædam veluti alienatio & remissio. Barbosa citat. all. 19. n. 80. hanc prohibitionem extendit ad transactionem, & divisionem, & dationem in solutum. Quia hæc omnia reputantur alienationes.

Episcopi facultas ad alienationem patrimonij.

Dubium est 3. an sit valida alienatio patrimonij facta a promoto non habente aliunde unde sustentari possit, si fiat absque licentia Episcopi? Affirmant Petrus de Ledesma de sacr. ordinis c. 7. conc. 6. diff. 1. & Suar. de cens. d. 31. sec. 1. n. 38. Quia concilium solum prohibuit nullū addens verbum ex quò colligeretur irritatio. Negandū tamen est cum Flamin. lib. 2. de resign. q. 5. Barb. dicta alleg. 19. num. 77. Molina tr. 2. disp. 238. & Sanch. de matr. lib. 6. d. 38. n. 20. Quia Concilium ita prohibet alienationem, ut ponat vocem (*nullatenus*) quæ omnē alienandi potentiam tollit.

Patrimonium inter bona Ecclesiastica.

1502 Dubium est 4. Utrùm promotus, si aliunde habeat unde cōmode vivat, possit absque licentia Episcopi patrimonium, vel pensionem alienare? Negant Ugolin. de potest. Episc. c. 26. §. 13. n. 4. Cenedo pract. q. lib. 1. q. 11. & Barb. cit. all. 19. n. 90. quia Tridenr. absolutè exigit Episcopi licentiam. Affirmandum tamē est cum sententia probabiliori, quam tenent Flamin. lib. 2. resig. q. 6. n. 16. Asorio p. 2. lib. 3. c. 4. q. 3. Ceval. cōmun. quæst. 527. n. 8. & Garcia p. 2. de benef. cap. 5. num. 186. Ratio est, quia Trident. solum prohibet illam alienationem donec promotus habeat sufficiens beneficium, vel aliunde congruam sustentationem, qua obtenta cessat prohibitio.

Restat explicandum quód ultimo loco proposuimus initio quæstionis, an patrimonium, ad cujus titulum quis initiatus fuit, computetur inter bona Ecclesiastica, ut borum foro gaudeat? Bené ex Stephano Gratiano discep. foren. cap. 159. num. 27. Menoch. de recup. possess. rem. 15. n. 21. & Cenedo pract. quæst. lib. 1. q. 11. n. 5. respondet negativé Palaus tr. 27. p. 11. num. 17. quia aliter non posset alienari cum sola Episcopi licentia, sed exigeret solemnitatem juris sicut alia bona Ecclesiastica: solum igitur privilegio gaudebit ratione personæ Ecclesiasticæ, ad quam pertinet.

QUÆSTIO IV.

Quænam sint tempora ordinationum, & temporum interstitia?

Agendum nobis est 1. Juxta priorem quæstionis partem, de temporibus ordinationum, seu diebus, quos jus canonicum præscripsit, ut initiatió sive minorum, sive maiorum ordinum fieri posset. Agendum postea de interstitijs, seu intervallo temporis inter ordines suscipiendos, juxta quæstionis partem posteriorem.

Tempora ordinationis.

1503 Quod attinet ad tempora, ut a sacris, seu maioribus ordinibus incipiamus, certum est ex jure *Cap. de eo de temporibus ordin. cap. fin. dist. 75. & Triden. sess.* 23. *c.* 8. *de refor.* ordinationem non posse celebrari nisi in quatuor temporibus anni, quæ sunt post tertiam Dominicam Adventus, post primam Dominicam quadragesimæ, post Dominicam Pentecostes, & post festum Exaltationis S. Crucis. Item in Sabbato S. ante Dominicam in Passione Ordines tempore Missæ conferendi sunt. *Cap. quod sicut, de elect.*

Jejunium in ordinatione.

Iuxta Sanch. 7. consil. c. 1. dub. 51. est mortale in ordinante & ordinato recipere ordines extra tempora statuta jure, in quo solus Papa dispensare potest. Cum veró generalis usus Ecclesiæ obtinuerit, & in Pontificali Romano jubeatur, hos ordines celebrari in sabbato quatuor temporum, non possunt in sequenti Dominica celebrari, nisi servato & continuato jejunio Ecclesiastico sabbati cum Dominica, & hoc data necessitate, qualis erit v. g. infirmitas Episcopi, vel multitudo ordinandorum.

Nunquam verò (ut tenent Sanch.cit.dub.51. & Palaus.part 13.num.3.) potest sabbato unus ordo sacer conferri alicui, & sequenti Dominica alius ordo eidem, etiá continuato jejunio. Quia (ut notavit Laym.tr.9.de ord.cap.8.nu.5.) censeretur Episcopus duos ordines sacros eadem die conferre. Nocte Resurrectionis, ubi consuetú est, ut celebretur, possunt ordines sacri celebrari, continuato jejunio: secus in alijs noctibus, in quibus celebrari nequit.

Dubium est, an si promotus fuisti in presbyterú die Dominica, vel quia jejuniú sabbati continuatú est, vel ex privilegio suscipiendi ordines extra tempora, possis eadé die consecrari Episcopus? Negant Barb.de pot.Ep.alleg.11. in fine & Suar.de cens.d.31.sect.41. Quia fieri non potest (inquiunt) ut eadé die quis duplici sacro ordine initietur. Affirmandú tamen est cum Palao cit. num.4. Quia ordo Episcopalis non reputatur a sacerdotio distinctus, sed illius perfectio & complementum. De regularium ordinatione extra tempora. Vide Emman.Rodr. tom.3.reg.q.23. art. 3.

1504. Quid minoribus? Prima tonsura, ut Vasq.disp.246 cap.5.Laym.tr.9.de ord.cap. 8. n. 1.&Bonac d.8. de sacr.pun.unic.par. 6. num. 1. tradunt ex recepta consuetudine, potest conferri quovis anni tépore, qualibet die, hora, & loco.

Minorum ordinum tempora

Minores ordines (ut cum multis docent Sanches cit.dub.52. & Palaus pun. 3 num.2) possunt conferri omnibus téporibus quibus sacri ordines: & etiá omnibus Dominicis & festis de præcepto quibuscunque tam solemnibus, quá nó solemnibus. Sumitur ex *Pontificali & cap.de eo,de tép.* Quidquid in opposita nimis stricte loquatur Sylvest. V. ordo n.6.& nimis ample Vi lal.tr.de sacr. ord. diff. 13.num. 6. Addit Palaus ex consuetudine posse dari vespere illius sextæ feriæ, quæ est proxima Sabbato ordinationis generalis.

Ordinandorú numerus.

Circa numerú ordinandorú, quidquid alij dicant vel nimis arctando, vel nimis ampliando verius est posse Episcopum dictis diebus ordines minores conferre multis, ita tamen, ut non videatur celebrare ordines generales. Sic intelligitur *Cap. de eo* ubi dicitur quod uni vel duobus conferat. Abbates, quibus fas est conferre ordines minores, possunt illos conferre Dominicis & festis. Monet tamen illos Sylvest. ut conferant extra Sabbata quatuor temporú: ne videantur, sicut Episcopi, ordines generales celebrare.

Interstitia in ordinibus.

Quod attinet ad intervalla, seu interstitia, constat in minoribus non servari ex necessitate. Id enim arbitrio Episcopi per Trident.sess.cap.11 relinquitur. Unde Episcopus potest ex causa rationabili primá tonsurá & ordines minores uno die eidem conferre. Ut autem fiat ascensus a minoribus ad maiores, nemini nisi post annum permittitur, nisi necessitas, aut utilitas Ecclesiæ judicio Episcopi aliud postulaverit. Si autem detur Ecclesiæ necessitas, vel utilitas non solum (ut tenent Vasquez disp. 246. cap. 5. a num.47. & Layman.lib.5. sum.tr.9.cap. 8) poterit Episcopus intra annú conferre subdiaconatú ei qui suscepit minores ordines, sed in ijsdé ordinationibus, ut si vespere ante sabbatum contulit ordines minores, poterit sabbato cóferre subdiaconatum. Imo eodem met sabbato & minores & subiaconatus conferri possunt.

Maiorú ordinum interstitia.

1505. Quid de interstitijs maiorum ordinú? Inter ultimum ordinem minorem & subdiaconatum, de quo proximé diximus interponi debet unus annus. Trid.sess 23.cap.11.de ref.inter subdiaconatum & diaconatu alius annus, Trid. ibid cap.13.inter diaconatú & presbyteratú alius annus Trid. ibid. c. 14. Pro expediendis interstitijs utrorunque ordinú triplex difficultas decidenda superest.

Episcopus ad dispensandum in interstitijs.

1. Difficultas est, quis possit dispensare in interstitijs quæ præcipit Trident.sess.23. cap. 11. 13.& 14. de refor? Certum est posse Episcopum: cum id exprimatur in locis Trident.cit. Hic auté Episcopus non est qui ordinat, quádo alienus, sed est proprius. Semper enim quando aliquis actus jurisdictionis committitur Episcopo, intelligitur de proprio. An ordinans suum familiarem post triennium possit dispensare? Recté negat Sanch. lib.7.cons.cap.1.dub.27. Quia privilegium non extenditur ultra casum expressum. *(ap porro de privil.* Episcopus igitur dans reverendas alicui ut ordinetur ab alio Episcopo, debet dispensare in interstitijs, vel expresse committere Episcopo ordinanti ut dispenset.

Dispensatio in interstitijs

Quid de habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem? Quidquid in oppositum dicat Emmanuel Rotericus in expositione motus Pij V. de censibus: ego juxta Sanches citatum dub. 54. Dico 1. Capitulú Sedevacáte, quádo dat Reverédas ad ordines, potest dispésare in interstitijs. Ná dispensare spectat ad jurisdictioné, & Capitulú illud habet omné jurisdictioné ordinariá Episcopi, nisi jure expresso caveatur oppositum.

Prælati regulares ad dispensandum in interstitijs.

Dico 2. Abbates habentes jurisdictioné quasi Episcopalé possunt dispensare cum suis subditis Nam possunt omnia quæ possunt Episcopi potestate jurisdictionis, ut cit.Sanc.resolvit dub. 21. Dico 3. Prælati regulares possunt dispensare cú regularibus exemptis sibi subditis in his interstitijs, & nullo modo id possunt Episcopi. Ratio est, quia hi prælati habent jurisdictionem quasi Episcopalé in regulares suos & in eos nullam habent jurisdictionem Episcopi, cum exempti sint.

1506. Hæc tertia resolutio caret omninò difficultate in Societate Jesu. Nam Gregor. 13. anno 1571. concessit Bullam Societati, ut omnes præsentati a generali, vel illius delegato, possint ordinari non servatis interstitijs & extra tépora: & assignavit causam, nempe Societatem esse ad discurrendum per quascunque mundi plagas ad fructificandum in venea Domini: & prohibet communicationem hujus privilegij ijs, qui sua privilegia cum Societate participant, & parti-

participare possunt.

Noster Generalis (inquit Sanches cit.) in compen. privilegiorum *V. ordines* num.3. dicit quod hæc facultas communicatur omnibus Provincialibus, excepta facultate *extra tempora*, quæ in Europa reservatur Generali. Non indigent religiosi Societatis alia causa. Quia ipsi a suis superioribus præsentatur, & Pontifex immediatè dispensat ob causam quam assignavit. Vide de hoc latè Palaum tr.27.part.13.a num.10.

Causa ad dispensandum in interstitijs.

2. Difficultas est, utrum ad dispensandum in interstitijs exigatur causa? Certum est 1. (inquit Sanches dub.55.) requiri causam, ut Episcopus dispenset in interstitijs requisitis inter postremum ordinem minorem & subdiaconatum. Quia *Tridentinum sess.23.cap.11.de refor.* dicit quod intercedat annus inter hos ordines, nisi Ecclesiæ necessitas aut utilitas judicio Episcopi aliud poscat. Certum est 2. requiri causam, ut Episcopus dispenset interstitijs judicat Episcopus dispenset interstitij inter diaconatum & sacerdotium. Quia Tridentinum sess.23.cap.14. dicit, ut intercedat annus, nisi ob Ecclesiæ necessitatem aut utilitatē aliud Episcopo videbitur necessitas & utilitas, maior causa in his, quam in illis requiritur.

Tunc erit Ecclesiæ utilitas, quando sunt pauci ministri idonei, quos habent; tunc erit necessitas, quando nulli sunt, sive idonei, sive non idonei. Quod humano modo intelligitur. Quanvis enim Ecclesia actualiter ministris non indigeat, erit causa dispensationionis, si Episcopus judicet prudenter fore ut accidant casus, in quibus indigeat, v.g. si detur absentia, vel morbus ministrorum. Aliqui dicunt esse justam studiorū causam, quando promovendus studijs incumbit.

Arbitriū boni viri ad causā.

1507. An postuletur causa ad dispensandum in interstitijs requisitis inter unum ordinem minorem & alterum minorem, item inter subdiaconatum & diaconatum? Benè respondet affirmativé citatus Sanches. Quia licét Tridentinū in utroque casu dicat (nisi aliud Episcopo videatur) tamen hæc verba non designant libetam voluntatem, sed arbitrium boni viri, & sic ratione regulatum, atque adeo petunt causā. Quænam verba indicent liberam voluntatē, & quæ arbitriū boni viri, Sanches hoc loco laté explicat.

Appellatio a nolēte dispensare.

Quando proprius Episcopus dispensat cum subdito in interstitijs, & remittit ad alium Episcopum ut ordinetur, non tenetur ordinans examinare causam. Quid si Episcopus nolit dispensare data causa justa: poteritne appellari ad suum Archiepiscopum? Respondeo negativé. Quia quando canon concedit judici facultatem dispēsādi, si nolit dispensare, locus appellationi nō est.

3. Difficultas est, an eadem causa necessitatis & utilitatis requiratur ad dispensandum in interstitijs inter ordinem minorem & alium minorem & inter subdiaconatū, & diaconatū ac requiritur inter ultimū ordinē minorē & subdiaconatū, & inter diaconatum & sacerdotium? Negativa sententia vera est apud Sanch. dub.56. Patet, quia minor causa requiritur ad dispensandū in prioribus interstitijs, quam in posterioribus: ratio diversificatis est, quia quando trāsitur ab ordinē minori ad subdiaconatum, recipitur novus status: quando a diaconatu ab sacerdotium, recipitur perfectissima potestas. Unde quanvis ad dispensandum in illis sufficiet quæcunque, præsertim quia Tridentinum nullam exprimit.

Pœna in non servātes interstitia.

1508. Quid de pœna imposita promotis, vel promoventibus extra tempora, vel non servantis interstitijs? Bené ex Suar de cens. d.31. sect.1. num.41. & alijs resolvit Palaus de ord. part.13. num.14. ob non servata interstitia præcisè nullam incurri pœnam: si autem quis absque Pontificis dispensatione duplicem ordinem sacrum recepit eadé die a promovente inscio, manet suspensus ab illorum executione. *Capit. litteras, de tempor. ordin.* quia tunc ordinem furtive suscepit. Quid si promovens conscius fuit? Dubius hæret Suar.d.31.sect.1. num.41. Qui omisso inferiori ordine ad superiorem ascendit, & sic ordinatur per saltum incurrit suspensionem, ex *Cap. solicitudo 52. dist. & unico de clerico per saltum promoto.* Qui se tacit promoveri extra tempora sine privilegio, incurrit suspensionem latam a Pio 2. *in Extr. cx sacrorum.*

Ordinatus furtive & per saltum.

Locus ordinationis.

Explicato tempore ordinationum, sequitur explicare locum. Jam supra numer. 1472 exposuimus locum jurisdictionis. De loco veluti materiali ac decenti, ut ordines conferantur, sic decernit Tridentinum sess.23.càp.8. *Ordinationes sacrorum ordinum statutis a jure temporibus, ac in cathedrali Ecclesia, vocatis, præsentibusq; ad id Ecclesiæ canonicis, publicè celebrentur. Si autem in alio diœcesis loco, præsente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur.* Ad quæ verba potest dubitari, an obligent sub gravi culpa? Meritò negant Henriq.lib.10.cap.11.§.8 Villalob. diff. 13. num.7. & Barb.de pot.Epist.alleg.11.numer.20 Quia in Tridenr.citato nullum verbum est, ex quo præceptum arguatur. Unde solent Episcopi (ut testatur Palaus part.13.num.9.) celebrare ordines non solum in Ecclesia, sed etiam in capella speciali & privata domus alicujus.

SECTIO IV.

De sacramento extremæ Unctionis

QUÆSTIO I.

Quænam sit in hoc sacramento ratio nominis, institutionis, ac natura?

Extrema unctionis ratio & institutio

1509. HOC sacramentū, ut passim notant Theologi, ideo extrema unctio appellatur, quia inter omnia sacramenta est ultimum quoad fidelibus in extremo vitæ discrimine constitutis impenditur. Quare dari in Ecclesia sacramentū verum, quod vocatur *extrema unctio*, de fide est, ut declarat Tridentin. sess. 14. & sumitur ex illo Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, & si in peccatis*

catis est, dimittentur ei. Quibus verbis (inquit Tridentinum sess.14.cap.1. expressum est quidquid ad sacramentum postulatur.

Quod attinet ad institutionem sacramenti hujus, de fide est (inquit Suar. de sacr. disp.39.sect.2.) fuisse immediaté institutum a Christo Domino, ut definitur a Triden. citata sess.14.cap.1. his verbis: *Instituta est* (inquit) *sacra hac unctio infirmorum, tanquam vere & propriè sacramentum novi testamenti a Christo Domino nostro apud Marcum quidem capit.6. insinuatum per Iacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum* Convenientia institutionis (ut monet concilium) in hoc sita est, quod voluerit salvator suis fidelibus relinquere præsidium, quo in extremo vitæ cōflictu nequissimi hostis pugnantis tela infringerent.

Extrema unctio a quo & quando instituta

Maior est difficultas statuere quonam tempore Christus hujusmodi sacramentum instituerit. Constat apud Valent. tom.4.d.8.quæst.1.part.1. Sayrum lib.2. de sacr.cap.2.quæst.3.num.5. Layman.lib.5.sum.tract.8.cap.1.& Bonacinam disp.7.de sacr.unct.quæst.un.punt.1.prop.3. non fuisse institutum eo tempore quo Christus mittens Apostolos ad prædicandum, eis concessit virtuté curandi infirmos per unctionem. Quia Tridentinum loco citato aperté dicit tunc hoc sacramē tum fuisse insinuatum, ac proinde non institutū, sed solum quadam similitudine adumbratum, & figuratum.

Tempus Institutionis extremæ unctionis.

1510. Quo alio tempore fuerit institutum, incertum est. Mihi verisimilius, sicut & Suario disp.39.sect.2 num.5. Laymano citat.lib.5.sum. tract.8.cap.1.num.2. & Palao tract.26. part.1.n.5. fuisse institutum post resurrectionem, eo tempore quo Dominus pœnitentiæ sacramentum instituit Joan.20. cum enim sacra unctio, juxta concilium, sit sacramentum consummativum pœnitentiæ, expediens fuit, ut ejus institutio pœnitentiæ institutionem subsequeretur.

Natura unctionis.

Quænam sit extremæ unctionis sacramenti natura, cum jam ex causa ipsius efficiente & finali, quas exposuimus, incipiat innotescere, postea quam in sequentibus quæstionibus ejusdem formam & materiam ex quibus coalescit, ministrū a quo fit, effectum quem producit, subjectum in quo recipitur, & reliqua ad ipsum pertinentia exposuerimus omninò, perspicué innotescet. Ex quibus definitio illius apud Suarium cit. sect 4. bené jam aptatur in hunc modum: *Extrema unctio est sacramentum ex sacra unctione olei, & prece sacerdotis confectum, & ad salutem mentis & corporis ægrotantis baptizati divina institutione ordinatum.*

QUÆSTIO II.

Quænam sit extremæ unctionis materia & forma?

Oleum materia unctionis

Duplex hujus sacramenti est materia altera remota, altera proxima. Agemus statim de remota, postea acturi de proxima. Remotam materiam esse oleum olivarum, de fide est a Florentino definitum in decreto Eugenij. Nam Jacobus absoluté dixit *Ungentes eum oleo*; & sicut pro aqua (inquit Suar.d.40. sect. 1.) intelligitur elementaris, & pro pane triticeus, ita pro oleo intelligitur oleaginus.

Fuisse hanc materiam aptissimam ad hujus sacramenti effectus significandos, nempe spem certā divinæ misericordiæ, & pacem cum Deo, item molestiarum in ægritudine levamen, & roborationem infirmitatis, certum est.

Benedictio olei.

1511. Constat etiam inter fideles prædictum oleum debere esse ab Episcopo benedictum, saltem ex necessitate præcepti. Dubitatur an sit hoc de necessitate sacramenti? Negat Victoria in summa de sacram.quæst.217. cui sub dubio favet Cayetan.part.3.quæst.72.artic.3. dicens ex solo præcepto, & non ex sacramenti necessitate requiri illam benedictionem.

Affirmandum tamen omninò est talem benedictionem postulari ex necessitate sacramenti. Ita S. Thom. in 4. dist.22.quæst.1.art.2. S. Bonav. art.1. quæst.2. Valent. d.8.quæst.1. part.2. Suar. d. 40. sect.1.num.3. Bellar. disp.19. sub. 2.concl.2. & Bonacina de hoc sacram.disp.7. q. unica part.2.num.5. Ratio potissima est, quia utrunque concilium Florentinum, & Tridentinum declaravit materiam esse oleum ab Episcopo benedictum; concilia autem solent assignare ea quæ essentialia sunt.

Benedictio olei per sacerdotem.

Dubitatur 1. an oleum ex commissione Pontificis benedictum a sacerdote sufficiat? Affirmat Cayetan.2.2.quæst.72.art.3. Victor. de extrema unctio.num.216. Zambran. de extrema unct. c. 5.num.3. & Henriq.lib.3.cap.8.num.2. & hoc non improbabile credit Palaus part.2.n.3. Negandum tamen est cum Bellarm. de extrema unctione cap.7. Suar.d.40.sect.1.num.8. Laymano lib.4. sum.tract.8.cap.2.num.1. & multis quos citatos sequitur Barb.alleg.30.num.6. Ratio est (inquit Suar. citat.) quia Christus Dominus immediaté præscripsit oleum benedictum ab Episcopo, quanvis non præscripserit modum benedictionis sed Ecclesiæ commiserit. Unde (ut recté ait) nec Pontifex dispensare valet ut talis materia sit oleum ab Episcopo non benedictum: cum sufficiens materia sit oleum quomodocunque ab Episcopo benedictum, etiam si Episcopus utatur alia benedictione, quam Ecclesia non præscripsit. Forrasse tamen (addit num 9.) fieri potest ab Ecclesia, ut illa benedictio irrita sit, & ob hanc causam sola Ecclesiæ benedictio necessaria evadat.

Oleum simplex.

1512. Dubitatur 2. an hoc oleum esse debeat simplex? Olim mixtum ex balsamo oleum ab Ecclesia benedictum æqué deservisse pro sacramento Confirmationis & extremæ unctionis tradunt Henriq.lib.3.cap.8. num. 2. & Suar. d.40. sect.1. ad finem ex Innocentio 1. Epist ad Decentium: & hoc probabile est: longe tamē probabilius quod defendunt Sotus 4.dist.23. quæst. 1.artic.3.Valent.disp 8.quæst.1.part.2.& Laym. lib.5 sum.tr.8.cap. 2. scilicet oleum infirmorum semper fuisse simplex, & distinctum a Chrismate destinato ad sacramentum Confirmationis.

Illud

Illud notabis ex Suar. citato non esse contra substantiam materiæ unctionis, si oleo (quod propria authoritate fieri non licét) admisceatur balsamum, dummodo servetur natura olei, & non resultet aliquid ita condensatum, ut aliquid aliud dici possit.

Unctio materia proxima. Quod attinet ad meteriam proximam, cum hoc sacramentum, sicut baptismus & confirmatio, in usu consistat, habere debuit instar illorum pro materia proxima unctioné. Sumitur ex Jacobo cap. 5. *Ungentes eum oleo sancto.* & Tridentino sess. 14. cap. 1. ubi dicit unctionem aptissimé significare Spiritus Sancti gratiam. Hæc unctio sub forma crucis fieri debet: quia juxta August. tract. 118. in Joan. omnia sacramenta sub hac forma peraguntur. At quoad qualitatem unctionis certissimum est (inquit Suar. sect. 2.) non esse de essentia sacramenti ut fiat in figura Crucis. Addit nec videri de necessitate præcepti, saltem sub culpa gravi: & ex causa sine ullo peccato omitti posse.

Unctio in figura Crucis. Quid de quantitate, & corporis partibus, in quibus fieri debet? Docent ex Florentino Bellarmino de unctione cap. 10. Valent. tom. 4. d. 8. quæst. 1. part. 2. Suar. disp. 40. sect. 2. Tolet. lib. 7. cap. 3. Bellanus d. 1 , . dub. 3. num. 8. & Bonacina disp. 7. quæst. unic. part. 5. num. 28. numerari septem unctiones, quibus hoc sacramentum perficitur, scilicét in occulis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter adoratû in ore propter gustû, & locutioné, in manibus propter tactû, in pedibus propter gressû, in renibus propter delectationem ibi residentem.

Unctio quotuplex & quæ iter adhibenda. 1513. Notant 1. bené citati authores in qualibet ex dictis partibus sufficere quamlibet, etiam minimam unctionem, dummodo juxta communem usum vera unctio dici possit. Unde non requiritur absoluté in singulis sensibus duplex unctio, v. g. duorum oculorum, vel duarum aurium. Has omnes septem unctiones simul nec esse necessarias ad sacramentum, nec ex præcepto constat. Quia plerunque omittuntur duæ, nempe pedum & renum, præsertim in fœminis ob honestaté. Quinque aliæ, quibus quinque sensus inunguntur, vel sunt de necessitate sacramenti, quod communis, & tenenda sententia docet apud Palaum num. 6. vel saltem (quod omninò certum putamus) sunt de necessitate præcepti. Ordo quo fiunt, quanvis omnino servari debeat tamen ad sacramenti valorem non exigitur.

Unctio quando perfici nequit. Notant 2. sacramentum extremæ unctionis non esse incipiendum ministrari, si timeatur nô posse dictas quinque unctiones perfici, nisi in casu valde urgenti, scilicét cum ægrotus nullum aliud sacramentum recipere potest, & timetur moriturus, si omnes unctiones integré peragantur. Tunc enim (inquit Palaus part. 3. num. 7.) sub unius formæ prolatione, omnes virtualiter complectentur, quinque sensus in capite ægroti poterunt inungi.

Notant 3. quando infirmus careat oculis, vel auribus, vel manibus, ungendum esse in parte propinquiori. Quia sic reputatur moraliter unctus ea in parte, in qua viget potentia. Nec obstat quod infirmus nunquam vi illius sensus peccaverit, imó peccare potuerit, ut in surdis & cæcis a nativitate contingit. Quia forma reddit sensum conditionalem. Nam hæc (*Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum*) reddit hunc sensum. Indulgeat tibi Deus, si quid peccasti per visum. Accedit potuisse illum peccare quoad affectû licét quoad effectum non potuerit. *Cæci ac surdi ad unctionē.*

1514. Quod attinet ad legitimam hujus sacramenti formam, constat ex *Florentino in decreto Eugenij & Trident. sess.* 14. *cap.* 1. & perpetua Ecclesiæ traditione formam legitimam illius ita se habere: *Per istam sanctam unctionem, & suam pijssimā misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum &c.* Et sic repetitur in alijs sensibus. Constat insuper hujusmodi formam esse formaliter & essentialiter deprecativam, itaut deficiat a formali essentia, si solo verbo indicativo proferatur. Cujus nulla aptior potest assignari ratio quam Christi voluntas, quam ex verbis Jacobi S. Ecclesia deprehendit. *Forma extremæ unctionis*

Rogabis 1. an & quomodo spectet ad dictam formam invocatio Trinitatis? Respondeo cum d. 40. sec. 3. fine. Ægid. Bellano disp. 19. dub. 4. n. 5. Laymano lib. 5. sum. tr. 8. cap. 3. & Bonac. disp. 7 de sacr. quæst. unic. part. 3. num. 2. talem invocationem nec esse de sacramenti, nec de præcepti necessitate. Quia trinitatem esse invocandam neque in Concilijs, neque in rituali Romano cavetur. *Trinitatis invocatio.*

Rogabis 2. an sit necessarium explicare materiam remotam ex qua fit unctio, sicut in confirmatione explicatur, quando dicitur *Confirmo te chrismate*? Respondeo negativé cum Suario citat. disp. 40. sec. 3. Quia verba illa (*per hanc sacram unctionem*) non exprimunt oleum: nec in tota illa forma, quam legitimam esse diximus, apparet verbum, quo oleum exprimatur. *Materiæ explicatio.*

1515. Rogabis 3. an hæc forma: *Ungo te, ut Deus tibi remittat quidquid deliquisti per visû* sufficiat? Partem negantem tenet Bonacina disp. 3. num. 4. & probat, quia in ea verius Deum unctioni deprecatio non adjungitur. Affirmandum tamen est cum Suar. d. 40. sect. 2. num. 10. & Laymano citatus tract. 8. cap. 3. ad finem. Ratio est, quia licét committatur gravissimum peccatum in usu talis formæ, tum ob omissum ritum Ecclesiæ Romanæ tum ob dubium de valore sacramenti, tamen in actu exercitu videtur fieri sufficiens ad Deum deprecatio. *Deprecatio in forma unctionis.*

Rogabis 4. quænam verba in prædicta forma sint necessaria? Si loquamur de necessitate præcepti, constat esse necessaria omnia, ac proinde dicenda prout jacent in rituali Romano Nemini enim licet, authoritate propria ministrâdi sacramenti ordinem invertere. Si loquamur de necessitate valoris, ea verba solum necessaria sunt sine quibus unctio, & peccatorum remissio deprecativé significari non potest. *Verba necessaria in forma unctionis.*

Colligitur 1. necessaria esse ad valorem hæc

verba simul sumpta (*Per hanc sanctam unctionem*) sine quibus invalida foret unctio: secùs, si omittatur solum vox (*Sanctam*) nam hæc accidentalis est.

Colligitur 2. necessarium esse ad valorem, modum deprecativum, & non sufficere imperativum. Unde per modum imperativum non valeret hæc forma: *Per hanc sanctam unctionem remittatur tibi quidquid peccasti per visum.* Colligitur 3. necessaria esse ad valorem, hæc verba: *Indulgeat tibi dominus quidquid peccasti per visum*, & sic de verbis significantibus alios sensus. Quia essentiale est exprimere modo deprecativo remissionem peccatorum. Adde pertinere ad essentiam quod exprimantur organa sensuum, utpote peccatorũ radix & origo. Dubitatur de illis verbis (*& suam piissimam misericordiam*) an ipsorum expressio sit de necessitate sacramenti? Affirmant aliqui apud Palaum cit. part. 4. num. 4. Rectius tamen ex Suario d. 40. sect. 3. num. 13. Negant Bellanus d. 19. dub. 3. num. 15. & Bonac. disp. 7. de sacram. quæst. unic. part. 3. quia in alijs verbis videtur satis contineri pijssima Dei misericordia, cum non alia via, quam sua misericordia possit Deus remitere nostra peccata.

QUÆSTIO III.

Quisnam sit hujus sacramenti minister, & effectus?

1516. Examinabimus in hac quæstione causam efficientem hujus sacramenti simul & ipsius effectum. Causa efficiens idem valet atque minister qui sacramentũ efficit. Quæritur igitur an minister extremæ unctionis ita sit sacerdos, ut nullus alius esse possit? Videtur negandum ex Innocentio 1. *in Epist. ad Decentium* asserentem non solum presbyteris sed etiam omnibus Christianis licitum esse uti oleo sacro in sua & suorum necessitate ungendo: quasi Christiani omnes sicut in baptismo, ita in extrema unctione ministri sint.

Minister extremæ unctionis.

Nihilominus oppositum, nempe solũ sacerdotem, seu presbyterum & nullum alium esse hujus sacramenti ministrum, tamquam certum de fide rectè docent Bellarmin. lib. 1. de hoc sacr. cap. 9. & Suar. disp. 43. sect. 1. Sumitur ex Florētino in *decreto de Armenis* & Tridentino sess. 14. cap. 3. & can. 4. & apertè traditur a Jacobo 5. *Inducat presbyteros.* Ratio a priori est sola voluntas Christi: congruentia petitur ex effectu, qui est sanctificatio fidelium in extremo agone contra dæmones: talis enim sanctificatio vita est congruentiùs fieri per ministrum valde sanctificatum, qualis presbyter.

Presbyter minister unctionis.

Unde ad rationem dubitandi captam ex Innocentio 1. respondetur cum Jansenio in *cap. 6. Marci. & Maldonato.* Pontificem fuisse locutum non de usu activo, seu ministratione hujus sacramenti, sed de usu illius passivo & susceptione, quã affirmat licere cuilibet Christiano in necessitate constituto, dummodo vocetur presbyter qui ungat in tali necessitate.

1517. Rogabis 1. an quicunque sacerdo etiã excommunicatus, & degradatus, possit hoc sacramentum ministrare? Respondeo cum Suario disp. 43. sect. 1. & Bonac disp. 7. de sacram. quæst. unic. part. 4. num. 3. ex Florent. & Tridentin. citatis, posse validè, sed non licitè. Ratio prioris partis est, quia cum hoc sacramentum non exigat jurisdictionem ad sui valorem: non enim sicut pœnitentia exercetur per modum judicij, validè conficitur a sacerdote vel carente jurisdictione, vel habente illam impeditam.

Unctio ministratu validè sed illicite.

Ratio posterioris partis est, quia ad pastorem & parochum spectat suos subditos pascere spirituali sacramentorum cibo, ut notant Ægid. Bellanus disp. 19. dub. 8. num. 28. & Layman. tr. 8. cap 6. num. 1. Unde *Clem. 1. de privil.* excommunicatione Pontifici reservata ligantur regulares exēpti, qui hoc sacramentum ministrare præsumũt absque parochi licentia: clerici autem sæculares non ligantur: omnes tamen vel ab excommunicatione excusantur si ex parochi ratihabitione de futuro probabitione de futuro probabiliter præsumpta administrent. Quid si parochus non possit: vel nolit ungere, & etiam nolit dare licentiam sacerdoti ut ungat? Quid quilibet simplex sacerdos ex licentia Episcopi, vel Pontificis licitè poterit ungere, dummodo censura aliqua non sit impeditus. Vide citatos.

Parochi facultas ad unctionem.

Rogabis 2. an hoc sacramentum a multis sacerdotibus debeat simul & possit administrari? Injiciunt difficultatem verba Jacobi, *Infirmatur quis in vobis: inducat presbyteros.* nõ dixit presbyterum, sed presbyteros, in plurali multos: quasi multi ad fidelē unũ ungendũ requirantur. Rectè tamē Palaus part. 7. n. 6. exponit Jacobum, ut plurale pro singulari accipiat, juxta frequentem usum sacræ paginæ. Nam Matth. 27. *Et latrones improperabant ei.* cum ex Luca 23. unus tantum improperaret.

Sacerdotes multi ad unctionem.

1518. Est igitur apud Suarium disp. 43. sect. 2. certum de fide unum sufficere, cum sit ex cōmuni praxi Ecclesiæ, quæ errare non potest, & verba Jacobi reddant hunc sensum, inducatur unus ex presbyteris.

Presbyteri plures ad unctionem.

Quid si plures simul ungant? Si plures (inquit benè) ita concurrant, ut unus ungat, & alius formam proferat, nullum fiet sacramentum: sicut in baptismo: si unus abluat, & alius formam proferat.

Si autem plures sacerdotes ita concurrant, ut alius faciat aliquot unctiones cum formis proportionatis, alius vero reliquas, communis sententia & nobis placens est, posse hoc sacramentũ validè confici: & quidē licitè (addit Palaus. n. 7.) in casu necessitatis, qualis erit ex parte ministri, si deficiat, vel ex parte infirmi, si teneatur moriturus antequam perficiantur unctiones. Quid si duo sacerdotes simul ungant omnes sensus, v. g. alter unum oculum, & alter alium? Respondeo cum citatis esse illicitum, non tamen contra valorem sacramenti.

Quod attinet ad alteram partem quæstionis de effectu hujus sacramenti, constat esse duplicē absolutè, alterum primarium, alterum secundarium

rium. Primarius quanvis a S. Bonav. in 4. dist. 23.a.1.q.1.& Altisiod. ib.4. sum.c.de Extr.unct. q.1.dicatur gratia habitualis prout ex divina instituti one peccatorum venialium expultrix, tamẽ cõmunis & vera sententia est, quam tenẽt Valẽt, to.4.disp.8.q. 1.pun. 3.Suar.d.41. sec.1.Layman. lib.5.n.8. cap.5.n.2.& Bellanus disp.19.dub.5. a n. 16. primarium effectum esse gratiam, non utcumque, sed secum intransibiliter trahens auxilia & gratias prævenientes, quibus ægroti animus alleviatur, & firmatur tum ad concipiendam certam spem de divino auxilio, tum ad sustinenda morbi incõmoda, & dæmonis tentationes superandas. Sumitur ex Triden.citato.

Effectus unctionis secundarius. 1519 Effectus secundarijs est triplex Primus remissio tũ mortaliũ, tũ venialiũ, si forte illis gravetur ægrotus, & nõ ponat obicem. Vnde ministranda est Vnctio infirmo sensibus destituto, qui creditur attritus in mortali esse. Secundus est remissio pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, non quidem omnis, sed alicuius secundum eam mensuram quæ Dei bonitati, & Christi institutioni congruit. Tertius est sanitas corporis, si hæc saluti animæ expedierit. Vnde Suar.cit. sect. 4. affirmat temere dixisse Sotum non semper restitui sanitatem corporalem, etiam tunc, quando bono animæ expedit. Desumuntur hi omnes effectus ex Tridentino sess. 14.cap.2.in fine prout a citatis authoribus explicantur.

Unctionis effectus quando detur. Rogabis 1. quando hoc Sacramentum conferat suum effectum? Non est quæstio de gratia sacramentali, illa nempe quæ peculiaris est huic Sacramento, & importat prævenientes habituali annexas. Quia hæ ex Christi institutione, & divina ordinatione conceduntur eo tempore, quo ægrotus illis eget ad excitandam spem divinæ misericordiæ, ad perferenda incõmoda ægritudinis, & superandum diabolũ: acproinde certum tempus non habent. Quæstio est de effectu gratiæ habitualis, & remissionis peccati, quæ, si non obstet fictio, dari solet in eo instanti in quo recipitur Sacramentum.

Dubitatur, an hic effectus detur finita una unctione cum una forma, vel finitis pluribus, aut omnibus? Respondeo cum Suario disp.41. sec. 2.Bellano disp.19.dub.6.a n.21.& Bonacin.disp. 7.de sacr.q.un.p.6.n.2. in eo instanti quo verum est dicere perfectas esse sensuum unctiones sub suis formis, conferri primarium effectum, nempe gratiam illam habitualem remissivam peccati. Ratio est, quia justa superiùs dicta tunc perficitur sacramentum. Vnde Adrianus, Medina, & allij apud citatos authores, qui dicunt in singulis unctionibus perfici sacramentum essentialiter, quãvis ex omnibus integraliter coalescat, tenentur cohærenter asserere dari effectum gratiæ, qualibet finita unctione.

Obex in sacramento unctionis. 1520 Rogabis 2. an si hoc sacramentum non habuit suum illũ effectum ob indispositionem ægroti, illum habeat recedente tali indispositione, seu obice? Rectè Palaus cir. pun.5.n. 14: probabilissimam credit partem affirmantem, quã do durãte eadem infirmitate recessit indispositio, seu obex. Quia eadem infirmitate durãte unctio iterari non potest. At finita eadem infirmitate, valde dubitat: asserit tamen cum Suar.disp. 41. pié credendũ m, gratias illas prævenientes, si forte illarũ ægrotus capax sit, sublato obice, concedi.

QUÆSTIO IV.

Quodnam sit & qua iter se habeat extremæ unctionis subjectum?

Subjectũ extremæ unctionis TRibus expeditis difficultatibus, tota quæstio expeditur. 1. difficultas est, utrũ omnis & solus homo viator, baptizatus, & ratione utens possit hoc sacramentum recipere? Certum est. 1. Solũ hominẽ viatorẽ esse hujus Sacramenti capacẽ. Sacramẽta enim pro solis viatoribus fuere instituta a Christo Domino. Vnde cadaver extremæ unctionis omninò incapax est. Quid si dubitetur, an homo vivat, nec explorari possit sine manifesto periculo omittendi unctionẽ? Rectẽ ex Suar.d.42.sect.1. tradunt Layman lib. 5. tr.8.c.8.n.2.& Bonacina d.7.q.un. p. 5.n.9. tunc non absolutè, sed sub conditione saltem mente retenta ministrandam esse unctionem. Quia apposita tali conditione sacramenti irreverentia vitatur, & ægroti utilitati consulitur. *Cadaver ad unctionem*

Certum est 2. solum hominem, baptizatum & adultum capacem esse hujus sacramenti, dũmodo adultus rationis usum habeat, vel aliquando habuerit. Prioris certitudinis ratio est, quia baptismus vocatur janua ad reliqua sacramenta, inter quæ numeratur extrema unctio. Ratio posterioris, quia hoc sacramẽtum fuit institutũ ad remittenda peccata personalia non omninò remissa per pœnitentiam quasi hujus consummativum; atque adeo supponit ætatem adultam.

1521 Ex quibus sequitur nec infantes, nec perpetuó amentes esse unctionis capaces. Quæreres, an sit necessarius usus rationis actualis in suscipiente? Optime respondent Valent. d. 8. q. 2.num.vlt.Suar.d 42.sec.1.Bellanus disp.19.dub. 7.conc .1.& Layman lib.5. tr.8.c.4.n.2. quanvis sit consultissimum quòd extrema unctio quantum fieri possit, conferatur infirmis ratione utentibus, ut fructuosiùs suscipiant, sufficere tamen ad valorẽ, quòd homo aliquãdo rationis usum habens, peccare potuerit, & si non sit sui compos quando suscipit. *Ætas ad sacramentum unctionis.*

Circa positam resolutionem benè citati authores, quibus accedit Palaus p.6.notant.1.anteponendam esse reverentiam hujus sacramenti privatæ utilitati alicujus personæ. Unde administrandum non est furiosis cum periculo indecentiæ, vel immũnditiæ corporalis. Notãt 2. peccare graviter ministrum, qui hoc sacramẽtum confert habenti obicem, vg. illi qui postquam graviter peccavit, statim in amentiam incidit, nec ulla signa, saltem attritionis dedit. Si autem judicetur attritus, ungendus est, ut ex attrito fiat contritus. *Pueri & furiosi ad unctionẽ.*

In omnibus (addit Suar.d.42.sec.1. n.6) absolutè requiritur voluntas recipiendi hoc sacramentum sive formalis, sive interpretativa. Ut autem *Voluntas extremæ unctionis.*

autem susceptioni consentire censeantur, satis est quód aliqua signa cõtritionis ediderint, vel quòd præsumantur dispositi: hoc autem semper præsumendum est, quoties oppositum non constat.

1522 Notant 3. ministrandum esse hoc sacramentum pueris rationis usum habentibus, quales sunt cõmuniter septennes, proindeque improbandam esse consuetudinem, simul & opinionem Soti in 4. dist. 23. q. 1. a. 2. illud concedentẽ solis puberibus, & ad Eucharistiam aptis. Notat 4. ut conferatur hoc sacramentum non omninò postulari, quòd infirmus cõmiserit aliquod peccatum saltem veniale. Quia hoc sacramentum non est per se institutum ad peccata remittenda, sed remittenda, si forte extiterint; juxta illud Iacobi 5. *Si in peccatis est, dimittentur ei.* Vnde juxta Suar. citat. sec. 2. probabilius est B. Virginẽ recepisse extremam unctionem, tũ propter fructum, tũ propter exemplum.

Peccato ũ remissio per unctionem.

2. Difficultas est, utrũ & qualis corporis infirmitas postuletur in subjecto extremæ unctionis. Apud Henr. lib. 3. c. 11. n. 3. & Suar. d. 42. sect. 2. n. 9. certũ est capacem extremæ unctionis solũ esse illũ hominem, qui corpore infirmus est. Sumitur ex Iacobo 5. ubi pro solo infirmo jubet vocari præsbyteros. Et ex Trid. sess. 14. c. 3. dicente unctionem solis infirmis adhibendam esse.

Infirmitas ad unctionem.

Adde cũ citatis, & Palao p. 6. n. 11. non sufficere quamlibet infirmitatẽ, sed requiri illam: quæ medicorum judicio periculum vitæ inducat, sive talis infirmitas proveniat ex noxijs humoribus, sive ex naturæ debilitate, ut in senibus, siue ex illato vulnere, sive ex potato veneno. Illud observa non tam attendi debere morbum in se, quam in ordine ad infirmum, quem in gravi mortis periculo constituat. Semper tamen adesse debet in corpore infirmitas, ita ut non sufficiat sine infirmitate certum ac proximum mortis periculum, quale v. g. certum naufragium, mors violenta per suspensium, aut trucidationem. Vnde ex Suar. cit. bené concludit Palaus n. 10. si alijs ab infirmis, esto in discrimine vitæ constitutis unctio ministraretur, non solum esset gravissimum peccatum, sed ea ministratio nullius effectus esset. Quid in dubio negativo, an infirmitas sit periculosa & sufficiens? Chaveavilha cap. 5. q. 11. dicit ministrandam esse unctionem sub conditione. Rectiùs negat Layman tr. 8. c. 4. ad finem. Quia non est ministrandum sacramentum nisi detur saltem probabilitas de subjecti capacitate. Illud notabis ægrotum toties fieri capacẽ novæ unctionis quoties advenit morbus periculosus, vel de non periculoso in periculosum transit.

Morbus ad unctionem.

Unctionis repetitæ capacitas

1523 3. difficultas est, quæ partes corporis sint proximum subjectũ hujus sacramẽti? Cõstat (ut rectè docet Suar. disp. 42. sect. 3) hominem neque esse ungendum in toto corpore, neque in quibuslibet partibus ad libitum sacerdotis. Nam juxta institutionem extremæ unctionis & traditionem Ecclesiæ quinque partes determinatæ ungendæ sunt, nempe quinque organa sensuum; igitur tales unctiones sunt essentiales etiam ex parte subjecti, hoc discrimine inter tactum & alios sensus, quòd ille sit dispersus per omne corpus: atque adeo illius unctio fieri possit in qualibet parte, alij verò sensus habeant determinatas partes, quæ ungi debent.

Corporis partes ungendæ.

Ecclesia tamen decrevit ut unctio tactus fiat in manibus, quasi ibi perfectiùs residear. Si contingat (ut jam supra monuimus) deesse organa, vel etiam ambas manus, ungendi sunt illi situs corporis, in quibus organa esse solent, & partes viciniores manibus.

QUÆSTIO V.

Quænam præcepta, & ritus in administratione hujus sacramenti observari debeant?

TRia sunt expedienda, quibus expeditis, decisa manebit quæstio, & exacta totius hujus sectionis, & sacramenti tractatio. Expediendum est 1. an detur præceptum suscipiendi hoc sacramentum? Negativa sententia, quam ex S. Thoma in 4. dist. 23. a. 1. q. 3. & Suario disp. 42. sect. 1. defendunt cõmuniter recentiores, Ægidius Bellanus disp. 19. dub. 10. Layman tr. 8. c. 7. Bonacina d. 7. q. un. p. 5. & Palaus tr. 26. p. 8. n. 1. vera est. Probatur, quia neque ex natura ipsius sacramenti, quod quidem utilissimum est, non tamen necessarium simpliciter, neque ex ulla scriptura, vel Concilio apparet. Suadetur insuper, quia si daretur præceptum de suscipienda unctione, sicut datur de Pœnitentia, & Eucharistia, non omitteretur tempore interdicti, sicut non omittitur Pœnitentia, nec Eucharistia: at omittitur juxta *cap. Quod in te de pœn & remiss.*

Extremæ unctionis præceptũ.

1524 Ex accidenti (ut notant citati authores) poterit unctionis omissio lethalis esse 1. si omittatur ex contemptu, qui vix sine hæresi stare poterit. 2. si ex tali omissione sequatur grave scandalum, quod censebitur datum, quando rogatus infirmus an velit recipere S. unctionem, nulla adhibita causa absolutè respuat: secus si nolit modò, differens ad tempus cõmodius. 3. si conscius peccati mortalis nullum aliud recipere sacramentum possit. Quod accidet, si sacerdos paratus Unctionem conferre, Pœnitentiam ministrare nolit, aut nequeat.

Addo ex citatis, quanvis nec scandalum, nec peccati mortalis conscientia daretur in infirmo, peccati venialis reum fore, si absque justa causa hoc sacramentum omitteret. Quia imprudenter ageret in occasione tam periculosa omittendo remedium salutiferum, etiam adhibitis alijs minùs efficacibus.

Dispositio ad S. unctionẽ.

Quid de dispositione infirmi ad suscipiendam sacram unctionem? Infirmus tenetur ita disponi ad hoc sacramentum, ut non habeat conscientiam peccati mortalis, atque adeo existimans se esse contritum, seu in gratia. Patet, quia est sacramentum vivorum. An teneatur Viaticum priùs suscipere? Olim juxta textum in *Cap. Ab infirmis 26. q. 7.* post unctionem concedebatur Viaticum, tanquam reliquorum sacramentorum finem & perfectionem. Consuetudo tamen introduxit, ut Viaticum antecederet unctionẽ: idq; habetur

Viatici præ unctione.

habetur in Catechismo Romano [illegible] n.12. [illegible] vnctio [illegible] a S. [illegible] & confortatur [illegible] gradiantur.

1525 [illegible] n.8. [illegible] oranem ex [illegible] posse omitti, & quamvis nulla [illegible] letalem. Addit n.9. [illegible] peccatum mortale, ut suscipiat unctionem, non teneri præmittere confessionem ex vi ordinis sacramentorum, quamvis alium teneri possit, nempe quia homo in extremo mortis periculo tenetur confiteri lethalia nondum confessa. Nam id præmittendum quod maxime necessarium est. Addit tandem n.10. si post viaticum contingat infirmum peccare mortaliter, & [illegible] confiteri, non [illegible] vnctionem cum [illegible] & proposito confitendi.

Parochi obligatio ad vnctionem. Expediendum est 2. qualis & quotuplex [illegible] obligatio [illegible] hoc sacramentum. [illegible] disp. 44. sect. 2. conveniunt [illegible] Layman tr.8.c.7.n.3 [illegible] p.5. [illegible] 2. & alij recentiores solum [illegible] per se ex officio obligatum ministrare extremam vnctionem, adeo ut mortaliter peccet, si ita differat, ut infirmum exponat periculo decedendi absque unctione. Nam parochus tenetur suis subditis providere remedia non solum necessaria, sed valde utilia a Christo instituta præcipue rogatus.

Sacerdos simplex & Episcopus ad vnctionem. Nomen (parochus) non excludit Episcopos: hi enim cum sint pastores, tenentur ex justitia, deficientibus parochis: excludit tamen omnes alios sacerdotes, qui nunquam ex justitia, quamvis ex charitate aliquando obligari possint. Nam simplex sacerdos absque licentia parochi quamvis valide, non tamen sine gravi peccato ungere potest. At nullo modo peccabit, si ungat urgente necessitate, quando parochus abest, etiam si tunc censeatur invitus.

Qualiter tunc obligetur sacerdos simplex ex charitate, recte exponit Pal. tr.26. p.8.n.6. si desit (inquit) parochus, vel nolit ministrare, distinguendum est. Nam si ægrotus nullum aliud suscepit sacramentum, neque illi ministrari potest, tenetur sub mortali vnctionem conferre, ne forte ex defectu vnctionis proximus in æternum pereat. Verum si alia sacramenta suscepit, non videtur sub mortali teneri ad ungendum, cum non præsumatur gravis necessitas: tenebitur tamen sub veniali ne proximus absque causa tam utili ad salutem remedio privetur.

Pœna parochi non ungentis. 1526 Quid de pœna vel parochi culpabiliter omittentis ungere, vel simpliciter [illegible] [illegible] parochi [illegible] [illegible] parochum nullam incurrere pœnam [illegible] Episcopi arbitrio [illegible] dicunt de simplici sacerdote qui absque licentia parochi [illegible] ministrat [illegible] Nam religiosus incurrit excommunicationem [illegible]

per [illegible] Secus in extremo [illegible] quando parochus abest [illegible]

Dispositio ad suscipiendum. Quid de dispositione vel ministri ungentis, vel infirmi [illegible] & Palaus n.2. & [illegible] Suarez sect. 2. n.5. & 7. [illegible] esse in gratia [illegible] continuantem. Nam [illegible] est a [illegible] neque ex [illegible] valide [illegible] Suar. n.5. [illegible] necessitatem [illegible] tempore [illegible] divina gratia [illegible] posse. Deinde cum hoc sacramentum sit vivorum [illegible] suscipiens, se in gratia vivum reputare debet. Si autem cognoscat esse in peccato, & bona fide unctionem suscipiat, peccati remissionem habebit.

Ex Excommunicatus ministrans [illegible] Sacerdos insuper debet esse liber ab excommunicatione, aliave censura, quæ privat a ministratione sacramentorum. Si enim denunciatus non [illegible] excommunicatus, potest rogatus [illegible] hoc conferre, illud [illegible] Si autem denunciatus sit, credit Suar. d.44. [illegible] n. 5. nunquam posse ministrare etiam si [illegible] absque [illegible] decedat. Quia [illegible] non est, sed [illegible] Ego [illegible] Palao num. [illegible] posse ministrare [illegible] alius adsit qui velit, vel possit. Quia alia [illegible] in grave detrimentum [illegible] dispensationem [illegible] decedat [illegible]

Ritus servandus. 1527 [illegible] (ut docet Suar. n. 7) cum tenetur [illegible] ritum in ipsa [illegible] servare [illegible] substantiales quam accidentales, vel ab Ecclesia præscriptos, vel consuetudine [illegible] Constat ex dictis de [illegible] Si urgeat necessitas, omitti possunt [illegible] postea suppleantur. Nunquam tamen licebit [illegible] Vide de hoc [illegible] Palaum a n. 4.

Parochus unctionem [illegible]. Expediendum est 3. an, & qualiter [illegible] hoc sacramentum [illegible] Suar. sect. 44. [illegible] obligatio [illegible] nisi [illegible] sacramentum in dicto eventu [illegible] tempore necessitatis, v. g. [illegible] ferat [illegible] [illegible]

Parochi obligatio [illegible] [illegible] Sententiam [illegible] posse [illegible] peccatis [illegible] non per vicarium [illegible]

2 Resolutio [illegible] per

[illegible] le

se loquendo tenetur ministrare sacramentum [illegible] etiã cũ pe [illegible] vitæ, [illegible] vitari nequeat. Ratio est, quia [illegible] æterna alterius anteponi debet vitæ temporali propriæ: & moraliter loquendo necessarium [illegible], ut nemo sine sacramento confessionis [illegible]. Ita Suar.n.13. Excusatur tamen [illegible] 5) si moraliter pro certo habeat [illegible] hoc conscientia peccati mortalis, & [illegible] dispositum ad mortem, & alioquin periculum vitæ corporalis audita confessionem [illegible] sit moraliter evidens: præsertim si esset [illegible], & eo moriente, non esset facilis spes posse provideri populo de pastore.

Sacramenta quæ ministranda sunt a parocho tempore pestis.

1528 3. Resolutio. Parochus absolutè tenetur ministrare viaticum infirmis tempore pestis cum [illegible] periculo contagij. Ratio est, quia in hoc sacramento est quædam moralis necessitas ut [illegible] recipiat auxilia, & perseveret in justitia per [illegible]. Cum vero [illegible] nec [illegible] viaticum [illegible], potest [illegible] si ad audiendas [illegible] confessiones necesse sit alios sive [illegible].

Vnde [illegible] [illegible] tempore pestis.

4. Resolutio. Parochus tenetur ministrare extremam unctionem tempore pestis [illegible] periculum vitæ, quod per remedia [illegible] peritorum medicorum adhibenda vitari possit. Ratio desumitur tum ex parochi [illegible], tum ex magna hujus sacramenti utilitate. Cum vero per alia sacramenta sufficienter necessitati subditorum occurratur, si nullis medicamentis, ad quæ adhibenda tenentur, periculum vitæ temporalis vitari nequeat, parochi ab unctione ministranda excusabuntur.

TRACTATUS XXXXIII.

De Sponsalibus.

SECTIO I.

De natura sponsalium.

QUÆSTIO I.

Quomodo definiantur spõsalia & qualem promissionem exigant?

Sponsalia quid.

SPonsalia denominantur à verbo [illegible] spondeo, quod idem valet atque sponte promittere. Apud theologos & jurisprudentes [illegible] usurpantur [illegible] dupliciter. 1. Lato [illegible] pro matrimonio [illegible] consummatum [illegible] appellatur sponsa [illegible] per verba de præsenti, nondum cognita. *Cap [illegible] cap. quod sponsalia 27. q.2.* quia & si jam conjugata [illegible], adhuc tenetur promissa respectu [illegible]. 2. Strictè pro futuri matrimonij promissione. *Cap. Nos [illegible] 30. q. 5.*

Sponsalium definitio.

[illegible] secunda acceptione, quæ propriissima est, Nicolaus Pontifex cap. proximè citato sponsalia sic definit: *Sunt futurarum nuptiarum promissio.* Hæc definitio vera & tenenda omnino est, sed a Valent. disp. 10. general. q.2. p.1. & Toleto lib. 7. [illegible] c. 2. [illegible] in hunc modum. *Sponsalia sunt [illegible] promissio futuri matrimonij [illegible]*.

[illegible] sponsalitia.

1529 Hac [illegible] parte [illegible] ex [illegible] qualem sponsalia promissionem [illegible]. Sed [illegible] de futuro, [illegible] & [illegible] [illegible] [illegible], [illegible]. Si igitur [illegible], vel matrimonium [illegible] sponsalia contracta [illegible], & sponsi quidem [illegible] ante consummatum [illegible] si est [illegible] ferens, veniunt qui contraxerunt per verba de præsenti, sive consumarent, sive non: [illegible] non veniunt sponsi de futuro. Si est favorabilis, veniunt etiam sponsus & sponsa de futuro. Ita Sãch. de mat. lib. 1. d. 1.

[illegible]

Colligitur 1. Quando statutum est ut uxore absque liberis decedente, vir partem dotis lucretur, si sponsa de præsenti nondum cognita obeat, virum eam dotis partem minime lucrari. Est enim materia odiosa, cum sponsa sine causa eam dotis partem amittat. Colligitur 2. percussorem clerici turpiter inventi cum sponsa de præsenti sive jam cognita, sive nõ, nec incurrere excommunicationem, nec proinde compellendum ire ad Pontificem, secus si sponsa de futuro sit.

Sponsi [illegible].

Prænotandum est 2. cũ Sãch. lib. 1. disp. 2. sponsum vel sponsam de futuro fornicantes cum altero non committere adulterium. Nam adulterium, ut definit Gelasius Pontifex, *est alieni tori violatio*: sponsis autem de futuro non conceditur torus. Dubium est, an committant peccatum cũ circumstantia necessario fatend ? Quidam negant. Quidam valde probabiliter affirmant. Distinguendum cum Sanct. citato inter sponsum & sponsam, ita ut si committatur fornicatio ab sponso, nec ipse, nec fœmina complex teneantur explicare circumstantiam ullam: si autem cõmittatur ab sponsa, ipsa & vir complex teneantur, ob specialem deformitatem.

[illegible]

1530 Ex quibus rectè infert num. 8. filios conceptos ex fornicatione cum sponsa de futuro adulterinos non esse. Sitne [illegible]? Bene respondet esse [illegible] tempore concepti [illegible] potuerunt [illegible] cum [illegible] valide contrahere [illegible].

[illegible]

Hoc posito [illegible] pollicemur [illegible] de quantum [illegible] requisita ad sponsalia, [illegible] 1. non sufficere promissionem [illegible]

nem indeliberatam, qualis fit in somno, furore, amentia, & ebrietate. Quia talis promissio actus humanus non est. Constat secundo. Non sufficere promissionem meré internam, sive Deo, sive homini factam, Deo pariat veram obligationem voti, diximus tract.31. sect.1. Constat.3. requiri ad sponsalia quidquid postulatur ad propriam ac veram promissionem homini factam, de qua egimus tract.14.

Acceptatio & repromissio in sponsalibus. Dubium est 1. an promissio futuri matrimonij, ut constituat sponsalia, requirat non solum acceptationem, sed etiam repromissionem? Respondeo affirmativé cum Sanch.lib.1.d. 5.n. 14. Quòd requirat acceptationem, patet: quia omnis simplex promissio ante acceptationem non obligat, imò revocari potest antequam acceptetur. Quòd postulet repromissionem, constat ex definitione sponsalium, quæ definiuntur mutua promissio: hæc autem sine repromissione dari nequit. Accedit sponsalia habere rationem contractus ultro citroque obligatorij, qui proinde non perficitur donec utraq; pars se obliget, & ante perfectionem illius potest alteruter resipiscere. Quid si tunc alter post acceptationem diu distulerit repromissionem, & matrimonium, manebit liber qui promisit? Recté affirmat Sanch.citat.n. 13. Nam tunc censetur acceptans contemnere & remittere, cum diu differat repromissioné, quâ promissio matrimonij ex se postulat.

Repromissio tacita. 1531 Dubium est 2. an censeatur repromissio ad sponsalia sufficiens, quando alter veré non repromisit expressé, sed acceptavit promissionem dicendo placet, vel accepto, vel gratias tibi ago pro hoc beneficio? Hanc difficultatem laté discutit Sanch.disp.5. n.5. & quamvis dicat affirmativam partem probabilitate non carere, recté tamen sequitur negativam tanquam veriorem. Patet, quia ibi non apparet signum repromissionis. Nam acceptans potest illam promissionem acceptare solum ut sibi favorabilem, nempe ut promitens solum ipsi obligetur. In dubio autem obligatio non præsumitur.

Dubium est 3. an dato quòd illa simplex acceptatio non fuerit repromissio sufficiens ad sponsalia, is qui fidem dedit, obligetur sub mortali ad matrimonium, altero minimé obligato? Negant Sotus in 4. dist 29. q.2.a. 2. Franc. Garcia de contr. 1.p. cap. 3. & Henriq. lib. 11. de matr. cap.13.n. 2. Probant, quia ex promissione simplici solum oritur obligatio ex fidelitate vel veracitate: hæc autem virtus solum obligat sub levi culpa.

Promissio matrimonij simplex. Affirmandum tamen est cum Navarro lib. 2. de rest. c. 2. n. 7. Vasq. de matr. disp. 5. n. 13. Ponze lib. 12. cap. 4. Palaus disp. 1. de spons. p. 2. n. 14. & cum multis Sanch. cit. n. 20. Ratio est quia juxta textum in *cap. 1. & cap. qualiter de pactis* ex promissione simplici acceptata conceditur promissario jus exigendi quod sibi promissum est; at ex sola justitia, & non ex liberalitate, vel fidelitate jus rigorosum nascitur. Notat tamen Palaus n. 14. hoc procedere spectata natura promissionis. Nam si promittens se intendat solum obligare ex honestate liberalitatis, vel fidelitatis, non tenebitur graviter.

Sponsalia clandestina. 1532 Dubium est 4. an mutua promissio matrimonij, si fiat clandestiné sufficiat ad rigorosa sponsalia? Negant Matien.in rubr. tit. 1. glos. 1. numero 45. Abornos de arte contractus libr. 4. tit.1. Joan.de Segura in direct.2.p.cap. 15.num. 6. Probant, quia sponsalia sunt in ordine ad matrimonium: sed hoc fieri clandestiné prohibetur a Trinden. *sess.* 24. *& refor matr.cap.* 1. ergo & sponsalia. Affirmandum tamen est cum Gutierr. de juram.confirm. 1.cap.51. Bellan.disp.2. dub. 2.concl.6.Sanch.lib.1.d.13. & Basilio Ponze lib. 12, c. 5.n. 6. asserentibus nullam publicationem vel solemnitatem requiri ad validam & licitam promissionem sponsalium. Patet, quia hujusmodi promissio clandestiné facta nec naturali, nec positivo jure invalida, vel illicita est.

Promissio ficta ad sponsalia. Dubium est 5. an promissio matrimonij semper debeat esse vera, itaut non sufficiat ficta & simulata ad sponsalia? Promissio simulata tripliciter potest evenire. 1. si promittens careat animo implendi. 2. si nolit ea promissione aliquam sibi obligationem imponere. 3. si nolit promittere, sed solum fingere promissionem. Constat 1. defectum animi ad implendum non excusare ab obligatione. Constat 2. implicare velle promissionem, & simul nolle promissionis obligationem: cum hæc necessarió illam consequatur.

Obligatio promissionis fictæ. Circa tertium dubitatur, an qui puellæ matrimonium promisit verbo tenus, absque animo promittendi, & se obligandi, maneat obligatus? Affirmant Gutierr.lib.3.canon qq.de matr.cap.9. Vasq.d.6.de matr.c.3.n.27. & Basil. lib. 12. c. 2. Probant, quia licet quis promissionem simulet, tamen offerens fidem de matrimonio solis verbis ad illud obligatur, cum obligetur conformare intentioné verbis.

Fictus promissor deflorans. 1533 Negandum tamen est cum Laymano lib.5.tr 10.p.1.cap.1.n.10.Bellano disp.21. dub. 2.conc.1.Lessio de just.cap.18.dub.1.n.5.& multis alijs, quos refert & sequitur Sanch.lib.1.matr. d.9.n.2. Patet, quia sicut lex ad obligandú pendet a voluntate legislatoris intendentis obligare subditos, ita promissio pendet a voluntate promittentis intendentis obligare se ipsum. Igitur sicut lex non obligat nisi velit legislator, ita promissio non obligat, nisi velit promissor.

Maior est difficultas, an ficté promittens matrimonium, & sub ea spe deflorans Virginem teneatur eam ducere? Constat, si Virgo non percepit deceptionem, teneri defloratorem reparare omne damnum, utpote illatum contra justitiam. Quæritur an teneatur reparare per matrimoniú, quod ficte promisit? Negât Martin.Perez disp.1. sect.3.n.2.& Joan.Præpositus in 3. partem q.9. de sponsal.dub. 4.n.46. Probant, quia fictus ille promissor non tenetur ad tale matrimonium ratione promissionis cum hæc nulla fuerit: non ratione damni illati, cum hoc aliter possit compensari quàm per matrimonium, (verbi gratia)

augmēto dotis, ut patet in ea quæ per vim cognita fuit; ergo eam ducere non tenetur.

Affirmandum tamen est cum Vasq.disp.6. de matr.cap.4.Lessio lib.2.just.cap.10.dub.3.Molina tr.3.disp.106.n.4. Sanch.lib.2.Matr.disp.10. n.3.Basilio Ponze lib.12.cap.2.ad finem.Palao tr.28.disp.1.pun.2.n.3.Mercero in 3.part.de sacram.q.43.dub.1. & Ochagavia tr.1.de Matr.q. 6.n.5. Probatur, quia justitia cōmutativa non tantum petit reddi æquale, sed ut idemmet reddatur ex justitia debitum: v.g. si equum furatus es, nulla data pecunia satisfacies, equo retento: unum enim pro alio invito creditore, solvi non potest: at qui ille promissor in tali cōtractu oneroso tenebatur habere consensum; ergo cum possit restituere habendo eundem consensum, tenetur ad id quód promisit.

Deceptio Virginis deflorata.

1534 Addit Sanhc.cit.n.4. hoc verum esse, etiam si virgo non repromiserit, sed solum innitens promissioni corpus tradidit. Tamen positam resolutionem limitat 1. nisi vir notabiliter excedat: tūc enim fæmina disparitatis cōscia debuit scire matrimoniū sibi fictè promissum. Disparitas vel genere, vel divitijs esse debet: nō verò tāta, quāta inter filiam agricolæ & filiū Comitis datur: minor enim sufficit, & qualis prudentis arbitrio satis est, ut se decipi fæmina credere debuerit.

Limitat 2. nisi fæmina ex verbis & alijs claris conjecturis facile poterat fallacem animum promittentis agnoscere. Limitat 3. nisi ex eo matrimonio scandalum magnū timeatur. Tunc enim satis erit pecunia damnū illatum resarcire. Limitat 4. nisi ex matrimonio probabiliter malus exitus timeatur. Limitat 5. nisi eam, quam existimabat Virginem, comperiat non fuisse. Tunc enim non tenetur eam ducere, etiam si postquā detectum virginitatis novit, carnaliter cognoscat.

Promissio jurata.

Dubium est 6. Utrum promissio matrimonij juramento stabilita obliget, veraque sponsalia constituat, quando adest animus jurandi, & expressus non se obligandi? Benè negat Sanch. lib. 1. disp. 9.n.9. Ratio est, quia obligatio ibi solum proveniret ex libera voluntate hominis sibi legē imponentis: at talis lex stare nequit cum animo nolenti, & respuenti obligationem. Ex quo sequitur a fortiori nullam dari obligationem, si desit animus jurandi.

Promissio dubia in sponsalibus.

1535 Dubium est 7. Utrum dubius num sponsalia contraxerit, vel animum se obligandi habuerit, teneatur? Bene Sanches disp.9.n.11. respondet 1. si adhibita sufficienti diligentia, adhuc quis manet dubius, an matrimonium promiserit, non tenetur. & idem est, si dubitat de voto a se emisso. Patet, quia in dubio melior est conditio possidentis: & in hoc dubio possessio penes libertatem est. Respondet. 2. Quando quis est certus de promissione matrimonij, aut voto: dubitat autem de animo se obligandi, vel an sciret obligare, tenetur. Ratio est, quia verba exterius prolata sunt naturaliter signa intentionis: & nullus præsumitur dicere quod in corde non habet: atq; adeo tunc præsumptio stat pro valore actus.

Promissio circa determinata personam.

Dubium est 8. An promissio in sponsalibus ferri debeat circa determinatam personam? Hanc quæstionem secundùm antiquum & novum jus latè discutiunt Sanch.lib.1.disp. 26 Ægid.Belan. disp.21.dub.2.concl.4. & Basilius Ponze lib.12.c. 5. n. 5. ex quorum doctrina rectè Palaus tr. 38. disp. 1. p. 2. n. 7. tenet affirmativam sententiam. Ratio est, quia sponsalia sunt in ordine ad matrimonium, cum veró hoc nequeat contrahi cum fæmina indeterminata, sic nec promissiò matrimonij in sponsalibus ad indeterminatam fæminam dirigi potest. Unde cōsistere nequit obligatio, nisi ad contrahendum cum determinata persona.

Igitur rectè infert Palaus cit. n.7. si promittas cum una ex filiabus Petri matrimonium contrahere. ipsæ que tibi repromittant, ex hac promissione sponsalia non consurgunt: quia non manes obligatus unam potius quàm aliam eligere: sed sunt sponsalia conditionata, quæ pendent a tua electione, tanquam a conditione. Quid si promittas unam ex illis ducere, & postea aliquam ex illis carnaliter cognoscas? Hæc sponsalia conditionata transire in absoluta affirmat Bonac. de sponsal.q.1. p. 3.n. 2.cum Rebel. Ægid. & alijs. Quia præsumitur habere animum eligēdi illam, quam cognovit carnaliter: siquidem per copulam contraxit affinitatem cum alijs sororibus, ita ut unam illarum ducere nequeat.

Negat Sanch.lib. 1.disp.26. n.12. Quia hodie post Tridentinū prohibens matrimonia clandestina, non potest præsumi quòd illa copula habeatur affectu conjugali, sed merè fornicatio. Prior opinio mihi videtur probabilis: sed hæc posterior probabilior, & securior.

QUÆSTIO II.

Quæ acceptatio postuletur in sponsalibus?

Promissionis acceptatio ad obligationem.

1536 Expedita duplici difficultate quæstio evadet expedita & decisa. Prior difficultas est, Utrum ad valorem promissionis in sponsalibus requiratur omninò acceptatio promissarij, seu illius cui promittitur? Negant Tabiena q.3.n.4. Armilla v. sponsalia n.3.& S. Antonin.3.p.tit.1.cap.18. Probant, quia nec jure naturali, nec jure positivo necessaria est acceptatio, ut promittens contrahat obligationem: non jure naturali, quia seclusa acceptatione promittens tenetur implere promissum, ut fidelis existat, & suis verbis facta conformet: hoc enim valde cōsonum rationi est: non jure Canonico, cui standū est in matrimonialibus. *in cap. Veniens, qui clerici, vel voventes* promissio facta absenti decernitur valida, cum tamen ibidem nulla acceptationis mētio fiat.

Acceptatio promissionis

Nihilominus affirmandū est in sponsalibus ita requiri acceptationem promissionis, ut nullam firmitatem habeat promissio ante acceptationem proindeque ad libitum promittentis revocari possit Ita Vasq.disp.4.n.42. Bellanus disp.22.n. 39. Sanch.lib.1.Matr.disp.6.n.24. & Basilius Ponce lib.

lib. 12. Matr. cap. 4. Sumitur *ex l. 1. ff. de pactis, & s. in his Instit. de empt. & vend. l. 2 ff. de action. & obligat. & l. contractus c. de fide instrum.* in quibus statuitur obligationem ex nullo contractu posse oriri, nisi mutuus duorum consensus interveniat, atque adeo promissarius factam sibi promissionem libens acceptet.

1537 Confirmatur, quia si ex tali promissione ante ullá acceptationem daretur obligatio, hæc vel orietur ex justitia, vel ex fidelitate: non ex justitia, quia ut sic nasceretur ex jure translato in promissarium ignorantem & forte renuentem, quòd impossibile est: non ex fidelitate, quia hæc solum obligat promittentem exequi promissum, si promissarius velit: quæ volitio sine acceptatione stare nequit. Addunt Gutier. de matr. c. 6. n. 16. & Sanch. lib. 1. Matr. d. 7. a n. 24. resolutionem procedere, quanvis promissio firmetur juramento.

Acceptatio an sit repromissio.

Posterior difficultas est, qualis nam acceptatio sufficiat ad sponsalia? Cum supra n. 1500. diximus ad sponsalia omninò postulari repromissionem quæ promissioni correspondeat, proindeque mutuam promissionem, sensus difficultatis est, an eo ipso quòd fæmina acceptet promissionem viri de matrimonio ineundo, censeatur repromittere, & consequenter sponsalia celebrare? Afirmant Paludan. in 4. dist. 27. q 1. Vasq. disp. 4. c. 3. & Ponce lib. 12. cap. 4. n. 2. Probant, nam eo ipso quòd fæmina acceptat promissionem de matrimonio, vult matrimonium futurum per sponsalia præsentia, cum veró sponsalia stare nequeant sine repromissione, acceptans promissionem tacité & implicité repromittit.

Negandum tamen est cum Gutier. de matr. cap. 5. n. 1. Layman lib. 5. tr. 10. cap. 1. n. 2. & Sāch disp. 5. n. 12. estque resolutio cohærens ad eam quam præstitimus quæst. 1. dub. 2. Ratio est, quia sine repromissione potest stare acceptatio matrimonij, quod fæmina acceptet, non quidem ex suâ parte absoluté contrahendū, sed conditionaté, si ipsa voluerit. Solum autem daretur implicité repromissio cum acceptatione, quādo fæmina acceptaret promissū illud matrimonium ut absoluté futurum, proindeq; ineundum ex obligatione sponsalium.

QUÆSTIO III.

Quibus verbis & signis debeant contrahi sponsalia?

Verba pro contractu sponsalium.

Mutus & surdus ad matrimonium.

1538 CErtum est 1. ad cōtrahenda spōsalia, imò & matrimonium non postulari verba dearticulata proprié dicta; cum sufficiant nutus, & quæcunque signa internum consensum exteriùs significantia. Vnde qui mutus simul ac surdus a natura est potest contrahere sponsalia, si ita perspicacis ingenij sit, ut possit edoceri signis quid sit matrimonium, & signis indicare consensum. Ita Sanch. lib. 1. disp. 8. n. 12.

Certum est 2. nulla per jus exigi determinata verba ad contractum sponsalium: cum sufficiant voces (inquit Bellanus disp. 21. dub. 3. n. 23) ipsis tantum contrahentibus significativæ. Monet tamen Palaus tr. 18. disp. 1. pun. 4. n. 1. in foro externo standū non esse contrahentium intentioni, sed communi verborum usurpationi & intelligentiæ: ut habetur *cap. ex literis. 1. de sponsal.*

Taciturnitas ad sponsalia.

1. difficultas est, an taciturnitas sit aliquandò signum interioris consensus sufficiens ad sponsalia? Constat. 1. taciturnitatem præcisé acceptam non esse sufficiens signum consensus interioris: Quia juxta Menoch. de præsum. lib. 3. præs. 42. n. 4. indicat consensum in rebus manifeste utilibus, non tamen in ijs quæ præjudicabilia esse possunt, quale matrimonium.

Constat 2. quando parentes pro filijs præsentibus, tacentibus, & contractum intelligentibus sponsalia vel matrimonium contrahunt, valida esse ex legitimo consensu. Habetur expresse *cap. unico, §. final, de sponsal. impub. in 6.* Ratio est, quia parentes pro filijs præsentibus, tacentibus, & contractum intelligentibus, præsumuntur eis recté consulere, & ex præsentia ac taciturnitate filiorum præsumitur consensus.

1539 Dubium est 1. an cum parentes contrahunt pro filijs absentibus, vel ignorantibus, si postea fiant certiores facti, & non contradicant, eo ipso consentire censeantur? Negant Batrio, Cardinal. Joann. Andr. Henr. & alij quos referunt ac sequuntur Gutier. cap. 13. de matr. n. 11. & Sanch. lib. 1. matr. disp. 23. n. 17. Probant ex *cap. ultimo* proximé citato, ubi textus diversimodé loquitur de filijs præsentibus qui tacent, & de absentibus qui ignorant: nam ad validum præsentium consensum sufficit non contradicere, & ad consensum absentium requiritur ratum habere, quando sciverint, & hoc probabile est.

Absens ad sponsalia

Probabilius tamen existimo cum S. Thomā in 4. dist. 27. q. 2. a. 2. ad. 1. Soto q. 2 a 2. ad 1. Hēriq. lib. 11. cap. 13. n. 5. & Palao tr. 28. d. 1. p. 4. n. 14. eodem modo sentiendum esse de filio præsente, qui tacens non contradicit, ac de filio absente, qui postea sciens & nō cōtradicens, censetur ratū habere ut de utroque asseramus habere verum ac sufficientem consensum. Siquidem præsentis, non contradictio; & absentis ratificatio æqualiter se habent. Recté autem monet Bellan. disp. 21. dub. 3. n. 39. ut absentis taciturnitas cōsensum præstet, debere filium a parentibus per se, vel per nunciū, aut epistolam de contractu ab ipsis celebrato fieri certiorem: nec sufficere quód casu, vel ab alio tertio contractum agnoscat.

Contrahens pro alio.

Dubium est 2. an dicta de patribus loco filiorum spondentibus locum habeat, si quilibet tertius pro alio sponsalia celebret? Affirmant Henr. lib. 11. cap. 2. n. 6. Sotus in 4. dist. 27. q. 1 a. 3. Victoria in sum. n. 250. Ludov. Lopez 2. p. instr. cap. 39. & Petrus de Ledesma de matr. q 45. a. 2. dub. 3. Probant, quia in favorabilibus qui tacet consētire videtur, Reg. *Is qui tacet, de reg. juris in 6.* At contractus matrimonij favorabilis est.

Tacens in favorabilibus.

1540 Negandum tamen est cum Matien. lib. rec pil. Reb. glos. 1. n. 26. Covarr. 4. decr. 2. p. c. 4. init. n. 4. & Gregor. Lopez lege 10. c. v. nolas

puede

pãde tit.1.p.4.& alijs,quos citat.& sequitur Sãch.lib.1.de Matr.disp.23.n.7. Suadetur,quia cõtractus sponsalium, sicut & matrimonij, est valde personalis jure naturæ, proindeque sufficiens consensus ad illum,quando alij interveniunt,non facilé innotescit, nisi jus positivum declaret: declaravit autem in solis parentibus, quãdo pro suis filijs sponsalia celebrant, & non in alijs pro filijs alienis celebrantibus.

Tutor pro pupillo sponsalia contrahens. Ex quo recté infert Palaus tr.18.neque tutores, aut curatores pro suis pupilis aut minoribus contrahentes, neque fratrem pro sorore posse efficere sponsalia. Patet, quia hoc de solis parentibus jure positivo dispositum est: quód autem de uno per jus disponitur, non censetur dispositum de alio:præsertim quando ratio dispar est.

Signa ad contrahẽdum sponsalia. 2. Difficultas est quibusnam factis externis significativis interni cõsensus possint cõtrahi spõsalia? Cum ex dictis satis pateat ad sponsalia celebranda non requiri propria verba dearticulata,& ore prolata, sed sufficere quæcunque externa signa manifestativa interni consensus, recté docet Sanch.lib.1.Matr.disp.22.n.8.si cum ageretur de matrimonio,fœmina requisita sponte manum dedit ad fidem recipiendam, esse sponsalia. Quia id sufficiens repromissionis signum est.Idem(addit) si viro promittenti, dummodo corpus tradat,ipsa statim tradidit.

Annuli subarratis. 1541 Quid de subarratione annuli? Estne sufficiens sponsalium, aut matrimonij indicium? Breviter & bené ex citato Sanches respondet Palaus tr.18.pun.4.n.10,per se loquendo nec sponsalium,nec matrimonij signum esse: quia missio vel donatio annuli est quid indifferens ad turpem vel honestum amorem significandũ.Si tamen loci alicujus mos sit ut annuli cõcessio spõsalia, vel matrimonium significet, hæc contrahi intelligentur concessione illius. Eadem ex circunstantijs potest intelligi significatio.Vnde inter agentes de sponsalibus, si annulus porrigitur, & acceptatur,in signum futuri matrimonij porrigi & acceptari manifestũ est. Nec requiritur quód præcedat tractatus de matrimonio inter contracturos,sed sufficit si præcedat inter amicos,& vir illius conscius mittat ad fœminã consciam ejusdem arrhas, vel jocalia,ipsaq; acceptet. Quod si viri pater mittat annulũ fœminæ?Conveniunt citati, si misit ex consensu filij, esse sponsalia: secùs si absque illus consensu.

QUÆSTIO IV.

Qui, & in qua ætate contrahere possint sponsalia?

Sponsalium capaces qui. PRo decisione prioris partis quæstionis, hæc generalis resolutio adhiberi potest, illos omnes, & solos posse contrahere sponsalia, qui ad matrimonium contrahendum habiles sunt,itaut nullo perpetuo impedimẽto ligbentur,& perfecto rationis usu polleat. Ratio est,quia sponsalia sunt promissio futuri matrimonij;ergo ex inhabilitate ad matrimonium colligitur inhabilitas ad sponsalia. Dixi(habiles sunt) quia inhabiles ad matrimonium,quales impotẽtes ad generandum, sunt etiam impotentes ad contrahendum,quales insani & amentes:item qui nequeunt explicare cõsensum,qualis simul mutus,surdus & cæcus, etiam sunt inhabiles ad sponsalia.

1542 Dixi) nullo perpetuo impedimento) quia si impedimentum sit temporale, quale in impuberibus, possunt contrahere sponsalia se obligando ad matrimonium pro tempore habili celebrandum. Impuberibus (ut notat Sanch. d.16.n.2.) assimilantur qui voverunt castitatem ad tẽpus:validé enim contrahẽt sponsalia,si promittãt matrimoniũ,pro tẽpore,quo castitatis voto obligari desinant.Quid si promittant pro tempore, quo tali voto ligantur? Respondeo cum Sanch.cit. irrita fore sponsalia. Illud enim impedimentum quod non dirimit,sed solum impedit matrimonium, reddit irrita sponsalia. Promissio enim de re illicita nequit producere obligationẽ, seu vinculum iniquitatis.

Rogabis, an notabilis disparitas veró animo contrahentium sponsalia, ab ipsis contrahentibus cognita, illa irritet,itaut maneant ad ipsa inhabiles? Respõdeo negative cum Sanch. lib.1. Matr. disp.14.Patet, quia cum contrahens sit dominus rei promissæ,& conscius notabilis excessus,videtur cedere jure suo, & excessus donationem facere. Hoc tamen limitandũ est, nisi ex eo matrimonio timeatur magnum scandalum,propter quod charitas proximi, amicitia cognatorum & pietas parentum gravissimè lædatur. Cauté tamen hoc scandalum considerandum est cum sæpe graves intendantur minæ,ac terrores, qui facilé in nihilum recidunt. *Disparitas magna inter sponsos.*

Quod attinet ad ætatem requisitam a jure in contrahentibus sponsalia, prænotandũ est discrimen inter tempus quod jus præscribit sponsalibus, & illud quod præscribit matrimonio. Quia ut bené notat Glos.ad *l. in sponsalibus* 14. *ff. de spons.*non est in sponsalibus ætas contrahentium sic definita, quin sæpe contingat deficere ob rationis defectum:secus in matrimonio, ubi ætas præscripta a jure semper sufficit. *Ætas ad sponsalia.*

1543 Igitur jure canonico, *cap. ad dissolvendum, cap.accessit,cap.litteras.de sponsal. impub.* sponsalia ante septennium nequeunt contrahi: bene tamẽ completo septennio. Quia discretio, seu rationis usus jam præsumitur eo tempore.

Dubium est 1. circa completionem hujus septennij; sufficiat ne completio moralis, quæ potest stare die una vel duobus deficientibus, an postuletur mathematica, ita ut nec dies una desideretur? Sufficere moralem tenent Gutierr. de matr.cap.2.n.15.Candel.aureum 1.part.de spons. cap.2.n.15. & Didacus Peres in l.5.lib.5. Ord. pag.6. Quod Suadent ex verbis juris Castellani *leg.regiæ fin.tit.1. par.1.ibi Siete años poco mas,o menos*: & fundatur in jure communi *l pen ff. de milit. test.*ubi quód parũ distat nihil distare videtur. *Septennium ad sponsalia*

Affirmandum tamen est cum Sanch. lib.1. Matr.d.6.n.4.Ægid.Bellan.disp.21.dub.5.n.51. & Basilio Ponce l.b.12. cap.5. n.3. non sufficere comple-

completionem moralem, sed requirit physicam, seu mathematicam, ita ut nec unus saltem desit ad septennium dies. Patet a simili, non sufficere modi complementum per jus tum in concessione ad religiosam professionem ex Trident. sess. 25. c. 15 de regul. ex gr. 6. annum completum; tum in bimestri concesso ad deliberandum de religionis ingressu *cap. ex publico de conver. conjug.* ergo bimestre absque defectu unius diei ergo similiter in septennio ad sponsalia.

Dubium est 2. utrum pro complemento physico, quod ad sponsalia requiritur, sufficiat quod ultima dies septennii sit inchoata, quamvis nondum finita? Affirmant Covarr. in 4. decret. 2.p.cap.2.n.2. Gutier. de matr. c. 2. n. 5. Bellarm. disp.21.dub.5. n.51. Basil. Ponce lib. 12. de sponsal. c.5.n.5.& unus instar omnium Sanch. lib. 1. matr. disp.16. n.2. & 4. Quia in hac vertitur favor matrimonij, sicut favor testamenti in simili. Nam *in l. qua aetate ff. de testam.* permittitur, ut ultimus dies anni 14. inceptus reputetur, ut testamentum in eo condi possit.

Aetas ad testandū.

1544 Dicta resolutio satis probabilis est; sed probabilius judico cum Palao tr. 8. disp. 1. punct. 6. n. 6. spectato juris rigore non sufficere ultimam illam septennij diem inceptam esse, sed debere necessario completam esse. Arg. leg. 3. § *minorem ff. de minor. & l. eos § fin. ante n C. de appel.* Nam quoties tempus a jure est determinatum, currit de momento ad momentum. Accedit, quia sicut mensis non dicitur completus nisi constet ex tot diebus completis, ita annus completus ut sit, debet constare ex tot mensibus completis. ergo septennium ut cōpletum sit debet constare ex septem annis cōpletis, ita ut nulla desit aliqua dies cōpleta.

Dies incepta pro completa.

Dubium est 3. an sortiantur valorem sponsalia contracta ante septennium, si constet pollere usu rationis perfecto contrahentes, quasi malitia supplente aetatem? Affirmant Rebellus de oblig. just. lib. 4. q. 5 Bellarm. d. 21. dub. 5 n. 51 Basil. Ponce lib. 12. cap. 5. n. 5. Covarr. 4 decret. 1. p. c. 2. n. 1. Gutier. *r. auth. sacramentum puber.* n. 5. & Sanch. lib. 1 disp. 16. n. 9. Probant quia illud septennium praescribitur ad sponsalia eo quod ante illam aetatem praesumatur non adesse perfectum rationis usum; si ergo ante illam perfectus rationis usus adsit, cessante praesumptione, valide contrahentur sponsalia. Haec sententia valde probabilis est.

Malitia suplens aetatem.

Nihilominus probabiliorem judico negativam, quam defendunt Abbas *in cap. juvenes* n. 5. Angel. v. sponsalia n.5. Andreas Tiraq. lib 3. contrav. c. 26. & alij quos refert & sequitur Palaus cit. punct. 6. Ratio est, quia textus in *cap. litteras, cap. accessit,* [illegible] *de sponsal.* absolute [illegible] sunt sponsalia ante septennium completum esse invalida, & non dicunt praesumi invalida: videntur igitur ex praesumptione decidere valorem sponsalium, & non ipsam praesumptionem.

1545 Illud pro comperto habere debes, si contracta fuerint sponsalia ante septennium, eo adveniente [illegible] ex mutuo [illegible]

[illegible] sponsalia [illegible] defectu [illegible] Sanch. [illegible] Ponce lib. 12. c. 5. [illegible] matrimonio [illegible] praeterquam quod [illegible] septennium [illegible] valida, & valent [illegible] ta habere.

Dubium est 4. utrum & quale peccatum sit sponsalia invalida contrahere. [illegible] apud Sa verb. matrimonium 5. n. [illegible] Navarr. cap. 22. n. 13. esse grave peccatum sponsalia inire, quando sunt invalida ob impedimentum quod obstat matrimonio. Difficultas procedit de invaliditate sponsaliorum ob defectum aetatis, vel usus rationis, in qua ad hoc aetati putant esse lethale. Dicendum tamen est cum Aegid. Bellarm. disp. 21. dub. 5. hoc Ponce lib. 12. c. 5. n. 4. & Sanch. lib. 1 Matr. d. 17. n. 4. vel nullum, vel levissimum peccatum esse. Patet, quia si [illegible] ante rationis usū contrahentes [illegible] incapaces peccādi [illegible] ante septennium, erit actus leviter peccaminosus ex eo tantum quia otiosus.

Sponsalia [illegible]

SECTIO II
De effectibus sponsalium.

QUAESTIO I.

Qui, & qualis sit obligatio ex sponsalibus, & quanter obligetur qui [illegible]?

1546 Duplicem sponsalia producunt effectum, alterum impedimentum publicae honestatis, a nobis expediendum n. 46. alterum obligationem ad matrimonium ineundum, de quo effectu nunc agemus, in difficultate est, qualiter obligent sponsalia ad matrimonium contrahendum? Videri poterit aliquibus, praesertim legum professoribus sponsalia vel nullo modo, vel saltem leviter obligare. Possunt probare ex *l. 1. C. de sponsal.* ubi dicitur desponsatam [illegible] nubere non prohiberi: ubi autem non datur prohibitio, nec peccatum dari potest.

Sponsalium effectus.

Affirmandum tamen est cum Sanch. lib 1. disp. 28. & Palao tr. 28. d. 1. p. [illegible] ex praecisa ratione sponsalium [illegible] obligationem contrahendi matrimonium. Sumitur ex *cap. de sponsatu cap. ex litteris* [illegible] *de sponsal.* & [illegible] 27. q. 2 & hujusmodi obligationem gravem esse, recte arguitur ex gravitate materiae, qualis est matrimonium. Dixi *sponsalia in puberum,* quia sponsalia impuberum non [illegible] firmiter valida sunt: cum [illegible] & *cap. [illegible] de spons.* [illegible] pubertate adveniente dissolvi possunt.

Pulcrum sponsalia

Obligatio [illegible] sponsalibus.

2 Difficultas est, quomodo tempore impleri debeat promissio sponsalium quae ad cōtrahēdū matrimonium? [illegible] terminus [illegible] contrahendi matrimonium [illegible] Major difficultas, quando nullus praefixus est terminus matrimonio [illegible] Covarr. [illegible] cap. 5 n. 5. & Sanch. lib. 1 disp. 26. n. [illegible] existimant

Tempus implendi promissi matrimonium.

[illegible] nullo [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] non [illegible] ex [illegible], vel [illegible] ex [illegible].

1547 [illegible] valde probabilis est: [illegible] quando nullus terminus præfixus est, [illegible] quo sponsalia inita sunt, contrahentes obligari. In [illegible] Ponce lib. 12. cap. 6. num. 1. Le[illegible] de matr. [illegible]. 13. Bellanus disp. 22 dub. [illegible] conclu. 2. & Palao [illegible]. p. 7. num. 2. [illegible] in jure [illegible] *in omnibus obligationibus [illegible] reg.* [illegible] habetur hæc [illegible] *obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.* Similiter in *lege* [illegible] sic enim in hac lege dicitur: *Quod sine termino præfixo debetur [illegible].* Suadetur, quia cum in illis nulla apposita sit conditio, vel tempus determinatum, nulla patent exceptio [illegible] ob quam post [illegible], & non post [illegible] debeat.

Terminus sponsal. [illegible] præfixus.

[illegible] citati [illegible], [illegible] præfixum terminum, & [illegible] arbitrio, a debita solutione excusari, quoties [illegible] ditor non exigit. Quia tunc [illegible] consentire, dummodo ex verecundia, aut alio impedimento non exigat. Monent [illegible] effectu, seu obligatione [illegible], [illegible] abstinendi ab omni eo, quod sponsalium executionem impedire possit, excepto per jus canonicum ingressu religionis. Nam qui tenetur ad [illegible] executionem, obligatur tacite removere, & non ponere impedimenta, quæ illius executionem obesse possint.

Sponsi de futuro fornicantes cum aliis.

5. Difficultas est, an sponsi de futuro, si cum aliis fornicationem committant præter peccatum intemperantiæ, habeant circumstantiam [illegible], & injustitiæ necessario in confessione manifestandam? Negant Henriq. lib. 11. cap. 18. n. 4. Covarr. 4. decret. 1. p. cap. 1. n. 14. Basil. Ponce lib. 12. de sponsal. cap. 6. n. 8. & [illegible] Petr. Ledesm. de matr. [illegible] 21. [illegible] quia [illegible] fornicatione nec [illegible] injustitia commissa fuit: non [illegible] quia ille non violavit fidem datam de contrahendo matrimonio: non injustitia, quia per illam non fuit contaminatum corpus [illegible] ad sponsam vel sponsum [illegible] in illud jus habeat; ergo non licet [illegible] necessario confitendam.

1548 [illegible] Lymen [illegible] cap. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] sponsam [illegible] sponsa cum aliis [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] violat [illegible] [illegible].

Hanc resolutionem [illegible] Sanch. lib. 1. [illegible] [illegible] procedat in sponso cum aliis fornicante, [illegible] in sponsa, itaut tam hæc, quam ille [illegible] tenerentur fateri dictam circumstantiam. [illegible] antitatem, quia sponsa, [illegible] fornicationem inferunt gravem injuriam sponso de futuro, & peccant graviter [illegible] sponsus fornicans prudentum arbitrio [illegible] committit levem injuriam, & peccatum veniale.

Sponsa [illegible] fornicans [illegible].

Hæc tamen limitatio displicet Bellano, & Gutierr. citatis, nec non Basilio Ponce lib. 12. de spons. c. 6. n. 8. & Palao cit. n. 6. Quia sponsus fornicans, etiam graviter offendit suam sponsam de futuro, tum quia præbet illi occasionem gravis tristitiæ, & timoris ne etiam post initum matrimonium [illegible]: tum quia ex fornicatione [illegible] filios illegitimos temporibus sponsi in grave damnum sponsæ. Denique quia talis fornicatio præbet ansam sponsæ innocenti ut sponsum delinquentem repudiet, quod gravis injuriæ indicium est, & hæc sunt valde probabilia: sed probabilior assignata distinctio, quæ jam supra nobis arridet [illegible] c. 1.

1549 Cum vero talis fornicatio adulterium non sit, nec proinde adulterini filii qui ex illa nascuntur: [illegible] spurii, an naturales? Respondeo cum Gutierr. de matr. cap. 1. n. 22. Sanchez disp. 22. dub. [illegible] n. 7. & Palao n. 10. non esse spurios, sed naturales. Ratio est quia tempore conceptionis poterant parentes si non licite, saltem valide contrahere matrimonium.

Nati [illegible] [illegible] sponsis.

Quod attinet ad alteram quæstionis partem, an & qualis obligatio cadat in eum qui [illegible] sponsalia promittit? Hujus difficultatis [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] generali, [illegible] [illegible] valeat & obliget promissio [illegible] cuiquam nos ponere, quia [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] quamvis jure communi promissio [illegible] regulariter invalida sit, quia [illegible] verba [illegible], valere tamen & obligare, probabilius [illegible] in sensu morali, quod [illegible] [illegible].

Promissio matrimonii pro alio.

Alieni facti promissio.

[illegible] Sanch. lib. 1. in [illegible] [illegible] facti jure canonico & [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Palau p. 5. n. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Titio (inquiunt) promittas unam ex tuis filiabus in matrimonium, ipseque promissioné acceptet, obligatus manebis se rió ac diligenter filiæ alicujus cōsensũ procurare: neque satisfacies, si ficté, vel ut vulgo dicitur (por cōprimiéto) procures.

1550 Quid si quis non solum promittat alienum matrimonium, sed etiam tali promissioni adijciat pœnam? non desunt authores qui dicunt solvendam esse pœnam effectu non sequuto, etiam si promissor adhibuerit omnem diligentiam, ut sequeretur. Rectius negant Matien. lib. 5. recop. tit. 16. leg. 2. glos. 6. n. 6. Gregor. Lopes leg. 84. tit. 18. p. 3. Molina tr. 2. de just. disp. 268. §. *quid si ii*. Quia dissonat rationi pœna affici eum qui nullius culpæ reus est.

Promissioni ad iecta pœna.

QUÆSTIO II.

Qualiter cogendus qui implere recusat sponsalia?

Conveniunt authores recusantem implere quod promisit in sponsalibus, nempe matrimonium, compellendum esse a suo legitimo prælato. Id enim postulat recta ratio boni communis, ut pacta serventur, & respublica benè administretur.

Difficultas est circa modum compulsionis, & duplex occurrit, proponiturque a Palao tr. 18. d. 1 pun. 8. n. 1. alter in foro consciétiæ, alter in foro externo seu judiciali. Resiliens igitur injusté ab sponsalibus, seu absque justa causa nolens contrahere promissum matrimonium, in foro conscientiæ compellendus est negatione sacramentorum. Qui enim a peccato mortali non vult desistere, sacraméntorum susceptione indignus est.

Cōpulsio ad sponsalia implenda.

1551 In foro externo seu judiciali pro quo coactio solet fieri per carcerem, per excommunicationem, aliasve censuras, est dissidium inter authores circa nolentem stare matrimonio promisso. Alij negant esse cogendum. Quia in *cap. requisivit de sponsal.* solum præcipitur ut moneatur. Alij affirmant compellendum esse, si monitus nō paruerit. Sic enim habetur in *cap ex literis el. 2. de sponsal.* Alij distinguunt inter spōnsalia jurata & non jurata, asserentes esse cogendum in sponsalibus juratis, secus in non juratis.

In hac diversitate libéter acquiesco Gutierrez de matr. cap. 15 n. 2. Sanch. lib. 1. disp. 29. Covarr. decret. 1. p. cap. 4. n. 3. Basilio Ponce lib. 12. c. 6. n. 2. & Bellano disp. 21. dub. 2. asserentibus sive spōsalia jurata sint, sive non, spōsũ absque causa legitima ab illis recedéré, priùs a judice esse monendũ, ut promissis satisfaciat, sin minus cogẽdũ carcere, excomũnicatione, alijs ve pœnis. Habetur in *cap. ex literis o 2. de sponsal.* & ratione suadetur, quia ad judicis officium spectat curare ne subditi patiantur injuriam, neve alijs promissã fidem denegẽt. Nec matrimonij libertati obstat hujusmodi cōpulsio, cum ille promissor jam se matrimonio contrahendo subjecerit.

Iudex in compulsione sponsorum.

Monet tamen Sanch. lib. 1. d. 29 n. 7. cum alijs relatis judicem debere procedere cum moderata compulsione, *argum. cap. requisivit, de sponsal.* ubi habetur, cum matrimonia debeant esse libera, monenda potiùs esse, quàm cogenda: solent enim coactiones exitus difficiles habere. Addit Palaus cit. n. 3. si judex intelligat nihil excommunicatione profuturum, debere ab illa imponenda abstinere: si autem videat ea jam imposita nihil prodesse, sed sponsum manere pertinacem, debere ab illa delinquentem absolvere, ne ea coactus fingat consensum, & sponsa deflorata maneat.

1552 Denique notandum cum Abbate *cap. ex literis* el. 2. de sponsal. n. 4. Brunello de sponsal. concl. 16. n. 6. Gutierr. de Matr. cap. 35. n. 8. Sanch lib. 1. disp. 29. n. 9. & Basilio lib. 12. cap. 6. n. 5. judicem illius compulsionis esse tam ecclesiasticum quàm sæcularem: cum uterq; possit cogere resilientem, ut contractum etiam juramento firmatũ observet. Excipe, nisi moveatur lis de valore sponsalium, aut de causa dissolvendi eadem. Tũc enim solus Ecclesiasticus potest procedere. Quia non de facto, scilicet executione sponsalium, sed agitur de illorum jure quod spirituale est.

Iudex secularis ad matrimoniũ.

QUÆSTIO III.

Quanam & qualis pœna sponsalibus & matrimonijs possit adjici pro eorum firmiori obligatione?

Cum in sectione præsenti instituamus quæstiones de præcipuo sponsalium effectu; qui est obligatio; & hæc pœnis impositis maximé firmetur, & innotescat, eas explorare & explicare animus est. Constat ex utroq; jure, tam Canonico *Cap. Gẽma mu ier 29. de sponsal.* quã civili *l. Titia ff. de verbo. oblig & l fin C. de sponsal.* neminem obligari posse ad contrahendum matrimonium sub aliqua pœna solvenda. Matrimonium enim, cum sit onus grave & perpetuum, esse debet omninó spontaneum ac liberum. Adde conditionem quæ repugnat matrimonij libertati, nō valere, ut testatur Cabed. p. 2. disp. 31. n. 6.

Pœna obligans ad matrimoniũ.

Ex quo etiam prohibetur, & irritatur omnis apposit o pœnæ inter sponsorum cognatos, amicos, tutores, vel dominos, nisi matrimonium cōtrahatur: quia horum detrimentum, sponsorum detrimentum est, ipsosque ad contrahendum minùs liberé movere potest: secus, si pœna inter extraneos, motu proprio & non de mandato sponsorum, vel ipsorum parentum apponatur.

1553 Dubium est 1. an posita resolutio de pœna apposita pro firmanda obligatione contrahendi matrimonium procedat, si apponatur injusté ac perfide resilienti ab sponsalibus? Affirmat communis sententia teste Palao cit. tr. 28. disp. 1. p. 9. n. 2. quia textus cit. in *cap. Gemma*, indistincté pœnæ appositionem vetat, ne matrimonij libertas decrescat & extenuetur.

Negandum tamen est cum Suario to. 2. de relig. lib. 2 de juram. cap. 23. n. 5. Bellano disp. 21. dub. 5. concl. 2. Vasq. opusc. de testam. cap. 3. dub. 2. n. 28. Basilio Ponce lib. 12. cap. 29. n. 8. & Laymano lib. 5. tract. 10. c. 1. n. 8. Suadetur, quia appositio pœnæ contra injusté resilientem, nec est contra jus naturale, nec contra jus positivum: nō contra naturale, quia rationi non dissonat puniré injustos, & hujusmodi punitio libertaté matrimonij nō offendit: nō cōtra jus positivũ, quia hoc solum

solum prohibet apponi pœnam justé resilienti.

Juraměto pena firmata. Dubium est 2. an pœna apposita resilienti justé, vel injusté firmetur juramento, vel saltem eo apposito juraměto debeatur? Bellanus disp. 22. dub. 5. n. 25. absoluté utrunque affirmat, nempe talem pœnam firmari juramento, & eo apposito deberi. Probat, quia illa promissio solvendi pœnam esto sit contra bonos mores civiles, non est contra bonos mores naturales; ergo firmatur juramento. Alij cum Molina de just. tr. 2. disp. 151. pag. 863. & Lessio de just. lib. 2. c. 17. n. 56. dicunt juramentum illud obligare, quanvis promissionem non firmet. Probant, quia licet apponere pœnam in desponsalibus illicitum sit, utpote prohibitum *cap. Gema*, at impletio pœnæ licita est.

Sponsalia an firmatur juramento. 1554 Dicendum tamen est cum Covarr. *Rub. de testamen.* 2. par. n. 17. Antonio Gomes 2. var. cap. 14. n. 24. Sāch. lib. 1. disp. 32. n. 21. & Pōce lib. 12. cap. 19. n. 7 tale juramentum neque obligatorium esse, neque firmare promissionem illam de pœna solvenda. Constat prior pars, quia juramentum esse nequit vinculum iniquitatis, atque adeo terminari ad rem illicitam, qualis est pœna tā promissa quam soluta, utpote minuens libertatem matrimonij. Constat pars posterior, quia ut juramentum firmet cōtractum nullum, opus est, ut jus purget vitium, proindeque nullitatem, & prohibitionem tollat: hoc autem in illa sponsalium pœna non efficit.

Qualiter hujusmodi doctrina procedere debeat in sponsalibus Lusitanorum: an & qualiter promissio matrimonij firmentur juramento, & pœna apposita in sponsalibus, videndum est in priori parte hujus Prōptuarij n. 864. ubi egimus de juraměto firmāte promissiones & cōtractus.

Retentio pecuniæ non debita. Dubium est 3. an stante promissione invalida solvēdi pœnā appositā in spōsalibus, si de facto solvatur, possit recipiens eam retinere donec restituere compellatur a judice? Affirmant absoluté Bellanus disp. 22. dub. 5. n. 26. Lessius lib. 2. just. cap. 17. dub. 7. n 56. & Sanch. lib. 1. disp. 31. n. 2, Probant, quia jura solū promissionem annullant: at neq; irritant solutionē, neq; reddūt inhabilē suscipientē ad solutæ pecuniæ retētionē.

Ex opposito Sotus in 4. de just. q. 5. a. 2. Ludovic. Lopes lib. 2. de contr. cap. 22. fol. 387. Alcozer de ludo cap. 30. & Gutierr. de jurem. 1. par. cap. 53. n. 1. opinantur taliter recipientem teneri statim nulla expectata sententia restituere solutam pœnā. Probāt, quia si (ut fatētur omnes) promissio illius pœnæ irrita est, consequenter solutio illius nulla erit: proindeq; cū nō appareat titulus retēt onis, non est cur judicis sētētia expectetur.

1555 Nobis media via incedendum & asserendum est cum Joan. Gutierr. de matr. cap. 17. n. 15. & Palao de spons. disp. 1. p. 9. si quis solvat pœnam, non intuitu standi promissis, cum sciat indebitam esse, recipientem posse eam retinere, donec compellatur reddere: at si solvat pœnam credens esse debitam, teneri recipientem statim reddere. Ratio dispa itatis est, quia in primo casu habet titulū, nēpe prætēptā liberalē donationem: non ita in secundo casu.

Damnum reparandum. Dubium est 4. an dato quòd minime debeatur pœna adjecta sponsalibus, possint contrahentes transigere, ut injusté resiliens compenset damnum quod ex recessu provenerit innocenti? Omissa multiplici opinione, quam circa hoc punctum affert, & examinat Sanch. lib. 1. Matr. disp. 30. n. 15. sequitur quam ipse magis probat, distinguentem inter lucrū cessans, & damnū emergens. Affirmat igitur posse deduci in pactum cōpensationem illius damni emergentis, quod contingit innocenti ex eo quód resiliens promissis non steterit: secus verò de lucro cessante. Ratio utriusque partis est, quia jus positivum irritare valet compensationem alias non debitam, qualis est lucri cessantis: secus verò quæ debetur jure naturali, qualis est damni emergentis.

QUÆSTIO IV.

An pœna constituta per pactum de lucro acquirendo vel non acquirendo sponsalibus rejiciatur?

Pactum de lucro acquirendo in sponsalibus. 1556 Ante qua expediatur multiplex dubium latens sub titulo quæstionis, notandum est 1. posse constitui pactum de lucro acquirendo inter contrahentes sponsalia, ab ipsis, ut si fœmina promittat viro, aut e contra, certam quantitatem, si ipsi nupserit: tum ab alijs, qui similiter eam quantitatem promittant viro vel fœminæ, si matrimonio cōjungatur, & non aliter.

Notādum 2. inter ipsos cōtracturos matrimoniū pro lucro acquirendo posse dari impedimentū consanguinitatis in tali gradu, de quo impedimēto, vel nulla, vel aliqua facta fuit mentio in ordine ad dispensationē Pontificiam, quādo promissio, seu pactum de lucro initum fuit.

His notatis, cōveniūt authores 1. ex *l. si ista stipulatus fuero §. si tibi nupsero ff. de verb. oblig.* Si lucrū promittatur ab aliquo ex cōtrahētibus, nullā evadere promissionē, nisi ex causa rationabili factā esse constet. Nā causa libidinis facta præsumitur, & obid reprobatur. Conveniunt 2. ex *Cap. de illis de condition. apposit.* promissionem illam, si fiat ex causa rationabili, validam esse. Dari causam rationabilem intelligitur ex eo præcisé quòd a fœmina fiat promissio viro. Præsumitur enim facta in dotem. Item si fiat a viro sene, vel ignobiliori. Quia in cōpēsationem juventutis & nobilitatis facta creditur. Conveniunt 3. ex *l. si constante C. de donation. ante nupt.* promissionem factā a vidvo uxori causa donationis propter nuptias validā esse, & nuptijs sequutis cōfirmari. Est enim donatio nō gratuita, sed dotis acceptæ remuneratoria.

Hæreditas ut quis nubat. 1557 Conveniunt 4. si ab alienis fiat promissio contrahētibus de acquirendo lucro, si matrimonium ineant; validam esse. Quia non in pœnā, sed in præmium matrimonio conjūgentis proponitur. Unde valebit institutio, si Bertam instituas hæredem sub ea conditione ut Titio nubat, sin minùs hæreditate privetur. Item valebit legatum, si leges Bertæ tale prædium sub ea conditione, ut Petro nubat, aliter non. Quia tunc Berta in utroque casu recusans nuptias non privatur

privatur jure, aut hæres alienus acquisite, sed solum nō acquirit. Vide Molinam lib. 2. de primog. cap. 13. a n. 1. & Sanch. lib. 1. disp. 33. n. 6.

Legatum ... consanguineis nuptiis. Dubium est. 1. an valeat promissio lucri acquirendi, si facta sit consanguineis inter se impeditis nubere, nulla facta mentione dispensationis in impedimēto consanguinitatis? Negat Sanches lib. 1. Matr. disp. 5. n. 19. & 26 cum varijs omninò exigentibus mentionem expressam dispensationis. Quia aliter promittens induceret ad rem prohibitam. Affirmandum tamen est cum Gutierr. de matr. c. 26. n. 6. & Molina lib. 2. primog. c. 13. n. 1. quia promissor ille sive per testamētū sive per donationē, præsumitur velle dispēsationē Pōtificis, ut sua dispositio sortiatur effectū: quod procedit quando est talis gradus consanguinitatis, in quo Pontifex facilé dispensare solet. Si enim est gradus valde difficilis ad dispensandum, rejicitur conditio.

1558 Quid si in tali difficili gradu testator, vel donator ille expressé meminit dispensationis. Henriq. lib. 12. Matr. cap. 10. n. 4. & Molina lib. 2. de primog. cap. 13. n. 12. dicunt rejiciendam esse talem conditionem ut pene impossibilem, ut subsistat legatum purum. Rectiùs tamen negant Gutierr. de matr. cap. 20. n. 7. & Sanch. lib. 5. matr d. 5. n. 20. Quia talis dispensatio quanvis difficilé impetretur, tamen absoluté possibilis est. *Conditio rejecta a donatione.*

Hæreditas ad nullendum. Infertur 1. cum proximé citatis rejici dictam conditionem, si apponatur legitimæ, vel hæreditati alias debitæ. Quia quod libere & absoluté debitum est, gravari nequit. Infertur 2. rejici similiter eandem conditionem, si nuptiæ hærede illo, vel legatario indignæ sint. Nam jus *l. cum ita legatur ff. de condit. & demonst.* ob difficultatem gravem quam legatarius passurus est nubendo, talé conditionem rejicit. *Legatum pro nubēdo.*

Infertur 3. cum Sanch. lib. 1. dis. 33. n. 13. legatum relictum Virgini subconditione ut nubat Titio, non effici caducum, si alteri nubat ex paterno jussu. Quia Virgo non decenter nubit alicui contra patris voluntatem.

Legatorius nubens ignobili. Dubium est 2. an relictum sub conditione, ut legatarius ducat nobilem, aliter amittat legatū: amittatur, si legatarius primam duxit nobilem, sed factus viduus duxit ignobilem? Negat Acosta in *l. cum tale §. si arbitratu ampliat. 3. ff. de condit. & demonstr.* Probat, quia sermo simpliciter prolatus intelligitur de prima vice. *l. boves §. hoc sermone ff. de verb. oblig.* ergo talis satisfecit prima vice ducendo nobilem.

1559 Affirmandum tamen est cum Gutierr. de matr. cap. 20. n. 12. Mantica de conjet. ult. vol. lib. 11. tit. 18. n. 3. Sanch. multos referente lib. 1. d. 33. n. 14. & Peralta in *leg. unum ex famil §. & si fundum n. 3 . ff. de leg. 2.* qui affirmat ... omnium. patet, quia finis illius dispositionis est, ne hæreditas deveniat ad ignobilem: cū vero non in solo primo conjugio, sed etiam in alijs filij gigni possint qui fiant hæredes, ideo conditioni illi non satisfit in solo primo conjugio.

Nuptia ... hæreditate. Dubium est 3. an qui aliquam ducere gravatus est, & requisitus noluit, ita legatum, vel hæreditatem perdat, ut nec possit recuperare ductus pænitentia? Gutierr. de matr. c. 10. n. 13. Sanch. cit. d. 33. n. 15. & Pelaez de maior. 1. p. q. 50. n. 13. optimé solvunt hoc dubium distinguentes. Si instituens, seu legans (aiunt) voluit ipso jure nolentem nubere ancti privare hæreditate vel legato, & applicare successori, nullatenus poterit recuperare, esto pæniteat: quia successor, illo matrimonium semel renuente, acquisivit jus. Excipe nisi talis renuens sit minor: quia hic habet beneficium restitutionis in integrum. Si autem instituens non privet ipso jure, penitens obtinebit.

Dubium est 4. an gravatus ducere Mariam hæreditatem vel legatum amittat, si aliam ducat quanvis effectus viduus Mariam velit ducere? Optimè Gutierr. de matr. cap. 20. n. 15. Molina de primog. cap. 13, lib. 2. numer. 16. & Sanch. cit. disp. 33. numer. 17. *ex l. matrimonij ff. qui & a quibus & l. hoc genus ff. de condit. & demonst.* respondent attendentes ad tempus delatæ hæreditatis cum hac distintione. si gravatus ille tempore delatæ hæreditatis, vel legati aliam a Maria duxit, hæreditatem vel legatum perdidit: secus, si hæreditas, vel legatum delatum est tempore viduitatis, quo Mariam ducere intendit. Nam conditiones appositæ (ut habetur *l. interveniit ff. de legat. præstan.*) sēper respiciūt tēpus delatæ hæreditatis, vel legati *Hæreditatis amissio per nolentem nubere.*

1560 Ex qua doctrina infertur 1. si Maria tempore delatæ hæreditatis vel legati cum alio nubat, hæredem vel legatarium illum non amittere talem hæreditatem vel legatum. Quia per ipsum non stetit implere conditionem. Infertur 2. prædictum non teneri ad ducē sū Mariā factā viduā. Quia conditio de primis, & immediatis nuptijs intelligitur. *l. matrimonij ff qui & a quibus.*

Legatum speciei & quantitatis ad nuptias. Dubium est 5. quid dicendum, si gravatus aliquam ducere, velit, illa autem nolit, & post modum pænitentia ducta annuat, gravatus autem tunc renuat? Benè Sanch. lib. 1. d. 33. n. 18. ex Menochio lib. 4. de præsum. præs. 183. cit. n. 2. & Mantica de conject. ult. volun. lib. 11. tit. 18 an. 38. respondet cum distinctione, quam Palaus tr. 28. disp. 1. pun. 10. n. 11. approbat, & tradit in hunc modum: si (inquit) tempore, quo illa ducenda erat, & nuptias recusavit, gravatus ille hæres vel legatarius alias contraxit nuptias, vel hæreditatem, seu legatum adit, vel si non adit, est legatum non quantitatis, sed speciei, quod statim in legatarij dominium transit, non amittet legatum, quia cōditio habetur pro impleta. At si nullas contraxit nuptias, nec hæreditatem adit, neque hæreditas est speciei, scilicet domus vel fundus, sed est quantitatis nempe pecunia, vel aliqui modij tritici, perdet legatum, si illa denuo consentiere ipse renuat: quia omnia sunt integra.

Hæreditatis vel legati amissio ob nuptias. Dubium est 6. an gravatus Bertam ducere sub pæna amittendæ hæreditatis, eam amittat, si Berta requisita nolit nubere? Rectè cum communi sententia negant Menoch. de præsum. lib. 4. præsum. 183. n. 25. Molina lib. 2. de primog. cap. 13. n. 14. noster Molina tr. 2. d. 206. in fine Gutierr. cit. cap.

cap. 20. n. 8. & Sanch. cit. d. 33. n. 19. Quia fæmina tenuis e nuptiis cessat gravamen impositum & conditio habetur pro impleta. *l. 1. C. de instit. & subst.* Limitat Sanch. cit. n. 21. Gutierr. de matr. cap. 20. n. 19. ne procedat in contractu irrevocabili inter vivos, sed solum in ultimis voluntatibus. Hoc licet tanquam probabilius recipiat Palaus n. 13. tamen procedere etiam in contractu inter vivos, credo probabile.

Legata nuptialia

1561 Dubium est 7. an gravatus, seu jussus cum aliqua contrahere sub pœna amittendi legatum, vel hæreditatem, vel maioratum, amittat, si absque culpa ipsius conditio deficiat? Hoc dubium doctissimé (ut solet) discutit Sanch. lib. 1. matr. d. 33. a n. 19. Ut quidquid ille optime resolvit, cum plectat, & in compendium mittam. Dico 1. Si conditio pendeat a duorum voluntate, & deficiat non ex culpa gravati, sed alterius, ut quia contrahere non vult, vel alij nupsit, habetur pro impleta. Habetur *l. 1, C. de just.*

Hoc intelligitur quando ea conditio in ultima voluntate apponitur: secùs quando apponitur in contractu irrevocabili. Quando testator non utitur hac forma: Lego Mariæ, si Titio nupserit) sed utitur hac. (Lego Mariæ, si Titius cum ea contraxerit:) attendendum est cujus intuitu & favore matrimonium cóntrahi voluerit. Nam si favore mulieris, cõsequetur legatum, si per ipsam non stet: si favore alterius, non consequetur.

Conditio & modus in legatis nuptialibus.

Dico 2. si conditio illa mixta seu spectans ad duas voluntates absque neutrius culpa, casu deficiat: v. g si Maria instituta, vel Legataria ea conditione, ut Titio nubat, ante qua in mora sit, obijt, vel ipse Titius, omninó legatum vel institutio perit. Habetur *l. legatum C. de condit.* Quod limitandum est sex modis. 1. nisi relin quatur favore alimentorũ. 2. favore libertatis. 3. favore piæ causæ 4. nisi conditio partim impleta sit. 5. nisi in primogenijs, & hoc ex præsumpta testatoris volũtate. 6. quando contrahendi præceptum conditionis naturam induit, secus si modi: modus enim casu fortuito deficiens habetur pro impleto. Ita usque ad n. 25

1562 Dico 3. si conditio mixta testatoris facto deficiat, habetur pro impleta, ut si legavit parochiæ centum si ibi sepeliatur, & decessit excõmunicatus, ob quod in loco sacro sepeliri non potuit. Dico 4. quando conditio mixta non impeditur a contrahentibus, sed a quodam tertio, non habetur pro impleta: sed legatarius habet actionem ad interesse contra impedientem. Fallit tamen 1. in maioribus ex præsumpta testatoris voluntate. 2. si impediens solvendo interesse non sit. 3. si justé tertius ille impediat: quia tunc ad interesse non tenetur. 4. si impediatur a tertio cujus consensus requirebatur. Illud observabis verba exhortationis per testatorem inducta gravamen & conditionem non continere.

Gravamen per verba exhortationis.

Legatum pro maritandis puellis.

Dubium est 8. an legatũ relictum puellis matrimonio collocandis, possit impendi ingredientibus religionem? Ratio dubitandi sumitur ex S. Pagina 1. ad Thimot. 5. & jure canon. *cap. 1. & ult. de translat. prael.* in quibus locis ingressus religionis ingressum & professionem esse quoddam spirituale matrimonium Ob quam rationem bené resolvunt cum multis Sanch. lib. 1. d. 33. n. 9. Molina tr. 2. disp. 207. conc. 1. Mantica de conject. ult. vol. lib. 11. tit. 18. n. 26. & Gutierr. consil. 26. n. 13. si legatũ relinquatur alicui determinatæ personæ, ut nubat, obtineri si religionem ingrediatur. Tota ratio est testatoris voluntas oppositum minimé declarantis.

Matrimonium & religionis ingressus.

Quare si pateat conjecturis carnales nuptias omninò intellexisse, non obtinebit legatum per religionis ingressum. 1. conjectura erit, quando legavit puellæ, ut nubat certæ personæ. Tũc enim nullo modò intelligit nuptias spirituales. Unde si illa persona obeat, antequàm puella sit in mora, non obtinebit legatum vitam cælibem ducens sed vel alij nubens, vel religionem ingrediens.

1563 2. conjectura est, quando reliquit tertio, si certæ puellæ nupserit: tunc enim non obtinebit, si illa religionem ingrediatur. 3. conjectura est quando negative legavit, ut lego centum Titiæ, si non nupserit: si enim vidua sit, valet cõditio, & obtinebit legatum per ingressum religionis.

Conditio in legatis

Maior est difficultas, quando non certæ personæ relinquitur legatum, sed indefinité puellarum matrimonio: an possit dari puellæ ingredienti religionem? Rectè negat cum Menoch. Covarr. Gutierr. Mantica, & Sanch. Palaus tr. 18. d. 1. pun. 10. n. 18. Probat bené ex *l. Mevius, & l. qui hæredi ff. de condit. & demonst.* juxta quas conditio apposita impleri debet in specifica & propria forma, non auté in ficta: ingressus autem religionis fictione juris matrimonium appellatur. Nec obstat textus *Authent. de sanctis. Episc. § sed hoc præsem. collat.* 3. quia solum procedit de legato relicto personæ certæ, extra quam egredi nequit, cum sit a jure exorbitans.

Ab hac resolutione Sãch. cit. disp. 33. n. 32. & Mantica de conject. tit. 5. n. 22. rectè excipiunt legatum relictum pro maritandis testatoris consanguineis: nam hæ ex præsumpta rationabiliter testatoris voluntate religionem ingredientes obtinebunt illud. Ex quo Gutierr. de Matr. cap. 20. n. 28. & Tiraquel. de causa cessante limit. 18. n. 4. bené inferunt legatum relictum certæ personæ ut in matrimonium collocetur, ab ipsa obtineri, quanvis tempore conditi testamenti nupta esset, ne testatoris dispositio in vanum recidat: secus de relicto personis incertis: non enim jam nuptis sed solum nubendis dari posset. Vide quæ diximus in priori parte n. 1057.

QUÆSTIO V.

An conditio seu pœna de lucro non acquirendo contrahens a matrimonio valde et impediat donationi, & legato?

Conditio in pœna non contrahentis nuptias.

1564 Amplectitur quæstio dispositiones quæ sunt tum in cõtractu irrevocabili inter vivos, tum in testamento & donatione causa mortis revocabilibus. Conveniunt

unt Authores 1. pœnam retrahētem a matrimonio eum qui nunquam matrimonium contraxit & consummavit, appositam in contractu irrevocabili inter vivos, non excludi a contractu, sed illum vitiare. *l. non solum ff. de action. & oblig. §. si impossibilis. Instit. de inutil. stipul.* Ratio est, quia talis pœna opponitur bono reipublicæ, cui valdè expedit augeri procreatione filiorum ex legitimo matrimonio.

Conveniunt 2. pœnam non acquirendi lucri retrahentem a matrimonio, & in ultimis voluntatibus appositam ei qui nunquam nupsit, esse nullam, rejicique tanquam impossibilem, & manere legatum purum, nisi favore libertatis apponatur.

Nuptiarū abstinentia in legatis. Ex quibus Sanch. lib. 1. Matr. disp. 34. rectè infert 1. conditionē abstinendi a nuptijs omninò rejici ab hereditate & legato: ut si Virgini legetur censum, si non nupserit, obtinebit illa, quasi absque omni conditione relicta essent. Infert 2. si legentur Virgini centum si nubat, ducenta verò si non nubat, posse capere ducenta, & si nubat. Infert 3. rejici similiter conditionem avertentem a liberis procreandis: v.g. Lego Titio centum, si filios non habuerit, vel si sine filijs decesserit.

Conditiones appositæ matrimonio. 1565 Infert 4. non valere conditionem, etiam si extraneo legentur centum, si virgo non nupserit, & rogatus sit ea restituere tali virgini: debebitur enim legatum tali virgini, licet nubat. Quia talis mulier invitatur ad vitam cælibē seu vivendum sine marito, ut legatum comparet. Infert 5. non valere conditionem, si mulier cui relictum est legatum si non nupserit, rogata esset illud restituere: v.g. lego Titiæ si non nupserit cēsū ut det Titio: unde etiā si nubat, recipiet legatū, & restituet Titio. Secus esset, si legētur virgini centum, si non nupserit, & casu quo nubat, ejus fidei committatur ut restituat Titio. Nam etiam si nubat, retinebit legatum, nec restituet Titio.

Infert 6. non valere conditionem prohibentem nuptias adjectam legato relicto patri, tutori vel amico ita conjuncto personæ, quæ probabiliter abstineret a nuptijs, ut legatarius legatum non amitteret. Si autem legatum relinquatur Titiæ, & extraneo, si Titia non nubat: rejicitur conditio pro parte debita Titiæ, atque adeo illam statim consequetur. Valebit tamen pro parte extraneo relicta, & ita nubente Titia, nec ipsa, nec extraneus eam legati partem habebit.

Consiliū & consēsus alterius ad matrimonium. 1566 Dubium est 1. an rejiciatur conditio, ut hæres, vel legatarius nubat ex consilio, cōsensu, vel arbitrio alterius? Rectè consentiunt cum Covarr. 2. p. decr. cap. 3. §. 8. n. 3. Molina de primog. cap. 13. n. 35. & Sanch. cit. disp. 34. n. 24. valere conditionem solius petendi, non verò sequēdi consilium. Quia hujusmodi petitio rationabilis est, nec libertatem minuit. Quòd si absit consulendus, & detur periculum in mora, nec alia via requiri consilium possit, statuunt posse legatarium nubere consilio irrequisito.

Quod attinet ad consensum & arbitrium, cōmunis & vera sententia est, quam ex *l. cum tale §. rescriptum ff. de condit. & demonstr.* traduxit Sancta in *§. rescriptum n. 7.* Molina cit. cap. 13. n. 35. & Sanch. cit. n. 19. & 20. rejici a legato talem conditionem, utpote nuptiarum libertati obstātem.

Hujusmodi tamen resolutionē limitant Gutierr. de matr. cap. 21. a n. 18. Burgos de par. cons. 20. n. 5. & Mantica de conject. lib. 11. tit. 18. n. 8. ne procedat, quando legans suam voluntatem expressit verbis negativis privātibus legato eum qui nupserit absque consensu alterius, præcipuè si is a quo petendus est consensus, sit pater, mater tutor, aut similis. At limitatio hæc rectè improbatur a Sanch. cit. d. 34. a. n. 21. & utroque Molina, theol. tr. 2. d. 207. & Iunsta de primog. c. 13. n. 35. Quia talis conditio ex se, & non ex addita hereditatis privatione, a matrimonio retrahit. Circa resoluta Sanch. cit. d. 34. a. n. 33. benè observat 1. valere conditionem non nubendi impositam impotētibus, ut eunuchis non tamen mulieri sterili. Quia sterilitas nec est perpetua, nec matrimonium impedit. Observat 2. valere eam conditionem favore causæ piæ. ut si legetur virgini si non nupserit, vel arbitrio Titij nupserit, & si contra fecerit, transferatur legatum ad causam piam. Nam libertas & causa pia æquiparari solent.

1567 Dubium est 2. an sit valida conditio retrahēs ab statu clericali, vel religioso, si apponatur in contractu inter vivos, vel in ultima volūtate? v. g. si quis leget alicui centum ea conditione ne clericus, vel religiosus fiat. Negant multi citati a Gutierres & Sanch. infra citandis. Probant, quia a matrimonio carnali ad spirituale valet argumentum *Authen. de sa. Epi. Ep. 1. c. 5. sed & hoc collat. 9.* & sicut honestum est ad religionem invitare, ita inhonestum ab ea avertere; ergo illa conditio avertens a religione vitiabit cōtractum inter vivos, & ab ultima voluntate rejicietur, sicut quæ retrahit a matrimonio carnali. *Conditio retrahens a religione.*

Affirmandum tamen est esse validam & honestam cum Gutierr. lib. 2. qq. canon. cap. 25. n. 5. Sanch. cit. d. 34. n. 11. Menoch. de præsum. lib. 4. præs. 83. n. 18. & Molina tr. 2. disp. 207. ad fin. Ratio est, quia prædicta conditio non apponitur eo fine, ut retrahat donatarium vel legatarium a religione, sed ut respublica sobolis procreatione conservetur & augeatur: quod honestum est: deinde nullo jure invenitur reprobata: omnis autē honesta conditio in contractibus & ultimus voluntatibus apposita, quæ nullo jure reprobatur, servari debet.

Dubium est 3. an sit valida & observanda conditio ingrediendi religionem apposita legatis ut si quis puellam hæredē vel legatariam instituat sub conditione ingrediendi religionem? Negant Riminald. cons. 215. a. n. 176. & Bart. cons. 45. Probant, quia talis conditio æquipollet conditioni retrahenti a matrimonio: siquidem terminatur ad statum cum illo incompatibilem. *Conditio ingrediendi religionem in legatis*

1568 Affirmandum tamen est cum Molina de just. tr. 2. disp. 207. Covarr. 1. var. cap. 19. n. 10. Ant. Gomes var. cap. 12. n. 78. & Sanch. lib. 1. d.

 34.

34.n. 17. Ratio est, quia in his conditionibus at[illegible] mens directa restituenis: & in prædicta conditione mens directa instituentis est inclinare ad statũ perfectũ religionis, quamvis ex hoc sequatur per accidens exclusio matrimonij.

Perseverantia religionis requisita. An satisfiat huic conditioni solo religionis ingressu cum animo perseverandi, quanvis detur egressus ante professionem tempore novitiatus? Negat Bald.ad *l. si quis heredem n. 7. C.de milit. & substit.* Alexand.n.2 Imnola.de *Vulgari* n.4.& Salicet.n.3.probant quia testatoris intentio fuit, ut status religionis firmiter & perseveranter assumeretur. Hæc opinio probabilis est: sed probabilior opposita affirmativa, quam ex Sanch. cit. disp.34.n.16.sequitur Palaus tr.18.d.1.p.11.n.15 probatur, quia aliud est religionem ingredi, & aliud in ea profiteri. Vnde vovens religionis ingressum, satisfacit voto, si ingrediatur, & tempore novitiatus exeat: quod procedit, etiam si testator leget ea conditione, ut religiosus fiat: vel quis similiter voveat se religiosum futurum. Resolutionem intellige, si bona fide, & data causa exeat: nam si sine justa causa, non satisfaciet.

Conditio impediens nuptias ad tempus. 1569 Dubium est 4.an subsistat, seu valeat conditio impediens nuptias ad tempus, vel solum respectu aliquarum personarum? v.g. si hereditas vel legatum relinquatur fœminæ sub conditione ne nubat ante vigesimum quintum ætatis annũ: item ne nubat extra familiam, aut oppidum: itẽ ne nubat ignobili, vel descendenti ex Iudæis, Saracenis, aliis ve sanguine infectis? Rectè quoad utrunque partem affirmant Gutierr. cit. cap.21. Sanch.cit.d. 34 n.39. Molina tr.2. disp. 207. & Acosta in *l. cum tale §. si arbitratu* ampl. 8. n.1. Est decisio expressa in *l.cum tale, & seq ff. de condit. & demonst.* Quia illa conditio non impedit matrimonium, sed potius dirigit, qualiter opportune, & apte celebretur.

Pro maiori decisionis intelligentia, ex Sanch. cit. a n.35. observa 1. non valere conditionem retardantem ad tempus matrimonium, si retardet ad tempus longissimum: valere tamen si dicat testator, *Lego Titiæ*, si nupta non fuerit. Intelligitur enim, si dum testator obierit, nupta non erit. Observa 2.hanc conditionem, Si Titia Caio non nupserit, cum sit negativa, eam habere vim, ut solum post Caij mortem impleatur, & legatum obtineatur. Observa 3.jussum ne cum Iudæis, vel ignobilibus contrahat, hoc observare debere in primis secũdis. & alijs quibuscunque nuptijs. Nam cõditionis negativæ ea vis est, ut omnes excludat.

SECTIO III.

De donis inter sponsos de futuro, quæ appellantur arrhæ.

QUÆSTIO I.

Qualiter concedantur arrhæ in pignus matrimonij contrahendi & cui competant eo contracto?

1570 PRo decisione quoad utraque partem quæstionis, notandum est arrhas sumi multipliciter. i. pro ipsis met sponsalibus *l. 1. C. si nuptiæ ex rescrip. petantur.* apud Sanch.lib. 1. Matr.d. 35.accipiuntur pro donatione propter nuptias: quanvis eodem teste ibidem, & lib.6.disp.1.& 2. præcipue accipiantur vel pro pignore quod inter sponses traditur in signum complendi matrimonij, dummodo expresse dicatur dari in signum futuri matrimonij: nam simpliciter traditæ sponsalitia largitas est: vel pro donatione quam facit uxori vir sive in præmium dotis receptæ, sive nobilitatis, sive pudicitiæ. Hanc duplicem acceptionem pro ratione juris communis & privati tradit, & optime declarat Molina to.2.disp. 431. Arrhæ (inquit) de quibus loquitur jus commune *l ult. C. de spons. & l.unica C. si rector prov.* erant id quod conventione facta de matrimonio inter aliquos futuro, tradebatur in pignus, atque in robur & firmitatem, quod matrimonium celebraretur. Sicut in contractu emptionis & alijs similibus aliquid tradi solet in signum & pignus perficiendi cõtractum, vulgo. dicimus sinal. Illud monet Valascus to.1. consult 2. n. 2. dictam arrhæ seu pignoris traditionem, quæ olim fiebat in signum & argumentum futuri matrimonij, hodie in Lusitania non esse in usu. An quæ solent de facto dari coincidant cum donatione propter nuptias, disputat latè a n. 5.

Arrharũ peruẽtio. Quod attinet ad priorem quæstionis partem, qualiter concedantur arrhæ in pignus matrimonij, imprimis notandum est 1. cum Covarr. de spons.2.p.c.7.n.6.ex *l. arrhas & l.fin. C. de sponsal.* eam esse naturam arrharum, quæ in matrimonij pignus conceduntur, ut fidei violator eas amittat.

Notandum est 2.cum Guttier.de matr. & 18. n.3, & Bellano d.22.dub. 3. n. 12. arrhas in hujusmodi significatione propria acceptas statim esse tradendas, itaut non sufficiat earum promissio, nisi forte pro illis daretur pignus æquivalens. Tunc enim ratione pignoris censerentur traditæ. Notandum est 3.ad probationem arrharum, standum esse confessioni recipientis, nec dari præsumptionem fraudis, si illas pars utraque fateatur.

Arrharũ Constitutio. 1571 Dubium est 1. an utrinque arrhæ possint constitui ut pignora? Negant Bart. *l. Titia n.9 ff. de verb. obligat.* Matien.lib.5.recop, tit.2.Rub glos.2.n.3.Brunel.de spons.concl.26.n.3. & hanc sententiam esse communem, & probabilem fatetur Sanch.d.35.n.12.Probant, quia videtur superflua illa mutua traditio. Videtur enim superfluum aliquid dare, ut recipiatur tandundem.

Affirmandum tamen est cum sententia probabiliori, quam defendunt cum multis Sanch. cit.d.35.n.14.Bellanus disp.22.dub. 13.n. 15. & Basil.Ponce lib. 12. c. 19. init. Nam leges illam mutuam traditionem non improbant: & certe potest esse utilis, si quidem violator fidei petit arrhas datas, & restituit acceptas, alio recuperante a se datas & retinente acceptas.

Arrharũ quantitas. Dubium est 2.an in quavis quantitate possint arrhæ constitui? Negant varij diversa incedentes via: nam Salicetus *in l.fin.n. 15.C. de sponsal.* Alc[illegible]

l. Titia in princ. n. 15. C. de spons. & Cuchus lib. 5. instit. maior. tit. 22. 20. dicunt quantitatem arrharum non debere excedere quãtitatẽ dotis Joan. Andr. in c. *Gẽma de spõs. n. 9*. Sylvest. q. 9. dicto 2. & Brunellos de spõsal. cõcl. 16. n. 4. absolutè negãt, nã permittũtur per leges arrhæ, & pœna spõsalibus apposita reprobatur quia a matrimonio retrahit, minuitque illius libertatem: non possunt igitur arrhæ permitti in quacunque quantitate, ne etiam minuant libertatem matrimonij.

Arrhæ quantitas in Lusitania. 1572 Affirmandum tamen est cum Palao tr. 18. pun. 12. n. 6. stando in terminis & rigore juris communis arrhas pignora cõtrahendi matrimonij, in quavis quantitate concedi posse. Ratio est, quia leges permittunt arrhas indistinctè absque ulla limitatione quantitatis: nec apparet aliqua ita urgens ratio, ut nos cogat limitare. Dixi (in terminis juris communis) quia jure Lusitano Ord. lib. 4. tit. 47. apud Bapt. Fragosum p. 3. lib. 2. disp. 5. §. 4. n. 65. non potest arrharum quantitas excedere tertiã partẽ dotis ab uxore traditæ.

Arrharũ constitutio in specie Dubium est 3. an necessariò debeant arrhæ constitui in quantitate numerata, vel possint cõstitui in specie, ut in fundo? Brunel. de sponsal. conc. 10. n. 3. Rosella v. sponsalia n. 7. Butrio in cap. *Gẽma* n. 8. Abbas, Anchar. & alij dicunt necessariò esse constituendas in quãtitate numerata. Quia in specie nec possunt cõvenienter tradi, nec duplicari ab accipiente, prout sæpe requiritur.

Dicendum tamen est cum veriori & receptiori sententia, quam tenent Gutierr. de matr. cap. 18. n. 7. Covarr. de sponsal. 2. p. cap. 3. §. 7. n. 7. Matienso in rub. tit. 2. glos. 2. n. 2. lib. 5. copilat. & Sanch. cit. disp 35. n. 12. posse arras constitui in specie. Patet, quia nullo jure id prohibetur: lex enim *fin. C. de sponsal.* solum faciens mentionẽ de quãtitate arrharum, non vetat speciem. Accedit, quia quantitas speciei, & potest tradi in specie, & potest duplicari, si non in eadem specie, saltem in æstimatione.

Arrharũ traditio & amissio. 1573 Quod attinet ad alteram partem de arrharum competentia, & redditione post contractum matrimonium, Bellanus disp. 22 dub. 3. n. 17. Basilius Ponce lib. 12. cap. 19. n. 4. & Palaus §. 2. n. 1. ex Sanch. d. 36. in fine rectè monent, cum arrhæ dentur in pignora contraendi matrimonij, eo jam contracto reddendas esse ei qui eas concessit.

Ad quem pertineant arrhæ, quando matrimonium non sequitur, Sanch: cit. disp. 36. benè resolvit 1. tradens arrhas eas amittit, si culpa sua matrimonium non sequatur. Nam id in pœnam jus statuit. Resolvit 2. qui citra culpam a sponsalibus resilit, nõ amittit arrhas quas tradidit. Patet quia ubi culpa ab est, pœna abesse debet. Quod intellige 1. si contraxerit sponsalia bona fide, id est ignorans impedimentum. Intellige 2. nisi in mora fuerit, vel ante suum obitum, vel recipientis.

Arrarum restitutio Resolvit 3. quando quidam cõtrahentium solus tradidit arrhas, & culpa alterius matrimonium non sequitur, tenetur hic restituere duplum, scilicet ipsas arrhas receptas, & tantundem de suo patrimonio. Quod si conventum sit ut restituat triplum, vel quadruplum, ad hoc tenetur. Habetur *l. final. C. de spons.* Quod intellige, nisi ille sit minor viginti quinque annis, & ætatis veniam non impetravit: tunc enim solum restituet quod recepit.

Resolvit 4. quãdo uterq; arrhas dedit & recepit, injustè resiliens suas perdet, & quas accepit, restituet. Habetur *l. fin. C. de spons.* Quod intellige, quando arrharum quantitas æqualis est. Nam si quam tradidit est minor; tenetur supplere usque ad æqualitatem. Pater (concludit n. 12) tradens arrhas & promittens filiæ matrimonium, illas nõ amittit, si faciat quod in se est, ut filia adimpleat, & ipsa nolit. *Pater pro filia nuptias promittens.*

Pœna sponsaliũ correctio. 1574 Dubium est 1. an jure canonico sit correcta pœna illa dupli vel quadrupli, quæ per jus civile adijcitur arrharum traditioni? Affirmat, sed dubius Greg. Lop. de lege 84. tit. 18. part. 3. & videtur fundari in *Cap. Gemma, de sponsal.* ubi reprobatur obligatio de pœna solvenda sponsalibus adjecta. Negandum tamen est cum Sanch. d. 36. n. 11. Bellano disp. 22. dub. 3. n. 14. & Ponce lib. 12 c, 19. n. 2. Quia jus canonicum quando reprobat pœnam adjici sponsalibus, debet intelligi de pœna per se sumpta quæ a jure civili reprobatur, non autem de pœna arrharum, quam approbat jus civile, ut sic maneant conformia jura juribus.

Conventionalis pœna in sponsalibus. Dubium est 2. an dicta pœna dupli vel quadrupli in conscientia debeatur ante judicis sententiam? Certum est pœnam dupli legalem non deberi ante judicis sententiam Dubitatur de pœna dupli, vel quadrupli conventionali: de qua Videtur affirmandum ex paritate rationis: quia tradens arrhas, & injustè resiliens, eas amittit nulla judicis expectata sententia, ergo similiter recipiens illarum valorem, & duplum aut triplum ex conditione, debitum amittere ante sententitiam debet.

Negandum tamen est cum Gutierres de matr c. 18. n, 18. & Sanch. disp. 37 n. 14. Patet, quia intentio contrahentium ea est, ut per tales pœnas compelli possint ad fidem servandam, & teneantur ad eas sequuta condemnatione. Unde infertur debitorem pœnæ conventionalis posse eam præscribere, itaut cesset actio illa ad pœnam, si spatio triginta annorum non petatur.

QUÆSTIO II.

Qui arrhas possint promittere? & quid de arrhis in remunerationem pudicitiæ, nobilitatis & dotis?

Fidejussor in matrimonio. 1575 CErtum est 1. apud Sanch. lib. 1. matr. disp. 18. n. 1. pro securitate matrimonij posse intervenire fidejussores, ita tamen ut non obligentur ad pœnam quando nec ipsi contrahentes obligantur. Quia fidejussor non potest in plus obligari quam principalis. Certum est 2. sponsum, & ipsius nomine, ejusdem parentes & consanguineos arrhas promittere: quod frequentius est.) Aliquando tamen accidere contra (ut tenet Sanch. lib. 6. disp. 29. n. 4) quòd sponsa, vel ejus parentes nomine ipsius concedant arrhas *Arrhæ ã quibus promittãtur.*

arrhas sponso in præmium nobilitatis, & divitiarum excessus. Addit Palaus tr.28.d.1.pun.12.§.7. n.1. præter ipsos, & alios ipsorum nomine, quemlibet extraneum posse arrhas promittere hoc discrimine, quód si promittat de proprijs bonis, & proprio nomine, possit suorum bonorum partem decimam excedere: secus si nomine sponsorum, vel ex eorum bonis.

Maior est defficultas de minore & filio familias, an, qualiter, & ex quibus bonis arrhas valeant promittere? Dico 1. Filius familias factus pubes arrhas potest promittere, etiam inconsulto patre, de illis bonis, quorũ habet dominiũ & administrationẽ, qualia sũt castrẽsia & quasi castrẽsia. Ita Molina tr.2.disp.261. §. *Filius familias* & Sãch.l.6.matr.d.39.n.11. Cõstat ex *l. filius familias* 38.*de action. & obligat.* ubi deciditur filium familias in illis bonis obligari ex omnibus causis tanquam pater familias obligatur, itaut cum eo agi possit tanquam cum patre familias.

Filius familiæ ad promittẽdum arrhas.

Dixi) filius familias factus pubes) quia impubes nec de patris licentia arrhas promittere, vel aliũ cõtractum inire potest. Dixi) de bonis, quorum habet dominium & administrationem) quia de bonis, in quibus pater habet usum fructum & administrationem, non potest arrhas promittere, vel alio modo disponere absque patris consensu *l. fin. §. si ijs autem C. de bonis quæ liberis &c.*

1576 Dico 2. si minor etiam carens curatore, promittat arrhas, vel donet aliquid de bonis immobilibus, aut mobilibus quæ servãdo servari possũt, hujusmodi promissio vel donatio invalida erit, nisi authoritate judicis facta fuerit. Ita ex *l. non solum, l. prædia C. de prædijs minor. & l. quæ tutores C. de administrat.* Anton. Gomes leg.52. tauri.n.14 & Petrus Barb. *l. si ante 6. ff. solut. matr.* At si post ætatem perfectam 25. annorum (ut notat Sanch. d.38.n.37) transeat quinquennium, ipso jure arrharum promissio vel donatio ratificatur, & confirmatur, ac si res immobilis titulo oneroso alienaretur.

Minor in arrhis promittẽdis.

Dico 3. si minor 25. annorum arrhas ex bonis mobilibus, quæ servando servari nequeunt, promittat vel donet in ea quantitate, quam leges permittunt, valida erit promissio & donatio, nec restitutioni obnoxia. Ita Sanch.n.41. ex *l. non videtur C. de in integrestit.* Quia fecit id quod quilibet maior prudens fecisset. Nec donatio illa judicis decreto indiget: benè tamen curatoris authoritate, si minor curatorem habeat. At si minor prædictã arrharum donationem juramento firmet, valida erit ac si a maiore procederet.

Illud rectè monent Valasc. cap.1. consl.3. n.5. Molina tr.2.d.431.§. dubium. & Sanch. lib.6. d. 37.n.2. promissionem arrharum, sive maior, sive minor sit, etiam si juramento firmaverit promissionem, manere excusatum ab obligatione solvendi, si dos sibi promissa culpabiliter non solvatur: vel si non solvatur integrè, excusari ab integra arrharum solutione. Ratio est quia arrharũ promissio in dotis remunerationem facta censetur. Hæc omnia procedunt de jure communi.

Arrhas solvendi excusatio.

Quid dicendum sit de jure Lusitano, juxta quod contractus non confirmantur, sed infirmantur juramento? videnda sunt quæ tudidimus 1. part. 13.n.884.

1577 Quod attinet ad alteram quæstionis partem, de arrhis in remunerationem pudicitiæ nobilitatis, vel dotis traditis, notandum est hujusmodi arrhas non esse illas, quæ dantur in pignus matrimonij contrahendi, sed esse genus aliud donationis, quæ multum accedit ad donationem propter nuptias. Et certè Palaus disp. 1. p. 12.§. 3. n. 1. dicit arrhas in Hispania donationi propter nuptias successisse. Nec dissentit Valasc. consult. 2. n. 23. innuens etiam in Lusitania hoc procedere, quanvis a n.3. varias differentias inter arrhas & donationem propter nuptias constituat.

Dicimus igitur has arrhas non dari in pignus futuri matrimonij, sed dari veluti in præmium, seu remunerationem virginitatis sponsæ ab sponso fiendæ, & in compensationem nobilitatis ipsius, & dotis receptæ. Habent etiam locum erga viduam, cui possunt concedi in remunerationem vidualis pudicitiæ, & dotis receptæ.

Dubium est 1. an possit retinere arrhas sibi traditas sponsa, quam sponsus illas tradens credebat virginem, cum talis non foret? Videntur negare Rodrig. to.1. sum, cap.208.n.12. Corduba in sum.q.235. Vega lib.1. Sum. casu 387. & Ludovi Lop.1.p. Instruct.c.76.§. præterea Probant, quia illæ fuere concessæ in præmium Virginitatis *l. res uxoris C. de donat. inter vir. & uxo.* & cessante causa finali, quæ est virginitatis, cessat concessio. *l.2.§. fin. ff. de donat.*

Virginitatis premium arrhæ.

Affirmandum tamen est cum multis, quos citant, ac sequuntur Gutierr. de matr. cap. 19.n. 8. & Sanch. lib.6. Matr.d. 27.a n.4. Ratio est, quia quãdo causa finalis adæquata non cessat, nullatenus cessat dispositio: error enim circa causã minùs principalem, seu impulsivam, non tollit voluntarium: constat autem arrhas non tam dari in præmium virginitatis, quàm in remunerationem nobilitatis, & receptæ dotis: præcipué quia arrhæ successerunt antiquæ donationi propter nuptias. Addunt hoc procedere, etiam si in instrumento donationis solum fuerit apposita causa virginitatis. Quia credendum est id evenisse ex imperito stylo tabellionis.

1578 Dubium est 2. an post contractum matrimonium concedi possint arrhæ? Videntur negare Gregor. Lopes ad l.1.tit.11.p.4. v. Espanha, & Molina tr.2. de just. disp. 431. §. dubium. Probant, quia si post matrimonium concederentur arrhæ, hoc fieret per donationem inter conjuges: hæc autem donatio prohibita est.

Arrhæ post contractum matrimonium.

Affirmandum tamen est cum Antonio. Gomes l.52. Tauri n.12. Sanch. lib.6. Matr. disp.29. n.2. & Covarr.4. decret.2.p.cap.3 §.7.n.12. Ratio est, quia licet arrhæ datæ ob pudicitiam, nobilitatem, & dotem, successerint donationi propter nuptias, sitque vera donatio, hujusmodi donatio non est merè liberalis, & gratuita, sed est remu-

remuneratoriæ: inter conjuges autem solum prohibentur donationes mere liberales, & non remuneratoriæ.

Et quamvis Valasc. consult. 4. existimet hanc sententiam habere locum in Castella, non verò in Lusitania, ubi juxta Ordin. lib. 4. tit. 47. constitui nequeunt arrhæ constante matrimonio: tamen juxta Fragosum p. 3. lib. 2. disp. 5. §. 4. n. 73. non videntur discrepare jura utriusque regni, cũ etiam in Lusitania possit vir facere constitutioné, vel additionem arrharum post contractum matrimonium uxori, in ipsius nobilitatis vel opulentæ dotis remunerationem.

QUÆSTIO III.

In qua quantitate, & ex quibus bonis arrhæ constitui possint: & an valeat earum donatio ultra decimam?

Arrharũ quantitas quæ. VT quæstio decidatur, notandum est discrimen inter illas arrhas quæ dantur in pignus matrimonij contrahendi, & illas quæ dantur in præmium pudicitiæ, & remunerationem dotis receptæ. Nã si loquamur de prioribus, nullo jure sive Imperiali, sive Regio taxata est illarum quantitas. Erit tantum nobis sermo de posterioribus, quæ scilicet dantur non in pignus, sed in remunerationem.

Certé non invenio illarum quantitatem taxatam jure communi, sed solo jure Castellano. Apud Gomezium ad leg. Tauri 50. n. 13. & Palaũ de sponf. d. 1. p. 12. §. 4. jus Castellanum in l. 1. tit. 2. lib. 3. fori & leg. 50. Tauri, hodie verò l. 2. tit. 5. compilat. arrharum quantitatem ita præscribit, ut decimam partem bonorum quæ vir tunc quando eas promittit, habet, non excedat.

1579 *Quantitas arrharũ in Castella & Lusitania.* Pro cujus explicatione notandum est 1. cum Sanch. lib. 6. d. 29. n. 18. & Gutierr. de matr. cap. 19. n. 25. solum comparatione ipsius sponsi contrahentis restrictam esse donationem ne decimam excederet. Vnde quicunque alij cõcedentes arrhas proprio nomine, & ex proprijs bonis, poterunt concederet in qualibet quantitate. Notandum 2. quando arrhæ excedunt dictam quantitatem v. g. constitutæ in prædio maioris æstimationis, non annullari totam illam constitutionem, sed solum excessum.

Lusitanum jus apud Rebell. de oblig. justitiæ parte 2. lib. 6. l. 4. n. 5. in Ordin. lib. 4. tit. 47. n. 1. rectiùs taxat arrharum quantitatem, scilicet ne excedat tertiam partem dotis, quæ sponso datur. Sic enim arrharum quantitas sortitur moderationé ex quantitate ejusdem dotis, per cujus contemplationem promittitur. Addit citatus author n. 8. de jure Lusitano per cit. legem, si maritus habeat filios aut nepotes legitimos prioris matrimonij, non posse arrharum promissionem excedere tertiam partem bonorum mariti, quam scilicet tempore ipsius secundi matrimonij habet. *Insinuatio in arrhis.* Observat 1. Sanch. cit. d. 29. n. 3. non requiri insinuationem in donatione arrharum, licet excedant summam, quæ aliàs insinuatione indigeret: dummodo non excedant tertiam bonorũ, quæ vir tunc possidet.

Arrharum bona quæ. Observat 2. ex jure Castellæ *l. 2. tit. 2. de las arras* *l. 3.* arrhas posse promitti de bonis præsentibus & futuris (uxoréq el gere tẽpus quo bonorũ viri valor cõputãdus sit) itaut decimã illorũ nõ excedat. Observat 3. promissione arrharũ, nisi bona futura exprimãtur, de solis præsentibus intelligi, quãvis vir pauper sit, & pro arrharũ securitate bona futura obliget. Vnde sola bona q tẽpore promissionis possidebat, ad taxãdã arrharũ quãtitatẽ inspiciẽda sũt. Nã quãtitas adjũcta verbo debet regulari secũdũ tẽpus verbi. *l. in delictis 4. § si damnũ ff. de noxal.*

1580 Dubiũ est 1. qualiter cõputãda sint bona præsentia in ordine ad decimã? Dico 1. deducẽdũ est omne æs alienũ, census, & tributa ex illis solvẽda. Ita Sanch. cit. n. 11. 12. Nã solũ quod superest, ijs deductis, dicitur esse in bonis. *Bonorum computatio.* Dico 2. Vt cõputetur ea decima pars, æstimãdus est valor officiorũ vẽditorũ, seu potius vẽdibiliũ, & actiones ad rẽ recuperãdã. Nã ea omnia dicuntur esse in bonis. Ita Sanch. cit. n. 13.

Dubiũ est 2. an promissio arrharũ ultra decimã valeat saltẽ in foro interno, itaut promissor teneatur ad excessũ in cõscientia? Videtur affirmãdũ juxta Hẽriq. l. 11. matr. c. 20. n. 4. Cordubã in sũmã q. 124. & Sãch. l. 6. mat. d. 33. n. 1. docẽtes meliorationẽ filiæ causa dotis factã esse validã in foro cõscientiæ, solũq in foro externo cõcedi actionẽ ergo similiter dicẽdũ de excessu arrharum.

Negandum tamen est & dicendum cum Sanches lib. 6. matr. d. 33. a n. 1. & Gutierr. cap. 19. n. 34. in utroque foro invalidas esse promissiones arrharum ultra decimam. Ratio est, quia citatæ leges non solum prohibent dictum excessum, sed ad tollenda multa inconvenientia, quæ sequi poterant, in grave filiorum & hæredum detrimentum, quidquid in contrarium factum annulant.

1581 *Juramẽtum in arrhis.* Dubium est 3. an si adjiciatur juramẽtum promissioni arrharum, valeat excessus tali juramento firmatus? Affirmant Menchaca de suc cess. creat. lib. 3. §. 38. n. 33. Ayora de partit. 1. part. c. 7. n. 19. Anto. Gom. l. 52. Tauri, & 2. Var. cap. 14 n. 26. & inclinat Molina tr. 2. d. 431. fine. Probãt quia contractus initus principaliter ob privatum commodum, & minus principaliter ob publicũ quando non est contra bonos mores naturales, esto sit contra civiles, firmatur juramento: & ita se habet contractus arrharum quoad excessum. Et hoc probabile est.

Negandum tamen est cum Sanch. lib. 6. Matr. disp. 34. n. 20. & Palao de sponf. disp. 1. p. 12. §. 5. n. 8. Ratio est quia juramento non firmatur pactũ, quod cedit in præjudicium tertij. *cap quanvis pactum de pactis in 6.* at promittere arrhas in illo excessu est in præjudicium consanguineorum, quibus proinde defertur jus repetendi excessum *l. 1. tit. 2. de las arras l. 7. fori.* Vnde tale juramẽtum relaxatione non indiget, cũ enim sine peccato servari non potuerit, nunquam subsistit. Excessus sponsalitiæ largitatis (ait Sanch. cit. n. 3) firmatur juramento: quia in solius promittentis damnum cedit. *Excessus sponsalitiæ largitatis.*

Dicta procedunt de jure communi, & Castellano,

Castellano, non verò de jure Lusitano: quia secundum jus Lusitanum, ut sæpe diximus contractus non firmantur juramento.

Probatio excessus arrharũ cui competat. Dubium est 4. cui incũbat onus probandi promissionem arrharum non excedere taxam præscriptam a lege? Certum est quando uxor arrhas possidet, non competere ipsi prædictũ onus probandi, sed competere marito, vel ejus hæredibus, utpote jus uxori acquisitum infirmare intendentibus. Procedit difficultas de uxore, vel ejus hæredibus, si petant sibi dari arrhas promissas? Cõpetere hujusmodi probationem uxori, vel ejus hæredibus, tradunt Gomes l. 50. tauri n. 13. Matien. l. 2. glos. 2. n. 9. & Roder. Suar. in l. 1. n. 15. tit. de las arrhas lib. 3. Quia si prædicti eam qualitatem non probent, suam intentioné fundatam habere nequeunt.

1582 Dicendum tamen est cũ Sanch. lib. 6. matr. disp. 35. n. 4. & Palao p. 12. §. 6. n. 4 in nullo casu uxorem vel ejus hæredes arrhas promissas exi gentes, teneri ad probandum eas contineri intra limites a jure præfixos: cum hujusmodi obligatio incumbat marito, vel ejus hæredibus recusantibus solvere. Ratio est, nam maritus eo ipso quód promisit eam quantitatem, præsumitur secundum jus promisisse, dum non probatur contrarium, ne præsumatur delictum. Recte igitur uxor fundatam habet suà intentioné in promissione sibi facta

QUÆSTIO IV.

Qualiter sponsæ acquirantur arrhæ & ab uxore distribui possint?

Arrharum acquisitio. Rectè docet Covarr. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 7. n. 2. & authores Castellani ad l. 51. tauri, ante consummatũ matrimonium nullo modo arrhas acquiri sponsæ irrevocabiliter: siquidem in præmium violatæ pudicitiæ frequentiús dantur. Unde Gomes Arias ad leg. 49. tauri ad fin. Castilho lib. 51. tauri n. 1. & Sanch. lib. 6. d. 22. n. 18. tenent dissolutis sponsalibus, vel matrimonio ante consummationem sive per mortem, sive per ingressũ religionis, aut aliam ob causam, absq; culpa promittentis vel donãtis, arrhas reddendas esse. Dixi)absq; culpa) quia si matrimoniũ cõsummatũ non fuit ob culpam promittentis vel donantis, sponsa lucrabitur arrhas eodem modo ac si consummatum esset.

Osculum ad lucrãdas arrhas. Dubium est, an sponsalibus, vel matrimonio ante consummationem solutis, lucretur sponsa per acceptum osculum arrharum & sponsalitiæ largitatis medietatem? Tres sunt æqué fere probabiles sententiæ fundatæ in jure Castellæ. Prima Gutierr. de matr. cap. 19. n. 94. existimantis sponsam non lucrari per osculum medietatem arrharum, sed solum medietatem sponsalitiæ largitatis, sive arrhæ intervenerint, sive non.

1583 Secunda sententia est Gomes Arias l. 50. tauri n. 29. judicantis sponsam per osculum lucrari posse medietatem arrharum sponsalitia largitate non interveniente: si tamen ea intervenerit, habere optionem, ut eligat medietatem vel arrharum, vel sponsalitiæ largitatis. Ex duabus in priorem inclinat Palaus cit. pun. 12. §. 8. n. 3. ipse tamen amplectitur tertiam, asserens per osculum lucrari sponsam medietatem omnium, quæ ab sponso illi data fuerunt, sive sint arrhæ, sive sponsalitia largitas absque ulla electione, consummato autem matrimonio lucrari integras arrhas. vel integram sponsalitiam largitatem, prout ipsi libuerit.

Arrharũ electio intra viginti dies Illud compertum est apud Palaum cit. n. 8. ex Sanch. lib. 6. d. 32. n. 5. & Gutierr. de matrim. cap. 19. n. 48. consummato matrimonio sponsam vel ejus hæredes lucrari totum quod accepit ab spõso, nisi arrhæ intervenerint: nam his intervenientibus, conceditur sponsæ, vel ejus hæredibus intra viginti dies postquam fuerint requisiti, ut eligant vel integras arrhas, vel integram sponsalitiam largitatem, & facta unius electione, aliud spõso reddi debet juxta æstimationem quam habebat tempore receptionis, deductis tamen ijs, quæ vir necessarió erat consumpturus cum uxore, nisi illam sponsalitiam largitatem dedisset. Facta semel electione, variare non licet, nisi electio ob aliquam causam suo effectu destituta foret. Quia tunc pro non facta habebitur.

Uxor disponens de arrhis. 1584 Quod attinet ad alteram parté quæstionis, qualiter arrhas vel sponsalitiam largitatem uxor jam obtinens possit distribuere? Conveniunt authores cum Sanch. lib. 6. matr. d. 40. a n. 4. Molina Theol. tr. 2. d. 431. §. *de arrhis* Molina Iurista lib. 2. de primog. cap. 10. n. 64. quibus subscribit Palaus tr. 18. d. 1. p. 12. §. 9. uxorem, quæ jam obtinuit arrhas & sponsalitiam largitatem, si alteri viro non nubat, posse æqué de arrhis & sponsalitia largitate disponere, ac de reliquis suis bonis. Quia horum dispositio, & distributio, nullo jure illi intredicta, vel restricta est.

Uxor transiens ad secũdas nuptias. Difficultas est, an si dicta fæmina transeat ad secundas nuptias, possit de illis ac de proprijs bonis liberè disponere? Negant Sanch. de matr. lib. 6. d. 51. n. 3. Gutier. lib. 2. pract. quæst. 18. & Molina jurista lib. 2. de primog. cap. 10. n. 62. Probant quia uxor transiens ad secundas nuptias non potest liberé disponere de bonis sibi a primo viro cõcessis titulo lucrativo, si ex illo filios habeat, sed ea bona talibus filijs reservare debet, retento sibi usufructu: arrhæ autem non acquiruntur titulo oneroso, sed lucrativo: quia dantur in præmium pudicitiæ, quam fæmina matrimonio contracto tenetur amittere.

1585 Posita sententia & si communis & valde probabilis sit, tamen mihi non est minus probabilis quæ affirmat arrhas, & ipsarum dominium competere uxori tanquam bona omninó propria, de quibus potest disponere, esto habeat filios prioris matrimonij. Ita Palaus cit. p. 12. §. 9. n. 3. ex Molina theol. tr. 2. de just. d. 431, *contrarium* & Aluar. Valasc. consult. 16. n. 6. Ratio est quia, ut habetur *Auth. hoc loc. unn C. de secundus nuptias*. Solum ea quæ conceduntur uxori a marito titulo donationis gratuitæ inter vivos, vel ex testamento, reservantur filijs matrimonij prioris:

prioris: arrhæ verò nõ conferuntur per donationem merè liberalem & gratuitam, sed in compẽsationem dotis, nobilitatis, vel pudicitiæ. Secus de sponsalitia largitate, lecto viduali & similibus, quæ titulo non oneroso, sed lucrativo, & liberali impenduntur. Vide quæ de donationibus inter sponsos de futuro diximus parte. 1. tr. 14. lect. 4. q. 1. n. 949.

SECTIO VI.

De spõsalitia largitate, & pactis alijs inter sponsos.

QUÆSTIO I.

Quodnam donum sit spõsalitia largitas, & in qua quantitate præstari possit?

Sponsalitia largitas quid sit.

ANte decisionẽ quæstionis propositæ quoad utranque partem, & alias in hac sectione decidendas, oportet scire quid sit sponsalitia largitas. Sic igitur definitur a Sanch. lib. 6. matrim. disp. 1. n. 1. Est donatio quæ fit inter sponsos de futuro, seu ante contractum matrimoniũ per verba de præsenti ob matrimonij ineundi spem, ejusque causam. Hæc tria donatio inter virum & uxorẽ, donatio propter nuptias, & sponsalitia largitas (ut ait Azor p. 3 lib. 11. cap. 12. q. 2.) sic differunt, quòd donatio inter virum & uxorem solum fit constante matrimonio, donatio propter nuptias fit quando illud contrahitur: sponsalitia largitas, seu donatio, quando promissio est, ac de matrimonio ineundo fides datur, & accipitur.

Sponsalitia largitas quando dari intelligatur.

1586 His prænotatis, quæstionis prior pars inquirit, quæ munera inter sponsum & sponsam de futuro sive ab ipsis, sive ab eorum consanguineis, aut extraneis collata censeantur sponsalitia largitas? Quando constat de donantis animo, ipsi omninò standum est. Quando verò non constat, conjecturis indagandus. Difficultas est, an omnia quæ sponsus sponsæ mittit, eo ipso sponsalitia largitas censeri debeant? Affirmant Matien. lib. 5. recopil. tr. 2. leg. 4. & Anton. Gomes leg. 52. tauri n. 4. quatenus dicunt tradita sive quotidiana, sive pretiosa ab sponso sponsæ ante consummatum matrimonium, verè donata esse, efficique sponsæ integrè matrimonio cõsummato, & solum quoad medietatem, solo osculo interveniente.

Oppositum ex Gama & Iulio Claro tenet Molina tr. 2. disp. 290. §. *quartum dubium* ea omnia quæ sponsus ad sponsam mittit, non censeri donata. Quia præsumuntur mitti eo animo, ut spõsa vel ornatior, vel confidentior ac lætior ad virum accedat: non verò ut eorum dominium ad illam transeat.

Placet media via incedere cum Gregorio Lopes l. 23. *v. paños* tit. 11. par. 4. Sanch. lib. 6. matr. disp. 25 n. 8. & Palao tr. 18. disp. 1. p. 13. §. 1. n. 3. distinguentibus inter munera ordinaria seu exigua & magna, seu pretiosa: nam si sint prioris generis, præsumuntur donata, atque adeo sponsalitia largitas: secus si posterioris: quia hæc solum cõmodata præsumuntur. In dubio autem nõ præsumitur donatio l. *cum de indebito ff. de probat.* Hoc Sanch. cit. intelligit 1. etiam si vestes quotidianæ excedant dotis fructus. 2. ut vestes pretiosæ non censeantur donatæ, etiam si vir mittens dicat se donare. Quia hæc sunt verba urbanitatis: limitatur tamen, ut non procedat, si consuetudo sit, ut animo donandi mittantur. Quid si nihil exprimens mittat, & non detur consuetudo mittendi? censetur donare: secus, si detur consuetudo mittendi: quia tunc non liberè mittit. 3. nisi vir tradens vestes pretiosas sit valde dives, & nobilis: tunc enim videtur donare, quãdo donationi actus cõveniat.

Vestes pretiosæ & quotidianæ quæ.

1587 Tandem Sanch. cit. n. 20. benè resolvit, ut intelligatur quæ sint vestes pretiosæ & quæ quotidianæ, prudentis arbitrio standum esse, attenta viri & uxoris qualitate, & patriæ consuetudine. Vnde infertur 1. vestes sericas apud divites & nobiles inter quotidianas, apud inferiores inter pretiosas numerari. Infertur 2. vestes distinctas pro anni tempore hyemali & æstivo, si pro dignitate requirantur, censeri quotidianas. Infertur. 3. quanvis probabile sit eas omnes esse vestes quotidianas, sine quibus mulier publicè comparere nequit: tamen probabilius esse, quotidianas dici, quibus quotidie domi mulieres utuntur, pretiosas, quibus diebus festis.

Socer dans vestes pro filio.

Dubium est 1. an & qualiter censeantur sponsalitia largitas illæ vestes, quas socer nurui concessit? Respondeo cum Sanch. lib. 6. dist. 25, 33. & Gutierr. lib. 2. pract. quæst. 10. n. 1. quibus adhæret Palaus cit. §. 1. n. 7. eam concessionem esse spõsalitiam largitatem, itaut quando non constat de mente soceri concedentis quotidianæ censeantur donatæ, utpote alimenta: pretiosæ autem solum accommodatæ ad usum, proindeque eo mortuo computari in legitima filij. Quod procedit etiam de vestibus datis per patrem filiæ nuptiarum tẽpore: itaut pretiosæ censeantur comẽdatæ, quãdo ultra dotem tradit eas pater.

Pater donans filiæ.

Dubium est 2. an prædicta a consanguineis vel amicis sponsi concessa sponsæ, vel e contra, ita reputentur sponsalitia largitas, ut ipsius more acquirantur? Respondeo cum Palao cit. n. 10. in ipsius sententia asserente donata sponsæ a consanguineis sponsi, acquiri sponso, & solum usum concedi sponsæ, non esse sponsalitiam largitatem, ut rectè docent Molina de just. tract. 2. disp. 430. concl. 3. & Sãch. lib. 9. d. 26. n. 22. Ratio est, quia licet sponsus approbet donationem illæ sponsæ factam, non ex hoc precisè infertur sua approbatione sponsæ concedere quod sibi concessum est, sed solum approbare donationẽ juxta modum, quo facta est, acproinde retinere donati dominium sibi: quia in hoc approbationis modo sibi consulit.

Quantitas sponsalitiæ largitatis.

1588 Quod attinet ad posteriorem quæstionis partem inquirentem in qua quantitate spõsalitia largitas præstari possit? Certum est spectato jure communi in *toto titulo ff. & Cod. de donat. ante nuptias* nullam esse impositam taxam sponsa-

ſponſalitiæ largitati: & & in hoc jure communi conformari Luſitanum. Caſtellano tamen jure ſponſalitia largitas octavam partem dotis uxoris excedere nequit, ut habetur *leg. 1. tit. 2. lib. 5. novæ collect.* Hujus autem legis copioſam explicationē quære apud Sanch. lib. 6. Matr. diſp. 24. & Palaū de ſponſ. d. 1. pun. 13. §. 2. & alios authores Caſtellanos.

Sponſalitia largitas ex quibus bonis. Tandem inquirenti ex quibus bonis ſponſalitia largitas concedi poſſit? Reſpondeo cum palao citato n. 6. poſſe cōcedi ex omnibus bonis de quibus promittens, ſeu largiens, poteſt libere diſponere: acproinde in Caſtella de quinta bonorū parte, ſi filios habeat ex priori matrimonio, ſi veró ſolos aſcendentes, de tertia. In Luſitania (addimus) de ſola tertia bonorum parte. Quod ſi careat filijs & aſcendentibus tempore promiſſionis, de corpore hæreditatis extrahi debet. Qualiter vero filius familias conſenſum patris, & minor judicis authoritatem, vel conſenſum tutoris requirat ad ſponſalitiam largitatem, idem dicetur quod jam diximus de illis in ordine ad arrhas donandas num. 1545. *Minor ad ſponſalitiam largitatem.*

QUÆSTIO II.

Quonam tempore concedenda ſit ſponſalitia largitas?

Tempus concedendi ſponſalitiam largitatem. SEcundum jus commune & regnorum peculiare (ut rectè obſervant Anton. Gomes l. 52. tauri n. 6. & Matien. leg. 4. tit. 2. lib. 5. collect. gloſ. 3) ſponſalitia largitas concedi debet poſt cōtracta ſponſalia. Aliter a propria eſſentia decideret, cum definiatur conceſſio inter ſponſos ſub ſpe matrimonij contrahendi, & ob ejus cauſam. Deinde concedi debet ante matrimonium non ſolum conſummatum, ſed etiam cōtractum, ſi ſtemus juri communi, & antiquo Caſtellano. Quia matrimonio contracto reputatur donatio inter virum & uxorem.

1589 Spectato tamen noviori Caſtellæ jure, quod habetur *leg 52. tauri, & hodie* 4. tit. *tit.* 2. *lib 5. novæ collect.* ſponſalitia largitas poſt inita ſpōſalia cōcedi poteſt etiam poſt cōtractū matrimoniū, dumōdo cōſummatū non ſit. In his tribus reſolutionibus tanquam certis, omnes Caſtellani juris interpretes conſentiunt.

Benedictiones & velationes ad ſponſalitiam largitatem. Dubium eſt 1. Vtrum attento novo Caſtellæ jure poſſit concedi ſponſalitia largitas poſt copulam matrimonialem ante Eccleſiæ benedictiones, ſeu velationes? Affirmant Gutierr. lib. 3. prat. q. 44. n. 2. Ayora de partit. 1. p. c. 7. n. 37. Gomes leg. 52. tauri n. 6. & Barboſa *ff. ſolut.* matr. Rub. 3. n. eſtque ſententia probabilis. Ratio præcipua eſt, quia in Caſtella retinetur ſponſorum appellatio uſque ad Eccleſiæ benedictiones.

Negandum tamen eſt cum Sanch. lib. 6. diſp 23. n. 4. Caſtilho ad leg. 52. tauri n. 17. Ioanne Lupo leg. 52. tauri 3. 2. Gomes Arias leg. 52. tauri n. 20. & Caſtilho ibid. n. 17. Ratio eſt, quia lex illa tauri, quatenus decernit valere donationem inter ſponſos de præſenti, corrigit antiquum, & commune jus Caſtellæ: lex autem correctoria utpote odioſa, debet interpretari [illegible] amplé, ut vitetur juris correctio juxta [illegible] *appellet.*

Iocalia [illegible] ad ſponſam Dubium eſt 2. an cenſeatur c[illegible] ſponſalitia largitas tempore legitimo, ſi ſponſus [illegible] ſenti miſit ſponſæ mundos muliebres, [illegible] illos recipit ſponſa, ipſe, accedens [illegible] matrimonium? Affirmant Gutierr. lib. 3. [illegible] 44. n. 8. & Matienus lib. 5. recop. tr. 2. [illegible] 4. Gl. 3. n. 4. addentes ſive munera illa fuerint [illegible] per nuncium ſponſi, ſive per nuncium ſponſæ, in utroque caſu ſponſam ea lucrari jure regio ſpectato.

Rectiùs tamen Sanch. lib. 6. d. 23. n. 7. Ioan. Lupus leg. 52. *tauri* n. 14. & ibi Caſtilho n. 12. quos citat ac ſequitur Palaus tr. 18. diſp. 1. pun. 12. §. 3. n. 7. diſtinguunt inter nuncium ſponſi & ſponſæ. Si enim (ut benè exponunt) ſponſus nuncio ſponſæ tradiderit jocolia ad ſponſam deferenda, jocalium donatio valida erit, ut pote facta ante matrimonij conſummationem ſponſæ acceptam per nuncium a ſe deſtinatum: ſi autem ſponſus nuncio a ſe deſtinato tradidit jocalia, & antequam talis nuncius pervenerit ad ſponſam, ipſe perveniens matrimonium conſummavit, nulla fuit donatio, utpote ſubſequens conſummatum matrimonium. Quia donatio caret effectu, ſi tempore habili non acceptetur. *Donatio [illegible] pratu.*

1590 Dubium eſt 3. an ſint ſponſalitia largitas, proindeque ad illius rationem acquirendæ Veſtes, & alia ornamenta quæ ante conſummatum matrimonium in ipſo nuptiarum die dantur ſponſæ? Negant Azevedus lib. [illegible] recop. tit. 2. leg. 4. n. 27. Gregor. Lopes leg. 2[illegible] ad fin tit. 11 par. 4. & Gutierr. lib. 2. pract. q. 19. [illegible] 1. probā, quia hæc juxta *l. quod ſponſæ Cod. de don. ant. ante nupt.* præſumuntur collata in tempus matrimonij, proindeque data ſponſæ non ut ſponſæ, ſed ut uxori. *Veſtes donatæ ſponſæ [illegible] pratum.*

Affirmandum tamen eſt cum Sanch. lib. 6. d. 28. n. 9. Matien leg. 4. tit. 2. lib. 5. compil. Gl. 1. 6. n. 4. Gomes leg. 52 tauri n. 5. & Avendanho de exeque mand. lib. cap. 15. n. 5. Ratio eſt, quia dum non cōſummatur matrimonium, durat vera celſponſatio, atque adeo quæ tunc donantur, inter ſponſos donata cenſentur. Accedit lex 52. tauri, in qua deciditur lucrari ſpōſam quidquid ab ſpōſo acceperit ante nuptias,

QUÆSTIO III.

Qualiter acquiratur, & amittatur ſponſalitia largitas?

COnveniunt authores 1. jure antiquo ante Conſtantinum Imperatorē acquiri ſtatim ſponſalitiam largitatem donatario irrevocabiliter, manereque ſimplicem & puram donationē, niſi eſſet in ea expreſſum fieri intuitu matrimonij cōtrahendi, & ob ejus cauſam: at poſt Cōſtantinum deſiit eſſe neceſſaria hujuſmodi expreſſio cum ſufficiat ex præſumpta partium voluntate, & legis diſpoſitione ſubintelligi conditio, ſi matrimonium ſequatur. *Sponſalitiæ largitatis acquiſitio.*

1591 Conveniunt 2. hanc donationem inter

inter sponsos non referri in tempus matrimonij contracti: alias foret donatio inter conjuges, proindeque reprobato: sed eo ipso quo talis donatio subjubere eff ctum, & quæri donatario sub onere tamen ne omittat contrahere matrimonium: quo contracto donatarij fit pleno jure. Quid si non contrahitur matrimonium? Ex *l. cum veterū C. de donat. ante nupt.* oportet distinguere: nam si contingat facto & culpa donantis, hic donatum amittit & reddit, si aliquid ab alio accepit: si verò facto & culpa donatarij, hic quod donatum est, tenetur restituere.

Osculum sponsæ & sponsi. Excipitur nisi sponsa ante matrimonium consummatum accipiat osculum: tunc enim lucratur medietatem jocalium ob acceptum osculum. Secus in sponso: hic enim nil lucratur ob osculum datum vel acceptum. Disparitas est, quia sponsus ex osculo illo capit voluptatem, sponsa verò ruborem & verecundiam. In copula autem paritas datur, cum etiam sponsa voluptatem capiat: ex quo fit, ut per consummatum matrimonium jocalium lucrum æquè sponso & sponsæ comparetur. *l. si a sponso C. de donat. ante nupt.* Illud notabis ad hujusmodi lucrum debere osculum subsequi sponsalia, sicut copula matrimonium contractū. Debet enim esse osculum sponsorum, sicut copula conjugatorum.

Insinuatio ad sponsalitiam largitatem. Convenitur 3. ut detur lucratio seu acquisitio sponsalitiæ largitatis, opus non esse insinuatione, quanvis excedatur quantitas, quæ insinuationem requirit. juxta *l. Sancimus C. de donat.* Quia (ut rectè docet Molina tr. 2. just. d. 290. *§. quantum est.*) nihil requiritur, nisi quod osculum, vel copula matrimonium consummans præcesserit, & ne sponsalitia largitas octavā dotis partem excedat.

Amplexus ad lucrandum jocalia. Dubium est 1. an sicut sponsa per osculū cōparat medietatem jocalium ita etiam comparet per solū amplexum? Affirmant nonnulli ex doctrina S. Thomæ 22. 154. arg. 4. Glossæ in *Clem. fin. de bapt.* & Bart in *l. 2. de adult.* docentis eandem adulterij præsumptionem dari ex amplexu, atq; ex osculo alienæ uxoris.

1592 Negandum tamen est cum sententia probabiliori quam tenet Azevedo lib. 5. recop. tit. 2. leg. 4. n. 31. Joan. Lupus leg. 52. tauri n. 18. Castilh. n. 23. & Sanch. lib. 6. disp. 18. n. 8. Ratio est quia in *l. si a sponso C. de donat. ante nupt.* cui cōformatur Castellanū jus *l. 52. tauri*, de solo osculo, & nō de amplexu fecere mētionē. Accedit quia plus est osculari, quàm amplecti: tum quia per osculum caro immediate tangitur, per amplexum vestis: tum quia osculum communiter secū defert amplexum, non & contra.

Tactus impudicus ad lucrandū jocalia. Quid si absque osculo detur tactus impudicus, vel copula? Palaus tr. 18. d. 1. pun. 13. §. 4. n. 9. in quo solo inveni hunc casū, rectè dicit, quāvis aliquis non improbabiliter possit negare hos actus præbere causam sponsæ lucrandi medietatē jocaliū, ut pote illicitos, se tamen affirmare, dūmodo subsequātur spōsalia, & antecedāt matrimoniū. Quia in illis datur eadē omnino ratio neque obstat quòd sint actus illiciti, quia lex solum attendit ad gravamen sponsæ: & qui per actum illicitum potest aliquando lucrari, ut constat patet.

Sponsa ... impedimentum ... jocalia. Dubium est 2. Utrum quando est aliquod impedimentum sponsalia & matrimonium irritans, lucretur sponsa jocalium medietatem per osculum, & integrè per copulam apparenter conjugalem? Conveniunt tanquam in re certa authores cum Matien. l. 5. compil. tit. 2. leg. 4. glos. 2. n. 2. Gomes l. 52. tauri n. 7. & Sanch. lib. 6. d. 20. n. 1. si sponsus agnoscens impedimētū ignoranti sponsæ dedit, posse sponsam retinere; non ex vi sponsalitiæ largitatis, utpote nullius, sed ob deceptionem, & injuriam sibi ab sponso illatam simul cum voluntate donandi: è contra verò, si sponsus ignarus impedimenti sponsæ consciæ illius dedit, invalidam esse donationem utpote ex causa falsa; sponsamque teneri reddere acceptum.

Ignorantia ad sponsalitiam largitatem. 1593 Difficultas solum est, quando uterque impedimentum ignorat, vel agnoscit. Imprimis si ignorat non crassa & supina ignorantia (hæc enim scientiæ æquivalet) sed probabili & justa, lucrari sponsam per osculū vel copulam ab spōso illo datum, tenent multi cum Sanch. disp. 20. n. 3. Probant quia hoc lucrum conceditur sponsæ in præmium pudoris amissi: illa autem inculpabiliter pudorem amisit.

Hoc satis probabile est, sed existimo probabilius cum Gomes in leg. 52. tauri n. 7. & alijs quos citat & sequitur Palaus citatus p. 13. §. 4. n. 12. nullam tunc esse sponsalitiam largitatem, proindeque sponsam nihil lucrari. Sumitur ex ratione, & *l. cum hic status §. fin. ff. de donat.* ubi habetur datum ob causam, causa non subsistente nullū esse, sed donanti reddendum: at in nostro casu non subsistit causa donati, scilicet matrimonium, utpote fictum.

Fiscus ad sponsalitiam largitatem. Si uterque impedimentum agnoscat, Joan. Lup. rub. de donat. §. 36. n. 7. & Gomes leg. 52. tauri n. 7. affirmant totum illud donatum spectare ad fiscum, ex *l. cum hic status §. fin. ff. de donat. int. vir. & uxor.* Alij judicant sponsam retinere nō posse sic donatum, quia donationis causa defuerit: non teneri tamen fisco tradere quousque judicis sententia accedat. Verùmque probabilius quod docet Sanch. lib. 6. disp. 20. n. 7. scilicet posse spōsam retinere donec fiscus per sententiam auferat. Probatur, quia dans ex falsa causa, cujus conscius est, verè donat: & pœna à jure imposita condemnatione indiget.

Restitutio jocalium. 1594 Dubium est 3. an detur lucratio sponsalitiæ largitatis quando dissolvuntur sponsalia absque culpa, sed data opera, v. g. per ingressum religionis, votum castitatis, vel mutuum consensum? Dico 1. Quādo absque culpa utriusque spōsi dissolvuntur sponsalia, licet non casu, ut morte, si sponsus jocalia acceperat a sponsa, tenetur integrè restituere: sponsa verò, si osculum intervenit, medietatem: si non intervenit, integrè. Constat ex *l. cum veterum C. de donat. ante nupt.* Ita Sanch. l b. 6. disp. 21. qui rectè excipit casum, quādo dissolvuntur mutuo consensu: tunc enim videntur pactum

pactum tacitè inire, ut quilibet alteri accepta restituat. Quod procedit (inquit n.7.) si simul resiliant: nam si successivè, qui ultimò resilit, retinere potest.

Dico 2. quilibet licitè a sponsalibus resiliens alterius culpa, v. g. ob fornicationem, vel ob absentiam indebitam, vel ob matrimonij repulsam, lucratur sponsalitiam largitatem quam accepit, & recuperat quam donavit. Ita Sanch. cit. n. 8. ex *l. cum veterum C. de donat. ante nupt.* cui consentit Palaus cit. 18. Quid si antequam innocens dissolutionem illam ratam habeat, nocens emendet dissolutionis causam, v. g. cessãs ab absentia, vel denuo consentiens: poterit ne postmodum resiliens accepta retinere, & a se donata recuperare? Affirmant Gomes Arias l. 50 tauri n.4. Aretius, Cynus & alij ex *l. si mora ff. solut matr.* ubi cavetur moram purgari posse: quod maximè verum habet, quando non est jus contrariæ parti quæsitũ, sicut in casu præsenti, cum innocens causam dissolutionis sponsalium ab alio præstitam non acceptaverit.

Negandum tamen est cum Joan. Lupo, Castilho, Saliceto, & alijs quos refert, & sequitur Palaus cit. pun. 13. n. 18. Probatur, quia uno ex contrahentibus iniquè resiliente alter innocens ipso jure libertatem comparat, & jus acquirit retinendi accepta, & recuperandi donata: nec ad acquirendum hujusmodi jus indiget expressa acceptatione repulsæ ab alio factæ, sed solum quòd prædictam repulsam expressè non remittat.

QUÆSTIO IV.

Quæ pacta liceant, & fieri soleant inter sponsos?

1595 Spectant hujusmodi pacta ad cohabitationem conjugatorum, & continentur sub duplici genere, altero divagandi per varia loca, altero commorandi in aliquo certo loco. Igitur hoc duplex genus constituet duplicem quæstionis partem. Prior sternens iter posteriori inquirit obligationem quam habet uxor sequendi virum, & vir sequendi uxorem.

Cohabitatio viri & uxoris. Circa priorem certum est 1. conjugatos teneri ad cohabitationem, seu habitandum simul. Nã juxta *cap. unaquaque 13. q. 2.* tenentur ad obsequium mutuum, quod præstare non possunt, nisi cohabitent. Certum est 2. apud Sanch. lib. 1. disp. 41 n. 3. viro & non uxori cõpetere electionem habitationis: ita ut pro libito, & absque ulla causa possit domicilium mutare, teneaturque uxor illum sequi, nisi sibi prudẽter timeat aliquod grave damnum.

Uxor sequens virum. Certum est 3. *ex cap. de illis de sponsal.* quando vir non mutat domicilium, sed alió se confert animo ibi per aliquod tempus commorandi, & postmodum redeundi, si id ex causa honesta (ut debet præsumi) fiat, teneri uxorem illum sequi. Quia semper in obsequio viri, cui se subjecit, esse debet.

1596 Dubium est 1. An si vir damnetur ad exilium in pœnam sceleris alicujus patrati, teneatur uxor illum sequi? Negant Bald. ad *l. si cum dotem § si maritus n. 1. ff. solut. matr.* Mævius *[illegible] ff. de ann. legat.* Henriq. lib. 11. matr. cap. 10. n. 4. Probant quia rationi dissonum est, quod uxor innocens patiatur incommodum culpæ viri, atque ob delictum alienum puniatur.

Affirmandum tamen est cum Gutierr. de matr. c. 23. n. 12 Sanch. lib. 1. disp. 41. n. 12. & Palao d. 1. p. 15. § 1. n. 4. Sumitur ex *l. si cum dote §. solut. matr.* ubi dicitur uxorem debere sequi viri infortunium. Neque ex hoc sequitur ob delictum viri uxorem puniri, sed solum teneri sequi virum punitum ex debita subjectione, ad quam obligatur. Adde ex citatis, si vir sua culpa bannitus, vel inops fit, teneri uxorem eum alere fructibus dotis, & si hi non suppetant, bonis paraphernis. Ita Sanch. n. 13. *Uxor ad sequendũ virum vagantem.*

Dubium est 2. an si maritus nolit domicilium diuturnum alicubi figere, sed velit hinc inde vagari, teneatur uxor illum sequi? Alij negant: alij affirmant. Distinguendum est cum Gutier. cit. c. 23. n. 6. Covarr. 4. decret. 2. p. cap. 7. in prin. n. 5. & Sanch. cit. n. 6. in hunc modum: si vir non solebat vagari tempore contracti matrimonij, aut si solebat, id uxor ignoravit, non tenetur eum sequi: si autẽ solebat vagari, & uxor id agnovit, sequi tenetur. Constat prior pars, quia non est cogenda uxor subire gravissimum illud onus quod ignoravit. Posterior suadetur, quia uxor id agnoscens visa fuit mores viri approbare, & ad tale onus se adstingere, dummodo causa vagandi turpis non sit. *Maritus ad sequendum uxorem.*

1597 Dubium est 3. an vir teneatur aliquãdo sequi uxorem? Affirmativa resolutio benè defenditur ab Hostiensi, Anchar. Iulio Claro, Dueñas, & alijs, quos citant & sequuntur Gutier. cit. cap. 23. n. 13. Sanch. cit. n. 14. & Palaus n. 7. Ratio est, quia potest dari eventus, in quo uxor necessitate legis, salutis, alteriusve causæ gravis cõpellatur habere alicubi domicilium: & tunc, cũ conjugati teneantur sibi mutuò obsequi, & cohabitare, vir obligabitur ad sequendam uxorem, & cohabitandum in tali domicilio. Ex quo apparet differentia inter obligationẽ uxoris & obligationẽ viri: uxor enim obligatur ad domicilium viri habitum ex necessitate, vel ex libito: vir autem, cum sit caput, solum obligatur ad domicilium uxoris habitum ex necessitate. *Cohabitatio cõjugatorũ in loco certo.*

Posterior quæstionis pars inquirit, an valeat pactum appositum sponsalibus, quòd vir certo loco teneatur cohabitare? Conveniunt authores pactum hoc appositum sponsalibus ad cohabitandum pro certo ac determinato tempore validum ac licitum esse, obligareque virum sub gravi culpa ad sui observantiam. Dubitatio est an valeat, & obliget, si fiat de habitatione perpetua? Negant Capitius decis. 135. Covarr. 4. decr. 2. p. cap. 7. n. 5. Anton. Gomes 2. var. cap. 10. n. 24. Cujac. lib. 14. observ. cap. 27. & Ludov. Lopes 2. Instruct. c. 54. fine. Probant a simili, quia *l. 5. §. 1. e tamen ff. de usufr.* reprobatur operarum locatio perpetua, ne sit inutilis libertas. Accedit non valere pactum

pactũ quo se quis vinculis & carceri obligaret.

1598 Affirmandũ tamen est valere & obligare tale pactum, cum sentẽtia probabiliori quã defendunt Gutierr. de matr. cap. 23. n. 15. Sanch. lib. 1. disp. 40. n. 2. Basil. Ponce lib. 12. cap. ult. n. 3. & Palaus tr. 18. d. 1. pun. 15. §. 2. n. 3. Probatur, quia unusquisque potest rem suam tradere sub ea conditione, quæ sibi placuerit, modó talis conditio non sit reprobata jure naturali, vel positivo. *Cap. verum. de condit. apposit. & l. in tradit. ff. de pactis.* at prædicta conditio ne vir a tali loco mutet domicilium, nullo jure reprobatur.

Difficultas est an vir discedens a loco promisso satisfaciat uxori solvendo illi interesse? Affirmat Gomez 2. var. cap. 10. n. 24. Covarr. 4. decret. 2. par. cap. 7. n. 5. Gutierr. cap. 23. n. 16. & sententiam esse communem fatetur Palaus cit. n. 8. ipse tamen, cui subscribo, oppositam sequitur. Probat, quia ad factum potest quis præcisé obligari, ita ut pro illo satisfacere pecunia nequeat: nam juxta Bal. in *l. cum precibus C. de rerum permut. n. 1.* potest factum ita interesse, ut nulla pecunia solvi possit. Et in hoc casu fortassis uxor pluris facit præsentiam viri, quam omnes divitias.

Domicilium idem in uxoratis. Infertur 1. si vir obligetur sub aliqua pœna ad non mutandum domicilium, teneri illam solvere interveniẽte sententia. Sola enim pœna pro securitate sponsalium apposita reprobatur in *Cap. gemma de spons.* non quæ apponitur in favorem matrimonij. Infertur 2. maritum a loco promisso injustè discedentem posse ab uxore vindicari ut in illo demoretur. Infertur 3. uxorem non teneri virũ sic discedentem comitari. Quia ad hoc potissimum illud pactum fuit initũ, ne uxor cogeretur suam patriam deserere.

1599 Doctrina tradita procedit, dummodó non contingat causa nova mutandi domicilium, v.g. quia vir in illo loco capitales inimicitias cõtraxit, vel quia ille sanitati viri nimis infestus est. Tunc enim vir poterit ibidé discedere, etiam si pactum juramento firmasset: & uxor tenebitur illum comitari in illis casibus, in quibus teneretur si pactum nullum foret. Sanch. cit. d. 40. n. 6. ex quo n. 7. rectè infert valere conditionem appositam in primogenijs, ut successor sub pœna amittendi maioratum teneatur in certo loco habitare. *Maioratus cum conditione habitandi in certo loco.* Illud observa, si testator leget Titio sub conditione habitandi in certo loco, diversum esse, ac si leget, dum in tali loco habitaverit: quia (inquit Sanch. n. 8.) priori modo, rejecta conditione ob speciem servitutis, debetur legatum: non ita posteriori. *Legatum ad habitandum.*

Rogabis, an valeat pactum ne vir ingrediatur certam urbem, aut locum? Negant Alciat. lib. 5. consi. 34. n. 3. & Anchaer. Quia hoc pactum videtur ob esse reipublicæ, cui expedit abũdare hominibus liberis *l. fin. C. de indicta viduitate tollen.* illorum autem libertati pactum illud obesse. Affirmandum tamen est cum Gama decis. 63. & Basilio Ponce lib. 12. matrim. cap. 2. n. 9. Probatur, quia abstinere ab ingressu alicujus civitatis potest expedire ad bonum aliquod talis civitatis atque adeo esse quid honestum, v.g. pro vitandis discordijs, vel ob aliam rationem.

De pactis juratis, & quando pactum juramẽto firmetur, vel non secundùm jus commune & Lusitanum, egimus tract. 13. sect. 4. & 5. ubi etiã de pactis conjugatorum.

QUÆSTIO V.

Quæ pacta conditionata valeant liceant: & ut sic admittantur in sponsalibus?

1600 Supponimus esse varia genera conditionum, quæ tum sponsalium, tum matrimonij contractui apponi solent: nam aliæ dicuntur necessariæ, aliæ contingentes, aliæ possibiles, aliæ impossibiles, aliæ honestę, aliæ turpes: quas omnes exponimus in nostro Elucid. n. 953 *Conditionata sponsalia*

Certum est 1. si sponsalibus apponantur conditiones necessariæ, seu necessarió eventuræ, v.g. si sol cras oriatur, sponsalia æqué fore valida, ac si nulla conditio apposita esset: quia juxta §. *conditiones Institut. de verb. oblig.* ratione necessitatis, quoad obligationem executioni mandatæ reputantur. Esto tamen necessaria conditio non suspẽdat spõsalium obligationem, suspendit tamen executionem. Unde contrahentes non tenentur hujusmodi sponsalia exequi, donec conditio adveniat. *Necessaria conditio.*

Certum est 2. conditiones possibiles, contingentes & honestas posse adjici sponsalibus. Illud veró monent authores cũ Sanch. lib. 5. matr. disp. 8, Bellano disp. 19. dub. 1. n. 21. & Põce lib. 3. cap. 13. licét ille contractus quousque conditio eveniat, non constituat sponsalia, obligare tamen ad expectandum conditionis eventum. Unde si interim alter ex contrahentibus alia sponsalia absoluta contrahat, nullus erit cõtractus: quia obstat priori obligationi quam elidere non potest.

Dubium est 1 an conditiones impossibiles & turpes quæ a matrimonio ita excluduntur, ut habeantur pro non adjectis in illius favorem, eodẽ modo se habeant in sponsalibus? Affirmant multi Doctores quos citat & sequitur Sanch. lib. 5. matr. disp. 17. n. 2. Probant. ex *l. oratio ff. de sponsal.* ubi habetur dispositum in matrimonio censeri dispositum in sponsalibus. Sunt enim sponsalia via & dispositio ad matrimonium. Et hoc satis probabile est. *Conditiones impossibiles in sponsalib.*

1601 Nihilominus Rebell. lib. 2. de matr. q. 10. sect. 5. & Basilius Ponce lib. 2. de spons. cap. 7. n. 3. quibus adhæret Palaus tr. 18. d. 1. pun. 26. n. 4 affirmant spectato rigore juris, conditiones impossibiles vitiare contractum sponsalium, turpes veró suspendere, quousq; conditio ponatur. Hæc resolutio magis placet: quia generalis natura seu ratio conditionis impossibilis, & conditionis turpis est, quòd illa contractum vitiet, hæc suspendat quoad obligationem: & quanvis per jus positivum hoc fuerit correctum in matrimonio, nõ fuit correctum in sponsalibus. Lex enim *oratio* citate, solum agit de personis impeditis ad contrahendum, & non de conditionibus. *Impossibiles & turpes conditiones in sponsalibus.*

Du-

Dubium est 2. an hæc conditio (si Pontifex dispensaverit) quam apponunt impediti ad matrimonium, reputetur possibilis ac honesta, vel potiùs impossibilis, & turpis? Conditionem hanc esse judicandam impossibilem dixerunt multi apud Sanch. lib. 5. matr. d. 5. n. 5. Nam quæ a Principis voluntate pendent, quasi impossibilia reputantur. *l. 1. l. stipulatio, l. continuus ff. de legat.* 1. Alij cum Henriq. lib. 12. matr. cap. 10. n. 4. affirmarũt esse minus honestam, seu turpem. Quia per eam derogatur jus cõmune, & quasi vulneratur procurata, & obtenta dispensatione.

Dispensationis conditio. Dicendum tamen est cum Sanch. citato n. 12. & 13 Bellano disp. 29. dub. 1. cõcl. 5. n. 18. Rebello lib. 2. matr. q. 10. sect. 6. & Ponce lib. 3. matr. c. 15. n. 2. Talem conditionem esse possibile & honestam, si contrahentes habent causam lagitimã dispensationis, & Põtifex solet in tali impedimẽto dispensare, etiam si difficulter. Probatur, nam quod sæpe honestè fieri solet, possibile & honestum reputandũ est: at sic se habet matrimonium illud, quando contrahitur ex solita dispensatione Pontificis.

1602 Dixi (si Pontifex solet dispensare, & adest causa legitima) quia si non solet dispensare, conditio censebitur impossibilis: si causa dispensandi non datur, turpis reputari debet. Et secundùm hanc limitationem intelliguntur *l. stipulatio*, & *l. continuus* pro parte contraria citatæ.

Conditionalis pacti obligatio. Dubiũ est 3. Utrum quilibet ex prædictis cõtrahẽtibus possit altero invito resilire ante & post impetratam dispensationem? Affirmant Emman. Roter. to. 1. sum. c. 244. n. 9. & Gutierr. lib. 1. can. qq c. 22. n. 17. Probant, quia ille consensus utpote conditionatus sub conditione dispensationis, quæ est vulneratio legis, censetur debilior quàm consensus impuberum: hic autem adepta pubertate revocari potest.

Dicendũ tamen est cũ Sanch. lib. 5. matr. disp. 5. n. 13. Põce lib. 3. matr. c. 13. n. 21. & Rota apud Seraph. decis. 724. n. 17. Nemini ex dictis contrahentibus licitum esse vel ante, vel post obtentam dispensationem resilire. Patet, quia hoc generale & certũ est, ut contrahentes sub cõditione teneãtur sibi invicem ad rem promissam absolutè, sed dependenter a conditione: si autem pro libito resilire possent, obligati non essent.

Consensus in sponsalibus cõditionatis. Dubium est 4. An data conditione sub qua cõtrahentes obligantur, requiratur novus consensus, ut vera sponsalia existant? Constat ante advẽtum conditionis non dari vera sponsalia ex quibus nascatur impedimẽtum publicæ honestatis. Sic deciditur. *Cap. 1. de sponsalib. in 6.* Quod post datam conditionem requiratur novus consensus ut talia sponsalia obligent, existimãt Angles flor. lib. 1. p. q. 2. & Henriq. lib. 12. matr. c. 13.

1603 Oppositum tamen dicendum est cum Sanch. lib. 5. d. 5. n. 24. Bellan. disp. 29. dub. 1. n. 21. & Ponce lib. 3. c. 14. n. 7. Negãtibus opus esse novo consensu. Probatur, quia cõditionalis obligatio conditione adveniente transit in absolutam: & quanvis talis obligatio fiat a personis impeditis, non fit ab illis quia impeditæ sunt, quia nõ fit pro tempore quo durat impedimentum, sed pro tempore quo futuri sunt habiles, quo proinde ad veniente non requiritur alia voluntas.

Dispensationis procuratio. Dubium est 5. An teneatur procurare dispensationem, qui promisit consanguineæ sub prædicta conditione, si Pontifex dispenset? Affirmant Tabien. v. sponsalia 5. §8. n. 9. Petr. Ledes. de matr. q. 47. a. 5. dub. 2. & alij quos refert ac sequitur Sãch. lib. 5. matr. d. 5. n. 36. Probant, quia hujusmodi promissor tenetur ad principale, nẽpe matrimonium: tenetur igitur ad accessorium, scilicet procurandam dispensationem, sine qua matrimoniũ peragi nequit.

Hæc opinio est probabilis, sed probabilior negativa, quam defendunt Ægidius Bellan. disp. 29. dub. 2. n. 35. & Palaus tr. 18. disp. 1. pun. 16. n. 12. Probatur, quia ex promissione nemo tenetur, nisi ad id quod promisit: sed promittens matrimonium sub cõditione dispensationis, nec tacitè nec expressè promisit procurationem illius: sicut qui promisit matrimoniũ puellæ, si pater consentiat, non promisit procurationem consensus, ac proinde non tenetur procurare illum; ergo neque dispensationem.

Expensa dispensationis. Addit Palaus n. citato, hoc procedere etiam si quis sub dicta promissione puellã violasset. Notat tamen cũ Ægid. cit. dub. 2. n. 35. Si promissor ille dixit puellæ se facilè posse dispensationẽ impetrare, & sub illa spe virgo deflorationi consensit, teneri ad procurandam dispensationem. In id consentiunt omnes cum Sanch. n. 37. Promissorem illum nõ esse obligatum suis sumptibus impetrare dispensationem, nisi ad id se expressè obligaverit. Quia negotij cõmunis sumptus cõmunes esse debent.

Oscula et amplexus inter spõsos conditionaliter. 1604 Dubiũ est 6. An impeditis contrahentibus conditionaliter, si Papa dispensaverit, liceant oscula, & amplexus? Rectè cũ Soto in 4. dist. 29. q. 2. a. 2. & Barth. de Ledes. de matr. dub. 25. cõcl. 6 Docet Sãch. lib. 5. disp. 5. n. 38. Ante impetratam dispensationẽ minimè licere. Ratio est, quia prædicta solum licent inter verè & absolutè sponsos de futuro, qui jam tales & absolutè sint: at nõ ita se habent conditionales. Licebunt verò impetrata dispensatione, etiam absque ratificatione consensus. Quia jam verè sponsi de futuro sunt.

SECTIO V.
De dissolubilitate Sponsalium.

QUÆSTIO. I.
Qualiter dissolvantur sponsalia mutuo consensu, & ingressu religionis?

Sponsalium dissolubilitas. Cum multa sint principia ex quibus dissolutio sponsalium evenire potest, quæ tota hac sectione complectemur, hæc duo, mutuus consensus, & religionis ingressus utpote præcipua quæstioni primæ duas partes suppeditabunt. Quod attinet ad priorem, conveniunt authores cum Sanch. lib. 1. matr. d. 52. n. 2. Filliucio tr. 10. cap.

cap.8.q.3.&Bonacina q.1.de sponf. pun.10.n.1. sponsalia puberum dissolvi posse mutuo consensu. Habetur *cap. 2.de sponsal.* & celebri illo axiomate:res per quascunque causas nascitur, per eas dissolvi potest,si solubilis est.

Consensu mutuo ad dissolvenda sponsalia.

Nec obstat *c.2.de sponsal.*ubi Pontifex dicit eos qui de contrahendo matrimonio fidem dederūt, monendos esse,ut præstitam fidem servent. Nam quiquid alij sentiunt circa hujus capitis expositionem,placet Palaus tr.18.d.1.punt.17.n. 3. existimans Pontificem voluisse sponsos esse monendos ut servent fidem, quando nulla supervenit rationabilis causa resiliendi a sponsalibus. Quia tūc levitatis & inconstantiæ poterunt argui, dabiturque obloquiorum occasio.

Juramentum in sponsalibus.

1605 Difficultas est;an possint ab sponsalibus resilire,quando illa juramento firmantur? Constat dissolvi posse, quando juramentū præcipuè in partis favorem præstatur. Deus enim illud acceptat veluti dependenter a consensu partis. Quid si principaliter fiat in honorem Dei, & tota res cedat in favorem partis:ut si intuitu pietatis quisquam juret fæminæ se eam ducturum? Sanch.lib.1.matr.d. 32.n. 8. probabilem judicat negativam sententiam,quasi ex dissolutione illorum lædatur jus Dei. Affirmandum tamen est cū eod.Sanch.cit.n.8.Gutierr.de matr.cap.24.Basil. Ponce lib.12.c.9 n.2.Bellano disp.23.dub.1. Ratió est,quia Deus accipit juramentū illud in partis favorem, ac proinde quando pars, cui debetur, condonat,Deus etiam remittit.

Pubes cū impubere ad resiliendum a sponsalibus.

Majus dubium est,si loquamur de sponsalibus quæ dantur inter puberem & impuberem? Cum Sanch.lib.1.disp.51 n.10.& Gutierr.cap.29.n.8. Covarr.decret. 1.p.cap.5.§.1.n.5. & alijs rectè Palaus cit.p.17.n.6.consentit 1.si pubes cum impubere contraxit,permissum non esse puberi resilire:sed expectare tenetur an impubes pubertatem nactus respuat:quod si non respuerit, firma persistent sponsalia. Consentit 2.cum parētes pro filijs impuberibus sponsalia contrahunt,non esse datum ipsis filijs resilire quousque puberes sint, si sponsalia fuerit valida: secus si invalida. Semper autem ex quadam honestate tenebitur patris voluntatem sequi,dum rationabilis causa recedendi non detur.

Impubere ad spōsalia.

Quid si impuberes juraverint sponsalia? poterunt ne resilire adepti pubertatem? Sanch. lib.1. disp.51.q.3.in hunc modum resolvit:non caret (inquit) probabilitate non firmari juramento, atque adeo posse resilire. At probabilius est firmari,nec esse licitum resilire. Habetur *cap. ex litteris 2.de sponsal.* Quod intelligitur (addit)de impuberibus doli capacibus, qui quoad hunc effectum tales censentur,quando ita proximi pubertati sūt ut habeant discretionem ad reddenda sponsalia irrevocabilia. Si autem non sint ita doli capaces, indigent juramenti relaxatione, quam præstabit Episcopus.

Impuberū sponsalia an firmentur juramēto.

Palaus tamen citatus n.9.adhærens Basilio Pōce li.12.cap 9.n.8.affirmat lōgè verius esse impuberem sponsalia jurantem posse nacta pubertate ab illis resilere,ac si jurata nón essent. Utrūq; probabile ac tutum:sed tutius quod docet Sanchez.

166 Quod attinet ad posteriorem quæstionis partem de dissolutione sponsalium per ingressum religionis,certum est & definitum *cap. 2.de conversione conjug.*religionis ingressu & professione sequuta dissolvi sponsalia,sicut & matrimonium ratum. Dubium est 1.an per solum ingressum dissolvantur sponsalia? Tres sunt sententiæ. Prima Toleti lib.7.& 21.Soti in.4.dist.27.q.2.a.5.&Sanch.lib.1.disp.42.n.3. asserentium dissolvi ex utraque parte scilicet manentis in sæculo,& ingredientis religionem. Probant, quia si professio dissolvit matrimonium ratum, novitiatus,qui est via ad professionē, dissolvet sponsalia.

Ingressus religionis ad dissolvenda sponsalia.

Secunda ex diametro opposita est Covarr.lib. 4.Deci.1.p.cap.5.in prin.n.1.Paludani q.1.art.3 casu 5.n.23.& aliorum absolutè negantium ex parte alicujus dirimi. Probāt,quia nullus est textus concedens hujusmodi dissolutionem. Tertia verior & probabilior utraque distinguit inter eum qui manet in sæculo,& eum qui intrat religionem: asseritque ex parte ejus qui in sæculo manet,dissolvi sponsalia.ex parte veró intrantis religionem firma manere,itaut egressus postmodum compelli possit stare promissis. Ita Rebel. l. 4.q.6.sec.6.Layman.lib.5.tract.10.cap.2.n.2.Basil.Ponce lib.12.de matr.c.10.n.3.Ægid. Bellan. disp.23.dub.3.comb.4.& Palaus p.18.n. 3. Patet prior pars,quia ingrediens novitiatum quandiu non emittit professionem,manet habilis ad nubendum,nec aliunde apparet ratio ob quam debeat obligetur ad nubendum, casu quo egrediatur. Constat posterior pars,quia promissio matrimonij habet hanc imbibitam conditionem,si res notabiliter non mutentur:at mutantur notabiliter per ingressum alterius in religionem, tum quia cogitur manens in seculo expectare per totum tempus novitiatus,tum quia egrediens a religione notam secum defert.

1607 Dubium est 2.an possit quis relicta sponsa religionem ingredi,si sponsalia juramento firmata sint? Negant Rebell.lib.4.matr.q. 8. sect. 6.conc.2.Angles,Navarr. Ledesma & alij citati a Sanchez statim citando. Fundantur in *c. cōmissū 16.de sponsal.*in quo consultus Alexan.3. respondit tutius esse juramenti servata religione contrahere matrimonium,& postea, si elegerit, intrare religionem. Accedit, quia juramentū obligat quoties non datur peccatum, proindeque nō dispendium salutis æternæ.

Juramētum in sponsali an obstet religionis ingressui.

Affirmandum tamen omninò est cum Gutierr.cap.25.de matr.n.2. Sanch.lib.1.disp.43.a.n. 3.Basilio Ponce lib.12.cap. 10.a. n.9.& Bellano disp.23.dub.2. Probatur, quia juramentum sequitur naturam actus cui adjungitur *cap quemadmodum,de jurej.& l.fin.C.de non numer. pecun.* at promissio matrimonij secum defert hanc conditionem. nisi promittens velit religionem ingredi. Verùm est quód promittens potest teneri aliūde contrahere matrimonium antequam religionē

Qqq intret,

intter, v.g. pro legitimanda prole, vel ut fœminæ honori consulat.

Votum religionis in sponsalibus.

Dubium est 3. an qui sponsalia contraxit & juravit, si voto religionis se postmodum obstringat, possit inire matrimonium animo religionem ingrediendi, illo non consummato? Affirmant Petrus de Ledesma de matr. q. 53. a. 1. dub. 1. Henriq. cap. *Commissum* n. 8. Alexan. de Nævo n. 9. Probant, quia talis contrahens in contrahendo matrimonio neque religionem neque castitatem violat: deinde nullam alteri conjugi irrogat injuriam.

1608 Quanvis hæc opinio sit probabilis, lõgé probabilior est opposita negans id posse fieri absque peccato. Ita Gutierr. cap. 25. n. 4. Sanch. disp. 43. n. 6. & Palaus disp. 1. pun. 18. n. 8. Probatur, quia ille post votum religionis contrahens matrimonium se exponit manifesto periculo nõ implendi illud, si v.g. consummet matrimoniũ, in quo graviter peccabit, nisi aliqua ratione excusetur, v.g. si non pateat securus aditus ad religionem, vel debeat consulere honori fœminæ, aut prolis bono.

Defloratio fœminæ ab habente votum religionis.

Dubium est 4. an habens votum religionis, aut castitatis, si fœminam honestam sub fide matrimonij contrahendi defloret, possit fœminam illam ducere, voto omisso? Negant Emman. Rodr. *to.* 1. sum. cap. 208. n. 11. Candel. aur. 3. par. de Sacram. cap. 14. n. 65. & Navarr. lib. 4. consil. tit. de sponsal. consil. 21. Probant, quia posterior promissio utpote inique facta, & contra jus Deo quæsitum, nequit debilitare priorem; ergo hæc, & non illa servanda est.

Affirmandum tamen est cum Lessio lib. 2. cap. 10. dub. 4. Gutierr. de matr. cap. 25. n. 7. Sanch. disp. 45. a. n. 3. Vasq. de restit. cap. 3. & Bellano disp 23. dub. 3. concl 6. prædictum defloratorem nõ solum posse, sed teneri fœminam illam ducere. Ratio est, quia non expedit ut quis cum gravi detrimento alterius, quale patietur fœmina deflorata, se ostendat liberalem, etiam erga Deum: nec Deus talem approbat liberalitatem; ergo ille tenebitur fœminam ducere.

Resolutio procedit, quando fœmina illa corpus tradidit bona fide, ignorans scilicet alterum esse obstrictum religionis ingrediendi, vel castitatis voto. Nam si mala fide, hoc est probé sciens alterum voto ligatum, corpus tradidit, ille obligabitur religionem ingredi relicta deflorata. Fuit enim hæc particeps iniquæ promissionis, & ut sic non potuit jus contra religionem acquirere.

QUÆSTIO II.

Qualiter dissolvantur sponsalia susceptione ordinis sacri, vel ejusdem, aut religionis aut continentiæ voto?

Ordinis sacri susceptio ad spõsalia.

1609. PRo comperto habetur sacri ordinis susceptione dissolvi omninó sponsalia: siquidem contrahendo matrimonio se quis reddit inhabilẽ suscipiens sacrum ordinem. Difficultas est, an sicut quis sponsalibus ligatus potest religionem ingredi, possit etiam suscipere sacrum ordinem? Affirmant Gutierr. cap. 26. n. 2. Navarr. cap. 22. n. 25. Sotus in 4. dist. 27. q. 1. a. 5. Henriq. lib. 11. c. 14. & Basilius Ponce lib. 12. c. 11. Probãt ex paritate rationis, nam ideo ligatus spõsalibus potest religionem ingredi, quia in illis est imbibita cõditio, nisi status perfectior matrimonio eligatur; sed ordo sacer est etiam status perfectior matrimonio; ergo, &c.

Negandum tamen est cum Sanch. cit. disp. 47. Ægid. Bellan. disp. 23. dub. 3. n. 25. & Rebello lib. 4. matr. q. 8. sect. 5. Tota disparitatis ratio fundatur in dispositione juris: jus enim concessit religioso statui sponsalia dirimere: id autem non cõcessit ordini sacro. Aliter sicut religiosus status dirimit matrimonium ratum, ita ordo sacer dirimeret, quod omninò falsum est.

Votum dissolvens sponsalia.

1610 Quod attinet ad partem alteram de voto ordinis sacri, & religionis, vel continentiæ, omninò certum est ex decisione *cap. rursus. qui clerici vel voven.* si aliquod ex prædictis votis sponsalia antecedat, ea prorsus reddere irrita, etiam si firmentur juramento. Quæritur an votum illud sponsalia subsequens, ea dissolvat? Ex tali emisso voto constat præberi sufficientem causam, ut alter ab spònsalibus resiliat: cum per illud (ut notat Sanch. d. n. 5.) intelligatur vovens juri suo acquisito renunciare.

Votũ ordinis sacri.

Difficultas est circa illa triplicis generis vota, scilicet ordinis sacri, religionis, & continentiæ, an dissolvant sponsalia antecedentia? Imprimis affirmant dissolvi voto ordinis sacri illi authores qui supra docuerunt ipso sacro ordine dissolvi. Negandum tamen est cum Sanch. lib. 1. matr. disp 47. n 3. & Bellan. d. 23. dub. 3. n. 25. & alijs, quos nuper secuti fuimus docentes votum illud esse irritum utpote de re illicita, ac proinde non posse sponsalia irritare.

Votũ religionis ad sponsalia.

Circa votum suscipiendæ religionis, sponsalia antecedentia dissolvere, recté docent Henriq. lib. 11. de matr. Gutierr. de matr. cap. 26. n. 3. Sanch. lib. 1. d. 46. n. 2. & Ponce lib. 12. cap. 12. n. 2. quia votum illud est de re licita & meliori, qualis est status religionis. Palaus tamen tr. 18. d. 1. pun. 20. n. 4. quanvis dicat tale votum esse validum, & licitum, credit tamen non dissolvere spõsalia quousque religiosa professio emittatur.

1611 Maius dubium est de voto continẽtiæ, an præcedentia sponsalia dirimat? Affirmant Vasq. opusc. de restit. cap. 3. §. 3. dub. 6. n. 17. Suar. lib. 2. de voto cap. 4. n. 13. Azor p. 1. lib. 11. cap. 21. q. 10. & Ponce lib. 12. de matr. cap. 12. n. 4. Probãt ex *cap. Veniens, qui clerici*, ex *cap. pervenit de jurejurar.* quibus innuitur valor talis voti, & vis ad sponsalia dirimenda. Deinde ex ratione, quia vinculũ religionis in voto fortius est qnàm vinculum fidelitatis, quod datur in sponsalibus. Hæc sententia est probabilis.

Negandum tamen est cum probabiliori, quã tenent Sanch. lib. 1. disp. 46. n. 6. Layman. lib. 5 tr. 10. p. 1. cap. 2. n. 6. Bellanus dub. 3. concl 7. & Palaus cit. p. 20. n. 6. Sumitur ex *cap. veniens* citato quod ita exponunt citati doctores, ut ex mente Pon-

Pontificis cum illu [illegible] vim & valor præcedentium sponsalium. Solemn[illegible] status religiosi ob ejus singularem [illegible] habet vim ex jure positivo [illegible] divinat.

Rogabis, an teneatur religionem ingredi, vel saltem sacrum [illegible] qui ante, vel post sponsalia ad matrimonium ratum se voto castitatis obstrinxit? Affirmant [illegible] sum. q. 1 [illegible] 4. Sylv. v. sponsalia q. 7. Navarr. cap. 22. n. 25. & Lud. v. Lopez 2. p. Instruct. c. 38. Probatur quia vovens tenetur adhibere medium seu capere viam, qua votum suum impleat, & alia via, de quo loquimur, votū castitatis implere nequit.

1612 Probabilius tamen est neque ad religionem, neque ad ordinem obligari. Ita Gutierr. de matr. c. 26. n. 1. Sanch. lib. 1. disp. 46. n. 13. Lessius lib. 2. cap. 41. n. 52. Bellanus disp. 23. dub. 3. n. 27. & Layman. lib. 5. [illegible] 10 [illegible] p. cap. 2. n. 9. Probatur, quia religionem ingredi, item sacrum ordinem assumere sunt quid valde arduum, ac difficile, [illegible] ad voti observationem, tenetur uti medio minus difficili.

Infertur igitur voto castitatis obligatum teneri ad sponsalia implenda nisi pars altera remittat talem obligationem: deinde post contractum matrimonium teneri debitum reddere, quanvis petere [illegible] expediet autem obtineri dispensationem [illegible] vel eis qui in illo impedimento dispensandi facultatem habuerint.

Voti observatio.

QUÆSTIO III.

Qualiter sponsalia [illegible] matrimonio vel sponsalibus [illegible]

Circa priorem [illegible] partem, conveniunt [illegible] Sanch. [illegible] 1. Bellanus disp. 2 [illegible] n. 28. & Gutierres c. 27. n. 2. tanquam in re certa ex parte illius qui matrimonium [illegible] contraxit, manere dissoluta sponsalia [illegible] contrahens præstitit illi [illegible] causam resiliendi, tum quia facto ipso [illegible] renunciavit. Quod verū habet, etiam si invalide matrimonium initum fuerit.

Sponsalium dissolutio per matrimonium.

Ex parte vero contrahentis matrimonium, ipso durante, sponsalium obligatio etiam jurata suspensa est *cap. fin. cap. si inter [illegible] de sponsal.* quia eo tempore executioni [illegible] nequit. Secus, si matrimonium [illegible] invalidum, quia juxta *Reg. non præstat, de regul. juris in 6.* non præstat impedimentum quod de jure nō sortitur effectū.

1613 Tota difficultas est, an qui contraxit cum [illegible] sponsalia, contrahens cum secunda matrimonium, hoc dissoluto morte, vel professione [illegible], teneatur cum prima volente contrahere? Negat Henr. lib. 11. c. 14. n. 2. Gutierr. cap. 27. de matr. n. 3. Rodriq. [illegible] n. 1. [illegible] 45. [illegible] Sanch. lib. 1. disp. [illegible] d. 48. n. 3. & Layman. l. 5. [illegible] p. 1. c. 2. Probatur, quia obligatio sponsalium [illegible] per matrimonium cum alia [illegible] fortior obligatio supervenit [illegible] ejus conservationis, ut habetur [illegible] regulam 6.

[illegible]

Animadvendum tamen est [illegible] probabiliorem [illegible] Bellan [illegible] cap. [illegible] 4 [illegible] 23 [illegible] 4 [illegible] non est [illegible] ex singulis [illegible] sponsalium [illegible] manifestum, quod [illegible] dissoluto, manet ex [illegible] de spon. [illegible] cum limitatione, quod priora illa sponsalia fuerint jurata.

1614 Circa posteriorem quæstionem, scilicet de priorum sponsalium [illegible] per posteriora, certum est 1. & ea de [illegible] ex parte sponsi [illegible] repulsam patientis, tum quia alteri contrahendo secunda sponsalia [illegible] tum quia per talem repulsam dedit illi [illegible] causam recedendi. Certum est 2. contrahentem sponsalia posteriora [illegible] non manere solutum ab obligatione priorum sponsalium: si quidem illa posteriora invalida [illegible] pote rei illicitæ promissio. *Sp[illegible] [illegible] gant.*

Quid si posteriora sponsalia firmentur juramento? utrio in *cap. fin. de sponsal.* Abbas, & [illegible] la in *cap. [illegible] de jurejur.* existimant posteriora sponsalia jurata prævalere prioribus [illegible] propter religionem juramenti. D[illegible] tamen est cum certa sententia, quam [illegible] sequitur Sanch. lib. 1. disp. 5 [illegible] n. 2. posteriora illa sponsalia jurata nullius momenti [illegible] sunt de re iniqua, & in damnum tertij, cui per priora jus quæsitum fuit. Quod procedit [illegible] contrahuntur posteriora, subsit causa [illegible] a prioribus. Si enim talis causa subsit, posteriora etiam non jurata prævalent. *T[illegible] [illegible] jura.*

Quid si priora sponsalia cessent in aliquo eventu, v. g. remissione, morte, matrimonio, aut professione religiosa, manebit ne contrahens obligatus ad posteriora? Affirmant Covarr. 4. decret. 1. p. cap. 4. §. 1. n. 10. & Rebell. lib. 4. q. 8. [illegible] 4. Negandum tamen est cum Gutierr. cap. 28 [illegible] tr. Ponce lib. 12. cap. 14. n. [illegible] Bellan. disp. 23 [illegible] 4. n. 29. & Sanch. lib. 1. [illegible] 5 c. n. 6. Ratio, quia cum dicta posteriora semel fuissent omnino invalida ratione incompatibilitatis cum prioribus, earum obligatio, nequit postea insurgere.

1615 Maior difficultas est, quando accessit copula sponsalibus posterioribus, an soluta maneant priora, quibus (ut supponimus) copula non accessit, & secunda sponsa [illegible] sui [illegible] sponsalium [illegible] n. 3. R[illegible] 1. 49. [illegible] 5. [illegible] quæ nulla [illegible] hoc [illegible] vel [illegible] *Copula in posterioribus sponsalibus.*

H[illegible] opp[illegible] pa[illegible] ut [illegible]

 [illegible]

pun.23.n.6.cum Ægid. Bellan. disp.23. dub.4. concl.4. n.34. Rebello lib.4. de just.q.8. sec. 8.n. 56.& Ponce lib.12. de spons.cap.14.n.4. Probatur, quam obligatio onerosa semper prætertur obligationi liberali: at obligatio quam quis habet contrahendi cum secunda est onerosa, cum proveniat ex contractu oneroso dandi matrimonium sub conditione copulæ: obligatio autē contrahēdi cum prima est liberalis. Confirmatur ex *l. quoties* 15. C *de rei vindicat.* ubi si Titius promittat libera [illegible] equum Sempronio, & postea Seyo vendat accepto & consumpto pretio, tenetur Seyo tradere.

Illud nota ex citatis, ante Tridentinum, vel modo in partibus, in quibus Tridentinum receptum non est, si constet in secundis spōsalibus fuisse habitam copulam animo maritali, dari verum matrimonium, quod proinde absque dubio dissolvit priora sponsalia. Si veró non constet de tali animo, sed dubitetur fueritne habita affectu fornicario, an maritali, pro maritali standum est, ut tenent Sanch. lib.1.d.49.n.1.& Pōce lib.12.c.14.

QUÆSTIO IV.

Qualiter dissolvantur sponsalia ob sponsi absentiam, vel ob lapsum termini præfixi?

1616 Circa priorem hujus quæstionis partē, conveniunt tanquam in re certa Sanch. lib.1. disp.54.n.14. Ægid. Bellanus disp.23. dub.6.& Layman. lib.5.tr.10.1.par.cap. 2.n.15. si sponsus inscia sponsa, vel ea non annuente, terram deserat in remotiorem se transferens, mittere sponsam ipsam a lege sponsalium [illegible] quia discedens videtur renunciasse sponsalibus [illegible] quia sponsa non tenetur sequi sponsum mutantem domicilium. Sic *in cap. de illis de sponsal.*

Absentia sponsi ad [illegible] sponsalia.

Neque ad hoc (ut monent citati) postulatur judicis authoritas: & procedit etiam de sponsalibus juramento stabilitis. Intelligitur tamen de sponso mutante omninó domicilium: non veró de illo qui causa gerendi negotij vel studiorum discedit. Tunc enim non dissolventur sponsalia, sed tenebitur sponsa expectare, nisi tandiu differantur nuptiæ, ut detur periculum incontinentiæ. Notant veró Henriq. l.11.cap.14.n.5.& Sanch. [illegible] disp.54.n.12. ut in hoc periculo spōsa possit transire ad alia vota, debere esse certam nō esse sponsum de proximo rediturum. Quia aliter expectare tenebitur. Quód jus civile *l. sæpe ff. de spōsal.* circa tempus expectationis definit, non esse observandum, expresse tradit Ponce lib. 12. cap. 15.n.4.

[illegible] monet Palaus tr.18. [illegible].1. pun. 23.n.4 [illegible] absentia sponsi procedere [illegible] absentia spōsæ. Tum quia spō[illegible] quia in absentia sponsæ [illegible] contingit solet.

Sponsalibus [illegible]

1617 Circa posteriorem partem de lapsu [illegible] contrahi duplici[illegible] ad exequendum de[illegible]. Si contra[illegible] dubium nequeunt, nisi tamen

sit sponsi mora, ex qua prudenter intelligi possit, sponsalibus renunciasse: hujus tamen arbitrium non erit sponsæ, sed judicis, qui interpellatus declaret sufficientem esse dissolutioni moram illam. Quando etiam sponsa gravatur in expectando sponsum etiam impeditum legitimé, judex adiri debet (inquit Bellanus disp.23. dub.6.n.43.) qui assignet terminum sponsalibus adimplendis, sin minus ab obligatione sponsam liberet.

Quid si implendis sponsalibus certus dies, seu terminus designetur? eone transacto manebit liber ille per quem non stetit? Hoc dubium bene resolvit Sanch. lib.1.d.53. a. n. 1. ubi distinguens: Dupliciter (inquit) præfigitur terminus, primò ad finiendam obligationem: & tunc eo elapso cessat ex parte ejus, per quem nō stetit. Secundó ad solicitandum obligationis effectum: & tunc lapsus termini non extinguit obligationem, sed cōstituit debitorem in mora. Utrunque, si de contrahentium animo non constet, ex duplici regula intelligetur.

Terminus [illegible] sponsalibus.

1618 Prior regula sit: Si terminus ab uno tantum contrahentium designetur, ut alter intra illum impleat, censetur destinari tantum ad solicitandum. Posterior sit: quādo terminus ab utroque contrahente imponitur respectu alicujus per utrumque implendi, si adjiciatur antequam contractus sit perfecte initus, eo transacto obligatio non durat: si adjiciatur jam perfecto, & consummato, est ad solicitandum: quia primus terminus est intrinsecus & pars obligationis: secundus est extrinsecus.

Bellano disp 23.dub.6.n.42. & Palao [illegible] pun.24.n.3. displicent assignatæ regulæ, [illegible] recurrendum esse ad causas & motiva ob quæ terminus fuerit assignatus, & ex illis colligendum, an assignatus fuerit causa finiendi obligationem, an causa illam solicitandi. Quidquid tamen sit, de maiori securitate & perspicuitate regularum, ego sequor Sanch. cit. disp.53. n.4. quæstionem sic resolventem.

Probabilis est sententia, quæ asserit lapsu termini sponsalibus adjecti, semper ea dissolvi ex parte ejus per quem non stetit. At probabilior [illegible] distinguit, si sponsalibus jam contractis, tractetur ex intervallo de die matrimonij celebrādi, lapsus termini neutrum liberat: si autem eo tempore, quo spōsalia contrahuntur, mutua detur fides de matrimonio tali termino contrahendo, tunc lapsus termini eximit ab obligatione illum, per quē non stetit. Patet, quia in primo casu terminus est extrinsecus, in secundo est intrinsecus. Illud [illegible] observat idem Sanch. n.5.& 6. ut sponsalia per lapsum termini ex parte utriusque contrahentis dissolvantur, id stare debere per utrumque: alioquin solum dissolventur ex parte illius per quem non stetit, & alter ligatus manebit.

1619 Dubiū est, an mora inculpabilis præstet alteri sponso [illegible]
Affirmant Navar. c. 22.n.27. [illegible] Bellan. disp.23.dub.6.n.47. Layman. lib.5.[illegible] 1.p.cap.2.n.17.& Palaus cit. [illegible].24 [illegible]

quia sponsis præfigentibus terminum, ne diutiùs abstineant a nuptijs, æque damnosa est dilatio, sive ex parte alterius culpabilis sive inculpabilis si ergo etiã sine culpa unius, potest alter resilire?

Hæc opinio probabilis est, sed probabilior negativa, quam tenent Gutierr. de matr. cap. 24. n. 10. Sanch. d. 53. n. 7. & Basil. Ponce lib. 12. cap. 16 n. 4. Sumitur ex *cap. quia diversitatem, de concess. præb.* & *l. 1. §. fin. C. de annal. except* in quibus deciditur impedito non currere tempus; quando autem quis caret culpa, etiam si terminus elabatur, impeditus censetur ad contrahendum pro tunc; ergo alter resilere non poterit.

QUÆSTIO V.

Qualiter dissolvantur sponsalia ob fornicationem, vel superveniens impedimentum juris?

PRior quæstionis pars de dissolutione sponsalium ob fornicationem, continet alia certa, alia dubia. Certum est 1. sponsalia dissolvi ob fornicationem ipsa sequentem. Sumitur ex *c. quemad modum, de jurejur.* Si enim fornicatio sufficit ad tollendam conjugatorum cohabitationẽ, a fortiori sufficiet ad solvendam promissionem conjugij. Addunt Sanch. lib. 1. d. 55. concl. 1. & Ponce lib 12. de sponsal. cap. 17. n. 2. procedere etiam de juramento firmatis. *Fornicatio ad solvenda sponsalia.*

1620 Certum est 2. dissolvi sponsalia etiam ob solius sponsi fornicationem. Quanvis enim citatus textus solum exprimat sponsæ fornicationem, authores illum meritó extendunt ad fornicationem sponsi: cum ex sponsalitio contractu uterque æqué teneatur suum corpus nemini tradere, sed comparti servare ad matrimonij usum. Certum est 3. hujusmodi dissolutionem sponsaliũ esse solum in favorẽ innocentis, & ex ipsius parte, itaut fornicans adhuc maneat obligatus sponsalibus, si innocens velit perficere. Non enim debuit ex iniquitate reportare lucrum.

Dubium est 1. an præstet sufficientem causam dissolutionis fornicatio violenter habita? Negãt Armilla *v. sponsalia* n. 12. & Tabiena v. eod. q. 9. n. 10. casu 6. Probant, quia per talem violentiam, seu coactionem excusatur sponsa a violatione fidei datæ in sponsalibus, nec suspicionem ingerit quod matrimonio constante violabit. Affirmandũ tamen est cum Henriq. lib. 11. cap. 14. n. 6. Sãch. cit. disp. 55. n. 7. Ægid. Bellano dub. 7. concl. 2. & Laymano cap. 2. n. 10. propter violentam copulam sponsæ posse resilire sponsum a sponsalibus. Ratio sumitur ex *c. raptor. 27. q. 2.* in quo permittitur spõso sponsam sine culpa raptam dimittere. Quanvis enim ex parte illius nulla intervenerit culpa, tamen ob raptum reddita fuit notabiliter vilior: similiter & per violentam fornicationem.

Quid si sponsus patiatur vim in copula quam habuerit, poteritne sponsa resilire? Affirmãt Gutierr. cap. 31. matr. n. 3 & Glossa in *c. si quippe 27. q. 2.* Probant, quia sponsus ita factus est deterior per illam vim, ut fœminæ videatur probrosum in sponsum ducere. Negant communiter alij cũ Sanch. lib. 1. d. 55. n. 8. Ponce cap. 17. n. 3. quia viro nulla accrescit infamia ex eo quod fornicetur per vim coactus. Utraque opinio probabilis est: & mihi fere certum quod addit Palaus d. 1. p. 25. n. 6. posse sponsam resilire, si sponsus per vim Sodomitice cognoscatur. Quia tunc certum est viliorem reddi.

1621 Dubium est 2. an si uterque sponsus fornicetur, utrique a sponsalibus resilire liceat? Respondeo tres esse opiniones: Prima Paludani in 4. dist. 27. q. 7. a. 3. n. 17. asserentis neutri resilire liberum esse. Quia delicta, mutua compensatione tolluntur, *argum. cap. intelleximus de adulter.* Nam in causa sponsaliũ & matrimonij uterque sponsus æqualis est. *Fornicatio utriusque sponsi.*

Secunda opinio ex diametro opposita est Palai d. 1. p. 25. n. 10. asserentis utrique sponso in tali casu liberum esse resilire. Probat, quia licèt fornicatio sponsæ fœdior sit, & sponso majorẽ causam resiliendi præstet, tamen quia sponsus fornicans fidẽ datam fregit, sufficientem sponsæ causam resiliendi præbuit.

Tertia tamen opinio communior & probabilior, quam cum multis defendunt Sanch. d. 55. n. 9. Bellanus disp. 23. dub. 7. concl. 6. Ponce lib. 12. de spons. cap. 17. n. 3. & Layman. lib. 3. sum. tr. 10. 1. p. cap. 2. n. 11. media est docens solum sponsum & non sponsam resilire posse. Fundatur in disparitate fornicationis: quia esto utraque fornicatio sponsi & sponsæ æqualis sit quoad violationem fidei, jurisque promissi, tamen æqualis nõ est quoad infamiam: siquidem vilior, fœdior, spõsoque detestabilior sponsæ fornicatio est.

1622 Dubium est 3. an impudici tactus & oscula sponsi vel sponsæ cum alijs, sufficientem causam dissolvendi sponsalia innocenti præbeant? Palaus citatus n. 7. cum Ochagaria de sponsal. q. 23. & Gutierr. de matr. cap. 31. n. 1. affirmativam partem absolutè amplectitur, sive impudici tactus & oscula ab sponso, sive ab sponsa committãtur. Probat, quia per hujusmodi turpes actus æquè violatur fides in sponsalibus data. *Oscula & tactus impudici ad solvẽda sponsalia.*

Hæc sententia probabilis est, sed communior & probabilior, quam defendunt Sanch. d. 55. n. 5. Layman cit. c. 2. n. 10. Bellanus disp. 23. dub. 7. n. 56. & Basil. Ponce lib. 12. cap. 17. n. 3. scilicet illos tactus & oscula si fiant ab sponsa, præbere sponso causam sufficientem resiliendi: si autem fiant ab sponso non præbere sufficientem causam sponsæ, ut resiliat. Ratio est, quia ex illis sponsa redditur notabiliter vilis ipsi sponso: secus & contra. Benè tamen Layman. & Bellan. dicunt posse resilire sponsam, si sponsus sit valde frequens in illis osculis & tactibus. Tunc vilescet ob impudicitiam.

Dubium est 4. de fornicatione spirituali, qualis est hæresis: an sufficiat ad dissolvenda sponsalia quod sponsus incidat in hæresim, seu hæreticus fiat? Rectè affirmant omnes fere doctores cum Sanchez disp. 55. n. 3. Gutierr. cap. 31. n. 5. & Ponce lib. 12. c. 17. n. 3. Hoc tamẽ intelligitur vel quãdo delictum accidit in illis partibus in quibus delinquentem reddit infamem, ut in Lusitania, & *Hæresis ad dissolvenda.*

 alijs

alijs regnis æqué catholicis: vel cohabitatio hæretici est periculosa innocenti.

Impedimentis dissolvens sponsalia. 1623 Posterior quæstionis pars inquirit an dissolvantur sponsalia per impedimentum juris superveniens? Conveniunt omnes dissolvi sponsalia per impedimentum dirimens, ut si contractis sponsalibus oriatur affinitas inter sponsos ex fornicatione cum consanguineis in primo vel secundo gradu.

Difficultas est de impedimento impediente, àn dissolvat sponsalia? Affirmant nonnulli quos citat, ac sequitur Gutierres de matr.cap.31.n.2. Alij ex opposito negant. Mihi videtur incedendum media quadam via, itaut dicamus cum Sanch.lib. 1.d.56.Bellano disp.23.dub.5.n.36. & Palao d.1. p.26.per nullum impedimentum impediens dissolvi sponsalia, excepto religionis & castitatis voto. Patet, quia tale impedimentum superveniēs solum matrimonio obstat, dum res est omninò integra: secus quando sponsalia præcesserant.

Dispensationis procurandæ obligationis. Dubitatur, an is cujus causa impedimentum dirimens contractum est, teneatur, altero exigente, procurare illius dispensationem? Sanch. lib. 1. disp.56.in fine Filliucius de matr.cap. 8. q.8. & Bellanus disp.23.dub.5.n.37.& Gutierr.c.32.n 2 respondent cum distinctione scilicet teneri etiā suis magnis expensis, & gravi difficultate, si fæmina patiatur aliquod grave detrimentum in carentia matrimonij, v.g. quia deflorata fuit sub illius spe: secus, non teneri.

1624 Mihi tamen videtur indistinctè & absq́ ulla limitatione affirmare. Ita Petrus de Ledesma de matr.4.43.art.causa 3. Ochagavia q.23.& Palaus d.1.pun.26.n.3. Ratio est, nam qui jus alterius lædit, tenetur ad illud reparandum quantum moraliter potest: qui autem post sponsalia voluntariè posuit impedimentum matrimonio contrahendo, læsit jus compartis, quod potest reparare per impetrationem dispensationis; ergo absoluté tenetur ad illam procurandum: aliter enim jus quod sua malitia læsit, reparari non poterit.

QUÆSTIO III.

Qualiter dissolvantur sponsalia ob defectum personæ, vel fortunarum supervenientem?

Defectus personæ ad dissolvenda sponsalia. VT capiamus exordium a defectibus ex parte personæ, rectè docent Sanch. disp.57.n. 3.& Basilius ponce lib. 12. cap.17. n.4. ex *cap. quem ad modum 25. de jurejur.* ad dissolvenda sponsalia ex parte illæsi, sufficere notabilem fæditatem supervenientem alteri. Ratio est, quia promissio subintelligitur rebus in eodem statu permanentibus. Unde præter citatos rectè affirmant Gutierr.c.32.n.3.& Bellanus disp.23. dub,8.n.66. sufficere unius oculi amissionem.

Morbi sponsis superveniens. Ex dictis sequitur 1. lepram, paralysim, aliam ve contagiosam ægritudinem præbere sano causam sufficientem dissolutionis. Unde sufficiet morbus Gallicus superveniens, ut sanus possit resilire. Est enim contagiosus, squalidus, & rarò depellitur. Addunt Seraphinus decis.1113.n. 8. Rictius decis.232.n.4.& Ponce lib.12.c.17.n. 4. sufficere hujus morbi vehementem suspicionem, etiam si non plené probetur.

1625 Sequitur 2. idem esse dicendum de quolibet morbo incurabili, qualis epilepsia. Addunt Sanch. Ponce, & Gutierr. apud Palaum cl. 1. pun. 27.n.3. sufficere oris graveolentiam, quando arte medica depelli non possit: tum quia habitualis morbi indicium est, tum quia in mutua cohabitatione vix sustineri potest.

Deformitas superveniens. Quid si sponsa tempore sponsalium erat pulchra, & post modum reddatur notabiliter deformis? Posse resilire sponsum, negant Matien. lib.5.recop.tit.1. Rub.Colost.1.n. 47.Sudov.Soper 2.p.Instrut.cap.38.& Covarr.4.decret. 1.p.c. 5.n.6 probant, quia deformitas superveniens viro non præstat fæminæ causam resiliendi; ergo neque è contra. Affirmandum tamen elt cum Sanch.disp. 57.n. 4.Basilio Ponce lib. 12. c.17.n. 5,& Ægid.Bellan.dub.8.n.66. Fundantur, quia prima voluntas seu intentio non præsumitur extendi ad casum notabiliter difficilem ex notabili illa mutatione: cum mulier pulchra alliciat, deformis avertat.

Defectus animi ad dissolvenda sponsalia. Hactenus de defectibus personæ quoad corpus: si loquamur de defectibus animi, qui sunt graves, conveniunt Doctores præstare causam sufficientem resiliendi. Unde ex illis potest contingere muliplex sponsalium dissolutio 1. si ob grave delictum superveniat infamia, qui est innocens poterit resilire. 2. si reperiatur sponsus deditus ebrietati, Scortationi, aut simili vitio. 3. ob sævitiam, seu morum asperitatem denuò cognitam. Est enim hæc etiam sufficiens ad divortium. 4. ob graves inimicitias ortas inter sponsos: tunc enim solvuntur sponsalia utrinque: quia utrique sponso impendet periculum mali exitus. 5. si spōsorū parentes ita obstinaté inter se contradicant, ut ex tali contradictione timeantur prudenter graves discordiæ. Monent tamen Doctores in hoc cauté procedendum: quia defervescente illo impetu illæ minæ in nihilum recidunt. Vide Palaum p.27.n.7.

Defectus fortunarum. 1626 Quod attinet ad defectum fortunarum, & alias supervenientes causas, conveniunt authores cum Sāch.cit.d.59.n.2. & Bellano disp. 23.dub.8.n.70. ob defectum dotis promissæ dissolvi sponsalia ex altera parte. Nam promissio dotis est cōditio sub qua celebrātur sponsalia. Quid si dos promissa non sit, & sponsæ superveniat paupertas? Multi, quos citant Gutierr.cap.33.n.3. & Sanch.d 59 n.3.negant dissolui sponsalia. Probant, quia juxta Barbos. in *Rub.ff.soluto matrim.4. p.n 3.* mulier nubens non censetur omnia sua bona in dotem offerre, nisi id exprimat; qui igitur promisit matrimonium sponsæ divitiis . . . promissa, illi obligatur ac si bona nulla possideret.

Affirmandum tamen est dissolvi. Ita Sylvest. v.sponsalia q.10.casu 9.Henriq.l b.11.c.13. . . Sanch.l.b.1.disp.59.n.4.& Basil. Ponce lib.12.c. 17.n.8. Ratio est, quia ad solvenda . . .

ficit notabilis rerum mutatio in ijs quæ ab initio valde movent ad nubendi voluntatem:& nihil movere solet plus quàm opulentia, seu fortunarum abundantia. Ex quo inferunt Ricius decis. 252. & Basil. Ponce cap. 17. n. 8. ad dissolvenda sponsalia sufficere justum timorem exhæredationis.

Divitiæ sponso supervenientes. Quid si uni ex sponsis supervenit notabilis copia divitiarum, quam non præcogitavit, altero in eadem fortuna manente? Videbitur alicui posse resilire: quia illi fit notabiliter durior executio sponsalium. Negandum tamen omninò est cum Gutierr. cap 33. n. 4. Sanch. lib. 1. d. 59. n. 7. & Ægid. Bellano disp. 23. dub. 8. n. 69. Probatur, quia pars cum qua sponsalia contraxit non est facta deterior: privari igitur suo jure non debet ob alterius divitias.

1627 Iam retulimus causas præcipuas, ob quas dissolvi possunt sponsalia. Sed aliæ minutiores, quæ passim occurrunt, ac nequeunt facilé denumerari, generali regula desumpta ex *cap. quemadmodum de jurejur.* complectuntur Navarr. c. 22. n. 27. Sanch. lib. 1. d. 62. n. 3. & Layman. lib. 5. sum. tr. 10. c. 1. n. 18. Statuunt igitur, quoties contractis sponsalibus supervenit aliqua causa, quæ eorũ executionem notabiliter reddit difficiliorẽ: quæq; si a principio existeret quemlibet alium ejusdem conditionis a contrahendis prudenter averteret, cessare eorum obligationem ex parte illius, cui contractus difficilior redditus est. Addunt Sanch. n. 5. & Gutierr. c. 33. n. 8. procedere, etiam si nova illa causa superveniat postquam alter fuit in mora implendi sponsalia.

QUÆSTIO VII.

An si causæ hactenus numeratæ præcesserint sponsalia, & ignorentur, illa dissolvant, ac si supervenissent?

Ignorantia causæ dissolutivæ sponsalium. IN hac quæstione sunt quædam certa, quædam dubia. Ut certa separemus a dubijs, & ab illis ordiamur, certum est 1. quando causæ dissolutivæ sponsalium fuere cognitæ à cõtrahentibus, nullã resiliendi facultatem superesse. Quia tunc data illa cognitione alter cessit juri suo, quod proinde alteri quæsitum est. Procedit igitur quæstio de ignorantibus.

Certum est 2. nullam etiam superesse facultatem resiliendi quando ignorantia talis est, ut nõ dederit causam cõtractui, scilicet quia etiam si nõ daretur, sed perfecta rei cognitio, adhuc celebrarentur sponsalia. Oportet igitur quód ignorantia talis sit, ut sine illa contractus sponsalium nõ daretur. Certum est 3. quando multæ sunt causæ seorsim sufficientes ad dissolvenda sponsalia, sufficere ignorantiam unius, ut ignorans possit resilire. In quo casu standum erit assertioni cujusque dicentis se minimé consensurum, si eam sciret.

Virginis putatæ ... ad sponsalia. 1628 Certum est 4. dicta procedere, quanvis sponsalia fuerint jurata. Patet, quia juramentum sequitur naturam actus, cui tanquam accessorium adhæret. Certum est 5. ob præcedentem fœminæ fornicationem, quam vir existimabat virginem, posse virum a sponsalibus resilire. Hoc tamen Sanch. lib. 1. d. 64. n. 3. Ponce lib. 12. c. 18. n. 2. & Bellan. d. 23. dub. 7. concl. 3. n. 57. & merito extendunt ad viduam fornicantem. Sed minor in hac, quam in illa certitudo apparet. Quia major defectus est prior quam posterior.

Vidua putata virgo in sponsalibus. Dubium est 1. an ei ob viduam, quam vir existimavit virginem, sit causa sufficiens resiliendi, seu dissolvendi sponsalia? Ægid. Bellan. disp. 2. dub. 7. n. 58. respondet cum distinctione dicens non posse virum resilire ab illis sponsalibus, nisi vel fœmina se illi tanquam virginem venditasset, vel ille clericalem habitum gestasset. Quia solum in his eventibus censetur notabiliter deceptus.

Affirmandum tamen absoluté cum Sanch. lib. 1. disp. 63. n. 3. Gutierr. cap. 34. n. 4. & Basilio Ponce lib. 12. c. 18. n. 2. in quolibet eventu talem sponsum posse resilire. Ratio est, quia comparatione talis viri data fuit notabilis mutatio: nam in communi æstimatione hominum vidua ad nubendum reputatur inferioris conditionis, quam virgo.

Fornicatio sponsi ante sponsalia. 1639 Dubium est 2. an fornicatio sponsi ignorata præstet causam sufficientem sponsæ ut possit resilire? In affirmantem partem inclinat Navarrius cap. 22. n. 27. & probat, quia fornicatio subsequens præstat sponsæ causam & jus resiliendi; ergo similiter fornicatio antecedens.

Negandum tamen omninó est cum Sanch. lib. 1. d. 63. n. 9. Gutierr. c. 34. n. 7. Bellano disp. 23. dub. 7. n. 62. & Basilio Ponce l. b. 12. c. 18. n. 2. Nam disparitas inter antecedentem fornicationem sponsi & sponsæ est manifesta: siquidem fœmina per fornicationem redditur notabiliter vilior & contemptibilior: non ita sponsus: vir enim in communi hominum æstimatione gravem notam incurrit nubens cum fornicaria: at fœmina nullam notam, vel dedecus subit nubens viro, qui aliam cognovit.

Hanc tamen resolutionem meritó citati authores limitant 1. nisi foret vir ille scortator, seu nimis deditus fornicationibus: tunc enim ob id vilesceret, & meritò timeretur foret ut in matrimonio similia patraret. Limitat 2. Ægid. Bellan. cit. dub. 7. concl. 5. n. 62. nisi vir ex fornicatione prolem haberet: quia tunc matrimonium redditur difficilius, ex obligatione præstandi alimenta: quod procedit etiam si proles legitimà foret.

Sponsalia irritanda & non irrita. 1630 Dubium est qualiter ignorantia dans causam contractui, & sufficiens ad sponsalium dissolutionem, illa infirmet? redditne sponsalia ipso jure irrita, an solum irritanda ex parte decepti? Respondeo cum Sancho d. 1. pun. 29. n. 10. Sessio lib. 2. ist. cap. 17. dub. 5. n. 31. & Bellano disp. 23. dub. 9. a n. 72. contractum illum sponsalium validum esse: competere tamen decepto jus dissolvendi, seu rescindendi. Ratio est, quia prædicta ignorantia seu error solum versatur circa qualitatem contractus, & non circa substantiam: quia consensus in sponsalibus, quãvis formaliter feratur in qualitates, tamen primariò & præcipue personam tanquam substantiam respicit.

Copula in sponsis tollit jus resiliẽdi. Dubium est 4. an conscius causæ ad sponsalia dissolvenda sufficientis censeatur cedere juri resiliendi

endi, si mutuò se cognoscant? Rectè affirmant cum Sanches disp.66.n.2. Sayman lib.5. sum.tr. 10.1.p.cap.2.n.20.Ponce lib.12.c.18.n.4. & Bellanus disp. 23. dub 10.a n.75. Ratio est, quia si conjuges post matrimonium contractum censentur remittere jus divortii per copulam, a fortiori sponsi per illam jus resiliendi censebuntur remittere.

Impedimentum tacitum in sponsalibus.

Superest adhuc gravis difficultas, quæ est cōplementum quæstionis, & poterat esse illius pars altera: utrùm scilicet laborans impedimento occulto, quod ab sponsalibus contrahendis alterum averteret, possit eo tacito illum compellere ad exequendum? Pro decisione notabis impedimentum illud, seu causam impedientem sponsalia, esse duplicem, alteram quæ comparti tali impedimēto carenti reddit nuptias minus commodas, qualis si mulier sit corrupta, pauper, vel ignobilis, cū talis non reputetur: alteram, si sit improbis moribus, & feroci ingenio, quæ reddit nuptias incōmodas & damnosas, ut si laboret paralisi, si lepra, vel morbo Gallico.

Femina se virginem simulans.

1631 Benè igitur resolvunt ex Sanch. lib. 6. de matr.d.27.n.8. Bellano disp.23.dub.12. concl. 1. Turrian.2.2.disp.78.& Basil. Ponce lib.12.cap. 18.n.6. si impedimentum sit prioris generis, posse contrahentem illud tacere, imò interrogatū dissimulare: cum alteri incumbat exploratio illius, ut sibi consulat. Unde virgo reputata potest uti medijs ad suum defectum tegendum. Si autem impedimentū sit posterioris generis, adhuc Gaspar Hurtado disp.2. de matr. diff.17.n. 62. censet occultari posse. Favet Sanch.lib.1.d. 68. n 7. ponens exemplum in morbo Gallico. Et lib.6.d.27. q. 2. loquitur generaliter de omnibus impedimentis.

Defectus manifestandus ad sponsis.

Mihi tamen absolutè placent Turrian. Bellan. & Basilius citati, quibus accedit Castro Palaus p. 30.n.5. asserentes impeditum aliquo impedimento posterioris generis, teneri vel a sponsalibus cōtrahendis desistere vel defectum manifestare, nisi forte pars altera laboret eodem defectu. Ratio est quia sicut peccat contra justitiam vendens rem putrem credenti esse sanam, ita etiam qui se taliter defectuosum pro sano & integro venditat.

Ex dictis sequitur defectuosum hoc posteriori modo non posse compartem ad matrimonium compellere. Addit Ponce lib. 12. c.18.n. 7. idem procedere, quanvis sponsus solis impedimentis prioris generis l[illegible]. Quod probabile dicunt Bellanus, & Sa[illegible] quanvis oppositum judicent probabilius: & rectè. Probatur, quia ille defectus sive sponsalia antecedat, sive subsequatur non impedit illorum valorem; ergo defectu eodem non obstante potest sic defectuosus alterum compellere ad matrimonium.

QUÆSTIO VIII

Quæ authoritas probatio, & quis tenor servandus in dissolutione sponsalium.

Autoritas ad dissolvenda sponsalia.

1632 IN hac tergemina quæstione prima pars inquirit, an pro dissolvendis sponsalibus judicis authòritas postuletur? Rectè observant S.Thomas in 4.dist.27.q.2.a 3. S.Anton.3.p. tit. 1.cap.18.§.& Layman.c.2. de spons. in hunc prudenter statutum esse in quibusdam diœcesibus ut sponsàlia publica interpellato judice, & non authoritate propria dissolvantur. Nihilominus tamen inquisitio est quid dicendum spectato communi jure.

Si non detur scandalum, & solum attendatur jus commune, stante causa certa, jure & facto certo dissolvendi sponsalia, nulla exigitur judicis authoritas. Quia dissolvens habet jus quo uti potest: & nullibi cavetur de adhibenda judicis authoritate. Ita valent. disp.10. q.2. pun.5. Sanch. lib.1. d.69.n.3. Rebell.lib.4.q.8.sect.9. & Ponce lib.12.c.18.

Dixi (si non detur scandalum) quia hujus vitandi gratia authoritas judicis adhiberi debet, scilicet quando sponsalia fuere publica, & causa dissolutionis secreta. Nā si causa jure certa est, & facto publica, nullum scandalū justé timeri potest.

Maior dubitatio est, quid fieri debeat, quando sponsalia sunt publica, causa dissolutionis secreta, & habens jus resiliendi compellitur promissis stare? Bené resolvunt citati authores, monendam esse partem, comminādam publicationem defectus: & si non acquieverit, occultum defectum posse ad judicium deferri: illa enim delatio proprij juris defensio est.

1633 Quid si crimen ponens impedimentum ita est occultum, ut nequeat probari in judicio? Bené respondent Sanch.lib.1.disp.69. n.7.& Layman.lib.5.tract.10,1.p.cap.2.n.11. posse innocentem propria authoritate resilire. Quia tunc cessat obligatio interpellandi judicem: cum perniciosa esse possit talis interpellatio, & quis ob defectum probationis cogi stare promissis. Quid si pars nō permittat innocentem resilire, & illum compellat judex? Non tenetur in conscientia parere, sed potest subterfugere.

J... spons... lium qui.

Illud rectè docent authores citati non esse aliū judicem pro dissolvendis sponsalibus nisi solum Ecclesiasticum ordinarium, vel delegatum, qui in foro externo jurisdictionem habeat. Ex quo rectè infert Palaus cit.p.31.n.4. Parochum judicem non esse.

Pr... pro d... sol... sponsalibus.

2 Quæstionis pars inquirit quænam requiratur probatio pro sponsalibus dissolvendis? Procedit de utroque foro, interno & externo. Quod attinet ad internum, roganti qualis certitudo causæ sufficientis ad dissolvenda sponsalia requiratur, ut licité dissolvantur? Respondeo cum Sāch.lib.1.disp.73. eam sufficere ad dissolvenda spōsalia in foro conscientiæ, quæ in foro externo satis esset: ut in alio simili, nempe ad faciendum divortium propria authoritate.

Ex quo infertur satis esse unum testem de certa scientia sibi jurantem, vel famam: nam hæc sufficiunt in foro externo. Imo si esset persona fide digna, & omninò certa de impedimento, sufficeret, etiam si non juraret. Unde sufficit, si relatione aliorum, vel propria experientia cognosceret

quis

qui sponsam suam illius virginem tempore sponsalium, &c.

Quod utrumque ad ipsum pertinet, ... testimonium ... confirmatum ... juramento firmata, ... si uterque sponsus fateatur impedimentum ... quia sponsalia mutuo consensu ... dissolvi possunt.

Fama & rumor.

1634 Dico 2. ille qui matrimonium celebrari oppo... impedimentum fateatur, ... quia jam uterque recusat matrimonium. Dico 3. si alter qui matrimonium ... impedimentum fateatur, non statur ejus confessioni. Patet, quia talis confessio est in suum favorem, & in præjudicium juris tertio acquisiti.

Probationes contra matrimonium promissum.

Si loquamur de testimonio ex dictis aliorum, rogantur qualis probatio sit plena ac sufficiens, ut Ecclesia impediat celebrari matrimonium, ac dissolvat sponsalia, Sanch. lib. 1. d. 71. quatuor conclusionibus omne satisfacit. 1. conclusio. Impedimentum ne matrimonium contrahatur, plene probatur unico teste. Habetur expresse *Cap. super eo c. 2. de testibus & attest.* Intelligitur 1. licet testis non sit ... per partem producentem ... oblatus. 2. quavis clam, & absque nominis publicatione testari velit. 3. etiã si testis esse: denunciator, vel accusator, & criminosus, allegaretque turpitudinem suam: nec requiritur juramentum exactum a contrahentibus pro maiori probatione.

Testis in sponsalibus solvendis.

Hæc tamen solum procedunt quando agitur de impedimento opposito ob rationem peccati vitandi, scilicet quando matrimonium sine peccato contrahi nequit: non verò quando agitur de præjudicio tertij & datur causa, qua existente, nullum esset peccatum contrahere, ut si ad dissolvendum sponsalia alleget sponsæ fornicatio: tunc unus testis non sufficit. Habet postea conclusio locum etiam si sponsalia juramento firmata sint, modò ... testis integer sit nempe bonæ famæ, & judex attentis circunstantijs sibi persuadeat verum deponere.

1635 2. conclusio. ... testis sponsalia ... impediat, aliquæ qualitates debent concurrere. 1. ... testis deponat: si enim solum denunciaret, non impediret, nisi probaret de fama. 2. ut juret. 3. ut juret se certo scire impedimentum. Testificans de ... audito solum valet ad probandum ... si serventur quæ decernit ... 4. ne sit vilis persona: hæc enim ... minimè impediret.

3 Conclusio. Fama impedimenti plerumque illud ..., ne matrimonium contrahatur. Quod verum est etiam si sponsalia juramento firmata sint. Hæc tamen fama non sufficit, si privata sit, nempe ... privatis 4. conclusio. Non satis est fama ad impediendum matrimonium, adhibenda ... fama ... probationibus: ... contra ... fama admittur enim ... juramentum, & ... quæ vebet ... Inter famam & rumorem ... est, quod illa ... quando maior pars ... hic, ... ut tertia vel quarta. Ad ... probationem ... non ... sufficit.

Denique pro decidenda tertia quæstionis parte, duplex expeditur difficultas. 1. ... sponsalibus teneatur expensas ... paratas ... Gutierr. ... Henriq. lib. 12. matr. c. ... Gutierr. ... canon. qq. 22. n. 19. & Laymann. l. 5. ... 1. p. cap. 2. n. 9. Probant argum. textus *in l. ... pecuniam ... condic. causa data.* juxta quem contrahentes obligantur ... casu quo absque culpa sponsalia dissolvantur.

Expensa in parandis nuptijs.

1636 Hæc opinio sat probabilis est, sed mihi videtur probabilior negativa, quam tenent Petrus Ledesma de matr. q. 47. art. 5. ... & Sãch. lib. 5. matr. disp. 5. n. 33. Probatur quia in sponsalibus est æqualis utrinque ... ut impedimento absque culpa sua ... juste resilire possit; ergo resiliens ad nuptias expensas solvendas obligatur.

2 Difficultas est, qualiter in loco tuto constituenda sit puella, quam ... vel a ... pro sponsa exigitur. Habetur ex *cap. ... de sponsal.* si detur probabilis timor alicujus violentiæ, puella a judice Ecclesiastico esse constituendam in loco tuto v. g. in monasterio ... vel alibi: deinde si petatur a duobus, examinandam interposito juramento de fide data, cuinam ex illis duobus dederit; qua declaratione facta, concedendum est alteri colligitanti tempus probandi sibi fidem datam esse, & juxta illius probationem causa decidenda est, ita ut puella maneat in eodem loco quousque causa terminetur.

Locus tutus ad examen sponsæ.

Quòd si unus tantum petitor litiget, & violentiæ timor probabilis detur, puella constitui debet in loco tuto, ut ibi libet ejus consensus exploretur. Quo explorato, si velit nubere statim judex facta ... informatione deprehendens nullũ adesse impedimentum, conjungi faciet. Si autem nolit, assertam fidem negans, maneat in deposito quousque feratur sententia, ut executioni mandetur.

1637 Addit (& quidem probabiliter) Gutierr. de matr. cap. 37. n. 3. posse reddi parentibus, dum lis peragitur, imposito illis præcepto sub censura, & idoneis fidejussoribus pœnæ pecuniariæ solvendæ ... ne interim puella ... nubat; monitis insuper sub pœna gravissima parochis ne ad sic nubendum concurrant.

Tandem (ut tradit Gutierr. cit. cap. 37. & Covarr. 4. decret. 2. p. cap. 3. § 6. n. 2.) Si mater, quæ fuerit tutrix legitima, præmiserit filiam ... matrimonium, debet ab ejus consortio removeri, ac in loco tuto collocari, donec pubes facta liberum consensum præstet. Nam sub matris tutricis potestate consensus ... præsumitur.

Mater tutrix filiæ.

RU ... TRAC-

TRACTATUS XXXXIIII.

De natura seu essentia matrimonij, & necessariò requisitis ad illud.

SECTIO I.

Quid & quotuplex sit matrimonium: quā exigat ætatem, materiam, formam, & ministrum.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit matrimonium?

Matrimonij nomen.

UT sit nobis prævia quæstio de nomine, ante quàm ad quæstionem de re accedamus, matrimonium teste Sylvestr. v. eod. 1. dicitur quasi matris munium, idest officium: vel dicitur quasi matrem muniens, aut monens: vel (ut inquit Gellius lib. 18 cap. 6.) sic appellatur, quia mulier nubit, ut fiat mater.

1638 Cur autem potiùs à matris, quàm à patris nomine derivetur, cum ad parentem utrumque pertineat, duplicem causam assignat Sanchez lib. 1. Matr. in procem. alterá, quia in matrimonio mater certa est pater incertus; alteram ex Gregorio nono c. 2. *de convers. infid.* quia fæmina in partu ingentes dolores patitur, atque adeo præcipuū quod in generatione datur, onus subit. Alia sunt nomina quibus matrimonium significatur, népe connubiū nuptiæ, conjugium: de quibus & alijs vide nostrum elucid. n. 1667.

Matrimonij essentia.

Ut intelligamus quænam sit essentia, seu quidditativa ratio matrimonij, observat Sanch. lib. 2. matr. d. 1. n. 2. in eo septem reperiri. 1. mutuum consensum. 2. externum contractum. 3. mutuam corporum traditionem, quæ ex cōtractu immediate nascitur. 4. quoddam vinculum ortum ex eodem contractu. 5. mutuam obligationem ad reddendum debitum, quæ sequitur ex illis. 6. jus quod est in unoquoque ad alterum. 7. usum & consummationem.

Essentia matrimonij nec consistit in usu & cōsummatione: quia B. Virgo verum contraxit matrimonium, & non consummavit, nec in consensu interno, aut externo contractu: quia sunt causa efficiens matrimonij, & transeunt eo durante: nec in mutua corporum traditione quia hæc transit, matrimonio permanente: nec in obligatione aut jure ad debitum: quia hujusmodi obligatio & jus cessant vel adulterio, vel ingressu religionis per communem consensum: matrimonium autem perseverat.

Matrimonij definitio.

1639 Igitur super est ut matrimonij essentia consistat in vinculo illo, quo formaliter sunt conjuges uniti, quod nascitur ex mutua traditione, & quamdiu utriusque vita manet, indissolubile est. Quare matrimonium ex *Cap. [illegible] de præcept & 27. q. 2. in summ. & [illegible] de ritu nupt.* sic definit Sanch. lib. 2. matr. d. 1. n. 1. *[illegible] viri & fæminæ [illegible] individuam vitæ consuetudinem retinens.* Apud eundem, quære fusam hujus definitionis expositionem.

Ægidius Bellamus, disp. 24. dub. [illegible] ut exponat matrimonij essentiam, notat illud accipi dupliciter 1. pro contractu, quo sponsi sibi mutuo tradunt corporum dominium, & sic definit: *Est contractus quo legitimæ personæ in sua corpora sibi mutuū dominium [illegible] ad usum cōjugalem.* 2. pro ipso vinculo quod ex tali contractu inter conjuges [illegible] citur: & sic matrimonium essentialiter est ipsum dominium ita traditum, eique ex utraque parte correspondens subjectio.

Matrimonium quotuplex.

Quod attinet ad alteram partem de multiplicitate, matrimonium ex communi Theologorum consensu est triplex, scilicet legitimum, ratum, & consummatum. *Legitimum* nomen habet à legibus, & est ac dicitur quod secundum leges sit, seu legitimo consensu perficitur, etiam si Sacramentum non sit, quale contrahitur inter infideles. Unde comūne est omni matrimonio tam in lege naturæ quam gratiæ.

Ratum & [illegible]

1640 *Ratum* dicitur quando est Sacramentum nondum tamen copula carnali consummatum. Sic matrimonium infidelium vocatur legitimum, non verò ratum: quia non est Sacramentum, ut expresse habetur *cap. quanto de divort.* Videatur Covarr. 4. decret. 2. p. cap. 1. § unico n. 4. *Consummatum* dicitur quod copula subsequente consummatur, seu perficitur, sicut venditio traditione rei venditæ. Est discrimen (inquit Palaus d. 2. pun. 1. n. 4.) quòd matrimonium legitimum favore fidei solvi potest, cum alter ad fidem convertitur alio renuente, ratum verò pro professione religionis, at consummatum nunquam dissolvitur.

Illud notandum ex Innocen. 3. *in cap. debitum. de bigamis* matrimonium habere triplicem significatum: nam primó quatenus est legitimus contractus significat conjunctionem Dei cum anima fideli per gratiam. 2. quatenus Sacramentum significat conjunctionem Christi cum tota Ecclesia per baptismum. 3. quatenus consummatum, denotat conjunctionem hypostaticam Verbi divini cum natura humana.

Rogantur quando fuerit institutum matrimonium tam in ratione contractus, quam Sacramenti? Probabilius est apud Vasquez disp. 1. de matr. cap. 1. Deum instituisse matrimonium in ratione contractus & in officium naturæ, quando creavit Adamum & Evam, & fecit eis potestatem conjungi per illa verba: *Crescite & multiplicamini* Genes. 2. In ratione Sacramenti hujus matrimonium a Christo institutum [illegible], ut definit Trident. sess. 24. cap. [illegible] Quando autem institu-

erit, non ita constat. Est tamen probabilius apud Sanch.lib.2.marr. disp.4. & Layman.lib.5. sum. tr.10.2.p.cap.2.n.1 institutionis quando commendavit, & præcepit ejus inseparabilitatem Matth. 19 dicens: *Quod Deus conjunxit, homo non separat.* Sic indicavit Triden.sess.24.initio.

QUÆSTIO II.

Qualiter matrimonium inter fideles sit Sacramentum?

Matrimonium Sacramentum.

1641 Quanvis Innocent. III. in *cap. veniens de clerico non baptisato* dixerit non baptisatum posse matrimonium & Eucharistiam suscipere: ex hac decisione non sequitur (inquit benè Palaus d.2.pun.2.n.1.) matrimoniū susceptū a nō baptisatis esse verū Sacramentū Pōtifex enim intelligitur de susceptione matrimonij in ratione contractus, & de susceptione Eucharistiæ materiali, non formali. Vide Basilium lib.1.c.6.n.5. & Rebel.lib 2.matr.q.3.aliter exponentes.

Deinde licet ex *cap. debitum, de bigamis* colligatur matrimonium fuisse Sacramentum in lege naturæ, eo quòd esset signum conjunctionis Dei cum homine, tamen in rigore & proprietate Sacramentum non fuit, cum non sanctificaret conjuges. At post institutionem Christi illud solum matrimonium verum Sacramentū est, quod a fidelibus, hoc est baptizatis suscipitur. Est enim baptismus janua ad reliqua omnia Sacramenta.

Matrimonium qualiter Sacramentum.

Dubium est 1. an matrimonium sit Sacramētum non solum in fieri, sed etiam in facto esse? Affirmant cum Sanch.lib.2.d.5.n.7. & Bellan. lib. 1.de matr. c.6.Rebellus lib. 2.matr.q. 4.& Layman.lib.5. n.10.2.p.c. 2.n.4.probant, quia etiam post celebratum matrimonium conjuges inter se perpetuò copulati significant unionem Christi cum Ecclesia, & Verbi cum natura humana: habet ergo se instar Eucharistiæ.

1642 Hæc sentētia valde probabilis est, saltem ex authoritate. Mihi tamen plus arrident Ægid Bellan.disp. 24. dub.2.n.11. & Palaus de matr.d.2.pun.2.n.3.asserentes matrimonium solum in fieri, & non in facto esse veram Sacramenti habere rationem. Patet, quia matrimoniū, solum quando celebratur sanctificat contrahentes, & non postea in facto esse suo ipsius usu. Secus Eucharistia: hæc enim quatenus fit, (inquit Palaus) non sacramentum, sed sacrificium est, facta vero est Sacramentum, quia ex opere operato sanctificat suo usu suscipientem.

Contracti matri[illegible] sin Sacra[illegible]menti.

Dubium est 2. an possint fideles baptizati legitime & validè inire matrimonium quin recipiant Sacramentum? Affirmant Vasq.tom.2.in 3.p.disp 138.c.5.Rebell.2.p.lib.2.q.5.concl.1.Basilius Pōce lib.1.cap.9.& Gaspar Hurt.lib. de matr.disp.3 diff.19. Probant, quia non constat Christum in lege gratiæ ita fecisse in matrimonio rationes cōtractus & Sacramenti inseparabiles, ut non possit una sine altera subsistere; poterunt igitur fideles nubentes habere intentionem faciendi contractum, & non Sacramentum.

Negandum tamen est cum sententia longè veriori, quam defendunt Sanch.lib 2. matr. disp. 10.n.6.Bellanus disp.24.dub.6.concl.4. & Palaus cit.n.5. Sumitur 1. ex Floren.& Trident. expresse definientibus matrimonia fidelium esse Sacramentum, cum nulla excipiant. Sumitur 2. ex ratione nam Christus omnem contractum matrimonialem fidelium elevavit in Sacramentū, itaut eo ipso quód fidelis intendat contractum illum, Christus independenter a quacunque alia illius voluntate elevet Sacramentum.

Matrimoniū per procuratorē.

1643 Dubium est 3. an matrimonium fidelium celebratum in absentia per procuratorem nuncium vel epistolam sit verum Sacramentū? Negant Victor in sum.n.244.Viguet. in institut.cap.16.§ 7.ver.4. Caietan.in opusc. de matr. q.1.Bassolis in 4.d.27.& hoc probabile iudicant Petrus Ledes. de matr.q.42.a 1. diff.7. concl. 1. Probant, quia ministratio Sacramenti fieri debet ab homine libero, at si admitteretur prædictus modus, posset evenire ut fieret ab homine ebrio, dormiente, vel a mente; ergo &c.

Affirmandum tamen omninó est cum Navarr. *in cap. fratres deponit* d.5.n.45.Henriq.lib.11. c.2.n.2.Bellarmino lib.1.de matrim.cap.5 ad 1. Sanch. lib.2.disp.11.n.27. & Ponce lib.1.c.10. n.3.Probatur, quia ut cōmunissima sententia docet, matrimonium quia contractus est, potest valide celebrari in absentia per procuratorem, & nuncium: sed Christus elevat ad Sacramentum omnem contractum matrimonialem fidelium, ut constat ex Triden.sess.24.cap.1.ergo tale matrimonium Sacramentum est.

Matrimoniū fidelis cū infideli.

Dubium est 4. an si ex Pontificis dispensatione fidelis baptizatus nubat fœminæ infideli, insurgat verum Sacramentum? Affirmant citati a Palao pun.2.n.10. Sotus in 4. d.26.q.2.art.3. & Less.serm.73, de sacr. Probant, quia fidelis ille valide contrahet: omnis autem matrimonialis contractus fidelium per Christi elevationem fit Sacramentum. Et ob id videtur dixisse Apost. 1. Corin.7. virum infidelem sanctificari per mulierem fidelem.

1644 Negandum tamen est cum certa sententia, quam defendunt Vasq.de matr.disp.2 cap. 4.n.10.Sanch.lib.2.disp.8.n.2.Ægid Bellan. disp. 24.dub.2.concl.6.n.24.& Basil.Ponce lib.1.cap. 6.n.7. Probatur quia sicut contractus matrimonij est unus indivisibiliter afficiens virum & fœminam, quin possit esse contractus unius, & non alterius, ita Sacramentum matrimonij est unum postulans ex se sanctificare utrumque contrahētem; quando igitur non potest esse Sacramentum utriusque, neutrius est.

Infideliū matrimonium quando baptizatur.

Dubium est 5. an quando uterque infidelis coniux fidem & baptismum suscipit, matrimoniū fiat Sacramentum? Negant Vasq.to.2.in 3.p.disp. 138.cap.5. & to.4.disp.2.de matr.cap 10.Ægid. Bellan.d.24.dub.2. concl.7. Basil.Ponce lib. 1. cap.9.n.8. & Palaus d.2. pun.2.n.14. Probant, quia infideles conjugati, etiam baptismum recipientes in eodem matrimoniali contractu perseverant, sive denuo consentiant, sive non; ergo talis contractus per baptismum non fit Sacramentum.

 Affir-

Affirmandum tamen est cum Bellarmino lib. 1.cap.51.in fine & cap.15.Sanch.lib.2. disp.9.n. 5. Rebello lib.2.matr. q.6.concl.1. Gutierr.de matr.cap.42.n.5.& Layman.lib.5.cum.tract.10. 2.p.cap.3.n.6.Probatur, quia matrimoniũ illud antea solubile, & nullius rei significativũ,elevatum baptismo fit ratum, insolubile, & significat conjunctionem Christi cum Ecclesia. Difficultas est an requiratur novus consensus? Sanch.& Gutierr.absolutè negant. Bellarminus & Layman. citati dicunt postulari novum consensum, vel saltem antiqui approbationem signis, nutibus, vel copula maritali.

QUÆSTIO III.

Quam ætatem exigat matrimonium: quam materiam & formam?

1645 VT satisfaciamus priori parti inquirenti ætatem legitimam in sponsis ad matrimonium validè ineundum, constat 1.ex *cap.continebatur.& cap.attestationes de sponsal. impub.* esse pubertatem, scilicet annum duodecimum in fæmina,& annum decimum quartum in viro: quæ ætas (ut docet Sanchez lib.7. disp.104.n. 4) completa esse debet. Quia ante illam ætatem non præsumuntur habiles ad copulam, imó nec ad consensum conjugalem. Sufficiet tamen si ultima dies anni duodecimi in fæmina, & decimi quarti in viro incepta sit: de quo idem Sanch.latè lib.1.d.16.

Ætas ad matrimonium.

Constat 2.in matrimonio malitiam supplere ætatem. Unde valebit, si probetur adesse pueris potentiam generandi,& discretionem ad se obligandum. *Cap.puberes,& cap.fin.de sponsal.impub.*

Impuberes ad matrimonium.

Dubium est 1.quo jure sit irritum matrimonium, si ante legitimam ætatem ineatur? Esse irritum jure naturæ affirmant Alexand. Carrerius lib.5.de sponsal.cap.15. Dicendum tamen est cũ sententia, quam cum multis sequitur, & appellat verissimam Sanch. lib.7.disp.104.n.9. tale matrimonium esse irritum solo jure Ecclesiastico. Ratio est quia impotentia temporalis, qualis est puerorum impuberum, natura sua matrimoniũ non dirimit.

Dispensatio in ætate ad matrimonium.

Unde infideles, dummodò sint rationis usus participes, in quacunque ætate validè contrahũt nisi obstet ex peculiari eorum lege. Pontifex etiã cum fidelibus rationis usu præditis, cujuscunque ætatis, dispensare potest. Imo Episcopus in casu urgẽtissimæ necessitatis. Ita Sãch.citatus n.11.12.

1646 Dubium est 2.an valeat matrimoniũ quando pubes est impotens ad copulam conjugãlem,& non constat impotentiam esse perpetuam: sed dubitatur an sit temporalis ex defectu ætatis? Negant Abbas *cap.pubes* n.4. Gloss.37.q.2. in sum.v.sponsalia,& Veracruz 1.p.speculi ar.39 concl.2. Probant quia *cap.de illis 2.de sponsal.* statuitur impuberes potentes generare validè matrimonium inire. Ergo è contra impotens generare etiam pubes, invalidè.

Hæc sententia probabilis est: sed opposita affirmativa probabilior, quam cum Navarro lib.4. consil.tit.de spons.consil.39 n.14. Henriq.lib.11. matr.cap.13.n.10.& multis alijs defendit Sanch. lib.7.matr. disp.104.n.15. Ratio, quia textus *cap. de illis el.2.de sponsal.impuber.* ponderat ad valorem matrimonij potentiam coeundi cum minori ætate; ergo ubi adest ætas idonea non attenditur potentia. De hoc tamen latiùs, quando egerimus de impedimentis matrimonij.

Accedamus ad alteram quæstionis partem de materia & forma matrimonij: quas latè prosequuntur Sanch.lib.2.Matr.disp.5.& Palaus tract. 28.disp.2.& Palaus tract.28.disp. 2.p.3.n.2. & omissis quinque sentẽtijs, in sexta tanquam veriori optimé consentiunt asserentes verba seu signa quibus consensus exprimuntur, seu alio modo consensus utriusque contrahentis verbis, seu signis expressos esse sibi invicem materiam & formam secundùm diversas rationes: nam in verbis contrahentium est expressio mutuæ traditionis, qua quilibet tradit alteri sui corporis potestatem,& secundùm hoc dicuntur materia,& est expressio mutuæ accepsionis, qua quilibet acceptat traditionem sibi ab altero factam: & secundũ hoc dicuntur forma. Patet, quia traditio imperfecta est, donec acceptetur,& accedente acceptatione perficitur tanquam materia per formam.

Materia & forma matrimonij.

Matrimonij materia & forma.

1647 Addit Palaus cit.n.3. hoc procedere de matrimonio accepto tam in ratione contractus, quam Sacramenti: quia eadem est materia & forma matrimonij prout est contractus, et prout est Sacramentum. Christus enim hoc Sacramentum instituens non mutavit matrimonialem contractum, sed illi immutato rationem Sacramenti annexuit.

Observat benè Sanch. n.7. sicut Eucharistia quando est Sacramentum in fieri habet pro forma verba consecrationis, & pro materia circa quã, panem & vinum: quando autem permanẽt species sunt materia ex qua: sic matrimoniũ, quando est Sacramentum in fieri ejus materiam & formam esse verba,& contrahentes materiam circa quam: & post quam factum permanet, conjunctionem inter conjuges esse signum conjunctionis Christi cum Ecclesia: contrahentes verò esse materiam ex qua.

QUÆSTIO. IV

Quem ministrum habeat matrimonium: & quem finem habere debeat?

SAcerdotem, qui matrimonio assistit, esse illius ministrũ nõ quã cõtractus, sed quã Sacramẽtum est, affirmarunt Melchior Canus lib.8.de locis cap.5. Petrus de Ledesma de matr. q.42. a.2. dub. 4. & Author Enchiridij Coloniensis § *de ministro.* Probant, quia juxta definitionem Eugenij IV. *in decreto fidei § septimum,* Sacramẽta verbis tanquã forma perficiuntur: cum autem verba nubentiũ necessaria non sint, sed possint suppleri signis, requiruntur verba Sacerdotis ministri, ut matrimonium, quã Sacramentum perficiatur.

Minister matrimonij.

1648.

1648 Nihilominus sententia certissima est hujus sacramenti ministrum esse ipsosmet contrahentes, & nullo modo Sacerdotem. Ita Gutierr. cap. 41. n. 2 Sanch. lib. 2. matr. disp. 8. n. 2. & Basilius Ponce lib. 1. c 8. n. 3. Sumitur 1. ex Florentino *in decreto Eugenij* asserente causam efficientem matrimonij esse consensus utriusque contrahentis, in quo satis innuit utrumque contrahentem consensus authorem, esse Sacramenti ministrum. Sumitur 2. ex manifesta ratione, nam minister Sacramenti ille censetur qui apponit materiam & formam Sacramenti: at contrahentes matrimonij Sacramentum, hujus apponunt materiam & formam scilicet consensum.

Procuratorem non esse ministrum matrimonij. Ex quibus observabis 1. cum Vasque disp. 3. matr. n. 86 & Gaspare Hurtado disput. 3. matr. diff 22. n. 83. quando celebratur matrimonium per procuratorem, hunc non esse Sacramenti ministrũ, sed ministri instrum ntum: ipse enim non contrahit, sed exprimit cõsensus contrahentium.

Observabis 2. cum Sanch. cit. d. 6. a n. 3. quamvis aliqui inferant, & quidem probabiliter, contrahentes matrimonium in peccato mortali peccare mortaliter, non solum ea ratione qua Sacramentum suscipiunt, quod indubitatum est, sed etiam quatenus ministrant: verius tamen esse oppositum, scilicet non peccare: quia non sunt ministri consecrati ad id munus. Unde (addit Sanch. n. 5.) a fortiori sacerdos in mortali assistens matrimonio non peccat mortaliter: quia nec est minister illius: nec benedictio, quam præstat, Sacramentum est, sed quoddam Sacramentale.

Finis matrimonij quis. 1649 Quod attinet ad finem matrimonij, triplex numeratur essentialis, accidentalis, extraneus. Primus est mutua corporum traditio, & radicalis obligatio ad debitum reddendum. Secundus nempe accidentalis, sed proprius matrimonij, est sobolem generare Genes. 1. & habere remedium concupiscentiæ pro vitanda fornicatione. Apost. 1. Corint. 4. Tertius, seu extraneus est pax inter consanguineos divitiæ, voluptas, & similes.

Apud Sanch. lib. 2. d. 29. & Palaum tr. 28. disp. 2. pun. 10. n. 1. constat 1. absque fine essentiali neq; licite neque validè contrahi posse matrimoniũ. Quia nemo absque substantiali intentione potest facere vel contractum, vel Sacramentum. Constat 2. intento saltem virtualiter fine essentiali, licitum esse nubere expresse ob finem accidentalẽ, nempe: ob generationem sobolis, in eo qui potẽs est generare. Quia ad hunc finem matrimonium institutum est. Constat 3. contrahere ad vitandũ fornicationem quãdo illius periculum adest, esse finem honestum, & juxta Apostoli consilium. Cessante autem (inquit Palaus cit. n. 1. periculo fornicationis, & potentia ad generandum, honestum est nubere ob mutuam communicationẽ obsequiorum.

Extraneos fines ... venialia. Difficultas est circa finem extraneum, an sit peccatum ob illum primò & per se nubere? Dissentiunt authores: nam, Covarr. 2. p. de matrim. c. 1. n. 7. & Angelus v. matrim. 2. existimãt esse peccatum mortale. Navarrus cap. 22. n. 79. & Laym. man. l. 5. tr. 10. c. p 4. n. 2. dicunt esse peccatum veniale. Quia est levis deordinatio intendere per se quod solum per accidens appetendum est.

Opinor cum Palao tr. 28. d. 2. p. 10. n. 3. distinguendum esse inter illos fines extrinsecos, seu extraneos: nam alij per se honestatem moralem habent, quales sunt conservatio familiæ illustris, amor inter consanguineos, & pax reipublicæ. Alij sunt in quibus non apparet positiva honestas moralis, quales sunt honor, divitiæ voluptas.

1650 Dico igitur 1. si quis ob aliquẽ finẽ extrinsecum in quo datur honestas moralis, contrahet, nullum peccatum committit. Ita Palaus cit. n. 3. cum Basilio Ponce lib. 1. cap. 21. n. 13. & Bellano disp. 25. dub. 2. n. 14. Patet, quia non committitur peccatum, imo fit actus virtutis, quando actio habet finem honestum, quem per medium honestum intendit: hoc autem contingit v. g. in volente nubere, ut pax reipublicæ obtineatur.

Dico 2. quando quis nubit ob finem extraneum qui non habet honestatem moralem, quamvis probabile sit, dari peccatum veniale, probabilius est nullum peccatũ dari. Ita proximè citan. Probatur, quia velle aliquid temporale de se indifferens mediante aliquo honesto, inhonestum nõ est, v. g. velle dignitatem & honorem, aut sanitatem, mediante oratione, aut Missa: sed matrimonium est quid honestum; ergo nullum erit peccatum illo mediante velle divitias, uxoris pulchritudinem, & voluptatem ex copula. *Voluptas ex copula matrimoniali.*

SECTIO II.

De cõsensu necessario ad matrimonium.

QUÆSTIO I.

An & qualis consensus postuletur ad matrimonium?

CErtum omninò est, ac definitum *cap apud & cap. ad locum, de sponsal, & a Alorem. in decreto fidei § septimum,* consensum contrahentium esse necessarium ad matrimonium. Intelligitur de cõsensu libero libertate perfecta, & sufficienti ad peccatum mortale: siquidem trãsferendi dominium proprij corporis, & subeundi gravem obligationem causa est.

1651 Difficultas est, an saltem divinitus possit consistere matrimonium sine consensu libero contrahentium? Videtur negare Basilius Ponce lib. 2. c. 3. quatenus opponit non posse concedi mutuum corporum dominium conjugibus, quin ipsi acceptent. Affirmandum tamen est cum Gutierr. de matr. cap. 46. n. 1. Henriq. lib. 11. cap. 1. n. 3. Sanch. lib. 2. d. 26. n. 5. & Bellano disp. 24. dub. 5. concl. 1. Probatur, quia matrimonium cõsistit in vinculo, & obligatione ad cohabitationem nunquam, & potestate ad exigendam copulam: Deus autem potest dare hujusmodi potestatem, & facere tale vinculum absq consensu conjugatorum.

Addunt aliqui de facto Deum sic conjunxisse primos parentes juxta illud Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Hoc tamen bene cum Sanch. cit. n. 4. rejicit Bellan. dub. 5. n. 49. Quia expediebat primum matrimonium, quod aliorum norma & exemplū futurum erat, non contrahi absque contrahentium libero consensu.

Consensus qualis & in qua matrimonij.

Maior dubitatio est qualis postuletur consensus ut matrimonium valide & licité celebretur? Notabis in matrimonio reperiri tria. Primum est mutua traditio corporum ad usum conjugalē. Secundum habitatio mutua, & copula carnalis. Tertiū abstimentia ab omni alio concubitu. Constat expressum consensū in hæc omnia non postulari. An & circa quæ requiratur virtualis, exponemus.

Constat 1. requiri consensum saltem virtualem in mutuam traditionem corporum, obligationem justitiæ ad copulam conjugalem jure petitam, & abstinentiam a qualibet alia. Quia consensus debet terminari ad omnia quæ sunt de essentia matrimonij. Constat 2. non oportere quod talis consensus terminetur ad carnalem copulā, vel ad cohabitationem mutuam. Quia sine his potest stare ratio matrimonij: ut patet in cōjugibus obligatis voto castitatis, & transeuntibus ad religionem.

Consensus requisitus ad matrimoniū.

1622 Rogabis 1. an sufficiat consensus utriusque falsò existimantis subesse impedimentum dirimens, v. g. priorem alterius conjugem vivere? Negant Navarrus cap. 22. n. 56. Ægid. Bellan. disp. 24, dub. 6. & Palaus d sp. 2 pun. 5. n. 8. Probant, quia nemo potest verè cōsentire in id quod reputat impossibile, cum hoc terminare nequeat verum actum volitionis: credentes autem dari impedimentum dirimens, reputant matrimoniū impossibile.

Hæc sententia probabilis est: sed probabilior affirmativa, quam defendunt Covarr. 4. decret. 2. part. cap. 3. §. 7. Gutierr. cap. 47. n. 1. & multis citatis Sanchez lib. 2. matr. d. 33. n. 2. dicentes valere matrimonium illud, si contrahentes intendant quantum in se ipsis est, consentire. Nam hæ personæ sunt habiles. & intendunt contrahere quatenus possunt: deinde impedimentum in re ipsa nullum est, ergo veré consentiunt, & contrahunt. In foro externo non est (inquit Sanch. n. 3.) adhibenda fides illis, si negent se consensisse: secùs in foro conscientiæ.

Cōsensus simultanea existentia.

Rogabis 2. an consensus utriusque contrahentis existere simul debeat? Missis varijs opinionibus, quas referunt authores citandi, Henriq. lib. 11. cap. 3. n. 6. Petrus Ledes. q. 45. a. 3. dub. 2. Covarr. 4. decret. 2. p. cap. 4. n. 7. Sanch. d. 32. q. 2. n. 7. Ægid. Bellan. d. 24. dub. 7. & Basil. Ponce lib. 2. c. 16. n. 2. recté docét sufficere simultatem moralē: ne scilicet inter unum & alterum consensum intercedat multum temporis.

Quantum veró esse possit tempus, ut cēseatur durare consensus, & alteri coexistere? In eo designando multum variant authores: Sotus in 4. dist. 27. q. 1. a. 3. designat septennium, Henriq. cit. biennium: sed meliùs Sanch. Basil. & Ægid. id prudētis arbitrio relinquunt. Non mihi displicet Palaus cit. pun. 6. n. 2. asserens consensum seu el existentem perseverare moraliter quandiu non revocatur. Hoc enim commune est omnibus cōtractibus, excepta stipulatione, ob ejus naturam irregularem *l. continuus ff. de verb. oblig.*

1623 Intelligetur (addit Palaus ibid.) consēsus revocatus 1. si quis in aliam personam consentiat. 2. si pro tempore determinato consentiat. Eo enim elapso non perseverabit consensus. Si autē apponatur tempus ad exequendum negotium, brevius aut longius reputabitur pro negotij qualitate. Adde præsumi revocationem ex longo tractu temporis. Quia nemo (ut ait Bellanus) censetur valle perpetuo alterius consensum expectare & de suo statu suspensum esse.

Infertur 1. cum citatis Basilio & Bellano, etiā ubi viget Tridentinum, si prior consensus coram parocho & testibus habitus fuit, & alio sequenti die parochus idem, & testes ijdem assist. nt consensui alterius, sufficere ad valorem, tametsi nesciant an revocatus sit prior cōsensus. Id enim procedit in matrimonio per procuratorē celebrato.

Infertur 2. cum Sanch. lib. 2. d. 32. n. 9. & Bellan. disp. 24. dub. 7. con. 7. si quis modo fictè consentiat, præstante altero legitimum consensum, posse denuo legitime consentire, quin alius denuo consentiat. Hanc illationem quæ probabilis est, non improbabiliter improbat Palaus cit. n. 3. quia quando datur fictio ex una parte non potest dari verus consensus ex alia. Nemo enim vere consentit in traditionem sui corporis, nisi alter eandem sui corporis traditionem faciat.

QUÆSTIO II.

Quibus verbis & signis exponi debeat consensus ad matrimonium?

Certum omninò est consensum utriusque contrahentis ad valorem matrimonij signis quibusdam manifestandum esse. Sumitur ex *l. traditionibus C. de pactis*. & ratione, nam matrimonium est cōtractus humanus, politicus, & respectivus, qui proinde sola mente celebrari nequit.

1624 Quæritur an sit de necessitate valoris ad Sacramentum, quod verbis manifestetur. Affirmant nonnulli apud Sanch. lib. 2. d. 31. n. 2. & probant ex Florentino in decreto Eugenij definientis omnia Sacramenta tribus perfici, verbis tanquam forma, rebus tanquam materia, & ministro.

Negandum tamen omninó est cum Vasq. disp. 3. de matr. c. 7. Sanch. disp. 31. n. 5. & Basilio Ponce lib. 2. c. 7. n. 4. etiam in valentibus, & nolentibus loqui. Quia & si verba proprié accepta sint de necessitate in alijs Sacramentis, at non in matrimonio utpote contractu, cujus naturæ accommodatur Sacramentum. Idque innuit citatū Florentinum, quando generalem propositionem restrinxit loquens de matrimonio, & dicens ejus causam esse consensum regulariter per verba de præ-

præsentis [illegible]. Nam vox (regulariter) [illegible] [illegible] stare valorem [illegible] Sacramenti [illegible] verba.

Adde ex Sanch.lib.2.d.31.[illegible] Bellan.disp. 24.dub.[illegible] & Ponce lib.2.c.[illegible] nec esse necessitate [illegible] præcepti, [illegible] est. Fateor tamen ex decentia oportere ut verbis exprimantur consensus. Imo si timeatur grave scandalum obligat [illegible] illud gravis erit.

[illegible] quæstio est quibusnam signis consensus matrimonialis exponi debeat? Omnes [illegible] tract.43.sec.1.q.3. agentes de signis quibus contrahuntur sponsalia; [illegible] etiam videri possunt apud Sanch.lib.1.matr. [illegible] 18.19.& 20.multæ verborum formulæ quibus tum sponsalia, tum matrimonium solent contrahi [illegible] ita signis, quæ consistunt in [illegible] authores, quando verba fuerint [illegible] spectandum esse communem [illegible] Quod si plures habeant significationes, non impropria sed propria attendi debet. Si [illegible] propriæ fuerint, matrimonio contra [illegible] est. Quid si nulla propria significatio [illegible] Contra eum qui sic ambigue locutus est, [illegible] iudicabitur.

Verborum interpretatio.

1655 Ex quibus recte infert Palaus disp. 2. p. [illegible] n.2. [illegible] consensum de præsenti significare [illegible] propositiones; *Tibi ut uxori provideo [illegible] absque ulla dubitatione: Accipio te in meam: Habeo te in uxorem:* similiter has: *Volo te habere [illegible]. Volo te tractare pro uxore; Habeo te ex nunc pro uxore.* Dubitant aliqui de hac, *Habeo te in uxorem,* absque particula (*ex nunc*) significare consensum de præsenti ideoque sufficere ad matrimonium, tenent Basil.Ponce lib.2.c.9.n.3.& alij. Negant Covarr.4.decret.2.p.cap.4.§.1. & Sanch [illegible]. Illud habeo pro comperto sufficere, si [illegible] voluntatem fæminæ significantis se velle illum accipi in uxorem.

Quod attinet ad signa quæ consistunt in rebus, ut per illa innotescat consensus de præsenti, [illegible] iuridicus, & etiam communis spectari debet. Unde si interrogata fæmina, an cum Petro velit inire matrimonium, capite inclinato annuat, absque dubio suum consensum declarat. Est igitur dubitatio circa quadruplex signum, nempe copulam, eiusdem attentationem, traductionem fæminæ in domum sponsi, & subarrhationem, seu annuli missionem: quæ omnia breviter ac dilucide exponemus.

Signa [illegible] matrimonij.

Primum signum, scilicet copula (& idem est de illius attentatione) non est signum consensum exprimens, sed est potius signum consensum alias expressum significans. Aliter fornicaria, & non coniugalis foret. In locis igitur ubi Tridentinum [illegible] non est copula inter sponsos de futuro [illegible] matrimonium esse contractum, non [illegible] sed præsumptione iuris, quia [illegible] quam fornicariam copulam [illegible].

Copula signum matrimonij.

[illegible] sponsalibus cum una, [illegible] sponsalia contrahat cum alia, & cum [illegible] copulam habeat? Certum est non censeri matrimonium cum secunda, quia cum hac sponsalia [illegible] fuerunt, ex defectu validæ [illegible]. Dubium est an per copulam validè [illegible] matrimonium cum prima? Videntur negare Ponce [illegible] *in [illegible]*, tamen probabilius [illegible] 2.punc.8.n.5. quia de facto per sponsalia & copulam cum secunda non fuit datus recessus a sponsalibus cum prima.

Quid si in locis ubi viget Tridentinum [illegible] sponsa de futuro habeat copulam coram parocho & testibus, censebitur ne per illam matrimonium celebrare? Affirmant Henriq.l.11.c.3.n.7.Gutierr.c.41. n.13.& Sanch.l.3.disp.40.n.7. Probant quia copula est signum sufficiens consensus coniugalis: & tunc præstatur cum solemnitate requisita ad valorem. Rectius tamen negant Ægid.Bellan.disp. 21.n.21.& Palaus d.2.p.8.n.6. Ratio est, quia Trident.requirit parochum & testes assistentes consensui matrimoniali significatoriæ illa autem copula (ut diximus) in locis, ubi receptum est Tridentinum, nequit esse signum coniugalis consensus: imo nequit esse signum consensus præbabiti coram parocho & testibus.

Secundum signum, de quo dubitatur, est attentatio copulæ: sed quamvis ex *cap. [illegible], de sponsal.* videatur ex tali attentatione præsumi matrimonium, tamen oppositum certum est ex *cap.veniens, cap.is qui [illegible], [illegible] fin. de sponsal.* in quibus ex sola copula habita datur præsumptio. Unde a fortiori non dabitur ex osculis, amplexibus, vel tactibus impudicis.

Attentatio copulæ.

1657 Tertium est traductio sponsæ in domum sponsi: & hoc licet ex iure civili *l.[illegible] ff de ritu nuptiar,* & alijs videatur colligi, tamen (ut tenet Menoch.de præsum.lib.3.præs.1.n.55.) iure canonico nullo modo probatur, nisi forte traductio ea solemnitate fiat, qua iuxta consuetudinem soleant mariti suas uxores in domum deducere. At hoc potest reduci longa cohabitatio, qua vir & fæmina [illegible] tractent [illegible] matrimonium. Arg. tex.*in cap.[illegible]*

Matrimonij præsumptio.

Quartum [illegible] tractatus de contrahendo matrimonio, & sequitur subarrhatio, seu immissio annuli, quam sponsa acceptet. Tunc enim censent aliqui matrimonium præsumi. Rectius Sanch.lib.1 matr.d.22 n.1.& Basil. Ponce lib.2.c.11.a n.2.docent attendendam esse consuetudinem, ut si annuli immissio & [illegible] fuerint signum matrimonij, hoc præsumatur, secus, si solum sponsalium confirmatio. Adde hoc etiam procedere de [illegible] porrectione.

QUÆSTIO III.

Qualiter possit consensus dari, & matrimonium fieri per procuratorem.

Quatuor expedienda [illegible] [illegible] expedit [illegible] iuxta doctrinam [illegible] prolixissime tradunt Sanch. lib. 2.matr.disp.11.Gutierr. de matr. cap.[illegible] Bellan.disp.24.dub.[illegible] Ponce lib.2.matr. cap.5.& Palaus d.[illegible]

Procurator celebrans matrimonium.

1658 1. [illegible] est an matrimonium ante Tridentinum celebratum per procuratorem fuerit validum [illegible] D[ic]o 1. validum [illegible], quia [illegible] jus [illegible] [illegible] autem celebrandi potestas [illegible] Christus [illegible] matrimonium [illegible] Sacramentum, naturam contractus [illegible] immutavit.

Dico 2. Ut procurator illius absentis nomine valide ineat matrimonium, quatuor requiruntur conditiones. Prima est, ut habeat speciale mandatum ad matrimonium: neque enim sufficit generale ad omnia [illegible]. Secunda ut sit mandatum ad contrahendum cum certa persona: nec enim [illegible] generale ad contrahendum cum quacunque. [illegible] certa persona licèt non exprimatur in mandato, sufficit quod ore tenus, vel per literas declaretur. Tertia, ut procurator per se [illegible] exequatur: non enim substituere potest nisi hoc expressè in mandato contineatur. Quarta ut tempore, quo procurator contrahit, non sit revocata potestas: si enim revocata sit, quamvis [illegible] lateat procuratorem, & alterum conjugem, est irritum matrimonium.

Revocatio procurationis.

Hæ omnes conditiones requiruntur etiam ut procurator nomine absentis valide contrahat sponsalia, ut notavit Sanch [illegible] n. 5. ultima conditio non militat in alijs contractibus: requiritur enim ut revocatio valeat, quod [illegible] procuratori: non ita si fiat per nuntium, vel epistolam. Tunc enim (inquit Sanch.) [illegible] præsentationem, [illegible]

Procurator ad sponsalia.

1659 Quid [illegible] juramentum de procuratione [illegible] revocando, & quis revocet? [illegible] revocans perjurij sit reus, valebit tamen [illegible] valere revocationem [illegible] quoad forum conscientiæ: valere similiter [illegible] tacto contrario ostenditur.

Revocatio procurationis.

Dico 3. si quis post missum procuratorem nec [illegible], nec [illegible], sed in alijs occupatur, matrimonium valet. Quia durat virtute prior consensus. Idem dicendum etiam si misso procuratore dans mandatum incidat in amentiam. Sanch. [illegible] n. 11 & 12. Dico 4. si dum quis mandatum dedit, consensum [illegible], & tempore quo procurator contrahit, habet verum consensum, valet matrimonium. Quia consensus tunc præcipue exigitur, quando efficitur matrimonium. Unde quamvis quo tempore intermedio dissensus [illegible], nihil [illegible], dummodo adsit consensus tempore celebrationis.

Dico 5. [illegible] procurator absque scrupulo [illegible] vel fœminam [illegible] viri, vel [illegible] contrahentium procuratores esse possunt. [illegible] ex eodem Sanch lib. 3. disp. 41. n. 8. [illegible] qualitatem, [illegible] Denique verbis procurationis contrahentis ma-

Verba procuratoris.

trimonium [illegible] esse hæc: [illegible] 2. [illegible]

D[ico] [illegible] procurator [illegible] ipsius excedit [illegible] g [illegible], quam [illegible] matrimonium Sanch. [illegible] mandato [illegible], Do [illegible] contrahendi matrimonium [illegible] [illegible] dentum, vel [illegible] si hæc non [illegible], absque [illegible] tione, valebit matrimonium. Q[uia] [illegible] non fuit conditio [illegible] tur forma juris communis.

1660. 2 Dubitatio est, an matrimonium contractum per procuratorem coram parocho & testibus sit validum post Tridentinum. [illegible] respondet affirmativè Sanch. lib. 2. d. 11. n. 20. [illegible] ex communi praxi Ecclesiæ [illegible] Tridentini irritantis matrimonia clandestina est, ut matrimonium notum fiat Ecclesiæ, probarique possit: at quando celebratur per procuratorem coram parocho & testibus, illi fini [illegible].

3 Dubitatio est, utrum valeat matrimonium per procuratorem, data ei [illegible], absque parochi & testium præsentia? Vera & communis est affirmativa resolutio tum ex praxi: tum quia Trident. solum irritat matrimonium, quando ipsemet contractus non fit coram parocho & testibus: mandatum autem contrahendi non est ipsemet matrimonij contractus. An [illegible] quòd parochus & testes videant mandati literas. Rectè negat Sanch. lib. 5. d. [illegible] n. [illegible]

4 Dubitatio est, an matrimonium contractum per procuratorem sit Sacramentum, & qua ratione? Dico 1. Prorsus tenendum est matrimonium per procuratorem contractum esse Sacramentum. Patet, quia omne matrimonium celebratum inter fideles est Sacramentum: [illegible] autem est verum matrimonium fidelium.

Dico 2. Nec procurator est minister, nec [illegible] us verba sunt materia & forma sacramenti: [illegible] principales contrahentes sunt ministri qui sacramentum in se recipiunt: ipsorum expressionem consensum, quatenus innotescunt per procuratorem, sunt materia & forma: procurator est conditio sine qua non. Patet, quia hoc est univocè matrimonium cum eo quod per propriam personam contrahitur, ac proinde eandem formam, materiam & ministrum habere debet.

1661 Ex qua resolutione infertur mittentem procuratorem (quod in ipso procuratore [illegible] est) teneri sub mortali esse in gratia eo tempore, quo verisimile est fore ut procurator nomine ipsius contrahat: quia tunc recipit Sacramentum. Hæc omnia ex Sanch. [illegible] n. 30. Qui addit n. 31. [illegible] sacramentum contrahentes per procuratorem ad tollendos [illegible] [illegible] ipsimet iterum [illegible] [illegible]. Nam [illegible] sacramentum [illegible] parti [illegible] more [illegible].

SECTIO III.
De consensu conditionato, & coacto.

QUÆSTIO I.
Qualiter possit contrahi matrimonium sub conditione honesta

Tempus causa & modus in matrimonio.

PRæmittendum est in matrimonio, sicut in alijs contractibus, dari posse tempus, causam, modum, & conditionem: quæ omnia supponimus explicata in nostro Elucidario n.954. Tempus futurum (ut notat Palaus disp. 2. pun. 11. §. 5.) adjectum matrimonio per verba de præsenti æque illud suspendit, quousque adveniat tempus, ac suspendit conditio futura. Causa seu demonstratio non obstat matrimonij valori, nisi detur error in persona, vel qualitate libertatis. Modus autem matrimonij essentiæ contrarius illud vitiat juxta Sanch. lib. 5. disp. 19. quanvis reclamet Palaus d.2.p.11.§.5.n.3.

1662 Quod attinet ad conditionem honestam, cõstat ex *§. sub cõditione, Instit. de verb. obligat.* non esse contractũ proprie conditionalem, qui celebratur sub conditione spectante tẽpus præteritum, vel præsens. Quia de essentia cõditionis est actum suspendere: conditio autem præteriti vel præsentis non suspendit: qualis hæc contraho cum Maria sub conditione quod virum nunquam cognoverit: vel sub cõditione quod nobilis sit.

Dubium est an quælibet ex his conditionibus debeat innotescere utrique contrahenti, ut valeat matrimoniũ? Affirmat Ægid. Bellanus disp. 29. dub. 1. n. 6. Quia consensus ille mutuus debet innotescere: hic autem semper latebit latante cõditione. Negandum tamen est cum Sanch. lib. 5 d. 7. & Gasp. Hurtado disp. 7. diff. 2. Probatur, quia solum requiritur ut innotescat consensus utrique sub existentia conditionis, & non sub conditionis notitia: non enim quis consentit in matrimonium sub conditione nobilitatis notæ, sed sub conditione nobilitatis existentis.

Conditio necessaria in matrimonio.

Est igitur solum difficultas de conditione honesta futuri temporis: sive hæc sit necessaria, qualis hæc (*si sol cras orietur*) sive contingens, qualis hæc (*si patri meo placuerit.*) Quando conditio est necessaria, & ejus necessitas cognoscitur, non suspenditur consensus & matrimonium usque ad eventum conditionis, ut rectè docent Rebell. 2. p de just lib. 2. q. 10. n. 13. & Sanch. lib. 5, d. 2 n. 6. quidquid reclamet Basilius lib. 3. matr. c. 1. n. 12. Quia talis cõditio nõ apponitur ad cõsensũ differẽdũ, sed ad ejus certitudinẽ demonstrandam. Idẽ procedit de conditione contingenti, sed infallibiliter futura, qualis hæc in hac propositione) Cõtraho tecum, si Antichristus venerit.)

1663 Quando conditio est honesta, contingens, & fallibilis, constat ex *cap. de illis, cap. super & cap fin. de condition. appos.* suspendi matrimonium usque ad eventum conditionis. Quia consentiens usque ad illud tempus non habet animum tradendi corpus,

Dubium est 1, an per adventum conditionis statim matrimonium subsistat absque novo consensu? Negant Henriq. lib. 11. cap. 11. & Basilius Ponce lib. 3. cap. 14. n. 3. Probant ex *cap per tuas, de condit. apposit* ubi dicitur per illum consensum cõditionatem solum constitui sponsalia. Illos non absolute, sed cum limitatione sequuntur Victoria num. 258. & Sylvest. v. matrimonium 2. n. 13. dicentes id solum procedere quando contrahentes sunt inhabiles per impedimentum Ecclesiasticũ, & contrahunt sub conditione, si Pontifex dispenset.

Utraque opinio probabilis est, sed probabilior affirmativa quam absoluté defendunt Sanch. lib. 5. disp. 8. n. 5. & multi citati, quos sequitur Ægid. Bellan. disp. 29. dub. 1. concl. 3. & 5. Probatur, quia consentiens sub conditione futura in matrimoniũ jam de præsenti habet verum consensum, qui si revocatus non fuerit ante conditionem, ea adveniente transit in absolutum, & perfectum.

Assistentia parochi consensui conditionato.

Dubium est 2. an debeant Parochus, & testes assistere tum conditionato consensui, tum conditionis impletioni in locis ubi viget Tridẽtinum? Affirmãt Ægid. Bellan. disp. 29. n. 15. Gaspar Hurtado disp. 7. de matr. diff. 7. n. 24. & Palaus d. 2. pun. 11. §. 2. n. 11. Probant, quia prædictorum assistentia dari debet quando consensus existit: ille autem existit initio imperfecté, & in fine perfecté, scilicet posita conditione.

1664 Negandum tamen est cum probabiliori sententia, quam docet Sanch. lib. 5. disp. 8. n. 24. dicens satis esse, si assistant cõsensui, quanvis impletioni conditionis non assistant. Quia satis est ut possint testificari de consensu mutuo: aliter deberent assistere facienti mandatum, quando contrahitur per procuratorem, & cognoscere dispẽsationem, quando contrahunt qui erant impediti.

Dubium est 3. quando hæc conditio de futuro. (si patri placuerit) censeatur impleta? Apud Sanch. lib. 5. disp. 7. n. 19. & Bellanum disp. 29. dub. 2. n. 28. si pater ejus ante petitum consensum obivit, conditionem censeri impletam, certum est. Patet, quia communiter illa conditio apponi solet ad vitandam offensionem patris, qui ægre ferret se inconsulto filium nubere: hoc autem cessat illo mortuo.

Quando autem vivus permanet, si rogatus firmiter renuat, ita ut præsumi nequeat brevi tempore ejus consensum obtinendum esse, conditio absoluté deficit: secus, si speretur intra breve tempus consensus ille, etiam si primò obstiterit. Ea ratione censetur impleta conditio: (si Pontifex dispensaverit) quanvis non acquieverit primæ & secundæ petitioni, si post modum dispenset.

QUÆSTIO II.
An & qualiter possit contrahi matrimonium sub conditione impossibili, vel turpi?

Conditio impossibilis adjecta matrimonio.

EXcepto contractu matrimonij, & dispositione ultimæ voluntatis, esse irritos omnes contractus, quibus apponitur conditio impossibilis,

bilis, habetur expressè § *si impossibilis Instit. de inutil. stipul.* Quia illa apposita conditio arguit defectum intentionis & consensus. At in favorem matrimonij statuit Pontifex *cap. fin de condit. apposit.* ut si matrimonio adjiciatur conditio impossibilis, rejiciatur, & habeatur pro non adjecta, ita ut valeat matrimonium, & contractus purus maneat.

1665 Hanc Pontificis decisionem rectè Palaus d. 2. pun. 11. § 3. cum Basilio Ponce lib. 3. de matr. cap. 3. & alijs limitat 1. ut procedat in conditionibus impossibilibus per naturam, & non in impossibilibus de facto. Nam quæ possibilia sunt attenta hominum natura, non debent vocari impossibilia, sed difficilia.

Limitat 2. ne procedat in conditionibus impossibilibus perplexitatis, qualis hæc, *Si Titius heres erit, Se jus heres esto.* Limitat 3. ne procedat in conditionibus impossibilibus ex accidenti, & lapsu temporis. Nam hujusmodi simpliciter possibiles sunt. Limitat 4. ne procedat in conditionibus de præsenti vel præterito. Quia hæ non sunt propriè conditiones, sed demonstrationes.

Conditio turpis ad matrimonium. Quod attinet ad conditiones turpes, ut intelligamus quæ sint, quænam & qualiter matrimonio obstare possint, vel ab eo rejici debeant, notandum est 1. conditionem omnem esse turpem quæ involvit turpitudinem aliquam, seu peccatum, ut si quis contrahat sub conditione occidendi, vel furandi. Notandum 2. alias esse conditiones turpes, quæ non repugnant substantiæ matrimonij, quales nuper assignatæ occidendi, vel furandi: alias, quæ illius substantiæ repugnant, nempe quæ cum matrimonio, ejusque vinculo stare nequeunt: quales v.g. si contraheretur matrimonium sub conditione probem enecandi, vel sterilitatè procurandi, vel cum alieno viro, vel fœmina se copulandi.

Certum est 1. decrevisse Pontificem in *cap. fin. de condit. apposit.* omnes conditiones turpes, quæ nō repugnant substantiæ, bonis que matrimonij habendas esse pro non adjectis: pro indeque non obstare valori matrimonij. Ratio est, quia licèt in alijs contractibus turpes conditiones non rejiciantur, in favorem tamen matrimonij ut pote Sacramenti æquum fuit ut rejicerentur. Hoc autem (ut notāt Lessius 2. de just. cap 18. n. 122 & Sanch. disp. 15. n. 5.) solum intelligitur de conditionibus futuris, non autem de præteritis, vel præsentibus. Unde si contrahas cum Berta sub cōditione si furtum commisit, non rejicitur hujusmodi conditio.

1666 Certum est 2. ex eod. *cap fin. de condit. apposit.* conditionem turpem quæ repugnat substantiæ matrimonij non rejici a tali contractu, sed illum vitiare omninò. Patet quia apponens talem conditionem matrimonio, apertè convincitur illud nolle.

Concubitus ut cōditio cōtra matrimonio. Dubium est 1. an rejicienda sit ut turpis hæc conditio, si mihi in concubitu placueris, vel hæc, si te Virginem invenero? Sanch. lib. 5. disp. 16. asserit has conditiones posse admitti in aliquo sensu v.g. si te virginem invenero, nempe ex aspectu: item si mecum concubueris, scilicet post initum matrimonium ante elapsum bimestre, in quo non teneris facere tui copiam.

Mihi tamen placent Basilius Ponce lib. 3 cap. 8. n. 3. 5. & 7. & Palaus d. 2. pun. 11. § 4. n. 2. asserentes hujusmodi conditiones tanquam turpes esse a matrimonio rejiciendas. Probatur, quia non potest intelligi quomodo virginitas a viro exploretur ante matrimonium nisi per turpem accessum: deinde concubitus ante matrimonium licitus esse nequit: expostulatus autem ut conditio ad matrimonium, necessariò illud antecedere debet.

1667 Dubium est 2. an valeat matrimoniū si contrahatur sub conditione nunquam reddendi debitum? Negant & quidem valde probabiliter Henriq. lib. 11. cap. 4. Sanch. lib. 5. disp. 10. & Layman lib. 5. tr. 10. c. 7. n. 9. Probant, quia hujusmodi conditio, seu obligatio æquiparatur conditioni seu obligationi vitandi prolem: quia sine redditione debiti proles haberi nequit: conditio autem vitandi prolem matrimonium irritat, utpote illi repugnans. *Prolis vitatio cōtra matrimonium.*

Inferunt 1. irritari matrimonium ab hac: Cōtraho tecum, si prius te voto castitatis sic obstringas, ut nunquam a me petas, nec mihi reddas debitum. Inferunt 2. irritari matrimonium per pactum non exigendi, similiter per pactum nunquam cohabitandi, vel abstinendi a copula per totam vitam certis diebus v.g. sextis ferijs. Hæc omnia valde probabilia sunt.

Nihilominus valde mihi placent Gaspar Hurtado disp. 7. matr. diff. 9. n. 33. Ægid. Bellan. disp. 24. dub. 4. Rebell. lib. 2. q. 10. sect. 3. & Palaus cit. n. 6. existimantes prædictam conditionem sano modo intellectam non repugnare essentiæ matrimonij, proindeque illud nō irritare. Ratio est, quia, matrimonium ex sua essentia solum continet obligationem justitiæ ad reddendum debitum, quando hoc fuerit legitimè petitum: at non petetur legitimè, seu justè, si cōtrahens cedat suo juri petendi simplici sua promissione, aut voto.

1668 Dubium est 3. an subsistat, & valeat matrimonium, si cōtrahatur non sub obligatione, sed sub conditione propria prolis iniquè vitandæ? Ludov. Lopez 2. p. Instruct. cap. 42. Anchar. n. 2. Ioan. Andr. ad cap. fin. n. 2. & alij affirmant illud subsistere, rejecta illa conditione ut pote turpi.

Negandum tamen est cum Covarr. 2. p. cap. 3. § 1. n. 7. Sanch. lib. 5. disp. 9. n. 9. Bellano disp. 29. dub 3. n. 40. & Basilio Ponce lib. 3. cap. 9. n. 11. Ratio est quia propria conditio vitandi prolem destruit consensum requisitum ut matrimonium subsistat: nam velle contrahere sub conditione vitandi prolem, est velle contractum non esse perfectum quousque proles vitetur, & hæc conditionalis vitatio antecedens matrimonium illud vitiat. Secus est quando intenditur post contractū matrimonium prolis vitatio per votum, vel ingressum religionis. *Conditio vitiant matrimonium.*

Dubium est 4 an vitiet matrimonium conditio illi contraria, si apponatur ab uno ex contrahentibus, & non acceptetur ab alio? Negat Covarr. 4. decret. 2. par. cap. 3. § 1. n. 11. Probat, quia conditio illa nullam habet vim seclusa acceptatione:

[illegible] vide [illegible]

QUÆSTIO III.

Quibus [illegible] matrimo- [illegible]

1669 NON [illegible] exponam quid & quotuplex sit metus, quando & [illegible] 1, [illegible] 53. [illegible] multo [illegible] & qualiter metus [illegible] matrimonium [illegible] & irritare possit, [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] Q. [illegible] pœnam coge- [illegible] committunt, [illegible] parum. [illegible] cogentes [illegible] sed [illegible] temporales [illegible], illos nempe qui [illegible]. Quare nec pa- [illegible], nec [illegible] nec Episcopi qui [illegible] tempo- [illegible] non sunt, [illegible] incurrent, e- tiam [illegible] cogant. [illegible] nec Imperatorem, nec Reges [illegible]. Quia propter [illegible] dig- nitatem [illegible].

Dubium est 3, an & qualiter parentes filios suos ad matrimonium possint cogere? Constat 1. quando filij tenentur nubere, vel quia id promi- serunt, vel quia [illegible] omnino necessarium est, ut parentum necessitatibus succurrant, posse cogi a parentibus ad nubendum. Constat 2. quando filij ex nulla ratione obligantur nubere, & volunt re- ligionem, aut cœlibatum eligere, non posse a pa- rentibus cogi ad matrimonium. Hoc enim nequit impedire statum perfectioris electionem.

1671 Difficultas est quando filij nec volunt religionem aut cœlibatum eligere, nec tenentur cum persona determinata contrahere, possint obligari a parentibus sub lethali ad illud matrimo- nium, quod vel ipsi parentes promiserunt, vel [illegible] bell. q. 14. [illegible] Ro- drig. [illegible] & [illegible] Probant [illegible] de matrimonio [illegible] a [illegible] eligere impedire [illegible] pervenent [illegible] perfectam [illegible] tum quia naturali jure [illegible] parentibus filiorum nuptias procurare.

Negandum tamen est cum multis, quos affert & sequitur Sanch. [illegible] 3 & sequuntur Gu- tier. de matrim. cap. 79. [illegible] & Bellarm. cap. 28. [illegible] Probatur quia matrimonium est onus [illegible] & multiplex, cum afferat secum [illegible] cum variis obligationi- bus, [illegible] ex [illegible], [illegible] & [illegible] tamen lege charitatis [illegible]

[illegible] Sanch. [illegible] & [illegible] consulere parentes, [illegible] loco sunt, quan- [illegible] consilium. Hoc autem Pa- [illegible] quando filij sunt [illegible] matrimonium [illegible] ne ex petito & [illegible] inconve- nientia.

1672 Dubium est 4, an & qualiter valeant [illegible]

Patentes obligantes ad matrimonium.

Consilium parentum ad matrimonium.

[illegible]

[illegible]

SECTIO IV.

De [illegible] matrimonii clandestini.

QUAESTIO I.

[illegible]

[illegible]

1070. [illegible]

[illegible]

QUÆSTIO II.

[illegible]

DU[illegible]

[illegible]

1071. [illegible]

[illegible]

Tres sessi ad denunciationes. [illegible]

Dispensatio in denunciationibus. Secundo quæ [illegible] ex causa dispensetur. Olim nulla [illegible] non poterant. Episcopi [illegible] Generalis, nempe [illegible] dispensatio spectat ad solum [illegible] Tridentinum, sess. 24. cap. 1. concessit hanc [illegible] ordinario, [illegible] Episcopus [illegible]

[illegible]

1072. [illegible]

Parochus dispensare? [illegible]

[illegible] militiam [illegible]? Affirmant Petrus de [illegible] n. 45. [illegible] appellat [illegible] dub. 1. & Carlevalius [illegible] 1. [illegible] n. 243. [illegible] Tridentini. Negandum tamen [illegible] Sanchez lib. 3. d. 7. n. 17. [illegible] Bassano [illegible] 27. dub. 5. & Laymann [illegible] 2. p. cap. 4. n. 10. Patet, [illegible] ex Concilio Lateranensi [illegible] id non poterat: [illegible] autem illud decretum [illegible] xit, [illegible].

Dubium est 3. possit [illegible] facultatem [illegible] generaliter delegare? Negat Menochius [illegible] 69. n. 55. [illegible] Paulus, [illegible] § [illegible] delegare [illegible] quod [illegible] persona [illegible]: at Concilium [illegible] Episcopo [illegible] & [illegible] eligere.

1680 Affirmandum tamen est cum Sanch. lib. [illegible] 7. n. 20. Zerola [illegible] in qq. [illegible] 93. Reginaldo lib. 31. n. 245. & [illegible] Bellino [illegible] p. 27. n. 55. Patet [illegible] haec [illegible] potestas [illegible] Episcopus, non qua persona [illegible] sed quatenus gaudent potestate ordinaria. [illegible] Episcopi generalem vicarium [illegible] potestatem delegare ad unum vel plures [illegible] vero alium vicarium constituere.

Episcopus dispensans in enunciationibus.

Dubium est 4. an praedicta dispensatio requirat causam, & ipsius judicialem cognitionem? Constat apud Sanch. cit. disp. 8 [illegible] & [illegible] lib. 1. c. [illegible] qq. cap. 19. n. 4. requiri [illegible] causam, & Episcopum [illegible] dispensantem [illegible] peccare mortaliter. Quia materia gravis est, & Tridentinum id non [illegible] Episcopi remisit. Difficultas est [illegible] requiratur judicialis cognitio. Affirmant [illegible] & Davila [illegible] p. cap. [illegible] n. 13. [illegible] cognitio [illegible] extrajudicialis [illegible].

Causa justa in dispensatione.

Cognitio juris talis causae.

[illegible] tamen est cum Sanch. [illegible] 8 [illegible] n. 10. [illegible] 2. [illegible] 4. n. 5. Patet [illegible] requiritur [illegible] prudentiae & [illegible] cognitio [illegible], ut constat ex [illegible]. Tridentinum autem [illegible] 24. [illegible] prudentiae [illegible] ordinarij committit.

1681 Dubium est [illegible] sit causa justa dispensandi in denunciationibus? [illegible] quae [illegible] Reginaldo [illegible] lib. 31. n. 255. & [illegible] [illegible] [illegible]

Causae ad dispensandum in denunciationibus.

[illegible]

tiones [illegible] valde [illegible] n. 12. [illegible] vel [illegible] conceptuum [illegible].

QUAESTIO III.

An [illegible] teneatur [illegible] sub [illegible] debeat.

1682 Haec quaestio expeditur multis [illegible] expedito. 1. Dubium est an [illegible] dispensandi teneatur [illegible] Affirmant absolute Sylvester [illegible] Rosella [illegible] Antonin. [illegible] & alii. Haec [illegible] probabilis est [illegible] Sanch. [illegible] Bassano [illegible] 27. dub. [illegible] n. 13. 35. n. 5. [illegible] valde [illegible] vel [illegible] Quando [illegible] dispensatione negata [illegible] vel privatum [illegible] non teneatur.

2. Dubium est [illegible] data causa justa dispensare [illegible] Sanch. [illegible] Quia [illegible] graviter [illegible] Sayrus [illegible] capitulo.

1683 3. Dubium est, an [illegible] [illegible] appellatio [illegible]

Bassano [illegible] 27. [illegible]

[illegible]

gratuita, non datur locus appellationi: poterit tamen superior implorari, ut vel misericorditer dispenset, vel faciat ut dispenset inferior.

4 Dubium est, an quando non datur copia ordinarij, vel negatur dispensatio, liceat contrahere omissis denunciationibus? Sanchez cit. disp. 10. a n. 27. optime respondet 1. Quoties Episcopus tenetur dispensare, & negat: vel non datur ejus copia, estque periculum in mora, contrahere omissis dispensationibus licitum est. Quia juxta text. *cap. 2. de observat. jejunij* necessitas caret lege. Respondet 2. quando Episcopus non tenetur dispensare, & si dentur causæ justæ, nunquam sine ejus licentia omissis dispensationibus contrahere licitum est. Quia tunc Episcopus negans dispensationem nullam irrogat injuriam.

Denunciationũ omissio in nubente.

1684 5. Dubium est, utrum quando ordinarius dispenset in denunciationibus non integré, sed solum ut matrimonium ante illas contrahatur, non verò consummetur, sit peccatum mortale consummare ante illas? Recté affirmant Navar. cap. 16. n. 38. Sanch. lib. 3. d. 11. n. 3. & Gutier. de matr. cap. 58. n. n. & 2. Probant ex Trident. sess. 24. c. 1. id præcipiente in materia gravi. Unde colligunt toties peccare lethaliter, quoties ante illas copulam habeant, & peccare tam petendo quam reddendo.

Consummatio matrimonij ante denunciationes.

Nihilominus si contrahentes certi sint nullũ subesse impedimentum, recté judicant Rodrig. in summa cap. 222. n. 1. & Palaus cit. § 5. n. 7. non esse lethalem consummationem. Quod Henriq. disp. 11. cap. 16. n. 1. facile admittit post consummationem in copulis alijs subsequentibus. Illud recté notat Sanch. cit. n. 6. si postquam iniere matrimonium, nec volunt consummare, nec præmittere denunciationes, dari peccatum mortale, si alter conjux petat publicari, vel detur periculũ incontinentiæ.

6 Dubium est, an sit lethale consummare matrimonium ante Ecclesiæ benedictiones? Nota 1. ex Sanch. lib. 7. disp. 82. n. 1. benedictiones nuptiales impendi debere a proprio contrahentium parocho, vel ab alio de licentia ordinarij, aut Parochi. Aliter benedicens tandiu manebit suspensus, quandiu ab ordinario ejus parochi, a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Nota 2. ex eodem, quanvis olim benedictiones conferrentur solis primas, & non secundas nuptias contrahentibus, hodie jam consuetudinẽ obtinuisse, ut quoties aliquis ex contrahentibis primó nubat, etiam si alius viduus sit, ejus nuptiæ benedicantur. Adde si unus ex sponsis, etiam si vidui sunt, benedictiones non receperit, utrumque posse benedici ex constitutione Ioannis 22.

Benedictiones in matrimonio.

1685 His notatis, propositum dubium optimé resolvunt Covarr. 4. decr. 2. p. cap. 9. § 2. n. 2. Sanch. lib. 3. disp. 12. Ægid. Bellanus disp. 27. dub. 8. & Layman. lib. 5. sum. tract. 10. 2. p. cap. 4 asserentes, secluso scandalo, consummare matrimonium non præmissis benedictionibus, nullum esse peccatum, etiam veniale. Ita enim recté desumunt ex *cap. nostrates* 30. *quæst.* 5. & Tridentino sess. 24. cap. 1. ubi benedictiones solum consulit & non præcipit.

QUÆSTIO IV.

Qui teneatur denunciare impedimentum, & qualiter in hac re parochus, & ordinarius se gerere debeant?

Circa primam partem de obligatione denũciandi, apud Sanch. lib. 3. d. 13. Gutierr. de matr. cap. 59. Bellanum disp. 27. n. 62. Basilium Ponce lib. 5. cap. 34. & Palaum tr. 28. d. 2. p. 13. §. 6. constat 1. publici impedimenti conscium, vel illius qui facilé probari possit, esse obligatum denunciare. Constat 2. si impedimentum sit occultum, & de eo fuerit jam impetrata dispensatio in foro interno, nullam esse obligationem denũciandi: secus si de illo detur publicitas, quia tunc dispensatio illa non profuit.

Denunciandi impedimentum obligatio.

Constat 3. eum qui audivit impedimentum, sed obliviscitur a quo, vel audivit a persona levis fidei, non teneri ad denunciandum, præcipué si impedimentum sit infamatorium. Cõstat 4. memoria retinentem a quo illud accepit, si sit persona fide digna, teneri ad denunciandum. Quia prælatus eam personam poterit citare, & ejus testimonium accipere. Addit Sanch. n. 6. etiam si acceperit illud sub secreto extra sigillum confessionis: quanvis illi diceretur, hoc tibi detego in confessione: est enim solum secretum naturale. Illud obiter scire expedit, si socius furti domino revelet fures ea conditione, ut dominus sibi condonet partem suam, adhuc dominus potest partẽ illam datam repetere. Ne quis doli sui præmium ferat. *L. ita dammum ff. de receptis arbitros. l. nemo ex suo ff. de regul. juris.*

Secretum naturale.

Secreti revelatio.

1686 Sola difficultas est an quis teneatur denunciare impedimentum quod solus novit? Negant absolute de quocunque impedimento Sá v. matrimonium n. 23. & Basilius Ponce lib. 5. cap. 34. a. n. 6. Negant de impedimẽto quod procedit ex peccato Gabriel in supplem. dist. 28. q. 2. a. 3. dub. penul. & Maior in 4. d. 21. q. 2. arg. 3. Probant, quia nemo tenetur denunciare quod probare non potest, ne se exponat periculo, ut impostor & calumniator reputetur.

Affirmandum tamen est cum Navarro cap. 22 n. 83. Henriq. lib. 11. c. 14. n. 5. Bellano disp. 27 dub. 7. concl. 1. n. 61. Gutierr. de matr. cap. 59. n. 9 Hurtado de matr. disp. 5. diff. 21. n. 75. & cum Sãch. l. 3. d. 13. citatis multis ex antiquioribus. Probatur, quia illa manifestatio non est ad punitionem, quæ proinde exigat ut denuncians probare possit. Deinde quanvis sit insufficiens ad dissolvendum conjunctos, videtur tamen sufficere, ad impediendum ne conjungantur.

Impedimentum secretum denunciandũ.

Intelligitur 1. si denunciaturus id potest facere absque suo gravi incommodo: nam si hoc prudenter vereatur, non tenetur. Lex enim Ecclesiastica, utpote suavis, in tali casu cessat. Intelligitur 2. ut præmittatur correctio fraterna, si speretur fructus. Unde inferunt citati authores ipsum etiam contracturum, si est conscius impedimenti te-

teneri illud fateri, vel a contractu desistere. Quia se ingerit iniqué contractui, quem jure celebrare nequit.

Rogabis, quid dicendum sit in hoc casu? Discedentibus in Indiam duobus viris, quidam sacerdos habuit ex uxore unius unum filium, & ex uxore alterius unam filiam. Ubi puellus, & puella devenerunt ad ætatem nubendi, volétes nubere inter se petierunt fieri denunciationes. Quæsivit prædictus sacerdos solus conscius impedimenti, an teneretur illud denunciare? Responsum fuit negativé: quia nihil esset profecturus: & quia exponebat periculo famam, & vitam tum suam, tum matris. Vide Less. lib. 2. c. 10. vel 11. dub. 7. n. 53. Covarr. Reg. Peccatum 1. p. n. 7. & Navarr. in summam cap. 16. n. 44.

Parochi obligatio in matrimonio.

Facies Ecclesiæ.

1687 Circa secundam quæstionis partem, de modo quo parochus & ordinarius in prædictis se debeant gerare, imprimis juxta Trident. sess. 24. cap. 1. si denunciationibus factis nullum apponatur impedimentum, tenetur parochus ex officio contrahentes in facie Ecclesiæ conjugare, scilicet coram parocho & testibus. Ecclesia enim ibi non sumitur materialiter pro templo, seu loco sacro, sed pro congregatione fidelium.

Quid si denunciationibus factis, apponatur coram parocho impedimentum sive ab altero ex contrahentibus, sive ab alio tertio? Tenebitur parochus celebrationem prohibere, sed non poterit de impedimēto cognoscere ex defectu jurisdictionis. Est igitur res deferenda ad Ordinariũ.

Impedimentum notum soli parocho.

Quid si parochus solus impedimentum novit extra confessionem, & publicè matrimoniũ petatur? Debet prius fraterné monere contrahētes: & si non acquiescant, tenetur ex officio negare, & rem ad Ordinarium deferre. Dixi (extra confessionem) quia si ex confessione novit non potest uti illa notitia ad illos repellendos. Nam juxta Sanch. lib. 3. d. 16. n. 16. & Suar. de pæn. d. 33 sect. 7. n. 10. notitia confessionis in servire nequit ad actus externos, ne reddatur confessio odiosa. Expedit tamen, si credat se profuturum, petere licentiam a pænitente, ut ea obtenta moneat de auditis in confessione.

1688 Quid si res deferatur ad Ordinarium? Tenebitur causa discussa veritatem inquirere, & tunc si respectum impedimentum dicatur sublatum dispensatione, videbit pro quo foro dispensatum fuerit. Nam si pro solo interno, nullius erit effectus ut possit illos conjungere. Si contrahens falsis testibus probat impedimentum sibi appositum falsum esse, poterit judex eos conjugare, ut tenet Basil. Ponce lib. 5. cap. 36. n. 7. quia in tali casu fori externi publicitas sublata est.

Ordinarius in cognitione impedimentorum.

Addunt *Gutierr. cap. 60. n. 5. Sanch. disp. 15. n 14. & Bellan. disp. 27. dub. 7. n. 59.* si ordinario ex propria tantum notitia constaret de impedimento, quanvis ignoraret dispensationem, teneri eos cōjungere. Quia simul testis & judex esse nequit. Sic Episcopus irregularem publice petentem ordines non potest repellere juxta *Cap. ex tenore, de temporibus ordin.* si irregularitas sibi tantum nota fuerit.

QUÆSTIO V.

Quænam præsentia parochi & testium quinam parochus & quænam conditiones in eo, vel ejus delegato postulentur?

QUàm necessaria sit præsentia parochi & testium, ut matrimonium validé inter Christianos ineatur, expressé habetur in *Triden. sess. 24. cap. 1. de reform. matr.* decernente ne matrimonium deinceps contrahatur quin parochus, & duo vel tres testes assistant sub decreto contractum irritante, & personas ad aliter contrahendum inhabilitante. Iuxta quam decisionem quædam sunt certa, quædam dubia.

Parochi præsentia ad matrimonium.

Certum est 1. non requiri ad valorem matrimonij præsentiam parochi & testium in illis locis in quibus hoc decretum, non est publicatum, vel receptum non est. Adde ex citandis non obstare quod fideles ad illa loca animo sic contrahendi divertant. Certum est 2. invalidum evadere prædictum matrimonium etiam si contrahatur publicé coram omni populo, a quo parochus absit. Quia tunc deficit solemnitas integré postulata. Certum est 3. infideles degentes inter Christianos, etiam in locis, in quibus viget illud decretum, validè nubere sine illa solemnitate. Quia illi legibus Ecclesiasticis non subjacent. a

1689 Dubium est 1. an valeat matrimoniũ sine illa solemnitate in casu urgentissimæ necessitatis v. g. in articulo mortis, aut extra, quando maximé expedit contrahi, & non est parochus qui assistat? Partem affirmantem, ut probabilem defendunt *Capua lib. 2. decis. 85. n. 8. Vega lib. 3. summæ casu 36. Veracruz in appen. ad specul conjug. aub. 5. solut. 2. &* sub dubio *Azevedo in l. 1. n. 38. tit. 1. lib. 5.* novæ collet. Probant quia lex illa Ecclesiastica est & humana, proindeque non videtur obligare cum tanto rigore.

Clandestinum matrimonium.

Negandum tamen omninó est cum *Gutierr. c. 61. de matr. a. n. 7. Sanch. l. 3. disp. 17. n. 4. Bellano disp. 27. dub. 1. n. 11. & Ponce lib. 5. c. 6 n. 3.* Ratio est qua præsentia parochi & testium decreta fuit a Cōcilio tanquam forma substātialis apponenda cōtractui matrimoniali, & nihil sine sua substantiali forma stare potest.

Dubium est 2. an sine parocho vel testibus validê contrahant qui invincibiliter ignorant prædictam legem? Affirmant nonnulli, quos nominibus tacitis citat *Ægid. Bellan. disp. 27. dub. 1. n. 11.* Probant, quia sicut invincibilis ignorantia liberat a culpa, ita etiam liberare debet a pæna irritationis. Negandum tamen est cum eodem citato *Ægidio, Sanch. d. 17. & Basilio Ponce.* Patet, quia illa irritatio non fuit decreta a concilio in pænā alicujus culpæ, sed in odium talis contractus, ob inconvenientia ex illo sequenda: proindeque nō vitatur effectus irritationis ob defectum culpæ.

Illud notabis, quando matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum, fuit irritum ex occulto impedimento, non egere postea nova solemnitate, scilicet parochi & testium assistentium ut ratificetur.

Solemnitas nova [illegible] ratificationi matrimonii.

1690 Rogabis 1. qualis nam esse debeat parochi

rochi & testium præsentia? Respondeo cum citatis debere esse humanam & moralem, ita ut per ipsos de contracto matrimonio Ecclesiæ constare possit. Opus tamen non est quod assistant voluntarij, rogati, aut vocati. Unde valebit matrimonium, quamvis illi per dolum, aut vim assistant. Quia cum his persistit adhuc finis Concilij, nempe quod testari possint.

Parochi verba in matrimonio.

Rogabis 2. qualia verba assistens parochus benedicendo proferre debeat? Respondeo cum *Palao d. 2 pun. 13 §. 8. n. 12.* teneri sub culpa veniali conjuges benedicere his verbis. *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti.* Quæ licet non sint de essentia Sacramenti, cum parochus non sit minister, præcipiuntur tamen a Concilio.

Parochus quinam ad matrimonium.

Supersunt duo expedienda, alterum, quinam parochus, & in qua parochia debeat matrimonio assistere? Consentiunt authores cum *Sanches disp. 19. Comitol respon. moral. lib. 1 q. 131. n. 2. & Basilio Ponce lib. 5 [illegible] 10. n. 2.* sufficere ad valorem matrimonij quod [illegible] unus contrahentis in ejus parochia matrimonio assistat. Sumitur ex *l. 2. ff de iuris. [illegible] & cap. præterea de offic. deleg.* ex quibus colligitur parochum habentem potestatem conjungendi [illegible] parochianum, posse illum conjungere cum [illegible] propria parochia.

Assistentia parochi in matrimonio.

1691 Difficultas est, quando talis ille parochus non assistit in propria parochia, sed extra. Tunc enim nec licite nec valide assistere, tenent *Basilius Ponce lib. 5. c. 16. n. 4. Henriq. lib. 11. cap. 3. n. 2. Rebellus in qq. pract. q. [illegible]4. n. 6 [illegible]* Probant, quia Concilium non videtur concedere facultatem & jurisdictionem parocho, ut habeat tale munus extra suam parochiam.

Affirmandum tamen est cum *Gutier. de matr. cap. 62. n. 5 Sanch lib. 3 d. 19. n. 8. Bellano disp. 27. n. 22* & [illegible], parochum vere posse valide assistere matrimonio, tum in parochia sua, tum extra utramque parochiam. Ratio est quia Tridentinum solum postulavit assistentiam proprij parochi, et non parochiam: quia hæc suæ intentioni non conducebat.

Benedictiones extra parochiam.

An vero assistat licite extra propriam parochiam? Negant [illegible] *lo. 1. sum. [illegible]19. n. 7. Salcedo practic. [illegible]3. & Henriq lib. 11. cap. 3 n. 2.* Probant quia extra parochiam nequit [illegible] benedicere ergo neque assistere. Melius tamen affirmant cum *Sanch lib. 3. d. 1[illegible] n. 18. [illegible] Eccles. 2 p. c. 15. n. 49. & [illegible] off. 15. n. 2.* seclusio scandalo [illegible] peccatum. Quia talis assistentia nullibi prohibita reperiatur: secus de benedictionibus, ob externam quandam solemnitatem?

Potestas assistendi matrimonio.

D[illegible] valeat matrimonium cui sacerdos ex commissione parochi assistit extra [illegible]? Negant multi, quos citat *Sanches lib. 3. disp. 24 n. 1.* Affirmandum tamen est cum eodem *n. 2. & [illegible] cap. 62. de matr. n. 10.* Ratio est, quia [illegible] delegati, [illegible] ejus delegatis possunt extra locum committentis jurisdictionem ordinariam exercere, v.g. audiendo confessiones, vel conferendo beneficia; [illegible] autem potestas imitatur jurisdictionem ordinariam.

Domicilium & habitatio ad matrimonium.

1692 Rogabis qualis esse debeat habitatio contrahentium in parochia, ut eorum parochus possit matrimonio assistere? Aliqui cum *Henriq. lib. 11. de matr. c. 3. n. 1. & Rodrig. to. 1 sum. cap. 2[illegible] n. 6.* nimis stricte loquuntur asserentes verum domicilium in parochia contrahi oportere, ut parochus assistat. Alij ex opposito nimis laxe affirmant sufficere transitum per parochiam, ut ejus parochus transeuntes possit conjungere. Ita *Basil. Ponce lib. 5. de matr. cap. 15 §. 1.*

Peregrini & vagi ad matrimonium.

Utraque illa sententia nobis displicet asserentibus cum *Sanches lib. 3. disp. 23. a. n. 12. Gutierr. cap. 63. de matr. a n. 13. & Palao d. 2. pun. 13. § 9. n. 9.* posse assistere valide matrimonio tum parochum verum habentis domicilium nempe habitationem animo perpetuo manendi, tum quasi parochum habentis quasi domicilium, illius scilicet qui statuit in parochia degere maiori parte anni, qualis Scholasticus in academia, & mercator in civitate: at nullo modo parochum alienum in ordine ad peregrinos et forenses, qui alibi habentes domicilium, huc & illuc transeunt.

Vagi ad matrimonium.

Quid de vagis, illis nempe qui nullibi domicilium habent, sed toto orbe vagantur, vel deserto proprio domicilio aliud quærentes nondum habent? Respondeo cum citatis horum parochum, ut legitime assistat contrahentibus, esse illum, in cujus parochia transeuntes commorantur. Et hoc procedit, quanvis unum solum ex contrahentibus vagus sit, alius vero firmum domicilium habeat.

Parochus quas requirat conditiones ut assistat matrimonio.

1693 Alterum expediendum est, quas parochus vel ejus delegatus postulet conditiones, ut matrimonio assistat. In considerationem veniunt tres. Prima ut parochus sit sacerdos, quam aliqui exigunt ducti verbis illis *Trident. sess. 24. c. 1. dicentis. Qui aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote* ubi vox (alio) supponit parochum sacerdotem. Negandum tamen est cum *Sanch. lib. 3. d. 20. n. 3. Palao cit. § [illegible] n. 2.* & affirmandum [illegible] solum postulari [illegible] illo quem delegat parochus ad assistendum. Quia hoc expresse requirit Concilium in verbis citatis. Nec vox (alius) id supponit eo modo quo in Evang. *Ducebantur alij duo nequam* Matth. 28. Marci 14. & Lucæ 21. per vocem (alij) non supponitur Christum esse nequam.

Excommunicatio parochi assistentis matrimonio.

Secunda, ut parochus non sit innodatus aliqua censura præsertim excommunicatione denunciata, per quam jurisdictione privetur. Hanc nonnulli exigunt, & quidem probabiliter. Oppositum tamen probabilius est apud *Sanch. cit. lib. 3. disp. 20. & Palaum cit. § 10. n. 6.* Patet, quia assistentia parochi non est actus jurisdictionis: unde eo assistente invito, & contrariam intentionem habente valebit; ergo & matrimonium cui assistit parochus carens jurisdictione. Adde cum citatis idem procedere, quanvis parochus Sacramentorum administratione, sive generaliter, sive specialiter sit interdictus. Quia vere parochus est, & retinet parochiæ titulum. Quod procedit, etiam

si ad Episcopi nutum amovibilis sit & ei Episcopus imperet ne aliquorum matrimonio conjungat.

1694 Dubitabis, an concedere parocho sacerdoti licentiam, ut assistat matrimonio, sit actus jurisdictionis, proindeque si conceditur a parocho non tolerato, sit nulla, nullumque similiter matrimonium? Affirmativa sententia judicatur probabilis a *Sanch. ut d. a t. n. 6.* & absolute defenditur ab *Ægid. Bellano disp. 27. dub 2. n. 25.* Longe tamen probabilior est negativa apud eundem *Sanch. n 7.* & *Palaum n. 8.* Ratio est, quia talis licentia non censetur actus parochi formaliter in quantum habet jurisdictionem, sed in quantum est testis legitimus matrimonij, & simul habet facultatem substituendi ad eum actum testificandum.

Licentia assistendi matrimonio

Tertia conditio a quibusdam requisita est, ut parochus verè talis sit, & non sufficiat existimatus. Hoc tamen teste Palao citato n. 9. ita intelligendum est, ut dicamus 1. si parochus intrusus sit in beneficium absque titulo, quem legitimus superior contulerit, non valere matrimonium, cui ipse assistit; quia deficit titulus coloratus, quem jus postulat, ut valeant gesta ab inhabili: quidquid contradicat, & quidem probabiliter *Basilius lib. 5. c. 20. a. n. 2.* Dicamus 2. tanquam certum, si parochus obtinuit invalide beneficium, quia irregularis vel excommunicatus, aut si valide, fuit illo titulo privatus a jure, vel per sententiam, non tamen beneficio spoliatus stante communi vulgi errore probabiliter credentis ipsum esse verum parochum, tam matrimonium, quàm alia gesta ab ipso, esse valida, ex *l. Barbarius ff. de off. c. p. at. & cap. Infamis 3. q. 7.*

Parochus intrusus ad matrimonium.

Adde 1. hoc procedere, quanvis inhabilitas cognoscatur a contrahentibus. Quia privata scientia non impedit communem errorem. Adde 2. valide matrimonio assistere Sacerdotem illum, cui parochus ore tenus & absque intentione licentiam concessit. Adde 3. valere matrimonium, quàmvis talis assistens verè sacerdos non sit, dummodo talis communiter reputetur.

QUÆSTIO VI.

Quis sit Ordinarius & qualiter matrimonio assistere: vel assistendi facultatem concedere possit, ac debeat?

1695 Circa priorem partem quæstionis inquirentis quisnam sit ordinarius? apud *Sanch. l. 3. matr. d. 28. Gutierr. cap. 66. Henr. q. lib. 11. c. 13. Ægid. Bellan. disp. 27. & Palaum §. 11.* constat 1. tam Episcopum quam Archiepiscopum in sua diœcesi esse ordinarium respectu suorum subditorum suffraganeorum, nisi in casibus spe cialibus juxta *cap. Pastoralis in princ. de offi. ordin.* quales sunt 1. si actu suffraganeos visitet. 2. extra visitationis tempus, si facultas ab Episcopo denegetur & causa devolvatur ad Archiepiscopum per appellationem: tunc enim causa cognita, & prolata sententia: cui locus appellationi non sit, poterit vel matrimonio illi assistere, vel dare licentiam.

Ordinarius quis ad matrimonium.

Archiepiscopus ad matrimonium.

Constat 2. esse Ordinarium Cardinalem respectu subditorum Ecclesiæ sui tituli. Nam Cardinalis erga illos habet jurisdictionem quasi Episcopalem. Constat 3. esse ordinarios omnes legatos Pontificios in provincia suæ legationis. Quia possunt ibi quidquid potest Episcopus, ut probat *Sanch. n. 8.* Constat 4. esse ordinarium tum Capitulum sede vacante, tum ejus vicarium, ut probant citati. Constat 5. esse ordinarium Abbatem Ecclesiæ nulli Episcopo subjectæ, ut sumitur ex *c. Joannes de testam.* Constat 6. esse ordinarios respectu subditorum suorum omnes illos, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem.

Dubium est an nomine Ordinarij, ut matrimonio assistat, vel concedat Sacerdoti facultatem assistendi veniat provisor seu vicarius generalis Episcopi? Negant *Sotus in 4. dist. 28. q. 4. a. 3. & Anton. Gomez in Bulla Cruciatæ c. 4. circa 4. quæst. n. 21.* Probant, quia Ordinarius a supremo Principe jurisdictionem recipit, at Vicarius illam recipit ab Episcopo pro libito amplianda, vel restringendam.

Vicarius Episcopi ad matrimonium.

Affirmandum tamen est cum *Sanch. l. 3. d. 28. n. 18. Emmanuele l. 5. sum. tr. 10 p. 2. c. 4. n. 5. Bellano disp. 27 dub. 2. n. 17. Basilio Ponce lib. 3. c. 11. n. 1. & Gasp. Hurtado disp. 5. de matr. diff. 9. n 32.* Vicarium generalē tam Episcopi, quam Sedis vacantis. Ratio desumitur ex *c. 2. de consuet. in 6. & c. Romana de appel. in 6.* ubi declaratur Vicarium generalem Episcopi unum tribunal cum Episcopo, unamque jurisdictionem constituere. Dixi (Vicarium generalem) quia foraneus nomine ordinarij non venit.

1696 Circa posteriorem quæstionis partem de modo, quo parochus & Ordinarius possint ac debeant assistere, vel assistendi facultatem dare, constat 1. tanquam decisum a congregatione Cardinalium, ut testantur *Basilius l. 5. c. 29. n. 12. & Farinacius 4. p. 67.* non oportere quod illa licentia detur verbis tantus, & generaliter Censebitur ante concessa generaliter, si committatur Sacerdoti ut exerceat omnia parochi munia.

Licentia assistendi matrimonio qualis.

Dubium est 1. an intelligatur concessa talis licentia in concessione ministrandi omnia Sacramenta? Negant *Henriq. l. 11. c. 3. n. 5. Gaspar Hurtado de matr. disp. 5. diff. 11. n. 37. & Bellano disp. 27 dub. 3. n. 3.* Probant, quia neque parochus neque sacerdos administrant matrimonium: nam soli contrahentes ministri sunt. Affirmandum tamen est cum *Basilio Ponce lib. 5. cap. 29. init. & Palao disp. 2. pun. 13. §. 12. n. 1.* quia licet nec parochus nec sacerdos sit minister matrimonij, tamen impropriè ministrat, quatenus ejus præsentia necessaria est: & sic decisum a Sacra Congreg. testatur *Farinac. l. 4 pag. 275.*

Dubium est 2. an valeat illa licentia assistendi matrimonio, quanvis obtineatur dolo, aut metu? Respondeo affirmative cum *Sanch. l. 3. d. 30. n. 13. Gutierr. de matr. c. 63. n. 14. Bellano disp. 27. n. 3. & Hurtado d. 5. diff. 11.* Ratio est, quia talis facultas sic ex toto nullo jure irritatur. Accedit quod per illam sacerdoti nihil imponitur, nec illi jus quasi tribuatur dominium, sed solum illius personali assistentiæ conceditur valor ut firmet matrimonium.

1697 Dubium est 3. An sufficiat licentia ta-

tacita? Negant *Henriq.lib.11.cap.3.n.5.lit.v.Gonzal. ad reg 8.cancel glos 47.n.52.& Men.chac arb.tr.casu 453 n.13.* Probant tum ex declaratione S. Congreg. quam testatur Gonzal. tum ex verbis Concilij, quæ de licentia propria intelligi debent.

Distinguendum tamen est cum *Sanch. lib.3. disp.35. n.20. Hurtado disp. 5. diff.11.n.38. Ægid. Bellano disp.27.dub.3.n.31. & Basil. Ponce lib.5.cap. 29 n.1.* asserentibus sufficere licentiam tacitam, quæ antecedit matrimonium, qualis censetur dari a parocho vidente sacerdotem illius nomine se disponentem ad assistendum matrimonio, & non impediente, cum facilè possit: at non sufficere tacitam quæ subsequatur matrimonium, & vocatur ratihabitio: de qua proinde intelligitur declaratio Cardinalium.

Ratihabitio & licentia tacita ad assistendum matrimonio.

Nota 1. ut valeat licentia in absentia data, debere constare sacerdoti per epistolam, vel nunciū missum a concedente: ita ut non facile credat alijs affirmantibus datum esse. Nota 2. etiam viceparochum ad breve tempus constitutum posse concedere talem licentiam: quia est delegatus ad universitatem causarum. Nota 3. parochum prohibitum ab ordinario concedere talem licentiam, si concedat, operari quidem illicitè, sed validè. Nota 4. talem licentiam datam semel posse revocari, non censeri tamen revocatam quousque revocatio per epistolam, vel certum nunciū intimetur.

Assistendi matrimonio licentia.

QUÆSTIO. VII.

Quinam testes in matrimonio sint legitimi: & quæ pæna infligatur clandestinè contrahentibus?

1698 HÆc bimembris quæstio quoad prius membrū de testibus, deciditur a *Tridentino sess.24 cap.1. de reform. matr.* ubi Concilium postulat quòd simul cum parocho, vel alio sacerdote de licentia parochi duo, vel tres testes assistant matrimonio contrahendo, alias nullus & irritus evadat contractus.

Testes necessarij & sufficientes ad matrimoniū.

Constat apud *Sanch.lib.3.d.41.n.7.* non oportere quòd prædicti testes sint rogati. Quia hujusmodi qualitas non exigitur a Tridentino. Addit *disp.39.n.9.* sufficere, quanvis repugnantes, & videntes intersint, dummodò celebrationem contractus percipiant. Difficultas est, an omni exceptione maiores debeant esse? Affirmare videntur *Anton.Gab. t.3 commun.opin.lib.1.tit.de testib. concl. 8.n.3.& Mascard de probat.concl.1023.n.4.* Probare possunt, quia Concilium exigit præsentiam eorū testium qui probare possint, tales autem non sūt minus idonei.

Negandum tamen est cum communi, & omninó tenenda sententia, quam ex *Gutierr.c.44.n.74. & Sanch.disp 41.n.5.* defendit *Palaus tr.18.d.2 pun. 13.§.13.n.3.* asserens quoscunque testes, modó rationis usum habeant, sufficientes esse ad matrimonij valorem, illiusque probationem, tametsi consanguinei, & parentes sint contrahentium, vel illorum servi & familiares, vel esto sint fæminæ, infames & excommunicati. Quia in favorem valoris matrimonij, & ut minùs corrigeretur jus commune nullum testem exigens, voluit Tridentinum, ut quicunque jure naturali aptus sufficeret.

1699 Quod attinet ad membrum alterum de pænis, quibus afficiuntur clandestiné nubentes, recolendum est illud duplex clandestinum quod exposuimus supra n. 1644. aliud quando celebratur omissis denunciationibus, aliud quando celebratur sine parocho & testibus.

Pæna nubentiū clandestinem.

Dubium est 1. an matrimonium celebratum coram parocho & testibus, sit clandestinū quoad pænas incurrendas, si omittātur denunciationes? Negat probabilis sententia apud *Sanch.l.3.d.1.n. 7.& Palaum cit.p.13.§.ult.n.1.* Quia tale matrimonium clandestinum non esse docent *Molina tr.2.de just.disp.176 & Gaspar Hurtado disp.5 diff. 22.* Affirmat tamen sententia probabilior apud eosdem. Ratio est, quia tale matrimonium, ut habetur *c.fin.de cland.disp.* erat clandestinum quoad pænas incurrendas juxta *Concil.Lateranense*, & hoc in hac parte *Trident.* non correxit.

Dubium est 2. utrum si matrimonium, cui defuere denunciationes, celebretur publicé sciente maiori viciniæ parte, adhuc sit clandestinū quoad pænas incurrendas? Respondeo cum *Sanchez cit. l.3.disp.1.n.10.* satis probabilem esse negativam sententiam, affirmativam tamen probabiliorem. Ratio est, quia illa publicitas nō æquipollet denunciationibus, utpote quæ diebus festis inter missarum solemnia fiunt. Si autem (notat idem *Sanch.n.11.*) denunciationes præcedant, clandestinum non erit, etiam si testes rogati non fuerint.

Clandestinum matrimonium ad pænas.

1700 Super est hujusmodi pænas recensere. 1. est illegitimitas filiorum, qui ex tali matrimonio concepti fuerint, si forte contraxerunt in gradibus prohibitis. Nota 1. cum *Palao cit.p.13.§. ult.n.3.* ut hæc pæna incurratur debere matrimonium esse invalidum. Nota 2. cum *Sanch. l. 3. d. 42.n.4* sufficere ad talem effectum pænæ incurrendæ, quod invaliditas proveniat ex quocūque capite, quanvis *Basil.Ponce l.5.de matr c.37.n.7.* cēseat ad illegitimitatē incurrendam requiri quod contrahant clandestinè in gradu prohibito, scilicet consanguinitatis, vel affinitatis.

Illegitimitas pæna.

Nota 3. talem illegitimitatem solum durare quandiu durat clandestinitas, & inhabilitas. Tollitur enim illis sublatis, & per matrimonij publicationem, & declarationem, qua matrimonium validum Ecclesia decernat. Nota 4. cum *Sanch.cit. disp.44.* matrimonium clandestinum si fuerit validum, sufficere ut legitimet prolem susceptam a parentibus, qui tempore conceptionis, vel nativitatis prolis ad contrahendum habiles erant.

2 Pæna est, ne conjux spoliata, hoc est per vim ablata a viro, ei restituatur ante omnia. Quia licèt spoliatus regulariter ante omnia debeat restitui *c.conquestione c.litteras, de restit.spoliat.* tamen privatur hoc beneficio in pænam clandestinitatis 3. pæna est ut matrimonio clandestino publicum præferatur. At huic pænæ duplici, nempe secundæ & tertiæ post Tridentinum locus fere nō est. Quarta pæna imposita cōtrahentibus coram hoc

rocho & testibus, sed absque denunciationibus prævijs, est ut careant spe dispensationis, si forte contraxerint in gradibus prohibitis, etiam ignoranter.

1701 Quinta pœna imposita per *Trident. sess. 24. c. 1. de reform.* contrahentibus absque parocho vel testibus est inhabilitas ad sic contrahendū, ita ut tale matrimonium evadat irritum, seu nullum. Quare (ut exponit *Sanch. l. 3. disp. 45 n. 3. & Bellan. disp. 27. dub. 9. n. 80.*) si postea contrahant coram parocho & testibus, valebit matrimoniū. Quia illa inhabilitas solum datur quando deficit præsentia, parochi vel testium. Præter assignatas subduntur clandestinè contrahentes gravi pœnæ arbitrio Ordinarij imponendæ. Quas imponat Ordinarius Ulysipponensis in suis *Constit. vide lib. 1. tit. 14. §. 3.*

Parochi pœna in clandestino. Rogabis, 1. an & quæ pœnæ imponantur parocho, vel alteri Sacerdoti, qui assistant indebitè matrimonio? *C. fin. de clandest. desp.* parocho, vel alteri Sacerdoti de ejus licentia assistenti matrimonio omissis culpabiliter denunciationibus imponitur suspensio ab officio per triennium. Est tamen non latæ, sed ferendæ sententiæ, ut innuitur per verbum *Suspendatur. Ita Sanch. l. . d 48. n. 2.* qui illam pœnam extendit ad prædictum assistentem matrimonio a jure interdicto, ut si absq; ordinarij licentia conjūgat vagos. Oppositum tamen credit verius *Palaus cit. n. 13.*

Rogabis 2. quisnam possit absolvere ab hac suspensione triennali, quando ab Episcopo fuerit lata? Respondent ad *c. fin. cit. Ioan. Andreas n. 11. Præposit. n. 12. & Barrbol. Ledesma dub. 21.* posse ipsum Episcopum qui illam suspensionem inflixit, quia author illius latæ fuit. Rectiùs negāt *Gutierr. c. 75. n. 22. Sanch. l. 3. d. 52. n. 2. & Basil. Ponce l. 5. c. 37 n. 11.* Ratio est quia Conciliū generale quod decrevit talem pœnā, ipsi tempus triennale præfixit.

Testes indebitè assistentes matrimonio puniendi. 1702 Quid si parochus, vel sacerdos aliquis sine facultate legitima assistat matrimonio sibi non subditorum, aut hujusmodi sponsos audeat benedicere? Rectè docent citati authores ex *Tridentino* citato tandiu manere suspensum ab officio & beneficijs, quousque visum fuerit Ordinario illius parochi qui debebat assistere. Ab hac tamen pœna ignorantia excusat, modò crassissima non sit. Arbitrio autem Ordinarij puniendi sunt illi testes, qui vel matrimonio ubi non est parochus, vel matrimonio cui non præcesserunt denunciationes, assistunt.

TRACTATVS XXXXV.

De bono matrimonij, ejusque ratificatione, conjugali debito, & divortio.

SECTIO I.

De matrimonij indissolubilitate.

QUÆSTIO I.

Qualiter matrimonium sit indissolubile, & dispensatione solvi possit?

Unitas matrimonij. NOTABIS 1. unitatē matrimonij consistere in eo quòd sit vinculum unius cum una, juxta illud, *Erunt duo in carne una.* Genes. 2. durante scilicet eodē vinculo per vitam utriusque conjugis. Unde tali unitati non obstat, quòd dissoluto illo vinculo seu matrimonio per mortem unius, aliud matrimonium ineatur. Obstaret tamen unitati illi si unus vir haberet plures uxores simul viventes. Quia jam non esset unum, sed multiplex matrimonium, in quo nec summus Pontifex dispensare potest: olim tamen (ut colligitur ex *Deuter. 21. & c. gaudemus de divort.* dispensavit Deus cum suo Hebræo populo exiguo, ut multiplicaretur.

Ratum & legitimum matrimonium. Notabis 2. matrimonium in lege gratiæ vel esse ratum, vel consummatum. *Ratū* dicitur quod celebratur inter fideles, quandiu non accedit copula matrimonialis. Inter infideles dicitur legitimum & non ratum, quia non datur inter eos Sacramentum quod contractum matrimonialē ratificet. Consummatum dicitur quando est jam copula carnali perfectum. Ad quod requiritur & sufficit quód vir intra vas fœmineum seminet, etiam absq vasis penetratione. An requiratur quod fœmina etiam seminet? pro utraque parte datur probabilitas.

Consummatio matrimonij.

Copula habita per vim. 1703 Notabis 3. copulam extortam vi, aut metu sufficere ad consummandum, si habeatur post bimestre, ut docet *Sanch. l. 2. d. 22. n. 1.* itaut neutri liceat ad religionem transitus. Si autem talis vis inferatur ante bimestri, etsi aliqui negent consummari, rectè ex *Sanch. citato* affirmat *Ægid. Bellan. disp. 26. dub. 4. n. 53.* Ex quo multi inferunt non posse uxorem sic per vim cognitam religionem ingredi, sed oppositum rectiùs docet *Sāch. cit. d. 21. n. 6.* qui rectè addit *disp. 23.* in foro externo præsumi consummatum, si sponsa non virgo traducta est in domum viri: neque illis in contrarium creditur, & si jurent. Si tamen virgo erat sic traducta. & postmodum aspecta talis appareat, creditur non consummasse.

Indissolubilitas matrimonij. Quibus notatis matrimonij etiam non consummati indissolubilitas constat ex illo Matth. 19. *Quos Deus conjunxit homo non separet.* & *Trident. sess. 24. in princ. de reform.* Dissidium tamen est inter Doctores a quonam jure illa proveniat? Missis varijs sententijs, quas recenset *Sanch l. . disp. 13. a n. 4.* mihi arrident *Vasq disp. 1. matr. c. 2. n. 17. Azor Instit. moral. l. 6. q. 3 Bellarm. l. 1. de matr. c. 2. & Gaspar Hurtado disp. 8. de matr. diff. 2. a n. 1.* asserentes hanc indissolubilitatem convenire matrimonio ex jure naturali. Ratio est, quia matrimonium na-

natura sua exigit perpetuitatem? ordinatur enim ex se ad mutuum amorem conjugum, ut pro conservatione universi jungantur, prolem gignant, eamque bene instituant: quæ sine perpetuitate stare nequeunt.

Solubilitas matrimonij. Hæc perpetuitas intrinseca, seu quoad postulantiam (ut bene notant *Palaus tr. 18 disp. 3. p. 2. §. 1.*) æquè competit matrimonio rato & consummato tum fidelium, tum infidelium. Dixi (perpetuitas intrinseca) quia ab extrinseco potest dari solubilitas, qualis olim dabatur inter Hebræos, quibus Deus permisit libellum repudij, & in lege gratiæ ad favendum fidei, concessit ut matrimonia infidelium, etiam consummata dissolverentur, & ad favorē status religiosi, matrimonia rata fidelium.

1704 *Dispensatio in matrimonio rato.* Quod attinet ad dissolubilitatem per dispensationem, constat inter catholicos matrimonia consummata ex nulla causa posse a Pontifice dissolvi. Dubium est, an matrimonium ratum fidelium possit dissolvi a Pontifice per dispensationem, data scilicet causa aliqua urgētissima? Negant *Scotus in 4. dist. 31. q. 1. Valent. in 4. 10 disp. 10. q. 1. p. 7. Basilius Ponce lib. 9. c. 3 n. 3. & Palaus disp. 3. pun. 2. §. 2. n. 3.* Probant, quia ut docuit Innocent. 3. in *cap. ex parte, de convers. conjug.* matrimonium sive ratum, sive consummatum ita jure naturali & divino indissolubile est, ut non nisi ex Dei cōcessione dissolvi possit.

Hæc sententia est valde probabilis, sed probabilior opposita affirmativa, quam tenent *Henriq. lib. 11. c. 8. n. 11. Vasq. .2. d. 165. c. 7. Sanches* lib. 2. disp. 14. n. 2 Lessius lib. 2. cap. 40. n. 146. & Hurtado de *matr. disp. 8. diff. 3. n. 11.* Probatur 1. ex significatione, quia matrimonium ratum fideliū non significat Christi unionem cum Ecclesia per carnem assumptam, sed per gratiam quæ sæpe dissolvitur. 2. quia fortius vinculum est votum solemne religionis, siquidem dirimit matrimonium ratum: & tamen Pontifex in illo potest dispensare. Accedit quia (ut narrat *Sanch. cit.*) Pontifex in matrimonio rato sæpe dispensavit.

Matrimonij cōsummati dissolutio. An verò possit Pontifex statuere, ut matrimonium ratum dirimatur per subsequens consummatum? Probabile est (inquit *Sanch. cit. n. 4.*) posse: sed verius non posse. Quia non censetur verisimile Christum dedisse eam Pontifici potestatem quæ in destructionem tendit.

A Lugone tom. resp. moral. l. 5. dub. 31. n. 6. affertur casus, in quo verum matrimonium consummatum dissolvitur vivente utroque conjuge, nempe quando Hermaphroditus in quo prævalebat sexus fæmineus, & nupserat viro, postea evasit in virum erumpente sexu virili. Quia matrimonium stare nequit inter duos viros. Hæc dixit consequenter ad ea quæ resolverat n. 4. nempe Hermaphroditum in quo prævalet sexus virilis, & validè ordinatus fuerat sacerdos, si postea prævaleat sexus fæmineus, retinere characterem sacerdotis, sed non posse validè consecrare. Quia hoc suppositum modò est fæmina. Sicut si per miraculum Deus infunderet animam Sacerdotis corpori alicujus fæminæ.

QUÆSTIO II.

An & qualiter solvi possit matrimonium infidelium?

1705 *Infideliū matrimonium qualiter dissolvatur.* Certum est matrimonium infideliū etiam non consummatum per nullam potestatem humanam solvi posse: siquidem nec per Pontificiam, cum hæc extra Ecclesiam non extendatur: nec per politicam secularis Principis, cum illam a Deō non acceperit.

Si autem uterque infidelis ad fidem convertatur, difficultas est an ipsorum matrimoniū etiam consummatum Summus Pontifex ex causa justa valeat dissolvere? Negant, & quidem probabiliter *Azor p. 2. lib. 5. cap. 2. §. His positis, Basilius Ponce l. 9. cap. 4. n. 15. Ægid. Bellan. disp. 20. dub. 5. n. 66. & Palaus cit. §. 3. n. 2.* Probant, quia Summus Pontifex in solis casibus a jure expressis potest solvere matrimonium, ut testatur Panorm. in *cap. ex parte de convers. conjug.* Ferr. *Alios autem.* at nullibi reperitur expressum posse matrimonium consummatum infidelium a Pontifice solvi.

Affirmandum tamen est cū *Navarro lib. 3. constitut. de convers. infid. consil. 1. alias 3. in solut. ad 2. dub. n. 12. & Sāchez l. 2. disp. 17. n. 2.* Probatur quia maiorem firmitatem habet matrimonium ratum fidelium, quàm consummatum infidelium: hoc enim non habet maiorem vim quam contractus naturalis: sed potest dispensare in rato fideliū ergo in consummato infidelium, cum baptizantur, etiam si per baptismum ratum maneat. Quia nondum consummatum est, nec repræsentat nexum indissolubilem Christi cum Ecclesia per carnem.

1706 *Dissolubilitas matrimonij.* Si tamen alter infidelis ad fidem convertatur, altero renuente converti, multiplex circa hunc casum versatur dubium. 1. dubium est, quotupliciter dissolvatur matrimonium quoad vinculum? Conveniunt Theologi ex *c. si uxor 28. q. 1.* & *c. gaudemus de divort.* nixi authoritate *Apost. 1. Corinth. 7.* tunc dissolvi in triplici eventu. 1. si infidelis discedat nolens cum fideli habitare, ex eo quod fidem Christi ille suscepit. 2. si velit habitare irrogans tamen contumeliam Christo, v. g. prohibendo ejus laudes, vel impediendo domesticorum conversionem. 3. si infidelis provocet fidelem ad aliquod peccatum: per hoc enim irrogat creatori injuriam.

In fidelis conversum ad matrimoniū dissolvendum. 2 Dubium est, an dissolvatur illud matrimonium eo ipso quòd unus fidem suscipit alio renuente suscipere? Affirmant *Rodrig. tom. 1. sum. cap. 250. Rubad. in 4. dist. 39. a. 2. q. 2. Glossa in c. quanto de divor. Angelus v. matrimonium 3. n. 3.* & alij. Probant, quia Apost. 1. Corinth. 7. perspicuè dixit ob discessum infidelis fidelem conjugij vinculo liberari; ergo e puncto discessionis liberatus est.

Dicendum tamen est cū *Valent. d. 10. q. 3. pun. 7. Sanch. ib. 7. disp. 75. n. 4. Rebello 2. p. de oblig. just. lib. 3. q. 10. sec. 2. Ægidio Bell. d. 27 n. 63. & Basilio Ponce l. 7. c. 38. n. 17.* matrimonium illud non censeri dissolutum quandiu fidelis aliud non contrahit: ab eo tamen puncto, quo contraxerit, dissolutū est. Sic *Innocent. 3. resolvit in c. gaudemus, de divortijs.*

Rectè tamen monent authores, ut fidelis licité aliud matrimonium contrahat, debere ei constare in fidelem nolle converti.

1707. 3 Dubium est, an fidelis conversus possit dissolvere matrimonium alio inito, si infidelis converti renuens velit, cum eo cohabitare absque incitamento peccati, & contumelia creatoris? Negant & quidem probabiliter, *Silvest. v. matrimonium 8.q.10.dicto 6.Valent.de matr. disp.10. q.1.pun.7.Tolet l.7.sum.c.7.n.3.& Palaus disp.3, pun. 2.§.3.n.9.* Probant quia juxta citatum Apostol. solum datur potestas converso ad aliud matrimonium, quãdo infidelis discedat: ille autem, ut supponimus vult manere, & non discedere.

Affirmandum tamen est cum *Henriq. l. 11.c.8, Sanch.l.7.disp.74 Rebello 2.p.l.3.q.10.sect.2.& Ægidio Beccano disp.26.dub.5.n.62.* Probatur, quia juxta Apost.1.Corin.7.datur privilegium dissolvendi tale matrimonium: & quanvis tempore Ecclesiæ primitivæ ipsius Apostoli foret consilium tali privilegio non uti: at modò cessavit consiliũ, cum jam cohabitatio non liceat. Verbum (discedere) quo utitur Apostolus, intelligitur non solũ physicé, sed etiam moraliter; quia illo manente in infidelitate semper est periculum nolendi habitare pacificé & sine contumelia creatoris.

Unde *Sanch.cit.a n.10.* rectè infert 1. nullam desiderari sententiam judicis, ut prædictus conversus ad fidem dissoluto illo matrimonio ad aliud transeat. Infert 2. necessariam esse monitionẽ infidelis, aut interrogationem, an velit converti, nisi aliunde moraliter constet illius obstinatio, vel tantum distet, ut commodé requiri nequeat. Voluntas autem patere solo facto potest.

1708 4. Dubium est, an prædictum fidelis conversi matrimoniũ possit solvi assumptione sacri ordinis, vel religiosæ professionis emissione? Nota 1. cum *Sanch.lib.7. disp. 76.* quoties nolente conjuge infideli converti, licet converso trãsitus ad alias nuptias, licere eidem transitum ad religionem, ordines, aut votum simplex castitatis. Nota 2. consilium sanum esse, ut quandiu durat probabilis spes conversionis infidelis, conjux conversus non transeat ad religionem, vel ordines: ne per hoc impediatur conversio. Præcedere tamen debet monitio infidelis, ut ille conversũ transitus liceat.

Quanvis converti renuat, & postea convertatur, si nondum fidelis mutavit statũ, jam mutare non poterit. At postquam fidelis suscepit ordines sacros, vel professionem in religione emisit infideli converso restituendus non est: secus post ingressum religionis ante professionem.

Infidelis conjux ad fidem conversus.

His notatis, tota dubitatio est, an per licitam in religione approbata professionem conversi ad fidem, renuente alio converti, dissolvatur omninó matrimonium consummatum? Negant *Gaspar Hurtadus de matr.disput.8.diff. 14.n. 5. Bellanus disp 26 dub.5.n.65. Basilius Ponce lib.9.cap 4.n.19 & Palaus disp. 3.pun.2.n.12.* Probant, quia nullibi reperitur concessum professioni religiosæ, ut per illam consummatum matrimonium dirimatur.

Affirmandum tamen est cum *Sanch.lib.7. disp. 76.n.9.* Patet, quia magis indissolubile est matrimonium ratum fidelium, quam consummatum infidelium, propter significationem quam addit contractui qua sacramentum: & tamen ratum fidelium dissolvitur per professionem religionis. Non dissolvitur tamẽ per susceptionem sacri ordinis, nec per emissionem voti simplicis castitatis quia hic status compatitur cum matrimonio: nec dirimit matrimonium ratum fidelium.

1709 5. Dubium est, an possit infidelis inire aliud matrimonium, dissoluto priori per conversionem conjugis alterius, ad fidem? Constat posse validè: dubitatur, an licitè? Negant *S.Thom. in.4.dist.37.q.2.art.5.ad.3. Lucretiem.in cap.similis modo 28.q.2.art 3. & Basilius Ponce lib. 9.cap.4. n. 25* Probant, quia juxta *S. Ambros. cap.si infide.is 28.q.2* infidelis renuens converti peccat in Deum & in matrimonium; ergo tunc illicité nubit.

Affirmandum tamen est cum *Henriq.lib.11. c. 8.n.15.Abulensi 1.Reg.8.q.127.Sanch.lib 7.disp.77. n.6.& Gaspare Hurtado disp.8 diff.13.in fine.* Ratio est quia dissoluto priori illo matrimonio, infidelis manet omninò liber & solutus: deinde non impeditur aliquo jure seu præcepto ad iterum nubendum; ergo licité nubit.

QVÆSTIO III

Qualiter solvi possit matrimonium fidelium?

Constat ex dictis quæstione 1.n.1674. matrimonium consummatum nulla via & ratione solvi posse. Versatur præsens quæstio circa ratum: an solvi possit religionis professione, vel sacri ordinis assumptione? Apud *Gutierr.cap.54. de matr.n.6.& Sanch.lib.2.matr.disp.18.* certum est matrimonium illud non solvi ordine sacro assũpto, solvi tamen religiosa professione emissa. Primum deciditur in *Extravag. Ant quæ Joan.22.de voto.* Secundum definitur a *Triden.sess.24 can. 6.* his verbis *Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per professionem solemnem alterius conjugis non dirimi, anathema sit.*

Matrimonij inter fideles dissolutio.

1710 Unde Sanchez citatus rectè infert 1. non dirimi per vota emissa a quibusdam fœminis religiosis S.Dominici, quas Beatas vocant, & a quibusdam viris S. Francisci ordinis tertij: solus enim votis simplicibus ligantur. Sũt tamẽ quædam Beatæ S.Francisci, & quædam S.Dominici clausuram servantes, quarum professio matrimonium dirimit. Infert 2. quanvis solum dirimeretur professione vitæ eremiticæ in manu Episcopi vel alterius prælati, quia solemnis erat: non ita modó. Quia vel nulla est, vel votorum simplicium.

Professio matrimonium dirimens qua.

Infert 3. quanvis dirimatur per solemnem triũ aut quatuor votorum professionem in Societate Iesu: non tamen dirimi per vota coadjutorum formatorum. Sunt enim simplicia, licet publicè emittantur. Infert.4. dirimi per monachorum & clericorum ordinum militarium sub clausura viventium professionem. Quia solemnis est. Item

plu-

procedit de professione equitum D. Ioannis, & aliorum, qui uxores ducere nequeunt. Secus de professione equitum ordinis Christi, S. Benedicti, & S. Iacobi: quia ducunt uxores.

Professio quo jure dirimat matrimonium. Dubium est 1. quonam jure solemnis professio dirimat matrimonium ratum? Tres sunt & hac re sententiæ. Prima *S. Thomæ in 4. d. 27. q. 1. a. 3. quæstiun. 2. Covarr. 4. decret. 2 p. c. 7 §. 4 n. 3. & Bellarmini l. 2. de monachis c. 38.* asserentium dirimere jure naturali, seu ex natura rei, quatenus vita religiosa est status perfectior, & cum matrimonio incompatibilis.

Secunda sententia est *Gutierr. l. 1. canon. qq. c. 17. n. 26. Sanch. l. 2. matr. d. 19. n. 3. & Basil. l. 9. c. 5.* existimantium dirimere jure divino positivo. Probant, quia textus Ecclesiastici declarantes talem vim dari in professione religiosa, illam non attribuunt Pontificiæ potestati; ergo soli divinæ censebitur attribui.

1711 Utraque sententia satis probabilis est. Mihi tamen videtur probabilior tertia, quam defendunt *Suar. tom. 3. de relig. l. 9. c. 6. Layman. l. 5. sum. tr. 1 c. 3. p. c. 6. n. 3. Lessius l. 2. just. c. 41. dub 8 n. 59. Ægid. Bellan. disp. 6. dub. 3. concl. 4. n. 37. & Gasp. Hurtad. disp. 8. diff. 4. n. 17.* asserentes professionem religionis dirimere matrimonium ratum jure Pontificio, nempe per authoritatem, quã a Christo Domino Pontifex accepit. Et hoc videtur probari traditione Ecclesiæ a tempore Apostolorum. Confirmatur, nam Pontifex habet a Christo potestatem dirimendi matrimonium contrahendum per professionem votorum simplicium, quam Gregorius XIII. exercuit erga religiosos Societatis Iesu, ergo etiam ad dissolvendum jam contractum per solemnem professionem.

Bimestre conjugum ad ingressum religionis. Dubium est 2. quantum tempus concedatur conjugibus ad deliberandum de ingressu religionis. Resp. ex cap. ex publico de convers. conjug. *Sanch. lib. 2. disp. 24 & [illegible] Ægid. Bellan. disp. 26 dub. 4 n. 4. Basil. Ponce lib. 9. c. 9. n. 2. & Gaspar Hurtado disp. 8. de matr. diff. 8.* resolvunt concedi bimestre ad deliberandum de religionis ingressu, ad profitendum verò dari integrum noviciatus annum, qui nec a judice coarctari potest. Ratio est quia ille annus datur non solum in favorem novitij, ut religionis asperitatem experiatur, sed etiam in favorem religionis, ut novitij mores agnoscat: & religio suo jure privari nequit.

1712 Computandum est illud bimestre a die contracti matrimonij. An per judicem possit coarctari vel prorogari? Rectè affirmant *Gutierr. cap. 54. n. 16. Sanch. cit. disp. 24. n. 2. & Basilius Ponce l. 9 c. 9. n. 8.* Ratio est, quia præscribitur a lege, imponendum tamen judicis ministerio. Notant benè *Palaus cit n. 6 & alij.* Ei pro bimestri non arctari conjugem ad reddendum debitum. Quia sic consummaret matrimonium, & non haberet liberam religionis electionem. Unde non placet *Sanch. dicens lib. 2. d. 24 n. 27.* peccare conjugem negando debitum post illud bimestre, etiam si religionem ingredi intenderit.

Rogabis an conjugatis omnibus hoc bimestre concedatur, etiam si non habeant propositum ingrediendi religioné? Negant *Bellanus disp. 26. dub. 4 n. 46. & Gaspar Hurtad. disp. 8.* quos sequitur *Palaus disp. 3. pun. 2. §. 5. n. 7.* Probant, quia conjuges a puncto contracti matrimonij tenentur sibi invicem debitum reddere, nisi hæc obligatio jure Pótificio ad aliquod tempus suspendatur pro bono religionis. *Debitum conjugale post bimestre & ante.*

Affirmandum tamen est cum multis quos referunt ac sequuntur *Sanch. lib. 2. disp. 24 n. 27. & Basil. Ponce lib. 9. c. 9. n. 7.* Ratio est, quia licet tunc ingredi nolint, possunt tamen intra cóncessum bimestre mutare propositum, & casu quo non mutent, affectu maiori cójungentur: quæ enim sunt in desiderio, dilata crescunt.

QUÆSTIO IV.

Quibusnam indigeat probationibus matrimonium, ut declaretur, & habeatur invalidum?

1713 Ut magis pateat matrimonij indissolubilitas, videndum est qualiter probetur & judicetur fuisse invalidum quod có tractum fuit, sive ex defectu legitimi consensus, sive ob aliquod impedimentum. Quod attinet ad consensum, rectè docent *Menochius de præsum. lib. 1. præs. 27 n. 16 Sanch. lib. 2. disp. 45. n. 2. & Bellanus disp. 26. [illegible] 6. in* foro interno, seu conscientiæ nullam illius probationem exigi præter ipsorum contrahentium testimonium. *Consensus fictus in matrimonium. probatio.*

Secus est in foro externo, in quo ad probandã invaliditatem non sufficit prædictum testimonium, nisi adsint tales conjecturæ quæ moraliter suadeant defuisse legitimum consensum. Solent authores, ut videre est apud *Sanch. citatum & Palaum cit. §. 6. n. 1.* recensere, & examinare. Prima, si vir cum protulit verba consensus, in cótinenti revocet: nam protulisse per inconsiderationem præsumitur. Hæc post *Tridentinum* vix habet locum, cum parochus teneatur hujusmodi eolentes diligenter explorare,

Secunda est, si paulo post contractum matrimonium se cólensisse ficte asseverans aliud iniat: & a fortiori si religionem ingrediatur, vel sacrum ordinem suscipiat. Hæc autem nullatenus plenam consensus probationem exhibet. Tertia si conjux qui declaravit se consensisse ficte, dispatis conditionis fit vel [illegible], vel nobilitate. Nã *Menochius de præsum. l. 3. præs. 1. n. 35* dicit túc præsumi fictum consensum. Sed *Palaus d. 3. p. 13. §. 6. n. 3.* id negat, cum videamus passim viros divites ac nobiles amore ductos fœminas pauperes & ignobiles ducere. *Conjectura ficti cósensus.*

1714 Quarta, si metus gravis ac sufficiens de se ad matrimonium irritandum comitetur fictum consensum. Hæc bené admittitur a citatis præsertim si detur ex parte fœminæ. Quinta, si uterque fateatur se ficte consensisse. Quia unusquisque solus novit optimè suum consensum. Hæc tamen insufficiens est, cum sæpe utrumque pæniteat initi matrimonij. Sexta, si ante initum contractum facta fuit protestatio de consensu ficte

ctè exhibendo, præsertim si uterque conjux ficté se cõsensurum protestatus fuit. Hæc recte admittitur, si causa protestationis tempore contractus persistat. At si post contractum data est copula, præsumitur recessus a protestatione.

Impedimentorũ matrimonij probatio.

Quod attinet ad impedimentum, si intentetur lis affinitatis, vel consanguinitatis, aut similis impedimenti, si tes unico testi adhiberi nequit ut vel dissolvatur matrimonium, vel debitum petenti possit denegari. Bené igitur docet *Sanch. cit. l. 2. d. 45. à n. 24.* per illud testimonium obligari conjugem ad veritatem investigandam, & facta diligentia, si non superveniat nova probatio, dubium esse deponendum, & in matrimonio perseverandum.

Testes qui ad dissolvẽdum matrimoniũ.

Consentiunt igitur doctores mot. *c. super eo. c. cum a nobis de testibus, & attestat.* ad probationem impedimenti, quæ requiritur & sufficit ad matrimonium dissolvendũ, debere concurrere duos testes omni exceptione majores, inter quos possunt admitti consanguinei, si probatæ vitæ sint, ipsique matrimonium expetiens. Adde ipsosmet contrahentes, vel alterum eorum, si constaret matrimoniũ cupere, esse sufficiẽtes, ut eis deponentibus de impedimento adhibeatur fides, præsertim (ut ex *Sanch. l. 2. d. 45. n. 34.* tradit *Ægid. Bellan. disp. 16. dub. 6. tom. l. 3.*) si talem depositioné fama juvet.

Notant bené *Henriq. l. 11. c. 11. n. 2. & Sãch. cit. n. 13.* esto concurrant conjecturæ, quæ vel ad fuisse fictum consensum ostendant, vel dari impedimentum concludant, non licere conjugibus matrimonium dissolvere propria authoritate. Quia ne sequatur scandalum, judicis authoritas postulanda est. Hoc intelligitur quando matrimonium fuit publicum. Si autem clandestinum, vel si publicum jam testes obiere, & nullum manifestationis adest periculum, judicis authoritas non requiritur.

SECTIO II.

De ratificatione matrimonij.

QUÆSTIO I.

Qualiter ratificanda matrimonium nullum ex impedimento vel defectu consensus?

Ratificatio matrimonij.

1715 CUm matrimonium vel ex impedimento dirimente, quod etiam datur ex defectu ætatis, de quo n. 1853. vel ex consensu deficiente nullum evadat, & interdum ratificari oporteat, nobis de ratificatione utriusque agendum est. Quod attinet ad impedimentum, hoc sublato, ut ratificetur, seu validum fiat matrimonium, debere revalidari utriusque conjugis consensum, ut per mutuam acceptationem & traditionem, quæ fuit inhabilis, necesse est. Sic docent *Sanch. l. 2. d. 35. n. 2.* & recentiores qui illum sequuntur *Bas. Pons disp. 14. dub. 10. n. 90. Ponce l. 4. c. 24. n. 2. & Hurtad. disp. 3. diff. 8.*

Difficultas est, an sufficiat ad veram ratificationem, impedimentum illud sublatum esse, ut intelligantur conjuges de novo consentire, si per copulam se cognoscant, etiam ignari nullitatis ex impedimento? Affirmant *Henriq. lib. 11. matr. cap. 3. n. 6. Emmanuel Rodrigues to. 1. sum. cap. 220. n. 2. &* multi alij apud *Palaum disp. 3. pun. 7. §. 2. n. 2.* Probant, quia sublato impedimẽto personæ illæ manent habiles: & per copulam sufficienter consentiunt, ut valeat matrimonium. Confirmant, quia ante Tridentinum, & hodie in locis ubi illud nõ viget, post sponsalia, sublato impedimento, sufficit copula ut inducat verum & consummatum matrimonium: ergo & in præsenti casu.

In præsenti cognitio ad consensum.

Negandum tamen est cum multis quos refert ac sequitur *Sanchez lib. 2 disp. 36. n. 3. Basil. Ponce lib. 4 cap. 25. à n. 2. Gutierr. cap. 47. à n. 4. & Gaspar Hurtado disp. 3. diff. 10. à n. 37.* asserentes ad ratificationem, seu validationem illius matrimonij postulari aliquam notitiam nullitatis. Ratio est, quia ad contrahendum matrimonium, quod nondum legitime contractum est, requiritur intentio illud contrahendi, seu consensus in illud de novo efficiendum: talis autem intentio, seu consensus dari nequit in matrimonium, quod quis existimat jam valere & subsistere; ergo sine cognitione nullitatis legitime consentiri non potest.

1716 Quid si timeantur gravissima incommoda in conjuge ex suspicione nullitatis, & frequenter possunt timeri, si appositum fuit impedimentum ex parte fœminæ? Respondet *Palaus d. 3. pun. 7. §. 2. n. 4. cum Sanch & Gutierr.* proximè citatis in hoc casu censeri probabilem, & practicandam contrariam opinionẽ. Sunt enim (inquit bene *Palaus* citatus) aliqua licita in casu urgenti necessitatis, quæ ea seclusa non licent: v. g. seclusa necessitate, non est licitum ob sola signa contritionis exhibita pœnitẽtem absolvere: quod tamen in articulo mortis licitum est. Item non licet partum communiter a sola manu baptizare, bene tamen si in partu periclitetur.

Consensus defectus qualiter ratificandus.

Quod attinet ad defectum consensus, placet *Joanni Maiori in 4. d. 27. q. 1. Petro Soto lect. 3. de matr. & primam & Baptis. Ponce lib. 2. de matr. cap. 5. n. 5.* ficte consentientem teneri ex vi contractus ad præstandum verum cõsensum, tum ex fidelitate, tum ex justitia, conjugi enim alteri vere consentienti debetur verus consensus, ut servetur æqualitas. Hæc sententia tenenda est in praxi, & consulenda, quamvis probabilitate non careat opposita, quam defendunt *Sanch lib. 1. disp. 11. n. 3. & Hurt disp. 3. diff. 6.*

Ficte consentiens matrimonio.

Ut hæc melius innotescant, Dico 1. Qui matrimoniũ ficté contraxit, si consensus sui ficti præbuit indicia, ex quibus prudẽter præsumeretur quod alter conjux fictionem cognoverit, non est postea cogendus ad verum consensum. Ita *Sanch. cit. d. 11 n. 8. & Basilius l. 2. c. 5. n. 3.* Ratio est, quia tunc alter fictione agnoscens a se decipitur, & non ab altero. Illud exprimat Sanch. n. 1. solam disparitatem inter conjugandos esse sufficiens indicium fictionis. Hoc tamen recte displicet *Palao cit. §. 1. n. 3.* quia frequenter dispares ex cæco amo-

re

re sincero animo copulantur.

1717 Dico 2. Ratione damni quod semper ex prædicta fictione infertur conjugi, & non aliter nisi per verum matrimonium reparari potest, tenetur ficte cōtrahens ad verū cōsensū. Ita *Sāch. n.5. & Palaus n.4* Patet ex receptissima sententia, quod omnis injustus dānificator teneatur reparare damnū quod intulit, si possit. Quare licet admittamus in illa fictione peccatum contra fidelitatem & justitiam, ex vi contractus, si excludamus damnum, nulla erit postea obligatio ad verum consensum matrimonialem, sicut nulla datur juxta *Rodrig to.2. sum c.92. n. 5.* ad veré profitendum in illo qui ficte professus est.

Cum igitur fateamur illum ficté contrahentem ratione damni solum reparabilis per verum consensum, ad hūc teneri, oportet explicare, qualiter illum præstiturus est. Constat talē qui ficté consensit, teneri exterius manifestare internum consensum alteri conjugi. Aliter enim non perficietur matrimonium quod signum sensibile est. Ita *Sanch. lib. 2. disp. 32. n. 11. & Ponce lib. 4. c. 24. n. 3.*

Consensus matrimonialis renovatio.

Dubitatur, an cum ille tolens fictionem denuo veré consentit, alter conjux qui ex animo consenserat, debeat consentire denuo, an sufficiat cōsensus præteritus moraliter perseverans, utpote non retractatus? Sufficere affirmant *Sanch. l. 2. disp 32. n. 9. & Ægid. Bellanus disp. 24. dub. 10. n. 55.* Probant, quia consensus illius conjugis qui ex animo consenserat, nunquam fuit legitimus ex defectu alterius, cui tanquam mutuus correspondere; ergo requiritur novus. Utraque opinio est probabilis, & mihi videtur concilianda, si dicamus oportere quód conjux ignatus nullitatis fiat certior de consensu alterius olim ficto, & jam vero, & tūc sufficere quód persistat in primo suo consensu illum nō retractans, quin alium de novo positivé eliciat.

QUÆSTIO II.

Utrùm pro ratificatione matrimonij celebrati coram parocho & testibus invalidi tamen ex occulto impedimēto, sit iterum facienda celebratio coram parocho, & testibus?

1718 NOtandum est posse matrimonium quód fuit celebratum coram parocho & testibus existere nullum vel ex defectu consensus utriusque conjugis, aut alterius solius, vel ex impedimento afficiente utrunque conjugem, aut alterum tantum. Hæc notatio seu distinctio præbuit ansam diversitati opinionum, quas referunt authores citati & citandi.

Parochi & testium præsentia in ratificatione matrimonij invalidi.

Illis tamen omissis, quia amamus brevitatem, absoluté loquimur de matrimonio quomodolibet nullo, & inquirimus, an pro revalidatione exigat repetitam illam solemnitatē coram parocho & testibus? Affirmant *Gutierr. l. 1. canon. qq. c. 18. Navarr. l. 4. consil. tit. 1. de spons consil. 11. Palatius in 4. dist. 27. q. 1. & Matienzo in leg. 1. tit. 1. gloss. 1. n. 3* loquentes de matrimonio nullo ob impedimentum quo uterque conjux afficitur. Affirmant tamen *Basilius Ponce l. 5. c. 6. & Palaus Comitol. lib. 1. respon. moral. q. 120.* Loquētes generaliter de matrimonio ob quancunque rationem nullo.

Probant ex *Trident. sess. 24. cap. 1. de reform. matr.* ubi absolute decernitur irritum & nullum matrimonium quod contrahitur absque præsentia parochi & duorum vel triū testium: & ita se habet matrimonium quod primo fuit nullum, quando secundo absque illa solemnitate contrahitur. Cōfirmant authoritate *Clementis 8. qui* de hoc reconsultus respondit esse necessarium consensum novum utriusque cōjugis coram parocho & testibus admonito illo qui nullitatis ignarus est.

Quanvis hæc sententia securior sit, & certé observanda quando nullum grave timeatur incommodum, tamē quia ex se multis gravissimis exposita est, existimo satis probabilé ac tutam appositam negantē tale matrimoniū pro sua ratificatione egere parocho & testibus præsentibus. Ita *Petrus de Ledesma de matr. q. 45. a 5. concl. 2. Frāciscus Leo in thesauro fori Ecclesiastici 2. p. c 9. n. 83. Reginald. lib. 31. n. 183 Sanch. lib. 2. disp. 32. n. 13 Bonacina de matr. q. 2. pun. 9 n. 4. Gaspar Hurtado. disp. 3. de matr. diff. 11. & alij.* Ratio est, quia quando datur illa ratificatio matrimonij per supplementum defectus, satisfit menti Tridentini exigentis semel præsentiam parochi & testium. Nam Tridentinum intendit vitare incommoda clandestinorum, quæ probari non poterant, & ex hoc multa sequebantur absurda: tale autem matrimonium satis probari potest per parochum & testes primo assistentes.

SECTIO III.

De debito conjugali.

QUÆSTIO I.

Qualis sit finis matrimonij: & ejus in utroque conjuge jus ad petendum, obligatioque ad reddendum debitū?

1719 COnstat apud authores matrimonium fuisse a Deo institutum ob duplicem finem, alterum veluti primarium, alterum, veluti secundarium. Primarius finis fuit generis humani propagatio & cōservatio per generationem. Secundarius fuit mitigatio & remedium concupiscentiæ, scilicet ne caro quæ concupiscit adversus spiritum ad illicitos concubitus traheretur. Unde recté docent cum multis *Bellanus disp. 34. dub. 7. concl. 1. Paulus Layman l. 5. sum. tr. 10, 3. par. c. 4. n. 2. & Gaspar Hurt. disp. 10. diff. 2.* nullum committere peccatum conjuges qui ob alterum ex his duobus finibus coeunt.

Finis matrimonij quis.

Cum veró sint alij fines extrinseci, nempe sanitas corporis, & voluptas carnis, dubium est an peccet conjux intendens copulam ob aliquem ex his duobus? Esse peccatum veniale copulam habere ob voluptatem carnis, opinio communis est, quam cum *S. Thoma in 4. dist. 31. q. 2. a. 3. & S. Bonav. a. 1. 3. q. 3.* multis relatis tenet *Sanch. l. 9. matr. disp. 11. n. 4.* Probat, quia a natura rationali alienū est velle bonū delectabile consequi medio nullam per se honestatem habente.

Voluptas ex copula conjugali an per se liceat.

 Nihi-

Nihilominus, præcisa nimietate, verius credo cum *Basilio ponce l. 10. c. 8. n. 8. & palao disp 3. pun. 3 n. 3.* Nullum esse peccatū velle copulam ob voluptatē inde capiendam, præsertim si nō excludatur finis intrinsecus matrimonij. Ratio est, quia no videtur rationi dissonum velle aliquid quod est necessariò & natura sua annexum actui virtutis: copula autem cōjugalis actus est justitiæ cui actui voluptas illa annexa est. Ex quo facile constat nullū esse peccatū velle copulam ob sanitatem corporis: in qua resolutione citati authores conveniunt cū *Henriq. lib. 11. cap. 15. n. 5. & Ægid. Bellan. disp. 34. dub. 1. concl. 2.* Probant bene, quia si rationi consonat usus copulæ ad conservationem speciei, licebit etiam ad proprij individui conservationē. Poterat in hoc loco nobis esse sermo de legitimatione prolis; sed de illa jam egimus *tract 4. n. 296. & 300. & tract. 25. n. 1660.*

Copulæ conjugatis usus ob sanitatem.

Legitimatio prolis.

1720 Quod attinet ad jus in utroq; conjuge ad petendum, & obligationē ad reddendum debitū, certū inter catholicos est dari, ex illo *Apost. 1. Corint. 7. Uxori vir debitum reddat similiter & uxor viro* Ex quibus constat nullam esse obligationē ad petendum, sed solum ad reddendum. Quanta verò hæc sit, rectè gravem esse sub lethali, quando petitio sive expressa, sive tacita constans & rationabilis est, docent cū *S. Thoma in 4. dist. 32. q. un. art. 2. Layman. l. 5. tr. 10. par. 3. c. 1. n. 1. Ægid. Bellan. disp. 34. dub. 2. concl. 3. & Gaspar Hurt disp. 10. diff. 11. n. 50.*

Debiti conjugalis obligatio.

Observabis 1. cum *Rebello de matr. l. 2. q. 16. sec. 1. & Palao de matr. disp. 3. pun. 4. n. 2.* ut obligetur graviter conjux a quo petitur debitum debere peti ut debitum. Unde si constet peti solum ex gratia & benevolentia absque animo obligandi, negatio peccatum non erit. Observabis 2. ut sit petitio debiti quá talis, & graviter obligās debere ut sic innotescere ex modò petendi serio & constanti: debere itē rationabilem esse, & non immoderatam.

Negatio debiti cōjugalis.

Observabis 3. non oportere fieri petitionem verbis, sed sufficere ut fiat signis indicantibus animum. Hoc autem frequentiùs accidit fæminæ sic petenti ex naturali pudore: etiam accidit sed rariùs viro. Addit Basilius l. 10. c. 2. n. 2. esse tacitum ac sufficiens petendi genus periculum incontinentiæ cognitum alteri conjugi, si hic inteligat per copulam averti posse, ut teneatur illam exigere. Hoc tamen rectiùs negant *Gaspar Hurtado disp. 10. diff. 11. n. 49. & Bellanus disp. 34. dub 2. concl. 2. n. 14.*

1721 Observabis 4. quamvis regulariter lethale sit negare debitum legitimè petitum, si nulla detur negandi causa, posse veniale esse ex levitate materiæ: v. g. si non absolute negetur, sed aliquantulum differatur, vel petens aliqua tergiversatione avertatur. Sic tenent *Samb. l. 9. d. 2. a n. 10 Layman & Bellanus* citati. Addit *Basilius citatus* non esse lethale ob levitatem materiæ, seclusa incontinentiæ periculo negare una vel altera vice, aut si petatur mane, reddere nocte.

Materiæ levitas in negatione debiti conjugalis.

Hoc tamen rectè improbat *Palaus de matr. disp. 3. pun. 4. n. 5*

Ex quibus facilè intelligitur teneri conjugem necessarias vires conservare, ut possit debitum reddere justé exigenti. Est enim virium conservatio medium necessarium, ut tali obligationi satisfaciat. Vnde infertur 1. teneri conjugatū abstinere a jejunijs & alijs asperitatibus etiā præceptis, si videat per executionem illarum a conjugali debito impediri. Sēper enim obligatio justitiæ prævalet alijs.

Debitum qua net ex ... a jejunio & ...

Infertur 2. conjugem qui advertit, se vel copula cum alienis, vel pollutionibus voluntarijs reddi impotentem notabiliter ad usum cōjugalem, peccare cōtra justitiam. Ius enim matrimonio debitum violat. Infertur 3. teneri fæminam desistere jejunijs, vel alijs pænitentijs, quibus advetit se reddi pallidam, macilentam, ac notabiliter deformem, itaut displiceat viro, eumque avertat. Ita. *Sanch. lib. 9. disp. 3. Gaspar Hurt. d. 10. diff. 11. & Bellan. d. 34. dub. 2.*

Uxor ad se ... & al ... pænitentias.

QUÆSTIO II.

Qualiter inter cōjuges liceant amplexus oscula & tactus?

1722 Consentiunt *Vasq. 1. 2. disp. 115. cap 2. Sāch. l. 9. matr. disp. 45. n. 6.* & omnes ere authores tam inter solutos quam conjugatos seclusa necessitate urgente, tactus in pudendis esse lethales, si adsit periculum pollutionis, etiam non intentæ. Quia esto conjugatis liceant tanquam medium ad copulam: si tamen non habeantur sub hoc ratione, & pollutionis adsit periculum, non datur a quo cohonestentur. Dixi (seclusa necessitate urgente) quia si detur causa urgens, qualis v. g. curandi vereda per chirurgū, etiam si detur pollutionis periculum, sed non periculum consensus in illam, cohonestabitur ille tactus.

Tactus inter conjug...

Pollutionis periculum.

Hac ratione a mortali excusantur oscula, amplexus, & tactus honesti inter conjuges, etiam si adesset periculum pollutionis non intentæ. Nam sufficiens causa est mutuum amorem indicare, & fovere. Ita *Sanch. cit. n 38.* An hoc procedat de tactibus impudicis inter conjuges cum illo periculo pollutionis? Videtur affirmare *Sanch. n. 35.* Rectius negat *Palaus cit. disp. 3 p. 4 §. 2. n. 2.* etiam si impudici illi tactus ab altero conjuge petantur. Quia dato periculo pollutionis non habet jus petendi, & ideo cessat causa urgens. Cessante autem illo periculo semper licent, utpote ex se ordinati ad copulam.

Tactus inter conjuges.

1723 Quid si fiant in loco ubi copula haberi nequeat, vel absque animo illam habendi, ob præcisam delectationem Veneream? *Sylvest v. debitū q 9. n. 7. Humada super leg. 2. tit. 1. parte 1. Glosa. 2. n. 18. & ... Margarita Confessorum* illos damnant. Melius *Vasq. 1. 2. disp. 13. n. 3. Sanch. lib. 9. d. 44. n. 12. Hurtado disp. 10. n. 4. 6. & Bellanus disp. 34. dub. ultim. ult.* excusant a lethali. Honestantur enim a matrimonio, quod cum tribuat jus ad copulam, tribuit consequenter ad media, quibus illa haberi solet.

Maior dubitatio est, quando prædicti tactus ha

Tactus ... absentia.

habentur ab uno conjuge in absentia alterius, ab ipsorum præcisam voluptatem? *Vasquez 1.2. disput. 113.n.3 & Armilla v. impudicitia n, 3* resolvunt esse lethales. Probant, quia tii tactus solum licent ut conjugatus debitum petat vel reddat: & tunc nec petitio nec redditio haberi potest. Rende illi tactus, & carnis commotio ex se ad pollutionem vel copulam referuntur: tunc autem non ad copulā; ergo ad pollutionem lethaliter malā.

Hæc opinio quanvis ut probabilior & securior tenenda, & consulenda sit, oppositam tamē quā absoluté amplectuntur *Sanch. lib. 9. disp. 44. n. 16. & Gaspar Hurtado disp. 10. diff. 10. n. 47.* rectè probabiliorem cōset *Palaus de sponsal. disp. 3. pun. 4. § 2. n. 5.* Ratio est quia sicut ex matrimonio provenit honestas conjugalis copulæ, ita & tactibus qui ad illam ordinantur, etiam si per accidens haberi nequeat. Illud rectè monet *Palaus citatus*, si conjux absens speratur brevi venturus, & tactus habeātur animo coeūdi, sine dubio culpa vacare.

Tactus contra naturam inter conjuges. Quid de tactibus contra naturam inter conjuges, ut si fiant per intromissionem membri virilis in vas præposterum fœminæ, vel refricationem in ejus superficie, animo solum consummādi in vase naturali? Culpam lethalem non esse indicat *Navar. lib. 5. consil. tit. de pænit. & remiss. cons. 7. & de refricatione in superficie* expresse tenet *Sanch. lib. 9. dist. n. 5.* Probare possūt, quia communis sententia est non excedere culpam venialem intromittere pudendum in os fæminæ, vel intra ejus crura tanquam præparationem ad coitum naturalem; ergo similiter in vas præposterum.

1724 Nihilominus existimo cum *Basilio Ponce lib. 10. cap. 11. n. 5. & Palao citato n. 6.* lethalē culpam esse tā refricationem in superficie, quam intromissionem in vas præposterum. Est enim hujusmodi tactus quædā inchoata Sodomia, cū ex se ad illam ordinetur, a qua ordinatione non removetur per agentis intentionē. Secus de alijs tactibus in os, crura, & alias fæminæ partes.

Oscula & amplexis inter sponsos de futuro. Quid de tactibus inter sponsos de futuro? Rectè *Valen. 2. 2. disp. 9. q. 3. pun. 3. Navar. cap. 14. n. 18. Sa v. luxuria. 6. oscula* & cum multis alijs *Sanchez cit. disp. 46. n. 48.* docent sponsis de futuro licere omnino amplexus, oscula, & tactus honestos, secus de se turpes. Habent enim jus ut illis mediis, indifferentibus mutuum amorem foveant, dummodo absit coitus vel pollutionis periculum.

Rogabis an & quale peccatum sit intendere delectationem sensitivam, quæ absque periculo coitus, & pollutionis ex osculis & amplexibus capietur? Benè respondet *Sanch. lib. 9. disp. 46. a n. 48.* non excedere culpam venialem. Addit n. 54. idem procedere de aspectibus non valde impudicis, & mutuis colloquijs cum voluptate ex illis orta. Imo nec venialis culpa erit, si adsit finis honestus.

QUÆSTIO III.

Matrimonij usus qualis. *Qualis esse debeat matrimonij usus, ut a culpa vacet?*

IN hac quæstione multa sunt certa, sed plura dubia. Certum est 1. quando conjugati liberis gignendis dant operam, ita debere uti vase ad generationem destinato, ut non adsit periculum effusionis seminis extra illud. Quia aliter matrimoni usus frustraretur fine generationis.

Certum est 2. fæminam, postquam intra naturale vas recepit semen, obligatam esse non conari ad illius expulsionem, vel se erigendo vel emittendo urinam. Talis enim expulsio a pollutione parum distat. Ita cum multis *Sanchez lib. 9. disp. 10. a n. 2. & Basilius Ponce lib. 10. cap. 13. n. 1.* qui bené notant illam non teneri diu immotam, & resupinam persistere: cum solum teneatur non procurare ejectionem, & compertum sit semine admisso, os matricis claudi.

Certum est 3. cōjugatos teneri sub lethali abstinere a modo coeundi etiam intra naturale vas, si sciant, per talem modum impediri generationē v.g. si fæmina ita laxa est, ut nequeat retinere semen, nisi succumbat, erit peccatū lethale, si coeat incumbendo.

1725 Dubium est 1. an, secluso periculo effundendi extra vas, sit peccatum lethale inter cōjuges coire inverso ordine, ut si vir succubus, fæmina incuba sit: item si præ postere accedat vir, & coeat intra vas naturale? Affirmant *Præposit. sub. de sponsal. n. 13. Monald. in summa tract. de matr. Abulen. cap. 5. Matth. q. 227. & inclinat Henricus c. Inquisitioni. n. 12.* Probant, quia quando non datur necessitas sic coeundi, sed sola volupras, talis coitio reputatur gravis deordinatio. *Copula habita inverso ordine.*

Negandum tamen est cum *Sà v. debitum conjugale. Henriq. lib. 11. cap. 16. n. 6. Sanch. lib. 9. disp. 16. n. 3. Gaspare Hurtado disp. 10. diff. 5. n. 19. & Bellano d. 34. dub. 9. fine* asserentibus solam culpam venialem esse. Probatur, quia talis modus generationē non impedit: semen enim intra vas naturale recipitur; & per vim attractionem, quæ teste *Aristot. lib. 2. de gener. cap. 4.* datur in matrice, retinetur: ac proinde non datur gravis deordinatio, quæ lethalem culpam constituat. Ex quo meritò infertur nullam omnino dari culpam in sic coeundo præposte re, si detur necessitas: v. g. quia vir nō aliter sufficienter provocatur ad seminandum, nisi sic coeundo. Necessitas enim non habet legem.

Dubium est 2. an conjuges teneantur sub lethali absolvere copulam, quam inceperunt? Affirmant absolute cum *Sylvestr. v. debitum q. 7. Petrus. Ledesma q. 46. a. 6. dub. 2. & Azor to. 3. lib. 3. cap. 24. q. 9.* Probant, quia lethale est impedire generationem: impeditur autem per desistentiam a copula conjugali. Pro dubij expeditione duo sunt observanda, alterum quód detur vel nō detur mutuus utriusque consensus in talem desistentiam: alterum, quód neuter, vel alter conjux ante illam seminaverit. *Copula inchoata absolvi debet.*

1726 Dico 1. si neuter conjux seminavit, neque periculum subest effundendi semen, ex mutuo consensu potest uterque desistere a coitu. Ita *Caietan. 2. 2. q. 154. a. 11. Sanch. lib. 9. d. 19. n. 3. Filliucius tr. 10. c. 9. & Ponce lib. 10. c. 11. n. 9.* Ratio est, quia ille coitus inceptus & imperfectus nihil aliud est quam tactus pudendorum, qui inter conjuges permittitur secluso periculo pollu-

 tio-

tionis: præcipuè si fiat ob rectum finem v. g sedandi concupiscentiam.

Dico 2. si fæmina jam seminavit, desistat. Ita cum Caret. & multis citatis *Sanch. cit. disp. 9. n. 5* Probatur, quia cum fæmineum semen sit insufficiens ad generationem absque virili, per talem desistentiam frustrabitur semen fæmineum suo effectu. Vnde vir sic desistens, si non excusetur ob aliquod gravissimũ damnum vitandum, sibi imminens peccabit non solum contra castitatem, sed etiam contra justitiam lædendo jus uxoris, quod habet, ut sibi reddatur debitum legitimé petitum.

Seminatio fæminæ ad generationẽ.

Dico 3. Viro seminante, valde probabile est fæminam non teneri seminare. Ita *Palaus de sponsa. d. 3. pun. 4. §. 3. n. 9* ex S. *Thom. 3. p. 5. q. 34. a. 4. ad 3. & Sanch. lib. 9. d. 15. n. 5*. Probatur, quia semen fæmineum generationi necessarium non est, ut ex Arist. lib. 1. de gener. anim. c. 2. docent medici nobilissimi *Avicen. lib. 9. de animal. c. 1. & Galem lib. 1. de sanitate tuen. cap. 11*. Cum ergo sufficiat virile semen ad generationem, non tenetur fæmina ad seminandum. Dixi (valde probabile) quia cum hodie medici & philosophi communiter defendant fæminam concurrere effectivé ad generationem per verum semen, oppositum nostræ resolutioni maximé probabile est.

Ex quibus nota 1. non oportere quòd seminatio utriusque conjugis simul fiat, unde alter alterum prævenire potest. Nota 2. discrimen inter virum & fæminam, quod hæc prius seminans tenetur expectare viri seminationem, ne suo effectu careat: & cõtra vir priùs seminans non tenetur expectare fæminam seminantem, justa nostram resolutionem.

Uxor se tangens post copulam.

1727 Dubium est 3. an postquam vir intra vas fæminæ seminavit, seque retraxit, fæminæ liceat ad seminandum provocare se tactibus? Negat *Palaus de sponsa. disp. 3. pun. 4. § 3. n. 6.* nullo pro se authore citato. Probat, quia illa copula est licita conjugibus per quam efficiantur una caro: at per illam seminationẽ non potest uxor fieri una caro cum viro, utpote absente.

Oppositum tamen defendunt *Sanch. lib. 9. disp 17. n. 12. & Lessius lib. 4. c. 3. dub. 7. n 55. & dub. 14. n. 94*. Probant, quia talis excitatio ad seminandum immediaté post seminationem viri, non est contra naturam generationis, sed potiùs illi maximé conveniens, utpote complementum actus conjugalis, juvansque ad perfectionem prolis. Deinde si esset illicita lethaliter, manerent uxores expositæ periculo æternæ damnationis, propter summam difficultaté se continendi irritatæ ad Venerem in tali occasione. Hoc mihi semper arridebit, quandiu non detur prohibitio.

Copula tentatio cum periculo effusionis extra vas.

Dubium est 4. an post cõtractum valide matrimonium, liceat conjugibus petere. & reddere debitum intentantibus copulam, si vir nequeat seminare intra vas, vel ob ipsius debilitatem, vel ob uxoris arctitudinem, aut aliunde? Respondeo cum *Sanch. lib. 7. disp. 17. a. n. 20. Basilio Ponce lib. 10. c. 11. n. 6. & Palao citato § 3. n. 7.* quando est dubia impotentia, ita ut detur probabilis spes seminandi intra vas, licitum esse conari, quamvis per accidens eveniat effusio extra. Quia tunc conjux procurat rem licitam & possibilem. Ideo jus Canonicum *cap. laudabilem. de frigid. & malef.* concedit dubijs de impotentia triennium ad experiendum.

Oscula & tactus licet conjugibus impotentibus.

1728 Dicta procedunt tam de senibus ex ætate, quam de juvenibus aliunde impotentis, quibus tandiu conari licet ad copulam, quandiu spes subsit seminandi intra vas. Ita citati authores, ex quibus adde 1. conjugibus omninò impeditis ac copulã licere amplexus, oscula, & tactus, secluso pollutionis periculo. Adde 2. licitam esse copulã quando seminatur intra vas, quanvis fæmina elatim & semper semen ejiciat. Hoc enim per accidens est, cũm jam copula consummata fuerit: & præsumi debeat retineri quod ad generationem sufficiat.

Abusus matrimonij inter conjuges.

Dubium est 5. Utrum abusus propriæ uxoris per mollitiem, vel Sodomiam sit peccatum gravius quam inter solutos, & habeat circũstantiam necessario aperiendam in confessione? Videtur negandum: quia talis abusus si cõtineret specialem malitiam, esset adulterij, & injustitiæ: sed nec est adulterij, quia non datur alieni tori violatio, quam pro adulterio requirit *Gelasius cap. lex illa 36. q. 1.* nec injustitiæ, quia in eo (ut suppono) conjuges consentiunt, proindeque non datur injuria.

Affirmandum tamen est cum *Soto in 4. dist. 31. q. un. ar. 4. Salar 1. 2. tr. 13. disp. 6. lect. 16. Sanch. lib. 9. disp. 18. a. n. 3. & Basilio Ponce lib. 10. cap. 11. nume. 7.* Ratio est, quia talis abusus continet gravem malitiam specialem contra fidem in matrimonio datam: nam per matrimonium traduntur corpora solum ad copulam conjugalem, utpote generationi aptam, Nec obest conjugum ad talem abusum consensus: quia nullus est, utpote a non habentibus potestatem. Vnde talis abusus recté appellatur adulterium, cum sit violatio conjugalis tori, juxta Ambrosium relatum in *cap. nemo tibi 32. q. 4*: ubi dixit adulterium non esse solum cum aliena peccare, sed omne quod non habet potestatem conjugij.

Aborsus procuratus.

Addunt bene *Sanch. & Ponce* citati virum, & idẽ est de uxore, abutentem matrimonio teneri in confessione explicare talem abusum fuisse cum propria uxore, nec sufficere, si dicat se cõjuta ab usum fuisse. Quia sic non explicatur violata fides proprij matrimonij. Non expono hic peccatum fæminæ procurantis aborsum, vel alterius ad ipsum concurrentis. Quia de hoc egi *priori parte tr. 9. a. n. 673*.

QUÆSTIO VI.

Qualiter conjuges impediantur a debito ratione loci vel temporis?

Copula habita coram aliis.

1729 HÆc quæstio continet simul locũ & tempus petendo & reddendo debito opportunum. Certũ enim est neque omnem

nem locum, neque omne tempus pro illius petitione & redditione aptum & licitum esse. Quod attinet ad locum, constat graviter illicitatam esse copulam conjugalem habitam in loco publico, seu coram alijs. Quamvis enim ex se liceat, tamen prout sic adversatur graviter honestati, praebetque ansam pravis desiderijs & delectationibus.

Copula conjugalis in loco sacro. Si loquamur de loco sacro, constat apud *Sanch. lib. 9. d. 15. n. 14.* locum sacrum copula licita inter conjuges habita nec pollui, nec proinde recōciliatione indigere. Dubitatur, an & quando liceat? Bene respondet *Sanch. cit. n. 8. cui adherent Ægid. Bellan. disp. 34. dub. 9. concl. 8. & Gaspar. Hurt. disp. 1. diff. 5. num. 16.* solum licere in casu necessitatis, quando scilicet conjuges sunt in loco sacro diu inclusi, nec patet aditus ad cameram adjacentem. Ratio est, quia tunc daretur occasio voluntariae pollutionis: & Ecclesia in hoc evētu noluit obligare ad abstinendum. Quod procedit, etiam si solus alter conjux esset in Ecclesia obsessus: & tam de redditione quàm de petitione.

Longum tempus attenta humana fragilitate reputatur spatium unius mensis. Quando cōstat foreut obsidio diu perseveret, possunt conjuges statim coire in Ecclesia. Nec cohonestatur coitus solum ex periculo alterius incontinentiae, sed ex quocumque honesto fine. E contra extra casum necessitatis per copulam conjugalem polluitur locus sacer & indiget reconciliatione. Unde tam petēs quàm reddens committit sacrilegium. Vide quae diximus num. 171.

Tempus ad copulā conjugalem. 1730 Quod attinet ad tempus, jam alibi diximus de tempore post contractum matrimonium, & ante velationes, & in bimestri ad deliberandum de ingressu religionis. Dubium est 1. an liceat copula conjugalis diebus jejunij, & feriatis processionum, & die qua S. Eucharistia recepta, vel recipienda est? Videtur negandum ex Gratiano 33 q. 4. & Innocent. in *cap. Proposuisti* 82. *dist.* ut servetur illud Apostol: *Abstinete vos ad tempus, ut expeditiùs vacetis orationi.* ad Corint.

Dicendum tamen est cum *Bellano disp. 34. dub. 9. n. 75 Basilio lib. 10. cap. 9. n. 5. & Hurt. disp. 10. diff. 3. n. 9. ex Sanch. lib. 9 d. 12. a. n. 5.* quamvis ex decentia & honestate, ut sumitur ex citatis locis, congruum sit abstinere praedicto tempore, at non cadere sub praeceptum. Unde petenti in quolibet ex illis diebus alter sub gravi culpa tenetur reddere.

Copula tempore menstrui. Dubium est 2. an liceat coitus conjugalis tēpore quo faemina laborat fluxu menstruo? Negant *Alens. 2. p. q. 166. mem. 2. in solut. ad 5. S. Bonav. in 4. d. 32. in exposit. lit. n. 7. Sotus ea dist. q. un. & Petrus de Soto l. de instit. sacer. q. un. s. 5.* Probant quia talis coitus graviter nocet gignendae proli, vel ut leprosa, vel ut mōstruosa evadat. Accedit, quia illo tempore mulier cōceptioni raró idonea est.

Affirmandum tamen est cum *Sanch. l. 9. d. 21 n. 7. juncto quinto Basil. Ponce l. 10. c. 14. n. 5. Bellano disp. 34. dub. 9. n. 76. & Gasp. Hurt. disp. 10. diff. 3. n. 10* non esse culpam gravem eo tempore debitum petere. Quia in nullo jure apparet gravis prohibitio: & proli absolute melius est nasci etiam sic nasci quàm nunquam nasci. Sit ne saltem culpa levis? Bene respondent citati affirmative, si petatur ex sola praecisa ratione captandae voluptatis negativè, si petatur ex causa rationabili, v. g. ad vitandum jurgium, vel incontinentiam.

1731 Dubium est 3. an tempore praegnationis liceat coitus conjugalis? Constat esse illicitum si per illum detur periculum abortus, etiā si ex ipsius negatione continentia periculū subeat. Cum verò citati moneant raró tale periculum subesse, dicendum est ita licere, ut neuter petens suo jure fraudari possit. Quid si tunc, ut frequenter accidit, detur periculum effundendi receptum semen? Bené respondent cum *Sanch. cit. d. 22. n. 3. Gasp Hurt. diff. 3. n. 12. & Bellanus concl. 3.* etiam tunc coitum non esse lethalem, tum quia periculum morale non est, tū quia sequuta effusio praeter intentionem erit. *Praegnationis tēpus ad copulam.*

Dubium est 4. de tempore immediaté post partum, & quo lactatur infans an tunc coitus liceat? Bené cum *Basilio Ponce l. 10 c. 14. n. 8.* respondet *Palaus de spons. d. 3. pun. 4. § 4. n. 13.* eandē indecentiam nempe venialem, quae datur in coitu habendo cum menstruata, dari in habendo cū ea quae peperit, antequam a sanguine purificetur. Ab omni tamen culpa vacabit, si requiratur ad sedandam concupiscentiam. *Pariens ad copulam.*

Pro comperto illud est tempore quo lactatur proles, non esse conjuges obligatos abstinere a coitu, cum ex eo nec ipsi proli, nec faetui concipiendo damnum immineat. Ex quo sequitur dari obligationem reddendi, quando alter debitū petit: & hoc etiam si exigens peccet venialiter ob defectum finis recti. Quid si ex coitu tempore lactationis praevideant conjuges ubera siccanda, seque non habere aliunde, ut proli succurrant? Adhuc *Sanch cit. d. 22. n. 15.* docet virum obligatum non esse a debiti petitione abstinere: quia hoc ob nimiam difficultatem videtur moraliter impossibile. Tunc igitur succurretur proli vel illam exponendo, vel eleemosynis alendo, ac si mater moreretur. *Copula tempore lactationis.*

1732 Dubium est 5. an & quomodó liceat copulae petitio, & redditio tempore amētiae? Ut dilucidè resolvam hoc dubium ex doctrina *Sanch lib. 9. d. 23.* quem sequuntur juniores *Basilius Ponce lib. 10, c. 14. Bellan. disp. 34 dub. 9. & Palaus d. 3. p. 4. § 4. a. n. 16.* constat licere matrimonij usum inter conjuges non omninó amentes, quos vocant *lunatos*, vel amentes secundum quid, nempe in una tantum materia, vel furentes qui habent lucidos intervallos, ut horum tempore debitum petant. *Copula inter cōjuges insanos.*

Tota difficultas est circa amentiam totalem, perfectam, & sine lucidis intervallis. Dico 1. si ambo conjuges sint amentes, peccat lethaliter qui eos ad copulam excitat. Quia maximum damnum & periculum etiam aeternae salutis, imminet proli concipiendae. Unde qui amentes nō cōjugatos excitaret ad coitum committeret pec- *Amentia conjugum.*

 catum

ratum affectum omnibus circunstātijs, quibus illud committerent illi, si rationis compotes essent.

In sanis conjux. Dico 2. si alter conjux solum sit amens, & ab sit periculum abortus, aut damni notabilis conjugis sani, licitus est concubitus. Quia matrimonium verum est, nec proli detrimentum sequitur. Quod procedit etiam si detur periculum, ut amens seminet extra vas tempore per accidens. Dico 3. Conjux sanus non tenetur ex natura rei debitum reddere insano petenti, quamvis absit omne periculum abortus, vel alterius damni. Ratio est, quia illa debiti petitio non est actus humanus, sed perinde se habet, ac si in somnis fieret.

Ebrius conjux. Dixi (ex natura rei) quia si in viro furioso esset periculum effusionis seminis, vel accessus ad aliam, teneretur uxor illi reddere: non é contra vir uxori furiosæ, ob periculum abortus. Si autē quilibet ebrius esset, & peteret cōstitutus in periculo pollutionis, alter sive vir, sive uxor teneretur reddere.

QVÆSTIO III.

Qualiter conjuges impediantur a debito ratione cognationis spiritualis supervenientis?

1733 *Cognatio spiritualis ad debitum cōjugale.* SPiritualis cognatio quæ potest matrimonio supervenire, nascitur ex duplici sacramento, nempe Baptismo, vel confirmatione: v. g. si parens alterius conjugis prolem, sive ex præsenti, sive ex alio matrimonio habitā baptizet, aut de sacro fonte levet, vel baptizet uxorem, quam infidelem duxerat.

Patrini ad copulam. Quæstio est, an hujusmodi triplex ministerium impediat usum matrimonij ad debitum petēdum & reddendum? Si detur necessitas ut fiat, quia nō adest qui illud exerceat, rectè ex *cap. ad limina 30. q. 1.* docet *Sanch. lib. 9. disp. 26. n. 3.* nullo modo impediri matrimonij usum. Quia licet caput citatum de solo baptizante loquatur, authores tamē communiter extendunt ad patrinum tam in baptismo quám in confirmatione. Idem est (addunt *Ponce lib. 10. cap. 6 n. 9. & Ægid. Bell. disp. 44. dub. 8.*) si conjux munus illud præstitit ignorans puerū esse filium suum, vel uxoris. Imo ex ignorantia *Ignorantia excusans* juris, seu legis prohibentis conjugatis illud munus. Ignorata enim lege nō datur culpa, nec proinde pœna illi apposita. Ita *Basil. Ponce lib. 10 cap. 6 n. 8. qui n. 12.* testatur juxta aliquos sufficere ignorantiam ipsiusmet pœnæ sub qua prohibitio copulæ facta est.

Hactenus de casu in quo vel datur necessitas exercendi prædicta munia, vel si non detur, adest ignorantia legis, vel pœnæ. Si autem extra necessitatem, proindeque culpabiliter ab uno proles supradicta baptizetur, levetur a sacro fonte, vel teneatur in confirmatione, alter conjux qui a tali culpa immunis est potest debitū exigere, quod illi necessario reddendum, *Ægid. Bellan. disp. 34. dub. 8. num. 84.* tradit ex communi omnium consensu.

1734 *Debiti petitio a contrahente cognationem spiritualem.* Dubium solum est, an prohibeatur a debiti petitione qui extra necessitatem exercuit culpabiliter munus prædictum, itaut si uterque in hoc existat culpabilis, neuter possit debitum petere, & neuter teneatur petenti reddere? Affirmativam sententiam tanquam communem defendunt *Gutier. de matr. cap. 100. n. 6. & Sanch. lib. 9. disp. 26. n. 6.* Desumunt hanc resolutionem ex variis textibus, scilicet *cap pervenit. & cap si quis 30. q. 1. Cap. nosse, ead. causa & quæst. cap si vir, de cognat. spirituali* ex quibus illam probant.

Hæc sententia quanvis communis sit, tamen opposita, quæ negat sic delinquentem privatum esse debiti petitione, tanquam verior defenditur a *Durando in 4. d. 42 q. 1. art. 3. Suar. to. 3. de sacr q. 67 art. 8, §. penult Ægid. Bellan. disp. 34. dub. 8. num. 69. Basilio Ponce ex parte lib. 10. cap. 6. n. 4. Gaspare Hurtado disp. 10. diff. 6. n. 24. &* alijs quos citat, ac sequitur *Palaus d. 3. de spons. pun. 4. §. 5. n. 5.* Fundatur in eo quòd pœna illa privationis debiti petēdi gravissima est, & nullo jure manifesto cōstat, ut exponendo singulos allegatos textus ostēdit Palaus citatus, cui proinde ego subscribo.

QUÆSTIO VI.

Qualiter conjuges impediantur a debito ratione affinitatis supervenientis?

1735 *Affinitas superveniens ad impediendum debitum.* CErtum est 1. affinitatem ex copula incestuosa habita cum cōsanguineis proprij conjugis, quæ supervenit matrimonio, impedire petitionem debiti, ut sumitur ex *cap. 1. de eo qui cognovit consang. cap. & alijs 3. q. 7.* ipsum veró *si quis viduam* incestuosum conjugem teneri reddere, *cap. discretionem.* Ad quod parum refert incestus ille occultus fuerit, an publicus. Certum est 2. quanvis alter conjux non habuerit copulam, si tamen consensit ut alter haberet, manere privatum utrumque jure petendi. Addit *Sanch. cit. d. 27. n. 3.* idem procedere de cognatione spirituali, quando alteri conjugi illam contrahenti alter consensit, ut cōtraheret. At non procedit in nostra minus communi, sed veriori tale impedimentum negenti supra n. 1704.

Incestus ad impedendum debiti petitionē. Dubium est 1. quanto gradu consanguinitatis debeat persona carnaliter cognita attingere alterum conjugem, ut incestuosus privetur jure petendi? *Comitol lib. 1. respon. moral q. 137.* & alij apud *Sanch. l. 7. disp. 15.* existimant ad hujusmodi impedimentum contrahendum sufficere consanguinitatem intra quartum gradum. Quia hoc impedimentum est de jure antiquo, quod per Tridentinum non fuisse sufficienter correctum citati affirmant.

Dicendum tamen est cum *Henriq. l. 11 c. 15. Gutierr. l. 1. canon. qq. c. 23. n. 21. Sāch l 9. d. 27. n. 14. & Basilio Ponce l. 7 c. 33.* fine, attento jure antiquo illam consanguinitatem extendi usque ad quartum gradum; Cum veró hoc jus sit correctum per *Trident sess. 24. de matr. c. 4.* juxta id dicimus copulam habitam cum consanguineis alterius

tertius conjngis ultra secundum gradum, minime debiti exactionem. Quia juxta Trident. ultra secundum gradum nulla oritur affinitas ad impediendum matrimonium, quod plus est.

1736 Dubium est 2. an prædictus incestuosus evadat pœnam illam privationis jure petendi, si ignoravit fœminam ad quam accessit, esse consanguineam suæ uxoris? Respondeo affirmative cum Rodrig. tom 2 sum. c. 243. conc. 11. Sanch. l. 7. d. 15. & Layman. l. 5. sum. tr. 10. 3 part. c. 1. n. 14. Sumitur ex c. 1. de eo qui cognov. & ratione, quia pœna illa imponitur incestuoso; qui autem ignorat consanguinitatem, non committit incestum.

Petitio debiti conjugalis ab incestuoso

Addit bene Palaus d. p. 3. p. 4. § 4. n. 3. excusari si per vim fuit cognitus: quia juxta c. discretis nē, de eo qui cognovit. a culpa immunis est. Quia si cognoscens illam consanguinitatem habuit copulā ex metu cadente in virum constantem? Probabile esse non privari jure petendi meritò judicant Sotus in 4. dist. 37. q. 2. Sanch. l. 9. d. 31. n. 4. Layman. l. 5. sum. tr. 10. 3. p. c. 1. n. 14. Ponce l. 10. c. 7. n. 6. & Palaus d. 3. p. 4. § 4. n. 3. Quia credendum est de benignitate Ecclesiæ noluisse sua illa pœna afficere peccantem coactè.

Debiti redditio per innocentem incestuoso

Dubium est 3. an conjux innocens possit ac teneatur reddere incestuoso impedito, proindeque iniqué petenti? Constat obtenta dispensatione posse incestuosum petere debitum, ipsique necessariò reddendum esse: sicut constat (ut diximus) innocentem posse petere, ipsique esse reddendum. Decisionem dubij, quod difficile agnoscit Palaus citatus n 7. rectè apponit affirmans verius esse in innocente illo nullam dari obligationem reddendi, tametsi reddere possit. Pars prior defenditur a Sanchez multos citante l. 9. d. 6. n. 8. & patet, quia cum incestuosus sit privatus jure petendi, nullum innocens illi negando injuriam irrogat. Posterior pars defenditur etiam ab eodē citato n. 12. & Layman. l. 5. sum. tr. 10. p. 3. c. 1. n. 15. Probatur, quia licèt ille innocens videatur cooperari iniquitati alterius sine jure petentis, & in petitione peccātis, cooperatio hujusmodi materialis est, & non formalis: quia (ut suppono) non excitavit incestuosum ad petendum, sed tātum usus fuit jure suo se illi copulando.

QUÆSTIO VII.

Qualiter vota possint obstare conjugali debito?

Votum nō nubendi nō obstet conjugali debito.

1737 IN quæstioné votum quadruplex vocari potest. 1. votum non nubendi. 2. votum sacros ordines suscipiendi 3. votum religionem ingrediendi. 4. votū castitatis. Singula resolvamus. Quod attinet ad primum, difficultas est, an qui vovit abstinere a nuptijs, & votum fregit contrahendo matrimonium, teneatur non consummare matrimonium abstinendo a copula? Pro utraque parte negant & affirmant authores apud Sanch. lib. 9. d. 34. a. n. 6.

Placet resolvere cum Azorio p. 1. lib. 11. cap. 21. q. 3. & Basilio Ponce lib. 10. cap. 5. n. 16. eum qui absolutè vovit non nubere, seu abstinere a nuptijs, si non constet expressè solum voluisse abstinere a contractu, peccare per copulam consummando. Probatur quia taliter vovens præsumitur voluisse ex affectu castitatis, cui præcipue repugnat carnalis copula. Ita Palaus d. 3. p. 4. § 8. n. 1. ubi addit præfactū consummato semel matrimonio posse deinceps licitè petere & reddere. Quia tale votum nec etiam per æquipollentiam votū absolutæ castitatis est.

Vota obstantia debito conjugali.

Quod attinet ad secundum, nempe suscipiendi sacros ordines, constat taliter voventem peccare, si nubat animo consummandi: quia per consummationem fit impotens voto implēdo. Quid si solum contrahat animo ingrediendi religionē? Benè ex Basilio Ponce lib. 10. c. p 5. n. 15. & Ægidio Bellano disp. 34. dub. 7. n. 54. respondet Palaus citatus n. 2. peccare graviter tum ob periculum consummandi, tum ob deceptionem conjugi factā. Addit tamen benè matrimonio semel cōtracto nō teneri ad ingressum religionis, utpote medium unicum difficilius ipsa repromissa ut expressè decidit Joan. XXII. in Extrav. Antiqua de voto. Unde debitum libere petere, & reddere potest. Quia id voto non repugnat. Mortua tamen uxore, vel adulterante, vel religionem ingrediente tenetur votum implere, cum id liberè præstare possit.

Sacri ordinis votum.

1738 Quod attinet ad tertium, votum scilicet religionis, benè Azor to 1. lib. 11. cap. 21. q. 8. Ægid. Bellano disp. 34. dub. 7. n. 55. & Basilius Ponce lib. 30. cap. 5. n 4. cum Palao n. 3. sequentes Sanch. lib 9. disp 33. consentiunt 1. eum qui vovit religionē peccare nubendo, etiam si habeat animum ingrediendi religionem ante consummationem. Patet tū ex dolo, quem sic facit conjugi, tum ex periculo non implendi votum, cui se exponit, si consummet. Consentiunt 2. si prædictus sub spe conjugij virginem defloravit teneri ad matrimonium ineundum & consummandum. Quia tunc obligatio justitiæ prævalet obligationi religionis.

Religionis votū ad conjugale debitum.

Consentiunt 3. matrimonio illo semel consummato talem posse licitè petere & reddere. Quia votum religionis, cum non sit votum castitatis, non obligat a prædictis abstinere. Consentiunt 4. dictum voventem qui matrimonium consummavit, teneri postea religionem ingredi, casu quo vel conjux moriatur, vel adulterium committat, vel aliam divortij causam tribuat.

Quid si ex mutuo consensu religionem voveant conjuges ante matrimonium consummatum, peccabunt ne consummando? Palaus cit. p 4. § 8. n. 4. ex Ægid. Bellan. disp. 34. dub. 7 a. n. 57. & Basilio lib. 10. cap. 5. n. 20. benè respondet 1. si unusquisque voveat dependenter ab altero ingressuro, non peccare consummando. Quia tunc per illam voluntariam utriusque consummationem, videtur uterq nolle ingredi, & sic neuter tenetur ingredi, ex defectu conditionis.

Respondet 2. si unusquisque voveat religionē non dependenter ab alterius ingressu, sed dependenter ab ejus voto, scilicet vovens sub conditione quòd alter etiam religionem voveat, utrunq peccare lethaliter consummando. Quia votum illud

illud ex conditione quòd alter voverit, jam positam, transit in stabilitum, & conjux tali voto obligatus si continuaret, periculo non implendi se exponit.

Addunt benè citati authores, si post consummatum matrimonium conjuges consensu mutuo religionem voveant, neminem teneri religionem ingredi altero non ingrediente, nisi forte uxor senex sit, & non suspecta de periculo incontinentiæ. In hoc enim casu solum peccat ille per quẽ stat, quod votum non impleatur: cum alter excusetur ob impotentiam. Quòd si nolens ingredi moriatur, vel dederit causam devortij, alter tenetur ingredi, si religioni sit aptus.

Castitatis votum ad debitũ cõjugale. 1739 Quod attinet ad quartum, votum scilicet castitatis emissũ ante vel post matrimonium, difficultas est an & quomodo impediat cõjugale debitum? Certum est 1. voto castitatis obligatum peccare lethaliter, si matrimonium cõtrahat, etiam animo religionem ingrediendi nulla data consummatione. Ratio est, quia in re gravi alterum decipit, & se non exequendi intentũ periculo exponit.

Certum est 2. prædictum, si matrimonium contrahat, obligatum esse abstinere a debiti petitione, quandiu dispensationem non impetrat: & primo bimestre quod datur ad deliberandum de religionis ingressu, nec posse petere, nec reddere. Quia cum pro hoc tempore non detur obligatio justitiæ, voti obligatio, quæ est virtutis religionis urget. Certum est 3. post consummationem matrimonij sive licitam, sive illicitam, ligatum castitatis voto teneri debitum reddere petenti rationabiliter. Certum est 4. uxore mortua, vel ipsa per adulterium aut aliter præbente causam divortijs, manere virum illum integré obstrictum voto castitatis, ut nec reddere, nec petere possit.

Castitatis voto ligatus quando teneatur religiõ ingredi. Dubium est 1. an conjugatus ille, casu quo possit, teneatur religionem ingredi pro servanda integré castitate, quam vovit? Affirmant cum *S. Thoma in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. Navarrus cap 22. n. 73. & Azor tom. 1. l. 11. c. 21. q. 2.* Probant, quia religio est unicum medium quod datur pro servanda castitate, & quanvis sit nimis difficile, ipse sibi imputet angustias, in quas se conjecit.

Negandum tamen est cum *Henriq. l. 12. cap. 2. n. 1. Sanch. l. 9. d. 34. n. 3 Bellano disp. 34. dub. 5. n. 35. Lessio lib. 2. just. cap. 46. dub. 5. n. 52. Basilio l. 10. c. 5. n. 12. & Laymano l. 5. tr 10. p. 3. c. 1. n. 11.* Ratio est quia prædictus, quando vovit castitatem, etiam post matrimonium contractum, non censetur illam intendisse per medium quod ipsi rei promissa difficilius est. Hoc tamen procedit, quando vovens tẽpore emissionis voti nihil de religione cogitavit. Si enim tunc illi occurrit religio tanquam medium unicum voti implendi, ad illam tenebitur.

Debiti redditio conjugi adultero. 1740 Dubium est 2. an & qualiter votum illud emissum post contractum matrimonium obstet conjugali debito? Pro decisione notandũ est votum illud vel fuisse emissum de consensu alterius conjugis, vel absque illo. Dico 1. si de illius consensu & licentia fuit emissum, nec petere, nec reddere potest. Ita *Basilius Ponce l. 10. c. 5. n. 10. Lessius cit. c. 40. dub. 15 & Bellanus disp. 34. dub. 6. n. 39.* Ratio est, quia consentiens juri suo cessit. Unde si uterque ex mutuo consensu voveat castitatem, neuter petere vel reddere potest, sed oportet ut separetur.

Dico 2. si conjux ille absque alterius consensu vovit castitatem, votum est validum, proindeq; obligat ad non petendum, sed non tollit obligationem reddendi. Ita *Layman. l. 5. tr. 10. 3. par. c. 1. n. 12 Basilius Ponce l. 10. c. 5. n. 19 & Bellan. disp. 34 dub. 6. n. 49. ex Lessio l. 2. c. 40. n. 97. & Sã. l. 9. disp. 35 n 25.* Sumitur ex *c. quidam, & c. p mei de conv. conjug.* deinde ratione, quia tale votum, eo modo quo exposuimus, absque alterius conjugis præjudicio observari potest. Unde non acquiesco *S. Thoma in 4 d. 32. q un. a. 4. ad 3. Petro de Soto sec. 16. de matr § ult. & alijs* asserentibus tale votum esse invalidum. *Petitio debiti conjuge vovente castitatẽ.*

Dubium est 3. an talis vovens absque alterius licentia, possit aliquando petere debitum, v. g. si sua non petitio sit onerosa alteri, & possit illi afferre periculum incontinentiæ? Affirmant *S. Ivest. v. matrimon. 7. q. 5. dicto 4 Rosella v. Impedimentum 4. n. 7.* & plures quos sequitur *Layman. cit. c. 1. n. 12.* Probant quia conjux absque licentia alterius solum potest vovere quod non cedat in præjudicium illius: at dicta non petitio in dictis circunstantijs illi præjudicat.

1741 Nihilominus negandum judico cum *Bellano citato disp. 34. dub. 6. n. 47. & Palao de sponſ. disp. 3. pun. 4. §. 7. n. 8.* Probatur, quia conjux nõ est obligatus vitare quidquid alteri molestum est in materia cohabitationis: aliter non teneretur exequi breves peregrinationes, quas promisit: nec posset expedire aliqua negotia, si crederet id esse molestum conjugi, vel ei afferret periculum incontinentiæ, quod non admittitur. Illud rectè monent citati ob periculum incontinentiæ obligari dispensationem illius voti petere.

Dubium est 4. an prædictus qui vovit castitatem possit alteri conjugi petenti reddere, quando hic commisit adulterium, & nondum reconciliatus est? Negant *Ægid Bellan cit. disp. 34. dub. 6 n. 50. Basil. Ponce lib. 10. cap. 5. n. 19. & Palaus cit. n. 9.* Probant, quia conjux ille vovens castitatem tenetur illam servare abstinendo ab omni copula carnali, quando licitè potest: potest autem quando alter adulter est: quia petit sine jure. *Debiti redditio conjugi ad ultero.*

Hæc sententia videtur probabilis, sed probabilior affirmativa quam tradit *Sanch. lib 9. disp. 35. n. 28.* Ratio est, quia intentio voventis in tali statu intelligitur fuisse solum velle se obligare ad non petendum a propria uxore, nec fornicandũ cum alia; & ad non nubendum soluto præsenti matrimonio: de redditione autẽ sibi voluntaria non cogitavit. Accedit, quia ille per votum castitatis non privavit se potestate reconciliationis cõdonando uxori injuriam adulterij, quæ verbo aut facto ipsius copulæ condonatur.

QUÆS-

QUÆSTIO. VIII.
Quæ notitia de nullitate matrimonij ejus usum impediat?

Debitum conjugale si actur notitia nullitatis matrimonij.

PRocedit quæstio de notitia nullitatis, quæ vel certa omninó est vel dubia sive negative quando, pro neutra contradictionis parte datur authoritas, ratione probabilis, sive positivé quādo hujusmodi probabilitas adest. In hac igitur quæstione certa ab incertis, & perspicua ab obscuris distinguamur.

1742 Certum est 1. eum qui habet notitiam certam de nullitate cōtracti matrimonij, debitum conjugale nec posse petere, nec reddere. Ita Doctores omnes contra *Hugonem de S. Victore de Sacram. p. 11. c. 6. & Magistrum in 4. dist. 38. fine.* Quod procedit etiam si nullitas procedat ex impedimento solius juris humani. Patet, quia accedere cum certa notitia ad non suam semper intrinsecè malum est.

Certum est 2. putato conjugi sic impedito, seu addicto nihil superesse remedij, nisi discedere, vel impedimentum removere, aut dispensationem quærere, si possibile fuerit. Nec in hujusmodi casu aliquid proderit, etiam si Episcopus sub excommunicationis pæna matrimonij usum, utpote intrinsecè malum præcipiat. Certum est 3. quando non datur certitudo de nullitate matrimonij, sed dubium positivū, nempe opinio probabilis pro utraque parte, teneri sic dubitantem petenti reddere. Ita *Henr. lib. 12. cap. 6. n. 7. & Sanch. lib. 2. d. 44.*

Opinio probabilis ad conjugale debitum.

Dubium est 1. an possit debitum petere qui contraxit habens eam opinionem de nullitate matrimonij? Affirmant absoluté cum multis citatis *Sanch. lib. 2. d. 41. n. 9. & Gutierr. de matr. cap. 49. n. 17.* ducti eo principio, quòd licitum est sequi opinionem probabilem. Mihi videtur hoc dubiū esse decidendum cum distinctione inter nullitatem provenientem ex jure humano, vel provenientem ex jure divino aut naturali.

Dico igitur 1. si impedimentum sit juris divini & naturalis, v.g. quia tempore contracti matrimonij probabiliter judicavit prioris matrimonij conjugem vivere, & si probabilius oppositū judicasset, debitū petere non potest. Ita *Lorca disp. 88.* & *seq. disp. 66. cap. 4. Hurtado de matr. disp. 10. diff. 9. & Basilius lib. 10. cap. 15. n. 14.* Ratio est, quia conjux prior, quandiu non cōstat de ipsius morte, jure sibi quæsito, & possessione spoliari nequit. Ab hac tamen resolutione excipi debet impedimentum impotentiæ cujus dubium, vel opinio neque matrimonio contrahendo, neque ejus usui obstat. Quia ad illud tollendum requiritur experimentum, quod solum licet per matrimonium.

Dubius de impedimento matrimonij ad debitum.

1743 Dico 2. si impedimentum solius humani juris sit, & quis circa illud tempore contrahendi matrimonij opinans aut dubitans subesse impedimentum, factà diligentia ad cognoscendam veritatem, dubium vincere non potuit, neque a contrahendo matrimonio, neque ab ejus integro usu impeditur. Ita *Ægid Bellamus disp. 34. dub. 1. n. 104. & Palaus cit. disp. 3 pun. 4. § 9. n. 4.* Patet, quia facta diligentia, etiam si persistat illud dubium, possessio stat pro contrahenti.

Dispensatio dubia.

Quòd si contrahenti matrimonium constabat dari impedimentum, & habens pro utraque parte rationes probabiles dubitabat an dispensatione sublatum esset? Impeditus manet ad petendum, tenetur tamen reddere. Quia tunc stat possessio pro impedimento. Secus esset, si constaret de dispensatione, qua illud sublatum fuit, & dubitaretur de nullitate dispensationis. Tunc enim stat possessio pro dispensatione.

Redditio debiti conjugalis.

Dubium est 2. an in casibus, quibus unus ex eo quod mala fide contrahens matrimoniū impeditur a petitione debiti, alter id cognoscens teneatur petenti reddere? Respondeo negativè cū *Gutierr. de matr. cap. 49. n. 30. Henriq lib. 11. cap. 11. n. 5. Sanch. lib. 2. disp. 41. n. 54. & Bellamo disp. 34. dub. 10. n. 102.* Probatur, quia quando petitio nulla est ejus negatio culpabilis esse non potest. Si autem uterque mala fide contraxit dubitans de impedimento, nec potest petere, nec reddere: proindeq̄ separari debet. Ratio est, quia neutri suffragatur possessio mala fide incepta. Ita *Sanch. l. 2. d. 42. n. 8.* Addit ibidem, si postea occurrant rationes, quæ arbitrio prudentis reddant probabile valere matrimonium, & si oppositum sit probabilius, posse petere & reddere.

Dubius de valore matrimonij ad debitum.

1744 Dubium est 3. qualiter circa debiti petitionem & redditionem se gerere debeat qui de valore matrimonij dubius est? Dico 1. qui tēpore contractionis dubius fuit de valore matrimonij, illicité contraxit: & nō potest petere, aut reddere tenetur alteri petenti, qui bona fide cōtraxit. Ratio est, quia mala fides illum impedit a petendo, sed non deobligat, a redditione. Dico 2. qui contraxit bona fide, ob superveniens dubiū, vel opinionem de valore matrimonij non impeditur a petitione. Patet, quia ratione contractus initi bona fide acquisivit jus & possessionem in corpus alterius a qua deturbari nequit per dubiū superveniens. Ita *Sanch. lib. 2. disp. 41. a. num. 45. & Palaus cit. n. 6.*

QUÆSTIO IX.
Quando a debiti redditione detur excusatio: & quādo peccatum in concessione?

Excusatio multiplex a debiti conjugalis redditione.

CIrca priorem quæstionis partem, solent authores examinare notabiles causas, de quibus quæri potest, an excusent a debiti conjugalis redditione. 1. causa est excommunicatio maior si quando conjux petens illam contraxit: siquidem privat a communicatione fidelium. Verum non esse sufficientem, sive in viro, sive in uxore detur, consentiunt authores.

Filiorum multiplicitas ad debitum conjugale.

2 Causa est, parentum difficultas in alendis filijs, si multi plicentur, quando facultates non suppetunt. Hanc cū limitatione, scilicet modò absit incontinentiæ periculum, defendunt *Rodrig to. 1. sum. cap. 243. Sanch. lib. 9. disp. 25. n. 3. & Gasp. Hurt. de matr. disp. 10. diff. 12. n. 54.* Hæc sententia probabilis est: sed probabilitate etiam non caret opposita negativa, quam tenent *Rebell. lib. 2. q. 16.*

16.sec 1. Ægid. Bellan. disp. 34. dub 3. fin. & Layman l. lib. 5. tr. 10. 3. p. cap. 1 n. 16. Probant. quia illa difficultas, seu multiplicitas filiorum, quæ timetur, præterquam quòd in certa & dubia sit, nascitur ex ipsa solutione debiti ex justitia; ergo a tali debito reddendo non excusat.

1745 3. Causa est affinitas, quæ ex incestu oritur. Hæc enim cum privet conjugem incestuosum jure petendi, ut supra diximus, & habetur cap. transmissæ de eo qui cognovit consan. excusat alterum a debito reddendo. Bené tamen docet Sanch. lib. 9. d. 6. a n. 12. licitum esse conjugi innocenti reddere iniqué petenti.

Affinitas & votũ castitatis ad debitũ reddendum.

4 Causa est votum castitatis, de quo supra. Hoc enim regulariter excusat a debito reddendo. Quia censetur conjux vovens propter honorem Dei cessisse juri petendi. At si tale votum fuit emissum ex consensu alterius, hic nec tenetur reddere, nec potest exigere. Vide Layman. lib. 5. tr. 10. 3. p. c. 1. n 12.

5 Causa est timor rationabilis quòd copula sit nociva proli jam conceptæ. Est enim tunc rationabilis excusatio a reddendo: quia rationi dissonum est cum damno unius bonũ alterius præcipué nondum existentis intendere. Accedit (ut supra diximus) esse probabilé excusationem reddendi, si timeatur futura proles defectuosa, v. g. ex coitu tempore menstrui. Vide quæ diximus de tempore prægnationis, & amentiæ.

Morbus contagiosus excusans a debito.

6 Causa est, si quis prudenter sibi ex copula veretur grave detrimentum suæ sanitatis, v. g. ne inficiatur ab alio qui laborat morbo contagioso. Hanc causam sufficienter excusare a reddendo debito recté docent Sanch. lib. 9. d. 24. n. 17. Bellanus disp. 34. dub. 3. n. 20. & Basilius lib. 10. c. 14. a. n. 2. Quia expedit ut quis sibi magis provideat quàm generationi propagandæ. Addit Palaus d. 3. pun. 4. § 10. n. 4. hoc procedere, quanvis cognovisset a principio infectum conjugem.

Cessio juris petendi debitum conjugale.

7 Causa est cessio juris petendi. Per hanc enim certissimè excusatur alter conjux a redditione, quandiu dicta cessio non revocatur. Nam Palaus cit. n. 3. bené notat posse revocari incontinentiæ periculo superveniente; nisi fuerit cessio mutua, vel confirmata voto castitatis. 8. causa certissimé excusans est divortium legitimé factum, cujus præcipuus effectus est omnimoda exemptio a debito. De divortio agemus sequenti sectione.

Divortiũ ad debitum.

Adulterium ad debitum.

1746 Nona causa est adulterium quod certò sciatur commiti, altero fidem servante. Dixi (certò sciatu) quia in dubio, & quádo alteri non constat, tenetur reddere, ipse que adulter petere potest, quandiu non excipiatur de tali crimine: adulterium enim ipso facto non privat jure petendi. Excusabit igitur a redditione debiti, post quam ob illud certó constans detur exceptio. Vide citatos.

Redditio debiti conjugalis inique petenti.

Circa posteriorem quæstionis partem de peccato quod in concessione copulæ intervenire potest, difficultas est an debitum iniqué petenti licitè concedi possit? Negant aliqui absoluté. Affirmant alij absolutè. Ego ut difficultatem expediam cum Sanch. lib. 9. disp. 6. n. 7. Bellano disp. 34. dub. 4. Layman. lib 5. tr. 10. 3 p. c. 1. & Palao cit. § 1. suppono dictam petitionem posse iniquam esse, vel ob aliquã circunstantiam, quæ actum externum vitiet, ut si petatur copula in loco sacro, aut publico, aut cum periculo aborsus, vel damno gravi alicujus: vel posse esse iniquam ob circunstantiam se tenentem ex parte petentis, quia v.g. petit ob malum finem: vel ligatus voto castitatis, vel dubitans de valore matrimonij.

Dico 1. si petitio sit iniqua priori modo, debitum licité concedi non potest. Ostenditur, quia cum actus ille extrinsecus qui petitur, sit malus utpote vitiatus per circunstantiam extrinsecam, petitur res illicita, cui proinde alter cooperari nequit. Dico 2. si petitio sit iniqua posteriori modo, redditio licita esse potest. Ratio est, quia alter tunc petit id quod secundùm se honestatem habet, nec sibi malitia aliena imputari debet. E sic absolute hanc partem defendit Palaus cit. § 11. n. 3. non admittens limitationem, quam apponunt. Ponce lib. 10. c. 3. n. 3. & Hurt. disp. 10. diff. 13.

SECTIO. IV.
De cohabitatione, & divortio.

QUÆSTIO I.
Quale sit debitum cohabitationis: & quas secum obligationes habeat?

1747 Circa priorem quæstionis partem de debito cohabitationis multa sunt certa, quæ tamen explicatione indigent. Circa posteriorem sunt duæ potissimæ difficultates, altera de conjugum alimentatione, altera de ipsorum mutua correctione, quæ omnia paucis expediam. Quod attinet ad cohabitationem; certum est 1. teneri conjuges jure divino & naturali ad vitam individuam & inseparabilem Genes. 2. & Matth. 5. pro indeque habitare in eadem domo, accumbere eidem mensæ, & jacere in eodem lecto. Ad quod potest Ecclesiasticus judex compellere etiam invocato brachio sæculari.

Cohabitatio conjugum.

Certum est 2. ex consensu mutuo, si detur justa causa, & absit periculum incontinentiæ, posse conjuges cedere tali obligationi, ita ut in perpetuum vivant separati ex amore continentiæ, non quidem ex indignatione, & odio, ut habetur cap. sunt qui 27. q. 2. & cap. quod Deo 33. q. 5. Nec obstat Apost. 1. Corinth. 7. Nolite fraudare invicem nisi ex cõsensu ad tempus ut vacetis orationi. His enim verbis non prohibet separationem perpetuam, nisi quãdo detur periculum incontinentiæ. Quod innuit addens: Revertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas.

Conjugatorum dissensio.

Certum est 3. si non detur ille consensus mutuus, lethale esse conjuges manere diu separatos, nisi interveniat justa causa, scilicet præceptum superioris ratio gubernandæ, alendæve familiæ. Ad breve tempus potest vir invita uxore discedere non sic uxor viro invito: ille enim caput est, cui uxor

uxor subjici debet.

Certum est 4. ex causa necessaria vel reipublicæ, vel familiæ petita virum diutius ab uxore separari: ... a viro absque ejus consensu. Nam penes virum tanquam caput totius familiæ administratio est. Unde virum ex prædicta causa discedentem uxor sequi debet nisi in matrimoniali contractu ... obligatio excepta fuerit. Discedens tamen vir non tenetur secum deferre uxorem cohabitari volentem, nisi diu alibi commoraturus sit, & possit absque incommodo gravi.

1748 Certum est 5. & si conjugibus propter emissum castitatis votum, aut contractam affinitatem liceat separare thorum, non tamen licere separationem domus, aut mensæ. Quia duo illa impedimenta solum obstant copulæ, & non communicali, vel domesticæ cohabitationi. Vide *Sanch. lib.9.disp.5.n.19.*

Separatio thori domus ac mensa in conjugibus.

Circa posteriorem quæstionis partem 1. difficultas est qualiter teneantur conjuges sibi invicem præstare alimenta? Quæro obiter, an frangat jejunium attractio alimenti, v.g. piscis aut carnis, non quidem sumptæ per os, sed attractæ vel per umbelicum, vel per podicem? Non inveni hunc casum in authoribus. Dico tamen talem attractionem non frangere jejunium. Quia non sumitur per os, ita ut per illud in stomachum trajiciatur. Vide de vera comestione, in adjectis de novo Elucidario num. 2004. Constat 1. conjuges obstringi debito mutuo præstandi sibi invicem necessaria obsequia in sui ac suorum conservationé. Constat 2. maritum qui accepit dotem, teneri uxorem, ejusque filios alere: si quidem ad hujusmodi effectum illam dotata accepit, ut habetur *l. pro oneribus C. de jure dotium.*

Alimenta inter conjuges.

Jejunij fractio.

Dubitatur 1. an uxor teneatur alere virum, ipsi ... pro ipso laborando? Ut distincte resolvam dubitationé ex doctrina *Sanch. lib.6. disp.6.n.14. & Layman. lib.5. tr.10.3 par. cap.2.* potest procedere vel de labore uxoris ad lucrum v.g. si nens, aut acu pingens comparet pecuniam, vel de labore ad familiæ regimé qualis est cibos coquere, vestes lavare.

Uxor laborans pro viro.

Dico 1. si uxor attulit dotem sufficientem, cogi nequit ad quærendum suo labore lucrum pro alendo viro, secus si dotem nullam, vel insufficientem attulit, aut si attulit, culpa uxoris periit. Quia in his tribus casibus ad laborandum cogi potest juxta ipsius statum & conditionem: non autem in primo casu, cum allata dos pro alimonijs fuerit.

Dico 2. si loquamur de labore pro gubernatione familiæ, attendenda est loci consuetudo, & uxoris status, quem si non dedeceant tales labores, vel ex inopia conduci famula, nequeat, cogi potest ad laborandum: si autem dedeceant, cogi nequit ad illa ... ipsum, præstanda.

1749 Dubitatur 2. an vir teneatur alere uxorem, a qua non accepit dotem? Dico 1. si uxor pauper est tenetur vir illam alere ... Ita *Sanch. ... lib. ... 1.q.32.n.1 & ... cap. ... 2.n.29.* Ratio est, quia nubens

Uxoris alimenta.

pauperem præsumitur remittere obligationem dotis ... persona fæminæ contentus non ita si dives sit, quia tunc de dote tacite partum intre consultum.

Dico 2. si non uxor, sed ejus parentes fuerint divites, compelli possunt ... dotem juxta legitimam, & interim a viro ali debet. Ita *Molina to.2. disp.424. init. & Sanch. lib.9. disp.5. n.9.* Ratio est, quia jure naturæ incumbit parentibus filios alere, & in horum defectum obligatur vir uxori, quam inopem accepit.

Dubitatur 3. an teneatur vir alere uxorem, quam accepit dotatam, sed dos omnino periit? Constat teneri, quando dos perijt culpa ipsius mariti. Si autem absque ipsius culpa ob eventum mere fortuitum perijt, adhuc *Sanch. l.b.9. disp.5. n.10.* teneri recté docet. Quia cum primum accepit dotem, eam obligat onera ferre, a quibus non liberatur per eventum fortuitum. Quid si perijt culpa uxoris. Bené *Sanch. loco citato* respondet cum distinctione teneri virum ratione conjugalis nexus illam alere, si careat parentibus qui eam alere possint: excusari tamen, si uxor habeat parentes ad talem effectú sufficienter divites. Nam perire dotem culpa uxoris perinde est ac si culpa uxoris non solveretur, in quo casu tenerentur, parentes.

Dos periens culpa uxoris.

Dubitatur 4. quibus alijs eventibus excusetur vir ab alenda uxore? Ex *Surdo de aliment. tit.1.q.32. Barbosa 2. par. Rub. ff solut. matr. Sanch. ... 9.d.4.* & alijs bené respondet *Palau disp. 3 de spons. pun.5. § 2. a n.3.* excusari in triplici eventu. 1. si absque causa uxor a viri obsequio recedat. Tenetur enim manere in viri obsequio *cap. hæc imago 33. quæst.5.* Dixi (absque causa) quia non privabitur alimentis uxor si discedat ob justam causam. v.g. ob viri sævitiam, amentiam, aut contagiosum morbum: item si detrudatur in perpetuum carcerem etiam culpa sua. Secus si cum hoc discessu ejus dos publicetur: tunc enim excusabitur vir ab ea alenda: sicut (inquit *Molina tr.3 de just. disp.90.n.7.*) si facto divortio ob adulterium, in ejus pœnam, bona uxoris marito applicentur.

Maritus quando excusetur ab alenda uxore.

1750 Excusatur 2. si sit inops: quia nemo tenetur ad moraliter impossibile. Imò uxor dives maritum inopem debet alere. Addunt Molina disp.435. § tertium est, & *Sanch. lib.9. d.4.n.29.* si maritus inops accipiat mutuo pecuniam ad alendos filios & uxorem, solutoque matrimonio nulla supersint bona mariti, uxorem & filios non esse convenendos pro tali debito: quia ad illud non obligantur.

Uxor & filij a debito patris.

Excusatur 3. ab alenda uxore, si dos a quocumque etiam extraneo promissa, non fuerit soluta. Quia maritus ex sola ratione dotis acceptæ subire onus alimenta præstandi. Est tamen apud *Sanch. lib.9. d. ... n.5.* ... dotem promissam ab uxore ... vel ab extraneo: quod dote promissa ... & non soluta, etiam ... impossibile ... vir ... uxore ... & ...

Dos promissa.

[illegible]

Dei non solutum. [illegible] non [illegible] ab obligatione [illegible] & gubernandi familiam. [illegible] tenetur in [illegible]

Correctio inter conjuges. 1551 2. [illegible] quatenus teneantur conjuges [illegible] supponimus [illegible] inter conjuges correctionem [illegible] vitæ consuetudo. Est tamen discrimen, quia cum vir sit caput uxoris, eam potest corrigere puniendo; contra uxor solum monendo & hortando virum corrigere potest.

Certum igitur est ex *l.* [illegible] posse virum afficere uxorem delinquentem

Punire uxorem. pœna non quidem gravi, levi ac moderata, ut pote non servam, sed sociam, etiam si delictum gravissimam pœnam exigat. Unde pœna qua vir uxorem punit semper erit levior illa qua [illegible] & longe levior illa qua servus [illegible]

Tota vis difficultatis est declarare in particulari pœnas quas vir uxori potest infligere. [illegible] 3. n. 3. ex S. Thoma [illegible] q. 66 a. [illegible] 2. n. 2. [illegible] *Bapt.* [illegible] tacté innet [illegible] & feminæ conditionem [illegible] graves

Pœnæ graves circa uxorem. quam [illegible] parte viri [illegible] pœnam [illegible] ex his [illegible] ut percussiones [illegible] membrum perderetur. Nam correctio [illegible] his pœnis ad republicæ caput pertinet.

Pœnæ moderatæ. [illegible] quæ [illegible] videntur [illegible] per aliquod tempus [illegible] subtractio, [illegible] reclusionis etiam additis compedibus. Uxorem vero [illegible] percutere, alapis cædere, pedibus conculcare, raró permitti potest. Quæ a [illegible] conjugalem [illegible]. Magis aliena videtur punitio verberum, quæ vilis, & servorum propria est. Quare [illegible] ex [illegible] [illegible] gravissima [illegible] peccatum mortale esse verberationem [illegible] in suo genere levem & moderatam. [illegible] uxorem [illegible]

QUÆSTIO II.

[illegible]

[illegible] 1552 D[illegible]

[illegible]

[illegible]

A. Theologi [illegible]

[illegible]

Cum [illegible] inter fideles [illegible] Matth. 19. & Christus [illegible] juxta [illegible]

[illegible]

1553 [illegible]

[illegible]

Dicendum tamen est cum [illegible]

[illegible]

Dubium [illegible]

[illegible]

Dicendum [illegible]

[illegible]

[illegible] *Divortium ad divertendum.* proprie [illegible] divortium, [illegible] per continuam [illegible] non [illegible] commune [illegible] impossibilis [illegible] vel [illegible].

1714 Dubium [illegible] an [illegible] adulterium [illegible] ad divortium? Verum [illegible] quia [illegible] adulterium formale, *Adulterium formale.* [illegible] quod a [illegible] excusari neque [illegible] quia adulterium quod committitur [illegible] per violentiam, quia conjugi [illegible] praebere [illegible] potest, [illegible] docent *Sanch. l.10.d.5 n.1. & Pont.* [illegible] *17* [illegible] *2.*

An vero hoc procedat de adulterio quod committitur ex metu cadente in virum constantem? Affirmant multi, & id probabile judicat *Sanch.* [illegible] *5 n.13.* Quia tunc non intervenit [illegible] dolus, quae requiri videntur ad divortium. Probabilius negant *Azor. lo l.8. Rosell. tit.* [illegible] *26.* [illegible] *n.5 & Sanch. cit.* [illegible] *10.* Quia [illegible] neque a [illegible] adulterij, neque a fidei datae [illegible] excusat.

Dubium est [illegible] quibus casibus nequeat conjux divertere ob [illegible] commissum adulterium? *Adulterium* [illegible] Ex *Sanch.* [illegible] *5* [illegible] *15.* [illegible] *2.* [illegible] *7 & Gaspare Hurtado disp.* [illegible] *3. pun. 6* [illegible] Primus [illegible] si uterque conjux adulter sit. Quia paria delicta quoad jus privatorum mutua compensatione tolluntur *Cap. significasti* [illegible]

Notandum [illegible] aequalitatem hujus compensationis [illegible] habere locum quoad divortium, & [illegible], non [illegible] quoad accusationem criminalem, & poenam publicam. Quia [illegible] docet *Sanch. lib.* [illegible] *n.8.9.46. ex* [illegible] uxori non permittatur accusare virum [illegible], tamen viro adultero permittitur uxorem adulteram accusare.

1715 Secundus casus in quo vir nequit retinere [illegible] ob adulterium, est quando ipse [illegible] author [illegible] si ipsa consentiat [illegible] *Palau* [illegible] *p.6.§.2 n 2.* Hoc procedere etiam si vir uxoris adulterio tacite [illegible] si [illegible]. Notat [illegible] *Sanch. l.10.* [illegible] *5 n.5.* [illegible] de viri adulterio neque impedimento, non [illegible] quia ipsa raro [illegible].

[illegible] dedit uxori causam remotam adulterij, [illegible] a cohabitatione, [illegible] vel negando [illegible] docent *Sanch.* [illegible] *7.* [illegible] consentitur adulterio [illegible], at [illegible] per adulterium [illegible].

[illegible]

[illegible] adulterium ex [illegible] per [illegible] secreto [illegible] neque ad divortium [illegible] adulterium [illegible] apud *Palau* [illegible] *§.3.* [illegible] dicit [illegible] hoc est [illegible].

Quia [illegible] innocens praestat adultero [illegible] remissionem externam absque animo reconciliandi. Quamvis in foro externo nec divortium, nec [illegible] intentare possit, tamen probabile est, ut docet *Sanch. l.10.d.14 a.n.21.* retinere in foro interno jus integrum divertendi & accusandi. Illud certum, neque adulterium in futurum committendum posse remitti, neque de praeterito remissum impedire divortium, si detur novum adulterium.

1716 Quid quando uterque conjux adulter est, & unus jam emendatus alterum de emendatione monet, censetur ne uterque [illegible] reconciliari? Affirmant *Sanch. l.10.d.7.n.4. &* [illegible] *Bellan. disp. 35. dub.2.n.17.* Quia adulter monitus est non admittat reconciliationem, eam tenetur admittere, cum sit aeque nocens ac petens reconciliationem. Negant *Basil. Poncel. l.* [illegible] *& Gaspar. Hurt. disp.11. diff. 3 n* [illegible] Quia [illegible] non cessit jure divertendi ex praecisa oblatione reconciliationis, quam non acceptavit. Utrunque probabile est. *Reconciliatio adulterorum.*

QVÆSTIO III.

An ob adulterium conjux innocens teneatur divertere; neque possit [illegible]?

VT priorem quaestionis partem decidamus teneri maritum innocentem divertere ab uxore adultera, tenent *S. Thom. in 4.d.3* [illegible] *2 & ibid. Bonav. a* [illegible] *q.2.* [illegible] *Abbas* [illegible] *de adult. Bellan.* [illegible] & alij. Probant ex S. Pagina *Proverb. 18.* ubi vocatur stultus & insipiens qui tenet adulteram, quasi [illegible] foveat. Accedit textus in *c. si quis* [illegible] *32. q. 2.* ubi habetur: Sicut crudelis & iniquus [illegible] castam dimittit uxorem, ita stultus est injustus qui retinet meretricem. Videtur enim fovere illius peccatum. *Divortium sub praecepto.*

Negandum tamen est cum *Sanch. l.10. disp. 13. a n.6* [illegible] *l.5.* [illegible] *3 p.c. 7 n 14.* [illegible] *disp.* [illegible] *5* [illegible] *3. & Gaspare Hurt.* [illegible] *15.* [illegible] per se, & ex [illegible] adulterij nullam in viro dari obligationem faciendi divortium. Convincitur ex S. Augustino [illegible] *2 c.7. 2.* ubi [illegible] Exponitur enim locus *Matt.* [illegible] de dimittenda uxore adultera. Patet ratione, quia cum divortium sit introductum in favorem innocentis, aequum est ut innocens ad illud faciendum non obligetur.

1717 Dixi per se: nam per accidens poterit [illegible] & vitandi scandali, quod [illegible] poterit vir ex charitate obligari ad [illegible] adulteram, [illegible] *adultera.*

[illegible] divertere a viro [illegible]

n.ult.multos referente docent Bellan. d. 25.dub. 3. concl.2.& Gasp.Hurt.disp.11.diff 4. in fin. raro, vel nunquam obligari. Quia faeminae aegerrime ferunt suos viros alijs commiscen neque continere illos possunt.

Circa posteriorem quaestionis partem, an cōjux innocens possit authoritate propria divertere ab adultero? Negant S.Thomas in 4.dist.35.q.1. a.3.Bonav.ibid.q.3.quando adulterium est occultū Negat etiam si notorium sit,Gabriel in 4.dist. 35. q.un.art.2.concl. 5. Probant, quia nemo in causa propria esse judex potest:talis autem esset, si diverteret authoritate propria, quia facto ipso adulterum damnaret,& puniret.

Divortiū authoritate propria. Affirmandum tamen est cum Sanch. lib. 10.d. 12.a.n.5.Bellano disp.35.n. 2. Rebello l.2.q. 17 & Gasp.Hurt.disp.11.diff 6.n.21.sed.ido se malo licere conjugi innocenti divortium facere quoad separationem tori,&cohabitationis tam ob occultum quàm ob notorium adulterium. Probatur hac generali ratione, quia in omni contractu mutuam obligationem producente,no persistit una, altera violata:at matrimonij ea conditio est, ut in utroque conjuge detur mutua obligatio ad cohabitandum & debitum reddendum,du carnē suam in alienam non dividit:facta igitur divisione per adulterum,cessat in innocente obligatio ad cohabitandum,absque ulla judicis sententia.

1758 Cum verò ad hujusmodi divortium authoritate propria faciendum, debeat conjux innocens esse certus moraliter de adulterio alterius:non enim sufficit dubium, vel probabilis suspicio;rogabis quae iam praestent illam certitudinem moralem? Respondeo cum Gutierr. cap.129. n.12.& Sanch.lib.10.d.12.n.40.multos citantibus ea solum dictam certitudinem praestare, quae in externo judicio probata sufficerent, ut judex divortij sententiam proferret. Quae sint ejusmodi, nobis expediendum est.

Adulterij ad divortium probatio quae.

Iudicia quae probarent adulterium.

In cap.litteris,de praesumpt. deciditur tanquam sufficiens indicium esse, solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto. Censent aliqui idem de osculis & amplexibus: hoc tamen recte improbat Sanch.cit.d.12.n.47.Quia illa nec ex se, nec ex aliqua lege plene adulterium probant.At bene Palans disp 3.pun.6.§ 4.n. 8.ex Mascardo de probat.concl.218.n.3.vol.2. affirmat,si oscula & amplexus contingant in loco abdito, promeeque apto ad copulam,sufficere ad divortium, non tamen ad poenam criminalem.

Idem dicendum est, si reperirentur aliquae literae amatoriae ipsius uxoris,quibus illa fateretur adulterium.Adde satis probabile esse quod tradit Farinac.1.0.4.q.136.n. 8 ad divortium non opus esse indicijs, quae ingerant suspicionem violentam,sed sufficere quae faciant probabilem, & vehementem.

1759 Notabis 1.si ad dissolvendum matrimonium excitetur lis de impotentia viri, & ipse fateatur se commisisse adulterium ex tali confessione non posse [illegible] valorem. Quia [illegible] tacta [illegible] uxoris intentionem.

Notabis 2.ex [illegible] in casibus, quos [illegible] scandalo conjux innocens ante [illegible] sententiam ab adultero divertere, [illegible] jux spoliatus formet querelam de [illegible] lata,petens restitutionem, statim esse [illegible] quousque adulterium plene probetur.

Notabis 3.cum Pal. disp 3. p.6.§ 4.si conjux spolians sit moraliter certus de alterius adulterio, non esse obligatum parere superioris praecepto jubentis ut debitum reddat spoliato. Quia tale praeceptum nititur falsa praesumptione [illegible] jus spoliantis. Addit Sanch.lib.10.disp.12 n.22.cum Menoch.io de recup possess.remed.1.n.115. & 30. si vir spolians offerat probationes in continenti, vel brevi tempore arbitrio judicis,non esse cogendū uxorem spoliatam admittere.

QUÆSTIO IV.

Qualiter conjux innocens ad divortium procedere & eo facto se gerere possit, ac debeat?

1760 PRo decisione prioris partis notandū est 1.innocēti conjugi adversus adulterum duplicem concedi actionem, alteram civilem,alteram criminalem. Civilis procedit ad tori,mutuaeque habitationis separationem, & dotis amissionem. Criminalis tendit ad poenam sanguinis pro adulterio puniendum. Notandū est 2.in actione civili intentanda pares esse virum & uxorem:secus in criminali. Quia juxta l. 1.cod.ad leg.Iul.de adult. criminalis actio solum competit viro adversus uxorem, non econtra. Unde uxor a viro de adulterio accusata non potest accusanti exceptionem adulterij opponere.

Notandum est 3. juxta c. sententiam sanguinis, Ne clerici vel monachi si vir intentet poenam sanguinis,debere necessario actionem intentare coram saeculari judice. Quia ad illam infligendam solus cōpetens est.At si accuset in ordine ad poenas alias,intentare potest coram judice tam laico quàm Ecclesiastico,quia uterque competens est, & utrique praeventio datur. Notandum est 4. necessario intentandam esse actionem coram judice Ecclesiastico, si conjux ad divortium & dotis amissionem procedat.Quia juxta c. tua de procurat.solus judex Ecclesiasticus competens est, quando agitur de matrimonij obligatione solvenda.

Notandum 5.ex l.un.C. quando civilis act.non permittitur ab intentata civili actione transire ad criminalem, sive unius actionis judicium pendeat sive jam omnino finiatur. Quia in causa divortij utrunque judicium ad idem [illegible] ut adulter privetur jure [illegible] etiam vitae. Addit Sanch.[illegible] prius uxorem de adulterio [illegible] vel [illegible],non licere [illegible] objicere adulterium uxori [illegible] tem repetenti.

1761 [illegible] sive criminali,sive civili, [illegible]

sæ debeant suppeditari uxori litiganti? Rectè affirmant tanquam quid certissimum *Gutierr. l. 1. can.c.24.n.7. Barbosa Rub.ff.solut matr.1.2.par.n.44 & Sanch cit.d.p.8.n.28.* non solum quando ipsa uxor divortium ob viri adulterium intentat, sed etiam quando adversus ipsam divortium a viro intentatur. Et procedit, quanvis adulterium sit notorium. Quia pendente lite nihil inovandū est.

Limitatur 1. ut non teneatur vir ad alimenta & illas expensas in foro conscientiæ, quando certus est de adulterio uxoris. Limitatur 2. ut nequè in foro externo teneatur subministrare alimēta uxori e domo sua ob timorem fugienti. Ita *Gutierr.c.129.de matr.n.21.& Farinac.tom.4.q. 143.n. 45.* Quia vir extra domum non tenetur suam uxorem alere.

Dubium est 2. ad quid teneatur uxor, si accusata legitimé de adulterio se defendat falsis testibus, & sic impediat divortiū, & sua bona applicari marito? Respondeo cum *Navarro c. 19.n.49. Ludov.Lopez 1.p.Instruct.c.159.& Sanch,l.10.disp.8 n.14.* solum esse obligatam restituere marito expensas litis, & si quod aliud damnū ex litis prosecutione maritus incurrit: at non teneri restituere marito ea omnia quæ ipse per sententiam esset comparaturus, v.g. dotem & similia. Ratio est, quia licèt uxor illa peccaverit contra veritatem, & justitiam legalem, non læsit jus commutativæ, quod in dotem haberet maritus: hic enim nullum jus habet in proprietatem bonorū uxoris adulteræ, nisi post sententiam latam.

Dos retenta a viro contra uxorem adulterā. Ex dictis inferunt cum multis *Covarr.4.decret. 2.p.cap.7.§.6. n.1.& Palaus d.3.p. 6.§ 5.n.7.* maritum teneri dotem restituere uxori, a qua divertit ob adulterium commissum: quia illa etiam post illud crimen, retinet dotis dominium, quādiu ipso per sententiam non privatur. Hoc probabile est, & oppositum etiam, quod tenet *Sanch.lib.10.disp. 8.n.13.* Probat, nam cui competit exceptio ne obligetur ad aliquid, haber jus retinendi in utroq; foro: vir autem divertens ab uxore adultera repetente dotem, habet jus retinendi excipiens & opponens illi adulterium.

Reconciliatio post divortium. 1762 Circa posteriorem quæstionis partem 1. difficultas est qualiter se possit gerere conjux innocens facto divortio? Certum est 1. post divortium legitimé factum rebus in eodem statu permanentibus, non teneri virum innocentem reconciliari uxori etiam emendatæ, quanvis possit.

Ordo sacer vel religio in divortio. Certum est 2. si divortium celebratum fuit per sententiam judicis, posse conjugem innocentem, & non reconciliatum nocenti assumere licité sacros ordines, & religionis statum. At si non præcedat judicis sententia, peccabit graviter, si vel sacros ordines, vel religiosum statum assumat invito adultero.

Alimenta uxoris adulteræ. Dubium est 1. utrum post divortium legitimé celebratum teneatur vir innocens uxori adulteræ præstare alimenta? Affirmant *Antonius Gabriel to. 1.comm. opin.lib.1.fol.21. & Iul. Clarus l.5. recept.§ Adulterium vel. facta autem.* Probant, quia fœmina per adulterium non desi,t esse uxor; ergo alenda est a viro, præcipué, si hic præbuit occasionem expellendo, vel male tractando.

Negandum tamen est cum *Sanch.cit.lib.10.disp. 8.n 25 Gutierr.cit. cap.129.n.23.& Farinac.to 4.q. 143.n.41.* quibus consentit *Palaus cit.d. 3.pun.6. § 6.n.4.* Probatur, quia post celebratum legitimé divortium interveniente justa sententia judicis contra adulterum, innocens ab omni conjugali debito solutus est.

Dubium est 2. an si post divortium celebratum conjux innocens in adulterium incidat, teneatur nocenti reconciliari, ei que dotem & alia bona reddere? Cum *Sanch.lib.10.disp.9.n.30.in fine & Basilio Ponce lib.9.cap.20.n.3.* bene consentiunt authores, si adulterium committatur antequam sententia transeat in rem judicatam, teneri reconciliari & restituere etiam si adulterium occultissimum sit. *Reconciliatio & restitutio post divortium.* At si commissum sit adulterium postquam sententia divortij in rem judicatam transijt, *Sanch lib. 10.d.9 n.30.& Layman lib. 5.sum. tr.10.3.p.cap.7. n.14.* affirmant adulterum dimissum non posse dimittentem repetere, neque dimittentem teneri in foro conscientiæ reconciliari dimisso: esse tamen reconciliandos officio judicis, si detur periculum incontinentiæ.

1763 Hæc sententia probabilis est, sed non minùs probabilis opposita, quam valde probabilem fatetur *Sanch. cit.n.27.* & absoluté *sequuntur Molina to.3.disp.95.n.5. Æg.d.Bellan. disp.35.dub. 2.n.13. & Basilius Ponce lib.9. c.20.* asserentes non solum ex officio judicis, sed etiam ad petitionem partis innocentem post modum nocentem absenti dimisso reconciliari cogendum esse, tenerique utrumque in conscientia hanc reconciliationem præstare, quolibet volente. Vide *Palaum d. 3.p.6. § 6.n.11.* pro hac parte stantem, & acriter disserentem.

Dubium est 3. an si conjux innocēs committat adulterium ante sententiā latam, vel illi constet latam fuisse ex falsa præsumptione teneatur uxori spoliato reconciliari, ei que dotem & alia bona reddere? Respondeo affirmativé cum *Sanch. lib.10. d.9.n.9. & Palao cit. §6.n.6.* esse omnium Doctorum. *Sententia quæ nixa est falsa præsumptione.* Ratio est, quia cum illa sententia fuerit nulla, non potuit transire in rem judicatam, vel ullos habere effectus: præsertim quia uterq; ille conjux fuit innocens, vel nocens.

Adde 1. ex *Gutierr.de juram.3.per.cap. 7 n 8.* si de errore sententiæ aliunde non constet, petito beneficio restitutionis, & probata falsitate, cui sententia adhæsit, revocandam esse, & spoliatum per omnia restituendum. *Revocatio sententiæ.*

Adde 2. ex *Sanch.cit.n. 9.* esto is in cujus favorem fuit celebratum divortium, fuerit sacro ordine initiatus, vel in religione professus compellendum esse cum spoliato habitare. Imó quanvis spolians a conjuge spoliato non repetatur potest ipse (ut cit Sanch.n.10) secluso scandalo religionem deserere: quia professio nulla fuit. Adde 3. si post sententiam, quæ transijt in rem judicatam sacros ordines suscepit, vel religionem jam professus innocens, in adulterium incidit, non esse

red-

reddendum uxori, quia possessio iam stat pro ordinibus, vel professione.

1674 Dubium est 4. an detur locus repetitioni, si uterque conjux bona fide credens divortium factum fuisse legitimè mutavit statum? Negat *Samb.cit.disp. 9 n 23.* quia ille in cujus favorem factum divortium fuit, religionem ingrediens, aut sacrum ordinem assumens cessit juri suo, proindeque alter potuit religionem ingredi, & ingressus & professio tenuit.

Affirmat tamen cum *Asterio lib. 8.sum.2.p.tit, 34.a.2.q.5.& Rosella v.divortium n.2.Palaus cit.n.8.* neutram professionem valere, & quemlibet repetere alterum posse. Probat, quia spoliantis professio utpote emissa absque legitimo spoliati consensu irrita fuit. acsi divortij sententia nulla foret: ex quo irrita evasit professio spoliati, ut pote facta in præjudicium spoliantis, cui ex errore cessit. Ex hæc opinio mihi videtur probabilior.

Dubium est 5. an facto divortio in favorem viri, qui postea committit adulterium, teneatur dotem reddere uxori? Affirmant *Barbosa leg.viro atq; uxore 40.n.3.solut.matr.Gregor. Loper.leg.8.v esse misino tit.2.part.4.Basil.Ponce lib.9,cap.20. in fine* & similiter *Palaus cit pun.6. § 6.n.14.* Probant, quia cum matrimonium tunc redintegretur, dos absq; dubio restituenda est. Nihilominus *Sanch lib.10. disp 9.n.30.* cum existimet nullam lata sententia divortij superesse actionem uxori adulteræ, ut virum repetat, cohærenter asserit in casu posito amissam dotem non recuperari illo viri adulterio. Utraque opinio probabilis est. Addit benè *Sanch. cit.n.37.* si vir ante sententiam latam conveniat cum uxore adultera de lucranda dote ob diffidentiam a criminali accusatione, si ipse postmodum committat adulterium, teneri ad restitutionem dotis. Quia delicta compensantur.

Dotis restitutio per virũ adulterũ.

2 Difficultas est an post latam divortij sẽtentiam possit conjux nocens, seu adulter innocenti inconsulto & invito accipere statum religionis, vel sacri ordinis? Affirmant *Paludan.4.d. 35 q 2.ar.3.Henriq. l. 11 matr.c.17.n 6. Angles 1.p. de matr.q 9.art.2.diff.5.Sotus in 4.d.36.q.un.a.6.ad 2.& Lud. v Lop.1 p.Inst. av.c.295.* & alij. Probant, nam eo ipso quo innocens conjux elegit divortium, censetur remisisse societatem mutuam, proindeque excusatur nocens a conjugali debito atque adeo potest assumere libere statum religiosum, vel clericalem.

1765 Negandum tamen est cum multis, quos citant ac sequuntur *Sanch.l.10.disp. 10.n.3. Ægid. Bellan disp. 25.dub.5.n.25.Basilius Ponce l. 9.c. 19.n.1.& Layman.disp.5.sum.tract.10.3.p.c.7.n.14.* Ratio est, quia divortium non liberat conjugem nocentem ab obligatione debiti reddendi, & cohabitandi cum innocente si ipse velit: alioqui ab iniquitate reportaret lucrum.

Divortium non liberat adulterum ab obligatione debiti reddendi.

Potest autem juxta citatos authores conjux nocens accipere legitimè statum religionis 1. si v.g. uxor adultera, per sententiam detrudatur in monasterium actum pænitentiæ, & intra biennium non repetatur a viro. 2. si adulter emendatus sæpius petat reconciliationem, & innocens deneget. 3. si innocens religionem fuerit professus, vel sacris ordinibus initiatus: non tamen si innocens votum simplex castitatis emiserit.

Nota 1. cum *Gutierr.de matr.cap. 129.d.14.* quávis nocens teneatur per se redire ad consortium innocentis vocantis, posse excusari per accidens si v.g. timeat rationabiliter sævitiam & iniquam illius tractationem. Nota 2. cum *Sanch.lib. 10.d. 10.b.15.& Bellano disp. 35.dub.5.conc. 1.* nocente in religionem ingresso non teneri innocentem ingredi, nec emittere votum castitatis similiter è contra, innocente ingresso non teneri nocentem ingredi.

Religione ingressu sei [illegible] terum.

QUÆSTIO V.

Quas alias ob causas liceat divortium: & eo facto qualiter educandi conjuges separati, & eorum filij.

Explicata frequentiori divortij causa, quæ est adulterium, ut explicetur prior pars hujus quæstionis inquirens alias causas, occurrit duplex potissima, altera hæresis, altera sævitia conjugis. Quod attinet ad hæresim, si pertinax sit, qualis censetur post unam & secundam correctionem persistens, sufficit ut catholicus possit divertere juxta *cap quanto de divortiis & cap.fin.de convers. conjug.* ex Apost. *Hæreticum hominem post unam, & secundam correctionem devita.*

Hæresis est divertij causa.

1766 An hujusmodi divortium, seu devitatio sit sub præcepto? Rectè affirmant *Sanch. lib. 10.d.15 n.9. & Layman lib.5. sum.tr 10.5.p.cap.7. n.16.& Ponce lib.9.cap.22.n.2* si adsit, & cognoscatur periculum perversionis, quale dabitur si hæreticus catholicum nitatur pervertere, & subsit assentiendi periculum. Aliter non tenetur catholicus facere divortium.

Illud constat separatum propria authoritate catholicum, nec posse religionem ingredi, nec sacris ordinibus initiari, cum hæreticus, si resipiscat, illum sic professum vel initiatum repetere possit. Ex quo patet discrimen inter divortium causa adulterij, & divortium causa hæresis: quia cum adulterium magis opponatur matrimonio quàm hæresis, non hæc, sed illud perpetui divortij causam præbet.

Conjux ad excipiendum alterum de hæresi damnatum.

Maior difficultas est, an catholicus separatus teneatur hæreticum judicio Ecclesiæ declaratum, & ab heresi resipiscentem admittere ad sui consortium? Affirmant Glossa in *cap. de illa de divort. Sotus in 4.dist. 39 q unica a.4.ad 5.Surdu de alimen. tit.7.q.21.n.7.& Henr.lib. 11.de matr.cap. 17.n.6.* ea moderatione, si intra biennium ederit signa perfectæ emendationis. Nam hujusmodi reconciliatio valde commendabit pietatem Christianam, & juvabit pænitentem conjugem, ut perseveret in fide, & vitet incontinentiæ periculum?

Negandum tamen est cum *Petro Barb. Rub.2. p.n.20.ff.solut.matr.Sanch lib.10.d.15.n 14. Layman lib 5.tr.10.3.p.c.7.n.16. Bellano disp. 35.dub.4.n.24. & Basilio lib.9.c.22.n.3.* Probatur quia Ecclesia in pænam illius detestabilis criminis, sicut privat jure

jure mutuæ cohabitationis, & exigendi conjugale debitum, liberatque a tali obligatione catholicum.

1767 Observandum 1. cum citatis conjugẽ catholicum hæretico damnato, etiam invito posse manere in sæculo, vel ingredi religionem, vel sacros ordines suscipere. Observandum 2. hæreticum damnatum, & ab hæresi resipiscentem non posse invito catholico statum mutare, sed teneri ad cohabitationem catholici redire, si ipse velit. Quod certum est absque probabilitate oppositi.

Divortii ratione hæresis.

Rogabis 1. an catholicus per copulam habitam cum hæretica censeatur remittere jus divertẽdi? Certa est negativa resolutio, si copula habeatur ante sententiam hæresis, utpote non dum dato jure divertendi. At si habeatur post sententiã dato jam prædicto jure, probabilius est remissionem juris divertendi præsumendam esse. Nam sicut copula cum uxore adultera post cognitum adulterium signum est remissæ injuriæ, & nolendi divertere, ita copula post sententiã de hæresi, signum est remittendi jus quod habebat catholicus ad discedendum. Ita *Basilius l.9.c.22.n.5.& Palaus p.6.§.8.n.7 contra Sanch.l.10.d.15.n.26.*

Rogabis 2. an detur compensatio in crimine hæresis, sicut datur in crimine adulterij in ordine ad divortium? Respondeo negativè cum *Sanch. l. 10.d.16.n.1.& Basilio Ponce dub.9.c.22.6.* Probatur, quia dari nequit compensatio adulterij cum hæresi ante sententiam: quia tunc hæresis non est causa perpetui divortij, sicut adulterium: non post sentẽtiam. Quia non datur proportio inter utrũque illud crimen, quia per adulterium violatur fides conjugio debita, per hæresim fides Deo debita. Denique compensatio unius hæresis cũ alterius hæresi dari nequit, siquidem per hæreses nõ sibi invicem conjuges irrogant injuriam, sicut per adulteria. Et compensatio solum dari potest inter se mutuo injuriantes.

Compensatio criminum ad divortium

1768 Quod attinet ad alias causas, quarum una celebris est sævitia, possunt omnes cadere sub unicam regulam, quam tradunt *Sanch.l.10.disp.17 18.19. Bellarmus disp.35.dub.4 & Basil.Ponce l.9 c.23.* in hunc modum. Quoties absque gravi periculo animæ, vel corporis nequeunt cõjuges simul habitare, datur causa divortij sufficiens. Infertur 1. conjugem innocentẽ, quem alter incitat ad peccandum, nec desistit monitus, posse se ab eo separare, per textum *c.2.de divort. & c.idolatria 28.q.2* Unde licebit uxori propria authoritate recedere a viro venefico, vel incitante ad furta tegenda, aut fovendam pelicem, aut exercente lenocinium, vel introducente viros qui ipsam solicitent. Si autem cesset peccatum inductionis, non poterit uxor divertere a viro etiam multis vitijs irretito, nisi forte ad tempus, data spe correctionis.

Divortij causa multiplex

Infertur 2. posse conjugem recedere, quoties ex cohabitatione imminet grave damnum corporis, quod per solum recessum vitari potest, v.g. si alter sit infectus peste, vel morbo contagioso: item si frequenter ebrius, aut furiosus: item si latro sit & uxor prudẽter timeat, se ut talem repu-tandam, vel puniendam: denique si conjux alterius vitæ insidias paret, aut malum grave moliatur. Hic tamen recessus faciendus est authoritate judicis, nisi detur periculum in mora.

Sævitia ad divortium.

Addunt *Henriq. lib.11. c.17.n.7. & Sanch.lib.10. disp.18.n.11.* retentionem concubinæ domi vel extra præbere quandoque uxori causam divortij non solum titulo adulterij, sed sævitiæ: nam regulariter inter conjuges molestæ cohabitationis, & perpetuæ discordiæ causa est. Igitur recedente ob justum timorem conjuge, tractabitur causa coram judice Ecclesiastico, & interim alimenta, & litis expensæ dabuntur litiganti uxori ab ipso viro.

Iudex divortij.

Docent bené *Parisius cons. 54.num.19. vol.4.& Barbosa rub. ff.solut.matr. 2.p.n.27.* probationis sævitiæ ut sequatur divortium, concludentes esse debere. Quia in dubio nemo jure certo spoliatur. Singulares testes probãt, modó omnes in genere testentur sævitiam. Probata plené sævitia uxori marito tradenda non est, etiam si de non offendendo cautionem offerat. Si autem probatio non fuerit plena, locus erit cautioni pignoratitiæ, vel fidejussoriæ.

Sævitia probationes.

Cautio in sævitia conjugis.

1769 Hoc adeo verum credunt *Ricius in praxi decis.254.n.2. & Basilius Ponce lib.9. cap.23.n.6.* ut dicant non posse judicem esse contentum cautione juratoria viri, tametsi impotens sit ad dandam pignoratitiam vel fidejussoriam. Mitiùs tamen & rectiùs *Sanc.cit.d.18.n. 42.* docet oppositum. Quia ad impossibile nemo obligatur. Imò concludit *Sanch.n.n 32.& 42.* quænã cautio præstanda sufficiat, arbitrio judicis plurimũ deferri.

Tandem lata sententia divortij, si ad tempus feratur spe mitigandæ sævitiæ, neuter conjux statum mutare potest. Si autem absoluta sit ob desperatam correctionẽ, poterit innocens ad religionem, vel sacros ordines transire. Quod si innocens conjux sævum admittat ad sui consortiũ, eo ipso remittit injuriam, & nequit ex præteritis divertere. Conjux qui minor est, ob elapsum probationis tempus, restitutionis beneficio uti potest.

Posterior quæstionis pars inquirit qualiter separati conjuges alimentari debeant, & eorum filij nutriri? Ut a conjugibus ordiamur, & explicecemus duplicem resolutionem, 1. sit. Quando solius viri culpa divortium factum fuit, dos uxori restituenda est, & medietas lucrorum usque ad divortij tempus. Sumitur ex *cap.1.de donat. inter vir & uxor.* Addit *Gutierr.lib.1.canon. qq c.24.n. 15.* in tali casu competere uxori etiam medietatem lucrorum, quam vir acquisierit post divortium: ex acquisitis autem per uxorem nihil viro competere.

Dos, & lucra in divortio.

Quod si uxor non attulerit dotem, vel illi placuerit a viro potius aliquam dotem tradi, bené docet *Farinac.q.143.§. separatio tori n.46.* debere illi alimenta suppeditari a viro, etiam si aliunde habeat unde vivat.

2 Resolutio: si divortium fiat culpa uxoris, scilicet adulterio, neque dos illi restituenda est, ne-

Alimẽta post divortium.

neque ulla pars lucri acquisiti constante matrimonio, vel acquirendi post divortium. Imò illa tenetur communicare viro quidquid acquirit. Ita *Gutierr. lib. 1. can qq. c. 24. n. 17. & Matien. lib. 5. recop. tit. 9. leg. 2. glos. 1. n. 54.* Sumitur ex *cap. Plerunq. de donat. inter. vir, & uxor.* Procedit etiam si fiat divortium ob sævitiam ipsius uxoris, quidquid contradicat *Ponce lib. 9. c. 13 n. 12.*

Filiorum educatio post divortium.

1770 Quod attinet ad educationem filiorum, quidquid dixero, traditur a *Sanch. lib. 10. disp. 20.* quem communiter sequuntur, & transcribunt recentiores. Missum igitur in compendium ita habet. Jure antiquo *l. unica C. divortio facto,* committebatur arbitrio judicis, uter conjux prolem apud se educaturus esset, matrimonio separato. At jure noviori *Auth ut liceat matri & aviæ § collat. 8.* decisum est, quando divortium culpa alterius celebratur, prolem esse educandam apud innocentem.

Excipitur 1. si innocẽs infidelis sit. Tunc enim in favorem fidei tradetur proles fideli culpato. 2. quando culpa viri factum est divortium, & fœmina transit ad secundas nuptias: tunc enim viro tradetur. 3. quando mater dans causam locuples est vir autem pauper, & e contra; tunc enim apud divitem alenda est.

Expensæ ad alendã prolem post divortium.

Quid de expensis quibus alenda est proles? Quando patris culpa divortium evenit, patris expensis educabitur proles apud matrem. Quando matris culpa divortium celebratur, manifestum est juxta jus Castellæ, & opposito probabilius juxta jus commune, matris expensis educandam esse sobolem apud patrem. Ad hanc pœnam subeundam judicis sententia debet præcedere.

Quando nullius culpa datur, sed mutuo consensu ad ducendam vitam cælibem separantur, servandum est jus *l. nec filium C. de patria potest.* ubi proles minor triennio a matre educari jubetur, maior verò a patre, nisi judex aliud arbitretur.

Denique quando bona fide matrimonium initum fuit, & postea reperitur invalidum, filius interim natus, & si minor triennio sit, expensis communibus ali debet. Quod innuit textus in *cap 2 qui filij sint legit.* & ratio postulat, cum nulla maior pro viri quam uxoris expensis assignetur. Quod si alter in bona, alter in mala fide fuerit, aletur ab hoc, nisi pauper sit, & alius dives. Quãdo uterque malam fidem habuerit, filij sunt illegitimi, & de horum tanquam illegitimorum alimentis agendum est. Vide *Basilium lib. 9. c. 23. & Palaum d. 5 p. 6. § 10.*

QUÆSTIO VI.

Qualiter divortium possit fieri ingressu religionis, vel assumptione sacri ordinis?

Religionis professio absque licentia conjugis.

1771 Quæstio habet duplicem sensum, alterum de ingressu religionis & assumptione sacri ordinis absque licentia conjugis: alterum de tali ingressu & assumptione post datam illam licentiam. Circa quæstionem in priori sensu agitandam, quod attinet ad religionis ingressum, certum est 1. matrimonio consummato & omni alia causa divortij seclusa, nec licitam, nec validam esse religionis professionem absque licentia alterius conjugis. Habetur *cap. quidam 3. & cap placuit de convers conjugat.*

Castitas religiosi conjugis.

Certum est 2. conjugem illum nulliter professum teneri ad servandam omnem castitatem, quæ cum matrimonio compatibilis est, ac proinde ad non petendum debitum durante matrimonio, & eo dissoluto, ad integram. Sic habetur in *cit. capit.* Quia præsumitur hanc habuisse intentionem quando professus fuit. Quid si habuisset expressam intentionem non se obligandi, nisi ex suppositione quòd religiosus esset? Nulla erit obligatio. *Sanch. l. 7. d. 34 n. 3.*

Certum est 3. prædictum absque licentia conjugis profitentem & egredientem, uxore mortua non manere obligatum religionem aliquam ingredi. Quia prior ingressus, cum irritus fuerit, nullam peperit obligationem. Ita *Sanc. n. 10. Less. l. 2. cap. 41. n. 25. & Basilius lib. 9. cap. 11. n. 5.*

Dubium est 1. an conjux ille sic professus, conjuge altero non revocãte, possit authoritate propria religionem deserere? Negat *Basilius Ponce lib. 9. c. 11. n. 5.* & videtur fundari *in Triden. sess. 25. cap. 19. de regul.* ubi damnat tanquam apostatam, qui habitum dimiserit ex quacunque causa.

Professio uxorata nulla.

1772 Affirmandum tamen est cum *Soto in 4 dist. 27. q. 1. art. 4. Sanch cit. l. 7. disp. 34. n. 15. & Layman lib. 5. sum. tr. 10. 3. p. cap. 7. n. 4.* Fundatur in textu id decidente in *cap. una sola 33. q. 5. cap accedens de convers. conjug & cap. 2. 32. q 5.* ex quibus addunt illum teneri ad conjugem redire, quandiu ejus ingressui non consentit.

Metu cadente in virum cõstantẽ.

Dubium est 2. an hujusmodi resolutio procedat, quando conjux professus est ex licentia alterius extorta per metum cadentem in virum constantem? Rectè affirmant *Gutierr cap 65. n. 2. 4. Sanch. cit. d. 35. a n 1. Layman. cit. cap 7. n. 4. & Ponce lib. 9. c 11. n. 15.* Nam sic habetur decisum *cap. accedens 17. de convers. conjug. cap. notificasti 33 q. 5.* ex quorum primo addunt id procedere etiam, quando licentia dolo extorta fuit?

Ordo sacer sine conjuge.

Quod attinet ad assumptionem sacri ordinis, quanvis absque uxoris licentia validé assumatur, tamen licité assumi nequit, etiam matrimonio non consummato. Ita citati omnes ex *cap. conjugatus de convers. conjug.* & *Extrav. Antiqua de voto.* Quanvis enim jus permittat conjugi religionem ingredi ante consummatum matrimonium, non permittit assumptionem ordinis. Quia non in hoc, sed in solo ingressu religionis conjux uterque par est.

Licentia conjugis ad ordines.

Infertur sic ordinatum posse revocari a conjuge, nisi ante consummationem voluerit ingredi religionem. Quid si conjux tempore ordinationis non reclamet, cum possit? Quanvis non nulli affirment concedi licentiam tacita taciturnitate eius *Gutier. cap. 94 de matr. n. 26. & Sanch. d. 35. n. 13.* negant ex *cap. consuluit de convers. conjug.* illum sufficere. Quia dissimulatio non est licentia:

tia: præcipuè quia in re ita gravi postulatur expressè.

Illud certum est ex c. Extrav. *Antiquæ de voto* ordinatum absque licentia uxoris non teneri ad conjugem ipsum redire, nisi ipsa petat, maximè si non est consummatum matrimonium. Addunt quidam plures apud *Sanch. l. 7. disp. 38. n. 16.* non posse ad conjugem non exigentem redire, tametsi facta professione possit. Verius tamè est in utroque casu idem esse dicendum. Quia uterque status non pugnat cum matrimonio, nisi propter votum castitatis.

Conjux ex licentia alterius ingrediens religionem.

1773 Circa quæstionem in posteriori sensu, quando scilicet conjux ex alterius licentia assumpsit statum religionis, vel sacri ordinis similiter, ut ex potioribus primi statum religionis, certum est 1. ex *cap. cum sit 4. de convers. conjug.* ut ex licentia conjugis validus & licitus sit illius ingressus, debere eum qui licentiam concedit simul ingredi, nisi forte sit ita senex, ut nulla de ejus incontinentia detur suspicio. Unde utrumque requiritur & senectus, & carentia talis suspicionis.

Certum est 2. communem esse hujusmodi dispositionem utrique conjugi, scilicet marito & uxori. Ita *Sanch. lib. 7. disp. 32. in prin. & Gutierr. cap. 92. n. 8.* Quod quidam oppositum dicat absque fundamento *Gasp. Hurt. disp. 11. diff. 9. n. 28.* Quia esto in *cap. uxoratus* excipitur a religionis ingressu sola uxor, at in *cap. Ad Apostolicæ* uterque conjux excipitur, si sit senex, & possit in seculo manere absque periculo incontinentiæ.

Ætas conjugis ad manendum in sæculo.

Dubiū est 1. qualis esse debeat illa senilis ætas, quæ postulatur, ut in sæculo possit manere vir, aut fæmina? Respondent aliqui sufficere illam, quæ a jejunandi obligatione excusat. Illis tamen meritò non acquiescunt *Gutierr. cap. 95. n. 2. & 3. Sanch. cit. disp. 32. a. n. 15. & Basil. Ponce lib. 9. c. 12. n. 3. fine.* Quia lex jejunij, utpote communitati spectat, solum id quod frequenter accidit, at jus in nostro casu dirigitur ad singulares personas, quæ definiri certa regula non possunt. Unde relinquitur arbitrio Episcopi, qui id definiet attentis circunstantijs, personæ valetudine, robore, & modo procedendi. In viris plerunque sufficiet sexagenaria ætas, in fæminis quinquagenaria, utpote generationi juxta communem cursum insufficiens.

Religionis ingressus per conjugatos.

1774 Dubium est 2. an requiratur facultas Episcopi, ut transitus ille ad religionem fiat validè & licitè? Affirmant *Gullelmus Rorilong. 4. d. 32. q. un. a. 2. Ioan. in Addit. cap. uxoratus n. 1. & Ander. clid. n. 4. notab. 3.* Probant ex *cap. si vir & uxor 27. q. 2.* ubi sic habetur: *Si vir & uxor divertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine Episcopi conscientia fiat.* Ubi vox illa (nullatenus) videtur reddere transitum invalidum, & illicitum.

Professio conjugis in religione.

Dicendum tamen est cum *Sanch. cit. d. 32. a. n. 4. Gutierr. cap. 95. n. 4. Ponce lib. 9. c. 12. n. 2. & Layman. lib. 5. sum. tr. 10. 3. p. c. 7. n. 3.* ad valorem transitus illius, & professionis non requiri prædictam facultatem. Quia ex nullo textu id constat. Addunt Gutierr. Sanch. & Basilius citati nec postulari talem facultatem ad licitum ingressum. Quia textus non continent verba præceptum importantia. Verius tamen judicio oppositum cum *Pal. 10. disp. 2. de spons. punct. 6. § 11. n. 11.* Quia vox illa (nullatenus) præcepti necessitatē importat.

Dubium est 3. utrum quando conjux juvenis, vel suspectus De incontinentia intrat monasterium, teneatur in eo profiteri, an sufficiat quod maneat reclusus, & ab omni seculari commercio semotus? Hoc ultimum sufficere affirmat *Palaus in 4. d. 27. disp. 2. ver. Quo circa,* Probat, quia id requiritur in *c. uxoratus, de convers. conjugat.* his verbis: (*A sæcularium hominum conversatione se moventium.*)

Dicendum tamen est cum *Soto in 4. dist. 27. q. 1. a. 4. Sanch. lib. 7. d. 32. n. 4. Gutierr. cap. 95. n. 6. & Basilio Ponce lib. 9. c. 12. n. 3.* postulari omnino ingressum ad profitendum. Sumitur apertè ex *cap. 1. eodem tit.* ubi sic, *Nisi uxor ad religionem transierit,* & *cap. cum tit.* ibi: *Nisi uterque ad religionem migraverit.* & ex alijs.

Religio quæ ad conjugis ingressū.

1775 Notabis 1. huic obligationi satisfacere conjugem qui ingrediatur quancunque religionem approbatam, quæ in rigore sit religio. Unde juxta *Basilium Ponce lib. 9. c. 12. n. 3.* satisfaciet vir assumpto habitu equitum S. Ioannis, etiam si vivat extra claustrum: & a fortiori fæmina ingrediens S. Iacobi religionem. Notabis 2. votum castitatis illius conjugis, qui manet in seculo, non fieri solemne per professionem alterius.

Notabis 3. si conjux de alterius licentia emisit professionem, hanc non irritari, quanvis ille qui concessit licentiam vel juvenis, vel suspectus de incontinentia, religionem non ingrediatur. Sumitur ex *cap. Agathosæ 27. q. 2.* Addit *Lessius lib. 2. cap. 41. dub. 6. in 2. edit.* illum conjugem, ex cujus licentia alter religionem professus est, non esse compellendum, si nolit, ad profitendum in religione, aut votum, castitatis emittendum. Quia votum castitatis, & professio religionis ex propria, & non ex aliena voluntate esse debet. Imò si detur periculum incontinentiæ tenebitur Episcopus revocare professum, & alteri conjugere, quousque castitatem voveat, aut religionem profiteatur.

Conjugis professi revocatio ad uxorē.

Notabis 4. si uxor nec ad religionem transierit, nec perpetuam castitatem voverit, debere virum revocari a monasterio, ipsum verò exire non posse. Notabis 5. mortuo prædicto conjuge, professum revocatum debere ad monasterium redire. Quia valida fuit ejus professio, & solum suspensa ejus executio propter conjugis incontinentiam. Notabis 6. ex eo quod solum emittat castitatis votum, quanvis ut debet, religionem non profiteatur, teneri professum ad monasterium redire. Quia alter per votum castitatis amisit jus exigendi debitum. Vide *Sanch. d. 33. q. ult. & Ponce cap. 12.*

Ordinis sacri assumptio in conjugato.

1776 Quod attinet ad assumptionē ordinis sacri, certum est 1. conjugatum ad ordines promotum non posse habitare cum conjuge nisi cubiculo sequestrato. Habetur in *cap. Episcopus 77 dist.* Addit *Sanch. lib. 7. disp. 39. n. 8.* nec posse habitare

in eadem domo & propter periculum incontinentiæ, & propter scandalum, nisi utrunque cesset.

Certum est 2. conjugatum etiam non consummato matrimonio si absque expressa uxoris licentia sacrum ordinem assumat, incurrere suspensionem, seu irregularitatem. Habetur in *Extrav. antiqua de voto.* Unde manet inhabilis ad beneficia & officia Ecclesiastica: neque potest ad superiorem ordinem promoveri, neque in assumpto ministrare. Pœna hæc non contrahitur per assumptionem minorum ordinum. An incurratur hujusmodi pœna, si ex licentia uxoris non observantis alias, quæ jus præcipit, detur ad sacros ordines promotio? Negant aliqui. Sed probabilius cum *Soto in 4. d. 37. q. 1. a. 4.* affirmat *Palaus d. 3. p. 6. §. 11. n. 23* ex citata Extrav. quæ infligit dictam pœnam tali promoto, qui non observaverit in sacris canonibus præscripta.

Uxor viri sumentis ordines sacros. Dubium est 1. quid requiratur, ut vir uxoris licentia obtenta ad sacros ordines licité promoveri possit? *Emman. Sa v. divortium n. 4. Basil. Ponce l. 7. c. 25. a n. 5. & Palaus disp. . pun. 6. §. 11. n. 17.* existimant in rigore juris uxorem, quæ concessit licentiam, non teneri ad profitendum in religione, quamvis sit juvenis, & suspecta de incontinentia, sed satisfacere, si castitatis votum emittat.

Hanc sententiam meritó judicat probabilem *Sanch l. 7. d. 39 n. 1.* sed ipse cum multis probabilius distinguit in hunc modum. Si uxor est senex non suspecta de incontinentia, sufficit quod voveat castitatem in seculo: si juvenis, omninò requiritur ingressus in religionem. Patet a simili ex ijs quæ diximus de viro religionem ingrediente: & procedit sive ante, sive post consummatum matrimonium. Nec (addit n. 7.) desideratur licentia Episcopi.

Maritus revocatus ab uxore post sacros ordines. 1777 Dubium est 2. an vir ordinatus ex sola spontanea licentia uxoris absque alijs jure requisitis, possit ab illa, vel saltem ex officio judicis ad consortium conjugale revocari? Bené respondet *Sanch. l. 7. d. 39.* negativé, si uxor licentiam præstitit conscia juris affirmativé tamen si juris ignara fuit... Ratio est, quia jus concedit revocationem, quando in uxore datur periculum incontinentiæ: sed in juris ignara datur: tunc enim non censetur vovisse castitatem, quod a jure requiritur pro tollendo illo periculo: si juris conscia fuit præsumitur vovisse. Hæc tamen revocatio non fiet jure actionis, sed ex officio judicis.

Votum castitatis simplex uxoris irritans matrimonium. Dubium est 3 an votum castitatis quod uxor emisit, data facultate ut vir sacros ordines assumeret, ita subsequens matrimonium irritet, ut viro defuncto nequeat validé nubere? Negant *Sotus l. 7 de just q. 5. a. 3. & Basilius Ponce l. 7. de matr. c. 5. n. 1.* Probant ex paritate rationis, quia votum castitatis uxoris in seculo manentis non irritat subsequens matrimonium, quando vir religionem profitetur; ergo, &c.

Affirmandum tamen est cum *Sanch. l. 7. d. 40. a. n. 2. Gutierr. c. 96. n. 5. & Azorio tom. 1. l. 13. c. 14. q. 11.* asserente esse omnium. Constat ex *c. quia sunt dist. 28.* Ratio autem non est quod votum illud simplex uxoris fiat solemne: sed quia ecclesiastica constitutio ob reverentiam ordinis reddidit illam inhabilem ad subsequens matrimonium.

Quid si uxor conscia hujusmodi constitutionis nec consentiat, nec dissentiat, sed dissimulet? *Sanchez cit. n. 5.* existimat tunc non reddi inhabilem ad subsequens matrimonium mortuo conjuge. Quia dissimulatio illa in re tam gravi non reputatur consensus.

Oppositum defendunt Archid. *ad c. quia sunt. 28. dist. Gregor. Lopez ad l. reg 40. tit. 6. p. 1.* quibus subscribit *Palaus disp. 3 pun. 6 §. 11. n. 21.* Probant, quia dissimulatio continuata per totam mariti vitam infert expressum. & irrevocabilem consensum, qui proinde satis est, ut fiat uxor inhabilis ad matrimonium. Utraque opinio probabilis est.

TRACTATUS XXXXVI.

De impedimentis matrimonij, & eorum dispensatione.

SECTIO I.
De impedientis acceptis in genere: & de impedimentibus in specie.

QUÆSTIO I.
Quid & quotuplex sit impedimentum in genere: & quis possit illud statuere?

Impedimentum quid & quotuplex. 1778 IMPEDIMENTUM apud Latinos, duce nostro *Elucidario n. 1686.* prout sumitur ex *Tullio 1. de Orat.* dicitur id quo quis impeditur, ut non perficiat quod desiderat. A verbo *impedire* quod est obstare, ne quid fiat: seu implicare, involvere, ac proprié de pedibus dicitur, & si ad alia transferatur. In jure canonico Impedire dicitur qui retardat. (*cap. pia § final. de excep. m. 6.*)

Impedimentum canonicum apud Theologos, Canonistas, prout de illo fit mentio *Cap. de cætero, sent. excom.* laté exponit. *Suar de cen[sur]. disp. 22. sect. 1. n. 68.* Quod attinet ad impedimentum matrimonij, illud dici potest canonicum, id est per canones inductum, seu impositum, & idem valet atque obstaculum matrimonij, seu id quod matrimonio obstat, ne licité aut validé contrahatur.

Impedimentum. Duplex est in genere: aliud appellatur impediens tantum, & est quo matrimonium validé quidem, sed non licité contrahitur. Quotuplex autem sit in specie, explicatur his carminibus

In-

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis:
Vel si pœniteat solemniter aut moniatem
Accipiat, prohibent hæc conjugium sociandum.
Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque catechismus sponsalia, jungito votum.
Impediunt fieri: permittunt facta teneri.

Singula expedientur in duabus quæstionibus sequentibus.

Tiremes impedimentum. Aliud impedimentum appellatur dirimens, & est quod obstat ne matrimonium contrahatur valide. Habebat olim sub se duodecim species, quibus duas addidit *Trident. sess. 24. de matr. c. 1. & 6.* proindeque sunt quatuordecim contenta his carminibus:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas:
Si sis affinis, si forte coire nequibis:
Si parochi, & duplicis desit præsentia testis:
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Singula exponentur suis locis postea in sequentibus sectionibus.

1779 Quod attinet ad potestatem statuendi, constat ex Trident. sess. 24. can. 4. ubi definit penes Pontificem comparatione fidelium esse potestatem statuendi ea impedimenta tum impedientia, tum dirimentia, quæ bono communi Ecclesiæ, rectæque illius administrationi expedire judicaverit. Neque obstat huic definitioni matrimonium inter fideles esse sacramentum, cujus institutio, & destructio soli Christo vero Deo subjacet. Quia hoc sacramentum fundatur in contractu humano, quem Pontifex annullare potest, & eo corruente sacramentum stare nequit. *Impedimenta statuendi potestas.*

Difficultas est an solus Pontifex fungatur tali potestate? Videtur negandum, quia juxta *Sanch. lib. 7. d. 1. Basil. lib. 6. cap. 1. fine & Gasparem Hurtado disp. 12. diff. 2. n. 5. Episcopi* ex vi sui muneris talia impedimenta possunt instituere in sua diœcesi: quid quid repugnet *Suar. de censf. d. 7. sect. 4. n. 5.* Deinde Principes sæculares videntur etiam posse, irritando contractum subditorum quo sacramentum innititur. *Pontifex erga impedimenta matrimonij.*

Nihilominus certum est de facto hujusmodi potestatem solum residere in Pontifice, saltem per reservationem Sedi Apostolicæ factam. Ita præter *Sanch. & Basil* citatos, *Ægid. Bellan. disp. 30. dub. 1. n. 3. & Layman. lib. 5. Sum. tr. 10. 4. p. capit. 1.* Probatur, quia cum sit causa gravissima statuere impedimenta matrimonij, exigebat ratio ut potestas ad illa in solo S. Pontifice daretur. *Episcopus ad impedimenta matrimonij.*

Ex quibus patet 1. neque alium prælatum Ecclesiasticum posse statuere dicta impedimenta. Patet 2. neque Reges, nec alios supremos Principes Christianos posse disponere circa matrimonia fidelium contrahenda, irritando, aut alio modo nullitando. Dixi circa matrimonia fidelium) quia cum *S. Thoma in 4. d. 39. q. un. a. 1. ad 4.* recte docent *Bellarm. lib. 1. matr. cap. 21. & 22. Sanch. lib. 7. disp. 3. a n. 5. & Basilius Ponce lib. 6. c. 1. numero. 2.* Principes laicos pro matrimonijs infidelium qui sibi subduntur, statuere ea impedimenta, quæ judicaverint bono regimini convenire. *Reges ad impedimenta matrimonij.*

1780 Dubium est 1. an supremus Princeps ethnicus circa subditorum fidelium matrimonia possit decernere impedimenta dirimentia? Affirmant *Henriq lib. 12. cap. 1. Sanch. lib. 7. disp. 3. n. 7. & Ægid. Bellan. disp. 30. dub. 1. n. 7.* Probant, quia fideles illi sunt vere subditi legibus civilibus suorum Principum ethnicorum, & matrimonium quamvis sacramentum sit, est contractus civilibus legibus subjectus. *Princeps infidelis ad matrimonia.*

Hæc opinio affirmativa probabilis est, sed probabiliorem judico appositam negativam, quam tenent *Covar. 4. decr. 2. p. cap. 6. §. 1. Layman. lib. 5. tr. 10. 4. p. c. 1. n. 5. Gaspar Hurt. disp. 12. diff. 2. n. 7. & Palaus de spon. disp. 4. pun. 1. num. 3.* Probatur, nam fidelium matrimonium, eo ipso quo per Christum in sacramentum elevatus est, desiit esse contractus politicus, transiitque in sacrum & Ecclesiasticum, proindeque mansit subjectus soli Ecclesiæ.

Dubium est 2. an impedimenta matrimonij quæ solus Pontifex potest statuere, consuetudine legitime præscripta insurgant, & tollantur? Respondeo affirmative cum *Sanch. lib. 7. disp. 4. n. 11. Suario de legib. lib. 7. cap. 16. n. 4. G. sp. Hurt. disp. 12. diff. 2. n. 8. Ægid. Bellan. disp. 30. dub. 1. n. 11. & Basilio Ponce lib. 6. cap. 4. n. 6.* Ratio est, quia Pontifex sicut potest impedimenta matrimonij statuere, & abrogare per consensum expressum, ita potest per tacitum: at consuetudo erga matrimonia vim habet ex consensu tacito Pontificis.

QUÆSTIO II.

Qualiter se habeant impedimenta impedientia non orta ex crimine.

1781 Apposuimus n. 1748. carminibus impedimenta non orta ex crimine, quæ modo explicabimus, & sunt quinque. Primum dicitur *Ecclesiæ vetitum* & juxta *Sanch. l. 7. d. 10. dub. 3. n. 23. Ægid. Bellan. disp. 20. dub. 3. n. 23. & Gasparem Hurt. disp. 25. diff. 1.* tunc datur quando matrimonium conjugibus prohibetur saltem ad tempus per Pontificem, ejusve delegatum, per Episcopum, imo & parochum. Nam parochus sic & nunc potest nuptias vetare, si intelligat id expedire pro vitando scandalo, rixis, investigando impedimento, & similibus. Hæc prohibitio (ut docent *Sanch disp. 15. n. 4. & Ponce l. 6. c. 7. n. 8*) obligabit graviter, nisi detur levitas materiæ qualis videtur major veneratio alicujus festi diei. Prohibitio ista ex se non irritat matrimonium: imo nec facta per Pontificem, nisi habeat clausulam irritantem, quæ expresse inhibeat personas ad contrahendum. *Impedimenta non orta ex crimine.* *Vetitum Ecclesiæ.*

Secundum vocatur tempus feriatum. Ecclesia enim per *Trident. sess. 24. cap. 10.* prohibuit fidelibus, ut intentius orationi, aliisque sanctis operibus *Tempore quibus prohibentur nuptiæ.*

tibus

ribus vacarent, nubere duobus temporibus. 1 a prima Dominica adventus Domini, usque ad diem Epiphaniæ inclusive. Et a quarta feria cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive. Prima dies inceptionis computatur a media noctis antecedentis diei. Et Sanch. n. 2. credit probabiliter in Adventu incipere a primis vesperis Sabbati præcedentis primam Dominicam.

Dubium est 1. quænam sit materia hujus prohibitionis? Putabit aliquis esse tum matrimonium ipsum celebrandum, tum solemnitatem, qua celebrari solet, juxta tex. in *c. neque uxorem* 33. *q.* 4. ubi aperte dicitur: *Neque uxorem ducere, neque convivia.*

Benedictiones nuptiales, Dicendum tamen est cum *Sanch. l. 7. d. 7. a n. 16 Bellano disp. 30. dub. 3. & Palao disp. 4. de spons. p. 2. §. 1. n. 4.* spectato jure Tridenti solum prohiberi solemnitates nuptiales, scilicet benedictiones, etiam quæ in quibusdam diœcesibus solent dari in secundis nuptijs: item solemnem traductionem sponsæ in domum sponsi: & publica convivia, choreas, & similia. Palaus tamen judicat probabile licere celebrationem plurium concursu, convivio, & alijs lætitiæ signis.

1782 Dubium est 2. quis possit in solemnitate hujusmodi jure ordinario dispensare? Posse Episcopum affirmant *Grassis 1. part. decis. l. 1. c. 85. n. 29. Sotus in 4. dist. 32. q. un. a. & Basilius l. 6. c. 7. n. 11.* Probant, quia talis potestas reservata non est. Rectius negant *Henriq. l. 11. c. 16. n. 2. & Sanch. cit. d. 7. n. 6.* Quia illa lex est Concilij generalis, proindeque extra casum urgentis necessitatis (qui raro eveniet) nihil in ea potest Episcopus, nisi solus Summus Pontifex.

Interdicti tempus ad solemnitatem matrimonij. Dubium est 3. an tempore interdicti, & cessationis a divinis liceat celebrare solemnitates matrimonium? Recte ex *Cap. Capellanus, de ferijs* docent *Navarr. c. 27. n. 179. Covarr. c. Alma 2. p. §. 2. n. 7. & Sanch. l. 7. d. 8.* affirmant licere. Bene tamen observant benedictiones impendi non posse, quia spectant ad ordinis exercitium: si autem conjuges habeant Cruciatam posse benedici servata forma *C. Alma mater.*

Tertium impedimentum est cathecismus, & habetur in *c. ante baptismum de consecr. dist. 4.* & consistit in quadam instructione, seu professione fidei facta ante januam Ecclesiæ super baptizando, seu nomine baptizati. *Cathecismus impedimentum.* An hoc impedimentum sublatum fuerit per *Triden. sess. 24. c. 1. de reform.* negant *Toletus l. 7. c. 14 fine Lancel. de instit. juris canon. l. .. & Matien. l. 5 recop. in Rubr. gloss. 1. n. 148.* Affirmandum tamen est cum sententia communi quam docent cum *Sanch. l. 7. disp. 10 n. 12. Basilius Ponce l. 6. c. 11. & Rebell. de just. 1. p. l. 3 q. 18. n. 10.* Quia Triden. dixit cognationis spiritualis impedimentum solum extendi debere ad levantem baptizatum de sacro fonte, ejusque patrem & matrem.

Sponsalia impedimentum. 1783 Quartum impedimentum est sponsalia. Hæc enim jure naturali matrimonium cum alia contrahendum impediunt. Postulat enim fidelitas & justitia non tradere alteri rem alicui promissam eo invito. In hoc impedimento recte docent *Henriq. l. 22. de matr. c. x. n. 2. & Sanch. l. 1. d. 61.* neminem posse dispensare, nisi solum Papam ex causa rationabili.

Quintum impedimentum est simplex votum quadruplex, scilicet non nubendi, item suscipiendi ordines, ingrediendi religionem, vel servandi castitatem. *Vota quæ impediunt matrimonium.* Quodlibet ex dictis impedit jure naturali & divino, prout desumitur ex *c. unico de voto in 6.* & habetur in *c. rursus, & c. consuluit: qui cle. vel voventes.* Ratio est, quia hujusmodi vota statui matrimoniali opponuntur. Addunt bene *Sanch. cit. d. 11 n 7. & Basil. l. 6. c. 12. n. 2.* etiam si conditionalia sint, impedire.

Dubium est 1. an hæc vota impediant matrimonium, si vovens habuit animum illud non consummandi, sed transeundi ad religionem? Negant *Rebell. 2 p. de oblig. just. l. 3. q. 17. a. n. 2. & Basilius l. 6. c. 12. n. 4. & 5.* Probant quia contractus matrimonij, consummatione seclusa, cum non impediat ingressum religionis, consequenter nec impedit cælibatum, nec assumptionem ordinis.

Hæc opinio probabilis videtur mihi tamen probabilior est affirmativa, quam defendit *Palaus disp 4 de spon. pun. 2. § 1. n. 14.* Probatur, quia illicitum est contrahere matrimonium animo firmo non consummandi, & religionem ingrediendi 1. quia ex natura rei subest periculum desistendi, & matrimonium consummandi. 2. quia tali animo vovens decipit alterum conjugem ignarum, qui si sciret non contraheret. Contrahit autem præsumens communem modum contrahendi, qui fit animo consummandi. *Matrimonium contrahens animo non consummandi*

1784 Dubium est 2. ad quid teneatur qui emisso aliquo ex prædictis votis defloravit virginem? *Palaus citatus n. 15. 16. 17.* hoc dubium optime expediens dicit 1. si quis absque promissione conjugij, defloravit libere consentientem, tenetur ad implendum suum votum: & puellæ nec tenetur nubere nec aliquid restituere. *Defloratio virginum.* Quia nullam injuriam irrogavit ipsi, utpote libere consentienti. Ita *Sanch. l. 7. disp. 14. n. 11.*

Dicit 2. si prædictus vi, dolo, aut fraude violavit, & si teneatur reparare damnum integre, augendo dotem, ut æque bene nubat, ac si corrupta non esset, tamen non obligatur ad nubendum illi, nec proinde liberatur a voto implendo. Ita *Sanch. cit. n. 12. & Less. lib. 2. c. 10. n. 9.*

Dicit 3. si virginem consciam prædicti voti defloravit sub promissione conjugij, non tenetur eam ducere, sed votum implere. *Matrimonij obligatio* Quia cum illa cognovisset voti obligationem, censetur gratis dedisse suum corpus. Secus si voti ignara fuit: quia tunc obligatur nubere, & votum suspenditur. *Ita Sanch. lib. 1. d. 45 n 3. & Basil. Ponce lib. 6. cap. 12. n. 10.* Quia obligatio justitiæ superveniens prævalet obligationi castitatis, vel religionis ex promissione facta Deo. Sicut si post votum eleemosynæ alienum caperes, deberes potius huic obligationi satisfacere, quam voto. Et ideo recte obligationi justitiæ satisfiat, petit debet voti dispensat. o

pensatio, quæ necessario concedenda est.

Quod si nulla obtenta dispensatione, cum aliquo ex dictis votis ineatur matrimonium? Bene distinguens respondet *Palaus n. 18.* quanvis ille peccaverit contrahendo, si votum fuit de nõ nubendo, tenetur non petere, quia ex affectu castitatis præcipuè intendit non consummare. Si votum fuit de assumendo ordine sacro, cessat matrimonio contracto, etiam non consummato, cum absque licentia conjugis illud exequi nequeat. Si autem votum fuit religionis assumendæ, tenetur ante consummationem illud exequi, nisi virgini deflorata obligetur ex justitia. Denique si castitatis fuit votum, tenetur non petere, sed reddere.

Matrimonij contractio ab impedito per votum.

QUÆSTIO III.

Qualiter se habeant impedimenta impedientia orta ex crimine?

1785 Septem orta ex crimine recensentur impedimenta. Primum est incestus consurgens ex copula habita cum consanguineis conjugis, sive mariti sive uxoris. Quod impedimentum non dirimit, sed impedit matrimonium. Hic incestus (inquit *Sãch. l. 7. d. 15. n. 3.*) non solum impedit, seu prohibet aliud matrimonium ipsis conjugibus reis talis incestus, sed etiã illis cum sanguineis conjugis, cum quibus alter conjux incestum admisit. Olim secundùm jus commune extendebatur ad quartum gradum: hodie tamen juxta *Triden sess. 24. Matr. c. 4.* ad solum secundum extenditur.

Incestus impedimentum.

Quando conjux nondum matrimonium inivit, sed solum sponsalia de futuro, non committit incestum, seu impedimentum illud, nisi habeat copulam cum consanguineis sponsæ intra primum gradum. E contra (inquit *Sanch. n. 6*) impedimentum præstat copula cum consanguineis sponsæ de præsenti, sive ante, sive post consummatum matrimonium. Imo (addit n. 7) incestus cum affine, nullo subsistente matrimonio, præstat impedimentum perpetuum matrimonio contrahendo. Hoc autem non procedit de incestu cum cognata legali, vel spirituali.

Hæc tamen doctrina de incestu cum consanguineis conjugis bene a Sanch. cit. limitatur tripliciter. 1. ut solum intelligatur quando incestus scienter admissus est. 2. nisi fæmina a consanguineo mariti violenter, & omninò invita cognoscatur. 3. ut solum procedat quando copula consummatur intra legitimum vas. Dubitabis an incestus cum proprijs consanguineis hoc impedimentum præstet matrimonio contrahendo? Pro utraque parte resolutio probabilis est. *Palaus disp. 4. p. 2. § 2. n. 5.* affirmativam credit probabiliorem: *Sanch. tamen n. 16.* cui subscribo, negativam. Nam impedimentum illud est pœna, quæ proinde restringi debet.

1786 Secundum impedimentum est raptus alienæ sponsæ, & habetur *Cap. statutum 27. q. 2.* & late ex *Sanch. lib. 7. disp. 12. n. 11.* exponitur a *Palao disp. 6. pun. 2. § 2. n. 7.* itaut propriè detur, cum

Raptus impedimentum.

libidinis causa alia persona, sive nupta, sive innupta vi, aut dolo abducitur de uno loco in alium, non ratione commodioris usus, sed violentiæ inferendæ. Qualiter impedimentum præstet raptus matrimonio, & quales pœnas subeant raptores, exponunt citati, & nos late supra a 1820.

Tertium impedimentum est uxoricidiũ, non quidem animo contrahendi matrimoniũ aliud: tunc enim est impedimentum dirimens, sed factum ob vindictam, vel illatum uxori in adulterio deprehensæ, sine authoritate judicis. Quanvis enim lex civilis illatum dicto modo non puniat, tamen lex Canonica *Cap. interfectores, & cap. quicunque 33 q. 2.* hanc pœnam infligit omnibus suam uxorem illicitè occidentibus secus igitur si authoritate judicis occideretur legitime condemnata.

Uxoricidium impedimentum.

An hæc pœna extendatur ad viricidium? Affirmant *Rebellus de oblig just. 2. p. lib. 3. q. 18 Gutier. cap. 88 n. 4. Basilius lib. 6. c. 34. & Palaus cit. pun. 2. § 2. n. 18.* Quia Viricidium crimen est majus uxoricidio. Rectiùs tamen negat *Sanch. lib 7. d. 16. n. 6.* quia pœnæ juris non dantur sine lege, & nulla canonica loquitur de Viricidio, fortassis quia rarum est ob metum muliebrem.

Viricidiũ.

1787 Quartum impedimentum est susceptio propriæ sobolis de sacro fonte, animo causandi divortium negando conjugi debitum. Sumitur ex *cap. de eo 30. q. 1.* Incurritur igitur si parens baptizet proprium filium, vel sit ejus patrinus in baptismo, animo tamen insidiandi matrimonio. Unde si careat tali animo, vel habeat ignorantiam facti, aut juris, non incurret. Pœna hæc juxta Navarr. cap. 16. n. 34. privat jure exigendi debitum: quanvis oppositum videatur probabile, ut videre est apud *Suar. to. 3. in 3. p. q. 67. a 8* in comment.

Impedimentum suscepta sobolis.

Quintum impedimentum est mors presbyteralis. Constat ex *cap. 1. de pœnit. & remiss.* Ubi qui occiderit presbyterum manet in perpetuus ad matrimonium. Debet tamen delictum in judicio probari, nec sufficit in foro pœnitentiæ esse convictum, ut docet *Sanch. lib. 7 d. 6. n. 9.*

Presbyteri occisio.

Sextum impedimentum est pœnitentia solemnis. Habetur *cap. debis & cap. fin. 33. q. 2* & decernitur, non quia ipsa pœnitentia sit crimen, sed quia ex crimine procedit, & quandiu durat, cum oporteat afferre luctum, non decent nuptiæ, quæ secum lætitiam afferunt.

Pœnitentia solẽnis.

Septimum impedimentum est acceptio fæminæ Deo sacratæ quando nempe scienter aliquis sanctimonialem ducere præsumit. Habetur ex *cap. hi ergo 27. q. 1.* Et certè congruum fuit, ut qui sponsam a Christo sponso eripere voluit, conjugio in perpetuum privaretur.

Rogabis, an hæc impedimenta orta ex crimine, quæ in hac tertia quæstione hactenus exposui mus, quatenus matrimonio in perpetuum privant, sint abrogata per contrariam consuetudinem? Negant *Toletus lib. 7. cap. 19. & Rebell. lib. 2. de imped. q. 18. in fine.* Affirmandum tamen est cum *Sanch l. b. 7. d. 17. n. 8.* quem sequuntur *Layman. lib. 5 sum. tr. 10. 4. p. cap. 15. Gasp. Hurt disp. 15. diff. 1. n. 6. Bel ar. disp. 3. c. dub. 3 n. 25. & Basil. Ponce lib. 6. c. 14.*

Impedimentorũ abrogatio.

14. in fine. Siquidem prælatis scientibus & non contradicentibus passim ineuntur matrimonia ab hujusmodi impeditis nulla petita dispensatione. Addunt benè securius esse petere dispensationem ab Episcopo, qui illam attento jure antiquo adhuc vigente impendere potest.

QUÆSTIO IV.

Quæ sint impedimenta dirimentia: & quã pariant obligationem?

1788 CUm jam quæstione 1. divisionẽ impedimenti communissimè accepti in impedientia & dirimentia retulerimus, definiendo illa veluti in genere. & declarando quid sit impedimẽtum impediens, & impedimentum dirimens, & in quæstione 2. & 3. exposuerimus impedientia seorsim accepta, sequitur ut aggrediamur expositionem dirimentium, quæ cum singula in sectiones sequentes explicanda remittamus, in hac generali, quam pariũt obligationem, expendetur.

Certum est 1. ex natura rei peccare graviter qui impedimento dirimenti ligatus matrimonium contrahit: si quidẽ in materia gravissima violat Ecclesiæ legem.

Certũ est 2. pro diversitate impedimẽtorum diversimodè peccare qui ligati impedimentis diversi generis contrahunt: siquidem ab illis offẽduntur virtutes diversi generis, & speciei. Nam ligatus impedimentis erroris, conditionis, raptus vis, offendit justitiam, in cujus observationem illa imposita sunt. Qui ligatus impedimento consanguinitatis & affinitatis violat pietatem. Qui ligatus impedimento voti, aut disparis cultus, frangit religionem. *Virtus multiplex violata in contrahendo invalidè.*

1789 Dubium est 1. an ultra hæc peccata diversarum virtutum, quæ violãtur, committatur sacrilegium contra matrimonij sacramentum? Negant. *Sanches lib. 7. d. 5. n. 1. & Gaspar Hurtado disp. 12. diff. 3. n. 11.* Probant, quia quando cõtrahitur matrimonium ab impeditis, nec apponitur materia nec forma sacramẽti, quibus proinde injuria inferri possit. Affirmandum tamen est cum *Paulo Layman lib. 5 sum. tr. 10. p. 4. cap. 1. Petro de Ledesma de matr. q. 50. a. 1. diff. 3. Bellano disp. 30. dub. 2. concl. 4. & Palao disp. 4. pun. 3. numero 2.* Probatur, quia sacramento matrimonij injuriosum est quod contrahentes abutantur illius nomine & ritibus ad simulandam suam iniquitatem, sicut esset sacrilegium in non sacerdote intendere fictam consecrationem in falsa materia. *Sacrilegium cõtra matrimonium.*

Dubium est 2. an impeditus peccet contrahens ex vi aut metu, sed absque animo consummandi? Affirmabit aliquis præsertim si impedimentum sit juris naturalis. Quia hoc indispensabile est, & metus non liberat a culpa facientem aliquid intrinsecè malum. Negandum tamen est cum *Sanch. l. 7. d. 5. n. 4. Layman n. cit. parte 4. c. 1. & Basilio Ponce lib. 4. c. 16. n. 3.* Probatur quia leges humanæ non obligant cum tanto rigore. Quãdo impedimentum est naturale nõ dispensat legislator, ut matrimonium subsistat, sed ut exterius repræsentetur.

Dubium est 3. an copula habita ab impeditis habeat semper malitiam aliã distinctam a fornicatione? Respondeo negativè cum *Sanch. l. 7. d. 5. n. 7. Bellano disp. 30. dub. 2. conc. 2. n. 21. & Hurtado disp. 12. diff. 3. n. 24.* Patet quia licet talis malitia ultra malitiam fornicationis detur quando copula est inter consanguineos, vel affines, vel voto castitatis ligatos, aut impedimento disparis cultus, tamen non datur inter ligatos impedimẽto conditionis servilis, aut criminis. Quia illud est in favorem personæ liberæ, vel in pœnam criminis.

SECTIO II.

De impedimento erroris personæ, & cõditionis servilis.

QUÆTIO I.

Qualiter matrimonium dirimat error personæ, & conditionis servilis?

1790 CIrca priorem partẽ de errore personæ, ut si quis intendens & existimans se contrahere cum Elisabetha, illi supponatur alia mulier, nempe Maria, certum est apud *Sanch. l. 7. d. 18. n. 12. & Suar. in 3. p. t. 3. disp. 13. sect. 4.* ad finem matrimonium evadere irritum jure naturæ. Quia tunc consensus necessariò requisitus deficit. Neque obstat errorem personæ in sacramento baptismi, confirmationis, & pœnitentiæ non reddere illud irritum. Quia in his solum attenditur præsentia personæ, quæcũque illa sit: at in matrimonio, cum dicat consuetudinem individuam inter conjuges, persona ipsa ingreditur formaliter objectum sacramenti. *Error personæ in matrimonio.*

Dubium est, an error circa qualitatem, v.g. opulentiam, vel nobilitatem qui causam dedit contractui, matrimonium dirimat? Si loquamur de foro conscientiæ, affirmant *Molina de restit. q. 33. & Præpos. in c. ult. de conjug. lepros.* Probant, quia in alijs contractibus error vel contractum irritat, vel ponit irritandum: cum verò matrimonium semel validũ irritari nequeat, error irritat. *Error qualitatis.*

Negandum tamen omninò est cum *Molina tr. 2. de just. disp. 352. & Illud est Valent. 2. 2. disp. 5. q. 20. p. 4. §. 2. Sanch. l. 7. d. 18 n. 18. & Bellano disp. 31. dub. 1. concl. 2. n. 12.* Ratio est, quia talis error non tollit consensum substantialem: hic enim versatur circa traditionem corporis huic personæ, quæ traditio non impeditur, quanvis contingat deceptio circa illius divitias, aut nobilitatem.

Hanc resolutionem *Sanch. & Bellan.* citati benè limitant 1. ut non procedat, si cõtrahens habeat expressam voluntatem non contrahendi, nisi qualitate existente. Quia tunc deficeret consensus substantialis. Limitant 2. ut nõ procedat quãdo qualitatum narratio eo tendit, ut persona aliàs ignota cognoscatur, & qualitates narratæ singulares sunt, non communes, v.g. si proponens *Err[illegible]*

nens Mariæ conjugium diceret filium Petri primogenitum, cum non sit: secus si divitem aut nobilem fingeret. Quia primogenitura individuat personam, utpote singularis: non ita divitiæ, & nobilitas, utpote communes.

Quid quando contrahentes pertinent ad diversam diœcesim, & ab Episcopo, vel Pontifice dispensante erratur in nomine diœcesis, vel in nomine viri aut fœminæ contrahentium? Vide nostrum Tamburinū lib. 8. de Matr. tr. 2. cap. 10. §. 7

Error servilis conditionis.

1791 Circa posteriorem quæstionis partem, de errore servitutis, notandum est 1. sermonem nobis esse de servitute propria, non de impropria, qualis est adscriptitia & originaria, quas exposuimus in nostro *Elucidario num. 826.* Notandum 2. servitutem cognitam nullum esse impedimentum, proindeque posse liberum conscium servilis conditionis ancillam ducere validè & licitè, imó cum meritó, si id faciat intuit alicujus virtutis: manebit tamen irregularis juxta *cap. si quis viduam dist. 34.* ex eo quòd reputetur vilis & infamis.

Servitus impedimentum.

Superest igitur ut servitus ignorata, seu error servilis conditionis sit impedimentum dirimens matrimonium, prout habetur *cap. 2 3. & ult. de conjugio servorum, & cap. si quis ingenuus 29. q. 2.* Quanvis enim servitus sit qualitas, voluit Ecclesia, ut error hujus qualitatis, utpote deterrimæ matrimonium dirimeret.

Ancilla ad matrimonium.

Dubium est 1. an error servitutis irritet matrimonium solo jure Ecclesiastico, an etiam ex se, & jure gentium? Irritare etiam jure gentium defendit *Sylvest. v. matrimonium 6. q. 1. &* inclinat *Layman lib. 5. sum. tr. 10. par. 4. cap. 2. n. 3.* Probant, quia talis eror obstat fidei datæ in contractu matrimoniali, obstat etiam bono prolis: denique servitus illa ponit notabilem inæqualitatem in contractu cum enormi læsione errantis, quæ omnia juri gentium repugnant.

Dicendum tamen est cum *Gutier. cap. 90. num. 1. Sanch. lib. 7. d. 19. n. 16. & Ægid. Bellan. disp. 31. dub. 2. con. 1.* solo jure Ecclesiastico dirimere. Ratio est, quia si jure gentium & naturali irritaret, ex eo quòd servitus obstaret conjugali debito, & bono prolis, sequeretur servitutem etiam cognitam, imó & datam in utroque conjuge dirimere, quod sustineri nequit; ergo solo jure Ecclesiastico dirimit.

Statu libera ad matrimonium.

1792 Dubium est 2. an valeat matrimoniū liberi cum ancilla statu libera, quæ scilicet postea acquisitura est libertatem plenam, si liber contrahens ignoret talem conditionem? Rectè negat *Sanch. lib. 7. d. 19. n. 4.* si tempus illud quo duratura est servitus, notabile sit. Quia illo toto tempore vere ancilla est.

Maior est difficultas, an valeat, si tempus illud duraturæ servitutis modicum sit, quale brevius spatio sex mensium? Negant *Basilius Ponce lib. 7. cap. 15. n. 1, Gutier cap. 90. n. 6. & Palaus de spons. d. 4 p. .. n. 4.* Probant, quia textus absolute loquitur irritando matrimonium liberi cum ancilla, si ignoratur servitus: & in illo tempore, etiam modico datur servitus ignorata. Hoc probabile est, sed oppositum credo probabilius cum *Sanch. lib. 7. d. 19. n. 4 & Ægid Bellan. disp. 31. dub. 2. n. 6.* affirmantibus valere. Quia censetur liber contrahere cum libera, eo quod tempus illud servitutis sit modicum, & parum pro nihilo reputetur.

Libertas data pro determinato tempore.

Dubium est 3. an valeat matrimonium liberi cum ea ancilla, quæ actu libera est, sed per libertatem concessam pro determinato tempore? Respondeo affirmativè cum *Sanch. n. 3. & alij proximè citatis.* Ratio est, quia fœmina illa absolute debet reputari libera: præsertim, quia juxta citatos authores libertas pro quocunque tempore concessa perpetua est. *l. libertas 31 vel 32. & l. ideo ff de manum. testam.* Unde a fortiori valebit matrimonium liberi cum ea quæ fuit ancilla, sed jam libera est, Quia servitus præterita impedimentum nullum est.

Authoritas recedendi.

Dubium est 4. an liber qui invalidé nupsit cum ancilla, possit cognita invaliditate ob ignorantiam servitutis, recedere authoritate propria? Respondeo cum citatis affirmativé, si scandalum absit. Quia nullum vinculum datur quod impediat recessum. Et hoc procedit tam de conjuge libero, quàm de servo volente recedere. Monent tamen authores regulariter subesse scandalum ob matrimonij publicitatem.

Probatio ignoratæ servitutis.

1793 Dubium est 5. cuinā incumbat onus probādi conditionem servilem ignoratam fuisse? Affirmat *Henriq. lib. 11. de matr. cap. 10. n. 5.* incumbere ipsi libero ignoranti: Probat, quia ancilla est in possessione matrimonij, & ideo volenti impugnare incumbit onus probandi: Dicendum tamen est cum multis quos citant ac sequuntur *Gutier. cap. 90. n. 14. & Sanch. lib. 7. d. 19. n. 8.* ancillæ incumbere prædictum onus. Ratio est, quia cum illud matrimonium sit ipso jure irritum ob inæqualitatem, hanc allegans habet suam intentionem de nullitate matrimonij in lege fundatam, a qua proinde nequit removeri, nisi ab alio probetur cum scientia inæqualitatis contraxisse.

QUÆSTIO II.

An & qualiter servi invitis dominis nubant: & nubendo comparent libertatem?

Servi nubentes absque voluntate dominorum.

Circa priorem quæstionis partem de voluntate dominorum in ordine ad matrimonia servorum, certum est 1. quanvis Ecclesia potuerit irritare servorum matrimonia inita absque consensu dominorum, sicut potuit irritare ea ū professionem in religione *cap. qui verò 16. q. 1* de facto tamen non irritasse. Certum est 2. peccare graviter, esse quæ ab Ecclesia coercendum dominum qui servum suum prohibeat a matrimonio v. g. ob id offendens, aut dure tractans.

Certum est 3. si dominus sciat tractare servum de contrahendo matrimonio, posse illum vendere in partes remotas, ut sic impediendo matrimonium se indemnem servet, dummodo servus nondum contraxerit sponsalia. Quia utitur jure suo: & in hoc conveniunt *Sanch. l. 7. d. 21. .. & Bellan. disp. 31. dub. 1.*

1794 Dubium est 1. an possit dominus vendere servum in partes remotas postquam contraxit sponsalia? Affirmant *Palaus de sponsal. disp 4. pun. 5. §. 2. n. 5. & Bellan. disp. 31. dub. 2. n. 37.* posse, etiam si ex hoc impediatur matrimonium, quando servus contraxit, absque beneplacito domini: secus si ex beneplacito contraxit. At mihi placent *Sanch. l. 7 d. 21. n. 7. & Gutierr. cap 92. n. 6.* absolute asserentes non posse servū a domino vendi ad eas partes, ubi conjux eum sequi commodé non possit: quia laederet jus ipsi conjugi acquisitum.

Servi conjugati venditio.

Dubium est 2. an post matrimonium contractum possit dominus servum vendere in partes remotas, ad quas eum conjux commodé sequi non potest? Posse vendi absque injustitia opinatur *Aegid. Bellanus disp. 31. dub. 2. n. 37. concl. 6.* Quia in ea venditione dominus utitur jure suo quod per matrimonium diminutum non est. Addit tamen peccare contra charitatem, si possit omittere talem venditionem absque suo gravi incommodo.

Probabilius tamen est quod docent *Sylv. v. servitus q. 7. Sanch. lib. 7. d. 21. a. n. 8. & Basilius Ponce lib. 7. c. 42. a. n. 5.* scilicet peccare non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam dominum si absque urgenti causa vitandi proprium damnū grave, illum dicto modo venderet. Ratio est quia per illam venditionem impediret sine causa usū matrimonij, ad quem servus ex potestate nubendi habet jus.

Dixi (absque urgenti causa) quia si daretur urgens causa, v. g. quod servus etiam ejus bona diriperet, aut ipsius vitae insidiaretur, quae non nisi per illam venditionem vitari possent, non peccaret vendendo.

1795 Dubium est 3. qualiter contracto matrimonio cui dominus vel consensit, vel repugnavit servum occupare possit? Respondeo cum *Navarro ... cap. 2. n. 24. ... lib. 11. cap. 10. n. 4. & Bellano disp 31. dub. 2. n. 35. ex cap. 1. de conjug. serv.* posse dominum occupare servum, ac si conjugatus non esset, ita ut servus teneatur exhibere ipsi domino suo debita & consueta servitia, non minùs quàm antea. Probatur, quia servus per matrimonium solum obligatur ad usum conjugalem, quatenus potest absque praejudicio domini cujus est. Unde causa negotij valde conducentis ad rem domini ad partes longinquas mitti potest.

Servi conjugati servitia.

Dubium est 4. utrum post matrimoniū possit unus conjux absque alterius facultate se vendere. Constat 1. uxorem absque viri consensu non posse se ipsam servituti mancipare ac vendere. Quia alteri obligationem debiti reddendi, subditur viro tanquam capiti. Unde se vendens peccaret contra justitiam. Constat 2. jure Castellano ... tit. 5. part. 4. si maritus se vendat, ... non valere, posse ab uxore ...

Venditio sui ipsius inter conjuges

Dubium est ... an ... jure communi, si ... maritus se vendere, repu... n. 2. Probat, quia ... debiti conjugalis, esto ... ejus ... venderet.

Uxor an ... se vendens.

Addit a n. 3. si justa causa nō ... peccare mortaliter, non quidem contra ... justam petendi divortij causam. Haec sunt probabilia: sed credo probabilius quod docet *Palaus de spons. disp 4. pun. 5. § 2. n. 8.* ... posse virum renuente uxore ... vendi. Quia licet sit caput uxoris, non habet potestatem sui corporis, sed uxor.

1796 Circa alteram quaestionis partem de libertate consequenda per matrimonium, constat 1. apud *Sanch. l. 7. d. 26. n. 11. & ... lib. 11. cap 10. n. 4.* Comparari libertatem, si domina servum, vel dominus ancillam ducat. Addit *Gasp. Hurt disp. 14. diff. 4.* hoc esse verum non solum jure positivo, sed etiam naturali.

Libertas conjugati per matrimonium.

Constat 2. ex *Auth. ad hoc C. de Latina libert.* quando dominus servum, vel servam collocat in matrimonium cum persona libera ignara servitutis, nec eam detegit, eo ipso ille servus vel serva consequitur libertatem. Nam dominus consentiens in matrimonium cum ignorante servitutem, censetur dare libertatem sine qua illud stare non potest.

Constat 3. comparare libertatem ancillam, si dominus eam nuptui tradat conficiens dotale instrumentum, esto homini libero scienti servitutem tradat. Sumitur ex *l. unica C. de latina liber.* An haec dispositio extendatur ad servum, si patronus constituat ei dotem, seu donationē propter nuptias? Negat *Sanch. cit.* Sed probabiliùs affirmat *Palaus cit. pun. 5. §. 3. n. 3.* Quia in utroque casu eadem ratio datur, proindeque dispositio eadem intelligi debet.

Dubium est, an quando servus nubens ex permissu domini consequitur libertatem, vel in alio simili eventu, valeat matrimonium initum cum persona libera ignara servitutis? Negat *Palaus citatus n. 4.* probat quia jus canonicum *c. 2. & 3. de conjug. serv.* absoluté dirimit matrimonium servorum cum liberis ignorata servitute: & in casu proposito videtur expressum per jus Castellanum apud *Gregor. Lopez leg. 1. tit. 5 p. 4.* Affirmandum tamen est cum *Sanch. cit. disp. 20. n. 14.* nam deciditur in *Authen. de nuptijs § si vero decretū ver. hoc autem decernimus.* Nec obstat jus canonicū: quia hoc solum decernit irrita matrimonia servorum cum liberis servitutis ignaris: at praesens matrimonium dici non potest servi cum libero nam ipso facto desinit esse servus, & evadit liber.

Rog. his, quid dicendū sit de ancilla, quae postquam emit libertatem pecunia ipsa, quam furata est a suomet domino, nupsit viro libero? Respondet *Fr... lib. 4 cons. 46.* ... liberam vera emptione libertatis, si in pecunia furtiva admixta sint alia, etiam modica pecunia, quia ut sic fecit totam pecuniam suam. De ... *Sanch. l. 2. Decal. c. 23. n. 34.* Addit idem ... nullam admiscuisset pecuniam. Quia potest quis validé emere suam libertatem pecunia furtiva. De quo *Castro de empt. cap. ... & Molina tom. 2. disp. 327. ver. observandum*

QUAE-

QUÆSTIO III.

Quomodo filius sequatur conditionem, patris, an matris?

1797 Novis potest esse sermo de conditione nobilitatis, vel de conditione servitutis, ai jive. Si de conditione nobilitatis, expressè decidetur in *l. cum legitimae ff. de statu liber.* filium legitimum sequi conditionem patris, atq; adeo si ius patris nobilis, evadit nobilis: imò quamvis sit filius naturalis ex concubina etiam domi non retenta. Non ita si ius spurius, qualis ex coitu damnato genitus. In nostro jure Lusit. *Ord. l. 4. tit. 92.* naturalis censetur ille qui est susceptus ex soluto & soluta, inter quos conjugium celebrari poterat, modo pater non habeat plures concubinas. Naturalis non sequitur conditionem patris nobilis, sed plebei, ut illi succedat. Vide in priori parte a n. 1040.

Nobilitatis conditio.

Si loquamur de conditione servitutis, Doctores ex § *penult. Instit. de jure person. §. sed & si quis Instit. de ingenuis* rectè statuunt filios non sequi patris conditionem, sed matris, itaut si mater libera sit, liberi sint filij, tametsi ex star servus eorum pater: è contra, si mater sit ancilla, ejus filij servi nascuntur, non obstante libertate, seu ingenuitate patris. Ratio disparitatis (ut optimè tradit *S. Thom. in 4. d. 39. q. un. art. 4. in corp*) in eo consistit, quia servitus est qualitas potius corpus quàm animam afficiens: corpus autem potius a matre, quam a patre procedit, cum in illius utero formetur, coagmentetur, & coalescat.

Servitutis conditio a sola matre.

Apud Iuristas ratio illius axiomatis, *Partus sequitur ventrem*, desumitur ex maiori certitudine quæ habetur de maternitate, quàm de paternitate: mater enim longè cerrior est quā pater. Iuxta *Sanch. l. 7. d. 14. n. 8. & Gutier. c. 93. n. 9.* resolutio procedit 1. sive filij nascantur ex matrimonio legitimo, sive non. Quia leges eam servitutem statuentes non distinguunt. Procedit 2. etiam si quis filium vel filiam ex sua ancilla habuerit, eo ipso illius servus efficitur.

Partus sequitur ventrē.

SECTIO III.

De impedimento voti, ordinis, consanguinitatis, & affinitatis.

QUÆSTIO I.

Qualiter votum & ordo dirimant matrimonium?

1798 Cum jam nonnulla de voto & ordine circa matrimonium exposuerimus *tract. 31. & tract. 42.* præsenti quæstione paucis expediemus quale impedimentum, & qualiter votum & ordo præstent matrimonio. Quod attinet ad ordinem, certum omninò est, prout definitur ex *c. 1. & 2. qui clerici vel voventes c. a multis de atate & qualit. & c. placuit, c. lectores 32. dist.* ordinem sacrum vel ratione voti castitatis annexi dirimere matrimonium contrahendum.

Ordo sacer dirimit matrimonium.

Dubitatum est quo jure dirimat, naturali, divino an Ecclesiastico; Dicunt aliqui dirimere jure divino positivo: alij dirimere jure naturali. Recentiùs sentiunt *Vasq. tom. 3. in 3. p. disp. 249. c. 2. Rebell. l. 3. q. 4. Sanch. ut. d. 28. n. 24. & Basilius l. 7. c. 27. n. 5.* dirimere solo jure Ecclesiastico. Patet, quia non dirimit jure naturali, siquidem cum ordine sacro stare potest traditio corporis ad usum cōjugalem: non dirimit jure divino, quia ex nullo scripturæ loco constat Christum eam vim ordini sacro contulisse: ergo dirimit solo jure Ecclesiastico.

Quod attinet ad votum castitatis, certum est 1. votum solemne castitatis sive in professione religiosa, sive in assumptione sacri ordinis emissum esse impedimentum dirimens matrimonij. Definitur a Trident sess. 24. can. 9. Certum est 2. ex *c. consulit, Qui clerici, vel voventes*, votum simplex castitatis non esse impedimentum dirimens. Excipitur tamen illud simplex quod cum alijs duobus paupertatis & obedientiæ emittitur in societate IESV post biennium. Illud enim esse impedimentum dirimens matrimonio contrahendo, statuit Gregor. XIV. in Bulla quæ incipit. *Ascendente Domino.*

Votum castitatis impedimentum dirimens.

Dubitatur quonam jure matrimonium dirimat votum castitatis in solemne professione, vel in assumptione ordinis emissum? *Covarr. 2. p. de spons. c. 7. § 4. Petrus Sotus lect. 5. de matr. & Domin. Sotus l. 7. de just. q. 2. a 5.* existimant dirimere jure naturali, & loquuntur de voto castitatis in professione religiosa. Probant, quia tale votum prout conjunctum voto obedientiæ addicit voventem religioni, eique totum tradit: res autem uni tradita nequit jure naturali tradi alteri.

1799 Dicendum tamen est cum communi & vera sententia, quam defendunt *Vasq. 1. 2. disp. 165. Sanch. l. 7. d. 26. n 2. Ponce l. 7. c. 22. n. 4. & Gasp. Hurt. disp. 15. diff. unica*, votum illud sive in religione, sive in sacro ordine emissum solo Ecclesiastico jure dirimere matrimonium. Probatur, quia religiosus per solemnem professionē solum traditur, ut a religione gubernetur, dirigaturque ad perfectionem secundum illius regulas: hoc autem stare potest cum conjugio, secluso ejus usu: ut exemplo B. Virginis, & multorum cōjugatorum, qui in religione professi sūt, manifestū est; ergo solo jure Ecclesiastico utrūque illud votum dirimit.

QUÆSTIO II.

Qualiter se habeat consanguinitatis impedimentum?

Ut hoc impedimentum explicemus, & quo jure dirimat matrimonium, oportet priùs explicare quid sit consanguinitas, quid in ea linea, & gradus & quomodo hic computari debeat. Consanguinitas dicitur a sanguine uno, a quo multi originem trahunt, & definitur propinquitas, seu vinculum personarum ab eodem stipite descendentium. Habet enim se tanquam arbor, a cujus radice egreditur unus stipes, in quo multi rami colligantur.

Consanguinitas quid.

Cum verò consanguinitas per diversos gradus,

Gradus consanguinitatis.

dus,& diversas lineas discriminetur,& innotescat,gradus est habitudo conjunctionis unius cõsanguinei ad alterum per ordinem ad stipitem,a quo descendunt. Linea est ordinata collectio personarum ab uno stipite descendentium. Est duplex, altera dicitur recta, & est collectio eorum quorum unus,ab alio originatur,& solum ascendentes,& descendentes continet:altera dicitur transversa,alio nomine collateralis,& est collectio consanguineorum ab eodem stipite descendentium,quorum unus ab alio non originatur. Illud notabis mentionem factam de linea esse intelligenda de recta, nisi aliud exprimatur. His praenotatis.

Linea quid & quotu plex.

1 Difficultas est qualiter fiat computatio graduum in linea recta & transversa? Respondeo hoc patere ex triplici regula quam assignant *Sãch.l.7.d.50.a n.2.& Palaus disp.4.pun.7.n.3.1.* regula est pro consanguineis in linea rect.. Tot gradibus unus alteri cõjungitur,vel ab eo distat, quot sunt generationes quae inter utrũque mediant. Unde pater & filius sunt in primo gradu, quia una tantum generatio mediat inter utrunque;avus & nepos sunt in secundo gradu, quia duae generationes mediant inter utrunque.

Graduum consanguinitatis computatio.

1800 2. Regula pro linea transversa aequali,sic habetur: Tot gradibus unus alteri conjungitur,vel distat, quot quilibet conjũgitur vel distat a communi stipite:quia solum ratione illius,& per illius respectum inter se conjunguntur,vel distant. Unde duo fratres distant in primo,filij duorum fratrum in secundo.

3 Regula pro linea transversali inaequali. Tot gradibus unus alteri cõjungitur,aut distat ab eo, quot distat a cõmuni stipite is qui remotior est. v.g. patruus & ejus sobrinus distãt in secũdo gradu:quia sobrinus a stipite,nẽpe suo avo remotior in secundo distat Ratio est,quia cũ tantũ ratione communis stipitis conjungantur,non possunt magis inter se conjungi. quam remotior fuerit illi conjunct us. Et sic intelligitur celebre axioma:*Gradus remotus trahit ad se proximum.*

Illud ex citatis authoribus observabis jus canonicum & civile in computatione graduum lineae rectae convenire: secus in computatione graduum lineae transversae tam aequalis quam inaequalis. Quia jus civile computat omnes gradus qui sunt in personis computantis: cum autẽ (inquit *Palaus n.4.*) in quolibet sit suus gradus ab alio distinctus,& si ab stipite uterque distet aequaliter,computat plures gradũs. Unde asserit duos fratres esse in secundo gradu,seu in duplici gradu cum stipite,quia unusquisque suum gradum habet per ordinem,ad stipitem communẽ. Sic duo filij fratrum sunt in quarto gradu. quia unusquisque duplici generatione distincta ab alio,descendit ab stipite,& consequenter gradũ duplicem distinctum continet.

Computatio graduum per jus civile.

Monet tandem idem author n.5. servandam esse tam in foro Ecclesiastico quâm in saeculari cõputationem juris civilis quoad successiones: in alijs verò contractibus & actionibus servandam esse computationem illius fori, ad quem contractus pertinet:at quoad fidelium matrimoniũ, debere semper spectari juris canonici computationem.

1801 2. Difficultas est,quonam jure,& in quo gradu consanguinitas dirimat matrimonium? Consanguinitatem absolutè sumptam non dirimere hodie matrimonium jure aliquo divino veteris aut novi testamenti certum est. Quare solum dirimit jure Ecclesiastico Pontificio, non in omnibus,sed in quibusdam gradibus. Nam olim dirimebat usque ad septimum gradum *cap. ad sedem 35. q.5.* nunc autem solum extenditur ad quartum inclusivè,ut habetur ex *c.debet. de cõsanguin.* Ratio quae movit Ecclesiam,ut sic cohiberet matrimonia inter consanguineos, fuit tũ reverentia & pudor quae inter ipsos decet, tum charitas & amicitia quae debuit iniri cum extraneis,& propagari per connubia.

Consan. quo jure quousque dirimat.

3 Difficultas est, an consanguinitas saltem in gradibus proximioribus irritet matrimonium jure naturali? Apud *Sanch.l.7.d.51.* est multiplicitas opinionum. Nam si loquamur de linea trãsversa,alij ad omnes gradus prohibitos *Levit 18.* extendunt. Alij dicunt solum esse irritum inter fratrem & sororem. Si de linea recta, alij volũt esse irritum inter omnes & quoscunque ascendentes,& descendentes. Alij in primo gradu,nẽpe inter patrem & filiam non posse consistere. Alij extendunt ad secundum, alij ad quartum gradum.

Consanguinitas irritans naturaliter.

Dico 1. in primo gradu lineae rectae probabilius est matrimonium jure naturali invalidum esse:atque adeo nec posse consistere inter patrẽ & filiam,nec inter filium & matrem. Ita *Valent. tom.4.disp.10.q.5.pun.3.§.4.Sanch.l.7.d.51.n.7. & Basilius Ponce l.7.c.31 n.4.* Probatur, quia matrimonium ordinatur ad copulam:,haec autem ita adversatur lumini naturali, ut illam horreant omnes gentes,imò & bruta, ut testantur *Plin.l. 8.histor.natur.c.42.& Arist de hist.animal.l.9.c.49.* Haec tamen indecentia & turpitudo (ut docet *Sanch.n.10.*) auferri potest, dispensante Deo, si detur extrema necessitas, v.g. humani generis propagandi.

Ascendentium cum descendentibus matrimonia.

1802 Dico 2. Probabilius est jure naturae solum irritari matrimonia inter ascendentes & descentes in primo gradu, non verò in alijs. Ita *Sanch. cit. n. 15. & Basilius Ponce l. 7.c.81.n.6.* Ratio est, quia avus & caeteri ascendentes non sunt principium nepotum per se, sed per accidens:ad rationem enim filij, ut filius est, solum per se requiritur,ut habeat parentes. Dixi (probabilius) quia *Bellarm lib.1 de matr.c.28.* satis probabiliter credit vetitum esse matrimoniũ descendentis cum quolibet ascendente.

Ex quibus *Sanch.cit.a n.21.* rectè infert 1. infideles nubentes cum quocunque ascendente,exceptis patre & matre, si aliqua eorum lex, aut consuetudo matrimonium non irritavit,separãdos non esse,quando ad fidem convertuntur. Infert 2.contra *Toletum l.7 ...c.fine*, posse fideles

validè

validè nubere in linea recta ultra quartum gradu m: si quidem nec jure naturali, nec Ecclesiastico prohibentur.

Gradus primus lineæ transversæ ad matrimonium. Dico 3. quanvis probabile sit, saltē ex authoritate multorum, quos refert *Sanch d.52.n.11.* & sequuntur recentiores, *Bellanus disp.34.dub.1.n.19* & *Palaus d.4 pun.7.n.11.* in linea transversa nullum gradum, etiam primum irritare matrimonium jure naturali, probabilius tamen est solum primum gradum irritare, scilicet inter fratrem & sororem. Ita *Sanch.cit.n.11.Valent.tom.4 disp.10.q.5.pun.3.Bellarm.l.1.matr.c.28.& Layman. l.5. sum. tr.10.par.4.c.6.n.3* Patet, quia *Aristot.2. Polit.c. 2.* solo naturali lumine ductus turpissimam censet conjunctionem parentum cum filijs, & fratrum cum sororibus. Deinde Innocentius 3. *cap. gaudemus de divort.* statuit infideles, qui in secundo & ulterioribus gradibus consanguinitatis matrimonium contraxere, non esse separandos, quando ad fidem convertuntur.

Infertur 1. infideles conjunctos in primo gradu lineæ transversæ esse separandos, quando convertuntur, nisi prudentia suadeat sequi oppositam opinionem, quæ probabilis est. Infertur 2. ex gradibus prohibitis Levit. 18. solos jure naturæ irritare matrimonium primum in linea transversa.

QUÆSTIO III.

Qualiter se habeat impedimentum affinitatis?

1803 SUpponendum est 1. unde dicatur, & quid sit affinitas. Nam dicitur quasi finium propinquitas, & definitur in hunc modum. *Est propinquitas personarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentela.* *Affinitas quid.* Hæc vox (parentela, juxta nostrum *Elucid n.1702.* dicitur a parentibus, quasi conjunctio sanguinis eorum qui ab ijsdem parentibus originem ducunt: ac proinde importat idem quod agnatio & cōsanguinitas. Ponitur (ut notat *Sanch.l.7.d.64.n.1.*) in definitione affinitatis, ut intelligatur per se, & ex parte affinitatis, cui per accidens est, ut aliquando affinitas & consanguinitas in eodem reperiantur.

Supponendum 2. copulam, ex qua oritur affinitas necessariò, nullam aliam esse præter illam, *Copula sufficiens ad affinitatem.* quæ consummare matrimonium potest, atque adeo ex se generationi apta est. Unde sequitur manifestè nullam affinitatem nasci ex penetratione vasis fæminei absque seminatione, itemque ex seminatione extra illud vas naturale. Adde in probabili sententia apud *Sanch l.7.d.64.* & *Palaū d.4.p.8.n.3.* non insurgere affinitatem absque viri & fæminæ seminatione. Quia utrunque illud semē tū generationi, tū matrimonij cōsūmationi necessariū est. Adde ex *Sāch.cit.n.17.* ut oriatur affinitas ex copula cōjugali sufficere quòd sit occulta & habita cū uxore prorsus invita, ignorāte, ebria, insana. Tale enim impedimentum nascitur ex lege dispositiva, & non pænali.

Affinitas ex copula illicita. Supponendum 3. ut oriatur affinitas, opus nō esse ut præcedat copula conjugalis, & licita, sed sufficere fornicariam & illicitam. Hæc enim saltem jure Ecclesiastico pro inducenda affinitate matrimonium dirimente, & materiam incestui ministrante sufficit, ut certum est apud Doctores ex *c.discretionem de eo qui cognov.consan & Trid. sess.24.de refor.c.4.* Constat item jure naturæ nasci affinitatem ex copula conjugali.

An resultet impedimentum affinitatis per cōceptionem ex semine per diabolum incubum allato, & in vas fæminæ succubæ immisso? Videatur Freyre l.5.consil.cons.91.

1804 Dubium est 1. an ex copula fornicaria oriatur affinitas solo spectato naturali jure? Affirmant *Rebellus l.3.matr.q.15.concl. 2. Gaspar. Hurt.disp.20.diff.2. Bellanus disp.32 dub. 4. concl.1.* & alij quos refert ac sequitur *Palaus cit.n.5.* Probant, quia (ut docet *Apost 1.ad Corin. 6.n. 15.*) æquè propriè efficiuntur una caro & unus sanguis qui habent copulam fornicariam, atque conjugalem: sed ex hac pullat naturaliter, seu jure naturæ affinitas, ergo ex illa.

Negandum tamen est cum probabiliori sententia, quam defendunt *Henriq.l.12 c.1.n.2. Navarro l.4.consil.tit.de spons.cons.7 Victoria sum. ubi de matr.n.296.& Sanch.l.7.disp.65.n.9.* asserentibus, *Fornicatio ad affinitatem.* seclusa lege Ecclesiastica, nullum dari vinculum ex illa copula. Ratio est, quia copula illa fornicantium nullum inter cōsanguineos parit amorem, quo inter se jungantur, sed potiùs odium, quo diffideant. Non enim filius movetur ad amandam fæminam a suo patre turpiter cognitā.

Unde (infert *Sanch. n.10.*) si quis tempore infidelitatis aliquam fornicariè cognovit, post baptismum potest validè ducere illius consanguineam in quocunque gradu. Si fidelis (addit *n. 12.*) rem habeat cum infideli, vel fideli, statim contrahit affinitatem cum illorum consanguineis fidelibus autem, quandocunque baptizati fuerint. Satis enim est ad illam affinitatem quòd contrahens, & ille cum quo contrahenda est, fideles sint. Cum verò ad impedimentum ex copula fornicaria, sive quod matrimonium contrahendum dirimat, sive quod post contractum, debiti petitionem impediat, requiratur formalis, seu peccaminosa fornicatio, sequitur nullum omninò resultare impedimentum, si a tali copula, absit formalis culpa, ut si habeatur per ignorantiam, vel insaniam. Addo probabiliter idē esse dicendum, si detur ignorantia solius impedimēti utpote pænalis. Sola enim ignorantia excusat ab incurrenda pæna.

Dubium est 2. ad quotum gradum dirimat matrimonium affinitas jure Ecclesiastico? Olim jure antiquo (ut benè observat *Sanch.cit.d. 67.*) *Affinitas juris antiquatis & juris novi.* triplex erat affinitatis genus, cum ex ipsa affinitate oriretur affinitas. Ast hodie, ut habetur ex Concilio Gener. Lateran. *c.non debet, de consan & affinit.* solum primum affinitatis genus, quod ex posuimus n.1773. vim habet, nempe inter habētem carnalem copulam sive licitam sive illicitā, & consanguineos mulieris cognitæ: & inter hāc & consanguineos viri cognoscentis.

Quare jam nulla est affinitas inter ipsosmet

consanguineos mariti & uxoris. Unde filia uxoris ex alterius concubitu sive licito, sive illicito potest nubere filio, aut fratri mariti. Duæ sorores possunt nubere duobus fratribus. Potest quis ducere relictam a fratre propriæ uxoris. Potest successive ducere plures fœminas inter se nō consanguineas, quæ cum pluribus fratribus matrimonium contraxerunt.

1805 Insuper per citatum *c. non debet*, restricta est affinitas ex copula conjugali consurgens usque ad quartum gradum. Illa autem quæ oritur ex fornicatione restricta est per *Trident. sess. 24. de matr. c. 4.* ad secundum gradum: & sic hodie observatur. Illud notabis Trident. hoc loco fornicationem accepisse genericè prout omnem illicitum concubitum complectitur. Unde non est incestus accessus ad consanguineam intra tertium gradum ejus cum qua priùs idem met fornicatus fuerat. Quia inter hos non prohibetur matrimonium. Similiter non erit incestus inter consanguineos & affines, si postquam omninó obtinuerint dispensationem ad nubendum, fornicentur.

Affinitatis restrictio quæ.

Incestus ex affinitate & consanguinitate.

Dubium est 3. an aliqua affinitas dirimat matrimonium jure naturali? Certum est 1. esse indecens atque peccaminosum absque causa legitima contrahere matrimonium cum affine in primo gradu sive lineæ rectæ, sive transversæ. Certum est 2. affinitatem, quæ ex copula fornicaria oritur, in nullo gradu irritare matrimoniū jure naturæ. Certum est 3. affinitatem lineę trāsversæ ortam ex copula conjugali, etiam in primo gradu non irritare matrimonium jure naturæ. Nam *Deuteron. 27.* cautum erat, ut frater uxorem fratris sui absque filijs mortui duceret. Deinde Innocent. 3. *c. fin. de divort.* dispensavit cum infidelibus recens conversis, ut relictas a fratribus uxores retinerent. Quæ nullo modo fierent, si daretur impedimentum juris naturalis.

Affinitas jure naturæ irritans.

Tota difficultas est, an jure naturali dirimat matrimoniū affinitas lineæ rectæ in primo gradu, qualis datur inter vitricum & privignā, novercam & privignū, socerum, & nurum, generum & socrum? Affirmant *Covarr. 4. decr. 2. parte c. 6. §. 10. n. 6. Sotus in 4. dist. 41. quæst. un. art. 3. Vasq. tom. 2. q. 74. art. 8. disp. 112. n. 7. Bellarm. c. 28. matr. post init. Ægid. Bellan. disp. 32. dub 4. concl. 3. n. 53. & Layman. l. 5. sum tr. 10. c. 6. assert. 5.* Probant tum ex varijs locis sacræ paginæ, tum ex ratione, quia filius eandem reverētiam, quam exhibet suo patri, tenetur exhibere suæ novercæ: siquidem noverca cum illius patre una caro facta est.

Negandum tamen est cum *S. Thoma 2. 2. q. 154. a 9. in solut. ad 3. Henriq. l. 11. c. 1. n. 2. Sanch. l. 7. d. 66. n. 7. Rebell. de oblig. just. 2. p. l. 3. q. 15. n. 10. & Basilio Ponce l. 7 c. 34. n. 5.* Sumitur ex authoritate conciliorum, Agathensis can. 6. & Epannensis can. 3. ubi prohibetur matrimonium contrahicū privigna, & cum noverca: at si contractum fuerit ante talem prohibitionem, decernitur sustinendum esse Deinde ratione, quia cum tali matrimonio stare potest primarius & secundarius finis veri matrimonij, nempe propagatio sobolis & remedium concupiscentiæ: nec violatur debitus conjunctionis ordo. Unde (addit *Sanch. n. 8.*) infideles dicto matrimonio conjugati, si baptizentur, separari non debent, nisi legibus eorū id matrimonium sit irritum.

Infideles ... matrimonio.

SECTIO IV.

De impedimento cognationis, publicæ honestatis, disparis cultus, & criminis.

QVÆSTIO I.

Qualiter se habeat impedimentum cognationis spiritualis, & legalis?

1806 Quod attinet ad cognationem spiritualem, cum de illa tract. 37. sect. 2. de baptismo, & sect. de confirmatione satis dixerimus, ut breviter spectantia ad matrimoniū expediamus, cognatio spiritualis sic definitur: *Est propinquitas quædam personarum ex statuto Ecclesiæ consurgens propter collationem baptismi, vel confirmationis, vel susceptionem hæc sacramenta recipientis.*

Cognatio spiritualis quid.

Introducta fuit hujusmodi cognatio solo jure Ecclesiastico, proindeque nec divino, nec naturali. Ratio autem cur Ecclesia illam instituit, est quia sicut homo per carnalem generationem accipit esse naturale, ita per hæc sacramenta accipit esse spirituale per modum cujusdam spiritualis regenerationis. Unde fuit expediens quod cognatio spiritualis dirimeret matrimonium, ut exhiberetur reverentia illis a quibus spirituale esse impenditur.

Dirimit igitur hæc cognatio matrimonium futurum, & quanvis per illam supervenientem non dissolvatur antecedens, dissolvuntur tamen sponsalia de futuro Hoc impedimentum jure antiquo afficiebat plures personas: at per *Trident. sess. 24. c. 2.* restrictum est ad baptizantem, & de sacro fonte levantem comparatione baptizati, illiusque patris & matris. Et idem procedit de confirmatione, omnibus inter alias personas hujus cognationis impedimentis sublatis.

Ut contrahat spiritualem cognationem suscipiens baptizatum, vel confirmatum, debet esse designatus, & rationis compos, & non religiosus, & baptizatum in baptismo solemni suscipere, imò juxta probabilem sententiam per se ipsum. At baptizans vel confirmās, ut contrahant, sufficit quòd verum sacramentum ministrent.

1807 Quod attinet ad cognationem legalem, ut intelligatur quid sit, & qualiter habeatur *Instit. & ff. de adoption.* apud *Molinam tr. 2. just. disp. 227. & Sanch. l. 7. disp. 63.* sic definitur *Est propinquitas personarum ex adoptione proveniens*. Cum verò hujusmodi definitio nequeat innotescere nisi cognita priùs adoptionis essentia & multiplicitate, adoptio definitur a Iurisp. sic. *Est actus legitimus, per quem fit filius, aut nepos qui non est, secundum naturam imitans.* A Theologis autem sic: *Est extraneæ personæ in filium, vel nepotem, vel de inceps legitima assumptio.* Est duplex, altera perfecta, per quam adopta-

Cognatio legalis quid.

Adoptio quid ...

doptatus transit in potestatem adoptantis, & illi subjicitur omnino: quae arrogatio a aliis imperfecta, per quam non transit in propriè in potestatem adoptantis, & dicitur *simplex adoptio*. Haec censetur praecipua inter utramque differentia.

Arrogatio quid.

Differunt in super 1. quia per imperfectam non est quis necessarius haeres ex testamento, bene tamen ab intestato: at per perfectam, seu arrogationem est haeres necessarius ab intestato, ex testamento autem in quarta bonorum parte. 2. quia adoptari potest qui non est sui juris; at arrogari nequit, nisi qui sui juris est. 3. quia adoptio fit cujuslibet judicis competentis authoritate: arrogatio vero sola authoritate Principis. 4. quia arrogator tenetur satisdare de restituendis bonis arrogati illis personis ad quas essent ventura, si arrogatus in suo statu mansisset. 5. quia in adoptione non requiritur verbum utriusque expressum: requiritur vero in arrogatione.

Adoptantis conditiones.

Variae postulantur conditiones, ut quis adoptare possit. 1. ut adoptans sit sui juris & maior viginti quinque annis 2. ut sit masculus: foemina enim adoptare nequit, nisi ex privilegio Principis. 3. ne sit impotens ad generendum ex defectu naturali. 4. ut octodecim aetatis annis excedat adoptatum. Solvitur adoptio morte naturali, aut civili adoptantis: ob nuptias incestuosas: ob dignitatem, ut Episcopalem, per sententiam, per mancipationem.

Cognatio legalis quotuplex.

Denique cognatio legalis, quam supra definivimus, sive sit perfecta quae provenit ex arrogatione, sive imperfecta, quae nascitur ex adoptione, triplex est, seu tripliciter consideratur. 1. in linea recta inter adoptantem & adoptatum, hujusque descendentes. 2. in linea collaterali inter adoptatum & filios carnales adoptantis. 3. per modum affinitatis inter adoptantem & uxorem adoptati. His positis.

Cognatio imperfecta an dirimat.

1808 1. Difficultas est, ex quanam cognatione legali oriatur impedimentum dirimens matrimonium, ex sola perfecta, an etiam ex imperfecta? Quidam etiam ex imperfecta defendunt *Covarr. in 4. decr. p. 2. c. 6. § 5. n. 2. Toletus l. 7. sum. c. 4. n. 7. Barb. de pot. Episc. 3 p. alleg. 51. Basil. Ponce l. 7. c. 41. Gasp. Hurt. disp. 19. diff. 2. n. 3. & Palaus de sponsal. 4 pun. 9. n. 9.* Probant, quia jus canonicum in c. *per adoptionem 30. q. 3.* & alibi statuens impedimentum, absolute loquitur de cognatione legali: & quae licet etiam imperfecta, vera & propria cognatio est.

Haec opinio probabilis est, sed probabilior oppositam quam cum multis docet *Sanch. l. 7. d. 6 . n. 9. & ex Sanchez [illegible] disp. 32. dub. 3. in fine & La [illegible] l. 5. tr. 10. par. 1. c. 7. n. 3.* Ratio est, quia jus potuit [illegible] impedimentum ad impediendam [illegible], quae facile datur inter personas [illegible] conversantur: per solam [illegible] adoptionem traducitur adoptatus [illegible] adoptantis. Unde ne etiam impedimentum [illegible] imperfecta adoptione nascitur.

2 [illegible] sunt tres species cognationis legalis perfectae scilicet provenientis ex arrogatione dirimant matrimonium? Constat 1. primam speciem in linea recta dirimere matrimonium loquens, nempe inter arrogantem & personas arrogatas. Habetur in c. *un. lib. c. 3. q. 3.* Constat 2. secundam speciem in linea transversa inter arrogatum & filios carnales arrogantis, etiam dirimere. Habetur c. *per adoptionem 30. q. 3.* Solum potest esse dubium de tertia specie in linea transversa, quae est per modum affinitatis inter adoptantem, & uxorem adoptati. Et ratio dubitandi est, quia non apparet textus juris canonici tale impedimentum statuentis. Nihilominus etiam de hac tertia affirmandum est quod de duobus prioribus. Ita cum multis *Sanch. l. 7. disp. 63. n. 15.* quem sequuntur *Gasp. Hurt. disp. 19 diff. 2. n. 4. Bellanus disp. 52. dub 3. & Basilius Ponce l. 7 c. 41. n.* . Ratio est, quia id impedimentum approbatur in generali rubrica, & Romanae Ecclesiae consuetudine firmatum est.

Illud notabis dictam cognationem supervenientem, quamvis dirimat sponsalia praecedentia, tamen matrimonium praecedens nec dissolvere, nec impedire debiti petitionem: & nullo modo obstare matrimonijs infidelium.

1809 3 Difficultas est, an praedicta triplex cognationis legalis species perpetuò obstet matrimonio contrahendo? Apud *Sanch. l. 7. d. 63. & Palaum disp. 4. pun. 9. a. n. 14.* certum est 1. primam speciem rectae lineae, quae datur inter adoptantem & adoptatum, & tertiam speciem transversae lineae, quae per modum affinitatis datur inter uxorem adoptantis cum adoptato, & inter uxorē adoptati cum adoptante, perpetuam esse. Siquidem perpetua est reverentia, cui innititur. Certum est 2. secundam speciem cognationis legalis in linea transversa nimirum inter filios carnales adoptantis, & ejusdem filios adoptivos non impedire in perpetuum, sed quandiu durat adoptio, & filij sunt sub patria potestate. Habetur c. *unico de cognatione legal.*

Legalis cognationis duratio.

Ex quibus *Sanch. citatus a n. 24.* bene Infert 1. inter adoptantem & filios adoptivi parentes nullam contrahi cognationem. Haec enim nullo jure inducitur. Infert 2. post adoptantis obitum posse ejus filios carnales & adoptivos inire matrimonium. Quia cessavit adoptio cessante patria potestate. Infert 3. posse ipsos fratres adoptivos scilicet adoptatos ab eodem parente inter se inire matrimonium. Quia id nullo jure prohibetur. Infert 4. posse a fortiori inire matrimonium filios duorum fratrum adoptivorū. Infert 5. nullum esse impedimentum matrimonij inter filios carnales illegitimos & adoptivos. Illi enim non transeunt ad patriam potestatem.

Cognationis legalis inter [illegible] [illegible].

4 Difficultas est, ad quotum gradum extendatur cognatio legalis quae in linea recta matrimonium dirimit? *Navarrus c. 22 n. 45.* dicit extendi usque ad quartum gradum. *Henriq. l. 12. c. 12. n. 3.* judicat solum extendi ad secundum gradum. *S. Antonin. 3. p. tit. 1. cap. 1 . & S. Thom. in 4. d. 42. q. 3. in corp.* credunt extendi ad omnes descendentes adoptati sine termino.

Cognationis legalis extensio.

1810.

1810 Dicendum tamen est cum *Sanch. l. 7. d. 67. n. 4.* ... *diss. 2 sect. 3. Layman l. 5 sum. tr. 10. p. 4. c. 5.* & *Gaspare* ... filios, nepotes, & quo... ... in ejus potestate ... fuit adoptio. Habetur *c. un. de cognat. legal. & ... per ... 30. q. 3.*

Ex quibus recte infertur 1. adoptantem nec posse contrahere matrimonium cum suis filijs adoptivis, neque cum ... horum descendentibus, qui extra illorum potestatem erant. Habetur *l. si pater fam. 15. in princ. ff. de adopt.* Infertur 2. posse consistere matrimonium inter patrem adoptantem & filiam filiæ adoptatæ: similiter inter adoptantem & quoscumque filios illegitimos adoptati.

QUÆSTIO II.

Qualiter se habeat impedimentum publicæ honestatis?

Publicæ honestatis impedimentum.

IMpedimentum publicæ honestatis, quod ideo appellatur justitiæ, quia justum & æquum fuit ob decentiam & honestatem publicam, ne contraheret sponsa cum consanguineis sui sponsi & e contra: sic definitur: *Est propinquitas ex sponsalibus proveniens robur habens ab Ecclesiæ institutione propter honestatem ejus.*

Hoc impedimentum nec juris divini, aut naturalis est, sed solius Ecclesiastici, prout habetur *c. si quis uxorem c. si quis desponsaverit 27. q. 2. & Trident. sess. 24. c. 3. de ref.* Unde (ut bene docet *Sanch. l. 7. disp. 68. n. 2.*) infideles utpote non subditi legibus Ecclesiæ possunt tempore infidelitatis valide nubere consanguineis prioris sponsæ. Adde positum impedimentum non contrahi, seu non oriri in ordine ad affines sed tantum in ordine ad consanguineos, etiam illegitimos alterius sponsi.

Honestatis impedimentum per jus antiquum.

1811 Præstat tamen ad dignoscendum hujus impedimenti existentiam distinguere cum *Sanch. l. 7. d. 68. n. 5.* inter jus antiquum quo fuit constitutum, & jus novum, quo fuit reformatum ac restrictum. Olim (inquit) attento jure antiquo, ex quibuscunque sponsalibus certis & absolutis, etiam irritis, dummodo non fuissent irrita ex defectu consensus, oriebatur impedimentũ publicæ honestatis, & extendebatur usque ad quartum gradum. *c. unico de sponsal. in 6.*

Hodie vero hoc jus correctum est a *Trident. sess. 24. de matr. c. 3.* tum quoad sponsalia irrita, ex quibus deciditur nullum prorsus oriri impedimentum: tum quoad gradum, ad quem extendebatur. Deciditur enim ex sponsalibus validis solum extendi ad primum gradum consanguinitatis, quod intelligitur in linea, sive recta, sive transversa. Unde post valide sponsalia non potest iniri validum matrimoniũ cum patre, matre, fratribus, sororibus, vel filijs sponsi, aut sponsæ, secus cum alijs consanguineis inferioris gradus.

Sponsalia nulla ad impedimentum publicæ honestatis.

Dubium est 1. an ex sponsalibus nullis ob solum defectum consensus, vel ob aliquod impedimentum omnino occultum publicæ honestatis impedimentum insurgat? Affirmant *Sanch. l. 7. ... 14. Layman l. 5 ... 4 ...* quia ratio, ob quam Concilium sustulit illud impedimentum, fuit ut vitarentur ... & scandalum ... quando ... valide ex defectu ... consensus, vel impedimenti omnino occulti.

Hoc autem *Sanch. n. 16. & 17.* limitat 1. ut non procedat, quando illa sponsalia ita clandestina sunt ut probari nequeant. Limitat 2. ut non procedat, quoties impedimentum illud occultum verbo ... ritans sponsalia sive veris, sive falsis testibus probetur. Quia tunc cessat scandalum, & indecentia in utroque casu.

1812 Hæc resolutio cum suis limitationibus est valde probabilis: nihilominus oppositum, quam cum *Petro Ledesma, Rebello, Hurtado & Bellarmino* defendit *Palaus de spons. disp. 4. pun. 10. n. 4.* neque ex talibus sponsalibus insurgere impedimentum publicæ honestatis, non est minus probabilius. Suadetur, quia concilium loquens generaliter absolute dixit nullum contrahi impedimentum ex sponsalibus quacunque ratione fuerint invalida.

Matrimonium ratum.

Dubium est 2. an insurgat impedimentum publicæ honestatis non solum ex sponsalibus, sed etiã ex matrimonio rato, sive valido sive irrito? Negãt *Covar. 4. decret. 2 par. c. 6. §. 2. n. 2. Navarr. c. 22. n. 58. Ludov. Lopez 2 p. Instr. c. 50.* Probant, quia sponsalia sunt quid accessorium matrimonio: cũ igitur Trident. fecerit restrictionem in accessorio, nempe sponsalibus, ut ex irritis non resultet impedimentum, censetur fecisse in principali, id est matrimonio.

Affirmandum tamen est cum *Gutierr. c. 103. n. 23. Sanch. l. 7. d. 70. n. 5. Basilio Poncio l. 7. c. 35. n. 3. & Rebell. in appe. d. ad l. 4. de oblig. just. n. 101.* Probatur, quia licet nullus textus id manifeste & expresse decidat, tamen colligitur deducto argumento a fortiori. Si enim per textum expressum consurgit impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus de futuro, a fortiori consurget ex matrimonio rato, quod fortius vinculum est. Addit Palaus cit. pun. 10. n. 5. priorem sententiam jam carere probabilitate ob declarationem *Pij V.* anno 1568. in Bulla, *Ad Romanum.*

Unde cum Sanch. cit. a n. 5. infertur 1. ex matrimonio rato irrito quacunque ex causa, præterquam defectu consensus, oriri hoc impedimentum. Quod verum est, sive contrahentes scirent, sive ignorarent impedimentum, ob quod id matrimonium irritum est. Si tamen ... id matrimonium ... impubes malitia non supplente ... matrimonium ob aliud impedimentum ... non oritur ex eo publica honestas ... sponsalia de futuro: & ex ... hodie publica honestas ... ex solo defectu ... validis.

Matrimonium ... ob impuberatem.

1813 Infertur 2. non oriri hoc impedimentũ quoties matrimonium est irritũ ratione meius, vel erroris personæ. Quia tunc viciatur cõsensus. Orietur tamen si solũ deficeret consensus merè occultus. Censetur autem merè occultus quando in foro externo nulla ratione probari potest. Infertur 3. non oriri, quãdo matrimonium esset cũ persona incerta, vel omninò clandestinum.

Conditionatum matrimonium ad impedimentum honestatis. Nota 1. ex eodem *Sanch. cit n. 14.* dicti procedere etiam de matrimonio inito per parẽtes nomine filiorum, aut aliorum præsentium, vel absentium, itaut habeatur ratio de illo, quãdo validum, & quando irritum est. Nota 2. ex eodem a n. 16. hujusmodi impedimẽtum, quod nẽpe oritur ex matrimonio rato, prout declaravit Pius V. non restringi per *Trident.* ad primum gradum sed extendi ad quartũ cum consanguineis, nõ autẽ affinibus personæ de præsenti: & esse perpetuũ.

Quid si matrimonium nõ fuerit absolutũ, de quo hactenus, sed fuerit conditionatũ? Respõdeo cũ eodem cit. a n. 21. si innitatur conditione verè suspendenti, utpote de futuro, honesta, ac contingenti, ex illo non oriri impedimentũ aliquod ante conditionis eventũ, juxta *c. unicum de sponsf. in 6.* at post eventũ conditionis, si teneamus nõ perfici matrimonium absq; novo consensu, sed tunc habere vim sponsaliũ, secundũ probabilem sententiam, de qua l. 5. disp. 8. n. 3. ex illo oriri publicam honestatem, tanquam ex sponsalibus: si autem dicamus absq; novo consensu perfici matrimoniũ statim tanquam ex matrimonio oriri illud impedimẽtum usque ad quartum gradum.

Honestatis impedimentum ex sponsalibus dissolutis. Dubium est 3. an oriatur impedimentũ prædictum ex sponsalibus mutuo consensu dissolutis? Affirmãt *Piasecus in praxi Episc. 2. p. c. 4. Sanch. l. 7. disp. 68. n. 21 & Layman. l. 5. sum. tr. 10. par. 4. c. 9. n. 3.* Probant ex *c. accessit. de sponsal. impub.* & ex ratione, quia hoc impedimentum semel contractũ ita manet perpetuũ, ut nec dissolvatur morte sponsi vel sponsæ.

1814 Negant *Gutier. c. 103. n. 11. Sá v. matrimonium n. 12. Rebel in ap. pen. ad oblig. just. l 4. n. 99. Basil. Põc. l 7. c. 36 n 9. & Palaus de sponsf. disp. 4. punt 10. n. 9.* Probant ex quadam declaratione S. Congregationis apud *Farinac. c. 3.* ex qua judicat *Palaus* ideo non oriri impedimentũ ex sponsalibus, quæ mutuo consensu dissolvuntur vel quæ dissolvuntur ex causa legitima, quia a Concilio nõ reputatur valida absolutè & simpliciter eo quod firmiter & in perpetuũ non valuerint: secus de sponsalibus morte alterius dissolutis. Ego priori sententiæ adhærerem, nisi obstaret declaratio S. Congregationis, cui in dubio semper standũ est.

Conatus ad copulã ratificans sponsalia impuberũ. Dubium est 4. an ex conatu ad copulam oriatur impedimentum publicæ honestatis? Respondeo negativè cum *Sanch. cit. n 21.* Patet, quia si ex conatu ad copulam non oritur impedimentum affinitatis, quando nascetur impedimentum publicæ honestatis? Certè nascetur, si conatus ille sit ratificatio priorum sponsalium, quæ v. g. infantes inierunt, & in legitima ætate per conatum ad copulam ratificaverunt.

Cui doctrinæ *Sanch. cit. a n. 23.* rectè subnectit resolutiones sequentes. 1. si post sponsalia de futuro cũ certa persona contrahat sponsus matrimonium de præsẽti cũ ejus sorore, & nõ consũmet, tenetur priori personæ fidẽ servare: si autẽ consũmet, cũ neutra valide inire potest. Nã cũ priori contraxit affinitatẽ per copulã posterioris, cũ posteriori cõtraxit impedimentũ publicæ honestatis per sponsalia prioris. Si verò non consũmasset adhuc nõ posset valide inire matrimoniũ cũ quacunq; cõsanguinea hujus posterioris intra quartũ gradũ dẽpta illa, cui fides data est. Quia ex matrimonio irrito perseverat impedimẽtum usq; ad 4. gradum.

2 Si quis sponsalia contraxit cum fœmina, quam, postea ejus frater duxit, nec matrimoniũ consummavit, potest licitè eandem ducere: quia matrimoniũ cũ suo illo fratre fuit invalidum ratione publicæ honestatis, nec ex hoc ortum fuit impedimẽtum publicæ honestatis quod sibi fratri priori noceret. Si autem matrimoniũ consũmavit, fœmina cũ neutro contrahere potest. Quia in priori datur impedimentũ affinitatis, in posteriori, publicæ honestatis.

QUÆSTIO III.

Quodnam sit impedimentum disparis cultus?

1815 Supponendum est 1. quid sit impedimentum disparis cultus, & cur sic appelletur. Est enim impedimẽtum ad nubendũ quod datur inter fidelem & infidelem, & ideo ita dicitur ob disparitatem fidei, qua Deus colitur a fideli, & non ab infideli. Supponendum est 2. quale nam sit hujusmodi impedimentum. Est enim impedimẽtum dirimens matrimonium inter personam baptizatam, & non baptizatam, etiam cathechumenam, ut ait tẽxtus *c. cave 28. q. 1* Ratio in qua fundatur impedimentum fuit, quia dedecebat posita Christi institutione matrimonium in sacramentum elevante, ut aliquis baptizatus susciperet matrimonium, quod sacramẽtum non esset. *Disparitas cultus impedimentum.*

Cũ verò hoc loco nomine fidelis veniat omnis verè baptizatus, & nomine infidelis veniat omnis non verè baptizatus, sequitur non valere matrimonium catholici cum fictè baptizata, neque apostatæ, vel hæretici cum infideli scilicet non verè baptizato. Illi enim cum sint verè baptizati subduntur legibus Ecclesiæ. *Fidelis quod baptizatus.*

Dubium est 1. quonam jure introductum sit hoc impedimentum? Si loquamur de jure solum prohibente, rectè docet *Sanch. l. 7. d. 71. n. 5.* prohiberi tale matrimonium jure divino naturali. Quia cum parentes disparis cultus sint, proles benè educari nequit. Si loquamur de jure irritante rectè cum *Sanch. cit. n. 7.* tenent *Ægid. Bellan. disp. 31. dub. 3. concl. 1. & Basil. Ponce l. 7. c. 47. n. 2.* dirimi, seu irritari solo jure Ecclesiastico. Quanvis enim nullus (inquit *Sanch. b. n. 8.*) detur textus, in quo exprimatur hujusmodi irritatio, constat tamen ex receptissimo Ecclesiæ usu vim legis habente,

bente,& ex Apostolorum traditione.

Ex quibus infertur 1.ex eo quód cesset ratio consuetudinis in aliquo loco, non tolli illud impedimentum. Quia lex generalis non desinit obligare eo quód in aliquo speciali casu ejus ratio deficiat. Infertur 2.ex dispésatione Pótificis posse iniri matrimoniũ valide inter fidelẽ & infidelẽ: imó & licité, si detur causa rationabilis, illicité tamen si non detur.

1816 Dubiũ est 2.an sit irritũ matrimonium personæ fidelis cum hæretica, vel apostata a fide? Affirmant nonnulli jurisperiti, *Rojas in singul. 228.n.un. Carrerius de haret.n.157. Hostiens. tit.1. de conjugio servorum* n.1.& *Sunan de cathol. instit. c.* 40. Probant ex canone 72.sextæ synodi generalis in Trullo ubi statuitur deberi existimari nefarium conjugium & irritas nuptias inter orthodoxam & hæreticum.

Catholici & hæretici matrimonium.

Negandum tamen est cum *S.Thoma in 4.d. d. 39.quæst.un.a 1.ad 5.* qué recipiunt omnes Theologi, duce *Sanch l 7.d.72.a n 2.* Constat ex *cap. decrevit, de hæreticis in 6.* ubi decernitur uxores quæ scienter hæreticis nupsere, privandas esse dote in pœnam delicti, & tamen non jubentur separari. Unde textus sextæ synodi in contrarium allectus (ut tenet *Palaus d.4.pun.11. n.7.*) vel est suppostitius, vel si olim habuit vigorem, jam est abrogatus contraria consuetudine.

Dubiũ est 3.utrum saltem liceant connubia inter orthodoxum & hæreticũ conjugé? Respondeo negativé cũ citatis: nã per Ecclesiam prohiberi, constat ex *Concilio Illiberitano can. 16. Laodiceno c.10.* & habetur *c.non oportet 28.q. 1.* Addunt aliqui prohiberi jure divino illis verbis *Apostoli 2. Corinth.6. Nolite jugum ducere cum infideli.* Imò jure naturali ob periculũ perversionis, ut laté probat *Basilius in appen.c.1.*

Hæretici nubentes catholicis.

Hæc addita de jure divino & naturali solum vera sũt regulariter: népe quando adsit periculũ vel iniquæ educationis prolis, vel jurgiosæ cohabitationis. At si hæc omnia in casu particulari cessét nõ obligabit jus naturale, ut recté monet *Ægid. Bellan.disp.31.dub.3.concl.3.* Deinde, etiam spectato Ecclesiastico jure, si credatur in aliqua provincia aut regno ut plurimum cessare illud periculũ, cessabit obligatio.

Unde jam hodie (ut docet *Sanch.l.7.d.72.n.5.*) ex cõsuetudine tolerata in locis, ubi hæretici nõ denunciati cũ catholicis permisti convivunt, ut Germania, Gallia, Anglia, Polonia, illa cõjugia licent, dũmodò persona catholica permittatur liberé absq; perversionis periculo in fide orthodoxa permanere.

1817 Observa 1.cũ *Sanch.citato n.6.* pacta quæ in connubijs quandoq; ineuntur, ut ex filijs nascituris alij catholici, alij hæretici sint, omnino impia, & irrita esse. Observa 2.cum *Palao cit.n.12. & Basilio c.6.& 7.* posse catholicum cũ hæretico inire matrimoniũ, etiam dato periculo perversionis dũ modo habeat firmum animũ non succũbendi.& speretur ex tali conubio magnus fructus, qualis multorũ conversio, vel Ecclesiæ tranquillus status. Observa 3.cum proximé citatis, in hujusmodi conjugio servendã esse formã, & ritus ab Ecclesia Romana præscriptos, & nullo modo eos qui fuerint professio erroris iniquæ sectæ.

Pacta circa filios ut sint hæretici.

Ritus in matrimonio cũ hæreticis.

QUÆSTIO IV.

Quodnam sit, & quomodo se habeat impedimentum criminis?

Hoc impedimentũ sub hoc criminis nomine cõprehensum duplex crimen cõtinet, proindeq; est impedimentũ quodamodo duplex in duplici quæstionis parte exponendũ. Primum crimé est adulteriũ cũ machinatione mortis alterius cõjugis. Secundũ crimen est adulteriũ cũ promissione facta, seu cũ fide data de cõtrahendo post cõjugis obitũ. Ecclesia igitur in illorum pœnã reddit inhabiles reos ad matrimoniũ contrahendũ nõ absoluté, sed cũ ea persona quacũ delinqués cõtrahere intendens delictũ cõmisit.

Criminis duplicis impedimentum.

Quod attinet ad prioré quæstionis partem, de primo crimine dari hoc impedimentũ, quod subsequés matrimoniũ dirimat, cõstat ex *c.super hoc, de eo qui duxit in matr.* Nec desideratur ad hoc impedimentũ, quòd adsit promissio futuri matrimonij: nec desinit dari, quãvis intétetur mors ad alliciendũ infidelé ad fidé spe conjugij. Cũ veró ad plenã cognitioné hujus impediméti *Sãch. l.7. d.78* multa cũ multis expediat, & eũ sequãtur recentiores. *Ægid.Bellan.disp.31.dub.5. Basilius Ponce l. 7.c.45 Gaspar Hurt.disp.23.diff.1 & Palaus d.4.pun. 12.* fatis mihi erit in compendium mittere quæ fusissimé tractata inveni.

Adulterii cum machinatione mortis.

1818 Si infidelis (inquit *Sanch.n.4.*) uxorem interfecit animo ducendi adulterã, poterit cum illa cõtrahere. Quia ille nõ subjicitur pœnis Ecclesiasticis: & adultera tali homicidio obnoxia non est. Ut positum impedimentũ contrahatur sufficit cooperari ad mortem conjugis mandato aut consilio.

Infidelis ad impedimentum criminis.

Difficultas est, an sufficiat ratihabitio uxoricidij, aut viricidij, quod fiat una cum adulterio? Respondeo negativé, quia ad illud impedimétũ requirũt textus machinationé antecedétem, ad quã ratihabitio retrotrahi nõ potest. Quãvis diximus n. 1756. esse impedimentũ impediés uxoricidiũ, & nõ viricidiũ, quãdo fiũt alia causa, quã cõtrahendi matrimonij: tamen modó dicimus occisionem, de qua loquimur, causa nubendi adultero, sive uxoricidiũ, sive viricidium sit, esse impedimentum dirimens. De quo laté *Sanch.n.8.*

Ratihabitio uxoricidij.

Viricidii impedimentum.

Requiruntur tamen nonnullæ conditiones, ut hoc impedimentum contrahatur 1. est ut machinatio illa sortiatur effectum: si enim ex tali machinatione non sequatur mors, nullum impedimentum dabitur. 2. ut interveniat adulterium, quando solus alter conjux, vel adulter alterius conjugis mortem machinatur: secus quando conjux & alter cum quo matrimonium intenditur, mortem conjugis machinatur. Tunc enim ad cõtrahédũ impedimentũ fatis est adulterium

Machinatio mortis, qualis impedimentum.

Conditiones ut adducti sit impedimentum.

rium subsequens alterius machinationem, dummodò ante mortem conjugis contingat. Ut si vir venenum propinet uxori, ut uxore interfecta, fœminam quandam ducat, cum qua nondum adulteratus est, at cum ea adulteratur, nondum uxore defuncta.

3 Est, ut illud adulterium quod altero solo conjugis mortem machinante requiritur, sit utrique matrimonium contracturo notum. Unde si vir conjugatus cum fœmina conjugij ignara adulteretur, & ut illam ducat, uxorem propriam interficiat, nullum erit impedimentum dirimens inter illos. Idem procedit, quanvis fœmina esset conjugata: quia tunc non committit adulterium respectu occisæ conjugis.

4 Conditio est, ut interfectio conjugis fiat ex fine ineundi alterius matrimonij. Quando enim alius finis adest, nullum est impedimentum dirimens. Sufficit tamen si alter ex machinantibus conjugis mortē, intendat matrimoniū inire.

Uxoricidium. 1819 Infertur 1. cum eodem *Sanch.l.n.5.* non dari hujusmodi impedimentum, si conjugatus dicat adulteræ (*Nisi matrimonio ligatus essem, te ducerem*) & postea occidat uxorem ob alium finem. Infertur 2. non esse impedimentum, si conjux, & adulterans communi consilio interficiant conjugem alterum, ut liberiùs vacent libidini. Infertur 3. non esse impedimentum, si vir uxoris necem machinetur animo ducēdi adulteram nec mors sequatur: & postea adultera uxorem illam occidat ob alium finem.

Infertur 4. non esse impedimentum, quando vir occidit uxorem animo ducendi aliquam indeterminatā, etiam si postea ducat eam, cum qua adulteratus est: secus, si occidat intendens ducere aliquam ex pluribus indeterminatis, cum quibus omnibus adulteratus est. Semper autem in foro externo præsumitur intentio ineundi matrimonij, quando quis occiso conjuge ducit adulterū.

Matrimonij valor ad impedimentum ex crimine. Ultima conditio est, ut matrimonium priùs sit verum: si enim sit irritum secundum se, quāvis bona fide existimetur legitimum, nullum ex occisione conjugis impedimentum orietur. Ita *n.20.* Duo tamen observari debent 1. est, impedimentum illud non reddere quenpiam inhabilem simpliciter ad quodcunque matrimonium (ut initio monuimus) sed solum ad contrahendum validè cum adulterante 2. est hoc impedimentum non incurri ab infidelibus, si nulla ipsorum lege statuatur. Quia solo jure Ecclesiastico inducitur.

Adulterij impedimentum. Quod attinet ad posteriorem quæstionis partē de secundo crimine, constat ex *c. relatum 31. q.1.* insurgere impedimentum dirimens, quādo quis adulterium committit, fide data de matrimonio ineundo, vel de facto matrimonium cum adultera init, priori conjuge superstite. De promittēte matrimonium ineundum post obitum uxoris nulla interveniente copula, agit *Perez. de matr. disp.33. sect.5.n.9.*

Copula requisita ad impedimentū criminis. 1820 Ut verò (inquit *Sanch.l.7.d 79.* quam totam sequimur) hoc impedimentū incurratur, variæ desiderentur conditiones. Prima est ut adulteriū concurrat cum futuri matrimonij promissione, aut cum matrimonio de facto inito, altero conjuge superstite. Unde non sufficit conatus ad copulam, sed requiritur copula omninò consummata per introductionem virilis seminis in vas fœmineum, etiam sine penetratione vasis quacunque arte.

Conditiones ad impedimentū adulterij. Sufficit tamen fidei datio, sive promissū matrimonium præcedat, sive sequatur adulterium. Nec refert, sive adulter fidē dederit adulteræ de contrahendo matrimonio cum ipsa, sive cū persona, quam tertius quidam ab adultera assignatus designaverit: quando fraudulēter ea fides petitur, ut tertius ille adulteram designet.

Promissio quæ sufficit ad impedimentū criminis. 2 Conditio est, ut fides matrimonij, sive cōtractus de præsenti concurrant durante priori eodē matrimonio. Unde non erit impedimentū si fides data solvatur durante eodem matrimonio, & postea casu sequatur copula. Non attenditur ad valorem sponsalium, vel matrimonij, de quo datur fides, ut impedimentū incurratur.

Conditionalis promissio. 3 Conditio est, ut illa promissio exprimatur aliquo externo signo: quāvis autē ficta sit, & ore tenus, sufficiet ad impedimētū. Sufficit etiā promissio cōditionalis (quidquid in oppositū dicat *Palaus pun.12.n.13.*) si ante habitū adulteriū conditio nō deficiat; nā per hujus defectū tollitur promissio. Si autē post adulteriū defecerit conditio, jā impedimentū ex vera promissione cum adulterio pullularet. Idē procedit de promissione facta sub cōditione impossibili, vel turpi etiam contra substantiā matrimonij: nisi appareret joco, & sine animo subeundi obligationē apponi. Si cōditiones sint de præsenti vel præterito, & non extēt, cum nulla sit omninò promissio, nullum præstabit impedimentum.

1821 Infertur 1. dari impedimentū, quando quis promisit adulteræ matrimoniū sub ea cōditione, si probaverit licitū esse ad alias nuptias trāsire data absētia illius viri per septē annos. Est enim cōditio impossibilis. Infertur 2. non esse promissionē ex qua oriatur impedimentū, dicere, si nō essē cōjugatus te ducerē. Infertur 3. nullū pullulare impedimentū ex hac promissione: ducā te si voluero: secùs ducā te, si aliud nō visum mihi fuerit. Infertur 4. ex alijs promissionibus æquivocis tūc solū insurgere impedimētum, quādo ex se vim habēt ad spōsalia, vel matrimoniū cōstituendum.

Mutua promissio. Dubiū est 1. utrū ad incurrendū hoc impedimētū requiratur mutua adulterorū promissio? Illud est discrimen inter promissionē strictē sūptam & pollicitationē, quód illa exigat duorum cōsensum nō ita pollicitatio: hæc enim est solius afferentis promissio, & dari potest altero nec acceptante, nec recusante *l. pactum* in princ. *ff. de pollicit.* Dico 1. nō sufficit ad hoc impedimentū mera pollicitatio, sed requiritur promissio acceptata. Ratio est quia verba cum effectu accipiendā sunt, at effectu carent, quādo alter non acceptat.

Unde non incurret impedimentum adultera,

quæ adultero promittenti futuras nuptias respondeat: Faxit Deus ut vir meus incolumis persistat: vel Derigat Deus quod suo obsequio expedientius fuerit.

Dico 2. ut incurratur impedimẽtum, non desideratur alterius repromissio. Constat ex *c. significasti, de eo qui duxit*. Dico 3. Nunquam sufficit taciturnitas ejus, cui promittitur. Quia talis promissio etiam liberaliter facta, est nociva acceptãti. Dico 4. quanvis illa promissio fiat per modũ contractus onerosi & respectivi, sufficit expressa acceptatio. Hæc enim habet vim repromissionis, quando promissio liberalis non est.

1822 Dubium est 2. an ad incurrendum illud impedimentum sufficiat nuda & simplex promissio sine juramento interposito? Respondeo affirmativè cum eodem *Sanch. n.* 29. Quia ad sponsalia sufficit promissio simplex, & tamẽ per illam dicitur quis dedisse fidem matrimonij.

Adulterũ quale ad impedimentum. 4 Conditio est ad incurrendum hoc impedimentum, ut detur adulterium verum a parte rei, & formale. Unde verum non erit, si prius matrimonium irritum fuerit: & formale non erit, si alter conjugium alterius ignoraverit. Sufficiet autem, si ante scientiam conjugij alterius, matrimonium de facto iniretur, & post scientiã adesset copula: vel saltem daretur fides futuri matrimonij.

Quando dubitatur, an dum adulterium admissum est, vel fides data, superstes esset alter cõjux incurretur hoc impedimentum, si verè tunc vivebat. Quia vita præsumitur intra spatium cẽtum annorum. In dubio autem an adulterium commissum, vel fides data fuerit, non esset locus huic impedimento.

Observabis 1. in supradictis promissione & acceptatione committi peccatum grave, & utrãque irritam esse, etiam si non contractum fuerit impedimentum ex defectu copulæ, vel aliunde. Observabis 2. tale impedimentum non reddere adulteros inhabiles ad quodcunque matrimonium, sed solum ut inter se contrahant.

Infideles ad impedimentum. Observabis 3. hoc impedimentum esse solo jure Ecclesiastico inductum, ac proinde non habere locum inter infideles. Si tamen infidelis legitimè conjugatus adulteretur cum fideli, fide data matrimonij futuri, aut dato contractu de præsenti, dabitur impedimentum dirimens, ne postea baptismo suscepto possit cum fideli nubere. Quando inter ipsos infideles alterum ante baptismum evenit, nempe promissio matrimonij vel contractus, alterum veró post, scilicet adulterium, nullum impedimentum incurritur. Quia Ecclesia utrunque conjunctum punit.

SECTIO V.

De impedimento ligaminis.

QVÆSTIO I.

Ligaminis impedimentum quid.

Quid sit hoc impedimentum: & qualiter de obitu conjugis debeat constare, ut superstes iterum nubat?

1823 IMpedimentũ legaminis, seu alligationis vocatur ipsum matrimonium rite contractum, quo ligatur conjux, ne possit eo durante aliud matrimonium cõtrahere. Unde sic definitur: *Est vinculum prioris matrimonij, quo durante posterius irritum est.* Cum enim catholica fides doceat (ut definit *Trident. sess.* 24. *de matr. can.* 2.) in lege Evangelica prohibitum esse jure divino plures simul habere uxores: etiam Papa *Syricius Epist.* 1. *Innocent.* 1. *Epist.* 9. & alij Pontifices deciderunt posterius matrimonium priori constante, irritum esse.

Ut igitur quis possit inire secundum matrimonium, de morte prioris conjugis certus esse debet, ut fatentur omnes ex *c. in præsentia de sponsalibus*. Quia ille conjux, si forte vivat, jure suo, in casu dubio spoliari nequit: præcipuè quia juxta *l. ult. C. de sacros. Eccles.* præsumendus est vivere, dum contrarium non probetur.

Tota difficultas est, quænam sufficiat, & postuletur certitudo, ut quis novum contrahat matrimonium, sive propria, sive judicis authoritate? Apud *Sanchez l.* 2. *matr. d.* 46. *n.* 5. graves authores existimant sufficere certitudinem probabilem, ut quis contrahat propria authoritate: secus veró, ut cõtrahat authoritate judicis. Rectius tamen in utroque casu cohærenter procedendũ est, ut dicamus eandem postulari certitudinem, ut quis vel propria, ab judicis authoritate contrahat. Patet, nam ea quæ solum causant probabile judicium de morte conjugis, non sufficiunt ut conjux spolietur suo jure & possessione etiã per authoritatem judicis. *Probatio mortis alterius conjugis.*

Rectè igitur docent *Covarr.* 4. *decret.* 2. *p. c.* 7. *§.* 3. *n.* 3. *Gutierr.* 2. *pract. quæst.* 8. *n.* 4. & *Sanch. l.* 2. *disp.* 46. *ex c. cum per bellicam*, & *c. quoniam* exigi verisimilitudinem, seu existimationẽ non quãcunq; sed moraliter certam, qualis erit quæ arbitrio prudentis spectatis circunstantijs talis judicetur.

1824 Rogabis 1. an sufficiat unus testis ad probandam mortem conjugis? Negant *Bart. ad l.* 2. *ff. quem ad testam. aper.* & *Emman. Roter. tom.* 1. *sum. c.* 233. *n.* 2. Moventur, quia unius testimoniũ non plenè, sed solum semiplenê probat. Affirmãt *Veracruz* 1. *par. speculi art.* 41. *concl.* 1. *Angelus V. matrim.* 3. *q.* 13. & *Gutierr l.* 1. *pract. quæst q.* 3. *n.* 4. Probant ex *c. præsentia de spons.* ubi solum exigitur certus nuncius qui de morte conjugis certificat: hic autem unicus testis est.

Utraque hæc opinio conciliari potest cum *Sanch. l.* 2. *disp.* 46. *n.* 12. & *Palao de spons. disp.* 4. *pun.* 13. *§.* 1. *n.* 7. si dicamus unum testem sufficere, quando mors eveniret loco adeo distanti, ut aliæ probationes facilé haberi non possent, & testis ille ex modo deponendi præsumatur vera loqui. *Testis unus ad probandã mortem conjugis.*

Rogabis 2. an mors conjugis probari possit ex fama? Videtur negandum: Quia fama, cum sit notitia orta ab incerto authore, & sæpe fallaci, non suppetit moralem certitudinem, ut habetur *c. vestra, de cohabit. cleric.* ergo non sufficit ad probandum. Hæc resolutio vera est, si sumatur fama præcisa ab omni adminiculo.

At partem affirmativam rectè docent *Navar. c.* 22. *n.* 53. *Mascar. concl.* 1075. *n.* 4. *Gutierr. c.* 51 *n.* 4.

n.4.& Sanch.cit.n.13.si juvetur fama ijs adminiculis, quæ arbitrio prudentis faciunt moralem certitudinem. Adminicula erunt longitudo absẽtiæ, fama universalis mortis, ubi conjux ille cõmorabatur: ejusdem conjugis senectus, ægritudo, pericula in mari, vel prælio, & similia.

1825 Illud necesse est advertere, ut fama probet, nonnullas requiri conditiones. Prima, ut fama ipsa probetur saltem duobus testibus omni exceptione maioribus, qui deponant se audijsse a fide dignis. Secunda, ut concurrat causa rationabilis, ex qua fama orta sit. Tertia, ut testes deponãt se audijsse a maiori populi parte, in qua computantur soli viri probi & graves. Quarta, ut testes asserant se credere. Ita Sanch.cit.a.n. 13. qui n.16.docet testium de fama dictum sine juramento valere.

Fama probatio.

QUÆSTIO II.

Qualiter correcta sint jure canonico pœnæ quæ per jus civile imponuntur fæminis intra annum luctus secundò nubentibus?

Duas partes continet præsens quæstio, quarum prior spectat ad computationem pœnarum, quas jus civile infligit fæminis intra annum luctus nubentibus: posterior ad correctionem hujusmodi pœnarum per jus canonicum. Quod attinet ad priorem, variæ pœnæ numerãtur toto tit. Cod. de secundis nuptijs. tum quia voluit jus, ut fæminis per illud spatium a secundo matrimonio retardatis melius dignoscerentur filij prioris matrimonij: tum quia noluit ut ex festinatione nubendi daretur suspicio quòd uxor ad mortem viri cooperata fuerit. Annus luctus juxta l. genero ff. de his qui not an. infam. computatur a die mortis prioris viri, & ignoranti cedit.

Pœnæ cõtra viduas nubentes.

Has pœnas ex Sanch.l.7. disp. 87. & Palao disp. 4. de spon.p.13.§.2. late exponentibus, paucis complectemur 1. pœna est, ut tam vidua ipsa, quam vir eam ducens efficiatur infamis. l.1.c. de secund. nupt. Unde incurritur ipso jure, sed requiritur judicis sententia declaratoria facti. 2. pœna est, ut posteriori viro non possit date in dotem, nec in ultima voluntate relinquere ultra tertiam bonorum suorum partem l.1.c. de secund. nupt. Quod procedit etiam de donatione inter vivos, & solũ respectu illius viri cui nupsit intra annum luctus.

1826 3 Est ut sit expers cujuscunque hæreditatis, legati, fideicommissi, & donationis causa mortis. Quod non intelligitur de relictis a viro, sed ab alijs prÿter virum. Unde attenta hac legũ dispositione, tenetur in conscientia sic accepta in ultima voluntate restituere alijs hæredibus.

4 Pœna est, ut privetur quoad proprietatẽ, & usum fructum omnibus relictis a priori viro in ultima voluntate. Procedit etiam de acceptis titulo donationis a priori viro. Perdit etiam spõsalitiam largitatem l.2.C. de secun. nupt. sed ad hoc requiritur sententia judicis. Dicta tamen intelliguntur de acceptis titulo lucrativo: nam quæ accepit ab eo titulo oneroso, non amittit. Ducens viduam intra annum luctus non perdit relicta sibi a viro: at eis privabitur, si eam cognoscat extra matrimonium 5. pœna est. Illa vidua nequit succedere ab intestato suis cõsanguineis ultra tertium gradum 6. & ultima pœna est, quòd vidua illa teneatur dare medietatem bonorum filijs prioris matrimonij.

Viduam ducens intra annum luctus.

Dubium est 1. an hujusmodi pœnæ extendãtur ad virum, si uxorem secundo ducat intrã annum luctus? Videtur affirmandum ex illo celebri axiomate: Dispositum de uno correlativo, de alio censetur dispositum. Negandum tamen est ex l. siqua mulier C. ad S.c. Tertullianum cum citatis Sanch.n.20.& Palao n 9. Quia maior honestas a fæminis quam a viris exigitur.

Dubium est 2. an incurrantur numeratæ pœnæ, si matrimonium fuerit nullum? Respondeo cum Sanch.n.18 cui consentit Palaus n. 8. non incurri quando prius matrimonium fuit irritũ, vel utrunque. Si autem solum posterius fuit irritum, & fæmina ignara nupsit, non incurri in foro externo, imò nec in interno, quanvis scienter nupserit.

1827 Dubium est 3. an incurrantur, si matrimonium non sit consummatum? Respondeo cum citatis negativè, si priùs matrimonium consummatum non fuit, vel secundum intra annum luctus non consummetur. Ratio est, quia in odiosis & pœnalibus nomine nuptiarum, matrimonij, & mariti solum comprehenditur matrimonium consummatum, & vir qui consummavit.

Consummatio matrimonij ad pœnas.

Quod attinet ad posteriorem partem, quæstio inquirit an omnes pœnæ, quas numeravimus, statutæ contra fæminas secundo nubentes intra annum luctus, omninò correctæ sint jure canonico, itaut jam impunè ad secundas nuptias trãsire possit quocunque tempore? Negativam partem sequuntur varij, quorum alij censent cum Cyno l.1.fin.C. de secund. nupt & Baldo ibi n.7. solam pœnam infamiæ, correctam esse: alij cum Jacob. Curtio l.3. Conject.c.9.& Glos.6. decreto V. contrahere C. de secun. nupt. affirmant nullã pœnam esse correctam. Probant, quia nullum peccatum cõmittitur in illius legibus civilibus sic statuentibus: & lex canonica solum potest corrigere leges civiles quæ peccatum continent, aut fovent.

Pœnæ cõtra secũdo nubentes correctæ jure canonico.

Affirmandum tamen est cum sententia, quam ut verissimam defendit Sanch. l.7. matr.d.87.n.23 Gutierr. de matr.c.108.n.3. Palao cit. pun.13. § 2. n. 10.& Gregor. Lop.l g 3 verbo fasta un anno tit.11 par. 1 cap 4 Constat ex c fin de secun. nupt. ubi quanvis textus solius infamiæ fecerit mentionem, in quo fundantur priores authores contrariæ sententiæ at ratio quam subdit textus, nempe quòd mulier utatur jure suo, & facultate ab Apostolo cõcessa, omnes pœnas amplectitur.

1828 Observabis tamen 1 cum Sanch. l. 7. d 87.n.29. non esse correctam jure Canonico, sed vigere adhuc etiam in Hispania decisionem Authent. relictum C. de indict. viduit. tollen. & Authen. de nupt § qua verò ubi decernitur legatum relictum alte-

Secundæ nuptiæ ad legata.

alterutri conjugi ab altero, vel a quocunque extraneo, sub ea conditione, (si ad secundas nuptias non transierit) minimè posse intra annum peti nisi spes nuptiarum deficiat: post annum veró posse peti præstita cautione de re cũ fructibus restituenda, si conditioni paritum non fuerit. Quia annus numerari debet a die mortis testatoris, & non a die scientiæ mortis.

Alimenta legata viduæ. Observabis 2. si vir legasset uxori alimenta, teneri hæredes ad ea præstanda, quanvis secundus vir dives esset. Observabis 3. casu quo hæredes tenentur viduam alere, teneri quoque ei præstare vestes lugubres: secùs, non nisi adsit cõsuetudo. Unde si eas tenebatur dare, cujuscunq; *Vestes lugubres.* valoris sint, remanebunt penes viduam, etiam transeuntem ad secundas nuptias: neque enim de hoc extat ulla juris correctio. Quid jure Lusitano circa prædicta in hac quæstione tenendũ sit, vide nostrum Promptuarium juris ad num. 1237.

QUÆSTIO III.

Quales jus civile statuat pœnas in favorem filiorum prioris matrimonij: & an sint abrogata jure canonico?

1819 Placuit *Castro Palao disp. 4. de sponsal. pun. 13. §. 3.* sequi methodum & doctrinam, quam tradit *Sanch. l. 7. matr. disp. 88.* in *Secundorum nuptiarum pœnæ.* numerandis & exponendis pœnis, quæ jure civili sunt inductæ contra secundas nuptias in favorem filiorum prioris matrimonij. Mihi etiam sequenti utrunque placet doctrinam utriusque diffusam paucis complecti.

1 Igitur pœna est, ut eo ipso quòd conjux transit ad secundas nuptias, amittat proprietatẽ omnium bonorum, quæ a conjuge defuncto consequutus est, & eam transferat ad filios prioris matrimonij, retento solo usufructu. *l. fœmina C. de secund. nupt.*

2 Pœna est, ut conjux transiens ad secundas nuptias sive sit fœmina, sive vir, non possit dare novo conjugi in dotẽ, vel alio titulo plusquam dederit sive in vita, sive causa mortis uni ex filijs prioris matrimonij, cui minus dedit. Quod si plus dederit, solo excessu irrito reliquũ manebit firmum. Habetur *l. hac edictali C. de secund. nupt.*

3 Pœna est, quòd mater ad secundas nuptias transiens ipso jure amittat filiorum tutelam. *Mater amittens tutelam.* *l. final. & Auth. sacram. de secun. nupt.* Hæc pœna nõ incurritur per sponsalia de futuro: secus per matrimonium irritum, sequuta copula, in pœnam delicti. Unde expectabit sententiam judicis. Quod procedit etiam de tutela testamentaria, quando scilicet mater relicta est in testamento viri tutrix filiorum, nisi vir in testamento contrarium *Mater tutrix filiorum.* jusserit, v. g. dicens relinquo meam uxorem tutricem filiorum, esto ad secunda vota transeat: quanvis *Palaus pun. 13 §. 3. n. 7.* oppositum judicet. Procedit similiter (addit *Sanch. n. 11.*) si mater sit curatrix filiorum.

Tutela patris secũdo nubentis. Rogabis, an pater secundo nubens perdat similiter filiorum tutelam? Differunt esse administratorem & tutorem: nam pater legitimus administrator totum commodum habet, & usumfructum, solaque proprietas est filij: & ideo non tenetur rationem reddere, nec cautionem præstare: nec bona ejus tacitè obligantur pro administratione. Quæ secus se habent, ubi pater esset tutor.

1830 His præmissis, ut satisfaciamus rogationi, constat patrem nubentem non amittere legitimam administrationem bonorum filij familias. Difficultas est, an perdat tutelam, si filij emancipati tutor sit? Respondeo negativè. Nam diversa ratio est in patre atque est in matre. Amor enim paternus majori judicio ac firmitate nititur.

4 Pœna est Si vidua filiorum tutrix & non minor, contra juramentum præstitum abstinẽdi a secundis nuptijs in tutelæ assumptione, ad illas transierit, ante quam judicem adeat, tutoremque filijs petat, & rationem reddat susceptæ tutelæ, & exolvat quidquid subditis rationibus debuerit, incurrit omnes pœnas, quæ mulieri secundò nubenti intra annum luctus sunt jure statutæ. Quod procedit etiam si non exigatur juramentum abstinendi a secundis nuptijs, sed sola simplex renunciatio. *Auth. de nupt. §. si autem tutelam. collat. 4.* *Tutela matris jurantis non nubere.*

5 Pœna est secundùm aliquos, ut si a viro exequutio testamenti relicta sit, id munus amittat. At nullo fundamento nititur 6. pœna est, ut vidua nubens educandi filios jure privetur, ob præsumptionem juris contra illam, quód suspecta sit. Quare in dubio, hac præsumptione stãdum est, & ab educatione excludetur. Tales tamen possunt esse circunstantiæ honestæ vitæ matris, ac vitrici, ut infirmetur præsumptio, & ab educatione mater non excludatur. *Educatio pupilli per matrem.*

Concurrentibus tamen paribus qualitatibus in matre secundò nupta, & alijs prætendentibus educationem pupilli, mater præferenda est. Quod procedit etiam si mater cum vitrico successura filio est, nisi ac sit suspicio insidiandi ejus vitæ. Pœna hæc in patre nubente locum non habet.

1831 7. Pœna est juxta aliquos, ut quãvis mater filio mentecapto, muto & surdo, ac prodigo, cui bonis interdictum est, qui testari nequeunt, possit exemplariter substituere *l. humanitat. 9. C. de impub. & alijs substit.* At si transeat ad secundas nuptias, ea potestate privetur. Quod probabile est, at oppositum probabilius apud *Sanch. cit. n. 24.* Cum talis pœna nullo jure exprimatur. *Substitutio exemplaris per matrem.*

Difficultas est, an posito quòd dicta pœna incurratur, substitutio exemplaris facta per matrẽ viduam, fiat irrita, ea postea ad secundas nuptias transeunte? Respondeo negativè. Quia hæc potestas substituendi denegatur huic matri ratione suspicionis, quæ cessat in substitutione facta ante transitum, ex quo suspicio consurgit. Ita *Sanch. n. 25.* Pater nubens potest absque dubio filijs exemplariter

pla[r]iter substituere,

8 Pœna est,ut juxta aliquos vidua nubens excludatur per tacitam substitutionem pupillarem. Pro cujus explicatione adverte substitutionem pupillarem expressam qua plane excluditur mater, dari quando pater hæredem substituit filio sub sua potestate constituto decedenti intra ætatem pupillarem: ut si dicat, si filius meus intra ætatem pupillarem decesserit, instituo hæredem illius Caium. At tacita pupillaris, quæ sub vulgari expressa continetur, non excludit matrem: ut si testator dicat, Instituo filium hæredē, & si ille hæres non fuerit, instituo Antonium: tunc esto filius post patrem moriatur in ætate pupillari, non excludetur mater, si eam habeat.

Mater nubens exclusa per substitutionem.

Pupillaris substitutio duplex.

Fallit tamen hoc, quando sunt sufficientes conjecturæ fuisse voluntatem testatoris, ut excludatur mater, si eam habeat. Ideo quæritur, an conjectura sufficiens sit, secundó nubere, ut excludatur? Respondeo negativé. Quia mater nullo jure per transitum ad secundas nuptias privatur jure succedēdi filio contra substitutum in tacita pupillari. Esset autem sufficiens conjectura, ut excludatur, si maritus relinquat legatū uxori sub conditione abstinendi a secundis nuptijs: quanvis oppositum probabile sit. Similiter si relinquat legatum uxori donec vitam vidualem servaverit.

1832 9 Pœna est. Quanvis vidua, dum in eo statu permanet, gaudeat privilegijs honoris mariti, eo quod censeatur adhuc sub præcedenti matrimonio esse. *l. ultim. C. de bonis mater.* ea amittit, ubi nubit viro inferioris conditionis. *l. mulieris C. de dignit. l.* 12. 10. pœna est. Quanvis filius dives nequeat alimenta denegare matri pauperi secundó nubenti si ea aliunde non suppetant: at non tenetur ei dotem constituere, nisi subsit incontinentiæ periculum, ut si mater juvenis & pulchra sit.

Viduarū privilegium.

11 Pœna est: nequit mater ad secundas nuptias transiens ratione ingratitudinis revocare donationem factam filijs prioris matrimonij. *l. his solis* 7. *C. de revocat. donat.* Quod non procedit de patre. 12. pœna juxta aliquos est, ut quanvis vidua habeat in bonis mariti prioris tacitam hypothecam pro dote sibi restituenda, jusque prælationis. *l. assiduis ff. qui potiores in pignore,* per secūdas nuptias hoc privilegium cesset. Oppositum tamen tenendum est, ut docet *Sanch. n.* 34.

Secundarum nuptiarum pœnæ & contractis.

13 Pœna est: Pater rogatus ab avo restituere hæreditatem filij, tenetur satisdare de ea restituenda, si secundam uxorem ducat. *l. Jubemus §. in supradictis C. de Trebel.* 14. pœna est: Quanvis mater bona filij administrans non teneatur de modicis reddere rationem. l. quanvis ff. de cond. & demonst. at si secundò nubat, tenetur: etiam si a viro rel[i]cta sit tutrix filiorum, & a reddendis rationibus relevetur. Denique illud observa valere contractum juramento firmatum, quo se obligant conjuges sub certa pœna ad abstinendum a nuptijs posterioribus, dissolutis primis.

Circa prædicta omnia quæritur, an pœnæ secundis nuptijs post annum initis, in favorem filiorum prioris matrim onij statutæ, sint correctæ jure Canonico? Affirmant aliqui graves authores quorum meminere *Sanch. cit. l. 7. d. 88. & Palaus cit. n.* 13. Negandum tamen est cum ipsiem, *Covar. in 3. decret. 2. p. c. 3. n. 9. Gutierr. l. 2. pract. quæst. 95. n. & Matien. l. 5. recop. tit. 1. leg. 3. gl. ß. 2. n. 1.* Quia pœnæ post annum luctus statutæ non sunt veré pœnæ, sed filiorum provisio, ad quam statuendam jus civile justissima ratione ductum est. Unde nec prima, nec secunda, nec tertia, nec sexta, nec nona, nec decima, nec decima tertia, nec decima quarta corriguntur.

Pœnarum correctio per jus canonicū.

QUÆSTIO IV.

Qualiter parens secundò nubens teneatur filijs prioris matrimonij reservare bona quæ processerunt ab ipso matrimonio?

1833 Ante decisionem quæstionis dividendę in duas partes, notandū est 1. procedere non solum de matre, sed etiam de patre ad secundas nuptias transeuntibus. Notandum est 2. quanvis leges citandæ loquantur de conjuge transeunte ad secundas nuptias post annum luctus, a fortiori esse intelligendas de trāseunte intra annum luctus.

Filij prioris matrimonij.

Prior igitur quæstionis pars inquirit, quænā postulentur conditiones, ut conjux ad secundas nuptias transiens teneatur reservare bona filijs prioris matrimonij? In quæstionis hujus decisione complectar quidquid fusé resolvit *Sanch. l. 7. disp.* 89. Constat ex *l. fœmina in prin. C. de secundis nupt.* uxorem aliquid quocunque titulo lucrativo a marito accipientem sive ex donatione inter vivos, sive ex ultima voluntate, si transeat ad secundas nuptias, teneri id totum integré reservare filijs prioris matrimonij. Ad quod nulla exigitur judicis sententia.

Ea autem lucra esse inter filios prioris matrimonij æqué dividenda, nec integrum esse parēti aliquem illorum etiam in modica quantitate præferre, constat ex *Auth. luctum C. de secūd. nupt.* Quod intelligitur, quando conjux secundo cōjugatus habuit immediatè ea bona a conjuge defuncto: si enim ex successione habuit illa bona in quibus filius parenti defuncto successerat, potest conjux superstes ea dividire inter filios reliquos prioris matrimonij, & ex eis quemlibet præferre.

Bona filiorum prioris matrimonij.

Quatuor tamen desiderantur conditiones ut huic reservationi detur locus. 1. est ut mater ad secundas nuptias transeat. Secunda, ut bona sint acquisita ex conjugis defuncti patrimonio. Tertia, ut sint acquisita titulo lucrativo. Quarta ut supersint filij ex priori matrimonio. Singulas expediemus.

1834 Circa primam dubitatur 1. an attento jure communi & Castellæ, ea conditio habeat locum etiam in patre transeunte ad secundas nuptias, itaut amittat proprietatem bonorū, quæ titulo lucrativo ab uxore habuit, teneaturque

Pater transiens ad secundas nuptias.

que reservare æqualiter filij prioris matrimonij? Respondeo affirmativé. Constat ex *l. generaliter C. de secun. nupt & author. de nupt. collat.* 4. § *si vero expectet. Et l.* 15. *l auri, hodie l.* 4. *tit.* 1. *l.* 5 Non tamé tenetur ulumfructum, quem in bonis maternis filiorum lege acquisivit, reservare filijs prioris matrimonij. Illo enim fruitur ex legis dispositione ratione patriæ potestatis, quæ per secundas nuptias non extinguitur.

Avus transiens ad secundas nuptias. Dubitatur 2. an dicta præcedant de avis, proavis, & alijs ascendentibus migrantibus ad secūdas nuptias? Respondeo affirmativé. Constat ex *l. fæmmæ §. illud C. de secund. nupt.* Hoc autem intelligitur quoad bona quæ pervenere ad aviam ex substantia avi sui conjugis: & é contra ad avum ex substantia aviæ. Reservatio explicata locum habet quando matrimonium secundum cōsummatum est, & quando ex primo filij sunt legitimi. Quando autem secundū est irritum, si ignoranter consummetur, non erit locus reservationi: si scienter, judicis sententia stabitur.

Ex secunda conditione, scilicet ut bona sint comparata ex prioris conjugis defuncti patrimonio, infertur 1. si vir legatum aliquod relinquat uxori, aut uxor viro, teneri utrumvis ad secundas nuptias transeuntem id reservare filijs prioris matrimonij. Infertur 2. quando pater in suo testamento, & in suis bonis substituit pupillariter matrem filio impuberi, si ea bona mater per mortem filij consequatur, teneri reservare filijs prioris matrimonij. Quia pupillare testamentum non est proprie filij, sed patris.

Secunda nuptia ad succedendum in bonis. 1815 Infertur 3. quando ex testamento, vel donatione conjugis defuncti, non tamen ex bonis ipsius, comparet aliquid alter conjux, id minimé reservandum esse filijs prioris matrimonij. Casus erit, si quis committat viro facultatem nomine suo testandi vel ex bonis suis distribuēdi certam quantitatem: & vir leget, vel distribuat uxori, consequetur pleno jure uxor, quanvis secundò nubat.

Reservatio bonorū pro filijs. Infertur 4. ea bona quæ data fuere uxori cōtemplatione conjugis defuncti, ita tamen ut proprietas acquireretur uxori, non esse reservanda filijs prioris matrimonij. Infertur 5. conjugē succedentem abintestato filio prioris matrimonij in bonis quæ talis filius ex parentis substantia habuit, teneri secundo nubendo reservare filijs prioris matrimonij, & amittere eorum proprietatem, retento usufructu. Quod procedit etiam in legitima debita parenti superstiti, ex illis bonis paternis in quibus filio abintestato successit.

Infertur 6. quando vir & uxor dotem constituunt filiæ communi ex bonis communibus, hac filia mortua absque descēdentibus, altero parente jam defuncto, parentem superstitem qui secundó nupsit, teneri reservare filijs prioris matrimonij solam partem dotis a conjuge defuncto habitam.

Infertur 7. quando conjux secundo nubens amisit proprietatem in bonis paternis filiorum prioris matrimonij, succedere in proprietate filio obeunti, qui habebat talem proprietatem ex hæreditate alterius fratris præmortui. Infertur 8. patrem, succedentem filio in substantia avita, si secundo nubat, nec amittere proprietatem, nec teneri reservare filijs prioris matrimonij. Quod procedit a fortiori in bonis, quæ filio provenerūt ab extraneo.

1816 Ex tertia conditione, nempe ut bona sint a conjugis defuncti substantia superstiti acquisita titulo lucrativo, infertur 1. comparata titulo oneroso, ut ex contractu, non amitti per secundas nuptias. An veró arrhæ, donatio remuneratoria, & sponsalitia largitas censeantur acquiri titulo oneroso, jam alibi diximus, & laté resolvit *Sanch. l.* 6. *disp.* 41. Imo in ijs, quæ filius habuit a parente defuncto ex titulo oneroso succedit cōjux superstes pleno jure: nec tenetur reservare. *Lucrativus titulus & onerosus.*

Infertur 2. medietatem lucrorum communiū utrisque conjugibus, non teneri superstitem secūdó nubentem reservare filijs prioris matrimonij. Est enim parta labore & industria. Infertur 3. ea bona quæ conjux superstes lucratur ex patrimonio defuncti, ita disponente aliqua lege, vel consuetudine, per secundas nuptias reservari filijs prioris matrimonij, quanvis oppositum sit valde probabile. Non tamen reservabitur quod conjux acquirat ex pacto mutuo inter ipsos inito, ut superstes altero defuncto lucretur certam bonorum partem. Secus de quarta parte debita superstiti paupertate laboranti. *authen. præter C. unde vir.* *Lucrorū medietas inter cōjuges.*

Circa ultimam conditionem, nempe, ut supersint filij ex priori matrimonio: constat ex *l. fæmina in princ. C. de secun. nupt.* conjugem secundò nubentem non amittere bona sibi relicta a conjuge defuncto, si ex eo matrimonio suscepti absque prole obierunt, succedat in bonis a conjuge defuncto profectis, ac sibi acquisitis, ita ut proprietas consolidetur cum usufructu? Respondeo affirmativé. Quia filijs mortuis cessat eorū favor, qui potissima hujus reservationis causa est. *Conjux succedens in bonis alterius.*

Illud certum est, deficientibus liberis, minimé remitti eas pœnas, quæ non statuuntur in liberorum favorem. Si parens qui secundò nupsit, & ob id in bonis, quæ ex substantia alterius conjugis habuit, solum usumfructum retinet, moriatur fructibus nondum perceptis, ij fructus spectabunt ad filios prioris matrimonij, quorū proprietas erat.

1817 Posterior quæstionis pars petit quibus in casibus conjux secundò nubens eximatur ab obligatione prædictæ reservationis? Primus casus est, si filius decedens instituat parentem hæredem bonorum, quæ a parente defuncto comparaverat. Tunc enim cessat obligatio reservationis, & potest conjux superstes de illis bonis disponere, sicut de proprijs. Quod procedit etiam si filius ea bona parenti relinquat per modum legati, vel fideicommissi, sive codicillo, sive donatione inter vivos; idque vel ante, vel post secū- *Reservationis bonorum de obligatio.*

das

das nuptias parentis.

Secundus casus est, quando filij prioris matrimonij præbuere consensum secundis nuptijs parentis. Tunc enim non tenetur reservare, nisi illis tantum qui non assensere. Ex filiorū taciturnitate, & amore in vitricū, & novercā nō arguetur tacitus consensus sufficiens. Decendentibus filijs, satis esset nepotū cōsensus, dūmodo puberes (quod de filijs etiam procedebat) & certiores facti consentiant. Non requiritur autē in cōsentientibus scientia juris reservationis. Quia sine illa cessat causa reservationis, nēpe injuria filijs irrogata per secundas nuptias.

Filiorum consensus in secundas nuptias parētum.

Tertius casus est, si conjux defunctus consensum præstiterit, ut superstes ad secundas nuptias transeat. Tunc enim hic vitabit pœnas, & non tenebitur ad reservationem bonorum filijs prioris matrimonij. Quod procedit etiā respectu viduæ intra annum luctus nubentis. Dictus consensus debet esse expressus, vel ex talibus conjecturis, ut de eo minime dubitetur. Unde plenè ac sine obligatione reservationis accipiet legatū si illud reliquit defunctus casu quo superstes trāseat ad secundas nuptias. Non erit autem sufficiens conjectura consensus in secundas nuptias, si relinquat legatū cum ampla facultate disponendi in vita & in morte. Ne detur obligatio illius reservationis, sufficit consensus conjugis sine cōsensu filiorum, vel è contra.

1838 Quartus casus qui a nonnullis assignatur, est quando fœmina secundo nubens est minor. Hic tamen nullo jure fundatur. Quintus casus est, si filius moriatur post ætatem pupillarē. Sed non admittitur. Sextus casus est, si conjux ille superstes de licentia Principis nubat. Tunc enim a bonorum reservatione eximitur *l. solet 10. de ff de his qui*. Quid circa prædicta in hac quæstione jure Lusitano tenendum sit, vide nostrum *Promptuar. juris a n. 1238.*

QUÆSTIO V.

An contrahat pœnas impositas secundo nubentibus vidua quæ committit fornicationem?

PRo decisione quæstionis notandū est 1. duplex discrimen, alterū inter pœnas statutas secundo nubentibus, & pœnas impositas nubentibus intra annum luctus: alterum inter viduam simpliciter fornicantem, & viduam luxuriosé viventem. Illa enim absolute denominatur fornicans per unicum actū, hæc vivens luxuriosé per fornicationem multiplicem.

Pœnæ viduarum fornicātium.

Notandū est 2. quæ dixerimus supra n. 1797 pœnas statutas fœminis secundo nubentibus intra luctus annum esse jure canonico correctas, oppositum esse dicendū, quatenus cōprehendūt viduā fornicantem. Quia jus canonicū *c. fin. de secund. nupt.* solū intendit favere libertati matrimonij [illegible] Foret enim rationi dissonum, ut faveret viduis delinquentibus.

Dubium est 1. quas pœnas ex statutis contra secūdo nubentes vidua fornicans incurrat? Constat incurrere omnes statutas viduis nubentibus intra annum luctus, quas omnes retulimus a n. 1795. proindeque hujusmodi viduam amittere donationē antenuptiale, & quidquid ex virorū liberalitate cōsecuta est, ut si ei aliquid legaverat. *Auth. de rest. & ea quæ parit. §. fin.* Quod bene limitatur a *Sanch. l. 7. disp. 90. n. 3.* nisi intra annū luctus nubat, & postea fornicetur. Tūc enim non incurrit dictas pœnas: quia non censetur esse in priori matrimonio.

Vidua fornicās.

1839 Difficultas est an subeat dictas pœnas vidua, si post annum luctus fornicetur? Respondeo negative cum *Sanch. cit. n. 5. & Palao de sponsf. disp. 4. pun. 13. §. 6. n. 2.* Quia textus *in §. fin. authen. de restit.* expresse loquitur de fornicantibus intra annum luctus. Deinde fornicatio intra annum luctus gravius offendit virum quam si extra talem annum committatur.

Illud est indubitatum apud *Sanch. n. 7. Palaum n. 3. Gutierr. c. 110. n. 2. & Aviles in proœm. c. prætor glos. 1. n. 36.* viduam fornicantem sive intra annum luctus, sive post illum, incurrere pœnas statutas secundo nubentibus, ne plus luxuriæ quam castitati tribuatur.

Vidua luxuriosé vivens.

Dubium est 2. an & qualiter puniatur vidua luxuriosé vivens? Nota quod supra exposuimus discrimen inter fornicantem, & luxuriosé viventem. Quia ut censeatur quis luxuriosé vivere non satis est fornicari semel, vel iterum, sed requiritur, ut huic vitio deditus sit. Respōdeo igitur cum *Matien. lib. 5. recopil. tit. 9. leg. 5. gloss. 8. n. 7. Azebedo leg. 4. tit. 1 lib. 5. n. 12 & Petro Barb. lege 2. part. 1 in princ. num. 69 solut. matr.* in Castella viduam luxuriosé viventem sive intra annum luctus, sive post illum, amittere lucra quæ constante matrimonio acquisivit, teneríque ea hæredibus mariti restituere. Habetur expresse *l. regul. 5. fine tit. 9. lib. 5. recopil.*

Qualiter autem in Lusitania amittat lucra vel etiam dotem vidua stuprum commitens, aut vivens luxuriose, vide apud *Rebel. de just. parte 2. lib. 6. q. 6. se. 1. & Fragosum de regim. par. 3. lib. 3. disp. 6. §. 6. a n. 73.*

Observabis 1. cum *Gutierr. lib. 2. pract. q. 121. n. 6. & Sanch. cit. num. 6.* viduam fornicantem etiam intra annum luctus nequaquam dotem amittere, quia hujusmodi privatio nullibi habetur. Observabis 2. cum eodem *Sanch. n. 12.* si maritus uxori leget usumfructum omnium bonorum, donec castam, honestam, & vidualem vitam servarit: & casu quo voluerit ad secundas nuptias transire, leget ei centum: si vitam turpem ducat, eam perdere usumfructum: at si post vitam illam turpem nubat, non perdere centum illa legata.

Dotis amissio.

1840 Dubium est 3. an pœna afficiens viduam luxuriose viventem, afficiat similiter virum, si hic turpem vitam agat? Negant *Gutierr. citat. cap. 110. num. 13. & Pinel. in l. ult.*

Luxuriosé vivens vidua & vir.

auth. n. 19. C. de bonis matern. Probant, quia militat diversa ratio in fœmina atque in viro, illa enim ob levitatem & imprudentiam redditur magis suspecta quàm vir filijs prioris matrimonij.

Hæc opinio probabilis est, tamen probabilior affirmativa, quam cum *Tello leg. Tauri. n. 15 Cifuentes leg. 15. Tauri* ad finē, & alijs defendit *Palaus de spons. disp. 4 p. 13. §. 6. n. 9.* Probatur, quia reservatio illa bonorum fuit decreta a jure in satisfactionem injuriæ, quæ infertur per secundas nuptias tum conjugi defuncto, tum ipsius filijs: gravior autem fit fornicatione, sive a fœmina, sive a viro committatur.

Ex his deducitur cum *Sanch. disp. 90. n. 15. & Gutierr. de tutelis 1. p. c. 9. n. 19.* viduam fornicantē sive post, filiorum tutelam, & educationem perdere. Cum enim per secundas nuptias tutela ipso jure privetur, educatione veró ad judicis arbitrium, sequitur fornicatione privandam esse, ne plus luxuria comparat quam castitas.

Dubium est 4. an hujusmodi pœnæ locum habeant in foro interno ante ullam sententiam judicis? Affirmativam partem innuunt *Corneus l. fidei commiss. n. 3. Cod. de fideicom.* & *ibi Padilla n. 12. Surdus de aliment. tit. 7. q. 24. n. 2. & præposit. cap. tanta quæst. 9. n. 16.* Probant quia vidua sic delinquens efficitur ijsdem pœnis, quibus jure civili afficienda erat, si nuberet: at si nubat intra annum luctus, amittit ipso jure omnia legata a priori viro; ergo a fortiori id erit, si fornicetur.

Sententia criminis declarata *toria.* Negandum tamen est cum *Sanch. lib. 7. disp. 90. n. 11.* quem sequuntur *Gutierr. cap. 11. de matr. n. 7. & Palaus d. 4. de spons. pun. 13. §. 6. n. 6.* Quia licèt vidua delinquens ipso jure privetur bonis quæ a viro acceperat, aut matrimonio constante acquisierat, tamen cum ea privatio decernatur in pœnam criminis, semper exigitur sententia criminis declaratoria.

1841 Ex dictis infertur, quanvis vidua accusata de fornicatione in foro externo privetur filiorum tutela, tamen & si luxuriosé vivat, non teneri in foro conscientiæ ab illa abstinere, ante judicis privantis sententiam. Quia *Authen. matri & aviæ C. quando mulier tutelæ officio.* solum petitur a matre tutrice ut renunciet secundis nuptijs, & Velleiano.

QUÆSTIO VI.

An jure Canonico sint correctæ pœnæ quæ imponuntur a testatore secundis nupţijs: & in conjuge fornicante locum habeant?

Legata pro non nubentibus. PAucis exponemus ac decidemus quæ in hac quæstione fusé tradunt authores præsertim *Sanch. lib. 7. matr. disp. 91. & Palaus cit. pun. 13. §. 7.* separando certa ab incertis, ac dubijs. Certum est 1. pœnas a testatoribus impositas secundò nubentibus non esse correctas jure canonico. Quia jus canonicum *capit. fin. de secund. nuptijs* non corrigit pœnas testamentarias, sed solum legales.

Certum est 2. quanvis regulare sit pœnam minime obligare ante judicis sententiam, id tamen fallere in pœna a testatore adjecta. Non enim est rigorosè pœna, sed conditio sub qua, & non alias testator legare voluit. Unde (inquit *Sanchez num. 5.*) conjux, cui usufructus, vel aliud quid legatur ea lege ut casté vivat, tenetur in conscientia restituere usumfructum & legatum defuncti hæredibus, nulla expectata judicis sententia, si castitatem etiam occultè violet. Quidquid in oppositum teneat *Palaus citato num. 2.*

Certum est 3. conditionem excludentem nuptias rejici quidem, quando is cui imponitur, nunquam matrimonium iniit, aut initum non consummavit: secùs quando semel iniit & consummavit. Quod procedit in utroque foro. Certum est 4. non deperdi legatum per transitum ad secundas nuptias, quando absolute, seu absque ulla conditione a conjuge conjugi relictum est.

Certum est 5 quando alicui relinquitur legatum sub conditione distributiva, ut si aliquid legetur quandiu, vel quousque, vel donec vidua fuerit, vel castitatem servaverit, fracta conditione, non teneri restituere omnes fructus ab initio perceptos, at eos tantum quos percepit postquam conditioni contravenit.

Certum est 6. quoties aliquis instituitur hæres, vel legatarius sub conditione negativa, ut si non secundò nupserit, posse accipere hæreditatem vel legatum, ita tamen ut præstet cautionem ea restituendi cum fructibus ab initio perceptis, si conditioni contravenerit. Legatum verò tradendum est post annum a morte testatoris computandum, nisi forte antea spes nuptiarum deficiat.

1842 Dubium est 1. an conjugi legatum relictum, sub hac conditione, si caste & honeste vixerit, per transitu ad secundas nuptias amittitur? Negant *Castillo in l. 15 Tauri num. 1. Menchaca de success. lib 3. §. 27 cap. 45. Ludovicus Lopez lib. 2. de contract. cap. 45. & Molina tom. 1 tr 2 disp 2 7 n* si forte de testatoris voluntate aliud appareat. Probant quia nuptiæ etiam secundò et tertiò repetitæ neque castitati neque honestati opponuntur, ut habetur in *cap Nuptiæ 31. q. 1. & l. mulier 3. cum pro. ante eum ff. ad senat. consul. Trebel.* *Legatum ... amitti ...*

Distinguendum tamen est communi sententia, quam tenent *Mantica de conject. ult. volunt. lib. 11. tit. 19. num. 31. Covarr 4. decret. 2. part. cap. 3. §. 9 num. ult Sanch. lib. 7. disp 91. n. 16. & illatabos in commun opinion. 1 ... 12.* asserentes tale legatum deperdi, si a viro uxori relinquatur: secus si ab alio tali viro non conjuncto. Prior pars ostenditur, quia ex verbis dicta pēsanda sunt *l. ... Cod. ...* at mens viri intelligi de castitate ... quæ

quæ nempe sit abstinentia etiam a nuptiali cōcubitu, hic enim etiam priorem virum offendit. Posterior suadetur, quia secundæ nuptiæ in se castæ & honestæ sunt.

Extenditur prior pars, ut intelligatur etiam si conditio illa apponatur a filijs matri suæ, vel a filijs, consanguineis, aut amicissimis viri præmortui: similiter si ea conditio apponatur viro ab uxore, vel hujus filijs, consanguineis, vel amicissimis. Quæ tamen temperantur, ut non procedant quando prius matrimonium minimè consummatum fuerit.

Nuptiæ indecentes ad legatum. Item posterior pars extenditur ad quascunque nuptias, tertias & ulteriores. Limitatur tamen nisi repugnent ætati, ut prudenter reputentur inhonestæ, vel nisi fæmina juraſſet, aut vovisset ab illis abstinere: vel nisi cederent in dedecus relinquentis legatum.

1843 Dubium est 2. an legatum relictum alicui, sub conditione castè & honestè vivendi deperdatur per unicam fornicationem? Negat *Azebedus in leg 4. tit. 1. n. 19. lib. 5. novæ collect.* Probat, quia castè & honestè vivere opponitur luxuriosè vivere: at per unicum actum fornicationis nemo censetur vivere luxuriosè. Affirmant absolutè *Henriq. l. 13. de excomm. c. 56. n. 2. in commen. lit. V. Sylvest. V. legatum 1 q. 5 n. 9. &* multi alij, quos citat & sequitur *Palaus disp. 4. sponſ. pun. 13. §. 7.* addens debere publicè constare de illa fornicatione. Probant, quia unica fornicatione denominatur quis turpis & fornicator, sicut unico adulterio adulter. *Legatum castè vivendi.*

Distinguendum tamen est cum *Sanch. l. 7 d. 91 n. 33.* si id legatum relinquatur a marito, vel ejus filijs, aut filijs ipsius uxoris, aut alterius conjugis consanguineis, vel amicissimis, qui dehonorentur per viduæ fornicationem, sufficiet unica: secùs si ab extraneo relinquatur. Ratio est, quia mens priorum intelligitur de omnimoda castitate: mens posterioris de habituali, quæ per varios actus deperditur.

Honestas fæminæ ad legatū. Infertur 1. cum eodem *Sanch. citato n. 34.* Uxore aut ejus consanguineis legantibus viro sub conditione castè & honestè vivendi non amitti legatum per unicam fornicationem, sed quando tot committit, ut ejus vita jure impudica & inhonesta dici possit. Infertur 2. legatum illud semel amissum non recuperari per vitæ emendam. Infertur 3. legatum relictum ut distribuatur quotannis in fæminas honestas, seu honestæ vitæ, non explicando ut sint virgines posse distribui fæminæ, & si consanguineæ, quę semel vel iterum fornicata est.

Tactus pudici ad legatum perdendū. Dubium est 3. an legatum relictum sub conditione castè & honestè vivendi deperdat fæmina per amplexus, aut tactus impudicos virorū? Affirmant *Covarr. 4. decr. 2. p. c. 7. §. 6. n. 3. Menoch. de præsum l. 5. præs. 41. n. 38 & Mantica de conject. ult. vol. l. 11. tit. 19. n. 34.* Probant quia illa ita castitati advertantur, ut fæminam denominent inhonestam. Negat *Navarr. sum. c. 23 n. 62.* Probat, quia tactus illi non plenè & perfectè, sed solum imperfectè & inchoativè opponuntur castitati.

1844 Distinguendum tamen est cum *Sanch. cit. n. 40* asserente hujusmodi legatum, quando non constat de mente legantis, absolutè non deperdi per unicum, vel alium tactum impudicū, quia cum hoc stare potest denominatio vitæ honestæ: secùs quando toties repetuntur illi tactus, ut vitam fæminæ meritò impudicam denominent.

Dubium est 4. an legatum relictum sub conditione non transeundi ad secundas nuptias, deperdatur per fornicationem, per matrimonium irritum, aut non consummatum? Ut cum *Sanch. l. 7. d. 92. a. n. 42. & Palao de sponſ. disp. 4 pun. 13. §. 7. a n. 21.* dubium solvam, Dico 1. Non deperditur per fornicationem, quanvis a marito relinquatur. Ratio est, quia sub prohibitione secundarum nuptiarum fornicatio non continetur. Dico 2. non deperditur per nuptias secundas irritas, in conscientia, donec judicis sententia privans eccedat. Ratio est, quia nuptiæ irritæ in rigore nuptiæ non sunt. *Legatum contra secundas nuptias.*

Dico 3. non deperditur per secundum matrimonium non consummatum. Ratio est, quia (ut resolvimus q. 3.) per matrimōnium non consūmatum pænæ nequaquam incurruntur. Legatum relictum fæminę quandiu vidualem vitam duxerit, non amittetur, fæmina religionem intrante. *Vidualis vita ad legatum.*

Dubium est 5. an legatum a conjuge relictū conjugi, quandiu cum filijs legantis habitaverit, amittatur per secundas nuptias? Negant & quidem probabiliter, *Lara l. si quis a liberis § si quis ex his n. 196. ff. de liber agnosc. Pinel. in l. cum tale in princ. ff. de condit. & demonst. & Palaus cit pun. 13. §. 7. n. 27.* Probant, quia conjux transiens ad secundas nuptias, sive vir, sive fæmina, adhuc servat conditionem habitandi cum filijs prioris conjugis: imo si vir, non amittit filiorum tutelam, nec educationem, si fæmina, quanvis amittat, at non ita educationem.

1845 Affirmandum tamen est cum *Matien. lib. 5. recopil. tit. 1. lege 3. gloſ 2. n. 18. Gomez Arias l. 13. Tauri n. Guillielmo Benedicto cap. Raynuntius n. 170. & Sanch. lib. 7. disp. 91. n. 48.* Ratio est, quia tunc filij habent justam causam divertendi a matris habitatione: atque adeo mater jam rectæ illorum filiorum educationi præesse nequit. Hoc procedit etiam de legato relicto a viro uxori, dum steterit in domo ipsius viri: intelligitur enim in vita viduali. Post mortem filiorum, quorum contemplatione legatum relictum est, vidua nubens illud non amittet. Legatum relictum alicui si famuletur uxori testatoris, hoc est postquam illi famuletur, ea transeunte ad secundas nuptias debetur. Quia iam desijt esse sub priori matrimonio, sub quo censebatur esse vidua. *l ult. C. de bonis mater.* *Legatum habitationis.*

Dubium est 6. an si vir condens testamentum leget uxori, & ea defuncta aliam ducat, *Uxoris legatum.*

huic posteriori debeatur legatum? Constat non deberi, quando proprio nomine expresso legavit primæ. Difficultas est, quando sub nomine appellativo legavit: ut lego uxori meæ. Apud *Manticam de conject. ult. vol. l. 8. tit. 15. n. 1.* alij affirmant, alij negant. Probabilius est id in quo *Palaus c. 1. pun. 13. §. 7. n. 31.* consentit cum *Sanch. l. 7. d. 91. n. 59.* nempe, si testator conjugatus erat tempore testamenti, intelligi id legatum de sola uxore præsenti: si non conjugatus deberi cuicunque uxori, quam tempore mortis testator habeat.

Dubium est 7. quibus conferri possit legatum fæminis maritandis relictum? Sub hoc dubio latet duplex difficultas: prior inquirit, an hoc legatum possit conferri fæminis jam maritatis, sed pauperibus? Merito negant *Gutierr. c. 111. n. 10. Perez l. 5. ordin. tit. 2. lel. & Sanchez cit. n. 62.* Quia in fæminis jam maritatis cessat ratio ob quam testator illud reliquit pro maritandis. Si veró illud legatum, relinqueretur certæ, ac designatæ personæ maritandę, & hæc viro testatore nupserit, recté docent *Zevallos in suis qq. pract. q. 138. a n. 6.* & multis relatis *Sanch. n. 65.* posse illi legatum cóferri, sive illa testatore ignorante, sive sciére nupserit. Quia implementum conditionis, non extinguit, sed potiùs firmat legatum. Quidquid in oppositum dicat *Mantica de conject. ultim. vol. l. 12. tit. 1. n. 13.*

Legatum pro fæminis maritandis.

1846 Posterior difficultas petit, an prædictum legatum possit conferri fæminis secundò nubentibus? Affirmant *Sylvest. v. legatum 1. q. 5. n. 9 Decius rub. Cod. de secundis nuptijs n. 3. & Ripa ibid. n. 4.* Quia supponitur testatore nó distinxisse inter primas & secundas nuptias. Negandum tamen est cum *Mantica de conject. ultim. volun. l. 8. tit. 5. n. 21. Gutierr de matrim. c. 111. n. 7.* & alijs quos citat & sequitur *Sanch. cit. n. 55.* docens solis fæminis primo nubentibus esse conferendum. Sumitur ex *l. boves §. hoc sermone ff. de verb. signif.* ubi sic habetur: Hoc sermone dum nupta erit, primæ nuptiæ significantur.

Secunda nuptiæ ad legatum.

Hanc doctrinam sic generaliter traditam bené authores proximé citati Temperát 1. ne procedat in vidua, quæ non consummavit prius matrimonium: quia respectu hujus, secundæ nuptiæ censeri debent primæ. Temperat 2. ne procedat in vidua, cujus prius matrimonium irritum fuit, quia talis perinde se habet ac si nó nuberet. Deinde quia nullum præstat impedimétum, quod de jure nullum sortitur effectum. Temperat 3. casu quo relinqueretur fæminis indeterminatis, & nullæ essent ætáte nubiles: tunc enim viduis distribuendum est. Dixi indeterminatis. Quia si determinetur alicui certæ fæmina, etiam teneræ ætatis, hujus maturitas expectanda est.

SECTIO VI.
De impedimento impotentiæ.

QVÆSTIO I.
Quid, & quotuplex sit impotentia: & quanam matrimonium dirimat?

ALtera quæstionis pars inquirit impotentię quidditatem & multiplicitatem: altera impedimentum ab illa præstitum. Quod attinet ad priorem, impotentia a *Sanch. l. 7. disp. 92. n. 1.* sic definitur: *Est vitium naturale aut accidentale impediens coitum.* Unde impotentes dicuntur, qui non possunt habere talem coitum ex quo fiat una caro: ad quod omninó requiritur, ut vir intra vas muliebre semen immittat.

Impotentia quid sit.

1847 Ut ejus multiplicitas innotescat, notandum est impotentiam consurgere tum ex causa intrinseca naturali, ut ex frigiditate viri, & arctitudine fæminæ: tum ex causa extrinseca accidentali, ut ex maleficio, quod utrique sexui cómune est, aut castratione viris peculiari. Rursus impotentia alia est perpetua, alia temporalis: deinde quædam ad copulam, quædam ad generationem, quæ vocatur sterilitas. Perpetua vel est absoluta respectu omnium, vel respectiva comparatione hujus, vel alterius similis.

Impotentia multiplex.

Sed pro maiori intelligentia hujus multiplicitatis, ac pręsertim impotentię perpetuæ & absolutæ, rogabis 1. quid sit, & unde desumenda est impotentia perpetua? Bené ex *c. fraternitatis, de frigid. & malefic.* consentiunt authores illam esse impotentiam perpetuam, quę absque peccato, vel corporali periculo tolli non potest per opus humanum. Priorem partem de peccato, recté probant *Layman l. 5. sum. tr. 10. p. 4. c. 11. n. 1. & Fellan. disp. 31. dub. 7. n. 76.* quia cum peccatum jure facere non possimus, manet impossibilis talis impedimento remotio. Circa posteriorem partẽ de corporali periculo est dissidium. Nam *Joannes Andreas citato c. n. 16. Cardin. n. 5. & Praepos. n. 18.* arbitrantur non censeri perpetuam illam impotentiam, quæ cum mortis periculo tollitur, superstite persona. Oppositum rectiùs tenent multis relatis *Sanch. l. 7. d. 93. n. 18. & Gutierr. de matr. c. 112. n. 28.* docentes esse perpetuam illam impotentiam quæ absque corporali morte, vel ipsius gravi periculo vinci nequit. Item si detur periculum gravis morbi, qui mortis periculum inducat.

Perpetua impotentia quæ.

Ex quo infertur cum citatis si medicorum judicio possit removeri impedimentum absque gravi periculo vitæ per opus humanum licitum quamvis impeditus curationé renuat, imo nec teneatur pati, impedimentum non censeri perpetuum. Quid si medici dubitent an grave mortis periculum subsit? Subesse censebitur, ut citati docent.

1848 Rogabis 2. an sit perpetua impotentia, si fæmina sciat se non posse concipere abs; manifesto periculo vitæ suæ, vel prolis? Affirmat, & quidem probabiliter cum nonnullis relatis Hen-

Fæmina concipiens cum periculo.

Hen iq l.12.de matr.c.7.n.8. Probat, quia stante eo periculo manet copula impossibilis fœminæ, cũ absque peccato illi vacare non possit. Negandũ tamen est cum Sanches l.7.disp.92.n.28. Gutierr.c.112.n.17.& Bellarmino disp.31.dub.7.n.80. Suadetur, quia ad valorem matrimonij sufficit potentia ad copulam perfectam, ex qua proles gigni possit: illa autem talis est, quanvis per accidens cum dicto periculo conjuncta. Accedit posse cessare periculum superveniente sterilitate, quam senectus afferre solet.

Scissurã patiens fœmina. Rogabis 3. an teneatur scissuram pati fœmina jam nupta, cujus arctitudini possunt medici succurrere absque vitæ periculo, & reddere aptam viro? Prænotandum est 1. discrimen, quod datur inter fœminam, quæ præ cæteris arcta est, & illam, quæ nullam præ cæteris habens arctitudinem, a viro cognosci nequit. Prænotandum est 2. fœminæ licitum esse pati scissuram pro habenda conjugali copula, quando absque corporali periculo sustinere potest.

An verò teneatur? Dico 1. Fœmina quæ non habet specialem arctitudinem non tenetur pati scissuram, etiam si absque incommodo possit sustinere. Ita contra San.h.l.7.d.93.n.32. & 34. cesẽdunt Petrus Ledesma de matr q 58.a 1. Gaspar. Hurt disp.22.diff 7.& Basilius Ponce l.7.de imp.c.62.a n.2. Ratio est, quia fœmina illa solum tenetur suũ corpus tradere viro aperiendum modo naturali, & non extraordinario: cum hic, a natura abhorreat. Hoc tamen mihi videtur limitandũ, si obstet ratio boni communis, ut si speretur soboles successura in regnum. Tunc enim tenebitur etiam cum incommodo.

Dico 2. si fœmina suæ præ cæteris arctitudinis conscia contrahat cum viro illius ignaro, tenetur pati scissuram, si hæc possit fieri absque gravi salutis jactura Ita Palaus disp.4. pun.14. §.1.n.9. Ratio est, quia illa occultans suum defectum viro, eum decepit, & cõstituit in tali incommodo: ergo tenetur cum suo incommodo virum reddere indemnem. Notat benè ex Sanch. l.7.d.93.n.29. illam non teneri talem scissuram pati a viro, si hic intendat illam facere, inconsultis medicis.

Mulier ani viro apta, & nõ allijs. 1849 Rogabis 4. an fœmina, de qua constat esse aptam alicui viro præsumatur apta illi, cui nupta est, ut matrimonium valeat in foro externo? Bené respondent affirmativè Sanch. l.7.d.93.n.13 & Gutierr.c.112.n.26. dummodo inter illos viros detur similitudo ætate, robore & mẽbris. Habetur c. fraternitatis de frigid & malef. Unde ut hæc præsumptio tollatur, notabilis dissimilitudo inter utrunque dari debet. Si autem res sit dubia, juris præsumptione stabitur.

Quod attinet ad posteriorem quæstionis partem inquirentem, quænam impotentia matrimonium dirimat? Ex c.2.c. Fraternitatis & alijs de frig. & malef. conveniunt Theologi cum Sanch. l.7.d.92.a n.7. Gutierr.l.1.canon.quæst.c.16.n.18. Bellarmino disp.31.dub.7.n.76.& Gasp.Hurtado disp.22.diff.3.n.7. absolutam & perpetuam impotentiam penetrandi vas fœmineum, ibidemque effundendi semen de se generationi aptum, esse impedimentum dirimens contrahendi matrimonij: secùs verò si hæc impotentia temporalis sit, aut superveniat inito matrimonio. Ratio est, quia per matrimonium debent conjuges fieri una caro: hoc autem nequeunt præstare altero impotẽte ad coitum.

Semen fœmina ad generationẽ. Quid si vir potens sit, vas fœmineum penetrare, & intra illud fundere semen aptum generationi, fœmina autem seminare nequeat? Quanvis aliqui Doctores quibus accedit Gaspar Hurt. disp.22.diff.5. dicant matrimonium inter hos consistere non posse probabilius docent oppositum Sanch.cit. d.92.n.9. & Palaus d.4 pun.14.§.2.n.2. Quia licèt probabile sit necessariũ esse generationi semen fœmineũ & certé illud valde conducat, tamen probabilius est necessarium non esse.

Infertur 1. esse matrimonij incapacem qui laboraret perpetuo & incurabili vitio vel nunquam seminandi, vel ita præproperé, ut nequiret expectare vas. Infertur 2. fœminam esse incapacem matrimonij, si præ arctitudine, vel laxitate, vel causa alia latente semen virile recipere non posset: secùs (inquit Sanch n.11.) si posset recipere, non autem retinere. Infertur 3. Eunuchos qui integra virilia habent, & altero tantum testiculo carent, esse aptos ad matrimonium: ineptos autem prorsus, qui carent utroque testiculo. Nam a solis primis verum semen, & generationi idoneum emittitur. — Eunuchi ad matrimonium.

1850 Ex dictis superest expedienda præcipua & triplex difficultas circa matrimonium senum, sterilium, ac ægrotantium. Quod attinet ad senes decrepitos, eos esse incapaces matrimonij validé contrahendi, tradidit Portius in princ. Inst. de nupt. col. quod censuit probabile Henriq.l.12. ma r.c.7.n.3. commun.lit.X. & dubius hæsit Anton. Gom.l.9.Tauri n.57.fine. Negandum tamen est cũ Thoma in 4.dist.34.q.un.a 2.ad 3.& Sanch.cit.d.92.n.19. docentibus senes in quacunque ætate posse nubere, si natura, vel arte calere possint ad coitũ, ex quo generatio per se possit sequi. Unde Ecclesia nullum ex præcisa ratione senectutis a nuptijs rejicit. — Senes ad matrimonium.

Addunt Barbosa in l.1. parte 1.n.97.ff. solut.matrim.& Sanch.cit.disp.92.n.22. nullam fœminam ex vi cujuscunque senectutis censendam esse impotentem ad matrimonium. siquidem ipsarũ frigiditas virilis seminis receptionem non impedit, proindeque est capax veri coitus Quid si senex adeo sit exhaustus, ut medicorum judicio ad habendam copulam juvari nequeat? Adhuc Navarr.l.4.consil.tit.de sp sal.consil.39.n.15. Emman Roter.in sum.tom.1.c.235.concl 5.n.5. & Valle de lucro dotis q.103.n.17. censent esse capacem: quia saltem habitu potentiam seminandi intra vas retinet.

Negandum tamen est cum Gregor. Lopez leg 1.tit.8.par.4. Barbosa citato n.94. Gutierr.canon qq. l.1.c 6.n.13. Sanch.l.7.d.92.n.24.& Layman. l.5 sum.tr.10.par.4.c.11. Probatur nam ille est impotens

tens & omninò ineptus ad matrimonium, cui copula omninò impossibilis est, ex quocunque proveniat capite; quia ut sic præcipuo fini matrimonij nequit satisfacere; ergo senex ille dicendus est impotens.

Quod attinet ad steriles, eos esse omninò impotentes, & ineptos ad matrimonium validè contrahendum, tradidere *Feinus in c. cum sit n. 15. vers. demum sitte, de foro comp.* & *Jason cons. 115. n. 1. vol. 1.* Probant, quia tales sunt impotentes copulæ ad generationem conducentis, quam tanquam primarium finem matrimonium respicit. Oppositum tamen tanquam omninò certum defendendum est cum *S. Thoma in 4. dist. 34. q. unica a 2. Gutierr. de matr. c. 112. n. 16. & Barbosa cit. n. 98. ff solut. matr.* Probatur, quia steriles sunt potentes effundere verum semen intra vas, ex quo una caro possunt fieri: & hoc ad valorem matrimonij sufficit. Quod autem ex illo semine nequeat evenire generatio, per accidens est ex speciali temperamento subjecti.

Sterilitas non impedit matrimonium.

1851 Quod attinet ad ægrotantes, quorum salus desperata est, eos matrimonij reddi incapaces, videtur suadendum ex eo, quia in tali statu censentur habere impotentiam perpetuam: siquidem matrimonij fini & obligationi præcipuæ, qualis est copula, satisfacere nequeunt. Oppositū tamen ex usu Ecclesiæ, & ratione unanimiter docent authores cum *Covarr. 4. decr. 2. p. c. 8. §. 2. n. 10. Sanch. l. 7. disp. 103. n. 3. Basilius Ponce l. 7. c. 65. n. 7. & Bellanus disp. 31. dub. 7. n. 88.* Quia ægrotus etiam moribundus, quanvis impeditus ad copulā ex morbi vehementia, adhuc servat potentiam integram; adeo, ut etiam in dubio destructionis integra præsumatur.

Ægrotātes in extremis ad matrimonium.

Habere hoc matrimonium vim legitimandi prolem antea susceptam, & factâ legitimatione excludendi substitutum vocatum sub conditione, si institutus absque liberis legitimis decesserit etiam si opponatur in fraudem excludendi celebratum fuisse tenent Sanchez cit. disp. 105. a n. 7. & Gutierr. in repetit. §. *sui n. 169. Instit. de hæred. qualit.*

Illud apud citatos compertum est impotentiam sive temporalem, sive perpetuam, quæ matrimonio jam contracto supervenit, illud nō solvere etiam nondum consummatum. Quia matrimonium ratum sola professione religionis solemni dissolvitur.

Impotentia si superveniens matrimonio, an impediat usum.

Maior est difficultas exponere, qualiter illa superveniens impotentia matrimonij usum impediat. Nota illam posse obstare vel soli generationi, vel soli copulæ: si obstet soli generationi quia constat fæminam semper fœtus mortuos parere, aut se exponere manifesto vitæ periculo, si concipiat, rectè docent *Sanch. l. 7. d. 102. n. 8. & 11. & Bellanus disp. 31. dub. 7. n. 87.* non esse obligatam reddere cum tanto sui, vel prolis detrimento: posse tamen reddere & petere ad vitandum incontinentiæ periculum.

Debitum reddendi de obligatio.

Castratio post matrimonium.

1852 Quid si obstet soli copulæ? Respondeo: si supervenit impotentia effundendi verum semen, nempe quia vir post matrimonium utroque testiculo destitutus est, adhuc juxta *Toletum l. 7. sum. c. 12. n. 4. & Palaum disp. 4 pun. 14. §. 2. n. 11.* non impeditur a debiti petitione & redditione. Si autem impotentia sit ad seminandum intra vas ex debilitate viri, aut strictitudine fæminæ, aliave causa licere inter ipsos oscula, amplexus, & tactus absque periculo pollutionis. Imò (addunt *Sanch. l. 9. disp. 17. n. 20. Henriq. l. 11. c. 15. n. 2. & Layman. l. 5. tr. 10 p. 4. c. 11. n. 4.*) quoties subsit spes aliqua seminandi intra vas, toties poterunt conari ad copulam, etiam si sæpe experiantur semen extra vas effundi.

Tactus & oscula inter conjugatos impotentes.

QUÆSTIO II.

An & qualiter impotentia respectiva & quæ provenit ex defectu ætatis dirimat matrimonium?

DUplex impotentia, altera respectiva, altera ex defectu ætatis duplicem huic quæstioni partem suppeditabit. Quod attinet ad priorē, impotentia respectiva est quæ respicit determinatam fæminam, v.g. quia nimis arcta, vel quia virgo est; sivē quæ respectu hujus aut illius provenit ex maleficio.

Impotentia respectiva.

Rogabis 1. an hujusmodi impotentia dirimat matrimonium? Respōdeo affirmativè, dummodò illa respectiva impotentia sit perpetua. Ita cū *Sanch. l. 7. d. 93 a n. 2. Laymanus l. 5. sum tr. 10. par. 4. c. 11. a n. 1. Bellanus disp. 31. dub. 7. a n. 77. & Basilius Ponce l. 7. c. 61.* Sumitur ex *c. Fraternitatis, de frigid. & malef.* & ratione, quia consistere nequit verum matrimonium inter virum & fæminam, seu conjuges, qui per veram copulam una caro fieri nequeunt.

1853 Rogabis 2. an ex maleficio possit oriri impotentia perpetua? Negant aliqui cum Innocentio in *c. laudabilem 5. de frigidis & Glossa in c. fin. 33. q. 1.* Probant, quia omne maleficium tolli potest, vel ab ipsius authore, aut alio malefico, vel Ecclesiæ exorcismis; ergo nullum impotentiam perpetuam causare potest.

Maleficium in impotentiam.

Affirmandum tamen est cum *Gutierr. de matr. c. 113. Sanch. cit. disp. 94. a n. 8. & Basilio l. 7. c. 65. n. 6.* Sumitur ex *c. fin. 33. q. 1.* & suadetur ratione, quia per maleficium potest quis ita reddi impotens ad copulam, ac si frigidus a natura esset: imo per maleficium generativa potentia ita potest everti, ut nulla humana arte reparari valeat. In dubio autem an detur ex maleficio perpetua impotentia, rectè docet *Sanch. l. 7. disp. 94. n. 12.* debere conjuges per triennium vacare copulæ, quam si nequeant perficere, adesse perpetuam impotentiam, deciditur *c. fin de frigid. & malef.*

Quod attinet ad posteriorem partem de impotentia ex defectu ætatis, certum est ætate nullam ineundo matrimonio jus naturæ præfinisse, sed eam censeri aptam in qua perfectus usus rationis obtineatur ab eo qui se obliget ad copulam conjugalem media potentia lapsu temporis habendam. Jure tamen Ecclesiastico *c. ex literis de spons. impub.* ad cōtrahendum matrimonium

Ætas ad matrimonium.

niũ præsumitur viri decimus quartus annus completus, vel non incœptus.

Dubium est 1. an huiusmodi ætas esse debeat mathematicè completa? Negat Reiffenstuel lib. q. 16. sect. 2. n. ... moraliter sit completa v.g. ... aut triginta diebus ... pariim dissit nihil ... Affirmandum tamen est cũ Hurtado disp. 22 diff. 12 n. 45 & Basilio Ponce l. 7 c. 65 n. 1 ex Sanch. disp. 104. n. prim. illam ætatem debere esse completam mathematicè sicut quæ postulatur a jure ad religiosam professionem. Quoties enim jus alicui actui ætatem præscribit, cõpleta esse debet.

1854 Dubium est 2. quid statuat jus circa eos qui pubertati sunt proximi? Nota pubertati proximum dici a nonnullis eum cui unus annus deficit, prout insinuatur in c. continebatur, de spons. impuberum. & tradit Palaus disp. 4 pun. 14. §. 4. n. 3. Rectius Sanchez l. 7. d. 104. n. 40. id judicis arbitrio relinquit, cum nullo jure præscribatur. Attendere vero debet judex non solum numerũ annorum, sed etiam personæ conditionem, & regionis qualitatem, ita tamen ut quò quis pubertati magis accedit, audacius judicet, & ducatur levioribus argumentis.

Respondeo igitur cum Sanch. l. 7. d. 104 n. 21. & Basilio Ponce l. 7 c. 65 n. 1 ex cap continebatur & cap. de illis de spons. impub. proximum pubertati posse nubere, si polleat discretione, & potentia coeundi. Qualiter autem intelligatur adesse discretionem & potentiam coeundi, docet Sanch. l. 7 d. 104 ... n. 26. dicit solam propinquitatem pubertati facere præsumptionem discretionis. Dixerat num. 25. potentiam coeundi satis probari ex aliqua copula jam habita, imò ex solo nisu ad illam præsumi. Quid si nec copula fuerit habita nec nisus ad illam?

Proximus pubertati.

Discretio præsũpta.

Potentia coeundi qualiter probetur.

Optimè Sanchez citatus a n. 28. dicit 1. potẽtiam ad copulam ea nondum habita, signis probari posse: scilicet arbitrio judicis inspecta personæ qualitate, valetudine, & membrorum dispositione, dummodo adsit proximitas pubertati. Ad hoc autem judicium (addit) partes verendæ inspici non debent, sed solum superiores, nisi urgeat ingens necessitas: & dubitetur de aptitudine membri ad generationem. Dicit 2. juramẽtum habentis copulam cum impubere non sufficere. Dicit 3. tam menstruum in fœmina, quã aptitudinem ad effundendum semen in puero, probare capacitatem ad generandum: non verò lanuginem in pueri pudendis.

1855 Dubium est 3. an subsistat matrimonium inter eos qui proximi pubertati nupserunt si pubertate accepta, non dum coire possunt? Negant Glossa ad c. puberes, de sponsal. Abbas ibid. n. 4 & Vemeruz in spe ulo cõ ugali art. 39. concl. 2. Probant, quia defectus talis potentiæ satis eos ostendit inhabiles ad matrimonium. Affirmandum tamen ... Mascard. de prob. concl. 88 ... n. 1 c. & ... l. ... 4. num. 5. dum modò sperent successu temporis posse coire. Quia aliter jus non

Puberes qui non possunt coire.

concedere ... tempus ad experiendum, an illa impotentia sit perpetua, vel temporalis.

Dubium est 4. quamdiu ... expectari possit, ut ... perpetuitas, vel temporalitas? Quamvis ... inter authores, quantum alij ... alij solum biennium esse expectandum ... Gutierr. c. 117. n. 1 ... Sanch. l. 7. disp 104. n. 11. & Basilius Ponce l. 7. c. 65. n. 1. docent expectandam esse plenam pubertatem, quam juxta textum in §. fin. ... de adopt. & l. Me ... ff. ... alimen. & ... viri assequuntur decimo octavo ætatis anno, & fœminæ decimo quarto. Cum enim complexiones hominum dispares sint, æquitas postulat, ne matrimonium dissolvatur ob impotẽtiam, usque adveniat ætas, in qua perfectum robur natura comparat. Excipe, nisi constet manifesté talem impotentiam provenire non ex debilitate naturæ, sed ex frigiditate, vel alio impedimento.

Pubertas plena quæ

QUÆSTIO III.

Quo jure impotentia perpetua dirimat matrimonium? quid de hermaphrodito? quid de impotentia dubia?

Tres in titulo propositas difficultates aggredimur expediendas. Ut prima expediatur, notandum est matrimonium sumi vel pro traditione corporis ad prolem generandam, vel pro confœderatione ad simultaneam cohabitationem secluso periculo incontinentiæ. Si accipiatur priori modo, certum est nec jure positivo, nec jure naturali posse contrahi, data impotentia perpetua ad coeundum. Quia nemo ad impossibile obligari potest. Ita Sanch. l. 7. d. 97. a n. 5.

Impotentia quo jure dirimat.

Si accipiatur posteriori modo, non videtur ex tali impotentia irritari, juxta c. consultationi c. laudabilem, de frigid. & malef. semper tamen dissuadendum est, ut rectè monent Sanch. citatos, & Gutierr. de matr. cap. 114. n. 1. ex motu proprio Sixti V. edito anno 1587. Difficultas est, an talis cõfœderatio jure aliquo constituat verum matrimonium. Partem affirmativam videntur tenere S. Thomas in 4. dist. 34 q. 1. a 2. ad 4. Vedina de contment. l. 5. c. 74. Ve ... in speculo conjug. 1. p. art. 38. & alij quos sequitur Basil. Ponce l. 7. matr. c. 56. Probant, quia ad essentiam matrimonij solum postulatur mutua conjunctio animorum in naturalem vitæ societatem cum diversitate sexu.

Matrimonium impotentis.

1856 Dicendum tamen omninò est cum Navarr. c 22. 6 . Petro Barbosa leg. 1. par. 1. n. 91. ff. solut. matr. Hurtado disp. 22. diff. 4 n. 10. Bellano disp. 31. dub. 7. & Sanch. l. 7. disp. 97 a n. 2. talem confœderationem, seu conventum nullo jure sive naturali, sive Ecclesiastico matrimonium esse. Sumitur ex motu proprio Sixti V. absolute definientis, impotentes ad matrimonium ineptos esse, ubi negativa de quocunque matrimonio intelligenda est. Accedit in impotentibus cessare primarium & præcipuum matrimonij finem, qualis est generis humani propagatio.

2 Difficultas est circa matrimonium hermaphroditi,

Hermaphroditi matrimonium.

plurimi, illius nempe qui pollet utroque sexu viri & fæminæ. Certum est 1. apud *Sanch. disp.* 105.n.[illegible] & *Gutierr. d.c.*119.n.1. quando sit [illegible] plane [illegible] quo sexu prævaleat, juxta illū valide & licite posse nubere. Certum est 2. ex textu in *l. quæritur* 10.*ff. de statu homin.* quando neuter sexus prævalet, atque adeo æque vir & fæmina judicatur, concedi illi electionem, ut vel fæminæ, vel viro nubat, qua electione semel facta variare non licet.

Tota difficultas est, an possit valide & licite nubere secundum sexum debiliorem? Negant *Gutierr. d.c.*119.n.1 & *Sanch. cit. disp.*106.n.5. Probant, quia homo non denominatur vir aut fæmina a sexu debiliori sed a sexu fortiori; ergo nequit nubere, nisi secundum fortiorem.

Distinguendum tamen est cum *Gaspar Hurt. disp* 22.*diff.*1. *sive B. filio Ponce l.*7.*c.*65.*n.*8. & *Palau disp* 4 *pun.*14.§.5.*n.*3. si juxta sexum debiliorem impotens fuerit ad copulam, non posse contrahere secundum illum: secus, si potens fuerit. Prior pars constat. Posterior suadetur, quia ubi datur potētia sufficiens ad generandū, proindeq; obtineri potest finis primarius matrimonij, matrimonium saltem jure naturali valide contrahitur. Quod etiam in casu præsenti licité contrahatur, videtur suaderi, quòd nullum appareat jus positivum obstans.

1857 Notabis 1. matrimonio juxta unum sexum contracto, adulterium committi per usum alterius sexus. Quia in duplicis sexus usum nequit fieri traditio legitima duobus. Unde nō potest quis esse simul maritus & uxor nubens secūdum diversum sexum. Notabis 2. attenta consuetudine consulendos esse medicos, qui judicent de prævalentia sexus: & in dubio dandam esse Hermaphrodito optionem: quam debet facere coram judice Ecclesiastico. Hæc autem diligentia semper præmittetur antequam parochus matrimonio intersit.

Impotentia dubia quando obstet matrimonio.

3 Difficultas est qualiter impotentia dubia obstet valori matrimonij, vel saltem usui illius? Prænotandum est tripliciter posse accidere dubium de impotentia. 1. det ne vere an non? 2. sit ne accidentalis, an naturalis? 3. præcesserit ne matrimonium, an illud subsecuta fuerit? Constat 1. apud *Sanch. cit. d.*103.*fine* & *Gutierr. disp.* 116.*n.*3. dubitantem de impotentia teneri sub gravi culpa abstinere a matrimonio contrahendo, ne se exponat periculo nullitatis, & alteri conjugi potenti injuriam inferat.

Constat 2. apud eosdem, quando dubitatur sit ne impotentia naturalis, an accidentalis, præsumendam esse accidentalem; quia in dubio non præsumitur naturæ defectus. Constat 3. si non obstante dubio quis matrimonium contrahat, posse non solum reddere, sed etiam petere. Quia Ecclesia concedit triennium ad explorandam talem impotentiam. Unde si intra illud nequiverit consummare, Ecclesiæ judicio separandus est.

Tota difficultas est, quando impotentia patet & solū dubitatur an præcesserit ne, an subsecuta fuerit matrimonium. Quod in dubio censenda sit matrimonium præcessisse, sive naturalis, sive accidentalis sit, tradunt [illegible] & quidem probabiliter, *Gregor. L. pr.* [illegible] 5.*tit* 8 *parte* 4. [illegible] *tom.*3.16.*n.*19. *Hurt. q.*[illegible]12.*c.*8.*n.*3. [illegible]. Probat, quia si impotentia sit naturalis, præsumitur semper actualis, nam quæ proveniunt a natura perpetua sunt: si autem accidentalis, præstat semper præsumptionem, quæ liberet a vinculo conjugē potentem, ut possit aliud inire matrimonium.

[illegible] impotentia [illegible]

Probabilius tamen est in tali dubio præsumi quod matrimonium subsequuta fuerit. Ita Anton. de Butrio in *c. Fraternitatis, n.*20 & *seq.* & *Palaus d.*4.*pun.*13.§.7.*n.*5. loquentes de impotentia tam naturali, quàm accidentali. De accidentali verò, quæ v.g. evenit ex maleficio, morbo, vel membri abscissione docet *Sanch. d.*103 *n.*5. Ratio utriusque est, quia unusquisque præsumitur debere a natura potens, dum contrarium non probetur. Resolutio tamen procedit, quando post longum tempus a matrimonij contractione opponitur impotentia: secus, si statim.

QUÆSTIO IV.

Qualiter liceat conjugi proclamare contra matrimonium: & quæ probatio postuletur, ut dissolvi possit?

Proclamare contra matrimonium.

1858 Prior quæstionis pars quæ est de proclamatione adversus matrimonium, ut decidatur, prænotandum est, cum matrimonij dissolutio regulariter incipiat a conjugum querela, posse fieri proclamationem vel a conjuge potente, vel ab impotente. Quod attinet ad potentiam, si fæmina sit, jus *c.*1.*de frigidis*, duo præter alia statuit: alterum non esse audiendam fæminam, quæ post annum & dimidium viri impotentiam alleget, viro negante: alterum, quando statim post mensem aut bimestre ab initio matrimonio proclamat, audiendam, & matrimonium dissolvendum, si impotentia per rectum judicium probari possit. Hæc sic per jus disposita, optime Sanch. lib.7.d.109. duplici conclusione exponit.

1 Conclusio. Quando fæmina affirmat viri impotentiam, & vir negat: nec illa initio matrimonij proclamavit, audienda non est: sed fides viro adhiberi debet. Constat ex cap. citato, cujus ratio est duplex præsumptio contra fæminam, altera quod tarde proclamavit: altera, quod vir caput ejus affirmet se eam cognovisse. Censetur autem non ab initio proclamasse, sed tarde, quando transacto bimestri proclamat. Hoc autem tempus computādum est a die, quo vir copulam intentare cœpit.

Posita conclusio limitatur 1. nisi uxor per certa aut verisimiliter evidentia signa viri impotentiam ostendere velit: hoc enim quocumque [illegible] tempore audienda est. [illegible] uxor per aspectum probetur non [illegible] viro. Tunc enim potiùs uxori neganti copulam, quàm viro affirmanti credetur.

2 Con-

2 Conclusio: quando fœmina tempore matrimonij virgo erat, & proclamat statim post mẽsem, aut ante bimestre, etiam viro negãte impotentiam, audiẽda est: & si ea probetur per rectum judicium, dissolvitur matrimonium. Habetur *c.1. ver. si autem statim de frigid.*

Quæ hactenus diximus de fœmina allegante viri impotentiam, procedũt eodẽ modo, proportione habita, quãdo vir proclamat contra matrimoniũ ratione arctitudinis fœminæ. Vide *Sanch. citatum a n.17.*

Impotentia allegata cõtra matrimoniũ.

1859 Quod attinet id impotentẽ, rectẽ *Palaus disp.4. de spõs. pun 13. §.8. n.3. ex Sãch. cit. disp.114. & Gutier. de matr. c.12. n.13.* affirmat, si timeat periculũ incõtinentiæ itaut habitãs simul cũ conjuge, nequeat eam ut sororẽ habere, posse reclamare. Quod si hujusmodi periculũ absit, distingui oportet in hũc modũ: si cõtracti matrimonij tẽpore ignoravit suã impotentiam, reclamare poterit, ne cogatur sustinere onera matrimonij, & alere uxorem: & hoc etiã procedit ex parte fœminæ impotẽtis. At si alteruter tempore initi matrimonij suã impotentiã agnovit, tenetur ratione deceptionis factæ, & injuriæ irrogatæ permanere, & matrimonij onera sustinere.

Impotentiæ probatio.

Posterior quæstionis pars inquirit, qualiter probãda sit impotentia ut matrimoniũ dissolvi possit? Pro dissolvendi matrimonij causa gravissima, ut probetur impotẽtia, prænotandũ est, indicia in triplici differentia esse. Primũ genus est cõcludentiũ evidẽter, scilicet ex parte viri, testiculorũ carẽtia, vel amputatio virilũ, aut si mẽbrũ ita aridũ sit, ut erigi nequeat ad coitũ: ex parte fœminæ, si ita sit arcta, ut medicorũ judicio, a nullo viro cognosci valeat absq; manifesto periculo.

Secundũ genus est probantiũ verosimiliter, nẽpe ex parte viri, si mẽbrũ aliqualiter ad copulã erigit, & ex parte fœminæ, si ob excessũ pudẽdi tentatur nõ posse ab eo viro cognosci, bene tamẽ ab alijs. Tertium genus est probantiũ dubiẽ & præsumptivẽ tantum, qualia v.g. dati possũt ex maleficio, aut alio capite prudẽtis arbitrio. Quare cũ citatis authoribus ut meam mentem exponam,

Dico 1. si impotẽtiæ signa primi generis sint, matrimoniũ statim dissolvẽdũ est absq; alia probatione, aliove termino spectato. Ita citati. *Sãch. l.7. d.107. n.3. & Basilius Põce l.7. c.66. n.2.* Patet, nã quæ evidẽter apparent, alia probatione nõ indigent. Dico 2. si impotentiæ signa generis secũdi sint, itaut impotentiã moraliter certã ostendant, triennium expectari nõ debet. Ita citati authores. Patet, quia in humanis certitudo moralis evidentiæ æquipollet. An verò tũc requiratur juramentũ cõjugũ, & septimæ manus propinquorũ: itẽ inspectio cõjugis impotẽtis? Affirmant ex citatis *Sãch. Gutier. & Basilius*, & horũ sententia communis est. Nihilominus spectato rigore juris satis probabiliter docent *Gasp. Hurt. disp.22. diff. 11 n.38. & Palaus disp.4. pun.14. §.9. n.5.* nõ requiri. Quia cũ per illa signa pateat impotẽtia morali certitudine, superflua est quæcũq; alia investigatio.

Iuramentum septimæ manus.

1860 Dico 3. si impotẽtiæ signa tertij generis sint, dubia scilicet, & unus cõjux fateatur impotẽtiã, alius neget, tũc rectẽ docent *Sãch. l.7. c.109. n.13. & Gutier. c.120. n.10.* secundã esse formã, quæ præscribitur in *c. laudabile, de frigid. & maleficiat.* scilicet ut cõjugibus deferatur juramentũ de impotẽtia: & insuper accedat juramentũ septimæ manus propinquorum, id est cõsanguineorũ illius cõjugis fatẽtis impotẽtiã, qui testãtur se credere verũ dicere illũ conjugẽ. Ex parte verò conjugis impotentiã negãtis nulli postulantur jurantes testes.

Trienniũ ad impotentiæ experimentum.

Addũt benẽ citati ex decisione *Rotæ apud Farin. 1. p. decis. 695.* debere cõcedi trienniũ his cõjugibus, ut vacẽt copulæ ad experimentũ: præcipuẽ si impotentia ex maleficio proveniat. Quid si triennio elapso adhuc affirmet unus, & neget alter consũmatũ esse matrimoniũ? Rectẽ docet *Sãch. l. 7. disp.109. n.15.* quando aliunde veritas per signa vero similiter certa cognosci nequeat, pro matrimonio standũ esse: præcipuẽ si fœmina affirmet a viro cognitã esse, & vir neget. Si verò illa neget, offeratq; probare matronarũ aspectu, & aliunde nõ suppetãt aliæ probationes magis decẽtes, permitti debet illa probatio, cum ratione necessitatis honestetur.

Quid si uterq; cõjux impotẽtiã fateatur? Quãvis multi & graves Doctores apud *Sãch. cit. disp. 108 n.3.* dicãt tũc nõ esse concedendũ trienniũ, sed tẽpus arbitrariũ, v.g. duorũ vel triũ mensiũ, & ad summũ, unius anni: dicendũ tamẽ est cum eodẽ *n.5. Basilio l.7. c.66 n.4. & Hurtado disp.22. diff 11. n.40.* trienniũ esse cõcedendũ. Quia id delumirur ex *cit. c. laudabilem.*

Iuramentum conjugum de impotentia.

Adde ex *Palao d.4. pun.14. §.9. n.11.* ultra trienniũ postulari juramentũ utriusq; cõjugis impedimentũ fatẽtis. Nã vir debet jurare se bona fide & absq; dolo intẽtasse copulã nec potuisse consũmare: mulier verò nõ stetisse per eam, quin cõsũmaretur. Debẽt insuper accedere ex parte cujuslibet cõjugis septẽ propinqui, & ipsis deficiẽtibus septẽ vicini bonæ famæ, qui jurẽt se credere cõjuges verũ affirmare. Quod si tot testes adhiberi nõ possint, pauciores arbitrio judicis. Imò si vicini & cõsanguinei deficiãt, satis erũt testes omni exceptione maiores. Aliqui exigũt inspectionẽ impotẽtis, sed absq; fũdamẽto. Iuramentũ verò quod diximus adeo necessariũ est, ut sine illo invalida sit sententia de matrimonij nullitate.

Triennis cõputatio & continuatio.

1861 Dubiũ est 1. qualiter cõputari, debeat trienniũ illud? Circa hujus triennij cõputationem authores cõveniũt esse cõputandũ a tẽpore, quo cõjuges cœperũt vacare copulæ. Difficultas est an cõputari possit a termino per judicẽ præscripto, per acta a cõjugibus criminũ pœnitẽtia? *Sãch. l.7. d.110. a n.4.* respõdet 1. In impedimẽto frigiditatis cõputari semper trienniũ a die copulæ intentatæ, nec requiri judicis præscriptum, nec priùs pœnitentiã peragi. Cõstat ex *c. laudabilẽ, de frigid.* Respõdet 2. idem prorsus dicendum esse de impedimento malefici; ut constat ex *c. finali de frigid.*

gid. Addit num. 7. quando matrimonium instauratur detecto sententiæ errore, vel quando mulier patitur scissuram, aut aliud medicamentum, debere computari a die novæ copulæ intentatæ, quæ præsumitur quando simul decumbunt in eodem lecto.

Hæc omnia (inquit *Palaus cit.* §. 10. n. 3.) spectato juris rigore, veriora sunt, at spectato stylo curiæ, & Rotæ decisionibus apud *Farinac. vol. 1. consil. decis.* 17. & 277. triennium computandum est a decreto judicis. Quia ab eo die præmissa cōfessione, & Eucharistiæ sumptione copula diligentiùs procuratur.

Pubertas plena.

Quid quando conjux non est implena pubertate, nec ejus impotentia constat per signa evidentia? Benè respondent *Gutie r. de matr. c.* 121. n. 4 & *Sanch. cit. disp.* 110. n. 10. quibus consentit *Palaus cit. n.* 4. triennium computandum esse a plena pubertate, quæ in viris est annus 18. in fæminis 14. Ratio est, quia usque ad eam ætatem præsumitur impotentiam nasci ex ætatis fragilitate: quæ præsumptio cessat, plena pubertate adepta.

1862 Dubium est 2. an & qualiter illud triennium esset continuum? Cōstat exigi aliquā continuitatem, sed non talem, ut si aliquod tempus intermittatur, iterum debeat incipere. Quia verba in decretis modo civili ac possibili juxta subjectam materiam accipiuntur *l. si cui simpliciter, ff. de servit.* Difficultas est, an postulet talem integritatem, ut si interpoletur per aliquos dies, sive multos, sive paucos, ij omninò suppleri debeant? Affirmant *Andreas in c. fin. de frigidis n. 9.* & multos referens *Mascardus de probat. concl.* 829. n. 8. *Triennij continuitas.*

Dicendum tamen est cum *Hostiensi, Panorm. Præposito, Sanch. disp.* 111. a n. 3. *Gutierr. de matr. cap.* 121. n. 7. & *Basilio Ponce l. 7. c. 66.* triennium illud non amittere continuationem, proindeque non esse supplendos dies absentiæ ex eo quód conjuges vivant separati per unum vel alterum mensem ratione occurrentium negotiorū. Quia continuatio illa non mathematicè, sed moraliter intelligitur, & moralia morali modo accipi debent.

Dubium est 3. quales matronæ sint vocandæ, & qualiter ab eis exploranda est virginitas fæminæ, ut de ea deponant? Dicam paucis quod multis tradidit *Sanch. lib. 7. disp.* 113. & breviter exposuit *Palaus d. 4. pun.* 14. §. 10. *a n.* 6. Matronæ juxta *cap. pen. de probat.* esse debent honestæ, bonæ famæ, & artis peritæ: non leves, aut viles, ne modico pretio subornatæ falsó deponant. Sint insuper tales, ut illis nec insit nimia juventus ob defectum experientiæ, nec nimia senectus ob defectum visus. *Matronæ ad explorandam virginitatem.*

Quod attinet ad numerum, juxta *cap. in omni negotio, de testib.* duæ matronæ sunt necessariæ, & sufficiunt, ut de virginitate deponant, & sic de alijs artis peritis. Sufficiet aliquando unus, si in civitate nullus alius reperiatur: quod procedit etiam de matronis peritissimis probabiliter. Probabilius tamen est unius, & si peritissimæ, testimonium non sufficere, quanvis in civitate nulla alia detur, sed aliam & vicino oppido esse educendam: utpote ad causam magni ponderis.

Matronarum electio (ut ait *Sanch. cit. a n.* 5.) judicis est, non partium. Nam illæ potiùs judicis, quàm testiū munus obeunt. Ex hoc matronæ, sicut omnes alij qui juxta artis peritiam de re aliqua deponere debēt, recusari possunt. Quia eorum declaratio magis est judicium, quàm testificatio.

1863 Ut matronæ (inquit *Sanch. a n.* 10.) legitimè deponant de fæminæ virginitate, requiritur ut illius verenda perspiciant sufficienter, & sagaciter tangant manibus. Colligitur ex *cap. penult. de probat.* Imo prudenter aget judex, si districtè præcipiat matronis, ut ante explorationem faciant ipsis præsentibus fæminam in balneo aquæ calidæ lavari, ut si forte glutino verenda cōpressa fuerint, id liquefiat, & omnis dolus absit. Quanvis regulariter (addit n. 21.) & eligi debeat matronæ honestatis gratia; at si qualitas altiorē exigat peritiam, adhibendi sunt periti medici, quó fæminā inspiciant. Quia rei gravitas & necessitas præponderat naturali honestati; sicut quando morbi necessitas urget. *Medici periti quando sunt explorantes virginitatem.*

QUÆSTIO V.

Qualiter conjux spoliatus sit restituendus, & priùs matrimonium instaurandum?

Prior pars inquirit restitutionem faciendam conjugi ob impotentiam spoliato, a quo alter potens authoritate propria spolians recessit. Tres sententiæ, & quidem probabiles, referuntur a *Sanch. l. 7. disp.* 112. Prima est negantiū hujusmodi restitutioni locum esse. Quia non datur spolium, ubi matrimonium non censetur consummatum. Argum. *c. ex trāsmissa, de restit. spoliat.* Secunda est affirmantium dandam esse restitutionem, si sponsa de præsenti fuit traducta in domum sponsi: secùs si virginem esse probaverit. *Spoliati conjugis restitutio ad matrimonium.*

Tertia, quæ magis placet *Sancio citato n.* 8. est asserentium ante matrimonij consummationem non esse locum plenæ restitutioni, nēpe quoad habitationem & copulam, sed solum quoad habitationem. Hanc desumit ex c. *Ex parte, de restit. spoliat*. Ego verò has tres sententias judicans probabiles, probabiliorem judico quam defendit *Palaus disp.* 4. *pun.* 14. §. 11. n. 2. affirmans conjugem spoliatum statim esse restituendum, nisi conjux recedens in continenti offerat probationes impotentiæ certas & evidentes. Illis enim sic oblatis non restitutio, sed matrimonij irriti declaratio facienda est. Si autem certa illa & evidens impotentiæ probatio non afferatur, facienda est plena restitutio, scilicet ad cohabitationem, & copulam, cui vacare possunt.

1864 Hæc (addit *Palaus benè n.* 3.) procedūt fortius, quando conjux recedit ante quàm elabatur triennium a jure datum pro exploranda impotentia. Quæ omissa tali exploratione, seu examinatione impotentiæ, hujus alle-

allegatio nullius momenti est. Quod si triennio elapso conjux ob alterius impotentiam recedat, non statim facienda est restitutio, sed debent admitti impotentiæ exceptiones.

Restauratio matrimonii dissoluti.

Posterior quæstionis pars inquirit matrimonij ob impotentiam dissoluti restaurationem: quã ut cum *Sanch. l. 7. tota disp. 99.* prælibemus, recolendum est, quod supra diximus, matrimonium ob impotentiam dissolvi quadrupliciter 1. ratione frigiditatis, & aliorum vitiorum naturalium viri 2. ratione arctitudinis fœminæ 3. ratione maleficij alterutrius conjugis 4. ratione impotẽtiæ in genere, non allegata speciali causa.

Dubium est 1. an matrimonium separatum ratione frigiditatis viri, restaurari debeat, si vir ad alias nuptias transeat, vel committat fornicationem? Dico 1. dissoluto matrimonio ratione frigiditatis viri, si is ad aliud transeat, statim posterius dissolvendum est. Probatur quia si ille vir frigidus, verè est, nullum matrimonium valet: si non est verè frigidus, prius matrimonium valet & sic stare nequit cum posteriori. Quod si prior uxor obietat, adhuc stat præsumptio frigiditatis, donec ille se potentem probet. Dico 2. Ut prius matrimonium viri frigidi restauretur, sufficit eũ postea habuisse quamcunque copulam consummatam. Ratio est, quia copula consummata manifestè ostendit abesse frigiditatem.

Fœmina arcta matrimonii.

Dubium est 2. an si fœmina ratione arctitudinis a priori viro separata, alij nubat, ab eoque cognoscatur sit instaurandum prius matrimonium, dissoluto posteriori? Respondeo negativé si constet prius matrimonium fuisse irritum: secus si constet fuisse validum. Censebitur autem irritum, si fœmina absque mortis periculo, vel peccato aptari non poterat viro priori. Unde attendendus est uterque vir, ut si inter eos magna dissimilitudo intercedat, prius matrimonium non instauretur: secùs, si ea dissimilitudo non inveniatur, tunc enim apta utrique censebitur, & prius matrimonium valuisse.

1865 Quare si prius matrimonium dissolutum fuit, quia fœminæ impotentia, seu arctitudo absoluta & respectu omnium judicata est, statim a secũdo matrimonio separari debet, nec nubere permittenda, donec probetur esse capacẽ. Si autem non absoluta sed respectiva arctitudo declarata est, a secundo matrimonio non separabitur, nisi probetur similitudo inter viros.

De maleficium in matrimonio.

Dubium est 3. an dissoluto matrimonio ratione maleficij, aut utriusque aut alterutrius conjugis, si maleficiatus nubat, vel fornicetur, sit prius matrimonium restaurandum? Negativa sẽtentia tenenda est, tum ex *c. fin. 33. q. 1.* tum ex ratione; quia maleficiatus regulariter (quod in frigidis non datur) solum impotens est respectu unius, vel alterius. Quare legitimè nubet personæ respectu cujus maleficiatus non est.

Quod intelligitur 1. quando legitimè lata est sententia separationis, lapso triennio experientiæ, & omnibus probationibus jure requisitis. Intelligitur 2. quando maleficium est particulare respectu unius, vel alterius tantum, & non generale respectu omnium: quod sola experiẽtia deprehendi potest: nam si generale, sit neutrum matrimonium valebit. Intelligitur 3. nisi maleficiatus ille uxorem postea a qua separatus erat, fornicariè cognoscat. Tunc enim prius restaurandum est.

Dubium est 4. an si fœmina allegavit virum esse impotentem, nulla speciali causa impotentiæ declarata, & vir post separationem matrimonij ad aliud transiit, sit prius instaurandum? Respõdeo quamvis posterius matrimonium verè consummatum sit, non statim prius instaurari debere, donec causa impotentiæ discutiatur a judice. Nam potest talis esse, ut prius matrimonium fuerit irritum, & valuerit posterius; aut è contra. Unde postquam cõstiterit valuisse prius, instaurabitur. Nec requiritur ante instaurationem egisse pænitentiam de perjurio, sed sufficit injunctam a judice acceptasse.

Restitutio fœminæ priori viro.

1866 Dubium est 5. quoties debeat restitui fœmina priori viro; a quo separata est, ex eo quod cognosci nequierit, si inveniatur deceptio circa impotentiã, & postea ab eo adhuc nequeat cognosci? Respondeo semel tantum esse restituendam priori viro, & cũ eo remansuram triennio, ut si ab illo cognoscatur, maneat firmũ matrimoniũ: si cognosci nequeat, præsumatur impotentia vel maleficij, vel aliunde, saltem respectu illius fœminæ, & declaretur irritum matrimonium in perpetuum. Sumitur ex *c. laudabilẽ de frigid.* Quod procedit quamvis impedimentum frigiditatis, vel maleficij existimatum generale deprehensum fuerit particulare. Unde quandiu durat illud triennium, prohibendus est vir posterior, ne aliam ducat, ut deprehenso impedimẽto prioris viri, fœminam recipiat.

Restitutio conjugis facti religiosi vel clerici inventa deceptione matrimonij dissoluti.

Dubium est 6. qualis restitutio facienda sit, quando tempore, quo invenitur deceptio circa dissolutionem matrimonij ab Ecclesia factam, alter conjux professus, aut sacris initiatus est? Cõstat nullã restitutionẽ faciendã esse, quãdo alteruter conjux jam professus est aut profiteri vult. Quia matrimoniũ nõ consũmatũ, quale supponimus illud fuisse, professione dissolvi potest. Illud notandũ est matrimoniũ nec cõsũmari, nec valere cũ fœmina arcta, quam vir penetrare non potest, quãvis illa arte aliqua, aut matrice attrahente semẽ virile intra vas recipiat. Quia valor matrimonij nõ pẽdet a casu raro & fortuito. Si cõjux relictus in seculo nubat post alterius professionẽ, valebit matrimoniũ, quãvis postea impotẽtiæ falsitas appareat: secùs, si ante professionem.

Penetratio vasis fœminei ad valorem matrimonij.

Quando uxore manente in sæculo vir sacris initiatus est, fatentur omnes, detecto errore sẽtentiæ, virum uxori repetenti restituẽdum esse, nisi fornicata esset, quamvis transacto triennio, & alijs præmissis diligentijs matrimonium dissolutum fuerit. Vir ille sic restitutus tenebitur reddere, at petere non poterit. Hæc Sanch. l. 7. d. 99.

SECTIO VII.

De dispensatione in impedimentis matrimonij.

QVÆSTIO I.

Qui possint in impedimentis matrimonij dirimentibus dispensare?

1867 HAnc sectionem de dispensatione in impedimentis matrimonij, de qua fusissime *Sanches toto libro octavo*, in pauca conferam, summatim perstrictis difficultatibus quæ solum ad hanc materiam pertinent. Quia jam tract.4.l.ct.13. hujus summæ multa de dispensationibus pro mei instituti brevitate collegi, ad quæ studiosum lectorem remitto.

Dispensatio impedimentorum a quibus facienda.

Ut in hac quæstione expediam potestatem dispensandi in his impedimentis, recolendum est quod jam diximus, alia ex jure naturali, alia ex jure divino, alia ex solo jure Ecclesiastico provenire. Constat 1. nullibi reperiri concessam potestatem dispensandi in provenientibus a jure naturali & divino, qualia sunt impotentiæ, ligaminis, & consanguinitatis in primo gradu, juxta probabiliorem & communiorem sententiam.

Papa in impedimento matrimonij dispensans legitimat.

Constat 2. Summum Pontificem utpote authorem & fontem totius juris Ecclesiastici, posse dispensare in omnibus provenientibus ex solo jure Ecclesiastico validè, etiam sine causa; licitè vero, si detur causa. Dubitari potest, an si Pontifex dispenset in impedimento dirimente, quo sublato conjuges denuò matrimonium ineunt, filius antea illegitimè conceptus maneat legitimus tum quoad officia Ecclesiastica, tum quoad sæcularia? Bené affirmat *Palaus de benef.tr.13. disp.4.pun.1.§.5.* Vide de hujusmodi legitimatione *San.h.l.8.d.7.& d.34.a n.47.*

Episcopus ad impedimenta matrimonij.

Tota difficultas est in expediendo, an qualiter & qui prælati inferiores Pontifici dispensare valeant in supradictis impedimentis? Expedietur hæc difficultas resolutis dubijs sequentibus. 1. dubium est, an Episcopus potestate ordinaria possit dispensare saltem in aliquo ex dictis matrimonij impedimentis? Affirmant *Dominicus Soto in 4. dist. 42.q.1.a 1.& q.2.a 2.in fine corp. Ludov. Lopez. 2. p. instr.c.51.* asserentes posse Episcopum dispensare in impedimento cognationis ortæ ex baptismo tempore necessitatis collato. Illis adhæret *Sà v. matrim.* ubi de impedimentis dirimentibus n. 6. asserit dispensare posse in impedimento cognationis legalis. Idem n.12. tenet de impedimento publicæ honestatis ortæ ex sponsalibus, si non detur accessus facillimus ad Pontificem.

Negandum tamen omninò est cum *Sanch. l. 8.d.6.n.14.& 17.Gutier.tract.de matr.c.122.n.4.& & Palao disp.4.pun.ult.§.1.n.3* Constat 1. ex decisione Sacræ Congregationis, quam affert Farinac.vol.4.decis.Concil.sess.24.cap.5.ad fin. ubi id exprimitur de impedimento consanguinitatis & affinitatis, & procedit de cæteris. Constat 2. quia nullum apparet jus vel consuetudo ex quibus affirmari possit talem potestatem ordinariã esse Episcopis a Pontifice concessam.

Legatus Papæ ad impedimenta matrimonij.

1868 Dubium est 2. an & qualiter legatus Pontificis habeat hujusmodi potestatem? Respondeo cum *Sanch. Gutier. Palao citatis & Bellarm. disp. 33. dub.3. concl.5.* nullum Pontificis legatum etiã a latere habere ullam potestatem in hujusmodi impedimentis, nisi ei committatur specialiter. Sumitur ex *Gloss. in c. quia circa v. a sede, & c. quod dilectio v. Indulgentiam, de consang. & aff.* Quia legatus a latere non habet impediendi facultatẽ in provincia sibi cõmissa, quam Episcopus in sua diœcesi: Episcopus autem illam dispensandi jure ordinario non habet.

Legitimandi potestas.

Procedit negativa resolutio de potestate ordinaria: quia potestatem ex delegatione possunt, & solent habere. Sic enim Nuncij Hispaniarum (ut testatur *Garcia 11 par. de benef.c.5.n.367. & Basilius Ponce l.8.c.13.n.10.*) habent delegatam facultatem dispensandi ante & post contractum matrimonium in impedimento publicæ honestatis, legitimandique prolem susceptam. Adde Commissarium Cruciatæ posse ex delegatione dispensare in impedimento affinitatis ex fornicatione provenientis cum illis qui bona fide saltem ex parte unius contraxerunt juxta formam Trident. sess.24. cap. de reform. matr. Hæc potestas datur in Commissario Cruciata Castellanæ, & non in Commissario Cruciatæ Lusitanæ.

Commissarius Cruciatæ in impedimentis matrimonij.

Episcopus dispensãs in matrimonio.

Dubium est 3. quid possit Episcopus ex delegatione in casu necessitatis urgentis? Procedit dubium tum de dispensatione ante contractum matrimonium, tum de illa post matrimonium contractum. Si loquamur in casu priori, & detur urgens necessitas, qualis v.g. ob salutem propriæ animæ, ob evitandas graves discordias, ob restaurandum honorem, ob legitimandam prolem, cũ aliquis morti proximus est rectè docent *Sanch. l. 2. disp.40.n.7. Vasq. 1.2. disp.178. c. 2. Salas de legib disp.20. sect.3. Gaspar Hurtado disp.26 diff.2.n.7. Basilius Ponce l.8.c.13.n.6. Bonacina de impd. matr. q. 3. pun.15.n.6.& Palaus disp.4.pun.ult.§.1.n.9.* posse Episcopum dispensare. Sumitur ex *c.2. de spons. sal. impub.* & ratione: quia in tali casu, ne homines salutari remedio destituantur, rationabiliter præsumitur Pontifex delegare hujusmodi potestatẽ Episcopo.

Parochus ad matrimonium.

1869 Addit *Sanch. cit. n.17.* Episcopum hanc potestatem delegare posse. Quid si detur tam urgens (v.g. jam stantibus nuptijs ante parochũ) necessitas, ut non possit adiri Episcopus? poterit ne parochus dispensare ex præsumpta voluntate Episcopi potentis delegare talem facultatem? Cum hanc difficultatem a nullo authore decisam, imò nec excitatam invenirem, affirmare nõ audeo. Quomodo igitur se geret parochus in hoc, & simili casu? Observet consilium quod ex varijs tradit Bonacina proximé citatus n. 6. suadeat nupturis, ut unus vel alter voveat castitatẽ ad spatium unius mensis, & tunc dicat consanguineis, & alijs se vovisse castitatem, & indigere dispensatione prælati. Tunc igitur, vitato scan-

dalo dabitur spatium, ut dispensatio in impedimento matrimonij possit obtineri a prælato potente dispensare.

Dispensatio in impedimento post contractum matrimonium. Si loquamur in casu posteriori, nempe de dispẽsatione in impedimento post contractum matrimonium, optimè *Sanch l.2.disp.40. a n.3.* quem sequuntur recentiores *Bellan.disp.33.dub. 3.concl.3. Rebel.1.p.de oblig.just.l.3.q.5.n.20.Ponce l. 8.c.13.n. 2.Gasp Hurt.disp.16.diff.2.n.6.* resolvit posse Episcopum dispensare, dummodo concurrant hæ circunstantiæ, ut matrimonium sit publicum, impedimentum occultum, & sit scandalum in separatione: nec ad Pōtificem aditus pateat, inopia, aut alia justa causa impediente. Ratio est, quia licèt Episcopus in lege Pontificis aut Concilij regulariter dispensare nequeat: potest tamen quãdo urget necessitas, nec ad Pontificem aditus patet.

Desideratur tamen (addit *Sanch.a n.4.*) in matrimonio contracto ad hujusmodi dispensationẽ bona fides saltem in altero ex contrahentibus, quam nec excludit culpa lata, & ignorantia culpabilis, nec solemnes denunciationes omissæ de licentia Episcopi. Non sola inopia est causa justa, sed sufficit quòd fæmina sine famæ jactura nequeat impedimentum viro detegere, vel nequeat sine scandalo fieri separatio. Idem procedit, si duo impedimenta occulta dirimentia cum explicatis circunstantijs concurrant.

Addunt Henriq.lib.12.Matr.cap.3.n.2. & Moscusus in sum.tr.10.cap.29.n.22. posse Episcopum dispensare etiam si data fuerit mala fides ex parte utriusque dummodo impedimentum sit occultum, sequatur scandalum ex separatione, & detur moralis impossibilitas ad eundi Sum. Pontificem. Hanc opinionem, cum Diana p.5.tr. 14.resol.13. probabilem asserere non audeat, nec ego audeo.

Resolutionem nostram extendunt *Selva de benef.4.p.q.7.n.140. Bertachinus tract.de episc.l.4.par. 2.q.49.n.139.* & alij quibus dubitanter adhærẽt *Basilius l.8.c.13.& Hurt. disp. 26. ff. 2.* asserentes posse Episcopum post matrimonium contractũ, obtentaque dispensatione subreptitia in eo impedimento, dispensare confirmando dispensationem Pontificis. Hoc tamen meritó improbat *Palaus cit.n.11.*

Vicarius ad dispẽsandum in matrimonio. 1870 Dubium est 1. an Vicarius Episcopi ex vi sui muneris fruatur prædicta dispensandi facultate? Respondeo negativè cum *Sanchez lib.2 disp.40.n.9.& 10. Gutierr de matr.c.49.n.12.& Palao disp.de spons. punt.ult.§.1.n.12.* qui rectè addit hoc procedere quanvis in illius facultate expressum esset, ut possit dispensare in casibus Episcopalibus etiam matrimonialibus. Ratio est, quia cum casus de quo loquimur, non spectet ad ordinariam jurisdictionem, seu potestatem Episcopi, sed ad extraordinariam & delegatam non censetur casus Episcopalis.

Dispensatio ad petendum debitum. Dubium est 2. an Episcopi, & alij possint dispẽsare in impedimẽtis quę superveniunt matrimonio legitimè contracto, & impediunt debiti petitionem? Negant *Covarr. in 4.decret. 2.par. c.7. §.2.n.6. Manen.l 5.resop.tit.1.sub g off.1.n. 103. & Hurt.disp.26.diff.2.* loquentes de Episcopo, & afferunt pro exemplis affinitatem contractam cum conjuge ob incestum cum ejus consanguinea patratum, & cognationem spiritualem ob filium levatum ex sacro fonte. Dicunt enim non posse Episcopum in his dispensare, nisi ad summum in casu urgentis necessitatis.

Dicendum tamen est cum *Gutierr.de matr. cap. 122.n.15. Valentia tom.4.disp.10.q.5.p.5. Sanch.lib. 8.d.12.n.13.& Basilio l.8.c.13.n.9.* posse Episcopũ dispensare etiam extra casum urgentis necessitatis. Patet ex receptissima consuetudine, quia passim dispensant, etiam si non detur urgens necessitas. Unde ob eandem dispensant, ut qui ligati absoluto voto castitatis nupserunt, debitum petant. *Mendicantes ad dispẽsandum.*

Quod attinet ad potestatem aliorum, rectè cum multis relatis docet *Sanch.l.8.d.16.n.3.& 8.* posse religiosos Societatis, & alios Mendicantes, qui communicant illorum privilegijs, si a suo Provinciali facultatem habeant, dispensare ad debitum petendum tum cum ijs qui contraxerunt legati voto simplici castitatis, tum cum cõtrahentibus affinitatem post contractum matrimonium. Hoc extendit *Roter. addit.ad bullã §. 13. n.17. Sanch.citato n.9.*

QUÆSTIO II.

Quæ sint causæ ob quas Pontifex licitè possit dispensare in impedimentis dirimentibus?

1871 ANte quam numeramus, & exponamus causas quæ á Doctoribus assignantur, supponendum est 1. ex impedimentis juris positivi, alia esse quæ nascuntur ex sola lege Pontificis, qualia v.g. consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis & legalis: alia quæ supponunt obligationem specialem matrimonio contrariam, quæ proveniat a voluntate ipsorum conjugum, ut sunt castitatis, & religionis votum. *Causa ad dispensandum in impedimentis.*

Supponendum 2. maiora & strictiora impedimenta exigere maiorem & urgentiorem causam ad dispensandum. Quia quò vinculum magis strictum est eo magis urget ratio prohibitionis. Unde gravior causa postulatur ad dispensandum in impedimento consanguinitatis quam affinitatis, in cognatione spirituali quàm legali: item maior ad gradum propinquiorem, quam remotiorem. Supponendum 3. cæteris paribus faciliùs esse dispensandum cum principibus, quã cum nobilibus, & faciliùs cum his, quàm cum plebeis.

Votorum dispẽsationis causa. His ita suppositis, si loquamur de impedimẽtis quæ nascuntur ex voluntate ipsorum conjugũ, qualia diximus esse vota religionis & castitatis distinguendum est inter votũ castitatis, solẽne & simplex: nam solẽne utpote matrimo-

 nium

nium dirimens exigit causam gravissimam, quæ in bonum commune multum cedat, quale matrimonium magni Principis: reliqua verò simplicia vota religionis & castitatis, quæ non dirimunt, sed solum impediunt matrimoniũ, eam tantum desiderant causam, quæ obstet exequẽdo voto: potest autem obstare, vel ob grave periculum transgressionis, vel ob gravem difficultatem executionis. De quibus latius dictum a nobis *tract. 4. sect. 13.*

Causæ dispẽsandum in matrimonio numerãtur.

Si loquamur de impedimentis quæ proveniunt ex sola lege Pontificia, solent octo causæ recenseri a Doctoribus, quas breviter expediemus cum *Sanch. l. 8 d. 19. & 20. Bellarmino disp. 33. dub. 5. Basilio Ponce l. 8. c. fin. Gasp. Hurt. disp. 26. diff. 3. & Palao disp 4 de sponsal. pun. ult. §. 2.* Prima causa est periculum fornicationis ob habitationem frequentem, timor gravium discordiarum ac litium, itẽ jactura famæ, quæ imminet fœminæ, nisi nubat viro, pro quo dispensatio petitur 2. causa est quãdo si non detur dispensatio, fœmina cogetur manere innupta, v.g. quia nõ invenietur aliud matrimonium cõgruens. Unde defectus matrimonij in hac vel illa fœmina ita erit damnum peculiare, ut noceat communi bono.

Tertia causa est defectus sufficientis dotis, ob quem nõ potest æquali & competenti viro extraneo nubere. Est enim bono communi expediẽs celebrari matrimonia inter æquales. Et procedit quanvis fœmina speret habere sufficientem dotem post mortem parentum, dummodò actualiter non habeat.

1872 Quarta causa est, si adsit periculum in altero conjuge patiendi grave damnũ in bonis quæ possidet, vel possidendi jus habet, nisi nubat viro, aut fœminæ cum quo impeditus est. Quia tunc suadet pietas gravi illi damno occurrere. Secus est, si solum detur spes acquirendi multa temporalia bona: quia hæc potius æternis obstant, quam conducant. Quinta causa est conservatio alicujus illustris familiæ in eodem sanguine. Nam juxta *l. 1. §. denuncia. ff. de ventre insp.* reipublicæ bonũ expedit hujusmodi cõservatio. Adde ex citata lege sufficere conservationem multarum divitiarum in eadem familia.

Sexta causa est proles habita cum cõsanguinea ex matrimonio bona fide contracto. Sumitur ex *c. quia circa de consanguin.* ubi habetur consonum pietati esse ut conjuges separentur. Dixi (bona fide contracto) quia si contractum fuit mala fide utriusque, non dabitur causa sufficiens: incestus enim movere nequit Pontificem, ut faveat incestuosis. Septima est meritorum excellentia erga Pontificem & Ecclesiam. Sumitur ex *C. tali conjugio 1. quæst. 7.* Quia rationi consonum est, ut experiantur benignitatem Ecclesiæ, qui de ea sunt benemeriti.

Octava est pecuniarum exhibitio in subsidium Apostolicæ Sedis, præcipuè ut dispẽsetur in gradibus remotioribus. Et certè ob illud pietatis opus meritò nupturi a communis legis vinculo eximuntur. Circa causas hactenus numeratas rectè observant supra citati authores legitimam causam dispensationis, posse consurgere ex pluribus simul acceptis, quando singulæ insufficientes reputantur.

QUÆSTIO III.

Quæ falsitatis expressio, & suppressio veritatis dispensationem vitiet?

Expressio falsitatis in dispensatione.

1873 Cum jam satis decreverimus hanc quæstionem generaliter acceptam in ordine ad quodcunque legis vinculum dispẽsatione tollendum, paucis matrimonialem decidemus. Quod attinet ad expressionem, rectè cõveniunt *Sãch. l. 8. d. 24. n. 17. Gutierr. de matr. c. 124. n. 8. & Basilius Ponce l. 8. c. 17. n. 31.* gradum dispensandum semper exprimendum esse, ita tamen, ut si cõjuges sint consanguinei vel affines in tertio gradu, & proponatur secundus, valeat dispensatio, non è contra. Quia sub secundo tertius continetur, & non secundus sub tertio.

Gradus exprimendus in dispensatione.

Quid si nupturi duplici titulo conjuncti sint in eodẽ, vel diverso gradu, v.g. bis patrueles, aut bis cognati spirituales? debet ne hujusmodi multiplicata conjunctio explicari? Negant *Henriq. l. 12. c. 10. & Petrus Ledesma de matr. c. 27.* Affirmandum tamen omninò est cum *Sanch. l. 8. disp. 24. n. 5. Bellarmino dub. 6. n. 8. Gasp Hurt. disp. 26. diff. 6. & Basilio l. 8. c. 17. §. 5. n. 25.* Ratio est quia in odiosis qualis est dispensatio, mixtum non continetur sub simplici. Et sic se habet stylus Romanæ curiæ. Unde non prodest clausula (non obstante) quia hæc non supplet qualitatem exprimendam necessariò, sed solum confirmat expressam.

Copula exprimenda ad dispensationem.

Non erit tamen necessarium juxta *Sanch. cit. n. 7.* exprimere multiplicem copulam ex qua orta est affinitas, sicut nec multiplicem celebrationem Missarum excommunicati ex qua irregularitas orta est. Quia ex tali multiplicitate vinculum novum non insurgit. Unde si obtenta Pontificis dispensatione in affinitate, antequã Ordinarius eam exequatur, impetrans iteret copulam cum eadem consanguinea fœminæ a se ducendæ, adhuc valet dispẽsatio: secus, si accedat copula postquam ordinarius dispensavit.

Consanguinitatis qualitas explicanda.

Quid circa qualitatem ejusdem gradus v. g. consanguinitatis 1. est ne explicãda, ut si vir patruus vel avunculus fœminæ, aut è contra, fœmina amita, vel matertera viri? Quanvis *Basilius l. 8. c. 17. n. 27.* absolutè neget in utroque casu: tamen dicendum est cum *Molina tom. 1. just. disp. 161. vers. illud tamen, & Sanch. l. 8. d. 24. n. 12.* si fœmina sit amita viri, seu matertera, explicandam esse necessariò hujusmodi qualitatem. Quia cum fœmina per matrimonium fiat subdita & inferior suo consobrino, cui jure naturæ superior erat, postulatur mentio hujus qualitatis dispensationem reddentis difficiliorem. Benè tamen *Sanch. ibid.* limitat ut non sit necessaria, talis explicatio, quando sunt in quarto gradu v. g. quando vir est cum fœmina in tertio & quarto, hoc remoto trahente ad se proximum. Quia nulla ferè æstimatio eorum fit.

1874

1874 Ob eandem rationem meritò idem *Sanch.cit.à n.12.* docet 1. in affinitate vel publica honestate opus non esse declarare illam majoré fœminæ propinquitatem stipiti, sed sufficere explicare inæqualitatem gradus. Quia in his non apparet tanta difformitas ob defectum reverentiæ. Docet 2. opus esse declarare in consanguinitate, affinitate, vel publica honestate distantiam graduum in linea recta. Datur enim specialis indecentia. Docet 3. idem dicendum de cognatione spirituali: quia refert sit ne consiliatio, an cõpaternitas: non tamen refert, ex baptismo, an ex confirmatione orta fuerit. Docet 4. necessarium esse exponere, quando publica honestas ex matrimonio rato orta fuit. Quia hęc longê major est, quàm orta ex sponsalibus.

Ut autem regrediamur ad qualitatem consanguinitatis, quando nupturi distant inæqualiter ab eodem stipite, v.g. in secundo & tertio gradu itaut vir sit in proximo, & fæmina in remoto, docet Sanch.l.8.d.24.à n.25. postulari quasdam litteras declaratorias, quæ scilicet seorsim a rescripto declarent illam inæqualitatem, quæ ab eodem stipite datur inter contracturos, ut tales litteræ Ordinario dispensaturo tradãtur. Hæ solum habent vim pro foro externo, & vitando scandalo: proindeque si ommittantur non vitiant dispensationem in foro interno. Videndum est, an in Lusitania detur usus harum litterarum. Mihi solum constat non dari in diœcesi Olyssiponensi.

Taciturnitas veritatis. Quod attinet ad suppressionem veritatis, præcipua difficultas est, an suppressio, seu taciturnitas copulæ habitæ inter consanguineos, vel affines irritet consanguinitatis, vel affinitatis dispensationem? Partem negantem absoluté tenét *Henriq.l.12.c.2.n.7. Sâ v. dispensatio n.11. Rodrig. in sum.tom.2.c.238 n.8. Zebellos pract.q.737.n.6. Gasp. Hurt.disp.26.matr.diff.5. & Basilius Poncel.8.c.17 §.6.n.32.* Probant, quia incestus ille ex tali copula non est impedimentum, quod proinde indigeat dispensatione: deinde non reddit difficiliorẽ dispensationem in consanguinitate & affinitate sed potiùs movet Pontificem ad dispensandum pro tollenda miseria, & occurendum malis in posterum.

Addunt citati hoc aliquo modo procedere, etiam si Pontifex in litteris dispensationis apponat clausulam (*dummodo copulam non habuerint*) quia intelligi debet de publica & probata, & non de secreta: unde si habuerunt secretum, & Ordinarius de copula illos interroget, negare cum restrictione poterunt.

Copulæ mentio facienda ad dispẽsationem. Hæc sententia probabilis est. sed probabilior opposita quam defendunt duce *Sanch.l.8.d.25. n.8. Rebell.l.3.de matrim.q.5.n.24. Bellanus disp.33. dub.6.n.83. Quaranta in sum. Bullar. v. matrimoniales dispensationes num. 13. & Reginal. in prax.l.31.n.200.* asserentes mentionem copulæ semper esse faciendam hoc discrimine, quod si copula sit publica, fiat mentio in petitione, si sit secreta, fiat in sacra Pœnitentiaria. Sic enim (inquit *Garcia de benef.par.8.c.3.n.3.*) sæpe decisum est a sacra Cõgregatione. Quia incestus & si reddat dispensationem faciliorem, quãdo non habetur ex malitia ad ipsam impetrandam, sed ex fragilitate, tamen facit ut dispensatio aliter concedatur, quám concedenda foret, si non haberetur. Nam Pontifex eo expresso solet pecuniæ summam exigere, & pænitentias alias injungere.

1875 Dubium est 1. an posita resolutio sit extendenda ad eos qui ligantur impedimento publicæ honestatis, vel cognationis sive spiritualis, sive legalis? Negat *Sanch.l.8.d.25.n.9.* Probat tum ex eo quod copula inter hujusmodi impeditos proprié incestus non est: tum quia de illius manifestatione stylus curiæ non adest. Affirmant *Gallego de cognat.spirit.c.24.n.3. & Garcia de benef. p.8.c.3.n.65.* & pro hac parte affert nonnullas decisiones S.Congregationis n.66. quibus favet *Palaus d.4.pun ult.§.3.n.7.* Probant, quia sicut copula inter consanguineos & affines prohibetur in reverentiam pietatis, ita copula inter cognatos sive legales prohibetur intuitu religionis & pietatis; ergo idem procedit de utraque. Mihi videtur probabilis utraque sententia.

Dubium est 2. an qui habuerunt copulam ea intentione ut faciliùs dispensationem impetrarent, hujusmodi intentionem debeant in petitione declarare? *Gaspar Hurtado disp.26.de matr. diff.5.in fin.* existimat talem intentionem solum oportere declarari, quando manifesta fuit: secùs quando omninò occulta fuit, seu interiùs solum concepta. Hoc probabile judicat *Palaus cit. n. 9.* Quia actus meré interni potestati humanæ non subduntur. *Intentionis declaratio in petitione.*

Dicendum tamen est cum *Sanch.citato Toleto l.7.c.18. Garcia de benef.p.8.c.3.n.96. Navarro c.22. n.86. Rodrig.qq.regul.tom.2. q.46.art.6. & Rebello 2.p.l.3.q.5.n.24.* talem illam intentionem etiam occultam esse declarandam 1. quia illa declarata Pontifex dispensat difficiliùs & injungit pænitentias 2. quia illius taciturnitate virtualiter falsum exprimitur, nempe fuisse copulam habitam ex fragilitate: cum fuerit habita ex malitia.

Supererant exponendæ clausulæ quæ in dispensationibus apponi solent. Item quando subsistere debet causa in dispensationibus allegata: quando ex illius cessatione dispensatio corruat, & aliæ similes difficultates. Sed jam alibi, præcipuè tract.4. hæc omnia exposuimus.

TRAC-

TRACTATVS XLVII.

De Censuris in genere.

SECTIO I.
De essentia, multiplicitate, & potestate instituendi, ac ferendi censuras.

QVÆSTIO I.
Quid sit censura, & quotuplex?

1846 QUOAD priorem quæstionis partem, quæ a nobis exigit circa cẽsuram exponere quid nominis, & quid rei, dicendũ est censuram apud Latinos duplicem habere significationem. Nam primò ac præcipuè idem valet atque censoris munus, & dignitas: sicut enim prætura dicitur a prætore, sic censura a censore appellatur. Fuit autem censor Romæ magistratus institutus pro corrigendis singulorum ordinum moribus, dictus a censendo: nam censeo significat cõstituere & præcipere *l. 3. ff. de verb. signif.* item taxare & judicare. Sumitur igitur etiã censura a *Plinio in paneg.* pro censione, sententia, animadversione, seu correctione per censorem illata. *Censura nomen.*

Apud Theologos & Canonistas vox illa trãslata est ad significandum censionem, seu correctivam sententiam judicis Ecclesiastici, sub qua latitudine tripliciter usurpatur 1. latissimè pro omni severa correctione Ecclesiastica, quæ per modum pœnæ, seu mulctæ infligitur 2. minûs latè pro sententijs Ecclesiasticis, quæ pœnæ quidem sunt, sed non valde odiosæ, potiùsque salutiferæ & medicinales, sub qua amplitudine quinque continentur, scilicet excommunicatio, suspensio, interdictum, cessatio a divinis, & irregularitas. *Censura acceptio.*

3 Strictè ac propriè secundũ præsens institutum, prout ab Ecclesia frequentiùs sumitur, a *Suario de cens. disp. 1 sec. 1. n. 5.* in hunc modum definitur: *Est pœna spiritualis & medicinalis privans usu aliquorum spiritualium bonorum per Ecclesiasticam potestatem ita imposita, ut per eandem ordinarié absolvi possit.* Loco generis ponitur (pœnas) & excludit irregularitatem, quando hæc pęna non est. Dicitur (spiritualis) quia primariò est privatio bonorum spiritualium, quanvis secundariò aliquo bono corporali privet. *Censura definitio.*

Additur (*privans usu aliquorum spiritualium bonorum*) quia non privat bonis habitualibus, quales sunt character, & virtutes infusæ. Particula (*per Ecclesiasticam potestatem*) denotat censuram esse pœnam legitimam, quę proinde non nisi ab habente jurisdictionem & potestatẽ infligi potest. Denique particula (*per eandem ordinarié absolvi possit*) ostendit censuram esse ligamen dissolubile, & ex se pœnam temporalem: si enim foret perpetua, & absque spe remissionis, medicina esse non posset. Per illam igitur particulam rejicitur omnis pœna quæ ab Ecclesia imponitur ut perpetua absque spe remissionis, ut depositio, degradatio, & similes. *Pœna temporalis & perpetua.*

1847 Quod attinet ad posteriorem quæstionis partem de multiplicitate, 1. difficultas est, quotuplex sit censura accepta in genere? *Sotus in 4. dist. 22. q. 3. a. 1.* quem sequuntur nonulli Thomistæ, recenset quinque species, nempe excommunicationem, suspensionem, interdictum, cessationem a divinis, & irregularitatem quæ pro culpa infligitur. Alij quinque numeratis addunt duas, scilicet depositionẽ & degradationem, proindeque septem censuras generi communissimo immediatas recensent. *Censurarum multiplicitas.*

Nihilominus dicendum est cum *Suario de censuris disp. 1. sect. 3. Lambertino de jure patron. 1. p. l. 2. q. 9. art. 3. n. 3. Ugolino de censur. tab. 1. c. 26. Laymano l. 1. tr. 5. parte 1. c. 2. n. 1. Avila de cens. par. 1. dub. 5. Bellano disp. 13. dub. 1. n. 3. & Bonacina disp. 1 q. 1. n.* 4. censuram in rigore acceptam solum esse triplicem, scilicet excommunicationem, suspensionẽ, interdictum. Pro hac parte difficultatem propositam claré diremit Innocentius tertius, qui interrogatus quidnam censuræ nomen significaret quando in jure, aut litteris Apostolicis apponitur hæc clausula (*Per censuram Ecclesiasticam*) respondit intelligi sententiam excommunicationis, suspensionis, & interdicti. Sic habetur in *c. quærenti, de verb. signif.* *Censura in rigore solũ triplex.*

Cum igitur responsio Pontificis fuerit doctrinalis per verba indefinita, atque adeo ęquipollens universali, ac si diceret omnem censuram illis tribus membris contineri, sequitur nullam aliam Ecclesiasticam pœnam censuram esse. Unde cessatio a divinis vel continetur sub interdicto, vel censura non est. Irregularitas prout pœna etiam censura non est, cũ incurratur per ministrantem Sacramenta in censura, & non per ministrantem in irregularitate. *Irregularitas nõ est censura.*

1848 Secunda difficultas est quænam sit multiplicitas censuræ triplicis assignatæ, scilicet excommunicationis, suspensionis & interdicti? Respondeo cũ communi Theologorum, quos citant & sequuntur *Ugolinus tab. 1. c. 9. §. 4. Suar. de cens. disp 3. sec. 1. Sayrus l. 1. c. 7. n. 1. quæsito 1. Filliucius tr. 1. quæst. 3. & Bellan. disp 13. dub. 11.* unamquamque ex triplici specie assignatę censuræ, scilicet excommunicationis, suspensionis & interdicti quadruplicem esse, seu quadrupliciter se habere. Nam alia dicitur censura a jure, alia ab homine, alia sententiæ latæ, alia sententię ferendæ. *Censura quotuplex.*

Singulas expono. Quælibet ex tribus assignatis, *Censura a jure & ab homine.*

tis, excommunicatione, suspensione, & interdicto dicitur censura a jure, quæ fertur a legislatore ex intentione condendi legem, vel generale statutum perpetuum injuncta transgressoribus pœna censuræ. Quælibet dicitur censura ab homine quæ fertur a prælato aliquid præcipiente, non ex intentione condendi legem, aut statutum perpetuum, sed intentione imponendi præceptū transitorium, lata censura contra transgressores.

Quælibet insuper dicitur censura latæ sententiæ, quando ita imponitur, ut ipso facto incurratur absque alia judicis sententia. Quælibet tādem dicitur censura sententiæ ferendæ, quando solum est cōminatoria, nec ipso facto incurritur ante sententiam judicis.

QUÆSTIO II.

Quænam sint discrimina, ut possint dignosci censuræ juris & hominis, sententiæ latæ & ferendæ?

UT plenius innotescat hæc quadrimembris divisio censuræ, duas illius cōbinationes, alteram censuræ a jure & ab homine, alteram censuræ latæ, & ferendæ sententiæ discriminari sigillatim oportet. Quod attinet ad priorem, cēsura ab homine discriminatur a censura a jure 1. quia hæc scilicet lata a jure, etiam post mortem legislatoris perseverat: secus illa quæ fertur ab homine. Ratio discriminis est, quia jus nempe lex ex sua ratione habet perpetuitatem, atque adeo durat quamdiu non abrogatur: siquidem conditur nomine Dei, seu communitatis permanētis: at censura lata ab homine, cum solum pendeat ab ejus jurisdictione, quæ cessat eo mortuo, aut amoto ab officio, ulterius durare nequit.

Discrimē inter censuras.

1879 Discriminatur 2. quia censura lata a jure nunquam pro peccatis præteritis ferri potest sed solum pro futuris, at censura lata ab homine non solū pro futuris, sed etiā pro præteritis in eorum emendationem & satisfactionē ferri potest. Et quidem iste modus ferendi censuram ab homine pro peccatis futuris non est solius Romani Pontificis, sed etiam spectat ad prælatos inferiores, ut docent *Suar disp. 3. sect. 4. & Bellarus disp. 17. dub. 2. n. 15.* quin obstet *cap. Romana de sent. Excom. in 6.*

Censura pro peccatis præteritis.

Addit *Palaus de cens. disp. 1. pun. 2. n. 3.* hujusmodi censuram ab homine esse duplicem, aliam specialem, aliam generalem: specialis est quæ fertur in determinatas personas ob factum particulare: ut si Episcopus omnes qui furtum commiserūt, nisi intra tale tempus dent restitutionem, excōmunicet: vel excomunicet Petrū ob ipsius absētiā a beneficio. Generalis dicitur, si prælatus non in personas determinatas & certas, sed absoluté in omnes qui festū violaverint, censuram ferat.

Censura ab homine specialis & generalis.

Quod attinet ad posteriorem combinationē de censura latæ, & ferendæ sententiæ, id præcipuum inter utramque discrimē intervenit, quod in censura sententiæ latæ, cum debeat esse, debeat explicari manifestis & perspicuis verbis: aliter non censetur sententiæ latæ, sed ferendæ. Quia rigores in dubio solent mitius interpretari. Hæc magis patebunt, quando modum & formam ferendi censuras infra exposuerimus.

QUÆSTIO III.

An in Ecclesia sit potestas instituendi, & ferendi censuras & a quo jure procedat?

1880 DIversum quid esse instituere censuras, & ferre censuras, patet manifesté ex eo quod latio censurarum supponit necessario illarum institutionem: quamdiu enim hujusmodi pœna moralis in suo esse morali per suas causas extrinsecas & intrinsecas constituta non fuerit, censura ab aliquo in aliquem ferri non poterit.

Quod attinet ad priorem quæstionis partem, *Valentia tom. 4. disp. 7. q. 17. pun. 1.* testatur fuisse hæreticos, qui Ecclesiæ concedebant potestatem instituendi & ferendi censuras, diminutam tamen, scilicet ad censuras, quæ privarent sola communicatione externa & politica, non verò bonis spiritualibus. Alij etiam fuere audaciores qui talem potestatem omninó & absoluté denegarunt, ut habetur ex *Concil. Constantien. sess. 8. errore 30. & sess. 15. errore 19.* Probabant, quia potestas, quam Christus dedit suæ Ecclesiæ ligandi atque solvendi *Matth. 16. & 18.* solum est in ordine ad peccata, quæ sola viam & aditum regni cælorum impediunt, & non ad censuras.

Censuras instituendi & ferendi potestas.

Nihilominus certum de fide est in Ecclesia dari potestatem instituendi & ferendi veras cēsuras. Definitur a *Concilio Constantiensi sess. 8. errore 30. & sess. 15. errore 19.* Sumitur ex praxi totius Ecclesiæ, quæ fundatur in verbis Christi apud *Matth.* citatum, ubi absque ulla limitatione conceditur Ecclesiæ potestas ligandi atque solvēdi in ordine ad bonum ac necessarium illius regimen in foro interno & externo, sine qua corpus mysticum conservari non poterat. Cum verò hujusmodi potestas solum fuerit Ecclesiæ promissa a Christo *Matth. 16 & 18* quando dixit Petro *Tibi dabo claves regni cælorum* rectè notant *Ægid. Bellarus disp. 14. dub. 3. n. 19. & Palaus cit. pun. 3. n. 3.* post resurrectionem fuisse datam quando Christus dixit Petro *Pasce oves meas Ioan. 20.*

Quod attinet ad posteriorem quæstionis partem inquirentem, a quonam jure proveniat cēsura quando instituitur, & quando fertur *Suarius disp 2. sect. 1.* optimé hanc difficultatem resolvit, ex cujus resolutione, Dico 1. Potestas ferendi & instituendi censuras est de jure divino, quatenus immediaté a Deo originem traxit, & hominibus collata est. Unde appellatur divina in *Extrav. unam sanctam, de maiorit. & obed.*

Institutis & latio censurarum.

1881 Dico 2. Institutio censuræ ita est dē jure humano, ut nulla censura divino jure instituta sit. Patet, quia tunc datur institutio censuræ quando in particulari præscribitur modus talis pœnæ: Christus autem modum in tali pœna non determinavit: Ex quo sequitur nulli peccato annexam esse censuram aliquam ex solo jure divino.

Dico

Dico 3. obligatio non operandi contra censuram, quanvis remote trahat originem a jure divino & naturali, tamen simpliciter est de jure humano Ecclesiastico. Patet, nam causa immediata talis obligationis est Ecclesiæ prohibitio, quæ præceptum humanum est. Unde in prohibitione operandi contra censuram, Ecclesia dispensare valet.

QUÆSTIO IV.

Penes quem in Ecclesia sit potestas instituendi, & ferendi censuras?

Potestas censurarũ penes quos. Ex doctrina *Suarij de cens. disp. 2. sect. 2. Bonacina disp. 1. pun. 2. & Palao disp. 1. pun. 4.* notandũ est 1. potestatem jurisdictionis, sive ad ferẽdam sive ad instituendam censuram esse duplicem, alteram ordinariam alteram delegatam. Ordinaria est quæ alicui Ecclesiastico officio, vel dignitati in perpetuum annectitur. Delegata est quæ personæ annectitur ex voluntate delegantis. Notandum 2. utranque explicatam potestatem solum esse penes homines, sub quorum nomine intelligitur etiam collegium, seu concilium hominum.

Cum igitur illa potestas, de qua inquirimus, duplex sit, altera ordinaria, altera delegata, ut exposuimus, apté decidemus quæstionem in duas partes divisam. Prior inquirit penes quem sit potestas ordinaria instituendi & ferendi censuras? Constat 1. potestatem instituendi censuras *Institutio censurarũ apud quem.* proprié solum residere penes Summum Pontificem. Nam forma essentialis in censuris ferendis est ritus generalis, qui proinde a solo capite Ecclesiæ totius, vel concilio universali sub illo capite congregato statui potest. Ita *Suar. cit. n. 2.* qui *n. 3.* rećte addit hanc potestatem talis conditionis esse, ut quanvis possit, non expediat per Pontificem delegari.

1882 Constat 2. ordinariam potestatem ferendi censuras non solum esse penes Pontificẽ, sed etiam penes omnes Episcopos habentes jurisdictionem. Habetur ex *Trident. sess. 6. refor. c. 3.* *Ordinaria potestas ferendi censuras penes quos.* Addit *Suar.* citatus hujusmodi potestatem, quanvis sit de jure humano prout immediaté impẽditur Episcopis a Pontifice, tamen aliquo modo esse de jure divino, saltem radicaliter, quatenus Christus statuit ut in Ecclesia essent Episcopi, ut pastores. *Ad Ephes. 4.*

Maior est difficultas, an & quibus hæc ordinaria potestas ferendi censuras competat alijs præter Summum Pontificem & Episcopos, ut diximus? Affirmativa resolutio est certissima, quam ex *Cap. Nemo Episcopus 11. q. 3.* tradunt auctores initio citati sequentes *Suarium de cens. disp. 2. sect. 2.* quem a num. 9. usque ad 13. sic *Archiepiscopus ad censuras.* mittimus in compendium. Potestas ordinaria ferendi censuras, quam ex dictis constat inesse Pontifici, & Episcopis, non solum datur in Archiepiscopis & Patriarchis quà talibus, sed etiam in Vicario Episcopi: deinde in Vicario Archiepiscopi, dummodo non extendatur seu exerceatur in suffraganeos, saltem dum Archiepiscopus in sua diœcesi adest, vel non longe abest.

Datur etiam in Vicario electo per Capitulum Sedis Vacantis, & a fortiori in tali Capitulo. Eandem retinent Cardinales in proprijs Ecclesijs, in quibus suos titulos habent. Item superiores religionum. Denique multi Abbates, Archidiaconi, & Archipresbyteri: quibus adduntur Concilia Generalia, Provincialia, vel Synodalia, & Capitulum Ecclesiç: nec non regularium Congregationes, quæ legitimæ sunt, & ab Ecclesia approbatæ. An detur in Parocho? Affirmat *Sylv. v. excommunicatio n. 1.* limitans ad excommunicationem in furto, rapina, & similibus casibus. Negandum tamen est cum *Suar. n. 3. & Bonac. d. 1. q. 1. p. 2. n. 5.* Hæc potestas in prædictis omnibus dicitur ordinaria, quia illis convenit ex vi propriæ dignitatis & officij. Quando cõsuetudine & præscriptione acquiritur, illam revera concedit Summus Pontifex. Non sufficit consuetudo unius censuræ ferendæ, ut circa omnes acquiratur potestas. Hæc omnia ex *Suar. citat.* Vide *Ægid. Tellan. de cens. disput. 13. dub. 4.* *Præscriptio, consuetudo ad censuras.*

1883 Posterior pars circa potestatem delegatam ferendi censuras inquirit, cuinam ordinaria possit delegari, a quo & quomodo? Generalis & vera resolutio est potestatem ordinariam ferendi censuras posse delegari ab omnibus illam habentibus, quos proximé numeravimus: & eam ex delegatione posse habere omnes quibus prædicti illam legitimé commiserint. Ut veró talis commissio legitima sit, rećte docet *Suar. disp. 2. sect. 3. n. 1.* præter potestatem in delegante requiri capacitatem in recipiente, & in utroque voluntatem in altero dãdi, & in altero accipiendi. *Delegata potestas ad censuras.*

Quod attinet ad capacitatem recipientis, quatuor requiruntur conditiones. Prima est, ut sit homo viator, non quidem ut potestas habeat suum effectum sed ut homo potestatem recipiat & retineat: quia mortuo latore censuræ adhuc hæc per virtutem relictam operari potest. Secunda condictio est, ut recepturus potestatem sit rationis compos: aliter incapax est acceptandi, & exercendi actus humanos. Qui veré acceptavit, postea quandiu caret usu rationis exercere nequit. Tertia conditio est, ut sit vir, & nõ fœmina: hæc enim saltem de jure ordinario est incapax jurisdictionis spiritualis ad claves pertinentis, præsertim quæ ad judicium & sententiam ferendam valeat. *Cap. de monialibus, de sent. excomm.* *Jurisdictionis delegatæ capacitas.* *Fœmina ad censuras.*

Quarta conditio est, ut sit baptizatus. Quia munera Ecclesiastica exercere nequit qui nondum intra Ecclesiam existit. Quinta conditio est, ut sit clericus, non quidem in sacris, sed saltem primæ tonsuræ. Quia mere laicus talis jurisdictionis incapax est. *Cap.* [illegible] 89. *dist.* Addunt bene *Suar. disp. 2. sect. 3. n. 11.* [illegible] *1. sum par. 1. c. 3. n. 2.* nec religioso professo, si laicus sit, posse committi talem jurisdictionem. *Laicus ad censuras.* Sexta conditio est, ut non sit conjugatus.

Hic

Hic enim quanvis habeat ordines minores, gestet habitum clericalem, sitque addictus servitio alicujus Ecclesię, propter quæ fruitur privilegio canonis & fori, tamen jurisdictionis Ecclesiasticæ incapax est, ut exprimitur in *c. Sane el. 1. de cleric. conjug.*

Clericus conjugatus ad censuras. Difficultas est 1. an ex dispensatione possit dicta jurisdictio delegari clericis conjugatis, merè laicis, & fœminis? Consentiunt citati authores cum *Palao disp. 1. pun. 4. n. 5* & *Bonacina de censur. disp. 1. q. 1. pun. 2. n. 4.* ex dispensatione Episcopi nō posse fieri talem delegationem. Ratio est quia nemini alteri a Pontifice concessum est procedere adversus consuetudinem, & decreta Ecclesiæ universalis, ut habetur *c. nova de pænit. & remiss.* Solus igitur Summus Pontifex illam delegationē potest facere tum laico, tum clerico in minoribus conjugato.

Fœmina ad censuras. 1884 Dubitatur, an etiam possit eam jurisdictionem delegare fœminæ? Negant *Ægid. Bellanus disp. 13. dub. 4. n. 33. & Aula de cens. 1. p. dub. 6.* Probant, quia potestas ferendi censuras spectat ad claves Ecclesiæ: has autem Christus soli Petro, Apostolis, eorumque successoribus impēdit, nō autem ulli fœminæ, etiam B. Virgini Matri suæ, ut observavit Innocentius in *C. Nova, de panit & remiss.*

Hæc sententia probabilis est, sed opposita probabilior, vel saltem æquè probabilis, quam tuentur duce *Suario disp. 2. de cens. sect. 3. n. 7 Sayrus lib. 1 de cens. c. 5, Filliuc. tr. 11. c. 2. q. 8. Reginald. l. 9. n. 116 Palaus disp. 1 pun. 4. n 5. & Bonacina de cens disp. 1. q. 1. pun. 2. n. 4.* asserentes posse S. Pontificem delegare fœminæ prædictam jurisdictionem. Ratio est, quia fœmina jure divino nō censetur incapax talis potestatis: illa enim potestas quanvis sit spiritualis, non est potestas ordinis, cum possit laico per Pontificem delegari: fœmina autem capax est potestatis spiritualis, v. g. imponendi præcepta in materia spirituali, instituendi, & cōferendi possessionem in beneficijs, ut habetur *c. dilecta de maj. & obed.*

Collegiū ad ferendas censuras. Difficultas est 2. an collegium ex clericis & laicis constans sit capax jurisdictionis, sive ordinariæ sive delegatæ ad ferendas censuras? Certum est collegium Ecclesiasticum esse capax, collegium autem seculare, seu laicum esse incapax. Sola est dubitatio, quando collegium constans laicis & clericis, Ecclesiasticum, vel laicum censeri debeat? *Bonacina citatus n. 7.* ex *Panormitano & Alterio* satis probabiliter resolvit collegium censeri Ecclesiasticum, dum plures sunt Ecclesiastici quam laici: secùs, si plures sint laici: sive æqualis esset laicorum & Ecclesiasticorum. Quia magis dignum trahit ad se minus dignum. *Cap. in dubys, de consecr. Eccles.* Vide quæ ad hanc rem latè disputavimus in nostra *Academia l. 1. quæst. 2. a n. 15.*

Tandem si loquamur de potestate delegandi vel subdelegandi prædictam jurisdictionem, rectè *Suar. citatus a num. 14.* monet 1. eam non debere esse impeditam, v.g. per excommunicationem, vel suspensionem. Monet 2. ab ordinaria pendere in conservari potestatem delegatam, quandiu per hanc delegatus operari non cæpit. Si enim causa nondum inchoata delegans moriatur, vel jurisdictionem amittat, in delegato cessabit jurisdictio. *Cap. licet, de offic. deleg.* Excipiuntur ob singularem favorem fidei Inquisitores. *Cap. ne aliquid, de hær. in 6.* *Inquisitores ad jurisdictionem.*

SECTIO II.

De modo, objecto, & causis ferendi censuram.

QUÆSTIO I.

Quibus conditionibus censura ferri possit, ad debeat?

1885 Circa conditiones, seu modum ferendi cēsuras, duas proponit quæstio difficultates expediendas, alteram de requisitis ad valorem, alteram de requisitis ad licitum modum ferendi censuras. Quod attinet ad valorem, 1. requisitum est, ut inferente detur vera potestas, sive ordinaria, sive delegata. Si igitur tempore quo delinquens erat ligandus, absit potestas a ferente, censuræ impositio evadet irrita 2. requisitum est ut potestas sit expedita. Nam (ut docet Suar. d. 2. sect. 4.) impediri potest, etiam ad valorem actus 1. per censuram excommunicationis maioris, aut suspensionis, dummodó hæc sit publicé denunciata. Occulta enim non obstat valori actus: imò nec obstat falsus titulus profitendi hujusmodi jurisdictionem, in eo qui publica existimatione Ecclesiæ authoritate superioris ad officium introductus est 2. per cessationem superioris, a quo jurisdictio delegata dependet 3. per legitimam appellationem interpositam antequam censura feratur. *Conditiones ad valorem censuræ.*

3 Requisitum est, ut potestas exerceatur in alium, utpote in subditum. Unde nemo in se ipsum censuram ferre potest, quanvis possit incurrere in aliam censuram, occasione illius, quam tulit: v.g. Episcopus excommunicationem minorem, si communicet cum excommunicato ab ipso: vel irregularitatem, si sacrum faciat in Ecclesia a se interdicta. Suar. citat. n. 5. qui addit n. 6. congregationem non posse excommunicare se totam: secus aliquem ex ipsa. *Lator cēsuræ in se ipsum.*

4 Requisitum est, ut nemo per modum judicij ferat censuram in causa propria, in qua ipse agat personam judicis vel actoris. In hoc cum *Suario n. 7.* consentiunt *Fillincius tr. 11. c. 2. quæst. 9. n. 42. & Bonacina d. 1. q. 1. pun. 2. n. 4.* Sumitur ex *c. inter querelas 23. q. 4.* At per modum defensionis valet illius usus contra eum qui violētiam infert *c. dilecto, de sent. excom. in 6.* & est cōsonum axiomati, *vim vi repellere licet.* *Metus inferente censurā.*

1886 5. Requisitum est, ut potens inferre censuram, intendat eam ferre libertate &

Dico 3. obligatio non operandi contra censuram, quanvis remote trahat originem a jure divino & naturali, tamen simpliciter est de jure humano Ecclesiastico. Patet, nam causa immediata talis obligationis est Ecclesiæ prohibitio, quæ præceptum humanum est. Unde in prohibitione operandi contra censuram, Ecclesia dispensare valet.

QUÆSTIO IV.

Penes quem in Ecclesia sit potestas instituendi, & ferendi censuras?

Potestas censurarũ penes quos.

EX doctrina *Suarij de cens. disp. 2. sect. 2. Bonacinæ disp. 1. pun. 2. & Palai disp. 1. pun. 4.* notandũ est 1. potestatem jurisdictionis, sive ad ferẽdam sive ad instituendam censuram esse duplicem, alteram ordinariam alteram delegatam. Ordinaria est quæ alicui Ecclesiastico officio, vel dignitati in perpetuum annectitur. Delegata est quæ personæ annectitur ex voluntate delegantis. Notandum 2. utramque explicatam potestatem solum esse penes homines, sub quorum nomine intelligitur etiam collegium, seu concilium hominum.

Cum igitur illa potestas, de qua inquirimus, duplex sit, altera ordinaria, altera delegata, ut exposuimus, apte decidemus quæstionem in duas partes divisam. Prior inquirit pænes quem sit potestas ordinaria instituendi & ferendi censuras? Constat 1. potestatem instituendi censuras proprie solum residere penes Summum Pontificem. Nam forma essentialis in censuris ferendis est ritus generalis, qui proinde a solo capite Ecclesiæ totius, vel concilio universali sub illo capite congregato statui potest. Ita *Suar. cit. n. 2.* qui *n. 3.* recte addit hanc potestatem talis conditionis esse, ut quanvis possit, non expediat per Pontificem delegari.

Institutio censurarũ apud quem.

1882 Constat 2. ordinariam potestatem ferendi censuras non solum esse penes Pontificẽ, sed etiam penes omnes Episcopos habentes jurisdictionem. Habetur ex *Trident sess. 6. refor. c. 3.* Addit *Suar.* citatus hujusmodi potestatem, quanvis sit de jure humano prout immediate impẽditur Episcopis a Pontifice, tamen aliquo modo esse de jure divino, saltem radicaliter, quatenus Christus statuit ut in Ecclesia essent Episcopi, ut pastores. *Ad Ephes. 4.*

Ordinaria potestas ferendi censuras penes quos.

Maior est difficultas, an & quibus hæc ordinaria potestas ferendi censuras competat alijs præter Summum Pontificem & Episcopos, ut diximus? Affirmativa resolutio est certissima, quam ex *Cap. Nemo Episcopus 11. q. 3.* tradunt authores initio citati sequentes *Suarium de cens. disp. 2. sect. 2.* quem a num. 9. usque ad 13. sic mittimus in compendium. Potestas ordinaria ferendi censuras, quam ex dictis constat inesse Pontifici, & Episcopis, non solum datur in Archiepiscopis & Patriarchis quã talibus, sed etiam in Vicario Episcopi: deinde in Vicario Archiepiscopi, dummodo non extendatur seu exerceatur in suffraganeos, saltem dum Archiepiscopus in sua diœcesi adest, vel non longe abest.

Archiepiscopus ad censuras.

Datur etiam in Vicario electo per Capitulum Sedis Vacantis, & a fortiori in tali Capitulo. Eandem retinent Cardinales in proprijs Ecclesijs, in quibus suos titulos habent. Item superiores religionum. Denique multi Abbates, Archidiaconi, & Archipresbyteri: quibus adduntur Concilia Generalia, Provincialia, vel Synodalia, & Capitulum Ecclesiæ: nec non regularium Congregationes, quæ legitimæ sunt, & ab Ecclesia approbatæ. An detur in Parocho? Affirmat *Sylv. v. excommunicatio n. 1.* limitans ad excommunicationem in furto, rapina, & similibus casibus. Negandum tamen est cum *Suar. n. 3. & Bonac. d. 1. q. 1. p. 2. n. 5.* Hæc potestas in prædictis omnibus dicitur ordinaria, quia illis convenit ex vi propriæ dignitatis & officij. Quando cõsuetudine & præscriptione acquiritur, illam revera concedit Summus Pontifex. Non sufficit consuetudo unius censuræ ferendæ, ut circa omnes acquiratur potestas. Hæc omnia ex *Suar. citat.* Vide *Ægid. Tellan. de cens. disput. 13. dub. 4.*

1883 Posterior pars circa potestatem delegatam ferendi censuras inquirit, cuinam ordinaria possit delegari, a quo & quomodo? Generalis & vera resolutio est potestatem ordinariam ferendi censuras posse delegari ab omnibus illam habentibus, quos proximé numeravimus: & eam ex delegatione posse habere omnes quibus prædicti illam legitimé commiserint. Ut verò talis commissio legitima sit, recte docet *Suar. disp. 2. sect. 3. n. 1.* præter potestatem in delegante requiri capacitatem in recipiente, & in utroque voluntatem in altero dãdi, & in altero accipiendi.

De potestate ad censuras.

Quod attinet ad capacitatem recipientis, quatuor requiruntur conditiones. Prima est, ut sit homo viator, non quidem ut potestas habeat suum effectum sed ut homo potestatem recipiat & retineat: quia mortuo latore censuræ adhuc hæc per virtutem relictam operari potest. Secunda conditio est, ut recepturus potestatem sit rationis compos: aliter incapax est acceptandi, & exercendi actus humanos. Qui veré acceptavit, postea quandiu caret usu rationis exercere nequit. Tertia conditio est, ut sit vir, & nõ fœmina: hæc enim saltem de jure ordinario est incapax jurisdictionis spiritualis ad claves pertinentis, præsertim quæ ad judicium & sententiam ferendam valeat. *Cap. de monialibus, de sent. excomm.*

Jurisdictionis delegatæ capacitas.

Fœmina ad censuras.

Quarta conditio est, ut sit baptizatus. Quia munera Ecclesiastica exercere nequit qui nondum intra Ecclesiam existit. Quinta conditio est, ut sit clericus, non quidem in sacris, seu saltem primæ tonsuræ. Quia mere laicus talis jurisdictionis incapax est. *Cap. [illegible] 89. dist.* Addunt bene *Suar. disp. 2. sect. 3. n. 11. & Laym. 1. sum par. 1. c. 3. n. 2.* nec religioso professo, si laicus sit, posse committi talem jurisdictionem. Sexta conditio est, ut non sit conjugatus.

Laicus ad censuras.

Hic

Hic enim quamvis habeat ordines minores, gesset habitum clericalem, fitque addictus servitio alicujus Ecclesiæ, propter quæ fruitur privilegio canonis & fori, tamen jurisdictionis Ecclesiasticæ incapax est, ut exprimitur in *c. Joannes. 1. de cleric. conjug.*

Difficultas est 1. an ex dispensatione possit dicta jurisdictio delegari clericis conjugatis, merè laicis, & fœminis? Consentiunt citati authores cum *Palao disp. 1. pun. 4. n. 5. & Bonacina de censur. disp. 1. q. 1. pun. 2. n. 4.* ex dispensatione Episcopi nō posse fieri talem delegationem. Ratio est quia nemini alteri a Pontifice concessum est procedere adversus consuetudinem, & decreta Ecclesiæ universalis, ut habetur *c. nova de pænit. & remiss.* Solus igitur Summus Pontifex illam delegationē potest facere tum laico, tum clerico in minoribus conjugato.

Clericus conjugatus ad censuras.

1884 Dubitatur, an etiam possit eam jurisdictionem delegare fœminæ? Negant *Ægid. Bellamus disp. 13. dub. 4. n. 33. & Avila de cens. 1. p. dub. 6.* Probant, quia potestas ferendi censuras spectat ad claves Ecclesiæ: has autem Christus soli Petro, Apostolis, eorumque successoribus impēdit, nō autem ulli fœminæ, etiam B. Virgini Matri suæ, ut observavit Innocentius in *c. Nova, de pænit. & remiss.*

Fœmina ad censuras.

Hæc sententia probabilis est, sed opposita probabilior, vel saltem æqué probabilis, quam tuentur duce *Suario disp. 2. de cens. sect. 3. n. 7. Sayrus lib. 1 de cens. c. 5, Filliuc. tr. 11. c. 2. q. 8, Reginald. l. 9. n. 116 Palaus disp. 1 pun. 4. n. 5. & Bonacina de cens. disp. 1. q. 1. pun. 2. n. 4.* asserentes posse S. Pontificem delegare fœminæ prædictam jurisdictionem. Ratio est, quia fœmina jure divino nō censetur incapax talis potestatis: illa enim potestas quamvis sit spiritualis, non est potestas ordinis, cum possit laico per Pontificem delegari: fœmina autem capax est potestatis spiritualis, v. g. imponendi præcepta in materia spirituali, instituendi, & cōferendi possessionem in beneficijs, ut habetur *c. dilecta de maj. & obed.*

Difficultas est 2. an collegium ex clericis & laicis constans sit capax jurisdictionis, sive ordinariæ sive delegatæ ad ferendas censuras? Certum est collegium Ecclesiasticum esse capax, collegium autem seculare, seu laicum esse incapax. Sola est dubitatio, quando collegium constans laicis & clericis, Ecclesiasticum, vel laicum censeri debeat? *Bonacina citatus n. 7.* ex *Panormitano & Alterio* satis probabiliter resolvit collegium censeri Ecclesiasticum, dum plures sunt Ecclesiastici quam laici: secùs, si plures sint laici: sive æqualis esset laicorum & Ecclesiasticorum. Quia magis dignum trahit ad se minus dignum. *Cap. in dubijs, de consecr. Eccles.* Vide quæ ad hanc rem latè disputavimus in nostra *Academia l. 1. quæst. 2. a n. 15.*

Collegia ad ferendas censuras.

Tandem si loquamur de potestate delegandi vel subdelegandi prædictam jurisdictionem, rectè *Suar. citatus a num. 14.* monet 1. eam non debere esse impeditam, v.g. per excommunicationem, vel suspensionem. Monet 2. ab ordinaria pendere in conservari potestatem delegatam, quandiu per hanc delegatus operari non cæpit. Si enim causa nondum inchoata delegans moriatur, vel jurisdictionem amittat, in delegato cessabit jurisdictio. *Cap. licet, de offic. deleg.* Excipiuntur ob singularem favorem fidei Inquisitores. *Cap. ne aliquid, de hær. in 6.*

Inquisitores ad jurisdictionem.

SECTIO II.

De modo, objecto, & causis ferendi censuram.

QUÆSTIO I.

Quibus conditionibus censura ferri possit, ad debeat?

1885 Circa conditiones, seu modum ferendi cēsuras, duas proponit quæstio difficultates expediendas, alteram de requisitis ad valorem, alteram de requisitis ad licitum modum ferendi censuras. Quod attinet ad valorem, 1. requisitum est, ut inferente detur vera potestas, sive ordinaria, sive delegata. Si igitur tempore quo delinquens erat ligandus, absit potestas a ferente, censuræ impositio evadet irrita. 2. requisitum est ut potestas sit expedita. Nam (ut docet Suar. d. 2. sect. 4.) impediri potest, etiam ad valorem actus 1. per censuram excommunicationis maioris, aut suspensionis, dummodó hæc sit publicé denunciata. Occulta enim non obstat valori actus: imò nec obstat falsus titulus profitendi hujusmodi jurisdictionem, in eo qui publica existimatione Ecclesiæ authoritate superioris ad officium introductus est 2. per cessationem superioris, a quo jurisdictio delegata dependet 3. per legitimam appellationem interpositam antequam censura feratur.

Conditiones ad valorem censuræ.

3 Requisitum est, ut potestas exerceatur in alium, utpote in subditum. Unde nemo in se ipsum censuram ferre potest, quanvis possit incurrere in aliam censuram, occasione illius, quam tulit: v.g. Episcopus excommunicationem minorem, si communicet cum excommunicato ab ipso: vel irregularitatem, si sacrum faciat in Ecclesia a se interdicta. Suar. citat. n. 5. qui addit n. 6. congregationem non posse excommunicare se totam: secus aliquem ex ipsa.

Lator censuræ in se ipsum.

4 Requisitum est, ut nemo per modum judicij ferat censuram in causa propia, in qua ipse agat personam judicis vel actoris. In hoc cum *Suario n. 7.* consentiunt *Filliucius tr. 11. c. 2. quæst. 9. n. 42. & Bonacina d. 1. q. 1. pun. 2. n. 4.* Sumitur ex *c. inter querelas 23. q. 4.* At per modum defensionis valet illius usus contra eum qui violētiam infert *c. dilecto, de sent. excom. in 6.* & est cōsonum axiomati, *vim vi repellere licet.*

1886 5. Requisitum est, ut potens inferre censuram, intendat eam ferre libertate

Metus inferente censurā.

& deliberatione actuali, quę sufficiant ad peccandum mortaliter. Pro maiori tamen hujus requisiti intelligentia, rogabis an voluntas inferētis censuram ita debeat esse libera, ut si interveniat metus gravis, ex quo censura inferatur, invalida sit? Constat apud *Suar.d.2.sec.5.n.4.* censuram illatam per metum cadentem in virum cōstantem, non esse irritam jure naturæ. Patet, quia teste Philos. 3. Et hic. voluntarium ex metu est voluntarium simpliciter. Unde non est irrita sententia justa, quam judex per metum ferre cogitur.

Irritatio censuræ latæ per metum.

An sit irrita jure positivo? Affirmabit aliquis probans a simili quia ab solutio censurę data per metum irrita est; ergo similiter ligatio censuræ, juxta textum in *c.verbum, de pænit.dist.* 1. ibi *Par ligandi & solvendi esse voluit*. Negandum tamen est cum *Suar.disp.2.sect.5.n.6. Bellano disp. 13.dub. 5.n. 36. Gasp.Hurt.de censur.diff.6.n.24. & Palao disp. 1. pun.5.n.2.* Ratio est, quia ex irritatione absolutionis data per metum non rectè infertur irritatio lationis per metū factæ: cum enim irritatio actus sit valde odiosa, non benè arguitur de casu ad casum, etiam similem.

Censuras ferendi modus licitus.

Quod attinet ad licitum modum ferendi cēsuras illum *Suar.disp.2.sect.6.* latè exponit inquirens quid requiratur in inferente censuram, ut rectè & convenienter illam inferat. Iuxta tāti authoris doctrinam loqui possumus vel absolutè de rectitudine morali, vel specialiter de rectitudine justitiæ. Ut moralis rectitudo servetur, necesse est quòd judex nec ferat cēsuram ex pravo affectu, nec prohibitus, nec detur aliqua prava circumstantia. Ut servetur rectitudo justitiæ, debet imprimis judex servare justitiam legalem procurando ut detur ordo jure præscriptus, & adsint requisita. Deinde servare debet distributivam, quatenus non personam, sed causam respiciat: denique commutativam, ad quam spectat, ut nemo ultra condignum puniatur.

Censura conditionis impertinentis.

1887 Rogabis 1. an censura ferri possit sub conditione ad causam non pertinente, v.g. *Excōmunico te, vel suspendo te, si navis ex India non venerit?* Constat talem cōditionem impudenter addi, & censuram sub illa illicitè ferri. Si roges de valore, respondeo 1. quando impertinens conditio est de præsenti, aut præterito, si jam extat, valida est censura: si non extat, invalida. Ratio est, quia conditionalis nihil ponit in esse, si conditio non est apposita: apposita verò cōditione, æquivalet absolutæ.

Quod si impertinens conditio vel sententia contineat intolerabilem errorem, v.g. perplexitatem, ut quando duo excommunicantes apponunt hanc conditionem, *Si alter te non excommunicet*, censura nulla est. Respondeo 2. quando impertinens conditio est de futuro contingente, probabilius videtur censuram esse invalidam. Ratio est, quia continet intolerabilem errorem: actus enim spiritualis potestatis non debet esse pendens a casuali, & impertinente conditione.

Rogabis 2. quo nam tempore expediat ferri censuram? Respondeo cum *Sayro l. 1. thesau. c.14. n.10. & Palao de censur.disp.1 pun.5. n. 13.* non esse expediens ferri die feriato. Quia plerumque exigit causæ cognitionem, a qua, die feriato abstinetur juxta *c.fin.de ferijs*: Erit tamen valida si eo die feratur, etiam absque necessitate. Censuræ tamen denunciatio, ut ad plurium notitiam deveniat, convenienter fit die feriato, si causæ cognitio die non feriato præcedat.

Tempus ad ferendam censuram.

QUÆSTIO II.

An, qualis, & qualiter postuletur monitio ante censuram?

Consentiunt authores cum *Suario disp. 3.sect. 12. Vasq.tr.de excom.dub.12.n.4. Reginaldo lib. 9.n.1180. Bellano disp.13. dub.9.n.79. Bonacina de cens.disp.1.pun.9.n.1. & Palao d.1.pun.5.n.5.* ad incurrendam censuram postulari admonitionem. Hanc expressé requirit jus in tribus locis loquens de triplici censura quæ datur, nempe de excommunicatione *c.sacro, de sent.excom.* de suspensione *c.reprehensibilis, de appellat.* de interdicto, *c.statutum de sent.excom.in 6.* Patet ratione, quia omnis censura ut incurratur quà talis, requirit in delinquēte contumaciam, seu inobedientiam actualem: qui autem a ferente censuram non monetur, cōtumax, & rebellis non est.

Monitio ad censuram.

Explicatur, quia omnis censura fertur vel pro peccato futuro vitando, vel in præteriti satisfactionem: at eo ipso quo sub censura præcipitur peccati vitatio, vel pro commisso satisfactio, datur monitio vel de vitando, vel de satisfaciendo; ergo semper postulatur monitio. Observat autē benè Palaus citatus discrimen inter excommunicationem, suspensionem, & interdictum, quòd excommunicatio nunquam infligitur nisi ut cēsura, ideoque semper monitionem postulat: at suspensio, & aliquod interdictum quanvis censuræ sint, aliquando non ut censuræ, sed ut pænæ apponuntur, & tunc non requirunt præviā monitionem.

Cōt[...] cia. sur[...]

1888 Dubium est 1. an censura non solum sit injusta, sed invalida, si feratur absque prævia monitione? Optimè *Suar.de cens.disp.3.sect.12.n.3.* decidit hoc dubium cum distinctione scilicet injustam esse, sed validam censuram, quam non præcessit canonica, seu trina monitio: invalidam verò illam, quam nulla omninò monitio præcessit. A prima resolutionis parte asserente censuram illam validam, duplex casus excipitur, alter in *c.statuimus, de sentent.excom.in 6.* ubi decernitur irrita excommunicatio maior lata ab eodem judice contra participantes cum excommunicatis, absque canonica monitione præmissa. Alter exceptus casus est, si delegatus accipiat jurisdictionem sub conditione, ut canonicam monitionem præmittat.

Dubium est 2. an in censura excommunicationis aut suspensionis comminatoriè lata pro culpis futuris postuletur monitio distincta a legis vel præcepti intimatione, vel possit judex absque alia monitione transgressorem excōmunicare

nicare, aut suspendere? Non postulari monitionem distinctam, sed posse judicé absque illa excommunicare aut suspendere, affirmant *Sanch. l. 2. matr. disp. 24. n. 28. Avila de cens. 2 par. c. 5. disp. 1. dub. 5. Filliucius de cens. c. 3. q. 3. n. 95. & Bonacina disp. 1. q. 1 pun. 9. n. 4.* Probant, quia per comminationem censuræ datur sufficiens monitio ex parte judicis, & sufficiens contumacia ex parte delinquentis, utpote qui noverit comminationem.

Hæc opinio valde probabilis est, sed magis placet opposita, quam tenent *Covarru in c. Alma mater 1. p. §. 9. n. 5. Suar. disp. 3. de cens. sect. 10. n. 19. Layman l. 1. sum. tr. 5. par. 1. c. 5. n. 6. & Palaus disp. 1. pun. 5. n. 7.* asserentes requiri novam monitionem. Sumitur ex *c. reprehēsibilis, de appellat.* ubi sic: Nec prælati (nisi canonica commissione præmissa) suspensionis, vel excommunicationis sententiam proferant. Illud benè observat *Suar. cit. n. 21.* cōminationem censuræ ferendæ nunquam debere fieri, nisi pro delictis, quæ secum afferunt obligationem satisfaciendi, & habent tractum successivum.

1889 Dubium est 3. a quo, & cui facienda sit admonitio? Respondeo 1. cum *Suar. in disp. 3. sec. 11. n. 1. Filliucio tr. 1 1. c. 4. quæsito 6. & Bonacina de cens. d. 1. q. 1 pun. 9. n. 4.* fieri debere authoritate, & nomine judicis laturi censuram. Ratio est, quia censura fertur contra inobedientiam & contumaciam subditi: non dicitur autem quis inobediens & contumax, nisi authoritate & nomine superioris moneatur. Accedit, quia monitio gerit vices citationis: legitima autem citatio authoritate judicis fieri debet. Respondeo 2. cum *Suar. cit. n. 4.* admonitionem debere fieri personaliter ei qui monetur. Ratio est, quia tendit ad correctionem, quam si admonitus non audierit vitando crimen, aut resipiscendo, contumax erit.

Monitio quotuplex.

Dubium est 4. quotuplex esse debeat requisita monitio, ut censeatur canonica? Debere esse trinam, seu triplicem formaliter aut virtualiter rectè citati authores desumunt ex *Matth. 18. & ju e 16. quæst. 7. c. Omnes decimæ & ex c. constitutionem, de sent. excom. in 6. & c. sacro eod. tit. in 6.* Postulat jus satis rationabiliter hujusmodi trinam monitionem, ut subditus habeat sufficiens spatium ad deliberandum.

Dixi (trinam formaliter, aut virtualiter) ad innuendum modum duplicem, quo fieri solet. Datur enim trina formaliter, quando tribus distinctis vicibus monetur subditus. Est trina virtualiter, quando datur una pro tribus, concesso sufficiente intervallo temporis ad deliberandum, juxta qualitatem & circunstantias negotij, ut si dicat judex: *Mandamus ut intra sex, vel tres dies, vel tres horas, quas tibi pro tribus monitionibus assignamus, compareas.* Observat bené *Bonacina n. 5.* urgēte necessitate fieri posse, ut sufficiat una monitio, non tamen ut omnis omninò omittatur etiam circa paratum ad delinquendum.

Tempus pro monitionibus ad censuras.

Dubium est 5. quantum pro singulis monitionibus spatium temporis debeat constitui? Respondeo constituendos esse pro singulis monitionibus saltem duos dies. Ita expresse *Bonacina disp. 1 q. 1. pun. 9. n. 7.* desumens ex *Suar. in disp. 4. sec. 7. n. 39. Filliucio c. 4. quæsito 8. & Vasquio dub. 12. n. 16.* Colligitur ex *c. constitutionem, de senten. excom. in 6.* Cum enim ibi determinatur observanda esse aliquorum dierum intervalla, satis innuitur spatiū duorum saltem dierum inter unam & aliam monitionem: Notat tamen cum citatis *Bonacina* posse judicem, quando opus fuerit, intervallum ampliare, vel restringere ad unum diē, aut tempus brevius.

Monitio qualis, & qualiter facienda.

1890 Dubium est 6. qualiter, seu quomodo prædicta monitio fieri debeat? Constat in ipsa sententia explicandum esse tempus cōcessum ad deliberandum. Quia aliter monitus non potest intelligere quando adsit ultimus terminus. Constat 2. quando censura fertur in personam determinatam, debere fieri monitionem nomine judicis ipsi reo præsenti. Quid si latitet reus? Rectè docent *Suar. disp. 3 sec. 11. & Ægid. Bellan. disp. 13. dub. 9. concl. 1.* ex *Cap. Sacro, de sent. excom.* sufficere fieri ad ejus domum, vel in Ecclesia, seu platea, aliove publico loco, ex quo notitia ad eū possit devenire, ita tamen ut fiat coram testibus, qui de monitione testari possint.

Scriptura requisita ad censurā.

Maior est dubitatio sufficiat ne fieri verbo tenus, an oporteat fieri in scriptis? Debere fieri in scriptis continentibus causam, pro qua censura fertur, & tradi reo cui imponitur, ita habetur ex *c. 1. de sent. excom. in 6.* ut si judex (nisi fuerit Episcopus) absque causa urgenti solo verbo & nū scripto proferat excommunicationem, ipso jure prohibeatur ab ingressu Ecclesiæ, & suspendatur per mensem a divinis officijs: Quod si intra illud tempus se ingerat divinis, manebit irregularis. Excipitur ab hoc pænali decreto Episcopus: Imò evadet suspensionem quicunque alius, si ex causa urgenti omittat scripturam.

Rogabis, an probatio censuræ verbo tenus non solum evadat illicita, sed etiam invalida? Affirmant *Sayrus l. 1. thes. c. 7. n. 16. & Ripa in Rub. de constitut. n. 18.* Moventur ex *c. fin. de senten. & re judic.* Dicendum tamen est cum *Layman l. 1. sum. tr. 5. par. 1. c. 6. n. 1. Bellano disp. 13. dub. 9. conc. 5. n. 89 & Avila de censur. 2. p c. 2. dub. 3.* talem censuram evadere illicitam, sed non invalidam. Quia nec jure naturæ, nec positivo irritatur. Textus enim citatus *de sententia & re judic.* non procedit de sēntentia ad delictum præcavendum, sed solum de sententia criminis punitiva, & litis decisiva.

Denique bené observat *Palaus de cens. disp. 1. pun. 5. n. 11.* conditiones a nobis hactenus explicatas solum requiri ad lationem censuræ per modum sententiæ. Censura enim quæ a jure fertur per modum legis vel statuti solum exigit illam monitionem & publicationem, quæ ad condēdam legem seu statutum postulantur.

QUÆSTIO III.

An requiratur certa aliqua forma ferendi censuram, & quæ?

1891 SUpponimus divisionem & explicationem censuræ quæ a jure, vel ab homine est, de quibus *sect. 1. quæst. 1. & 2.* ut modò exponamus formas quæ utrique competūt, & modum easdem dignoscendi. Constat apud *Suarium disp. 3. sect. 2. Reginaldum l. 9. n. 194. Avilam par. 2. c. 2. dub. 1. & Bonacinam d. 1. q. 1. pun. 7. n. 2.* ad ferendam censuram, quanvis postuletur externū signum, & non satisfaciat interna voluntas tamē non requiri certa verba, imò nec verba propriè dicta, sed aut verba, aut scripta, aut nutus, aut quæcunque signa, quibus præceptum, seu volūtas superioris de censura lata, vel ferenda ita declaretur, ut nullam repugnantiam, vel indeterminationem, vel confusionem contineant: quales hæ formæ: *Excommunico Petrum. Qui hoc fecerit, sit suspensus.*

Forma ferendi censuræ

Ex dictis sequitur 1. posse mutum, si adsint cætera requisita, ferre censuram: si quidem per nutus, vel aliter potest suam mentem aperire. Sequitur 2. esse ineptam ratione indeterminationis hanc formam: *Ego te excommunico, vel absolvo.* Sequitur 3. reputandam esse pro inepta hanc: *Ego excommunico & absolvo.* Quia modus iste ferēdi censuram est amentis hominis, & illa verba probata per modum unius formæ continent repugnantiam: secus, si operans intendat duas sententias ferre, priús condemnativam, & postea absolutivam.

Mutus ad ferendam censuram.

Dubium est 1. an sufficiat forma, qua feratur censura solum in genere determinata, ut si dicat Episcopus: *Qui hoc fecerit, maneat ligatus censura?* Videtur affirmandum. Quia ut valeat excōmunicatio, non est opus determinare speciem illius, v.g. determinando in forma ad maiorem, vel minorem. Similiter ut valeat suspensio, non est opus determinare formam ad officium vel beneficium; ergo idem de censura in genere etiā in specie non determinata.

Forma censuræ indeterminatè.

Negandum tamen est cum *Suario disp. 3. sect. 2. n. 7. & Bonacinam disp. . q. . pun. 7. n. 3.* asserentibus formam censuræ ita debere exprimi, ut verba determinentur ad aliquam particularem cēsuram. Ratio est, quia verba significant effectū censuræ quem operantur: effectus autem censuræ in genere fieri & existere non potest. Explicatur, quia sicut non valet præceptum de re indeterminata, nec valet sententia judicis condemnans ad pœnam, sine pœnæ determinatione, ita non valet latio censuræ per formam non indeterminantem. Quod si valet excommunicatio lata per verba non determinantia hanc vel illam infimam speciem, & sic de suspensione, est quia jam usus vocem (excommunicatio, vel Suspensio) pro tali & certa specie intellexit.

Censura lata sub disjunctione.

1892 Dubium est 2. an valeat censura lata per formam sub disjunctione, v.g. *Maneat excommunicatus, vel suspensus:* aut in hunc modum, *Suspendo te ab officio, vel beneficio?* Negant *Sayrus l. 4. c. 7. n. 3. l. eiusq. l. 13. c. 32. n. 4. Ugolinus tab. 1. c. 20. §. 3. n. 4. & Navarr. c. 27. num. 161.* Probant, quia censura accepta in genere nequit incurri, ut diximus: cum autem fertur sub disjunctione, non datur maior ratio cur una & non altera incurratur; ergo nulla.

Hæc opinio probabilis est, sed probabilior opposita affirmativa, quam defendunt cum *Suario disp. 3. sect. 2. n. 11. Filliucius c. 3. quæsito 5. n. 58. Alterius l. 3. disp. 9. c. 3. & Bonacina disp. 1. quæst. 1. pun. 7. n. 4.* Probatur, quia licèt forma disjunctiva non determinet expressè censuram ad unā partem, confusè tamen determinat, prout judex intendit ut delinquens incurrat unam illarum, itaut ipsi liberum sit eligere. Explicatur duplici exemplo: confessarius validè injungit satisfactionem pœnitenti sub disjunctione, v.g. aut jejuna biduum, aut impende pauperi duos julios. Deinde judex validè profert sentētiam sub disjunctione v.g. Reus aut mittatur in triremes per biennium, aut solvat mille aureos. Quid si delinquens ad neutram se voluerit determinare? Rectè ex citato *Suar.* respondet *Bonacina n. 5.* si delinquens nullam voluerit, incurrere utramque: si autem unam determinatè noluerit, incurrere alteram.

Dubium est 3. quibus verbis forma censuræ latæ sententiæ proferri debeat, ut discriminetur a forma censuræ sententiæ ferendæ? Respondeo breviter cum *Suario disp. 3. sect. 5.* Quando (inquit) ponuntur particulæ (*Ipso facto vel lata sententia*) quæ eandem rem significant, satis declaratur censuram statim incurri, quanvis addantur verbo de futuro (v.g. *Ipso facto incurratur*) seu (*Ipso facto excommunicetur.*) Idem procedit, quando verba formæ virtute continent dictas particulas: v.g. hæc (*Ecclesiastico subjaceat interdicto. Anathema sit anathematis mucrone percussus. Si hoc feceris, te excommunicatum esse agnoscas.* Prædictis addenda sunt verba hæc de futuro: (*Excommunicationem noveris te incursurum.*) Quia videntur continere censuram ipso facto.

Forma multiplex censuræ latæ & ferendæ sententiæ.

Hæ particulæ *Ex tunc, mox, statim, & similes)* judicandæ sunt juxta exigentiam verborū, quibus adjunguntur. Nam si dicatur (*Statim excōmunicetur*) non sufficit: secus, si dicatur, *Statim, aut ex tunc excommunicatus sit.*

1893 Quando ponitur in forma, *Sub pœna talis censuræ; v.g. excommunicationis, vel sub intermunatione anathematis: vel sub excommunicationis interpositione mandamus:* solum intelligitur censura ferenda: Erit tamen lata propter aliquod additum ut si dicatur: *Sub pœna excommunicationis statim incurrendæ. aut cui mox subjaceat.* Item si judex ante, vel post declaret se intendisse ferre censuram ipso jure. Dicta omnia procedunt tam de censura a jure, quàm ab homine.

QUÆS-

QUÆSTIO IV.

In quas personas censura ferri possit?

Censura in quas possit ferri. UT exponamus objectum materiale, seu causam subjectivam censuræ, rectè cum *Suario de cens. disp. 5. sect. 1. Laymano l. 1. sum tr. 5. par. 1. c. 4. n. 1. Ægid. Bellano disp. 13. dub. 6. & Bonacina de cens. d. 1. q. 1. pun. 4. n. 2.* consentiunt Theologi quinque requiri conditiones ut censura in aliquem terminari possit 1. ut sit homo. 2. ut sit baptizatus. 3. ut sit viator 4. ut sit rationis cōpos 5. ut sit subditus.

Exponamus, & examinemus singulas. Prima conditio est ut subjectum censuræ sit homo, scilicet animal rationale, sub quo continetur vir & mulier. Unde nec angeli, nec bruta animalia cēsuram terminare possunt. Angeli enim, si beati, culpæ expertes sunt: si damnati, sunt incorrigibiles. Bruta cu pœ moralis sunt incapacia, & potestati Ecclesiæ nō subduntur. Nec obstat quod Ecclesia solet bruta hominibus nocentia anathematizare: tunc enim non fert censuram: sed nocumenta illa execratur, sicut homo quandoque suas culpas & scelera anathematizat. Per illam igitur cæremoniam Ecclesia Dei precatur illis interitum, ut hominibus desinant nocere.

Baptizatus ad censuras. Secunda conditio est, ut homo sit baptizatus seu in Ecclesia fidem professus. Unde censura percuti nequeunt Paganus, Iudæus, Cathecumenus. Nullus enim Ecclesiæ directè subditur, qui per Baptismum, illius januam ingressus nō est, juxta *Apostol. 1. ad Corint. 5. de iis qui foris sunt nihil ad nos.* Secus dicendum de Apostatis, Hæreticis, & Schismaticis. Hi enim quia baptizati præceptis ac pœnis Ecclesiasticis subjacent.

Viator & mortuus ad censuram. Tertia conditio est, ut sit homo viator, nempe vitam agens in hoc mortali corpore. Sumitur ex verbis Christi, *Quæcunque ligaveris super terram.* Matth. 16. quasi quæ existunt intra terram vel extra terram ligari nequeant. Unde nec defunctus, nec existens vel in cælo, vel in Purgatorio, vel in Inferno censura ligari possunt. Quia defunctus sive habeat animam unitam, sive separatam a corpore, vel existit in cælo, vel in Purgatorio, vel in Gehema. In cælo autem & Purgatorio sunt impeccabiles, in Gehema sunt incorrigibiles.

Infertur 1. non ligari censura illum qui mādavit Petro clericum occidere, & Petrus illum occidit post mortem mādantis. Infertur 2. mortuum qui commisit in vita delictum propter quod censura comminatoria lata fuerat, non ligari censura, pro ut hæc pœna est, utpote delicti incapacem. Unde interdictum locale, juxta *c. si civitas, de sent. excommun. in 6.* fertur in locum non in hujus, sed hominis pœnam.

Absolutio censuræ post mortem. Quando jus præcipit excommunicatum absolvi post mortem, sicut habetur in *c. a nobis el. 2. de sent. ex omm.* ubi Innocent 3. reddens rationē docet posse Ecclesiam solvere & ligare defunctos, rectè *Suar. disp. 5. sec. 1. n. 11.* exponit textum de absolutione & ligatione indirect, non directa, pro ut Ecclesia fidelibus in hac vita degentibus potest præcipere ne suffragia offerant pro anima excommunicati, vel im pœnitētis, item ne mandent illius corpus sepulturæ in loco sacro; potest etiam utrunque concedere.

Quarta conditio est ut sit compos rationis, saltem quando dedit causam censuræ. Cum enim censura absque culpa nequeat contrahi, & culpā committere nemo possit absque rationis usu, sequitur hunc requiri ad censuram incurrendam. Observant bene *Suar. disp. 5. sec. 1. n. 10. & Palaus d. 1. p. 6. n. 1.* ut censura incurratur attendendum esse tempus causæ datæ, seu criminis commissi. Unde si mandans clericum interfici tempore interfectionis sit ebrius, vel dormiens, vel amens, excōmunicatione ligatur: absolvi tamen debet in eadem amentia, si hæc perpetua sit.

1894 An verò præter rationis usum pubertas exigatur? Affirmant *Ugolinus de censur. c. 17. §. 3. n. 5. & Sayrus l. 1. c. 8. n. 4.* existimantes nō posse impuberem ligari excommunicatione per judicem. Probāt, quia ante pubertatem non datur rationis usus ita expeditus ut percipiat judiciarium ordinē, possitque admitti in judicio ad agendum, vel se defendendum. *Pueri & puberes ad censuram incurrendā.*

Dicendum tamen est cum *Suar. disp 5. sec. 1. n. 17. Ægid. Bellano disp. 13. dub. 6. n. 45. Hurtado de censur. diff. 7. n. 30. & Palao cit. n. 2.* censuræ a jure latæ capacem esse impuberem rationis compotem. Potest enim committere delictum propter quod censura imposita est. Videtur idem procedere de censura lata per statutum, nisi oppositū ex consuetudine pateat. Quod si censura speciali sententia sit ferenda; Rectè *Palaus cit. n. 2.* existimat posse ferri contra impuberem, sed non expedire, saltem ut directè feratur. Prior pars suadetur, quia licet impubes nesciat ordinem judiciarium, de eo potest instrui, & per suum procuratorem in judicio respondere. Quod non expediat, satis ostendit recepta consuetudo. Dixi (directè) quia solent indirectè ligari generali populi interdicto. *Impubes ad censuram.*

Quinta conditio est, ut ligandus censura sit subditus illius a quo censura fertur. In hac præter citatos, consentiunt *Vasq. tr. 3. de excom. dub 17. n. 6. & Alterius li. 3. disp. 10. c. 5.* Ratio est quia potestas ad ferendas censuras continetur sub jurisdictione coercitiva; hæc autem in solos subditos exerceri potest.

Infertur 1. neminem posse se ipsum excommunicare, suspendere, vel interdicere. Patet quia nemo sui ipsius subditus est, itaut in se ipsum potestatem jurisdictionis coercitivam exercere possit. Infertur 2. Summum Pontificem nec excōmunicati, nec suspendi, nec interdici posse. Sumitur ex *c. cuncta per mundum 9. q. 3.* Quia ille nec superiorem habet, nec ipse sibi ipso inferior est. An peregrinus qui est in aliena diœcesi possit excommunicari & suspendi per Episcopum talis diœcesis, vel per suum proprium absentem? Constat ex dictis *tract. 4. de legibus: de quo videatur Palaus tract. 3. disp. 1. pun. 24. §. 3. 4. & 5.* *Summus Pontifex non est capax censuræ.*

1895 Circa quinque explicatas conditiones Dubium est 1. an tota aliqua universitas, seu collegium possit censuris ligari? Constat apud *Sayrum de cens. l.1.c.8.a n.17. Vgolinum tab.1.c.17.§.4. Suar. disp.5.sec.1.n.29.& disp.28.sec.3.& Filluciũ tract.11.c.5.quest.5.ex c.Romana, c. si sententia, & c. ne sede vacante de senten. excommun. in 6.* Universitatem, collegium, aut capitulum prout talia, nõ posse excommunicari, posse tamen suspendi, & interdici. Disparitas est, quia excommunicatio, cum privet communicatione in humanis & divinis suffragijs & auxilijs Ecclesiæ, est gravissima pæna: non ita suspensio & interdictum: hinc est quòd excõmunicatio supponat culpam in omnibus, ac proinde communitatẽ ligare nequeat, ne liget innocentes: secus de suspensione & interdicto, quæ mitiores pænæ cum sint, non requirentes culpam in omnibus, in odium delinquentium, innocẽtes suspendunt vel interdicũt.

Communitas seu universitas quibus censuris ligetur.

Ex quibus cum *Navarr. c.27 n.13. & Avila 2. p.c. 4. disp. unica dub.6.* rectè infert *Palaus d.1.pun.6.n.3.* ut validè feratur excommunicatio, debere sigillatim promulgari contra delinquentes communitatis. Cui tamen promulgationi non obstat ferri adversus quemcunque qui ex tali communitate deliquerit, si non satisfecerit: quia ipsum delictum quando commissum determinat personam.

Dubium est 2. qualiter suspensio lata in collegium vel capitulum, ipsum afficiat? Respondeo cum *Alterio tom. 2. disp.7.c. 5. Suario & alijs,* quos sequitur *Bonacina d.1.q.1.pun.4.n.11.* non afficere singulas personas talis communitatis distributivè acceptas, sed solum collegium vel capitulum quoad ea quæ competunt ipsi collectivé accepto, nisi aliud ex verbis aut circunstantijs deprehẽdatur. Ratio est quia in materia pænali strictior interpretatio fieri debet.

Suspensio & interdictum contra communitatem.

Nec obstat, quod interdictò populo maneant interdicti singuli de populo, ut dicamus suspensos singulos de capitulo. Est enim disparitas, quia effectus interdicti non competit populo qua tali, sed personis singularibus, qua talibus: auditio enim divinorum, & perceptio sacramẽtorum quæ prohibetur, non competit populo, qua universi, sed qua singulis: suspensio autem competit capitulo qua coalescenti in unum corpus.

1896 Dubium est 3. an unus idemque homo possit ligari duplici censura ejusdem rationis, v.g. duplici excommunicatione, duplici suspensione, vel duplici interdicto? Negabit aliquis, quia cum privatio non suscipiat magis & minus: censura autem sit privatio bonorum spiritualium: videtur non posse multiplicari simul censuras ejusdem rationis in eodem subjecto.

Censuræ ejusdem multiplicatio.

Affirmandum tamen est cum *Garcia de benef. 8 p.c.3.n.86. Suario disp 5 sec.3.& Molina tr. ... disp. 4 n.3.* Sumitur ex *c. cum pro causa, de senten. excom. & Clemen. 2 de sent. excom.* Ratio est quia tam excommunicatio, quam censura alia, duo continet scilicet rationem privationis & vinculi: quanvis igitur multiplicari nequeat qua privatio, multiplicari potest qua vinculum morale est, sicut multiplicatur peccatum ejusdem rationis.

Infertur 1. cum *Suario d.5.sec.2.* quando causa est eadem, non multiplicari censuram ejusdẽ rationis juxta communem usum Ecclesiæ, quanvis censura pluries denuncietur ob continuatam permanentiam in delicto: a diversis tamen superioribus propter eandem materialẽ causam posse eidem personæ inferri censuras numero diversas nempe a jure & ab homine pro eodem delicto. Nam tunc contumacia diversa est.

Infertur 2. multiplicari censuram quoties cõmittitur novum peccatum contra legem, cui censura annexa est: è contra veró si peccatum sit unum tantum, licèt continuata mora, & per varias actiones fiat, unam tantum censuram incurri. Ratio est, quia lex imponit censuram propter transgressionem; ergo hujus unitas vel multiplicitas reddet censuram unam, vel multiplicem. Pro explicatione hujus doctrinæ.

Optimè observat *Suar. d.5. sect. 3.* duobus modis posse intelligi unitatem, vel multiplicitatem transgressionis 1. ex continuatione vel interruptione actus: nam quandiu actio continuatur sine morali interruptione ad eundem effectum, v.g. si quis per aliquod tempus verberat clericũ, unica transgressio est: si autem moraliter interrumpatur pluriès, plures erunt transgressiones.

Peccatorum unitas & multiplicitas ad censuram.

2 Ex parte materiæ, circa quam versatur peccatum: ut siquis sine morali interruptione, modò fornicetur cum una, & immediaté post cũ alia: vel percutiat unum clericum, & immediaté post alium, duæ erunt fornicationes, & duæ percussiones. Item si judex extrahat ab Ecclesia unũ hominem, & statim alium secus, si utrunque simul. Quando quis unicó ictu plures interficit clericos, probabiliter unicam incurrit censuram, utpote ex peccato simpliciter uno. In praxi tamen oppositum quia securius, sequendum est. Denique ut valeat absolutio, seu facultas ad absolvendum debet in causa censuræ exprimi numerus clericorum occisorum.

Censuræ multiplicatio.

1897 Quid si quis violet legem unico actu habente plures circunstantias quarum singulæ sub censura prohibentur? Respondeo cum *Suario disp.5.sect.3.n.13.* si illæ circunstantiæ tales sint, ut mutent speciem actus moralis, tot incurri censuras, quot circunstantiæ violantur: secus, si solum sint circunstantiæ aggravantes. Exemplum prioris partis est si quis sepeliat in loco sacro usurarium, qui simul sit excommunicatus publicus, & nominatim interdictus. Exẽplum posterioris est, si quis violaret legem prohibentem sub censura comedere die jejunij ante talem horam, & talem cibum. Ratio utriusque partis benè assignatur a *Bonacina d.1.q.1.pun.5.n.8.* quia actus habens distinctas specie circunstantias moraliter censetur multiplex: habens verò solum aggravantes censetur moraliter unus.

Rex, Cardinales, Episcopi an censuras.

Dubium est 4. an & qualiter censura ligentur personæ sublimes, quales inter Ecclesiasticas

Car-

Cardinalis, Episcopus: inter laicas Imperator, Rex? Respondeo cum *Palao de cens.d 1 pun 6.n.3. & Avila* citatis multis *2.p.*..*de cens.c.4.disp.un.dub.* 4 Imperatorem & Regem ob supremam ipsorũ dignitatem eximi a jurisdictione Episcoporum, ne possint ulla censura ab ipsis lata ligari: Episcopus verò generali juris constitutione, sententia, vel mandato non ligari, nisi de illis fiat expressa mentio, ut habetur in *c.quia periculosum de sent.excom.in 6.* Quod caput solum loquitur de suspensione & interdicto, non verò de excommunicatione, ut benè observat *Suar.disp.5 sect.4. n.3.* Quod attinet ad Cardinales, an ligentur cẽsuris generaliter latis, quamvis de ipsis non fiat expressa mentio? Affirmat *Ugolinus tab.1. de cens. c.17.§.6.n.1* contra *Alterium tom.2.disp 7.c.4.* Videantur *Azor p.1.l.5.c 11.q.5.& Bonac de cens.d. 1.q.1.pun 4.n.16.*

QUÆSTIO V.

Quam ob causam ferri possit, ac debeat censura?

Hæc quæstio de causa proxima materiali censuræ, quæ est generaliter una, scilicet peccatum extinguendum, & specialiter multiplex, desideret expedita ac decisa multiplici difficultate 1. difficultas est, utrum ad incurrendum censuram semper requiratur aliquod peccatum proprium? Benè *Avila 1.parte dub.9.Bonacina d. 1. q.1 pun.3.n 2.& Palaus d.1.pun.7.n.1.* cum multis quos citant, conveniunt 1. ad incurrendam censuram exigi aliquod peccatum, seu culpam. Patet ratione, quia nulla pœna quâ talis infligi potest nisi ob peccatum, seu culpam: omnis autem cẽsura pœna spiritualis est.

Causa ob quã fertur censura.

1898 Conveniunt 2. ad incurrendam excõmunicationem semper requiri culpam, seu peccatum proprium: secus ad incurrendam suspensionem, & interdictũ. Ratio discriminis est, quia excõmunicatio est pœna gravissima utpote privans maximis bonis, & ideo requirit contumaciam & culpam propriam illius, quem afficit: suspensio autem & interdictum, cum non sint pœnæ ita graves & acerbæ, quando feruntur in cõmunitatem ob delictum proprium alicujus, ligant omnes: & tunc non feruntur propriè in pœnam illius qui non peccavit, sed in pœnam delinquentis qui punitur in alio: sicut per leges civiles punitur pater in filio, quando hic per patris delictum manet infamis.

Peccatum & culpa ut incurratur censura.

Dubitatio est, an possit censura ferri in innocẽtem qui legitimè secundùm allegata probatur delinquens: & qualiter hic se possit, ac debeat gerere? Omissis multis, quæ circa hoc punctũ docté resolvit *Ægid. Bellanus disp 13.dub.13.* ex ipsius resolutionibus, Dico 1. quando judex privatim novit innocentem qui publicè nocẽs probatur, tenetur efficere quantum potest, modis omnibus ut veritas pateat: quod si non possit, & urgeatur ad ferendam censuram, potest ferre sententiam, etiam excommunicationis. Hoc videtur suaderi ex iis quæ tradunt authores de judice laico cõdemnante ad patibulum, quem novit privatim innocentem, sed publicè ac juridicè probatus est nocens.

Innocens probatus nocens ad censurã.

Dico 2. Talis censuratus ex vi censuræ quamvis per illam nõ privetur suffragiis Ecclesiæ, nec potestate se gerendi occultè, vel coram ignorãtibus censuram, aut scientibus innocentiam ac si censuratus non esset, tamen tenetur observare censuram publicè in locis quibus illa nota est, & privatim coram illis quibus censura nota est, & ignota innocentia. Patet quia aliter daretur scandalum, & videretur contemni censura: in quo casu non solum urget præceptum naturale, sed etiã positivum judicis.

1899 2 Difficultas est, sufficiat ne pro infligenda censura veniale peccatum, an requiratur lethale? Pro decisione notabis cum *Bonacina cita to n.6.& Palao n.2.* censuram aliam dici gravem, aliam levem. Est censura gravis omnis excommunicatio maior, & omnis suspensio & interdictũ, quæ communiter ferũtur ad longũ tempus. Est censura levis omnis excommunicatio minor & suspensio ac interdictum, si ferantur pro brevi tẽpore, ad aliquem particularem usum.

Censura gravis & levis.

Dico igitur 1. cẽsura gravis nec licitè nec validè potest infligi pro peccato veniali. Ita præter citatos *Suar.disp.4.sec.4.n.2.* & *sq.tom.2.disp. 158. c.5.dub.12.Sayrus l.1.c.17.n.8.Filliucius q.3.n.164 & Bellan.disp.13.dub.8.n.66.* Ratio est, quia pœna, etiam medicinalis, qualis cẽsura, debet proportionari culpę: gravis autẽ pœna, qualis est censura gravis, nõ proportionatur peccato veniali seu levi, cũ illud excedat. Dico 2. cẽsura gravis, potest imponi solũ pro peccato lethali, cẽsura levis pro veniali, nec repugnat pro lethali imponi. Patet, quia hac ratione pœna nunquam potest culpã excedere, ut reddatur injusta & invalida. Rectè tamẽ, observant Doctores posse prælatũ sub cẽsura gravi præcipere vel prohibere aliquid quod in se levis materia est, sit tamen gravis ex fine propter quẽ præcipitur: v.g. si præcipiatur sub excommunicatione clerico ne comam gestet, ad vitandum scandalum.

3 Difficultas est, an peccatũ sufficiẽs ad incurrẽdam censurã debeat esse externũ itaut nõ sufficiat interiùs consũmari etiam in malitia gravi? Negant cũ Glossa in *Clem.1.de heret.* multi apud *Barbos.2.p.de potest.Episc.alleg.40.a n.6. & Farinacium de heresi q.192.§.1.* Probãt, quia Ecclesiæ potestas est spiritualis; ergo versatur erga actus merè internos utpote spirituales.

Peccatũ externum ad censuram.

Affirmandũ tamẽ est cũ *Sãch.l.2.in Dec.c.8.n.2. Suar.de cẽs.disp.4.sec.1.Avila 1.par.dub.10.* & *sq.1. 2.disp.160.Bellan.disp.13.dub.8.secl.4.n.71.* nõ posse Ecclesiã censura punire actus merè internos, quantumvis gravissimè peccaminosos. Sumitur ex c.cogitatio, de pœnit. dist. 1. & ratione, quia Ecclesia cũ sit visibilis ac sẽsibilis, solũ habet potestatem in res sensibiles, quales non sunt actus merè interni.

Ex qua resolutione infertur 1. cum *Sayro, & Filliucio* citatis non incurri censuram maiorem sub qua aliquid prohibetur, quando actio externa, qua violatur prohibitio non suffi-

ad peccatum mortale, quanvis internum mortale, præcesserit. Infertur 2. eum qui ex voluntate lethaliter prava, seu ex gravi odio intēdit percutere clericum, quem solum leviter tetigit, non incurrisse excōmunicationem, quia externus actus gravis non fuit.

1900 Infertur 3. quanvis non expediat ferre gravem censuram pro quocunque peccato mortali externo graviter, ut habetur ex *Trident. sess. 25. c. 3. de reform.* si tamen feratur, validam esse, ut docent *Suar. d. 4. sect. 4. & 6. n. 9. & Vasq. dub. 12. n. 7.* Quia sicut quodlibet peccatum mortale sufficit ad excluendum a regno cælorum, ita etiam ab Ecclesia per censuram.

Externū peccatum ad censuram.

4 Difficultas est, an postuletur ad incurrendam censuram effectus completus, quem sub cēsura prohibere intendit legislator? Affirmativa resolutio vera omninò est ex *Navarro de pænit. dist 1. q. 1. p. in. 3 prop. 4. n. 12.* Patet quia verba legis cū effectu sunt accipienda *l. 1. §. hac verba* deinde lex nō operatur ultra legislatoris intentionem verbis expressam, præsertim in materia odiosa, quæ strictè interpretari debet. Unde non incurretur excommunicatio ob homicidium, etiam efficassimé tentatum, & nō secutum, nisi forte sub excommunicatione principaliter ipsa actio seu conatus prohibeatur, ut notat Ugol. tab. 1. cap. 9. num. 1.

Effectus completus ad censuram.

Ex resolutione posita, cum multis quos affert & sequitur *Bonacina cit. a n. 13.* infertur 1. non incurrere censuram canonis ilum, qui animo lædendi, vel occidendi clericum emisit sagittam, vel displosit sclopetam quin attigerit ipsū clericum. Quia tunc nec data fuit percussio, nec violenta manuum injectio: quæ actiones sub cēsura prohibentur. Infertur 2. non incurri censuram ab eo qui non exercet actionem sufficientem ad effectum pro quo censura fuit imposita. v. g. non ligatur censura lata contra homicidas ille qui vulneravit, sed non lethaliter, quanvis aliunde mors eveniat, nempe ex mala curatione, vel causa alia contingenti.

Percussio clerici ad censurā.

Infertur 3. Quando effectus fuit prohibitus principaliter, v. g. homicidium vel percussio, mādantes & consulentes non incurrere censuram, donec sequatur effectus: quia illud mandatum, vel consiliū fuit accessorium. Secus quando mādatum vel consilium fuere prohibita principaliter. Quid si mandatum vel consilium fuere revocata antequam delictum patraretur? Respondeo, si mandatū vel consilium fuere revocata efficaciter, itaut non influxerint in delictum, non incurrere. Addit *Palaus p. 7. n. 15. ex Gaspar Hurtado diss. 15. n. 68.* hoc procedere si quis revocavit mādatū vel consilium quantum potuit, etiam si de facto seu cū effectu non revocaverit. Infertur 4 non incurri semper censuram per quemcunq certū voluntarium requirit. Unde attendi debent verba legis. Si enim sub censura prohibeantur homicidium simpliciter, sufficiet voluntarium quo requiritur ad culpam mortalem: si autem lex dicat: Qui temerè hoc fecerit, qui ausus fuerit, qui præsumpserit, qui scienter, aut ex contemptu egerit, non sufficiet dictum voluntarium, sed postulabitur directum, & ex certa scientia censuræ. Infertur 5. cum *Samb. l. 3. matr. d. 49. n. 2.* censuram latam contra committentem aliquod delictum, non afficere mandantem vel consulentem, nisi aliunde in lege seu præcepto exprimatur: vel lex reddatur inutilis nisi mandantes comprehendat.

Mandantes & consulētes ad cēsuram.

1901 5 Difficultas est, an censura ferri possit pro peccato præterito in ejus punitionem? Affirmant *Corduba l. 2. qq. q 27. §. sed ad exaltionē Almaianus de potest. Eccl. c. 10. & Caietan. 2. 2. q. 69. a 2.* Probant ex *c. quidam 5. quæst. 1. ex c. inter quæ. e- las 23. q. 4.* & alijs quos citat, & bene exponit *Palaus d. 1. p 7. a n. 9.* pro parte negativa, pro qua.

Peccatum præteritū ad censuram.

Negandum est cum *Suario disp. 4. sect. 5. n. 6. Navarro c. 23. n. 9. Covar. in c. Alma 1. p. §. 9. n. 4. Sayro l. 1. c. 9. n. 25. Ægid. Bellano disp. 13. dub. 9 n. 78 & Laymano l. 1. tr. 5. p. 1. c. 5.* docentibus censuram solum posse ferri pro peccato in posterum cavendo, vel in præteriti satisfactionem, non verò punitionem. Sumitur ex toto *l. 5. & 6. decreta de sent. excom.* ex quibus constat censuram esse medicinā præservativam, & coercitivam peccati, & ideo non posse cadere in omninò præteritum. Fateor pro peccato cōmisso, & omninò præterito posse injungi pœnam, quæ sit privatio officij, dignitatis, vel accessus ad Eucharistiam pro designato tempore: hæc tamen privatio censura non erit.

Nota cū *Palao n. 16. ex Avila, Laymano, & Hurtado* ibi citatis transgressorem legis quæ sub censura præcipit, vel prohibet, non committere regulariter duplex peccatum, sed unum tantum. Nam malitia illa in obedientiæ v. g. quæ additur transgressioni furti sub censura prohibiti, in injustitiæ imbibitur.

QUÆSTIO VI.

An, & qualiter requiratur denunciatio in censura?

Ut proposita quæstio decidatur paucis, ac dilucidè, explicandum est utrùm censuram incurrens denunciandus, seu declarandus sit? a quo? sub qua obligatione? ubi, & quando? Constat 1. ex *c. conquestus, de sent. excom. & c. cura 11 q. 3.* consonum esse, ut qui censuram contraxit, denuncietur, seu declaretur. Sic enim faciliùs obtinebitur censuræ finis, qui est resipiscere. Constat 2. ex *c. de illis 6. q. 1. & Clem. 2. de pœnis* denunciationem, seu declarationem esse faciendam a legitimo superiore. Est autem legitimus superior in hac re non solum qui censuram tulit, alius ve ab illo requisitus, sed etiam Episcopus in cujus diœcesi delictum patratum est.

Denunciatio censura.

Iudex declarans censuram.

1902 Dubium est 1. an judex hujusmodi teneatur denūciare, seu declarare delinquentē qui censurā incurrit? Ex *Suario de cens. disp. 3. sect. 14.* rectè decidit *Palaus d. 1. pun. 9.* dubiū hoc cū distinctione, nēpe si loquamur de suspensione vel interdicto, posse judice, quādo sibi placuerit, declarare delin-

delinquentem suspensum, vel interdictum, ad id tamen non teneri Judicem, si loquamur de excommunicatione, quod tales, quos tenemur ex *Conc. ad evit.* quoad interdictum, ex *Clem. ult. de sent.* & *re jud.* quia censuratus suspensione, vel interdicto non prohibetur communicare cum aliis, quibus probando noceat cum scandalo: non igitur apparet obligatio in judice ad denunciandum.

Ex quo patet rem aliter se habere in excommunicatione majori utpote prohibitiva communicationis. Constat igitur excommunicationem latam ab homine posse denunciari ab ipso judice ferente: si autem sit lata à jure, oportere, ut prius feratur sententia declaratoria criminis, etiam notorij, v.g. percussio clerici, aut ingressus in monasterium monialium, antequam declaretur incursa excommunicatio.

Difficultas est, an detur obligatio in Episcopo faciendi talem declarationem? Videtur affirmandum ex *c. curæ 11. quæst. 3.* ubi sic habetur: *Curæ sit omnibus Episcopis excommunicatorum omnino nomina tam ipsis vicinis, quam suis parochianis pariter indicare.* Dicendum tamen est cum *Suario*, & *Palao* citatis neque ex vi citati capitis, neque ex alio positivo & determinato jure teneri Episcopum declarare excommunicatum. Illud enim caput nō præcipit, sed commendat: ibi enim idem valet *Curæ sit omnibus*, atque pro commendato habeāt.

Superest igitur ut Episcopi solum teneantur ad declarandum excommunicatum pro ratione sui muneris, nempe ex officio Episcopali, cujus obligatio tunc urgebit, quando prudentis arbitrio vel pro excommunicati correctione obtinenda, vel pro aliorum damno præcavendo necessarium videbitur.

1903 Dubium est 2. utrum interposita appellatio judicem impediat a denunciatione facienda? Respondeo cum *Suario de cens. disp. 3. sect. 14. Covarr. c. Alma mater 1. p. §. 1. n. 4.* & *Palao d. 1. pun. 9. n. 3.* si loquamur de censuris ab ipsomet judice latis, quas reum contraxisse constat, judicem ordinarium ab illarum denunciatione non impediri per appellationē, etiam si illam acceptet. Habetur *c. pastoralis, de appellat.* Si autem judex delegatus sit, nequit ad denunciationem procedere appellatione admissa. In censuris autem latis a jure, etiam si sequatur sententia declaratoria criminis, nequit judex sive ordinarius, sive delegatus procedere ad denunciationem, legitima appellatione interposita. Quia tunc non appellatur a censura incursa clare, sed dubié, cum appelletur a declaratione delicti, cui censura annectitur.

Dubium est 3. an post *Extrav. Ad evitanda* semper appellatio impediat denunciationem excōmunicationis? Affirmat *Navarr. in c. cum contingat de rescript. rem. 6. n. 7.* Probat, quia denunciatione facta fideles vitare excommunicatum obligantur, quod ante eam non obligarentur: ex quo sequitur insurgere obligationem, quæ non dabatur in fidelibus ante denunciationem.

Negandum tamen est cum *Suar. cit. sect. 14. n. 20.* cui assentitur *Palaus cit. n. 4.* Ratio est, quia excommunicati vitatio, non tam ipsius, quam aliorum fidelium vinculum est, quo detinentur, & retardantur a communicatione cum excommunicato: hic enim tam ante, quam post declarationem tenetur abstinere a communione fidelium.

Dubium est 3. utrum aliquando teneatur judex non denunciare censuram? Constat, quando sententia fuit injusta, & ejus injustitia non omninò transiens, sed habens tractum successivum, debere judicem principalem non progredi ad denunciandum. Difficultas est de judice merè executore: an possit, vel debeat denunciare, quando scit sententiam excommunicationis injustam esse? Ex doctrina *Suarij disp. 3. sect. 15.* Dico 1. quando executori certo constat sententiam esse nullam, non potest licitè illam denunciare. Probatur generaliter de quacunque sententia nulla: quia talis denūciatio esset falsa simpliciter loquendo, & in omni sensu.

Dico 2. si excommunicatio sit justa secundū allegata & probata, licet executori constet in re esse injustam, & contra veritatem causæ, potest, & debet, si superior ei præcipiat, eam denunciare. Habetur ex *c. Pastoralis §. quia, de offic. deleg.* Nam præceptum illud cum sit justum, ei tenetur obedire minister publicus. Procedit etiam si notitia omninò privata sciat sententiam esse injustam in re, & ignoret an sit justa secundum allegata & probata.

1904 Dico 3. quando executori sufficiēter constat sententiam esse injustam secundum allegata & probata: quia condemnatur ut nocens, qui re vera in processu litis non probatur nocēs, eam licitè exequi non potest. Ratio est, quia tūc executor cooperatetur injustitiæ unius sentēriæ, quæ qua talis, & prout fundatur in juridica notitia injusta est. Dico 4. quando sententia censuræ est justa & valida secūdum allegata & probata re ipsa & secundùm causæ æquitatem, licét sit injusta quoad modum, seu ordinem juris nō servatum, executor regulariter debet illam exequi, quanvis noverit injustitiam. Ratio est, quia denuncians talem sententiam verum dicit.

Dubium est 4. in quo loco, & quo tempore, seu ubi & quando prædicta denunciatio fieri debeat. Respondeo 1. cū *Suario d. 3. sec. 14. n. 7. Sayro l. 1. de cens. c. 13. n. 20.* & *Filliucio tr. 11. c. 4. quæsito 10.* talem denunciationē esse faciendam in scriptis publicé in parochia excommunicati, vel in Ecclesia matrice, itaut defigatur in foribus aut alijs locis publicis cum expressione causæ juxta receptum loci morem. Respondeo 2. cum *Alterio l. 3. disp. 5. c. 3.* & *Fonseca cit. pun. 13. prop. 5.* eum qui ipso jure cōtraxit censuram latam a jure vel ab homine, non esse denunciandum statim post delictum etiam notorium, sed oportere, ut præcedat legitima citatio, & Rei defensio usque ad sententiam criminis declaratoriam *cap. pervenit. 1.* & *cap. consuluit, de appellat.*

SECTIO III.

De excusatione a censura incurrenda, & suspensione illius effectus.

QUÆSTIO I.

An & qualis ignorantia excuset a censura incurrenda?

Excusatio a censura incurrenda.

1905 Cum jam multa dixerimus ad hanc rem agentes de excusatione a pæna legis *tract.4. sect. 6. q. 9. & 10.* modo antequam explicemus ignorantiam, metum, appellationē quæ excusant a censura incurrenda, prænotandū est 1. dari excusationem, seu evasionem a censura si ex parte ferentis deficiat jurisdictio ante illius incursionem: quod potest evenire si removeatur ab officio, vel modo alio. Prænotandum est 2. cum *Suario disp.3.sect.6.n.8.& Casp. Hurt.tr.de cens. diff.26.* posse dari similem evasionem ex consensu illius in cujus favorem censura lata est, v.g. si ad petionem creditoris lata fuit excommunicatio contra te.nisi intra biduum solves, & creditor absque consensu judicis terminum prorogeт. Quia judex id censetur velle.

Ut quæstionē propositam decidamus, oportet recolere quæ diximus *tract.2.sect.3.& in Elucid.n.88.* exponentes quid sit ignorantia juris & facti, ignorantia vincibilis & invincibilis, seu probabilis, ignorantia crassa, supina, affectata, antecedens, & comitans. His notatis.

Ignorantia excusans a censura.

Dico 1. Ignorantia probabilis, seu invincibilis tam juris communis quàm particularis ab incurrendis censuris excusat. Ita *Molina tr.5.d.71 n.8. Sanch.l.1.Decal.c.16.n.8. Suar. disp.4. sect. 8.n. 6.& Salas de leg.disp.15.sect.11.* Sumitur ex *c.felicis. de pæn.in 6.* & ratione, quia nulla pæna potest infligi sine culpa: censura autem est pæna, imo talis quæ supponit contumaciam in delinquēte. Unde contra *Avilam 2.p.c.5.disp.5.dub.10.& Covarruv c. Alma mater 1 par.§.10.n.12.* docent *Suar.d 4.sec.8.n.20.& Filliuc.c.3.quæst.10.n.253.* non incurrere censuras impositas ab Ecclesia illum qui ignorans prohibitionem Ecclesiæ cognoscit prohibitionem juris naturalis, vel divini.

1906 Dico 2. Probabilis, seu invincibilis ignorantia facti, vel qualitatis facti excusat ab incurrendis censuris. Ita *Vasq.tr.de excommun.dub. 14.n.2. Reginal.l.9.n.199.& Alterius l.3. disp.2.c.3. col.2.* Sumitur ex *c.si vero 2.de sent excom.* & ratione, quia talis ignorantia vel liberat a culpa, vel saltem a contumacia delinquentem.

Ignorantia crassa ad censuram.

Infertur 1. occisorem clerici quem putabat feram, excusari ab excommunicatione ratione ignorantiæ facti. Infertur 2. occisorem clerici, quē putabat esse hominem laicum, excusari ratione probabilis ignorantiæ facti. Quid si juris vel facti ignorantia sit vincibilis? Recte docent *Suar. d 4.sect.10. Bellarm disp.13.dub.11.n.94.& Sanch. cit.n.* [illegible] talis ignorantia sit crassa, sufficiens ad mortale, non excusare a censuris, imo nec ab irregularitatibus, quæ ex delicto proveniunt. Submittit ex *c.2 ut animarum de constit. in 6.* Addit bene *Bonac.q.2.p.1.n.* [illegible] *ex Sanch.* esse probabile non esse censuram non incurri, quando ignorantia est vincibilis mortaliter, sed crassa & supina non est.

Affectata ignorantia ad censuram.

Quod si ignorantia affectata sit, & in censura ponantur hæc verba *Qui contempserit vel qui præsumpserit, vel temere aut consulto aut scienter fecerit.* Suar. proxime citatus docet talem ignorantiam non excusare, præsertim si apponantur particulæ *contempserit. præsumpserit.* Hæc resolutio probabilis est, sed contraria affirmativa probabilior apud *Sanch.l.2.c.10.n.38.* Quia prælatus illis modis loquendi non videtur exigere quencunque contemptum vel præsumptionem, sed tales, qui proveniant ex certa scientia, vel saltem conjunctam habeant ingentem temeritatem. Ex quo deducitur non sufficere supinam, vel crassam ignorantiam, ut incurratur censura lata contra eos qui temere fecerint, aut præsumpserint.

Dico 3. Ignorantia censuræ, nempe talis pænæ Ecclesiasticæ, excusat ab incurrenda pæna censuræ. Ita *Navarr.c.27.n.274. Suar.d.4.sect.9.n. 19. Ægid Bellan d.13.dub.10.n.90.& Filiuc.tr.1. c.8.quæst.11.n.257.* Unde committens delictum quod novit ab Ecclesia prohibitum, sed ignorans factam prohibitionem sub censura, eam non incurrit. Hæc doctrina tradicta in hoc triplici asserto recte extenditur ad omnem irregularitatē, quę ex delicto provenit, sive sit, sive non sit censura.

Ignorantia comitans ad censuram.

Dico 4. Ignorantia comitans ab omni censura, imó & irregularitate quæ provenit ex delicto, excusat. Ita *Vasq.1.2.q.76.a 3. disp. 126, a n. 4. Suar.de cens.disp.4.sect. 8 n.8.& Molina cit.disp. 53.n.3.* Suadetur, quia pænę non incurruntur absque culpa: culpa autem non committitur absque voluntario: & hoc tollitur per ignorantiam etiam comitantem.

1907 Infertur 1. non contrahere excommunicationem, qui percussit clericum ignorans tali percussioni annexam esse excommunicationem, quanvis ignorantia fuerit comitans, nempe talis, quæ etiam si non daretur, percussio fierea. Quod procedit etiam de naturali oblivione & inconsideratione: nam hæ ignorantijs æquiparantur. Infertur 2. non incurrere censuram qui projecit lapidem ad percutiendum certum clericum, & forte percussit alium clericum prætereuntem, cujus ictum nullo modo prævidit, ut caveret. Idem est si gladio intendens certum clericum occidere, vel manu percutere, alium absque culpa occidit, vel percussit. Secus si dirigens ictum ad certum hominem, quem putabat esse Franciscum clericum, percussit Paulum clericum. Tunc enim censuram incurrit. Idem dicendum est (ait Bonacina cit.n. 18.) de percussore clerici, quem percussit dubitans esse clericū quin adhiberet sufficientem diligentiam ad assequendam veritatem.

Dubitans de percussione.

Rogabis an pro censurato se debeat gerere quis dubitans, an incurrerit censuram? Ad hanc

Dubitans an incurrerit.

rem

rem nonnulli [illegible] tract.2.[illegible] 5. agentes de conscientia [illegible] ex [illegible] *l.1 Lecal c 1.* *a n 56. Sa[illegible] tom.1.l 1 c 10.& Palao* [illegible] *d 1.pun* [illegible] respondeo 1. stante dubio juris, vel facti, quod adhibita sufficienti diligentia vinci nequit, [illegible] reputandum esse censura ligatum. Patet, [illegible] a nemo ob dubium certa possessione privandus. Respondeo 2. constat censurã fuisse latam, & te incidisse in casum comprehensum sub censura, dubitatur tamen an prælatus habuerit animum ferendi veram censuram, pro censurato habendum esse. Respondeo 3. si cõstat te fuisse censuratum, & dubitas an fueris absolutus, stante dubio, pro censurato habendum esse. Idem procedit, si dubitas an censuræ incurrendæ appellationem præmiseris, vel an legitime appellaveris.

QUÆSTIO II.

Utrum impotentia & metus excusent a censura incurrenda?

Prior quæstionis pars inquirit an impotentia ad faciendum id quod sub censura præcipitur, ab ea incurrenda excuset? Impotentia, de qua in nostro *Elucidar. n.* 1993. apud Theologos & Juristas non solum vocatur illa, quæ est impedimentum matrimonij, sed etiam quæ est moralis quædam impossibilitas, seu nimia difficultas, & excusat ab implendo præcepto v. g. restituendi, vel audiendi sacrum. His positis.

Impotentia excusans a censura.

1908 Conveniunt Theologi cum *Suario disp.* 20. *sect. 1. n. 14. Henriq c. 18. n. 4 Regnaldo l. 9. n. 206 Filliucio tr. 11. c. 8. quæst. 8. & Bonacina d. 1. q. 2 pun. 3. n.* 1 impotentiam moralem ad præceptum implendum, excusare a censura, quæ præcepto annectitur. Sumitur ex *l. impossibilium ff. de reg. juris,* & ratione, quia talis impotentia excusat a præcepto & contumacia; ergo a censura. Unde quãdo quis nequit rem præceptam facere, vel restituere absque gravi incommodo censetur moraliter impotens, & non incurrit censuram.

Dubium est, an debitor cui sub censura præceptum est, ut restituat ad certum tempus, v. g. intra annum, incurrat illam censuram, si initio anni non restituat potens, & prævidens reliquo spatio impotentem fore? Respondeo affirmativè cum *Bonacina citato n.* 1. dummodo non habeat causam excusantem. Ratio est, quia illa omissio prohibita sub censura satis illi imputatur ad culpam, in qua etiam sufficiens apparet contumacia.

Bene tamen observant *Suar. disp* 20. *sec. 2 n.* 16. *& Filliucius tr. 11 c. 8. n. 243.* non eodem tẽpore quo peccatum committitur, incurri censuram. Quia culpa committitur, ubi primum quis advertit se futurum impotentem, & culpabiliter non restituit, vel sacrum non audit; censura autem non incurritur nisi in fine præscripti termini [illegible] in quo consummatur omissio. Limitat [illegible] modo impotens in termino illo non [illegible] de patrata culpa: quia cũ dolens de peccato [illegible] contumax, censuram non incurrit.

Censura [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] culpa.

Bene tamen cum *Suario, Regnaldo* & alijs hanc limitationem rejicit *Bonacina citatus* sic enim in casu sufficienter contumax est.

Posterior quæstionis pars inquirit an metus excuset a censura? *Suario disp* 4. *sect. 3. n.* 15. rectè subscribunt *Avila 2. parte disp. 3. dub. 5 Aguil. Filliucio tr. 11 c. 8. dub. 12. Filliucio tr. 11 c. 8. quæsito 4 & Bu*[illegible] *ardus* [illegible] *q. 1. q. 1 quæsito 3. n. 49* asserentes si metus sit cadens in constantem virum, proindeque excuset a culpa, seu transgressione legis Ecclesiasticæ, excusare similiter a censura. Nec refert (inquit *Suar. cit. n.* 13. quòd lex Ecclesiastica aliquando cojungatur cum naturali, v. g. prohibens incestum cum consanguinea. Tunc enim quamvis metus non excuset accessum libidinosũ qui intrinsecè malum, si sufficiat ut excuset quà prohibitum ab Ecclesia, non incurretur censura,

Metus excusans a cẽsura.

Infertur 1. si Ecclesia prohibeat adulterium sub censura, eum qui metu mortis adulteretur, censuram evedere. Infertur 2, cum *Bonacina d. 1. q. 1. pun. 3. n.* 3. clericos Mediolani deferentes arma metu mortis, nec peccare mortaliter, nec incurrere excommunicationem, quæ ibi fertur contra clericos deferentes certum armorum genus. Infertur 3 Christianeos, qui in triremibus Turcarum remigant contra Christianos non incurrere censuram.

1909 Illud optimè monet *Suar. citatus n.* 15 quando actus externus non completur moraliter in ratione talis actus, cui annexa est censura, ob fictionem internam, v. g. quando quis fingẽs se esse hæreticum, exteriùs operatur, non incurri censuram: secùs, si non obstante fictione, actus externus moraliter compleatur. Habetur ex *c. cum voluntate, de senten. excom. in 6.* Unde propter internam fictionem, quæ destruit substantiam actus externi præcepti sub censura, hæc incurretur: v. g. si quis omninò & voluntariè distractus assistat sacro, quod sub excommunicatione audiri præcipitur.

Externus actus ad cẽsuram.

Quid si Ecclesia prohibeat furtum sub censura, & quis gravi metu compellatur furari in contemptum Ecclesiæ? *Salas de legibus disp.* 11. *sec. 1. n. 5.* apud *Bonacinam citatum n.* 2. dicit talem cẽsura non affici; quia cum non peccet contra præceptum Ecclesiæ, proindeque non violet ipsius legem, evadit censuram. Hoc probabile est, sed *Suario d. 6. sect. 3. n. 3. Filliucio tr. 11. c. 8. quæsito 14. Bellano tom. 1. disp. 13. dub. 12. concl. 1. Bonacinæ citato* probabilius videtur oppositum. Quia Ecclesia in tali eventu obligat gravi illo metu non obstante.

QUÆSTIO III.

An, & qualiter appellatio excuset a censura incurrenda?

Cessare censuram, proindeque non incurri, data interpositione legitimæ appellationis, conentiunt Theologi ac Juristæ apud *Suarium de cens. disp. 3. sect. 6 Bonacinam citatum pun. 2. & Palaum disp. 1 pun. 8 ex Cap. Pastoralis 53. de appellat.*

Appellatio cẽsuram.

pellat.& c.licet de sent.excom. in 6. Illud tenendum est ex nostro [illegible] *n.* 1904. appellationem legitimam illam esse quæ fit secundum leges. & duo continet, alterum quòd fit ex causa sufficienti & probabili; alterum quòd fiat tempore debito, seu per leges statutum, quale decendium, vel saltem quod detur ante impletam conditionem.

Appellationis duplex vis

1910 Superest exponendum qualiter dicta appellatio suspendat, vel impediat censuram: pro qua expositione, notandum est 1. in appellatione dari duplicem vim, seu effectum: alter dicitur suspensivus, quo suspéditur jurisdictio, seu potestas illius judicis a quo appellatum est: alter vocatur devolutivus, quo potestas illa seu potius causa devolvitur ad judicem ad quem appellatum est. Notandum 2. ut appellatio habeat effectum suspensivum, debere interponi ante tempus quod censuræ incurrendæ designatum fuit. Notandum 3. censuram solere ferri dupliciter, altero modo pure & absolute, altero modo conditionaté, quando scilicet judex præcipit sub censura alicui, ut faciat, vel omittat aliquid.

Suspensivus effectus appellationis.

Dico 1. Appellatio debet præcedere incursionem censuræ, ut eam suspendat & impediat: nam ea incursa per solam absolutionem tolli potest. Ita ex *c. Ad reprimendam, de offic.io judicis ordinar. & c. is cui, de sent. excom. in 6.* rectè ostendit *Palaus d. 1. pun. 8 n. 4.* ubi addit ex *c. Pastoralis* appellationem non habere etiam vim suspendendi censuræ incursæ declarationem. Hoc tamen (ut notant *Avila 2. p. c. 5. dub. 11. & Hurt. diff. 25.*) rectè intelligitur, quando censuræ incursio nulla tergiversatione celari potest. Nam si aliquod dubium sit, & appellans alleget, vel non patrasse crimen, vel non ea conditione, ut censuram incurrerit, sententiam declaratoriam suspendit.

Dico 2. Appellatio legitima ab incurrenda censura, quæ fuit lata sub conditione excusat, dúmodo ante conditionis implementum interponatur. Ita *Henriq. l. 13. c. 16. Sayrus l. 1. c. 16. n. 24. Avila 2. p. c. 5. dub. 11. concl. 3. & Filliuc. tr. 11. c. 3. quæsito 11.* Sumitur ex *c. præterea 2. de appellat.* & ratione, quia in tali eventu, devoluta causa ad alium judicem prioris jurisdictio suspenditur: v. g quádo judex præcepit Titio, sub pœna excommunicationis, ut intra mensem restitueret, & Titius ante completum mensem appellavit.

Appellatio ab effectu absolutionis.

An similiter dari possit appellatio ab absolutione excommunicationis, quæ effectum absolutionis suspendat? Rectè negant *Alterius l. 4. disp. 6. c. 2. & Bonacina d. 1. q. 2. pun. 2. n. 3.* ex Innocentio in *c. cum ab Ecclesiarum de offic. ordin.* Ratio est, quia absolutio cum totam vim habeat ex intentione & voluntate absolventis, nemo illius effectum suspendere vel impedire potest. Quare passus injuriam ab eo qui ob talé crimen fuit excommunicatus, nequit per appellationem impedire absolutionem a tali excommunicatione.

1911 Dico 3. Quando censura sub conditione lata fuit, appellatio excusat a censura incurrenda, quamvis postea talis appellatio fuerit deserta. Ita Covar. *c. Alma mater 1. p. § 10. n. 24. &* [illegible]. Sumitur ex *c. l.* [illegible] quia ubi primum appellatio interposita est censuram suspendit, & causam ad alium devolvit.

Appellatio post absolutionem

Quod si constet de fine [illegible] appellatio interposita, sed dubitatur [illegible] fuerit ante, an post latam absolute sententiam excommunicationis? Bonacina respondet *Bonacina d. 1. q. 2. pun. 2. n.* [illegible] *c. Alma mater 1 p. § 2.* & aliis apud *Sayrum n. 30. & Sanch. l. 1. Decal. c. 10 n. 59.* præsumendum esse excommunicationem præcessisse, & non appellationem. Quia in dubio favendum est possidenti, & tunc possessio stat pro excommunicatione.

Appellatio a sententia declaratoria criminis.

Dico 4. A sententia declaratoria criminis licitum est appellare. Ita *Filliucius c. 3. quæsito 11. Avila c. 5. dub. 11. concl. 2. & Bonacina citatus n. 7.* ex *Covarr. Navar. & Suar.* Unde si judex declaret aliquem injustum clerici percussorem, potest appellari ab hac declaratione, ut probetur vel non percussisse, vel justé percussisse. Limitant aliqui, nisi delictum sit adeo notorium, ut nulla tergiversatione celari possit: vel nisi sententia sit definitiva & omninò efficax. Vide *Suarium de cens. disp. 3 sect. 15. num. 2.*

QUÆSTIO IV.

Qualiter suspendi possit effectus censuræ?

Censuræ effectus & finis duplex.

UT hanc quæstionem ex *Suario disp. 6. sect. 1. & 2. & Palao de cens. disp. 1. pun. 10.* expediamus prænotandum est duplicem esse effectum seu finem censuræ, alterum remotum & extrinsecum, qui dici potest finis operantis, seu infligentis censuram, & est ille bonus fructus, quem intendit prælatus author censuræ: alterum proximum & intrinsecum, qui est césuræ proprius, sicut vinculorum ligare, & privationis auferre. Est igitur effectus proprius censuræ ligare privando aliquibus bonis spiritualibus, & adhuc censetur duplex, seu potiùs fieri dupliciter ab ipsa censura 1. immediaté per se exequendo & afficiendo illum 2. mediaté obligando vel ipsum qui censura ligatur, ut se privet talibus bonis, vel alios, ut ipsum privent.

1912 Est igitur quæstionis difficultas exponere quibus modis effectus censuræ suspendatur, vel impediatur? Pro expositione adhuc observandum est effectum remotum, quem diximus intétum a prælato censurante vel esse spiritualem quatenus prælatus intendit correctionem, proindeque spirituale bonum censurandi, vel temporalem prout media censura intendit satisfactionem partis læsæ.

Dico 1. Effectus proximus & intrinsecus césuræ, ipsa manente, per nullam vim impediri potest. Ratio manifesta est, quia formalis ratio censuræ consistit in reddendo hominem censuratu dignum qui bonis Ecclesiæ [illegible] privetur, tam sine tali effectu vera censura [illegible]. Dico 2. [illegible] privatio bonorum, censura [illegible]

est

test impediri a Pontifice. Ratio est, quia solus Pontifex censuram potest instituere: cum igitur ex Pontificis institutione censura privet censuratum bonis communibus Ecclesiæ, nequit alius a Pontifice hujusmodi effectum impedire; quia nequit talem institutionem mutare.

Obligatio censuræ quando impediatur. Quod attinet ad obligationem, quæ provenit a censura, & datur in censurato ad abstinendum ab aliquibus actionibus, & usu rerum spiritualium, juxta *Suarium d.6.sect.3.* & alios quos citat, & sequitur *Palaus disp.1.pun.10.* multipliciter impediri potest 1. ex ignorantia invincibili censuræ: talis enim ignorantia impedit actualē obligationem quorūcunque præceptorum. 2. per vim & coactionem. Quia juxta *c. sacris, de his quæ vim metusve causa fiunt* coactio libertatē tollit.

3 Ex metu cadente in constantem virum; dummodo talis metus non incutiatur in contēptum religionis 4. impeditur ex gravi scandalo, infamia, aliove detrimento gravi, quod afferret observatio censuræ 5. ex Pontificis dispensatione, itaut nullus alius cēsuræ effectum valeat impedire, ut sumitur ex *c. postulasti, de cler. excom. minist.* 6. ex necessitate spirituali proximorū. Qualis autem requiratur & sufficiat, ex dicendis constabit.

SECTIO IV.
De absolutione a censura.

QUÆSTIO I.
Quibus modis censura per absolutionem auferri valeat, & soleat?

1913 Communis & vera sententia est apud *Suarium disp.7.sect.1. Ægid Bellanum disp. 4.dub.16. Laymanum l. 1. sum.tr.5.p.1. c.7. Palaum d.1.pun.11.§.1.* censuram semel incursam sola absolutione, & non aliter tolli posse. *Censura tollitur sola absolutione.* Unde nec tollitur per mortem authoris censuræ, nec per mortem ejus, qui censura ligatus est: imó nec per emendationem delinquentis, & satisfactionem factam parti læsæ. Unde Alexander VII. anno 1665. damnavit hanc propositionem: *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.*

Superest igitur ut sola absolutione tolli possit, ac soleat Quibus autem modis? Circa quadruplicem versatur quæstio. Primus modus est, quādo simpliciter & absoluté impenditur absolutio reo jam emendato & a contumacia recedenti. Secundus modus appellatur conditionalis, & tunc datur, quando absolutio impenditur sub aliqua conditione, qua deficiente absolutio omninò deficit.

Pro hujusmodi conditionalis absolutionis explicatione notabis conditionem posse tripliciter apponi scilicet de præsenti, de præterito, de futuro. Si conditio (inquit bené *Palaus cit.§.2.n.1.*) respiciat tempus præsens, vel præteritum, non *Absolutio conditionalis a censura.* reddit propriè actum conditionalem, cum illum non suspendat: absolutio enim conditione existēte subsistit, & ea deficiente deficit.

Difficultas est circa tertium modum, an possit impendi absolutio sub conditione de futuro quæ est suspensiva actus: ut si dicat judex, Absolvo te ab excommunicatione quam incurristi, cum primùm satisfeceris? Negant *Sylvester v. absolutio n.1. S. Antoninus 3 p.tit.24.c.77.§.1. Angelus v. Absolutio 3.* ex parte consentit *Avila 2 p. c.7.disp. 3.dub.15.* Desumunt ex *l. actus legitimi ff. de reg. juris* ubi habetur legitimos actus non recipere conditionem. Probant a simili, quia absolutio a peccatis nequit conferri sub conditione de futuro contingenti; ergo nec absolutio a censura.

Affirmandum tamen est cum *Vasquio de excom.dub.18. Covarr.in c. Alma mater 1.p.§. 11.n. 6. Suario disp.7.sec.8.n.7. Bellano disp.14.dub.16.n.218 Laymann l.1 sum. tr.5.part.1.c.7.n.2. & Hurtado disp. 14.diff.2.* talem absolutionem posse impendi valide, imò si causa rationabilis urgeat, licitè. Probatur quia talis modus absolvendi nullo jure naturali vel positivo irritatur, aut prohibetur. Illud notandum expediens non esse, ut præstetur absolutio conditionaliter, si absit necessitas.

1914 Tertius absolvendi modus dicitur ad cautelam ex eo quòd per illum caveatur detrimentum quod ab ignota censura inferri potest. *Absolutio ad cautelam.* Unde præsupponit absolvendum suæ censuræ ignarum, vel ad summum suspiciosum, non verò certum. Prudenter igitur solet præmitti collationi ordinum, beneficiorum, ac privilegiorum ut vitetur invaliditas: item absolutioni a peccatis, ne detur Sacramenti irreverentia.

Hæc absolutio diversimodè præstari debet quando petitur in foro conscientiæ, & quando in foro externo: nam si petatur in solo foro cōscientiæ satis est ut impendatur, promissio de satisfaciendo: si autem petatur in foro externo, distingui oportet in hunc modum: absolutio ut impendatur generatim, sufficit quòd nullius in particulari detur suspicio, proindeque nec ulla cautio, nec ulla causæ cognitio postulatur: ut autem impendatur specialiter alicui censurato, debet hic probare saltem semiplenè se tali censura ligatum non esse, vel quia censura errorem continet, vel quia post interpositam legitimam appellationem lata fuit. Qualiter verò tunc judicialiter procedendum sit, & a quo judice? Vide *Palaum citatum n.5. & 6.* *Absolutio censuræ in foro interno & externo.*

Quartus absolvendi modus dicitur ad reincidentiam, & datur quando aliquis ita absolvitur, ut possit in eandem censuram iterum incidere; & tripliciter contingit 1. quando judex ex consensu creditoris absolvit debitorem ab excommunicatione incursa ob non solutum debitum, imposito præcepto, ut si non solvat intra tot dies in eandem reincidat. *Absolutio ad reincidentiā quotuplex.*

2 Si absolvat pro aliquo tempore designato tantum, aut si pro aliquo absolutè, & pro reliquo sub conditione alicujus operis faciendi: v. g. si ad tres dies ex consensu creditoris debitor absol-

absolvatur, & in perpetuum, Si intra illos dies solvat debitum: 3. si censuratus absolvatur in ordine ad aliquem tantum effectum: v.g. ut validè recipiat collat onem beneficij, vel ferat sententiam, vel alium jurisdictionis actum exerceat. Vide plura de hac re apud *Palaum de cens. disp.1. pun.11.§.2.qui n.13.* rectè observat cum *Sayrol.2. Thesauri casuum c.20.n.31. Avila 1.p. de censur. c.7. disp.3.dub.12.& Paulo Layman l.1.sum tr.5.par.1.c.7.circa finem* omnes explicatos absolvendi modos locum habere tam in foro interno, quàm externo, ita tamen ut absolutus pro foro tantū interno se non possit immiscere publicè actibus per censuram vetitis. Quod si immisceat se illis, poterit tanquam censuræ transgressor puniri a judice etiam sciente absolutionem, mitiùs tamen quàm si absolutus nullo modo foret. Addunt citati posse talē judicem ab omni punitione abstinere, nisi a parte urgeatur.

QUÆSTIO II.

Quenam forma ritu & conditionibus impendi debeat absolutio a censura?

1915 Explicatis modis, quibus per absolutionem tollitur censura, superest decidenda quæstio circa formam & conditiones quibus talis absolutio impendi possit, ac debeat. Quod attinet ad formam, ac ritus in absolutione servandos, consentiunt cum *Suario disp.7. sect.9. Bonac. na d.1.q.3.pun.1.n.1 & Palaus disp.1.pun.11 §.3.n.1.* asserentes nullam esse in jure præscriptā formam verborum, quæ sit de substantia talis absolutionis. Semper tamen (inquit Suar. citatus) conferri debet signo aliquo sensibili quo sufficienter significetur eum, qui ligatus est, solvi & liberari. Unde oportet exprimi tam personam absolvendi, quam absolventis saltem in actu exercito: proindeque sufficiunt hæc verba: *Te absolvo.* Addit rectè Bonacina n. 3. absolutionē censurarum impendi posse ijsdem verbis quibus impenditur absolutio peccatorum: nam superior absolvens Sacramentaliter his verbis *Ego te absolvo,* poteit intendens utrunque effectum absolvere a peccatis & censuris.

Forma & ritus in absolutione censuræ.

Dubium est 1. an, & a quo absolutio censuræ per nutus conferri possit? *Salas de legibus disp. 20. sect.9.n.85.* innuit valere absolutionem censuræ etiam a prælatis Summo Pontifice inferioribus collatam per nutus, & quæcunque signa sensibilia, quibus sufficienter judicetur censura ligatū solvi a tali vinculo.

Nutus in absolutione.

Dicendum tamen est cum *Suario citato n. 13. Sanch. de matr. l.8.d.4.n.14. Alterio l.4.disp.7.c.1.dub.3. Fillincio c.10.q.8.& Bonacina cit.n. 5.* solum Summum Pontificem posse absolvere a censura per nutus, & signa alia absque verbis & scriptura. Ratio est, quia Summus Pontifex, cum habeat supremam potestatem, non adstringitur decretis juris communis: secùs Episcopi, & alij prælati inferiores. Statuit autem jus commune *c. cum desideres & c. si aliquando & Clem. 1. de senten. excom.* talem absolutionem nō esse impendendam absq; verbis, vel scriptura.

Dubium est 2. quinam ritus & quæ necessitate servandus in absolutione judiciali a censura. Quamvis petitio absolutionis (inquit *Suar. disp.7. sect.10.*) non requiratur ad valorem, tamen juxta *c. Per suas, de sent. excom.* præcedere: debet regulariter: nec aliter licebit impendere absolutionem, nisi ex causa justa. In ipsa absolutione, & post illam servandæ sunt cæremoniæ juxta consuetudinem, & quoad forum externum, quæ tradit *Ugolinus tab.1.c.19.*

Sed et quæ ... in absolutione censuræ.

1916 Si loquamur de absolutione judiciali ab excommunicatione, ritus servandus præscribitur in *c. a nobis 28. de sent. excom.* & habetur in Pontificiali Romano. Si omittatur (inquit *Palaus d.1.pun.11.§.3.n.4.*) non evadet absolutio invalida, imo nec illicita graviter, nisi impendenda sit solemniter in satisfactionem Ecclesiæ, ut tenet *Gasp. Hurt. disp.14. de excom. diff. 4.* Certum est in absolutione pænitentiali, & si expediat servari regulariter cæremonias Ecclesiæ, posse omitti absque gravi culpa. Si tamen fuit contracta ob grave delictum quale erit incendium, aut gravis clerici percussio, absolvens juxta *c. ex tenore, c. de cætero de sent. excom.* tenetur sub gravi culpa exigere juramentum a delinquente de emendatione in posterum: secus in delictis minùs gravibus. Ab hac juramento eximuntur impuberes. Vide præter citatos *Bellanum disp.14. dub.16.n. 204. & Avilam 2 p.c.7.disp.3 dub.2.* In foro interno (addit *Suar.n.4.*) Mendicantes non tenentur servare aliquas cæremonias, præter eas quæ ad Sacramentum pænitentiæ sufficiunt.

Absolutio excommunicationis solemnis.

Juramentū exactio in absolutione.

Dubium est 3. quænam forma sit observanda, quando quis multis censuris ligatus est? Constat ex *S. Thoma in 4.dist.18 q.1 8.a 5. Suar.d.7.sect.9.n. 4. Vasq. dub.18. n. 14. & Bellano disp.14. dub. 16. n. 221.* unam censuram per absolutionem posse tolli alia remanente. Non enim datur tanta connexio inter censuras in ordine ad absolutionem, quanta inter peccata mortalia. Igitur apud *Suar.* citatum *a n.8.* quando quis est ligatus multis cēsuris, si petat absolutionem omnium a potente absolvere ab omnibus, & hic absolutè absolvat, manebit omninò absolutus: secùs, si petat absolutionem unius tantum: vel absolvens possit unā tantum, vel potens omnes limitet intentionem ad unam. Nam in his casibus unius tantum absolutio impendetur.

Absolutio unius censuræ remanentibus alijs.

Quod attinet ad conditiones in danda absolutione servandas, aliæ se habent ex parte absolvendi, aliæ ex parte absolventis. Si loquamur de prioribus quæ se habent ex parte absolventis, Dico 1. absolvens ut habeat requisitam potestatem, debet esse clericus saltem primæ tonsuræ. Ita *Suar. disp.7. sect.9.6.n.2.* Ratio est, quia potestas ligandi & solvendi proportionem quandam servant: sicut igitur solus clericus ligare, ita solus potest solvere. Ratione necessitatis extremæ v.g. in articulo mortis tenet *Sacr. l.2. Decal c.13.n.13.* posse purè laicum absolvere. Cautiùs tamen id negat Suar. cit. 8. addens n. 9. facta

Conditiones requisitæ ad absolutionem.

Clericus ad absolvendum requiritur.

facta comparatione inter Sacerdotem, & alios clericos, probabilius esse solum sacerdotem posse absolvere. Quia in tali articulo potestas illa solū datur ratione absolutionis Sacramentalis.

1917 Dico 2. ut valeat absolutio debet in absolvente dari sufficiens cognitio absolvendi. Ita *Suar.n.12.* Patet, quia talis actus non valet nisi sit humanus: ut autem talis sit, humano modo, seu liberè exerceri debet. Dico 3. Ut sit valida absolutio requiritur in absolvente libertas a coactione & metu. Ita *Suar.*cit.a n.13. Ugolinus tab. 1. c.2.§.4.n.2.& Sayrus l.2.de excom.c.21.n.30. Decitur expressè in *Cap.* un. quæ vi metuive causa fiunt in 6.

Libertas in absolvente.

Absolutio extorta per metū.

Hæc tertia resolutio multipliciter procedit 1. a quocunque vis aut metus inferatur 2. sive censura justé, sive injusté, dummodó validé lata fuerit 3. quanvis judex sub conditione futura censuram tulerit & ante conditionem impletam cogeretur mandatum revocare: hæc revocatio (ut docent Suar.cit.n.13 & Sayrus n.30.) nulla foret, proindeque ligarentur delinquentes; ac si nulla revocatio præcessisset 4. procedit etiam in absolutione a minori excommunicatione, ut ex *Felino in c.si quem n.4.de sent.* notat *Sayrus cit. c.21. n.30.*

Quid si committatur potestas absolvendi satisf. cta parte; & parti non satisfiat? Rectè *Vasq. de excom.dub.10.Bellanus disp.14.dub. 16. & Hurt. disp.14.de excom.diff 5.n.20.* resolvunt posse absolvi data cautione pignoratitia, fidejussoria, aut si has non possit, juratoria. Sic enim intentioni Ecclesiæ satisfit.

Dico 4. postulatur ad valorem ne absolvens decipiatur in causa principali. Ita *Henriq.lib.13.c. 30.n.4.Covarr.c. Alma 1.p.§.11.n. 14. & Sayrus in thes.l.2.c.11.n.27.* Unde si absolvendus fingat se parti satisfecisse, vel habere propositum satisfaciendi, cum non habeat, irrita erit absolutio. Patet ex *c officij de sent.excom.& c.ex parte de officio ordin.* Nō enim potest subsistere absolutio quando datur involuntarium in absolvente: & tunc involuntarius est absolvens, utpote a fingente satisfactionem deceptus.

Absolutio satisfacta parte.

1918 Si loquamur de posterioribus conditionibus, quæ nempe se habent ex parte absolvendi constat 1. ut validè impendatur absolutio, debere absolvendum subjici absolventis jurisdictioni sive ordinariæ, sive delegatæ. Unde nemo potest absolvere se ipsum, sicut nec excommunicare. Constat 2. quanvis non requiratur, esse tamen valde conveniens, ut delinquens absolutionem petat, ut se humiliter correctum exhibeat. *Cap per tuas de sent excom* Dixi (non requiratur) quia censura cum sit, æna, ejus absolutio, seu ablatio potest conferri invito, & ignoranti, ut docet Suar.d.7.sec.7.

Absolutio petita ab absolvendo.

Absolutio erga invitum ignorante & absente.

Constat 3. absolutionem censuræ posse conferri absenti per litteras, ut sumitur ex *Cap.* de manifesta 2. q. 1. expedit tamen (inquit benè *Palaus d.1.pun.11.§.3.n.10.*) adesse urgentem causam, ut licitè fiat. Addit, idem procedere de absolutione data per procuratorem; hic tamen ut constet excommunicatum a contumacia recessisse, debet habere speciale madatū, ex quo absolutionem petat.

Procurator ad obtinendam absolutionem censuræ.

Concludit procuratorem illum debere jurare, & præstare ea omnia, quæ præstaret absolvendus, si præsens adesset. Denique *Suar. citatus a n.6.* ex supradictis infert posse conferri absolutionem in contumacem in eodem delicto dūmodo vel delictum jam sit omninò commissū, vel si per contumaciam identitem committēdum, adveniens censura ab absolvente suspendi vel tolli possit. Ut hæc omnia licitè fiant, potestas & causa justa intervenire, & nullum tertio damnum vel scandalum sequi debet.

Contumax ad absolutionem.

QUÆSTIO III.

Qui possint absolvere a censuris latis ab homine?

Cum pro generali regula sit apud authores indubitatum, omnes illos qui sunt capaces ferendi censuras, v. g. excommunicando, suspendendo, interdicendo, esse etiam capaces absolvendi a prædictis censuris; & jam de habentibus capacitatem ferendi censuras, sive clericis, sive laicis, sive etiam fæminis dixerimus *Sec. 1.* q.4.n.1851. superest modò peculiariter exponere eos qui possunt, & qualiter possunt ab illis absolvere.

Absolutio a censuris latis ab homine.

Ut in præsenti ordiamur a potentibus absolvere a censuris latis ab homine, ex doctrina *S. Thomæ* 3.p.in addition.q.24. a 1. & S.Bonaven. in 4.dist.18.q.6. consentiunt 1. *Suar.*d. 7. sec. 2. Henriq.lib.13.cap.27. Layman in sum. lib. 1. tr. 5.par.1.cap.7.n.2. Palaus d.1.pun.11.§.4.n.1. & Bonacina d.1.q 3.pun.1.n.1. a censuris ab homine specialiter latis posse absolvere authorem ejusdē censuræ, qui nempe illam tulit, nisi fuerit prohibitus. Ratio fundatur in illo axiomate juris in *L.*nihil tam naturale ff.de regulis juris. Res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. Deinde aptatur ad nostrum casum, quia cū absolutio jurisdictionem requirat, non minor exigitur jurisdictio ad absolvendum, quàm ad ligandum.

1919 Posita resolutio (ut docet *Suar.d.7.sec. 2.a n.3.*) intelligitur non tam respectu personæ quàm muneris itaut quicunque in munus vel jurisdictionem succedens, etiam ad tempus, sive Sede Vacante Capitulum, sive Vicarius absolvere possit. Procedit non solum in ordinarijs, sed etiam in delegatis ut successor in eodem munere vel causa absolvere possit ligatos a prædecessore. Delegatus (addit *Suar.n.7.*) potest absolvere intra tempus a delegante præfixum: imo postquā suo munere functus fuit, sententiam proferendo poterit intra annum absolvere eum, quem excommunicatum reliquit, si resipiscat: secus post transactum annum, vel si sententiam non protulit. *Cap.* quærenti, de offic.deleg. Potest (addit n. 8.) delegari jurisdictio ad ferendam censuram, & non ad absolvendum: & è contra ad absolvendū tantum.

Prælatus succedens vel delegatus ad absolvendum.

Delegatio a l absolvendū.

FFff Dixi

Dixi resolutione (nisi fuerit prohibitus) quia sunt casus, quos numerat Palaus a n. 4. in quibus author censuræ prohibetur ab ea absolvere. Primus casus est in *cap. quærenti, de officio delegati*, ubi delegatus Sedis Apostolicæ excommunicatum a se, & nolentem parere suæ definitivæ sententiæ nequit absolvere post annum ab incursa excõmunicatione: secus ante annum elapsum, vel ante definitivam sententiam. Secundus casus est in *cap tua nos de sent. excom.* Ubi præcipitur incendiarius excõmunicatus ab ordinario, & ut talis denunciatus remitti ad Sedem Apostolicam pro obtinenda absolutione. Tertius ex *cap. 1. de confirm.* Si Pontifex ex certa scientia sententiam cẽsuræ ab Ordinario latam confirmet: quia eo ipso absolutionem sibi reservat.

Absolutio censuræ generaliter latæ ab homine. Quod attinet ad censuram generaliter latam ab homine, omnes illi possunt absolvere, qui possunt ab ea censura, si a jure lata esset. Ita *Sayrus l. 2. Excom. c. 19. n. 5. Henriq. l. 13. de excom. c. 28. n. 5. Avila de cens. 2. p. c. 7. disp. 1. dub. 9. Bellan. disp. 14. dub. 16. n. 257. & Hurt. disp. 15. diff. 6.* Hanc resolutionẽ innuit *c. ex frequentibus, de instit.* ubi supponitur excommunicationem incursam ratione generalis sententiæ latæ ab Archiepiscopo, posse ab inferioribus prælatis absolvi. Ratio sumitur ex eo quia tribunal judicis talem censuram ferentis nõ perturbatur per absolutionem a prælatis inferioribus datam, cum reus non fuerit nominatim citatus. Hanc resolutionem judicat probabilem *Suar. d. 7. sec. 2. n. 22.* quanvis n. 23. judicet probabilius oppositum, nempe eandem esse rationem quoad absolutionem de hac censura lata per generalem sententiam, ac de alijs censuris ab homine.

Absolutio nata censuratis mutantibus domicilium. 1920 Quid de mutantibus domicilium? Cũ *Suario citato n. 26.* consentiunt *Ægid. Bellanus disp. 14. dub. 14. dub. 16. n. 257. & Palaus d. 2. pun. 4. n. 10.* excommunicatum a suo Episcopo posse absolvi ab alio, ad cujus diœcesim domicilium transtulit, si excommunicatio lata fuit per sententiam generalem: secus, si per particularem, utpote causa jam cepta coram primo Episcopo. Ratio utriusque est, quia ne detur tribunalis perturbatio specialiter censuratus, cum fuerit citatus a judice, antequam censura ligaretur, debet ab eodem tribunali obtinere absolutionem: secus est de censurato per generalem sententiam.

Qui versatur (inquit *Suar. citatus*) in extraneo Episcopatu non incurrit censuram ab Episcopo illius loci latam per generalem sententiam. Si verò incurrat latam per statutum pro futuris culpis, a proprio Episcopo absolvi potest, dummodo reservata non sit. Hujusmodi hospes ligatus per sententiam particularem ex legitima jurisdictione acquisita ratione delicti ibi commissi, vel alio titulo, ab Episcopo proprio absolvi nequit.

Absolutio censuratũ per regulares. Quid de regularibus ad absolvendum? Superiores ordinarij Mendicantium (inquit *Suar citatus a n. 28.*) habent privilegium absolvẽdi ab omni censura ab homine lata, & contracta ante ingressum religionis, dummodo talis censura generaliter lata sit, vel quanvis lata pro particulari delicto, occulto tamen quoad personas, in quas confusè fertur. Per hoc privilegium etiam ante professionem absolutio dari potest. Quid quando fuit data appellatio? Post appellationem (addit *n. 32. 33*) ille judex superior ad quem appellatum est, absolvere potest, dummodo servet juris præscriptum: idem similiter adhuc potest ille judex a quo appellatum est, sive ordinarius, sive delegatus sit: quia in utroq; datur sufficiens jurisdictio. *Appellatione [illegible] a censura.*

QUÆSTIO IV.

Quibusnam competat potestas absolvendi a censura juris?

Absolutio a censura juris. QUæstio inquirens potestatem absolvendi a censura juris, complectitur omnem censuram tam reservatam ipsi authori, qui illam tulit, quàm non reservatam. Si loquamur de non reservatis, sive sint latæ a jure Pontificio, sive a jure Episcopali, rectè consentiunt *Henriq l. 13. c. 27. n. 3. Ugolinus de censur. tab. 1. c. 10. n. 1. Suar. d. 7. sect. 3. & Sayrus l. 2. c. 19. a n. 2.* eas posse relaxere suis subditis omnes qui in foro externo jurisdictionem habent, quales non solum Episcopi, sed etiam Priores, Rectores, Guardiani, Abbates, & similes.

Parochus & sacerdos ad absolvẽdum acẽsuris. 1921 Dubium est an inferiores parochi, & sacerdotes quicunque habentes potestatem absolvendi a peccatis mortalibus, possint etiam a censura nõ reservata absolvere? Negant *Richard. in 4. d. 18. a 9. q. 1. Franciscus Senens. cons. 14. n. 4. & Panormit. in c. 2. n. 3. & c. nuper n. 6. de sent. excom.* Probant quia prædicti carent jurisdictione judiciali ad absolutionem requisita.

Affirmandum tamen est cum *Vasquio de excom dub. 19. Suario d. 7. sec. 3. Avila 2. p. de cens. c. 7. d. 1. dub. 4. Bellano disp. 14. dub. 6. concl. 2. & Hurtado disp. 15. diff. 2.* Sumitur ex *c. Nuper de sent. excommun.* ubi sic habetur: *Quia conditor canonis specialiter absolutionem sibi non reservarit, eo ipso alijs videtur facultatem concessisse relaxandi.* Quæ ratio circa textum de excommunicatione minori loquentem, omnem censuram continet.

Si loquamur de censura reservata, conveniunt omnes, prout expressè deciditur in cit. *cap. Nuper de sent. excom.* nullum alium, præter authorem censuræ, vel ejus successorem, superiorem, vel ejus delegatum posse absolvere. Sunt tamen casus nonnulli in quibus hanc potestatem alijs impendit canonis author. Primus ex privilegio Cruciatæ, de quo suo loco diximus, concedi facultatem cuilibet sacerdoti approbato absolvendi a censuris etiam reservatis in Bulla cænæ semel in vita, & semel in morte. Secundus casus est circa excõmunicationem *Canonis si quis suadente 17. q. 4.* Datur enim in *c. mulieres. c. quamvis de sent. excom.* facultas Episcopis ut possint absolvere mulieres, & impuberes etiam post pubertatem. Tertius casus est quando percussio clerici fuit occulta, & nõ deducta ad forũ con- *Canonis [illegible]*

contentiosum, ut Episcopus juxta Trid. sess. 24. c. 6. de reform. possit absolvere ab illis, & sic ab ijs censuris Sedi Apostolicæ reservatis.

Reservatio extensiva interpretatio. Illud est observandum cum Suarez de censur. disp. 7. sect. 5. n. 10. quanvis in actu fo diceretur dari facultatem absolvendi ab omnibus censuris, non intelligi quód concedantur reservatæ juxta regul. 81. juris in 6. In generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus. Ex quo sequitur 1. sub generali facultate ad absolvendum a casibus reservatis Pontifici non intelligi casus Bullæ cænæ, quanvis expressé nō exciperentur. Sequitur 2. sub generali concessione omnium censurarum Papalium, etiam contentarum in Bulla cænę, non intelligi excommunicationem hæresis, quanvis probabile sit intelligi, si hęresis occulta sit. An ob vitādam gravem infamiam, possit quis absolvi ab excommunicatione Pontifici reservata, in Sacramentali confessione? Affirmant P. Bened. Remigius in sūma Hisp. tr. 6. c. 5. §. 1. tit. de Ireg. v. 5. ex Navarr. c. 27. n. 259. cujus affert verba concepta. Quod ego admitto, dummodo in sic absoluto maneat onus comparendi, quod manet in legitime impeditis, quando absolvuntur.

Absolutio censuræ in articulo mortis. Quartus casus est, si detur aliud privilegium, quale habent regulares Mendicantes, ut absolvant ab omnibus censuris Sedi Apostolicæ reservatis, exceptis ijs quæ continentur in Bulla cænæ. Denique juxta c. eos qui de senten. excommun. in 6. Trident. sess. 14. c. 7. & authores citatos, in articulo mortis omnes sacerdotes etiam excommunicati habent facultatem absolvendi ab omni censura sive juris sive hominis, juramēto prę-stito, quód se præsentabit ei a quo de jure absolvendus erat, quàm primùm potuerit. *Absolutio ut vitetur infamia.*

TRACTATVS XLVIII.

De Excommunicatione.

SECTIO I.

De Excommunicatione secundùm se: ipsius causis, & effectibus generaliter acceptis.

QUÆSTIO I.

Quid sit excommunicatio, & quotuplex?

1922 Ut explicemus essentiam & quiditatē excommunicationis, præmittimus hujusmodi pænam multis nominibus insigniri apud Theologos & Iurisconsultos: dicitur enim Districtio Ecclesiasticæ censuræ, Abominatio, Mors, Mucro Episcopi, Nervus disciplinę, virga ferrea, Anathema, & appellatur multis alijs, quæ omnia afferimus & exponimus in Elucid. a n. 1730. *Excommunicatio unde dicta.*

Hæc vox (excommunicatio) suam ethymologiam, seu originem sortitur a communione. Nam a tempore nascentis Ecclesiæ cum fideles, ut habetur Act. 2. perseverassent in Apostolorum doctrina, & corporis Christi communione, qui ob aliquod delictum arcebantur a communione, dicebantur excommunicati, hoc est extra cōmunionem fieri. Hinc est quód vox (excommunicatio) significet illam censuram, quam Ecclesia instituit ad puniendum delinquētes contumaces arcendo illos a multiplici fidelium communione, ut patebit ex illius definitione, & effectibus explicandis.

Excommunicatio definitur. Definitur igitur in hunc modum: Excommunicatio est censura ab Ecclesia instituta separans excommunicatum a communione fidelium. Sumitur ex cap. Omnis C. [illegible] & c. p. Canonica 11. q. 3. & seorsim explicatur. Dicitur (censura) quia censurat & cōrrigit rebelles privando illos Ecclesiasticis bonis. Ponitur (censura) loco generis, & dividit excommunicationē ab irregularitate, & alijs pænis Ecclesiasticis, quæ censuræ non sunt. Reliqua ponuntur loco differentiæ, & distingunt hanc censuram a suspensione & interdicto. Quia nec suspensio nec interdictum privant formaliter & per se communicatione: sed suspensio privat Ecclesiastico ministerio, interdictum veró solum divinis rebus & officijs.

Excommunicatio quātā pœna. Definitio comprehendit excommunicationem tam maiorem, quam minorem, quatenus communio abstractè sumitur sive pro totali, sive pro partiali. Quanvis communio alia detur tantum in sacris, & divinis, alia detur tantum in humanis & civilibus, tamen prout datur inter fideles, & in finem spiritualem ordinari potest, sub Ecclesiastica communione continetur.

Pro maiori intelligentia definitionis ex Covarr. c. Alma 1. p. §. 6 n. 4. Avila 2. p. de cens. c. 6. disp 4. dub. 1. & Layman l. 1. sum. tr. 5. par. 2. c. 1. n. 4. & alijs observat 1. Palaus d. 2. p. 1. excommunicationem privare bonis sacris, v. g. sacrificijs & orationibus quę nomine Ecclesiæ præstantur, non veró quæ privatim & nomine proprio cōmunicantur. Observat 2. excommunicationem esse gravissimam omnium Ecclesiasticarum pænarum: siquidem privat bonis maioribus. Unde dixit Cælestinus 3. in c. cum non ab homine, de Iudicijs Ecclesiam post latum anathema, non habere ultra quid faciat.

1923 Quod attinet ad multiplicitatem, celebris est divisio excommunicationis in maiorem, tanquam generis in suas species, non veró tanquam analogi in sua analogata. Quia excōmunicatio minor propriè censura est, cum privet *Excommunicatio quotuplex.*

 vet

vet bonis præcipuis Ecclesiæ, nempe passiva sacramentorum communione. Illud bene observat *Suar. disp. 8. sect. 1.* quanvis in antiquo usu Ecclesiæ excommunicatio latissimam habuerit significationem, & utrunque membrum comprehenderit: hodié tamen absoluté prolatam, præsertim in sententia ferenda, vel a jure vel ab homine, semper de maiori esse intelligendam, ut definivit Gregor. IX. in c. si quem pen. de sent. excōmun.

Excommunicatio absoluté intelligitur de maiori.

Præterea excommunicatio alia est a jure, alia ab homine: hæc solum durat quandiu homo vivit, & in officio est: illa durat in perpetuum. Insuper excommunicatio ab homine alia est generalis, quæ fertur per modum statuti, nulla persona nominatim citata: alia specialis, quæ præmissa rei citatione imponitur. Tandem alia excommunicatio dicitur reservata, alia non reservata: alia valida, alia invalida: de quibus citati authores.

QUÆSTIO II.
Qualiter excommunicatio minor incurratur & tollatur?

UT perspicuè innotescat quiditas, & si quę multiplicitas, imó & effectus excommunicationis minoris, de qua supra meminimus, notant *Suar. disp. 24. sect. 1. & Sayrus l. 2. de excom. c. 22. n. 3.* illam dici minorem comparatione maioris excōmunicationis, tum quia minori privatione afficit, tum quia ob causam minorem incurritur.

Rogabis 1. sit ne excommunicatio minor unica, an multiplex? Respondeo cum communi sententia quam tenent *Navarr. sum. c. 27. n. 1. Bellanus disp. 14. de excom. Laymanl. 1 sum. tr. 5. par. 2. c. 3. & Gasp. Hurtado disp. 1. de excom. n. 1.* olim fuisse multiplicem: hodie unicam tantum esse. Nam olim cum daretur excommunicationes minores tum a jure, tum ab homine, aliæ privabant sola communione Eucharistiæ, aliæ participatione omnium Sacramentorum, aliæ ab omni cōmunione tum divina tum humana removebant: hodie tamen unica tantum datur excommunicatio minor, quæ a solo jure imponitur ob participationem cum excommunicato vitando sive vivo, sive mortuo, & solum privat Sacramentorum receptione.

Excommunicatio minor quotuplex.

1924 Rogabis 2. sitne unicus, an multiplex effectus excommunicationis minoris? Respondeó cum *Vasquez tr. de excom. dub. 4. Suarez disp. 24. sect. 9. Bellano disp. 14 dub. 17. Bonacina disp. 2. de excom. q. 3. n. 7. & Palao disp. 2. pun 21.* effectum proprium & directum hujus censuræ esse unicum, effectum verò improprium & indirectum esse duplicem. Prior pars hujus resolutionis satis constat ex definitione & essentia hujus censurę, quam exposuimus n. 1892. Cum enim privet directé sola reçeptione Sacramentorum, directus & unicus effectus est talis privatio passiva. Posterior pars de dūplici effectu indirecto constat, quia taliter excommunicatus nec potest, licité administrare Sacramenta alijs, ut sumitur ex c. *si celebrat, de clerico excom. ministr.* nec potest eligi ad beneficium, ut habetur ibidem: est igitur duplex effectus indirectus illud impedimentū, & hujusmodi incapacitas.

Effectus excommunicationis minor.

Rogabis 2. qualiter ille peccet ministrans sacramenta, & qualiter fiat inhabilis ad beneficia? Respondeo ad primum cum citatis authoribus solum peccare venialiter: quidquid affirmetur *Sylvester v. Excommunicatio 4. n. 2. & Tabiq. dicto dub. 4.* peccare mortaliter. Quia videtur indecens, sed levi indecentia, ut privatus receptione Sacramentorum, ea ministret alijs.

Beneficium collatum excōmunicato.

Respondeo ad secundum, cum *Suario disp. 24. sect. 2. Bellano disp. 14. de excom. dub. 17. Hurtado disp. 14. diff. 1. & Bonacina disp. 2. q. 3.* quanvis graviter peccent tam minori excommunicatione ligatus recipiens beneficium, quām ad illud eligēs, pręsentans vel conferens, tamen hujusmodi electionem præsentationem & collationem non evadere irritam ipso jure, sed solum venire irritandam ope exceptionis. Quia in cit. *c. si celebret* expresse dicitur electionem irritandam esse.

Observandum 1. cum *Suario citato* hujusmodi irritationem non extendi ad electionem temporalium dignitatum. Quia textus solum loquitur de Ecclesiasticis. Observandum 2. cum *Laymano l. 1. sum. tr. 5. par. 2. c. 3. n. 5. & Palao d. 2. pun. 21 n. 19.* electionem illam esse irritandam, si facta sit de excommunicato suæ excōmunicationis cōscio: secus, si facta sit de ignaro illius, sive electores sciverint, sive ignoraverint. Observandum 3. electores etiam scienter eligentes talem excommunicatum ad beneficiū, nullam pænam incurrere. Quia nullibi statuta est.

1925 Rogabis 3. quis possit a minori excōmunicatione absolvere, & quomodo? Conveniunt authores, *Suar. d. 24. sect. 4. Sayrus de excom. l. 2. c. 23. Fillucius tr. 13. c. 7. q. 8. n. 143. & Bonac. disp. 2. de excom. q. 3.* & alij formam absolutionis ab hac censura nullam in jure determinatam esse, sed eam requiri ac sufficere per quam voluntas absolventis, & intendentis tollere hanc censuram in particulari declaretur. Unde necessarium non est præstare satisfactionem, cautionem juratoriā, alias ve cæremonias, etiam in foro externo.

Absolutio ab excōmunicatione minori.

Quod attinet ad potestatem absolventis, si excommunicatio (ut recté docet *Suar. citatus*) est ab homine, solus ille qui eam tulit, absolvere potest, vel ejus superior, vel qui ab ipsis habeat potestatem delegatam. Si illa sit a jure, quæ jam hodie sola est, quicunque proprius sacerdos, imò & ab illo habens potestatem absolvendi a mortalibus, ab ea absolvere potest. *Cap. nuper de sent. excommun.* Parochus habens beneficium cum animarum cura, & ordinaria jurisdictione, quanvis non dum ordinatus sacerdos, a tali excommunicatione absolvere potest. Quia talis absolutio non est actus ordinis, sed jurisdictionis.

Difficultas est, an simplex sacerdos, qui solum potest absolvere a venialibus possit etiam absolvere ab excommunicatione minori? Affirmant *Navarr. c. 27. n 25. Toletus l. 1. sum. c. 1[illegible]. n. [illegible]*

Simplex sacerdos [illegible] ... valid. tione.

nu. in candelab. 1 par. tract. de excom. n. 12. Tavent. [illegible] v. absolutio 2. n. 5. Armill. v. 38. & Gasp. Hurt. disp 16. de excom. diff. 2. Probatur, quia absolutio [illegible] requiratur præmittitur absolutioni peccatorũ, & excommunicatio minor regulariter contrahitur per peccatum veniale. Quando igitur talis excommunicatio contracta fuit per venialem culpam, nec excommunicatus gravatur ulla mortali, simplex sacerdos ab utroque vinculo potest absolvere.

Negandum tamen est cum Cayro l. 2. de excom. c. 23. n. 9. Hug. lino tab. 3. c. 4. §. 5. Suar. disp. 7. de cens. sec. 4. n. 17. Avila 2. p. c. 7. disp. 1. dub. 2. & Bonacina disp 2. excom. q. 3. n. 15. Sumitur ex c. Nuper, de sent. excom. ubi Pontifex interrogatus an simplex sacerdos posset absolvere ab hac sensura, respondit Episcopum, & Sacerdotem proprium posse absolvere: simplex autẽ sacerdos non est proprius.

QUÆSTIO III.

Quæ sit causa efficiens, materialis, & formalis excommunicationis maioris: & qui effectus illius remoti?

1926 Cum in præcedenti tractatu satis egerimus de causis censuræ acceptæ in communi, facilis erit, & brevissima tractatio de causis excommunicationis. Efficiens igitur, seu ferens excommunicationem (ut indicat Celestinus 3. c. transmissam de elect.) esse debet persona Ecclesiastica ordine clericali insignita, ita tamen ut ordo sacer non postuletur, sed sufficiat prima tonsura. Ut clericus hujusmodi sit causa efficiens excommunicationis, tria requiruntur 1. ut non sit conjugatus: hic enim de sola cõmissione Pontificis excommunicare potest 2. ut ille habeat jurisdictionem in foro externo in eos qui sunt excommunicandi 3. ut prędicta jurisdictio expedita sit, & non impedita.

Excommunicationis causa efficiens.

Si loquamur de causa materiali, est duplex, altera subjectiva excommunicationis, nempe persona illa in quam excommunicatio ferri potest, & esse debet baptizata rationis campos: aliter nec erit Ecclesiæ subjecta, nec peccati capax. Imò juxta c. 1. & fin. de sent. excom. impuberes doli capaces & si in excommunicationem juris incidãt, regulariter latam ab homine non incurrant. Puberes & doli capaces ut incurrant, debent in territorio excommunicantis delinquere. Prælati regulares ubi libet suos subditos excommunicare possunt. In communitatem excommunicatio ferri nequit.

Impuberes ad excõmunicationẽ.

Altera materialis causa est culpa ob quam excommunicatio fertur, & necessariò lethalis esse debet, ut pæna, quæ gravissima est, culpæ respõdeat. Talis culpa externa esse debet, & futura: quia excommunicatio punit solum delicta de quibus judicat Ecclesia, & est pæna medicinalis, non vindicativa.

Dices, quando plures divisim, & sine mutuo influxu devastarunt vineam itaut singuli abstulerint levem quantitatem, potest Episcopus sub excommunicatione illos cogere ad restituendũ, ita ut unusquisque incurrat censuram illam, si non restituat: ergo potest ferri pro culpa veniali. Respondeo concesso antecedenti cum Less. l. 2. just c. 12. dub. 9 n. 55. Suarez de cens. disp. 2c. sec. 2. n. 4. & Barb sa 3. de potest. Epis. alleg. 9 n. 29. distinguendo consequens, itaut concedatur, quando reparatio damni levis conducat graviter ad reparationem damni gravis: ut in nostro casu: negetur veró quando graviter non conducit. Nam quando finis præcepti gravis est, & res quæ præcipitur, consecutioni talis finis necessaria, obligatio illam exequendi gravis est. Vide quæ diximus in priori parte sum. n. 804.

Excõmunicatio ob leve furtum.

1927 Denique causa formalis excommunicationis est modus, quo excommunicatio ferri, explicari, & intimari debet: proindeque illé requiritur & sufficit qui sufficienter exprimat voluntatem ferentis excommunicationem. Semper tamen expediens erit consuetudinem diœcesis servare, juxta id quod est præscriptum in c. cum medicinalis, & c. Sacro, de sen. excom. in 6. & nos supra diximus exponentes formam censuræ communissimæ.

Forma excõmunicationis ferẽdæ.

Quod attinet ad effectus remotos excommunicationis, tres numerat, & exponit Palaus d. 2. pun. 20. Primus ac proprius effectus excommunicationis est suspicio hæresis, in quam excommunicatus incidit, si obdurato animo insordescat per annum in excommunicatione lata specialiter ab homine. Deciditur a Trident. sess. 25. c. 3. de reform. Quia talis præsumitur malé sentire de potestate Ecclesiæ. Hanc suspicionem si nolit purgare, iterum citari debet sub pæna excõmunicationis, & tunc si respondere noluerit, & in ea contumacia perseveraverit, nullo allegato impedimento, tanquam hæreticus condemnandus est. c. cum contumacia de hæret. in 6.

Effectus tres remoti excõmunicationis.

Hæresis suspicio in excõmunicato.

Secundus effectus remotus excommunicationis, seu potiùs perseverantiæ in illa est integra probatio delicti, seu causæ civilis aut criminalis ob quâm excommunicatio inflicta fuit. Nam si detur illa perseverantia per annum, nullo exhibito impedimento, aut satisfactionis signo, habetur reus pro confesso & convicto juxta c. rursus & c. quicunque 11. q. 3. Adhuc tamen suam innocentiam poterit allegare & probare.

Tertius effectus remotus est beneficiorum privatio. Sed an hujusmodi privatio requirat triennalem, vel solum annalem perseverantiam: sit ne jure ipso inducta, an per sententiam judicis inducenda, non concordant authores. Placet Suar. disp. 17. sect. 1. n. 9. affirmans nihil de hac re in jure determinatum esse. Vide Palaum disp. 2. pun. 20. n. 4.

Beneficiorum privatio excõmunicatione.

QUÆSTIO IV.

Qui sint excommunicati vitandi, qui non vitandi, & in quibus?

1928 Ut innotescat resolutio prioris partis de excommunicatis vitandis & non vitandis, seu toleratis, certum est 1. apud

Excõmunicatus vitãdus qui.

apud Suar. disp. 1. de cens. s. 7. 1. Avilam 2. p. de cens. c. 3. d. 1. dub. 1. Coninck disp. 14. dub. 2. & Gasp. Hurtado disp. 2 de excom. diff. 2. excommunicatum non divino, sed solo Ecclesiastico jure prohiberi a conventu & communione fidelium. Quamvis enim Christus sua Ecclesiæ contulerit potestatem instituendi censuras, quæ pro inde collatio de jure divino fuit, tamen censurarum institutio de jure humano est.

Certum est 2. excommunicatum non toleratum, proindeque vitandum dici illum, qui denunciatus est, vel manifestus clerici percussor est: cum talem Ecclesia non toleret, nec fideles permittat communicare cum illo: è contra reliquos omnes toleratos esse. Quia eorum communicatio permittitur. Superest explicandum, quinam sint excommunicati, quos Ecclesia toleret, & qualiter toleret.

Quondam ante Constantiense conciliũ omnis qui verè excommunicatus erat, tenebatur aliorum fidelium vitare convictum, & communicationem, & è contra fideles tenebantur vitare communicationem cum illo. itaut si excommunicatio foret publica, si secreta, secreto vitare, juxta caput *cum non ab homine de sent. excom.* At in Constantiensi Concilio quod celebratum fuit anno Domini 1414. & confirmavit Martinus V. sic habetur: *Indulgemus quod nemo deinceps a communione alicujus, Sacramentorum administratione, aut a aliis quibuscunque divinis intus, & extra prætextu cujusque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ a jure, vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare nisi sententia vel censura hujusmodi fuerit lata contra personam, collegium, universitatem Ecclesiæ, communitatem aut locum certum, vel certam a judice publicata vel denunciata specialiter & expresse, constitutionibus Apostolicis & aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque. Salvo si quem sacrilegam manuum injectione in clericum in sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum nõ possit aliqua tergiversatione celari nec aliquo suffragio excusari: nam a communione illius licet denunciatus nõ fuerit, volumus abstineri, juxta canonicas sanctiones.* Addidit post pauca: *Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos aut prohibitos non intendimus in aliquo relevare, nec quomodolibet suffragari.*

Toleratus excommunicatus qui.

Huic constitutioni moderationem adhibuit Concilium Basiliense sess. 2. ut nempe vitaretur non solum percussor clerici notorius, sed etiam quicunque notorius excommunicatus. Est igitur difficultas cui nam ex dictis conciliis standũ sit, Constantiensi, an Basiliensi? Standum esse Basiliensi tenent Navarr. in c. 1. labores de pænit. dist. 6 Ugolinus de cens. Eccles. tab. 1. c. 13. § 7. n. 8. & Covarr. c. alma mater 1. p. § 2. n 7. Probant, quia Basiliensis constitutio repetitur in dicto Concilio, at Constantiensis non constat nisi solum ex relatione Doctorum, & S. Antonini.

Excommunicatus notorius sed non denunciatus.

1929 Rectius tamen judicant Sayrus lib. 2. thes. casuum cap. 12. n 9. Suar. disp. 9. s. 1 c. 2. n. 5. Avilá 2. p. de cens. c. 6. disp. 2. dub. 1. & Ægid. Bellar. d. p. 1. dub. 2. n. 5. [illegible] standum esse Constantiensi. Ratio est, quia Concilium illud Basiliense caret omni authoritate, utpote acephalum. Unde in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 11. dicitur non fuisse illud concilium, sed conciliabulum, & in multis errasse sicut in depositione Eugenij IV.

Manet igitur perspicuum Ecclesiam solum tolerare excommunicatum non denunciatum, nec notorium clerici percussorum: at non tolerare denunciatum, nec notorium clerici percussorem: quemodó autem toleret, patet ex dictis: indulget enim Ecclesia solam communicationẽ in favorem fidelium non excommunicatorum, ipsis veró excommunicatis non permittit ut se ingerant tali communicationi.

Rogabis 1. an percussor clerici censeatur notorius ut vitetur, cõparatione cujusque, cui certó de injusta percussione constet? Affirmat *Suar.* disp. 9. sect. 2. n. 2. Probat, quia jus in loco citato, solum postulat ad vitandum dictum percussorẽ, quod ita constet de injusta percussione clerici, ut nequeat celari ulla tergiversatione, ergo ab omni illo, cui sic constet, vitandus est, etiam si reliquis non constet.

Percussor clerici a quo vitandus.

Dicta sententia probabilis est, sed probabilior videtur opposita *Navarri* c. 25. n. 75. Avilæ 2. p. c. 6. disp. 2. dub. 4. Laymani l. 1. sum. tr. 5. par. 2. c. 4. Hurtadi disp 2. diff. 3 n. 10 & Bellani disp. 14. dub 2. n. 11. asserentium illam solum percussionem censeri notoriam, ut vitetur excommunicatus, quæ facta fuit coram majore parte populi, vicinæ, aut cõmunitatis, in qua ad minus sint decem, & eis constet dictam injustitiam nullo suffragio, nullave tergiversatione celari posse. Unde non sufficiet fieri solum coram duobus, vel tribus testibus, etiã si per hos in judicio probari possit.

Notorici percussio quæ.

Rogabis 2. an sola fama de excommunicationis denunciatione, vel de notoria clerici percussione sufficiat ut sic infamatus debeat vitari? Respondeo cum *Sayro* l. 2. thes. casuum c. 12. n. 22. Covarr. c. Alma 1. p § 2. n. 4. Ugolino tab. 2. de cens. c. 23. § 1. n. 2. & Laymano l. 1. sum. tr. 5. par. 2. c. 4. n. 2. ad vitandum excommunicatũ denunciatum, sufficere famam de denũciatione, quãdo talis fama plené probetur orta a fide dignis. Tunc enim affert moralem certitudinem, quæ sufficit ad inducendam obligationem.

Denũciatio excõmunicati cognita per solam famam.

1930 Rogabis 3. an in uno loco sufficienter denunciatus, vel manifestus clerici percussor debeat ubilibet vitari? Posse vitari non solum occulté, sed etiam publicé, satis probabile est. Quæritur an detur obligatio vitandi? Affirmant *Henriq.* l. 13. c. 24. n. 1. Vasq. de excom. dub. 8 n. 2. Filliucius tr. 13. c. 3. q. 7. n. 49. & Bonacina disp. 2 de excom. q. 2. pun. 6. § 2. n. 48. Probant, quia Concilium Constantiense absque ulla restrictione loci prohibet vitare excommunicatum, qui vel sit denunciatus, vel notorius clerici percussor.

Excõmunicatus ubique vitandus, an non.

Hæc

Hæc opinio probabilis est, sed probabilior opposita, quam cum *Sanch.l.2.decal c. 11.n. 20. & Avil. 2.p.de cens c 6.d.sp 11.dub.12.defendit Palaus disp.2 p.n.4.n.9.* negans talem excommunicatum esse ubilibet vitandum: quia juxta mentē concilij Constantiensis obligatio vitandi solùm oritur ex denunciatione notoria: ergo solum dabitur talis obligatio ubi denunciatio notoria fuerit, & non alibi.

Sententia judicis ad vitandum excommunicatum.

Rogabis 4. utrum ad obligationem vitandi publicum, seu notorium clerici percussorem requiratur sententia judicis, qua saltem declaretur talem esse notorium clerici percussorem? Non audeo sine authore absolutè sequi partem affirmativam. Illud scio varios authores graves asserere, raro posse contingere quod aliquis ob notorietatem percussionis clerici sit vitandus. Quia ad hoc est necessaria talis notoreitas, ut vix constare possit percussorem carvisse omni ratione probabili & causa ob quam excusatur.

Unde in aliquibus Lusitaniæ diœcesibus usu receptum est, ut nullus clerici percussor sit vitandus, ante quàm denuncietur. De Eborensi diœcesi hoc affirmant probatissimi testes. In constitutionibus *Ulyssipon. diœcesis l.5.tit.26.§.3.* non reprobatur hic mos: imo innuitur posse dari his verbis: *Nam excluimos o costume q; pode aver em nam serem evitados tays escomungados s. nam despoys de serē ouvidos & julgados.*

Cōmunicatio cum excommunicatis.

Quoad alteram quæstionis partem inquirentem quibus in rebus excōmunicati vitandi sint, certum est prohibitam omnibus fidelibus esse omnem cum excommunicato denunciato & manifesto clerici percussore communicationem tum divinam, tum humanam. Dubium est, an permittatur cum alijs excommunicatis? Cōveniunt authores permissum & licitum esse fidelibus cum illis communicare in humanis & politicis, imò in sacris & divinis, quando non inducit excommunicatum, ut vel sacrum faciat, vel sibi ministret Sacramenta. Addunt benè licere talem inductionem, quādo stante necessitate, vel speciali utilitate, non adest alius qui sibi hæc beneficia æquè benè conferat.

Difficultas est, an peccet graviter qui seclusa gravi necessitate inducit excommunicatum, ut sibi ministret Sacramenta, celebret divinum officium, vel secum recitet horas canonicas? Affirmant *Suar.disp.11.sect 4 n.10. Basilius Ponce l. 5. de matr.c.18.§.9. Bellanus disp.14.dub.3.concl.3. & Layman l.1.sum.tr.5 parte 2.c.4.n.5.* Probant, quia saltem peccat contra charitatem, vel religionem qui inducit proximum, ad actum, quem censura prohibet, & non adest necessitas, qua cohonestetur.

Valde probabilis est hæc opinio: sed *Sanches l. 7.matr disp.9.n 8. Henriq.l.13.c.6.& 10. Sayrus l. 2. thesau.casuum c.12 n.10. Filliucius tr.13.c.3.& Gasp Hurt.disp. 1. de excom.diff. 4.* probabilius judicant nullum per se esse peccatum ab excommunicato petere Sacramenta, & sacrificia. Ratio est, quia concilium Constantiense absolutè, & sine ulla restrictione concessit fidelibus facultatem communicandi cum excommunicatis toleratis; ergo absque ulla culpa possunt cū illis in omnibus communicare petendo communicationem.

1931 Ex quibus patet 1. excommunicatos toleratos nō privari facultate exercendi actus qui possunt cedere infidelium utilitatē, quales sunt actus absolvendi a censuris & peccatis, judicandi, dispensandi, & conferendi beneficia. Patet 2. dicta & dicenda de excōmunicato procedere de suspenso, & interdicto illis in rebus, a quibus removentur per tales censuras. Qualiter verò possit quis pro toleratis sacrificia & publicas orationes offerre, eosque in sacro loco sepelire, dicemus in singulis effectibus excommunicationis.

SECTIO II.

De effectibus excommunicationis, prout est privatio spiritualium.

QUÆSTIO I.

Qualiter excommunicatio privet suffragijs Ecclesiæ: & passiva receptione Sacramentorum?

PRo decisione utriusque partis, notandum est excommunicatum etiam toleratum privatum esse tam suffragijs Ecclesiæ, quam passiva Sacramentorum receptione: ut verò priorē partem seorsim explicemus illud oportet animadvertere duplex in Ecclesia dari spirituale subsidium: alterum provenit ex operatione cujuscūque fidelis, prout est persona particularis: alterū provenit tum a Christo, qui offert suo æterno Patri sacrificium Missæ mediante Sacerdote, tū ab Ecclesia quæ per suos ministros peragit sacrificium, orationes publicas fundit, & satisfactionē ex Christi & Sanctorum thesauro dispensat.

Sacrificia & orationes pro excōmunicatis.

His positis, sit resolutio Excommunicatus ex præcisa ratione hujus censuræ solum privatus est spiritualibus subsidijs nomine Ecclesiæ factis. Ita *Suar.* de censur.disp.9.sec.4. Ugolin.lib. 2. c.9.n.1. Sayrus in thesau.l.2.c.4.n.2. Avila 2.p. de cens.c.6.disp.4.dub.2.& Gasp. Hurtado disp. 3.diff.1. Quod privetur illis subsidijs nomine Ecclesiæ factis, habetur *Cap.*a nobis.& c. sacris, de sent.excōm. & ex alijs relatis 1. q. 3. Unde nullius effectus erit pro illis preces fundere, & Missæ sacrificium offerre secundùm valorem ab ipsa Ecclesia provenientem.

Dixi (nomine Ecclesiæ factis) quia excommunicatus etiam denunciatus non privatur particularibus fidelium suffragijs, neque valore sacrificij qui procedit a ministro gerente personam Christi. Quia hæc omnia sunt independentia ab Ecclesiæ dispositione, & solum applicantur ex particulari volūtate fidelium. E contra sequitur illicitum esse pro excommunicatis publicas orationes fundere, & offerre sacrificia nomine Ecclesiæ: siquidem prohibita & inutilis est hujusmodi applicatio.

1932 Dubium est 1. an liceat in communi, seu in genere offerre orationes publicas, & sacrificium Missæ? Affirmant *Sylvest.* v. excommunicatio 1. n. 2. Covarr. c. Alma 1. p. §. 6. n. 3. & Socinus senior in cap. sacris se sitten. excom. Probat, quia sic petitur sola reductio & pœnitentia excommunicatorum, quam pia Ecclesia intendit: & certè ipsa orat pro excommunicatis, scilicet schismaticis & hæreticis feria 6. Parasceves. Adde pro extirpatione hæresum, & conversione hæreticorum posse offerri Deo publicas orationes & Missæ.

Negandum tamen est cum Vasquio de excom. dub. 2. Sayro lib. 2. thes. cap. 4. n. 4. & Avila 2. parte c. 6. disp. 9. dub. 3. Suadetur, quia Ecclesia intendit communicare & dispensare propria bona suis membris, non verò illis quę a se separavit. Quod verò 6. feria parasceves oret pro illis voluit tunc tali tempore significare Christum pro omnibus suum sanguinem fudisse.

Excommunicatus pœnitens ad suffragia.

Dubium est 2. an si excommunicatus contritus est, itaut per ipsum non stet quin possit absolvi, pro ipso orationes publicæ & Missæ possint offerri? Affirmant *Navarr.* in sum. cap. 27. n. 18. Henriq. l. 9. de Missa cap. 15. n. 3. Covarr. cap. Alma 1. p. §. 6. n. 4. S. Antonin. 3. p. tit. 24. cap. 76. Sayrus lib. 2. thesau. c. 4. n. 5. & Avila 2. p. cap. 6. disp. 4. dub. 2. Probant quia cum excommunicatio feratur ob contumaciam, censetur Ecclesia nolle privare suffragijs illum qui jam recessit a contumacia per contritionem.

Negandum tamen est cum *Soto* in 4. d. 22. q. 1. a 1. Suario disp. 9. sect. 3. Laymano lib. 1 sum. tr. 5. par. 2. cap. 2. n. 4. Ægid. Bellano disp. 14. dub. 7. diff. 2. & Gasp. Hurtado disp. 2. de excom. diff. 5. Ratio est, quia durante excõmunicatione perseverat illius effectus, nempe privatio suffragiorum: excommunicatio autem non per contritionem & per pœnitentiam, sed per solam absolutionem tollitur. Hæc ratio, & etiam resolutio desumitur ex *Cap.* a nobis, & cap. sacro, de sent. excom.

Toleratus excõmunicatus ad orationes publicas.

Dubium est 3. an publicæ orationes, & sacrificia possint offerri pro excommunicato tolerato? Negant *Covarr.* cap. Alma 1. p. §. 6. n. 4. Alanus lib. 2. de sacr. Euch. c. 33. Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 6. Suar. de cens. disp. 9. sect. 2. n. 16. Vasq. de excom. dub. 2. Scottia de sacrif. Missæ c. 2. n. 4. & Avila 2. p. c. 6. disp. 9. dub. 3. Probat, quia ante decretum concilij Constantiensis suffragia nihil proderant excommunicatis non denunciatis: decretum autem nullo modo intendit illis favere: sed ad vitanda dubia & scandala solum permisit communicationem externam cum excommunicato non denunciato tam in officijs divinis, quàm in negotijs humanis.

Cõmunicatio in divinis cũ excõmunicato.

Hæc opinio est valde probabilis, sed mihi videtur saltem æquè probabilis opposita affirmativa, quam absolutè defendunt *Ugolinus* de cens. tab. 2. §. 2. n. 3. Henriq. lib. 13. c. 11. n. 2. Bellanus disp. 14. dub. 6. n. 40. Sayrus lib. 2. thesau. c. 4. n. 6. Hurtado disp. 2. de excom. diff. 4. n. 10. & Palaus de censur. d. 2. pun. 6. n. 10. Fundantur, quia citatũ concilium permisit fidelibus communicare cũ excommunicatis non denunciatis tam intus quàm extra, scilicet tam communicatione externa in humanis & divinis, quàm communicatione interna in orationibus & oblationibus. Utraque enim communicatio cedit in favorem fidelium, ut liberentur ab scrupulis, tum ut accipiant stipendum, obtineantque meritum.

Sepultura excommunicati.

1933 Dubium est 4. qualis excommunicatus privetur Ecclesiastica sepultura, & qualiter puniantur sepelientes? Constat ex *Clem.* 1. de sepult. & c. quicunque de hæret. in 6. excommunicari qui sepeliunt vel scienter excommunicatos, vel hæreticos, vel eorum fautores. Rectè docent *Suar.* disp. 12. sec. 4. a n. 5. Layman l. 1. sum. tr. 5. par. 2. cap. 4. n. 8. Avila 2. p. de cens. cap. 6. disp. 10. dub. 6. Gasp. Hurt. disp. 5. diff. 4. nequaquam ligari eos qui notorium hæreticum, & excommunicatum etiam impœnitentem sepeliunt, nisi esset denunciatus, vel clerici percussor manifestus. Qui verò (addit cum citatis Palaus n. 14.) hos vitandos in loco sacro sepelit, incurrit excommunicationem maiorem, a qua validè absolvi nequit, nisi priùs Episcopi arbitrio satisfiat ijs quibus eo facto injuria illata fuit. Qui verò hæreticum sententia damnatum sepelivit, absolvendus non est, donec proprijs manibus & loco sacro extrahat, & alibi projiciat: locus verò, nõ cæmeterium in quo fuit sepultus hæreticus manet incapax recipiendi corpus aliquod fidelis. *Cap.* 2. de hæret. in 6.

Martyr verus excommunicatus.

Dubium est 5. an sit sepeliendus in loco sacro excommunicatus qui occisus propter fidem martyr fuit? Potest quis esse verus martyr quanvis sit ligatus censura excommunicationis, qualis fuit S. Cyprianus, de quo S. August. lib. 3. contra Cresecnt. Gram. lib. 3. c. 38 ubi dixit contumaciæ maculam martyrij falce purgasse. Unde post martyrium manet prohibitio in fidelibus, ne sepeliatur in loco sacro nisi priùs absolvatur. Vide Suar. de censur. disp. 24. sec. 4. n. 5 & Henr. lib. 13. c. 7. n. 2. Post quam ab Ecclesia fuerit declaratus martyr absque alia absolutione poterũt ejus reliquię & ossa coli & adorari a fidelibus. Vide Franciscum Freyre lib. 3. consf. 59.

Si roges quam pœnam incurrant qui excõmunicatum vitandum tradunt Ecclesiasticæ sepulturæ? Benè respondet *Suar.* cit. n. 8. præter excommunicationem minorem juris communis, incurrere excommunicationem majorem, a qua absolvi nequeunt nisi priùs exhibita satisfactione ad arbitrium diœcesani Episcopi ijs quibus injuria irrogata fuit.

Funus excõmunicati.

Doctrina tradita juxta *Suar.* cit. a n. 8. intelligitur 1. non solum de cæmeterijs, & locis sacris, sed de quibuscunque per Episcopum deputatis ad sepulturam fidelium. Intelligitur 2. de solis illis qui scienter, & temerè sepeliunt, juxta verba Clem. (*Qui propriæ temeritatis audacia cæmeterijs excommunicatos publicè aut non manifestè scienter sepelire præsumunt*) Unde nec incurrunt qui ex igno-

ignorantia culpabili vel gravi metu coacti sepeliunt. Intelligitur 3. de solis immediate exequentibus, & mandantibus. Unde non comprehenduntur comitantes, etiam si cantent, vel crucem & luminaria deferant: neque remote cooperantes, v.g. fodientes sepulchrum, consulentes, & similes. Ex quibus satis constat excomunicati cadaver omni honore defunctorum Ecclesiastico privandum esse.

1934 Quod attinet ad alteram quæstionis parte de receptione sacramentorũ, constat ex c. *cum illorũ & c si quem. de sent. excom.* omnem excõmunicatũ etiam non denunciatũ esse privatum Sacramentorum receptione. Meritò enim repellitur a præcipuis bonis Ecclesiæ, qui illius præceptis rebellis est. Hoc procedit, nisi excusetur ob periculũ mortis, mutilationis, gravis infamię, vel jacturæ bonorum. Si igitur absq; hujusmodi necessitate recipiat, peccabit quidé recipiendo, sed validé recipiet omnia excepto Sacramento pœnitentiæ, cum hoc essentialiter pro materia proxima exigat rectam suscipientis dispositionem.

Sacramentorũ receptio prohibetur excõmunicatis.

Dubiũ m est 1. an in Sacramẽto pœnitentię ita sit necessaria prævia absolutio excõmunicationis quam contraxit excõmunicatus vitandus, ut si ex ignorantia vel oblivione non impendatur, pœnitens etiam vere contritus nec Sacramentũ nec ejus effectum recipiat? Affirmant *Sotus in 4. dist. 22 q. 1. a 1. Sylvest. v. confessio 1. q 3. casu 5. Vasq. de excom. dub. 4. & Gaspar Hurt. disp. 4. de excom. diff. 3. n. 28.* Probat cum ex c. *ult. de clerico excom. minist.* tum ex ratione, quia Ecclesia privat quantũ potest excommunicatũ a receptione Sacramentorũ & potuit privare a valida receptione pœnitẽtiæ.

Absolutio excõmunicationis an etiam absolutione a pecc. t.

Negandum tamen est cũ *Henriq. l. 13. c. 12. n. 2. Ugolino tab. 2. de censur. c. 7. §. 2 n. 5. Bellano disp. 4. dub. 3. Sayro l. 1. thes. c. 2. n. 3. Suar. disp. 10. de cens. sec. 3 n 9 Bonacina de cens. disp. 1. q. 2 pun. 2. §. 1.* asserentibus talem excommunicatum veram absolutioné a peccatis recipere. Potissima ratio est quia non apparet unde proveniat invalidatio Sacramenti pœnitentiæ in tali casu: nõ enim provenit ex natura rei, cũ non detur in alijs Sacramentis: deinde non provenit ex dispositione Ecclesię, cum talis dispositio non constet. Dixi (excommunicatus vitandus) quia si loquamur de tolerato, certa & extra opinionem est nostra resolutio.

Dubium est 2. qualiter ministri Ecclesiæ se gerere debeant erga excommunicatos petentes Sacramenta? Si loquamur de excommunicatis toleratis, constat apud *Vasq tract. de excom. dub. 2. n. 12. Suar. disp. 10. sec. 2. n. 12. Filliucium tr. 12. c. 3. n. 65. & Bonacina disp. 2. q. 2. p. 1. §. 2.* ex præcisi vi centiæ non posse ministros illis denegare Sacramenta juxta *Extrav. Ad evitanda.* non censentur accedere indebité. Si loquamur de vitandis, certum est ex *cap. significavit, cap. cum desideres, de sent. excom & cap. Episcoporum de privilegijs in 6.* repellendos esse a Sacramentis.

Pœnæ ministrantes Sacramẽta excõmunicatis.

1935 Rogabis quasnam pœnas incurrant ministrantes illis Sacramenta? Respondeo cum *Suario disp. 10 sect. 2. n. 7. & 8.* nullam apparere quæ comprehendat talem communicationem cum omnibus vitandis, nisi excommunicationem minorem, de qua supra n. 1893. & interdictum ab ingressu Ecclesiæ *Cap. Episcoporum, de privil. in 6.* Adde in *cap. Excommunicatus, 1. de hæreticis, §. credentes* præcipi, ut qui ministrant Sacramenta hæreticorum fautoribus excommunicatis, priventur suo officio, ad quod sine Apostolico indulto non restituantur. Tandem in *cap. significavit, de sent. excom.* Pontifex ait eos qui participaverunt cum excommunicatis ab ipso, & illos in officijs receperũt, eandem excommunicationem incurrisse.

Hæc excocommunicatio (ut notat citatus author) maior est, & Papæ reservata. Ut verò incurratur, quinque postulantur conditiones 1. quod excommunicatio sit Papalis ab homine & specialiter lata, vel si a jure, in nominatim declaratos 2. quod detur receptio excommunicati in officijs 3. quod participans sit clericus 4. & 5. quod scienter & sponte id faciat.

Dubium est 3. quas pœnas incurrat excommunicatus Sacramentum aliquod recipiens? Benè respondent *Bellanus disp. 14. dub. 5. n. 32. Suar. cit. sect. 3. n. 6. Gasp. Hurt. disp. 4. de excom. diff. 1. & Bonacina disp. 2. q 2. pun. 2. §. 1.* talem, etiam si vitandus sit, nullam incurrere pœnam ob receptionem alicujus Sacramenti, excepto Ordinis. Nam juxta *Cap. cum illorum, de sent. excom.* si recipiat Sacramentum ordinis, suspenditur.

Pœna excommunicati sacramentũ recipiẽtis.

QUÆSTIO II.

Qualiter excommunicatio privet activa Sacramentorum communicatione, & Missæ sacrificio?

Constat ex *cap. si celebret, & cap. latores de clerico excom. minist.* excommunicatum privari tum Sacramentorum collatione, tum Missæ celebratione. Duplex est difficultas expedienda, altera circa valorem, altera circa licitam Sacramentorum collationem, & Missæ celebrationem. Quod attinet ad valorem, rectè cum *Suario disp. 11. sec 2. n. 12.* docent *Layman lib. 1. sum. tr. 5. par. 2. cap. 2. n. 3. Bellanus disp. 14. dub. 5. & Bonacina disp. 2. de censur. q. 2. pun. 2. §. 4.* ex præcisa ratione excommunicationis nullum Sacramentum collatum ab excõmunicato esse irritum, excepto pœnitentiæ. Ratio est, quia valor Sacramentorum non ex Ecclesiæ dispositione, sed ex Christi institutione pendet.

Sacramẽtorum collatio ab excõmunicato.

Dixi excepto pœnitentiæ) quia ad valoré hujus requiritur jurisdictio, qua Ecclesia excõmunicatum vitandum privat. Cum veró hujusmodi excommunicatus ex præsumpta Ecclesiæ volũtate aliquando v.g. in periculo mortis jurisdictionem retineat, tunc validé ministrabit hoc Sacramentum. Dicta de Sacramentis precedunt de Sacramentalibus. Hæc enim ab excommunicato etiã denũciato validé possunt cõfici, & ministrari.

Missa Sacerdotis excõmunicati.

1936 Quod attinet ad licitam collationem certum est omnem excommunicatum

 ab

ab illa utpote maxima inter fideles excommunicatione prohiberi. At toleratus frequenter a tali prohibitione excusatur: cum ad id fidelium petitio sufficiat. Unde festo die in defectum aliorum sacerdotum, poterit excommunicatus celebrare: quia populus, ut satisfaciat precepto, id censetur petere. Si loquamur de vitando, seu nō tolerato, hunc peccare mortaliter ministrando, vel sacrificiū offerendo, juxta regulā ex *c. si celebrat, & c. latores, de cleric. excōmun.* docent omnes.

Sacramēta quæ in necessitate pote t ministrare ex-cōmunicatus.

Tota difficultas est exponere, an detur, & quę sit causa a peccato excusans hujusmodi administrationē. Paucis exponam sequens *Suariū disp. 11. de censur. sect. 1.* quem cōmuniter sequuntur recētiores, *Avila 2 p. de censur c. 6. disp. 3. dub. 1. Ægid. Bellan disp. 14. dub. 5. per totū Paulus Layman l. 1. sum. tr. 5. par. 2. n. 3. Bonacina de cens. q. 2. pun. 2. § 4. Gasp. Hurt. disp. 4. de cēs diff. 2. n. 22. & Castro Palaus de cēs. disp. 2. pun. 8.*

Dico 1. ex parte ministrantis est causa sufficienter excusans non solū ignorantia vel inadvertentia inculpabilis, sed etiam metus gravis de dāno gravi, secluso scandalo, vel injuria religionis. Patet ex supra dictis, & laté tradit s a *Suario disp. 7. sec. 1.* Quibus accedit necessitas ut sacerdos celebret, vel Euchar stiam sumat in probabili mortis periculo: vel ne se infamet, si Sacramenta non ministret.

Necessitas cōmunicādi in excommunicato.

Dico 2. necessitas ex parte illius cui Sacramentū ministratur, potest excusare imò obligare excōmunicatū ministrantē. Patet tanquā certissi nū in Baptismo, ut conferatur puero moribūdo. Est etiā certū in Sacramento pænitētiæ, quod sacerdos excōmunicatus ministrare debet pænitēti moribū o, si absit om nis sacerdos non excōmunicatus: hic enim etiā parocho excōmunicato præferri debet. Imó (addunt citati cū *Sāch. l. 2 Decal c. 13. n. 5.*) pot st quis in articulo mortis petere absolutionē a sacerdote hæretico, secluso scādalo: nā hic potest illā præstare validé: quia habent tunc juris ictionē: & licitè, si velit: quia ad fidé & pænitentiā converti potest. Suadetur, quia tale Sacramentū est necessariū necessitate medij, quæ necessitas prævalet Ecclesiasticæ prohibitioni.

Hæreticus ad Sacramēta.

1987 Addo ex citatis posse hujusmodi excōmunicatum ministrare Eucharistiam morienti, quando non est alius qui ministret. Est enim hoc Sacramentū valde necessariū præsertim extremé laborātibus, qui sub gravi præcepto obligantur. Nec objicias S. Hermenigildū, qui pot ùs mori voluit, quám Eucharistiam ab hæretico sumere. Hoc enim fecit, ne paternæ hæresi videretur cōsentire.

Quid de Sacramēto ordinis? Tanta necessitas (inquit *Suarius n. 25*) sacerdotū dari potest respectu alicujus populi, ut ab Episcopo excōmunicato ordinari valeant. Quid de Sacramētis cōfirmationis, & Extremę unctionis? Recte ex citatis docet *Palaus cit. n. 8.* ægroto pænitentiam & Eucharistiam recipienti nequaquā ab excōmunicato vitando ministranda esse. Quia Sacramēta necessitatis non sunt: & ideo eorum administratio tempore interdicti non permittitur.

Irregularitas excōmunicati ministrātis Sacramenta.

Rogabis an irregularitatem contrahat excōmunicatus sive toleratus, sive non toleratus, qui illicité sacri ordinis, quem habet, officium exercet, vel Sacramenta ministrat? In affirmativa sententia recté consentiunt *Navarr. c. 27. n. 163. Ugolinus de censur. tab. 1. c. 14. § 1. & Suar. disp. 11. sect. 3. n. 5.* Desumūt ex *C. si quis 3. 11. q. 3. & C. ult. ut clerico excom minist.* Adnunt benè hanc irregularitatē evadere qui excusatur a culpa: est enim pęna quę ideo culpā supponit. Hinc recte collegit *Avila 7. p. de cens. disp. 2. dub. 5. cōcl. 2.* excusari ab hac pæna qui probabiliter judicat se excōmunicatū nō esse. Ita *Palaus cit pun. 8. n. 9.* ubi laté exponit Innocentiū 3. qui in *C. illud de clerico excom. minist.* statuit in dubijs tutiorem partēm eligendam.

Dixi (Sacri ordinis, quē habet) quia evadet irregularitatē, si carens sacro ordine, hujus munus exerceat, v. g. Missam celebrans, vel Epistolā aut Evangeliū soléniter cantans. Adde ad cōtrahendā illam irregularitatē postulari quód exerceatur munus sacro ordini annexū. Unde nec parochus, nec alius sacerdos excōmunicatus assistens matrimonio illam incurret. Quia talis assistentia sacro ordini annexa non est.

Maius dubiū est, an illam contrahat vitandus excōmnnicatus sacerdos qui pænitentiæ Sacramentum ministrat? Negat absoluté *Richardus in 4 dist. 18. a 7. q. 5.* idque probabile *Suar. disp. 11 sect 3. n. 14.* addens esse verum, si sacerdos non habeat intentionem absolvendi. Affirmādum tamen est cum *Palao citato n. 12. & Suario* ibidem prædictū cōtrahere irregularitatem, si serió ministret pænitentiam. Ratio est, quia absoluté ex communi modo loquendi talis Sacramentum ministrat, quanvis aliunde non conficiat. Alioquin vitaret irregularitatem, si Sacramentū evaderet irritum ex defectu dispositionis in pænitente: quod nemo dicet.

QUÆSTIO III.

Qualiter excommunicatio privet divinis rebus & officijs?

Officia sacra quæ.

1938 PRænotandum triplex esse genus rerum sacrarum, quæ vel sunt divina officia, vel in eis locum habent. Primum est Missæ sacrificium. Secundum est processio publica, recitatio horarum canonicarum, benedictio chismatis, olei sancti, & aquæ, & generaliter cujuscunque ordinis solemne exercitium. Tertium est ingressus templi pro veneratione & usu sanctarum imaginum ac reliquiarum, aquæ benedictæ, & habenda oratione.

Missæ sacrificio ex-cōmunicatus.

Quod attinet ad primum genus, constat ex *c. illud de cler. excom. ministr. & c. ult. de sent. excom in 6.* excommunicatum etiam toleratum Missæ sacrificio assistere nō posse, nisi forte desit qui ministret celebrāti Sacerdoti. Quia in hoc casu toleratus (ut docet *Suar. disp. 12 sect. 1. n. 3.*) assistere potest,

potest,& ad hoc invitari. Peccabit igitur graviter,si extra hunc casum assistat,nisi excusetur ob ignorantiam,aut vitandi scandali, vel gravis damni necessitatem.

Rogabis 1. an excommunicatus teneatur ex vi praecepti audiendi sacrum procurare absolutionem,ut maneat expeditus ad audiendum? Affirmat *Didacus Nunes 3.p quaest.83.a 6.* Negandum tamen est,cum *Suar.tom.3.in 3 p.d.* 88 *sect.6.Sayro lib.2 thes.c.3.n.24 & Bonacina disp.2. de censur.q.* 2.*punct.*3.§.1.Quia hoc praeceptum solum expeditos & liberos obligat: aliter etiam aegrotū; & carcere detentum obligaret sanitatem & libertatē quaerere.

Rogabis 2. quas poenas incurrat excommunicatus culpabiliter Missae assistens? Respondeo cum *Suario d.12.sect.1.n.4. Ugolino tab. 2. de cens. c.8.§.3 & Bonacina disp.12.q.2 punt.3.* incurrere excommunicationem minorem. Deinde si sacerdos sit,& propria authoritate faciat coram ipso Missam celebrari,incurret irregularitatem. Quia fictione juris perinde est, ac si ipse celebret. Vel dic illam incurrere, quia divinis se ingerit. Adde si monitus exire noluerit,ob hanc contumaciam incurrere novam excommunicationem Papae reservatam: qua etiam afficitur interdictus denūciatus,qui post monitionem persistit Missae assistere.Item omnes qui impediunt ne praecicti admoniti recedant. *Cap. eos de sent.excom.& Clem.2.eod.tit.*

Rogabis 3.qualiter teneantur non excōmunicati qui Missae assistunt, non permittere excōmunicatos coassistentes? Respōdeo cū citatis teneri sub culpa gravis sacrilegij. Quare sacerdos, & reliqui Missae assistētes tenētur monere ut recedat:quòd si noluerint,vi eos expellere.Quid si nec ipsi velint recedere, nec ab aliis possint expelli?Omitti debet perfectio Missae, si cōsecratio facta nō sit,vel juxta aliquos, si nō est canon inceptus;si verò sacerdos jā consecravit, vel juxta alios,canonē inchoavit,debet Missam absolvere usque ad specierū consumptionē,qua peracta in sacristiā recedere oportet, omissis orationibus & alijs. Idē procedit,quādo sacerdos incohata Missa recordatur se excōmunicatū esse,& sine gravi scādalo vel infamia potest omittere. Reliqui fideles Missae assistētes, si videant excōmunicatū denūciatū velle assistere,tenētur recedere,excepto ministro. Vide *Suar. d.12.sect.1.& Palaum d.2. punt.9.*

1939 Quod attinet ad secundū genus, dictis officijs assistere sub gravi culpa prohibetur excōmunicatus vitādus, ut tradūt citati authores ex tota *causa 11.quaest.3.& c.Is cui eod tit.in 6.* Unde a processione solēni,ubi fiunt preces publicae, repellitur. Deinde obligatus publice recitare horas canonicas,per excōmunicationē de obligatur a publica recitatione, sicut ab audiēdo sacro. Si autē ad horas canonicas erat obligatus titulo professionis ordinis, aut beneficij, rectè ex omniū sentētia docēt *Suar.disp.2.sec.2.n.* 13. *& Sayrus l.2.c.3.* a privata recitatione nō excusari,etiam si beneficij fructus non recipiat.

Nō debet ille privatim recitās dicere *Dominus vobiscum* (ut monēt citati authores) sed illius loco dicere, *Dñe exaudi orationem meam*: hujus autē transgressio venialis tantū est:imò ,culpa nulla juxta *Avilam 2 p c.6.disp 4.dub.6.& Hurtado disp.5.de excom diff.2.* An possit adhibere sociū? Negant citati,ita tamen ut si adhibeat,solū peccet venialiter. Addunt excusari etiam a veniali, si detur necessitas,ut si Episcopus,vel canonicus adhibeat suū capellanū.Quia juxta *C.quoniam multos 11. q. 3.* famulus nō privatur cōmunicatione sui domini in his omnibus,in quibus ei inservire tenebatur.

Quid de concione,Theologiae,& juris canonici publica lectione?Si loquamur de his ministerijs exercendis,certum est prohiberi excōmunicato etiam tolerato. Quia hic prohibitus est communicare cum fidelibus, praesertim in ijs quae proximè accedunt ad divina. Poterit tamē haec praestare,si accedat fideliū petio. Addit benè *Palaus d.2.p.9.n.10.* si illi competat ex officio concionari,vel publicè docere, nec sit alius qui suppleat ejus vices, posse ea munia obire: quia tunc censetur ab auditoribus requisitus. Oppositum dicimus de vitando. Hic enim nec concionari,nec S.Theologiam docere potest etiam requisitus,quanvis ei ex officio competat: nec sit qui suppleat.Quia alijs fidelibus est prohibita cū ipso communicatio.

Si loquamur de praedictis concione & lectionibus audiendis per excommunicatum, rectè docent *Suar.d.12.sec.1.n.3. Bellanus disp. 14.dub. 7.n.58. Fillucius tr.12.cap.4.q.2. & Bonacina d.2. q.2.p.3.§. 2.n. 10.* etiam vitandum permitti assistere concioni, non verò lectionibus: quia non hae tam directè quàm illa saluti audientium necessariae sunt.An verò lector, & discipuli teneantur desistere & recedere excommunicato vitando non recedente?Negant *Suar. disp. 12.sect. 2 n.5.Sayrus lib.2.thes.cap.3.n. 14. & Filliuc.tr. 12. cap.4.q.2.n.87.* & quidem bene: quia unusquisq; auditor seorsim audit, neque humano modo cū alijs communicare censetur. Quidquid in oppositum dicant *Avila 2.p.de cens.c.6.disp.11.dub.3.concl.2.& Bonac.cit n.12.*

1940 Quod attinet ad tertium genus,quādo scilicet datur ingressus templi pro habenda oratione,usū aquae benedictae, sacrisque imaginibus,& reliquis venerādis,dicendū est cū *Suar.n. 1.& Bonacina n.8.* nō privari excōmunicatū tēplorū ingressu, ut ibi privatim orationes fundat a fidelibus separatus.Quia in *C. Episcopus de cōsec. dist.1.* solū praecipitur ostiarijs expulsio excōmunicatorū,quando divina celebrantur.

Deinde privatus usus aquae benedictae, sacrarum imaginum,reliquiarum,& sacramentalium licitus illi est,ut se ad poenitentiam excitet. *Ugolinus tamen tab. 1.de cens.c.13.§. 14. n. 6. & Bonac. d.2.q.2.p.3.n.8.* excipit usum aquae benedictae, & illorum sacramentalium, quae ex Ecclesiae orationibus valorem capiunt. Rectiùs tamen oppositum tenent alij proximè citati:quanvis enim excommunicatus suffragijs Ecclesiae pri-

Poena excōmunicati assistentis Missae.

Missa interrupta vel cessatio propter excōmunicatum assistentem.

Officia divina prohibita excōmunicato.

Processio solemnis ad excōmunicatum.

Recitatio Horarum canonicarum per excommunicatū.

Concio & Lectio S. Theologiae vel juris in excommunicato.

Auditor concionis excōmunicatus.

Excōmunicatus templum ingrediens.

Aqua benedicta & Sacramentalium.

vetur, ut sibi applicentur tamen illis uti potest, ut eorum veneratione,&recordatione ad pœnitentiam movetur. An liceat aliquãdo pro damno communione moribundo, quando Missa dari nequit, consecrare hostiam extra Missam? Nõ audeo decidere quæstionem, utpote novam, & dubiam. Videatur P. Doct. Sebastianus de Abreu lib. 9. de Parocho sect. 7. a n. 209.

Hostiæ cõsecratio extra Missam.

QUÆSTIO IV.

Qualiter excommunicatio privet Ecclesiastico beneficio?

Deciditur presens quæstio, expeditis breviter nonullis difficultatibus 1. difficultas est, an & qualiter per excommunicationem reddatur quis incapax beneficij, & dignitatis Ecclesiasticæ? Non loquimur modò de fructibus & proventibus, quos remittimus ad sequentem sectionem: nobis tantum de jure, in quo consistit beneficium, sermo est. Constat igitur excommunicatum non privari ipso facto beneficijs, quæ antea possidebat. Pro obtinendis, tanquam generalem regulam ex *Cap. Pastoralis, de clerico excom. ministr.* Rectè statuũt *Suar.* disp. 13 sec. 1. n. 2. Garcia 7. p. de benef. c. 13. n. 1. Bellanus disp. 14. dub. 9. Vasq. de excom. dub 6. & Bonacina disp. 2. de censur. q. 2 pun. 4. §. 1. electionem, præsentationem, nominationem excommunicati etiam tolerati, ad beneficium Ecclesiasticum, & illius collationem, litteratum ve impetrationem irrita & nulla esse. Procedit de quacunque beneficij acquisitione, sive causa permutationis, sive resignationis fiat. Par enim fuit ut redderetur incapax beneficij Ecclesiastici, qui a communicatione fidelium separatus esset.

Beneficiorũ privatio per excommunicationem.

Unde prædictus (ut docet *Suar. cit. n. 2. & 3.*) nec post absolutionem a censura potent beneficium retinere, nisi fiat nova collatio, aut dispensatio equivalens. Omnes igitur fructus interim perceptos tenebitur restituere. Quæ procedunt, etiam si excommunicatus bona fide acceperit beneficium aut ignorans suam excommunicationem, aut credens probabiliter se esse ab illa absolutum. Si tamen interim accepit stipendium ratione beneficij pro personali labore, id poterit retinere: alios verò beneficij fructus extantes restituet: consumptos verò, quantum ex illis factus est ditior. Ignorantia enim excusat a culpa, sed non tollit inhabilitatem.

Stipendiũ excõmunicati.

1941 2. Difficultas est, quid intelligatur nomine beneficij Ecclesiastici & dignitatis, ad quæ excommunicatus manet incapax? Respondeo cum *Suario cit. n. 4.* intelligi omnia beneficia propriè dicta, sive curata, sive non, tam minora quàm maiora, scilicet Episcopatum, Archiepiscopatum: item quancunque dignitatem, vel præbendam Ecclesiasticam, ut munus Vicarij, administratoris, seu gubernatoris Episcopatus, etiam ad tempus: item munus prælati in aliqua religione, quanvis non habeat fructus temporales: munus legati delegati, aut inquisitoris. Extẽdunt aliqui ad officia jurisdictionis sæcularia: sed

Dignitates excõmunicati.

malè. Quia horum nominatio & collatio quãvis illicitè fiat, tamen valida est, ut notat Hurt. disp. 8. diff. 2.

Maius dubium est, an excommunicatus sit incapax pensionis. Videntur negare Cor. a. r. in c. alma 1. p. §. 7. n. 2. Avila 2. p. de cens. c. 6. disp. 5. dub. 5. & Gasp. Hurt. disp. 6. de excom. diff. 2. Quia pensio non est jus perpetuum percipiendi fructus. Distinguendum tamen est inter quatuor pensionũ genera, quas benè dividit, & exponit *Palaus* de cens. d. 2. p. 10. n. 6. Nam alia, quę vocatur beneficium simplex, seu præstimonium, est quæ a fructibus beneficij extrahitur in perpetuum: altera extrahitur ad tempus, ut detur alicui, qui nomine Rectoris impediti, officium exerceat. Altera ob servitiũ Ecclesiæ factum cõceditur, etiam puré laycis. Altera quæ datur clerico beneficium resignanti, permutanti, vel litiganti in sustentationem.

Pensionis incap. excõmunicatus.

Certum est primam & secundam non posse advenire excommunicato. Quia prior est beneficium in rigore: posterior datur propter exercitium juvandi parochum, ad quod excommunicatus incapax est. Tertiæ collatio valida est, quia nec fundatur titulo spirituali, neque conceditur ob aliquod spirituale exercitium. Sola est dubitatio circa quartam & ultimam, quæ soli clerico præstari valet. Hanc pensionem invalidè conferri excommunicato cum sententia cõmuniori tenent *Henriq.* lib. 13. c. 13. n. 3. Garcia de benef. 1. p. c. 5. n. 106. Suar. disp. 13. sec. 1. n. 9. Filliucius tr. 12. c. 5. q. 4. & Bonacina d. 2. p. 4. q. 2. §. 1. n. 4. quia talis pensio imitatur beneficij naturam.

Excõmunicatus ad pẽsionem.

Hæc sententia valde probabilis & tuta est: non caret tamen probabilitate opinio asserentiũ cum *Laymano* lib. 1. sum. tr. 5. par. 2. c. 2. n. 8. Sà v. homicida n. 21. & Palao de censur. disp. 2. pun. 10. n. 8. validam esse collationem talis pensionis. Favet declaratio Sacræ Congregat. sess. 14. c. 7. quia resolvit decretum de incapacitate homicidæ ad beneficium, non extendi ad pensionem. Accedit quia nullibi habetur irritam esse collationem pensionis factam excommunicato.

1942 3. Difficultas est, qui intelligantur nomine excommunicati ad effectus explicatos? Ex doctrina & mente *Suarij disp. 13. sect. 1.* respõdeo 1. non intelligi communitatem, vel Capitulum, cui aliqua jurisdictio confertur, si non omnes, sed aliquæ illius personæ excommunicatę sunt: secus si omnes. Non quia tunc dicatur Capitulum excommunicatum, sed quia cõstat omnibus membris inhabilibus. Respondeo 2. intelligi omnes quomodocunque excommunicatos sive vitandos, sive non vitandos, etiam censuræ ignorantes. Unde quanvis elector, & collator beneficij non teneatur vitare communicationẽ cum toleratis, tamen eis illicitè & invalidè beneficium conferet.

Capitulum excommunicatum.

Quod procedit etiam de excõmunicato occulto respectu eligentis occultè: nam si electio publicè facienda est, & negari nequeat suffragiũ sine

Occulta electio excõmunicati.

sine scandalo, & sine infamia electi occulté excommunicati, negandum non est. Talis excommunicatus acceptare potest, quando aliter scandalum & infamia vitari nequit. Interim illius gesta pendentia a jurisdictione valebunt, utpote excommuni & publico errore. Nemo qui a parte rei, & verè excommunicatus non sit, quantumvis publicé per sententiam declaratoriam excommunicatus habeatur, beneficiorum incapax est.

Error cõmunis ad gesta excõmunicati.

4 Difficultas est quæ pœna sit imposita tã conferenti quàm acceptanti: & quis in nullitate collationis dispensare possit? *Suar. disp. 13. sect. 1. a n. 33.* hanc difficultatem optimé resolvit 1. cõferens solum incurrit suspensionem, quæ statuitur *c. postulastis*, a qua excusabitur per probabilem ignorantiam: recipiés verò nullam incurrit præter nullitatem collati beneficij.

Pœna cõferentis beneficiũ excõmunicato.

Resolvit 2. Is potest dispensare in nullitate collationis supplendo defectum, qui habet potestatem conferendi beneficium cum Episcopali jurisdictione conjunctam. Unde si collatio spectat ad solum Pontificem, hic solus dispensare potest: imo si electio quæ irrita fuit, spectat ad determinatas personas, ille solum valet hunc defectum supplere, qui sine electione poterat beneficium conferre, qualis videtur esse solus Pontifex: aliter iteranda est electio.

1943 Circa difficultates breviter expeditas dubium est 1. an electus ad beneficium tempore quo erat habilis, si acceptet postquam excõmunicatus existit, talis acceptatio valeat? Negant Vasq opusc. de benef. cap. 4. §. 4. dub. 2. n. 245. Ægid. Bellan. disp. 14. dub. 9. n. 78. Layman lib. 2. sum. tr. 5. par. 2. c. 2. n. 9. & Gaspar Hurt. disp. 6. de excom. diff. 3. n. 8. Probant, quia beneficium plus obtinetur acceptatione, quàm collatione: & jus id præcipué intendit ne excommunicatus beneficium obtineat, seu acquirat.

Excõmunicatus ad acceptandum beneficiũ.

Hæc opinio probabilis est, sed probabilior opposita affirmativa, quam tenent Covarr. *Cap.* Alma 1. p. §. 7. n. 4. Avila 2. p. censur. cap. 6. disp. 5. dub. 6. Gonzal. glo. 58. n. 27. Bonacina d. 2. de cens. q. 2. pun. 5. §. 1. n. 9. & multos referés *Garcia de benef. 7. p. c. 13. n. 35.* Ratio est, quia per acceptationem non acquiritur beneficium proprié & formaliter, sed jam acquisitum habetur. Quãvis enim acceptatione beneficium efficiatur acceptantis completé, hujusmodi acceptatio non tam acquisitio juris, quàm facti est.

Dubium est 2. an beneficium quod tempore excommunicationis collatum fuit, validé quis acceptet postquam absolutus, & liber ab excõmunicatione est? Affirmant *Henriq.* lib. 13. de excom. cap. 13. n. 3. Navarr. consl. 53. de sent. excom. n. 3 & hoc judicant probabile *Lessius*, Layman. & Bonacina apud Palaum *d. 2.* pun. 10. n. 19. Probant, quia cum electores, vel collatores censeantur persistere in eadem voluntate, quandiu eam non mutant: & si talis voluntas non obtinuerit effectum ob impedimentum excõmunicationis in electo, tamen effectum sortitur, cedente excommunicatione.

Negandum tamen est cum sententia longé veriori quam defendunt *Garcia* 7. p. de benef. cap. 13. n. 43. Lessius de just. lib. 2. c. 34. n. 119. Ægid. Bellan. disp. 14. dub. 9. n. 74. Bonacina disp. 2. de censur. q. 2. p. 4. §. 1. n. 10. & Gasp. Hurt. de excom. disp. 6. diff. 3. Probatur, quia cum illa collatio ab initio fuerit nulla ob subjecti incapacitatem, non potest tractu temporis, scilicet postquam ablata fuerit incapacitas, convalescere. Voluntas enim collatoris, quanvis demus perseverare, est voluntas approbandi collationem factã, non veró conferendi de novo.

Dubium est 3. an quæ diximus de inhabilitate ad beneficium, quam habent excomunicati, extendantur ad suspensos & interdictos? Affirmant *Ugolinus* de censur. tab. 1. c. 6. § 7. n. 4. Navarr. cap. 25. n. 233. Azor tom. 2. lib. 6. c. 7. q. 2. Lessius lib. 2. c. 34. n. 116. & cum multis Garcia de benef. p. 7. cap. 14. n. 1 Probant, nam ideo est invalida collatio beneficij facta excommunicato, quia ille officium nequit exercere: suspensus autem ita se habet. Hanc resolutionem extendũt citati authores ob identitatem rationis ad interdictos personaliter.

Suspensus & interdictus inhabiles ad beneficiũ.

Hæc sententia est satis communis & probabilis: opposita tamen negativa, quam defendit *Suar.* de cens. disp. 26. sec. 3. n. 8. & disp. 27. sec. 1. n. 26. probabilitate non caret. Ratio est, quia pœnæ ex uno casu ad alium extendi non debent: cum enim contineant odium, potiùs restringendæ, quàm extendendæ sunt: & in jure nullus apparet textus qui in suspenso & interdicto annullet collationem beneficij. Quanvis enim per *C. ult. de cleri. excom. ministr.* suspensus impediatur a collatione novi beneficij, tamen electio illius non est ipso jure irrita, sed irritanda: si quidem persona non est inhabilis, sed prohibita.

1944 Dubium est 4. an dicta omnia procedant tam de provisione beneficiorum per Pontificem, quàm per Ordinarios? Respondeo 1. cum *Gutierr. l. 2. canon. qq. c. 5. dub. n. 94. Sayro l. 2. c. 5. n. 6. & Bonacina disp. 2. de cens. q. 2. pun. 4. § 1. n. 6.* non procedere in provisionibus factis per Pontificẽ in quibus est clausula absolutionis a censuris, ad effectum consequendi gratiam. Quia per hanc clausulam tollitur pro tunc inhabilitas, dummodo non sit excommunicatus ob hæresim, vel insordescens per annum in excommunicatione.

Excõmunicatio inhabilitans.

Respondeo 2. cum *Navarro cap. quorundam, de Judæis notab. 11. n. 18. Ugolino tab. 1. cap. 4. §. 5. n. 18. & Garcia 7. p. de benef. c. 13. n. 71.* oppositum esse dicendum in provisionibus factis per ordinarios. Quia cum si non soleant ponere talem clausulã, nullo modo tollitur excommunicatio, proindeque manet inhabilitas ad collationem beneficij. Si tamen Ordinarius velit uti tali clausula, tolletur inhabilitas proveniens ab illis cẽsuris, a quibus Ordinarius absolvere potest.

Clausula tollens inhabilitatem ad beneficia.

SECTIO III.

De effectibus excommunicationis prout est privatio temporalium, & politicorum.

QUÆSTIO I.

Qualiter excommunicatio privet beneficiorum fructibus, & proventibus?

PRænotandum est posse quæstionem procedere vel de fructibus qui provenerunt a beneficio, quod excommunicatus tempore excommunicationis nactus est, vel de illis, qui provenerunt ex beneficio quod acquisivit tempore habili, nempe ante excommunicationem.

Beneficij fructus ut percipiantur ab excommunicato.

Si loquamur de fructibus beneficij acquisiti tempore excommunicationis jam contractæ, manifestum est nullum dari jus ad percipiendos tales fructus, cum acquisitio beneficij nulla fuerit. Bene tamen contra *Garciam p.7. de benef. c.* 13. *n.* 101. *resolvunt Henriq lib.* 13. *c.* 3. *n.* 3. *Avila* 2. *p. c.* 6. *disp.* 6. *dub.* 7. *& Bellarmus disp.* 14. *dub.* 9. *n.* 71. dictū, si beneficio inservivit, posse non ex titulo beneficij, sed ex titulo obsequij præstiti retinere fructus tali servitio correspondentes.

Illud recte habent pro comperto *Suar. disp.* 13. *sect.* 1. *n.* 3. *Layman lib.* 1. *sum. tr.* 5. *par.* 2. *cap* 2. *n.* 8. si prædictus bona fide credens se dominum talium fructuum, illos consumpsit, non teneri ad illorū restitutionem, nisi in quantum ex illis factus est ditior.

Fructus beneficij an percipiat excommunicatus.

1945 Si loquamur de fructibus collectis ex beneficio quod quis legitime comparavit, antequam incideret in excommunicationem, gravis difficultas est, an talis ipso jure privetur dictis fructibus? Affirmant cum *Decio, & Abbate ad cap. pastoralis §. verum de appellat. Gutierr. lib.* 1. *canon qq. c.* 1. *n.* 90. *Sayrus de censur. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 24. *Suar. de censur. disp.* 13. *sec.* 2. *Moneta de distrib.* 2. *p. q.* 15 *concl.* 1. *a n.* 18. & cum multis *Garcia cit. p* 7. *cap.* 13. *n.* 190. Probant ex *cap. pastoralis §. verū de appellat.* ubi Pōtifex loquens de excommunicato spoliando beneficijs: *Illi* (inquit) *Proventus Ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur.*

Hæc opinio probabilis est, sed probabilior opposita, quam tuentur *Vasq de benef. c.* 3. *§.* 13. *dub.* 4. *Avila de cens.* 2 *p. c.* 6. *disp.* 6. *dub.* 1. *...anch. de matr. lib.* 3. *disp* 51. *n.* 1 *... Ægid. Bellan disp* 14. *dub.* 9. *diff.* 3. *concl.* 2. *& Gasp Hurtad de excom. disp.* 6. *diff.* 1. asserentes excommunicatum non privari ipso jure provētibus beneficij antè obtenti. Suadetur, quia pœna gravissima, qualis reputatur privatio fructuum, utpote odiosa, non debet admitti ipso jure, nisi per verba expressa: illud autem verbum cap. citati (subtrahuntur) significat actionem spoliationis, quæ ab homine fit, non a jure. Requiritur ergo sententia condemnatoria: cui parendum est & fructibus perceptis cedendum, si id præcipiat.

Dubium est 1. an excommunicatus & condemnatus injuste ad fructuum privationem, impediatur a perceptione illorum? Constat nō impediri, quando excommunicatio, vel condemnatio simul injusta & invalida fuit. Si condemnatio fuit injusta, sed valida, *Sayrus lib.* 2. *de censur. cap.* 5 *n.* 17. *Suar. disp.* 13. *sect.* 2. *n.* 2. *& Fillliucius tr.* 12. *c.* 6. *n.* 133. existimant taliter condemnatum non posse repetere tales fructus ab eo, cui fuerunt applicati, quia hujusmodi applicatio quamvis injusta, valida fuit: condemnatum tamen habere actionem adversus judicem applicantem.

Hæc probabile est, sed probabilius sic injustè condemnatum posse recuperare fructus non solum a judice, sed ab ijs, quibus fuerunt applicati. Ita cum multis *Alexander Moneta* de distrib. p. 2. q. 15. n. 23. *Garcia* p. 7. de benef. cap. 13. n. 120. *Bonacina* disp. .. de censur. q. 2. p. 4. §. 2. n. 6. & *Palaus* de censur. disp. 2. pun. 11. n. 9. Ratio est, quia illi fructus quamvis validè, tamen revocabiliter fuere applicati: lex enim justitiæ obligat revocare sententiam injustam. Unde læsus potest vel contra judicem, vel contra detentores fructuum agere, ut revocata sententia sibi fructus reddantur.

1946 Dubium est 2 an si excommunicatus recedens a contumacia, nequeat impetrare absolutionem, lucretur fructus, qui amittuntur ob absentiam a choro, & omissionem debiti officij? Conveniunt fere omnes in parte affirmativa, si petita absolutio injustè negetur. Si autem differatur quousque constet de pœnitentia & satisfactione, vel absit prælatus ad quem spectat concessio, existimant multi cum *Sayro lib.* 3. *thes. cap.* 5. *n.* 29. *Henriq. lib.* 13. *c.* 13. *& Laymano lib.* 1. *sum. tract.* 5 *par.* 2. *c.* 2. *n.* 10. obtinere fructus correspondentes officio exhibendo tali tempore. Quia id officium non præstitit impeditus, sicut si impediretur ob infirmitatem, cujus ipse causa foret.

Proventus benefic. in excommunicato.

Hæc opinio videtur probabilis: sed probabilior est opposita, quam tenent *Suar. disp.* 13. *sec.* 2. *Bonacina de censur. disp.* 2. *q.* 2. *p.* 4. *§.* 2. *& Palaus d.* 2. *pun.* 11. *n.* 14. asserentes prædictum non comparare tales fructus. Ratio est, quia pœnitentia nec delet excommunicationem, nec infirmat justam sententiam: durans autem excommunicatio impedit officium, cui fructus sunt annexi.

Beneficiorum amissio contumax.

Dubium est 3. an excommunicatus ob gravem contumaciam in qua persistit, non solum fructibus (ut diximus) sed etiam ipsis beneficijs jam obtentis privetur? Respondeo adversus *Menochium de arbitr. casu* 416. *n.* 52. *& Salzedum prac. c.* 16. *n.* 13. *cum Gonzales reg.* 8. *Cancel glos.* 15. *n.* 101. *Sylvestro v. eod.* 3. *n.* 1. *dicto* 9. *Garcia* 7. *par. de benef. c.* 13. *n.* 90. *& Layman cit. par* 2 *c.* 2. *n.* 9. non privari ipso facto obtentis beneficijs, venire tamen privandum, si ordinarij arbitrio contumacia gravis sit, & in excommunicatione insordescat.

QUÆS-

QUÆSTIO II.

Qualiter excommunicatio privet rescriptis, & usu jurisdictionis Ecclesiasticæ?

Ut a priori quæstionis parte circa privationem rescriptorum incipiamus, supponendum est 1. cum *Suario disp.17.sect.1.n.2.& Bonacina cit.disp.2.q.2.punct.ult.* gratias & concessiones prælatorum inferiorum Pontifice non irritari ex vi excommunicationis. Quia nec alicubi reperiuntur irritæ, nec rescripti nomine veniunt. Supponendum est 2. cum citatis adversus *Navarrum lib.5.consil.tit.de sent.excom.consil.44.n.2.& 6.* non irritari rescripta Imperatoris & Regis. Quia *c 1.de rescrip.in 6.* solum loquitur de Pontificijs,& lex pœnalis non extenditur.

Rescriptorum irritatio per excommunicationem.

Est igitur ex cap.citato vera resolutio apud *Sayrum l.2.thesau.c.5.n.12.Henriq.l 13.c.13.n.1. Ægid.Bellan.disp.14.dub.10.& alios* citatos excommunicatum esse privatum impetrationis cujuslibet privilegij seu rescripti Pontificij, excepto rescripto in causa excommunicationis. Aliqui cum *Archid.in dicto cap.1.de rescript. in 6.* dicunt hoc procedere de solo excommunicato vitando,& non de tolerato.Rectiùs alij judicant de utroque procedere.Quia uterque omni favore indignus est.

1947 Quod attinet ad posteriorem partem de privatione jurisdictionis Ecclesiasticæ, certũ est ex *Cap.audivimus 24.q.1.*& multis alijs omnem excommunicatum privatum esse exercitio jurisdictionis Ecclesiasticæ, cum illud sit fructus præcipuus communicationis cum fidelibus.Unde peccabit lethaliter excommunicatus etiam toleratus illud habens, nisi requiratur a fidelibus.

Jurisdictio ecclesiastica in excomunicato.

Dubium est, an toleratus validè illam jurisdictionem exerceat,si non sit requisitus?Videtur negandum:quia Ecclesia tolerans nullatenus intendit favere excommunicato; ergo invalidè exercebit non requisitus. Dicendum tamen est cum *Suario disp.11.sec.4.n.6.Lessio l.2.c. 9.dub.7. n 17.Avila de cens.2.c.6.disp.3.dub.2. La mano l.1. sum.tr.5.par.2.c.2.& Bonacina de censur.disp.2.q.1. p 5.n.3.*ab excommunicato tolerato validè actus illius jurisdictionis exerceri,dum a fidelibus non excipitur. Desumitur ex *c.exceptionem de except.in 6.*& ratione, quia Ecclesia conservat jurisdictionem in excommunicatis toleratis ad hoc ut illam etiam in divinis erga fideles volentes possint exercere,quandiu non excipiuntur.

Ex quo infertur excommunicatum toleratũ posse validè exercere officium judicis & parochi, atque adeo decidere lites, judicare causas, dispensare,absolvere, & similia dum non excipitur.Exceptione autem facta, debet cessare, & excipiens tenetur intra dies octo manifestè probare excommunicationis speciem, & illius authorem *C.1 de except.in 6.*

Exceptio de jurisdictione facta excommunicato.

Maior est difficultas circa jurisdictionem coactivam,nempe præcipiendi,& excommunicandi,an exercitium illius factum ab excommunicato tolerato sit validum? Negant *Suar.disp. 14. sect.2.n.15.Gasp.Hurt.de excom.disp.7.diff.2.& Layman l.1.sum.tr.5 par.2.c 4.n.7.* Probant, quia in Extravag.*ad evitanda* tota gratia quæ conceditur est in favorem fidelium,proindeque debet ab ipsis acceptari: ipsi autem non acceptant præceptum,cui repugnant.

Hæc opinio probabilis est,sed non minùs probabilis opposita affirmativa,quam defendit *Palaus de censur d.2.pun.13.n.6.cum Gutierr.l 1. canon. qq.c.1.n.81. Ægid.Bell.n.disp.14.dub.10 n.91.& Bonacina disp.2.q.2.pun.5.n.4.* asserentibus valere præceptum & excommunicationem latam ab excommunicato tolerato dum non eliditur per exceptionem.Quia hoc spectat ad bonum publicum.Addit *Palaus* consentire authores prioris opinionis, quando excommunicatus occultus est.

Si autem loquamur de excommunicato vitando, ex *C audivimus 24.q.1 c. ut cui de officio delegati in 6.c.de cetermmus,de senten.excom.& c. ad probandum,de sent.& re judic.* statuendum est 1.invalidam esse sententiam latam,absolutionem,dispensationem,& facultatis concessionem pro ministrandis Sacramentis, si hæc proveniant ab excommunicatione vitando. Vide *Palaum cit.n. 809.*

Excommunicatus vitãdus ad jurisdictionis actus.

1948 Statuendum est 2. irritam esse jurisdictionis delegationem factam ab excommunicato vitando. Ita *Sanch.l.3.matr.disp.30.& Suar.de censur.disp.15.sect.2.n.4.* Patet quia talis delegatio est exercitium jurisdictionis. Docent tamen citati ex *c.relatum,c.gratum & c.licet.de officio delegati,* si facta delegatione excommunicetur delegans,cessare in delegato jurisdictionem, re integra:secùs si res cępta sit, hoc est si delegatus cœpit uti jurisdictione.Quod intelligitur quando delegans & delegatus constituunt diversum tribunal,non veró si unum constituant,sicut Episcopus,& ejus Vicarius generalis.

Delegatio jurisdictionis per excõmunicatum.

Notant benè *Avila 2.p.de censur.c.6.disp.6.dub. 3.Gaspar Hurt.disp.7.diff.2.& Bonacina disp. 2. de censur.q.2.pun.5.* dicta procedere de foro judiciali externo,non autem de foro pœnitentiæ & interno. Quia textus annullantes in delegato jurisdictionem solùm procedunt de jurisdictione fori contentiosi,atque adeo illorum decisio utpote odiosa non debet extendi ad jurisdictionem extra judicialem.

Statuendum 3. beneficij collationem factam ab excommunicato vitando esse irritam,ut docent *Sayrus l.2.thes.c. 2.n.2.& Henriq. l. 13. de excom.c.7.n.2.ex c.unico de sede vacant in 6.* Extenditur ad electionem, dummodò non sit ad Summum Pontificatum:hæc enim valida erit,quanvis fiat a Cardinalibus excommunicatis,ut vitetur schisma. *Clem.Ne Romani §.cæterum de elect.* Illud notabis,quando electio fit a capitulo, seu a pluribus,inter quos sunt aliqui excommunicati,jus omne electionis devolvi ad non excõmunicatos, itaut si suffragium excommunicati superfit,electio valeat: si requiratur, invalida sit.

Beneficij collatio per excõmunicatum.

Vide

Vide *Palaum disp. 2. pun. 13. a n. 12.*

Statuendum 4. præsentationem beneficij factam a clerico excommunicato vitādo, esse nullam: secus si fiat a laico, vel a clerico titulo patrimonij, aliove sæculari. Ita *Suar. disp. 14. sect. 2. & Garcia de beneficijs 10 p.c.4.n.317.* Quia per laicalem præsentationem non acquirit præsentatus jus firmum ad beneficium, cum patronus variare possit. Addit tamen Garcia n.319. institutorem non teneri eam præsentationem admittere: ea verò admissa, teneri eum instituere.

Institutio & postulatio beneficij per excommunicatum.

1949 Statuendum 5. institutionem factam ab excommunicato vitando esse invalidam, juxta *c. conquerente, de offic. ordin.* Nam institutio exigit jurisdictionem, cum æquivaleat collationi. Quid dicendum de postulatione solemni, de concessione possessionis, vide apud citatos.

Si loquamur de resignatione, consentiunt authores valere resignationem factam ab excommunicato non denunciato. Si autem jam denunciatus & vitandus sit, oportet distinguere inter resignationem absolutam, & factam in favorem tertij: si igitur resignatio fuerit absoluta, valebit: quia (ut docet *Suar. disp. 14. sect. 2. fine.*) nihil aliud est, quàm cessio beneficij, quæ excommunicato expedit: cum officium nequeat exercere.

Resignatio beneficij per excommunicatum.

Difficultas est, si in favorem tertij talis resignatio fiat: in quo casu esse irritam defendunt *Covarr. c. Alma mater 1. §. 7. n. 9. Suar. disp. 15. sect. 1. n. 55. & Fillucius de excom. c. 6. q. 9 n. 163.* Probant, quia tunc resignans videtur aliquo modo conferre beneficium resignatario, ipsum quasi eligēs & præsentans, atque adeo exercere actum jurisdictionis.

Hoc probabile est, sed probabilius oppositum, quod cum *Bonacina d. 2. q. 2. p. 5. n. 7.* defendit *Palaus disp. 2. de censur. pun. 13. n. 26.* affirmans valere talem resignationem. Ratio est, quia ex vi hujus resignationis, nullum impenditur jus designato: talis enim resignatio ultra cessionem beneficij, solum continet designationem personæ providendæ in beneficium: & resignans integrum jus retinet quousque designatus provideatur.

QUÆSTIO III.

Qualiter excommunicatio privet communicatione forensi?

Forensi communicatione privat excommunicatio.

HUnc excommunicationis celeberrimum effectum libet exponere priùs in genere ac summatim, posterius in specie, ac sigillatim. Quod attinet ad prius, cum omnis communicatio sit prohibita excommunicato etiam tolerato, sequitur illi prohibitam esse omnem communicationem forensem utpote in humanis valde præcipuam. Habetur *c. penult. & ult. 15. q. 6. c. 1. de except. in 6. & c. decernimus, de sent. excom.* Unde excommunicatus, neque judex, neque actor, neque advocatus, neque testis esse potest.

Exceptio in judicio contra excommunicatum.

1950 Quare (ut benè observat *Sayrus l. 1. thes. c 7. n. 6 ex c. pia eod. tit. in 6.*) si forensi communicationi se ingerat excommunicatus, ultra lethale peccatum quod regulariter committit, a judicio repelli potest per exceptionem excommunicationis. Hujusmodi autem exceptio (quæ dilatoria, & non peremptoria est) in qualibet parte judicij, nempe ante sententiam in ipsa sententia & post sententiam ante quam exequatur, opponi potest. Modus opponendi & probandi rectè explicatur a *Palao d. 2 pun. 14. §. 1. a n. 4.*

Judicio forensi per certas personas habiles.

Quod attinet ad posterius, ut declaremus sigillatim & aptè privationem communicationis forensis, oportet discurrere per personas quæ judicio interveniunt quales sunt judex actor advocatus procurator testis, tabellio & reus. Prima igitur persona nempe judex, si excommunicatum se sentiat, abstinere tenetur a judicando: valebunt tamen ejus actus, si vitandus nō sit. Quid si denunciatus & vitandus sit? *Victoria si cum multis de excom n. 16. alias 346.* existimat acta illius valida esse quandiu a partibus non excipitur. Probat quia nullus textus est expressè irritās, & si qui citantur non generaliter sed de solo judice Ecclesiastico loquuntur.

Judex excommunicatus.

Dicendum tamen est cum communi sententia, quam tenent *Vasq. de excom. c. 7. Suar. disp. 16. sec 1 n. 2. Bellarmus disp. 14. dub. 11. n. 103. Gaf. Hurtade disp. 8. diff. 2. & Bonac. d. 2. q. 2 p. 7. n. 1* gesta a judice excommunicato vitando tam Ecclesiastico quàm laico invalida esse. Sumitur ex *c. nos sanctorum 15. q. 6.* ubi Pontifex subditos liberat a fidelitate & subjectione dominorum excommunicatorum. Deinde obtinuit praxis, ut facta irritatio pro judice Ecclesiastico ad laicum extenderetur. Resolutio comprehendit judicem, quem vocamus arbitrum, non verò arbitratorem: quia non in hoc, sed in illo vera jurisdictio exercetur.

Arbiter excommunicatus.

Secunda persona est actor: hic, si excommunicatus toleratus sit & si possit repelli a parte contraria, ipsa tamen consentiente, ab alijs repelli nequit. Si autem sit denunciatus, proindeque vitandus, judex ex officio tenetur eum repellere a judicio: quod si nolit ullet, & sit judex sæcularis, ab Ecclesiastico compelli debet. Quia juxta *c. si celebret, de clerico excom. ministr.* penes Ecclesiasticum judicem potestas est, ne in sæculari judicio leges Ecclesiasticæ frangantur. Intelligitur sive agat per se, sive per aliū, tam civiliter quam criminaliter.

Actor excommunicatus in judicio.

1951 Procedit insuper, si actor ille intendat probare se injustè fuisse excommunicatum, & supponat validè. Tunc enim præcedente absolutione, audiendus est admissis probationibus. Quid si intendat probare se excommunicatum non esse, eo quòd legitimam interposuerit appellationem, vel sententia errorem intolerabilē contineat? Negant aliqui admittendum esse: sed rectiùs affirmant *Suar. sec. 3. n. 1. & Bonacina d. 2. q. 2. p 7 n. 7.* quia reo in causa excommunicationis defensio neganda non est, cum jure naturali concedatur. Imò si ab illo debitum jam solutum exigatur, potest se defendere dicens se solvisse. Adde, si debitor illius intentet fugere, posse agere coram judice, ut securitatem præstet. Et sic de alijs.

Tertia

Advocatus excommunicatus.

Tertia persona est advocatus: & hunc, si denunciatus proindeque vitandus sit, bene docent *Henriq. l. 13. c. 7. n. 4. Sayrus l. 2. de excom c. 7. n. 5. & Gasp. Hurt. diff. 7.* omninò esse repellendum ab omnibus, qui cum ipso habere possunt communicationem judicialem: acta verò illius, dum nõ repellitur valere, atque adeo pro illis posse licitè stipendia accipere, dum non excipitur. Quid si toleratus sit? A prædicta communicatione abstinere tenetur non invitatus. Si autem a fidelibus invitetur, nec a judice repellatur, suum munus licitè & validè exercebit in favorem fidelium. Ita citati.

Procurator excõmunicatus.

Quarta persona est procurator: hic post incursam excommunicationem tenetur sub lethali abstinere a procuratoris munere tum acceptando, tum exercendo. Nam per illam censuram a politica communicatione, & publico munere excluditur. Difficultas est circa valorem, an instituatur validè & mandatum acceptet validè? Negant *Sayrus l. 2. excom. cap. 8. n. 7. Hugolin. tab. 2. de censur c. 19. §. 3. & Marian. Socin cap. sacris n. 415. de sent. excom.* Probant ex *cap. post cessionem de probat.* ubi Innocentius III. a judicio repellit procuratorem, eo quod fuerit institutus tempore excommunicationis.

Dicendum tamen est cum *Suario disp. 16. de censur. sect. 7. n. 8. Ægidio Bellano disp. 14. dub. 11. concl. 2. n. 110. & Palao de censur. d. 2. pun. 14. §. 2. n. 16.* procuratoris institutionem & acceptationem illicitam esse, sed validam. Ratio est, quia absque textu manifesto introduci non debet irritatio actus, & nullus apparet, in quo institutio procuratoris excommunicati irrita decernatur.

Testis excommunicatus.

1952 Quinta persona est testis: hic si occultè sit excommunicatus, validè & licitè poterit testificari: cum hujusmodi actus ordinetur in alterius favorem. Judex tamen (ut cum multis observat *Avila 2. p. de cens. c. 6. d. 7. dub. 4.*) potest non admittere tale testimonium, & pars opponere, quo facto testificatio nulla erit. Quid si excommunicatus vitandus sit? Non potest licitè testificari, at testificando non excedet venialem culpam.

An testimonium illud sit validum, dum a parte non excipitur? Negant *Vasq. de excom. dub. 5. & Gaspar Hurtado disp. 8. diff. 6.* quia juxta textum in *c. nullus 3. q. 4.* nulla fides est necessariò adhibenda tali testimonio proindeque videtur judicari illud nullius vigoris. Dicendum tamen est cum *Suario disp. 16. sec. 6. n. 6. Bellano disp. 14. dub. 11. concl. 2 n. 110. & Bonacina disp. 2. de censur. q. 2. p. 7. n. 12.* tale testimonium esse validum quamvis possit infirmari ope exceptionis. Sumitur ex *c. excommunicamus §. credentes de hæret. & c. 1. de except. in 6.*

Verum *c. in fidei favorem, de hæret. in 6.* notant citati authores excommunicatum vitandum in causa fidei posse esse testem non solum validè, sed licitè. Addit *Bonacina dicto pun. 7. n. 12.* talem excommunicatum posse admitti testem licitè in causa matrimoniali, utpote valde favorabili. Meritò tamen ab aliis authoribus rejicitur.

Tabellio excommunicatus.

Sexta persona est tabellio: hic si excommunicatus toleratus sit, poterit ad aliorum petitionem validè & licitè conficere scripturas sui muneris. Quod (inquit *Palaud. 2. pun. 14. §. 2. n. 20.* intelligitur de scriptura, quæ non ad valorem actus, & obligationem inducendam necessaria est, sed solum ad illius probationem.

Quid si excommunicatus vitandus sit? Conveniunt omnes scripturarum confectionem, utpote cum fidelibus communicationem, graviter ex suo genere illicitam esse. An sit invalida? Affirmant *Henriq. lib. 13. de excom. cap. 9. Avila de excommun. 2. p. cap. 6. disp. 6. dub. 5. & Gaspar Hurtad. disp. 3. de excommun. diff. 5.* Sumunt ex verbis cap. nullus 2. q. 3. ubi sic: *Nullus anathematizatorum suscipiatur, neque a quoquam credentur quæ ab eis dicuntur, vel conscribuntur.*

Scriptura confecta per excõmunicatum.

Hæc opinio probabilis est, sed probabilior opposita, quam defendunt *Suario d. 16. de censur. sect. 5. n. 5. Bellanus disp. 14. dub. 11. concl. 2. & Bonacina disp. 2. de excom. q. 2. pun. 5. n. 8.* asserentes valere prædictas scripturas, & fidem facere, dum non excipiuntur a partibus: debere tamen in foro externo repelli tanquam nullius fidei.

Quid si ex consensu partium scriptura confecta fuit ab excommunicato? Benè distinguit *Suar. a n. 5.* si partes consciæ fuerunt excommunicationis, nullus eorum in foro conscientiæ potest excipere, ut infirmet scripturam: quia tali consensu juri suo cessit: è contra, si ignoravit excommunicationem, poterit exceptionem opponere, & fidem scripturæ elidere.

Reus excommunicatus.

1953 Septima persona est reus: hic quamvis sit excommunicatus vitandus, ne ex sua iniquitate & censura commodum reportet, in judicium trahi potest, juxta *Cap. Intelleximus, de judic.* In judicio autem positus (ut docent *Saytus lib. 2. thesau. cap. 8. a num. 13. Hugolin. tab. 2. cap. 115. §. 1.* & alij) licitè respondebit ad objecta, producens instrumenta, & testes, eliget advocatum, procuratorem, & scribam: imò declinare & recusare judicem poterit: item ab illius sententia appellare, & contra alios omnes excipere: denique omnia facere, quæ suæ justæ defensioni, conduxerint.

Difficultas est, an possit per se comparere in judicio? Negant *Sylvestr. v. excommunicatio 3. num. 1. effectu 12. Layman lib. 1. sum. tr. 5. par. 2. n. 15. Avila 2. p. cap. 6. disp. 7. dub. 2. & Gasp. Hurt. d. 8. de excom. diff. 4.* qui dicunt teneri eligere procuratorem, quo mediante respondeat; nisi ob impotentiam solvendi stipendia, vel ob aliam excusetur. Affirmandum tamen est cum *Sayro l. 2. de excom. c. 8. Suario disp. 16. sect. 4. n. 6. & Filliucio tract. 12. cap. 7. q. 5. n. 181.* Ratio est, quia in *cap. dilecti filij, & cap. ultim. de except.*

permittitur absolutè excommunicato responde-re in judicio: nec reperitur alicubi restrictio, ut per alium respondeat.

QUÆSTIO IV.

Qualiter excommunicatio privet usu officij publici, contractus, & excommunicationis publicæ?

Excommunicatus ad officij publici usū. Ultra omnes privationes, quas secū affert excōmunicatio, & hactenùs exposuimus, sunt aliæ tres circa usum publici officij, contractus, & politicæ cōmunicationis, quas in hac ultima quæstione exponemus. Quod attinet ad usum officij publici, dubiū est 1. an & qualiter excōmunicatus impediatur ab exercēdo officio tutoris, curatoris, hospitalarij, & similiū? *Hugolinus tab. 2. de cens. c. 14. & Sayrus l. 2. de excom. c. 7. n. 2.* existimant prædictos non solum illicitè, sed invalidè sua officia exercere. Probāt, quia hujusmodi officia & si jurisdictione careant, tamen juxta §. *Nam & tutelā Instit. de excusat. tut.* publica authoritate constituuntur.

Tutor & curator excōmunicatus. Oppositum tamen dicendum est cum *Suario disp. 16. sect. 8. & Palao disp. 2. pun. 15. n. 1.* Ratio est, quia licèt prædicti officiales, scilicet tutor, curator, hospitalarius soleant constitui authoritate publica, non tamen constituuntur in publicam utilitatem, sed privatam. Unde illius gesta erunt valida, nisi excipiantur.

Parochus excōmunicatus ad matrimonium. Dubium est 2. an & qualiter parochus excommunicatus possit assistere matrimonio? Respondeo cum *Sanch. lib. 3. matr. d. 21. Rebello l. 2. de oblig just. q. 9. n. 9. Ægid. Bellano disp. 27. dub. 2. concl. 7. & Bonacina de matr. q. 2 pun. 8. n. 21.* assistentiam illius etiam vitandi esse validam. Quia talis assistentia non est actus jurisdictionis, cum præstetur etiam ab invito. Nec obstat excommunicatum vitandum testem esse non posse. Quia hoc intelligitur de teste, deponente, & non de inspiciente: parochus autem assistens matrimonio testis inspiciens est, & non deponens.

Major est difficultas circa licentiam, quam parochus sacerdoti concedit ad assistendum matrimonio: quam constat esse illicitam, nisi urgeat gravis necessitas: quæritur autem an sit valida? Affirmant benè omnes, si conferatur ab excommunicato tolerato: si verò a vitando negant *Avila 2. p. de cens. c. 6. d. 3. dub. 1. concl. 4.* Quia talis facultas est actus jurisdictionis, qua privatur talis excommunicatus. Melius tamen oppositum docent *Sanch. d. 21. Bonacina de matr. q. 2. p. 8. n. 22. & Gasp. Hurtad. disp. 7. de excom. diff. 2.* Quia talis licentia non est actus jurisdictionis, sed dominij, qualis constitutio procuratoris.

Professionis admissio per excōmunicatum. 1954 Dubium est 3. an valeat admissio professionis religiosæ facta a prælato excommunicato? Respondeo cum *Sanch. lib. 5. in decal. cap. 4. n. 78. Laymano lib. 1. sum. tr. 5. par. 2. cap. 2. n. 13. & Palao de cens. d. 2. pun. 15. n. 4.* valere, etiam factam a vitando: & idem esse de commissione per eundem facta, ut alter admittat: Quia talis actus non est rigorosæ jurisdictionis, sed cujusdam superioritatis, ex officio competentis.

Contractus initi per excōmunicatum. Quod attinet ad contractum, & civilem obligationem, quæ ex contractu nascitur, cum ille absque communicatione inter homines iniri nequeat, sequitur excommunicato prohibitum esse, juxta multiplicem textum 11. *quæst.* 3. Difficultas est an talis contractus robur & valorem habeat? Archidiac. in *Cap. 1. de jure patron. in 6.* & multi apud *Socium in cap. sacris n. 458. de sent. excom.* affirmant talem contractum valere in favorem contrahentium cum excommunicato, non verò in hujus favorem.

Dicendum tamen est cum *Covarr. in cap. Alma mater 1. p. §. 1. n. 9. Vasq. de excom. dub. 8. Ægid. Bellano disp. 14. dub. 11. n. 119. & Gasp. Hurtado disp. 9. de excom. diff. 1. n. 5.* contractum initum cum excommunicato etiam vitando valorem & firmitatem utrinque habere, itaut pariat mutuam obligationem. Probatur, quia cū actus irritatio sit odiosa, non debet induci absque textu & ratione, quę nullibi apparent. Hanc resolutionem *Suar. disp. 16. de cens. sect. 8. & Sāch. l. 5. decal. c. 4. n. 78.* rectè docent procedere tam de privatim, quam de publicè initis, quidquid *Sayrus l. 2. de excom. cap. 9. n. 13.* limitet ut solum procedat de contractu privatim celebrato, & non de ijs qui publica authoritate, & ratione publici officij celebrantur.

Matrimonium excōmunicati. Quid de matrimonio & testamento? Sensere nonnulli invalidè contrahi matrimonium cum excommunicato vitando: quia excommunicatio privat communicatione, ad quam conjuges se intendunt obligare: & nemo potest se obligare ad aliquid prohibitum & iniquum. Dicendum tamen est cum *Hugolino de cens. tab. 2 c. 20. §. 1. Sayro citato l. 2. c. 9. n. 15. & Bonacina disp. 2 de cēs. q. 2. pun. 5 n. 1.* excommunicatum & si illicitè, validè tamen matrimonium contrahere. Quia licèt Ecclesia potuerit irritare, nullibi tamen matrimonium illud irritavit.

Testamentum excommunicati. Circa testamentum ab excommunicato confectum, licèt nonnulli quos citat *Sayrus dicto c. 9. n. 1.* dicant invalidè fieri ab excommunicato vitando, id tamen absque fundamento dictum rectè docent præter citatos, *Bellanus disp. 14. dub. 12. Avila 2. p. de cens. cap. 6. disp. 6. dub. 6. & Layman. lib. 1. tr. 5. par. 2. cap. 2. n. 17.* Quia ex eo quod talis excommunicatus illicitè conficiat vocando testes, cum illis & notario communicando, non infertur esse invalidum. Nullo enim jure irritum decernitur. Vide quæ diximus priori parte num. 1035. tum de excommunicatis & hæreticis, tum de alijs facinorosis in ordine ad testamentum.

Politica [illegible] excommunicati. 1955 Quod attinet ad cōmunicationem politicam, rectè docent *Suar. disp. 15. sect. 1.* & alij citati ex *C. si aliquando, cap. nuper, & c. penult. de sent. excom.* excōmunicatum privari civili & politica fidelium communicatione sive per modum commer-

Locutio cum excommunicato.

commercij, sive per modum societatis, & conversationis, quam Theologi cõplectuntur hoc carmine: *Os orare, vale communio, mensa negatur. Oris* nomine intelligunt pacis osculum, complexus, missionem ac receptionem munerum, & generaliter omne signum benevolentię. Sed præcipuè intelligunt locutionem, etiam secretam: adeo ut excommunicatus salutans resalutandus non sit, nisi juxta *Sayrum cit. c. 13. n. 2.* illi respondeas, *Deus te illuminet.* Per locutionem intellige ore prolatam, litteris scriptam, nutibus, & signis alijs indicatam, imò habitam per internuncium.

Nomine *Orare* prohibetur omnis communicatio cum excommunicato in Sacramentis, sacrificio Missæ, & orationibus, de quibus supra a num. 1901. Nomen (*Vale*) ad signa reverentiæ & honoris, etiam sine verbis exhibita: (*Communio*) ad omne genus humanæ conversationis, vel contractus, & (*Mensa*) ad convictum & cohabitationem referuntur.

Comunicatio excommunicati cũ infidelibus.

Non videtur prohibita (inquit *Suar. disp. 15. sect. 1. a n. 6.*) conjunctio casualis sine relatione unius ad alium, & utriusque ad unum corpus in eadem domo, mensa vel lecto. Prohibetur verò quando eadem domo, & eodem tempore conveniunt in eadem mensa, vel diversis per modũ unius convivij, ut si quis plures invitaret, quos eadem mensa non caperet. Omnes dictæ prohibitiones solum procedunt inter excommunicatum & fideles baptizatos: nam per se & ex vi censurę non est prohibita communicatio cum infidelibus. Est tamen vititum ut excommunicatus cum excommunicato communicet.

QUÆSTIO V.

Qualiter prohibeatur communicatio cum excommunicato: & in quibus casibus liceat?

Comunicatio cũ excõmunicato qua culpa.

MUtuam dari prohibitionem communicandi inter excommunicatum & alios fideles, habetur ex *c. significavit, de sent. excom.* & esse lethalem, si fiat in rebus divinis, consentiunt Doctores. Quid si fiat in divino officio privatim recitato? Tenent *Vasq. de excom. dub. 7. Sayrus l. 2. de excom. c. 11. n. 21. & Avila 2. p. de cens. cap. 6. disp. 8. dub. 3.* non excedere culpam venialem. Quia ratione communicationis non videtur gravis materia.

Idem est dicendum de excommunicatione in rebus humanis Ecclesiasticis, v. g. usum Ecclesiasticæ jurisdictionis, collatione & receptione beneficij, si vis communicationis attendatur: nullitas actus, regulariter lethalis erit. Si loquamur de communicatione politica & civili, *Suar. disp. 15 sec. 2. n. 2. Henriq. l. 13. de excom c. 8. & Gasp. Hurt. disp. 9. de excom. diff. 2.* rectè docent loquendo regulariter esse solum veniale tum ex parte excommunicati, tum ex parte alterius. Quia lex, etiam gravis ex suo genere, solũ obligat sub veniali in materia levi, qualis videtur cõmunicatio civilis.

1956 Procedit resolutio de communicatione civili quę non sit communicatio in crimine criminoso, hoc est cooperatio ad crimen propter quod lata est excommunicatio. Nam hæc est lethalis, & juxta *c. Nuper, de sent. excom.* inducit excommunicationem maiorem participanti in crimine cum excommunicato postquam excommunicationem contraxit. Adde cum *Avila c. 6. disp. 10. dub. 2. & Gasp. Hurt. disp. 9. de excom. diff. 3. n. 15.* contrahere culpam gravem, & incurrere excommunicationem maiorem, qui communicat cum excommunicato a Pontifice, dummodò sit clericus, & communicet in divinis non ut cunque, sed admittendo sponte ac liberè excommunicatum sciens a Papa excommunicatum esse nominatim ac denunciatum.

Excõmunicatus nominatim a Papa quid.

Diximus in resolutione (loquendo regulariter) quia illa communicatio civilis cum excommunicato lethalis esse poterit 1. si fiat ex cõtemptu clavium 2. si frequentia actuum congreget materiam gravem, itaut fiant per modũ unius objecti, cũ proposito saltem virtuali unius & alterius 3. si ratione boni communis feratur specialis censura contra participantes.

Comunicationis cum excommunicato causæ excusantes.

Circa alteram quæstionis partem, ut explicemus casus in quibus licita est communicatio cũ excommunicato vitando, illos Theologi complectuntur hoc carmine.

Utile, lex, humile res ignorata, necesse. Ex quo patet quinque esse capitales causas cohonestantes, & a peccato excusantes talem communicationẽ. Prima causa explicata per vocem (*Utile*) est utilitas spiritualis tũ fidelis cõmunicantis, tũ ipsius excõmunicati: qualis erit datio & auditio salubris cõsilij, itẽ auditio cõcionis quã excõmunicatus audiat. Nam audire cõncionantẽ excõmunicatum regulariter absque scandalo fieri non poterit. Sufficiet etiam corporalis necessitas. Unde licebit excommunicato dare & accipere eleemosynam, solvere & exigere suum debitum.

Cõiuges excõmunicati.

Secunda causa explicata per vocem (*Lex*) idẽ valet atque lex matrimonij, per quam conjuges non obstante excommunicatione possunt petere & reddere debitum, itaut reddendi obligatio maneat *c. quoniam multos 11. quæst. 3.* Possunt etiam communicare in domesticis colloquijs & obsequijs, in mensa, & gubernatione domus *c. inter alia, de sent. excom.* quod procedit, etiam si in excõmunicatione matrimonium contraxerint. Addunt benè *Suar. disp. 15. sec. 4. n. 14. Vasq. de excom. dub. 9. n. 3. & Sanch. l. 9. matr. d. 14. n. 26.* pares esse in prædicta communicatione virum & uxorem; in utrumlibet cadat excommunicatio: quidquid in oppositum dixerint *S. Antoninus 3. p. tit. 25. c. 1. & Sylvest. v. excommunicatio 5. n. 4.* negantes posse virum cum uxore excommunicata cõmunicare.

Adde cum *Suar. d. 15. sect. 4. n. 2 & Bellano disp. 14. dub. 12. n. 123.* procedere facultatem communicandi respectu utriusque conjugis, quanvis alter tantum sit excommunicatus. Quia in *c. quoniam multos,* periculũ incõtinẽtię vitari intẽditur. Benè tamẽ observãt *Sanch. cit. n. 9.* & alij cum *Bonac. disp. 2. de excom. q. 2. pun. 6. §. 2.* dicta procedere de excõmunicatis ob aliã causã quã matrimonij.

Nam si forent excommunicati ob matrimoniũ cum probabili impedimento dirimente initum prædicta communicatio illicita foret.

1957 Tertia causa explicata per vocem(*humile*) est humilitas subjectionis,per quam (inquit *Suar.disp.15.de cens.sect.5.*) quinque genera personarum,nempe filij,servi,ancillæ,seu mancipia, & rustici servientes,& omnes alij qui non adeo curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur.

Quod attinet ad filios,constat apud *Suar.cit.a n.2.*excusari eos qui legitimi sunt & sub cura parentis existunt. De emancipatis negat communis sententia.*Suario* rectè videtur eos posse communicare quà filios,scilicet exhibendo filialia obsequia quoad obedientiam,reverentiam, & subsidium:ita tamen ut nec maiorem,aut novam cõmunicationem cum patre habeant.

Filij erga parẽtes excõmunicatos.

Dicta omnia (addit n.5.) accommodari debent filijs illegitimis, sive sub cura parentum existentibus,sive emancipatis. Nam si sint in statu medio,ut cum pueri extra paternam domum patris expensis aluntur vitare debet eam cõmunicationem,quæ secundùm illum statum eis necessaria non est,nec a parentibus exigitur. Filius adoptivus quandiu est sub cura adoptantis se gerere debet respectu illius tanquam naturalis: respectu autem parentis naturalis,tanquam emancipatus: & postquam est verè emancipatus, respectu adoptantis tanquam extraneus.

Adoptivus filius erga patrem.

Personæ quæ loco filiorum moraliter haberi solent,ut nurus respectu socri,gener respectu soceri,priviginus & privigna respectu novercæ & vitrici,pupillus respectu tutoris cum dictis excommunicatis communicare possunt,dummodò extra illorum convictum jam non sint. Nepotes respectu avorum se gerere debent tanquam filij erga parentes,habita proportione. Filij spirituales,qualis baptizatus respectu baptizantis, & similes hac ratione non excusantur.

Quod attinet ad servos,rectè docet *Suar. cit. sect.5.n.9.* posse communicare cum dominis excommunicatis, dummodò mancipia sint quocunque titulo,& non existant extra dominorum potestatem.Reliqui servientes(addit n.10.)etiam coloni solum prohibentur communicare, quando dederunt consilium ad crimen propter quod excommunicatio lata est:secùs, si non dederunt, quanvis ingenio & industria polleant, ut dare potuerint. Illud observabis ad communicationẽ licitam,necesse esse, ut vinculum, seu obligatio ante excommunicationem contrahatur, vel si postea orta sit;sine violatione censuræ facta fuerit.Adde ex Sayro lib.2.de excom. cap. 14. n. 19.& Bonac.d.2.q.2.p.6.§.2.n.37. posse milites suo duci excommunicato communicare,eumq; in bello justo sequi.

Servi & famuli erga dominos excõmunicatos.

Milites erga ducem excõmunicatũ.

Quid de temporaliter subjectis ditioni Principis excommunicati? Rectè docet *Suar.d 15.sect 6.a n.1.*non posse liberè cum illo communicare. Quia in *Cap.quoniam multos*, non fit mentio de his personis,neque in eis est eadem causa necessitatis.Possunt tamen subditi habere communicationem cum dictis magnatibus non quoad usum forensis jurisdictionis:hæc enim per excõmunicationem suspenditur: sed quoad obligationem fidelitatis, quæ interdum juramento firmatur:quanvis enim illius vim tollat excommunicatio,tamen non habet effectum probabiliter ante sententiam criminis declaratoriam.

Princeps excõmunicatus.

Iurisdictio Principis excõmunicati.

1958 Exhibitio tributorum & servitioriũ (addit citatus author n. 203.) quæ respondet dominio regni, aut populi,non cessat ex vi censuræ. Ut enim Princeps dominio, & omni jure in subditos privetur, specialis pœna & sententia declaratoria requiritur.Adde,quanvis feratur talis pœna sive a judice imponenda,sive ipso facto incurrenda,semper requiri sententiam declaratoriã, ut subditi tributa negare possint: ut patet in hæreticis,quorum bona ipso facto deperduntur, & tamen ad executionem postulatur declaratoria sententia.Poterunt verò subditi aliunde obedientiam(concludit *Suar.n 6.*)fidelitatẽ & tributa negare Principibus, v.g. hæreticis & schismaticis,si timeant ex eorum principatu maximum fidei periculum sibi imminere.

Tributa fidelitas erga Principẽ excomunicatum.

Fidelitas erga Principẽ hæreticũ.

Quid de spiritualiter subjectis jurisdictioni alicujus excommunicati,v.g. Episcopi, vel prælati regularis? Quidquid malè citato Suario affirmet *Palaus de censur. d. 2. pun.19. n.* 18. absolutè posse subditos communicare cum prælato regulari:negandum tamen est cum *Suar. d. 15. sect. 7. n.1.* qui loquitur de Episcopo, & regulari prælato. Ratio est quia communicatio pendet a subjectione,& hæc a jurisdictione,quæ per excõmunicationem suspenditur. Unde si Abbas, vel alius regularis prælatus excommunicetur, manet quoad illum effectum tanquam privatus religiosus ejusdem domus. Quod procedit simpliciter de excommunicato vitando:nam cum toleratis liberum est subditis communicare, ut in favorabilibus accipiant levamina,&in odiosis rejiciant onera.

Excõmunicatus Episcopus vel Prælatus regularis ad cõmunicationẽ.

Pro complemento doctrinæ traditæ de subditis erga superiores excommunicatos observabis 1. cum *Bellono disp.14.dub.12.n* 134. *Bonacina cit.d.2.q.2.p.6.§.2.n.*38.& *Layman lib.1.sum. tr. 5. par.2.cap.2.n.17.* posse licitè dominos, parentes, ac prælatos non excommunicatos communicare cum servis, filijs ac subditis excommunicatis. Quia ratio ut communicent inferiores cum superioribus excommunicatis æquè procedit in superioribus respectu subditorum. Observabis 2. posse dari hujusmodi mutuam communicationem tam in humanis, quàm in divinis, dũmodò excipias administrationem & receptionem Sacramentorum.Observabis 3.cum *Bonacina d.2.q.2.p.6.§.2.n.35.& Gasp.Hurtado d.9.de excom.diff.4.n.25.ex Suar.d.15 sect.5.n. 13.* servos seu famulos ejusdem domini excommunicatos inter se non posse communicare. Quod intelligitur per se. Nam per accidens, cum teneantur insimul habitare,eis communicatio permittitur.

Ignorantia legis circa excõmunicatos.

Quarta causa explicata per voces(*res ignorata*) est

est ignorantia legis prohibentis illam communicationem. Illa enim juxta *c. quoniam multos*, sive sit juris, sive facti excusat tum a culpa, tum a pœna excommunicationis minoris. An ad hujusmodi effectum debeat esse ignorantia invincibilis? Affirmant aliqui quia ut ignorantia excuset a culpa, & consequẽter a pœna, debet esse inculpabilis. Dicendum tamen est cum *Suario d. 15. sec. 3. n. 3. Bellarmino disp. 13. dub. 11. & Hurtado disp. 9. de excom. diff. 4. n. 26.* quamlibet ignorantiam, quæ affectata non sit, esto culpabilis & vincibilis sit, excusare. Quia Pontifex suo jure positivo intendit favere ignorantibus cōcedens aliquid: nil autem concederet, si solum excusaret ignorantes invincibiliter: quia hi jure naturali excusantur ab omni culpa, & consequenter ab omni pœna.

Certitudo moralis circa excommunicatum. 1959 Aside cum *Sanch. l. 1 decal. n. 69. & Bonacina disp. 2. de censur. q. 2 pun. 6. §. 2. n. 42.* ut quis teneatur abstinere a communicatione excōmunicati vitandi, oportere quòd habeat moralem certitudinem de excommunicatione denunciata. Quia in dubio vel excommunicationis, vel denunciationis abstinere non tenetur. Moralem illam certitudinem affert 1. fama publica quæ a viris fide dignis oriatur 2. duorum vel trium testimonium de aliquo denunciato 3. Parochi testimonium ostensis litteris excommunicationis, & denunciationis. Quod si dubitetur an talis jam

Absolutionis dubiũ & probatio. sit absolutus? Bene docent *Suar. disp. 15. sect. 3. n. 7. & Avila 2 p. c. 6. disp. 11.* non præsumi absolutum. Quia absolutio est quid facti, & factum nō præsumitur. Absolutio autem probatur sufficiẽter vel fama publica, vel alicujus fide digni testimonio.

Quinta causa explicatur per vocem *(necesse)* & est necessitas gravis, quæ sit spiritualis, vel corporalis. Ita citati authores, qui rectè monent cōmunicationis necessitatem cessare, quando æqué benè subsidium spirituale vel temporale a non excommunicato possit obtineri.

SECTIO IV.

De excommunicationibus quæ continentur in bulla Cœnæ Domini.

QUÆSTIO I.

quæ oporteat sciri, ut bullæ cœnæ excommunicationes intelligantur?

Pro decisione hujus quæstionis satis erit explicare numerum, qualitatem, durationem, & absolutionẽ excommunicationum bullæ cœnæ, & quæcunque alia prædictis adjacentia & concernentia. Imprimis *Bullæ cœnæ* dicuntur processus generales, & sententiæ excommunicationis, quas singulis annis Feria V. in cœna Domini Summus Pontifex fulminat contra quascunque personas delinquentes, & committentes crimina in eadem bulla contenta.

Bulla cœnæ quid sit.

Bullæ cœnæ censurarũ qualitas. Quod attinet ad qualitatem, dubitatur sintne hujusmodi excommunicationes dicendæ latæ a jure, an ab homine? *omnes in 4. d. 22. q. 2. art. 3. Becan. tr. de fide c. 15. q. 8 n. 6. Tolet. l. 1. sum. c. 18. & Suar. d. 21. se. 1. n. 2.* censent debere appellari latas ab homine. Quia a Pontifice pro determinato tempore feruntur. E contra *Layman ald in explicat. bullæ clausula volentes Salas de legib disp. 1 sect. 9. n. 62. & Bonac. t. 3. de censur. in partic. d. 1. q. 1 pun 5. n. 2.* existimant debere appellari a jure. Quia mortuo authore perseverant quasi in vim constitutionis.

Rectius *Palaus de cens. disp. 3 p. 1. n. 4. ex Reginaldo in praxi l. 9. n. 230.* dicit has censuras esse quid medium inter sententias a jure & ab homine latas: non enim sunt propriè a jure, cũ ex se perpetuæ non sint, & nova bulla expedita absque ulla revocatione cessent: non sunt propriè ab homine, cum non expirent mortuo suo authore.

Duratio & publicatio bullæ cœnæ. 1960 Quod attinet ad ipsarum durationem prænotandum est, ut firmiter durent, seu habeant firmitatem, nihil aliud postulari, quàm illarum publicationem authenticam, quam Pontifex semel in anno faciendam præcipit prælatis & ordinarijs locorum, qua data perseverant quousque alij novæ bullæ processus expediantur. Pro quo observabis 1. cum *Reginaldo l. 9 praxis n. 228. & Bonacina t. 3. disp. 1. q. 1 pun. 5. n* 4. quando in nova bulla expedita omittitur casus aliquis in bulla antiqua contentus, eo ipso ex vi bullæ nullam inducere obligationem, retinere tamen antiquam ex vi alterius juris.

Privilegiorũ revocatio per bulla cœna. Observabis 2. quid dicendum sit quando aliqua privilegia in bulla priori fuere revocata, quorum revocatio in bulla posteriori fuit omissa: an reviviscant? Negat *Bonac. disp. 1. q. 1. pun. 5. n.* 3. quia privilegium semel revocatione extinctũ non redit absque nova concessione. Affirmat *Sayrus de partic. excom l. 3. c. 2. n. 5.* valde probabiliter illa privilegia reviviscere, capereque antiquũ robur, proindeque manere ac si nũquam fuerint revocata, præcipuè si inserta sint in corpore juris. Utrunque probabile est: sed hoc posterius magis placet. Quia revocatio facta per bullam non est absoluta, sed quousque nova bulla expediatur.

Fides adhibenda bullæ cœnæ. Observabis 3. cum citatis, ex præscripto Pontificis transumptis etiam impressis adhibendam esse fidem tam in judicio, quàm extra, dummodò publici notarij manu subscripta sint, & munita sigillo personæ alicujus in dignitate Ecclesiastica constitutæ. Observabis 4. prohibere severissimè Pontificem ne quis exemplar bullæ ausu temerario præsumat infringere, rumpere, destruere, vel ei contraire impediendo ejus publicationem, vel observationem, aut ejus obligationem negando.

Bullæ cœnæ transumptum retinendum. Observabis 5. præcipere Pontificem omnibus locorum ordinarijs, & prælatis, etiam dignitate Patriarchali insignitis: item presbyteris tam sæcularibus quàm regularibus ad confessiones audiendas deputatis, ut penes se retineant, diligenter legant, & studeant percipere bullæ trãsumptum.

Difficultas est an hujusmodi obligatio sit gravis? Affirmant *Duardus l. 3. §. 8. q. 1. n. 3. Hugolin. in præsenti 3 p. c. 7. n. 3. & Bonacina disp. 1. de censur. bulla*

 q. 22.

q.22.pun.7.n.5. Probant, quia verba bullæ (*penes ſe habeant*) continent præceptum, utpote poſita in modo imperativo: deinde materia in ordine ad curam animarum magni momenti eſt. Nihilominus ſatis probabiliter negant Alterius lib. 5. diſp.22.cap.7.col.3. *Antonius de Souſa* cap. 18.n. 2. & *Palaus* diſp.3.pun.22.n.11. Fundantur, quia materia gravis non eſt, cum graviter non côducat ad finem intentum a Pontifice. Poteſt enim quis non habens penes ſe illud tranſumptum, habere notitiam bullæ, illud ab alijs accipiẽdo, vel audiendo.

Abſolutio a cenſuris bullæ cænæ.

1961 Quod attinet ad abſolutionem a prędictis cenſuris, de qua tractant *Bonacina, Filliucius Alterius, Antonius de Souſa*, & recentiores alij citati a *Palao d.3.p.22.a n.2.* quia omnes hauſerunt ſuas reſolutiones a puriſſimo & uberrimo fonte *Suar.* diſp.21. de cenſ. ſect.3. hunc ſequar in pauca conferens, ſic. Conſtat extra articulum mortis nullum præter Romanum Pontificem poſſe a dictis cenſuris abſolvere: neque etiam tunc (ut conſentit *Sãch.l.2.dec.c.13, n. 17.*) niſi de ſtando Eccleſiæ mãdatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita: quæ pignoratitia, vel ſi hæc haberi non poſſit, fidejuſſoria, vel ſi hæc non poſſit, ſaltem juratoria eſſe debet. Quanvis ſatisſactio facilè & ſine mora exhiberi poſſit, & quidem tunc debeat ut res bené & ſine peccato fiat, tamen ad valorẽ ſufficiet cautio n.2.

Cautio ad abſolvẽdum a cenſuris.

Delegati Pontificis ad hunc effectum abſolvere poſſunt, ita tamen ut delegatio nõ fiat verbis generalibus, ſed exprimentibus caſus bullæ cænæ n 3. Unde non ſunt revocata privilegia regularium, quæ hos caſus in ſpecie concedunt n.4. Quanvis probabilis ſit ſententia negans per hanc clauſulam eſſe derogatam Epiſcopis facultatem conceſſam a Tridentino abſolvendi a caſibus occultis bullæ cænæ: tamen quoad abſolutionem ab hæreſi, ſententia affirmativa tenenda eſt n.5. Vide *Sãch.2.dec.c.11.n.26.27.*

Illud ſciendum, eſſe damnatam ab Alexandro VII. hanc propoſitionem prolatam his terminis. *Sententia aſſerens Bullam cænæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus eſt, anno 1629.18. Iulij in conſiſtorio Emin. Card. viſa, & tolerata fuit.*

Sacerdos qui ſine legitima facultate abſolvere præſumpſerit a dictis caſibus, excommunicatus manet ipſo jure, & nihil facit. Ab hac tamen excommunicatione utpote non reſervata quilibet ordinarius abſolvere poteſt. Imò non incurret excommunicationem, ſi ex inconſideratione vel ignorantia non affectata abſolverit: tunc enim non præſumit n.6.7.

QUÆSTIO II.

Excõmunicatio contra hæreticos & ſchiſmaticos.

Expenditur prima, ſecunda & tertia excommunicatio contra hæreticos, appellantes ad futurum concilium, & piratas?

QUæſtio hęc continet tres partes, quæ triplicem bullæ cænæ excommunicationem explicabunt. In prima parte eſt prima excõmunicatio contra hæreticos & ſchiſmaticos, quæ licét appelletur una, videtur tamen multiplex in ordine ad multos, in quos fertur. Nam fertut 1. in cujuſcunque ſectæ hęreticos 2. in credẽtes eorum 3. in eorum receptatores 4. generaliter in quoſcunque illorum fautores & defenſores 5. in eos qui retinent, legunt, imprimunt, vel defendunt hæreticorum libros 6. in ſchiſmaticos, & eos qui recedunt ab obediẽtia Sedis Apoſtolicæ.

1962 Hanc multiplicitatem primæ excommunicationis exponam ſeorſim, duce *Suario de cenſ. diſp.21. ſect 2.* quum ſequuntur *Bonacina tom. 3. de excom. bulla diſp.1.q.2.p.2. Alfonſu. Vivaldus de expoſit bullæ cænæ n.2. Filliuc.tr.16 c.2.q.5. & Palaus de cenſur. diſp.3. pun. 2.* Dixi 1. ferri contra hæreticos. Intelligitur quod non ſint pure mentales, ſed (ut docet Sanch.l.2.dec.c.7.) prodeuntes in actum externum, quanvis ille ſit occultiſſimus. Sub hæreticis comprehenduntur apoſtatantes a Chriſtiana fide ad Mahometanam ſectam, vel Iudaiſmum: nam hi verè hæretici ſunt. Non ſufficit externa fidei negatio ſine errore intellectus. Cathecumeni ſi a fide recedant (ut tenet *Suar. cit.n.4. contra Sanch.cit.n.34.*) hæretici cenſentur: & tamen excommunicationem non incurrunt. Sufficit formalis dubitatio interior, ſi prodeat in externum actum. Adde ſatis probabiliter cum *Leſſio l.2.juſt.c.12. dub.8.n.128.* evadere excõmunicationem qui eſto interiùs a fide receſſit, ſuam tamen hæreſim protulit verbis & factis ambiguis.

Hæretici in bulla cænæ.

Dixi 2. ferri contra hæreticorum credentes: hi ſunt qui confusé credunt hæreticorum doctrinæ ſeu ſigno aliquo manifeſto ſive in particulari, ſive in communi eorum erroribus aſſentiuntur. Hi credentes etiam confusé cenſentur verè hæretici, & ſub excommunicatione contra illos lata continentur.

Credentes hæreticorum.

Dixi 3. ferri contra hæreticorum receptores: tales autem ſunt qui hæreticum recipiunt animo occultandi, ne pænas hæreticorum luat. Nec excuſatur qui recipit titulo conſanguinitatis vel amicitiæ, ſi in favorem hæreſis cedat receptio. Addit 1. cum multis *Bonacina tom.3. de cenſur. in part. d.1.q.2.p.3. fine* non oportere quod hęreticus recipiendus ſit denunciatus, ſed ſufficere quòd ſit notorié hæreticus. Addit 2. diſp.2. de fide q.5. pun.3.n.3. eſto nomen (*Receptor* denotet frequentiam recipiendi, tamen ex ſtylo curiæ ſufficere unicam receptionem ut pænis afficiatur.

Receptores hæreticorum.

Dixi 4. ferri contra fautores & defenſores: tales autem ſunt qui hæreticis quà talibus favent, eoſve defendunt, itaut favor & defenſio cadat in hæreſim. Quibus autem modis contingat, expoſuimus *par.1.tract.5.ſect.9.* Dixi 5. ferri contra legantes retinentes, imprimentes, & defendentes libros hæreticorum: Addo nunc ex *Suar. de cenſ. d.21. ſec.2.n 10. & Sãch.l.2.dec.c.10.n.20.* non intelligi omnes libros ab hæreticis compoſitos, ſed ſolum de religione tractantes inter quos numerantur exponentes S. Scripturam, vel agentes

Fautores & defenſores hæreticorũ.

Libri hæreticorũ.

de

de theologia scholastica, quanvis in illis unicus daretur error & delectus. Non prohibentur cō-positi a catholicis, etiam si habeant insertos errores hæreticorum, vel scholia admodum copiosa. Vide copiose a nobis dicta in *Academia l. 4. a n. 632.*

Addo hic quod non posui parte priori tr. 5. ubi egi de prohibitione librorum, scilicet prohibitionem librorum, qui defendunt seu asserunt ministros laicos posse cognoscere de vi, seu violentia facta contra Ecclesiasticos: quorum librorum authores sunt Salgado, Gabriel Pereyra, & alij fuisse ad instantiam Regis Philippi suspensā per Innocentium X. sicut tradit Thomas Hurtado de residen. prælator. tom. 2. lib. 1. resol. 7. § 1. n. 45.

Schismatici excōmunicantur. Dixi 6. ferri contra schismaticos, eos nempe qui recedunt ab obedientia Pontificis Romani. Circa quæ nota ex *Suar. cit. n. 12. & Sanch. l. 2. dec. c. 36.* quanvis schisma generaliter comprehendat hæresim, tamen ut ab ea condistinctum significat peccatum recedendi pertinaciter ab obedientia Ecclesiæ absque errore in doctrina. Hæc excommunicatio (addit *Suar. n. 14.*) nec extenditur ad fautores, defensores, vel receptatores schismaticorum, nec ad habentes pactum cum dæmone, vel abutentes Sacramentis sine mentis errore.

Appellatio a Romano Pontifice ad concilium. 1963 In secunda quæstionis parte est excōmunicatio contra eos qui a Romano Pontifice sivè justè, sive injustè præcipiente appellant ad generale concilium futurum. Hęc (ut docet *Suar. a. n. 15.*) generalissima est in ordine ad personas cujuscunque gradus & conditionis: & extenditur ad dantes auxilium seu favorem antecedenter: non verò ad purè consulentes. Addit *Palaus d. 3. p. 3. n. 10. & Bonacina to. 3. cit. d 1. q. 3.* non extendi ad approbantes appellationem jam factam nec ad præstantes favorem & auxilium appellātibus post appellationem.

Pontifex præcipiens, ut dominus temporalis. Dubium est 1. an incurrant hanc excommunicationem qui appellant ab ordinationibus Pontificis, non quà Pontifex, sed quà Princeps temporalis est. Affirmant communiter authores ut testatur Bonacina tom. 3. de censur. in partic. disp. 1. q. 3. Probant, quia Pontifex intendit punire quoscunque sibi injuriam irrogātes per appellationem a suis mandatis: & certè a quibuscunque mandatis illius appelletur, fit Pontifici injuria.

Hęc sententia tenenda & consulenda est. Nihilominus contraria negativa probabilitate nō caret apud *Bonac. cit. q. 3. pun. 2. n. 3. & Palaum de cens. d. 3. pun. 3. n. 3.* eamque absolutè defendit *Reginald. l. 9. sum n. 263. ver. notandum.* Ratio est, quia (ut innuunt verba excommunicationis) hæc solum cadit in eos qui appellant inferentes injuriam Pontifici quà Pontifex, & Christi Vicarius est.

Dubium est 2. an incidant in talem excommunicationem qui appellant in concilium generale præsens, vel provinciale futurum? Affirmat *Gambarupta de excom. bullæ c. 2. n. 11.* Probat quia in hujusmodi appellatione versatur eadem ratio cum æqualis irrogetur Pontifici injuria, & forte maior in appellando ad concilium generale præsens, vel ad provinciale futurum. Hæc opinio probabilis est opposita tamen a Palao citato n. 6. rectè judicatur satis probabilis. Quia ad extendendam legem pænalem non sufficit paritas, imò nec maioritas rationis, quando verba utrunque casum non sufficienter comprehendunt.

1964 In tertia quæstionis parte est excommunicatio contra piratas, cursarios, ac latrunculos discurrentes per Pontificium mare, præcipue a monte Argentario usque ad Terracinas: item eorum defensores, receptatores & fautores. Pro explicatione observabis olim excommunicari omnes piratas, seu latrones maritimos per bullis Iulij II. Gregorij XIII. & Sixti V. At ex bullas Clementis VIII. & Pontificium subsequentium solum excommunicantur illi qui deprædandi animo infestant mare Pontificium: hoc est quod spectat ad Pōtificem etiam mediatè ratione feudi, quale Adriaticum & Thyrrenum. *Piratæ excommunicantur.*

Sayrus l. 3. thesauri casuum c. 7 n. 3. & Graffis 1. p. decis. l. 4. c. 18. rectè notant piratarum, cursariorū, & latrunculorum maritimorum appellatione easdem personas exprimi: & certè qui ex suo navigio deprædantur, parvi, & maritimi latrunculi vocantur. Debent tamen discurrere animo deprædandi, & sufficit semel deprædari. Unde piratæ non erunt, si discurrant ex alia causa & casu deprædentur: quanvis in foro externo piratæ reputabuntur. Non igitur incurrent hanc excōmunicationem qui indicto bello sive justo, sive injusto, hostes deprædantur. *Piratæ in rigore qui.*

Dubium est 1. an piratæ de facto discurrentes animo deprædandi incurrant excommunicationem, si nihil deprædentur. Affirmant *Reginaldus l. 9. praxis n. 265. Tolet. c. 20. n. 9. & Bonacin. cit. q. 4. pun. 2.* Probant quia actio ibi prohibita sub censura est solus discursus animo deprædandi. Quāvis hoc tenendum sit, tamen non sine probabilitate negant *Sayrus l. 3. thes. c. 7. n. 5.* Quia latrones non ab animo & sola intentione furandi & deprædandi, sed ex ipso furto comisso tales sunt, & appellantur.

Dubium est 2. an ad incurrendam dictam excommunicationem requiratur deprædatio facta fidelibus & catholicis? Respondeo affirmativè cū *Sayro l. 3. thesau. c. 7. Toleto in explic. bullæ cænæ §. 3. Suario disp. 21. sect. 2. n. 21. & Reginaldo l. 9. prax 1. n. 270* bene addentibus a nomine fidelium & catholicorum excludi omnes infideles, etiam hæreticos. Ratio est, quia credi nequit voluisse Pōtificem sua excommunicatione infideles & hæreticos Ecclesiam impugnantes defendere. *Prædatio navium Christianorum.*

Quid si in navibus infidelium portētur merces fidelium quæ a piratis rapiantur? Incurritur dicta excommunicatio. Quia tunc verè prædatio fidelibus facta est. Quid si navis infidelium a Christianis fidelibus sit assecurata, & spolietur? *Bonacina de censuris bullæ disp. 1. q. 4. p. 1. n. 13.* existimat

mat piratas spoliantes incurrere. Quia talis spoliatio cedit in damnum fidelium assecurantium, & Christiani Principis injuriam. Negandum tamen est cum *Suario disp.21.sect.2. n.2. & Filliucio tr.16.n.90.* Quia tunc veré solum intelligitur deprædari navis infidelium; quod veró ex hac deprædatione sequatur damnum fidelium, per accidens est.

1965 Additur in prædictæ excommunicationis clausula (*Fautores, & receptatores, & defensores*) scilicet dictorum piratarum. I li enim percutiuntur eadem censura, quæ non extenditur ad præstantes consilium. Ita *Suar.n.22. qui n. 24. & 25.* addit veré piratam qui scilicet navigat animo furandi a quibuscunque, sive ex primaria, sivè ex secundaria intentione, excommunicari: secus si solum furetur a suis hostibus, cum quibus bellū injustum gerit: vel si navigans ob alium finem, forte semel rapuit. Hic enim evadit excommunicationem.

Fautores piratarū. *Pirata verus qui.*

Quid de remigantibus, & alijs qui piratis inserviunt? Bené *Suar.disp.21.sect.2.n.26.& Bonacina tom.3.de censur.disp.1.q.4. pun.1. n.18.* resolvunt prædictos eadem censura ligari per se, excusari tamen si absque gravi periculo, & jactura corporis omittere nequeat talem cooperationem. Sic enim præsumenda est mens Pontificis censuram ferentis.

Remiges piratarū.

QUÆSTIO III.

Expenditur quarta, quinta, & sexta excommunicatio contra surripientes bona naufragantium, imponētes pedagia, & falsificantes litteras Apostolicas.

QUarta excommunicatio bullæ cænæ proponitur his verbis, *Contra omnes & singulos, qui Christianorum quorumcunque navibus tempestate jactatis seu quoquo modo naufragium passis, sive in ipsis navibus sive in ejsdem ejecta in mari, vel in littore inventa cujuscunque generis bona in cujuscunque maris regionibus, & littoribus subripiunt.*

Naufragantium bona surripientes.

Ad quæ verba antequam exponat, notat *Suar. disp. 21. sect. 2. a n.26. in cap. excommunicationi, de raptoribus* haberi ex Concilio Later. sub Alexar. 3. similem excommunicationem, cum hoc discrimine, quód illam solum incurrant qui rapuerūt, & sunt in mora restituendi: ad incurrendam veró excommunicationem cænæ, sufficiat injusté rapuisse: dummodo rapiens sciat esse bona naufragātium. Unde (addit *Suar.cit.n.30.*) qui utrūque egerit, scilicet injusté rapiendo, & injusté retinendo duplicem excommunicationem incurret, utpote latam ob diversas causas, seu crimina: erit tamē solum reservata excōmunicatio cænę.

Qui accepit vel licité, vel ignorans esse bona naufragantium, si incipiat mala fide retinere statim incurret excommunicationem cænæ. Si deinde sit in mora reddendi, incurret aliam. Bona rapta (ut ex communi sententia observat *Bonacina disp.1.q.5.pun. 3.*) ut incurratur excommunicatio, debent esse catholicorum: quia Pontifex sua censura noluit protegere infidelium & hæreticorum bona. Personæ, in quas censura fertur sunt omnes cujuscunque qualitatis & conditionis, quæ veré talem surreptionem committunt.

1966 Dubium est an comprehendat præstantes favorem, auxilium vel consilium? *Suar. disp.21.sect.2.n.32.& Filliucius tr.16.c.4.* dicunt ligari & comprehendi auxiliatorem, non veró consulentem: quasi ille, & non hic veré cooperetur. Mihi tamen plus arrident *Duard. q. 23.n. 44. Hugolin. in expositione hujus bullæ c.4. § 2 vers. 10. & Palaus disp.3 pun.5.n.11.* absolute negantes comprehendi consulentem, mandantem, auxiliantem, vel ratum habentem. Quia in lege pænali, qualis hęc est, ultra proprietatem verborū nulla extensio fieri debet.

Denique *Gambatupta c.4.n.6. Vivald.n.34. Duard.l.2.can 4.q.27.n.4. Bonacina tom.3.de censur.d.1.q.5.p.4.n.8.* non dissentientes a *Suario cit.n.34.* rectè observant, quando Pontifex quæcunque privilegia & consuetudines in contrarium derogat esse intelligendum de privilegio & consuetudine introductis absque titulo justo. Nam si bona illa accipiantur animo ea servandi domino suo, vel in compensationem alicujus debiti, jam non erit surreptio, sed satisfactio.

Tributa injustè punita per bullā cænæ.

Quinta excommunicatio his verbis fertur in eos *qui in terris suis nova pedagia, seu gabellas, præter quam in casibus sibi a jure, seu privilegio speciali Sedis Apostolicæ permissis imponunt, vel augent.* Pro explicatione adverte 1. potestatem ordinariam imponendi tributa solis supremis Principibus inesse, illa tamen uti non posse, nisi servatis justitię cōditionibus: vel ex natura rei, vel ex peculiari regni jure, data necessitate in ordine ad bonum commune. Adverte 2. principes inferiores solū id posse quod Imperatoria, Regia, vel Ecclesiastica potestas eis concessit, vel immemorialis cōsuetudo permisit. Utrique in hac re excedentes suum jus excommunicantur.

Hæc ex Suario *de censur.disp.21.sect.2.n.36.37.* qui deinde observat 1. Pontificem tanquam habentem potestatem indirectam in omnia temporalia Principum Christianorum, sicut in ordine ad finem spiritualem potest eximere aliquas personas a tributis debitis, ita posse in ordine ad eundem finem dare facultatem Principibus nova tributa imponendi num.8. Ut Principes (addit n. 39.) talem excommunicationem incurrant, debent in proprijs terris tributa imponere, quæ sint generaliter injusta: secus, si sint generaliter justa, etiam si injusta quoad aliquas personas v.g. clericos. Imo nec incurrent hanc censuram, si detur justa causa imponendi, & imponāt injustè, v.g. solis privilegiatis, ut clericis: incurrent tamen si desit causa, utpote in casu nō permisso num.40.

Pontifex ad tributa.

1967 Observat idem author 2. *Pedagium* ex sua primæva institutione significare speciale tributum, quod imponitur transeuntibus per certa loca, tamen jam extendi ad significandum omne tributum, præsertim adjuncta voce *Gabella*, quæ generalis est. n. 41. Observat 3. in additis ver-

Pedagiū ... Gabella.

verbis (*seu imponi vel augeri prohibita exigunt*) cōprehendit ministros vel famulos, qui hujusmodi gabellas ex vi hujus causæ prohibitas exigunt: itē conductorem, & hæredem imponentis, qui eas exigi mandat. Vide *Fillium tr. 16. c. 5. Reginaldū l. 9. c. 16. & Palaum d. 3. p. 6.*

Littera Apostolicæ falsificatæ.

Sexta excommunicatio sic fertur contra *Falsarios litterarum Apostolicarum etiam in forma brevis, ac supplicationum, gratiam vel justitiam concernentium per R. Pontificem, vel S. R. Ecclesiæ Vicecancellarium, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem R. Pontificis signatarum: nec non falso fabricantes litteras Apostolicas etiam in forma Brevis, & etiam falsò signantes supplicationes hujusmodi in nomine R. Pontificis seu Vicecancellarij, aut gerentis vices prædictorum.*

Falsificare litteras quid.

Conveniunt authores cum *Suario disp. 21. sect. 2. n. 46* hanc excōmunicationem esse valdè generalem quoad personas. & punire duplicem actionem: prior est falsificare litteras Apostolicas: aut falsas litteras vero sigillo munire. Falsificare est idem atque a syncera veritate immutare radendo vel addendo. Posterior actio punita est fabricatio falsarum litterarum, quæ gravior est quam præcedens.

Dubiū est 1. quas personas comprehendat hęc excōmunicatio? Respondeo cum Palao de cēs. d. 3. p. 7. n. 7. cōprehendere personas omnes quæ cōmittunt per se falsitatem in litteris Apostolicis. Unde nec mādans, nec consulens, nec approbans dictam falsitatē hac censura ligatur. Quia pœnæ ultra casus expressos nō extendūtur. Dixi (hac cēsura ligantur) quia alijs textibus, nēpe *C. Ad falsariorū* excōmunicantur qui per se vel per alios litteras falsant, fautores & defensores eorū.

Retentio litterarū falsarū.

In super *c. Dura §. Adjicientes, de crim. fals.* ponitur excōmunicatio Pōtifici reservata ferēda & promulganda in eos qui litteras Apostolicas falsas apud se habere cognoscēres, intra viginti dies eas non destruunt, aut resignant.

Apostolicæ litteræ quæ.

Dubiū est 2. quid intelligatur nomine litterarū Apostolicarū? Respondeo cū eodem citato n. 6. intelligi omnes, quæ nomine Sūmi Pontificis expediuntur sive plūbatæ sint, quæ vocātur bullæ, sive dignētur cereo sigillo, & appellātur Brevia. Adde supplicationes quæ Sūmo Pōtifici offerūtur, & ab eo signātur, vel a Vicecancellario. Censura igitur falsitatē in his omnibus cōmissam in litteris quæ Sūmi Pontificis nomine non expediuntur, quales sunt Sacrę Congregationis, Penitētiariæ, Inquisitionis, Datarij, Legati Apostolici, Episcopi ac similium.

1968 Dubium est 3. an evadat dictam cēsuram qui in litteris justitię facit mutationem, ex qua leve damnū infertur parti, aut fisco? Videtur affirmandum. Quia ibi punitur falsitas ob damnum ex ipsa proveniens: pœna autem gravis qualis est excōmunicatio ob leve damnū nō irrogatur. Negandum tamen est cum *Bonacina to. 3. de. cens. d. 1. q. 7. p. 2. n. 5. & Palao d. 3. p. 7. n. 4.* Quia ibi sub cēsura prohibetur falsitas nō tam ob partis damnū quàm ob injuriam factam authoritati Apostolicæ.

Litterarū Apostolicarum correctio.

Dubium est 4. excommunicatio incurratur, quando mutatio in litteris facta fuit juxta Pōtificis mentē? v. g. quando constat Pontificē dispensasse in secundo gradu cōsanguinitatis, quod petebatur. & in litteris per errorem erat tertius. Affirmant *Suar. d. 21. sect. 2. n. 47. & Alterius l. 5. disp. 7. c. 2 proposit. 2.* Quia error commissus a notorio, non per alium, quam per notarium corrigi debet. Mihi tamen videtur negandum cum *Reginaldo lib. 9. n. 288. Hugolino in præsen. §. 2. Sayro l. 3. thes. c. 10. n. 12. & Bonacina d. 1. q. 7. p. 2.* Quia non benè præsumitur Pōtifex velle punire tam gravi censura illum qui mutavit litteras, ut eas redderet conformes menti ipsius Pontificis, correcto errore notatiorum.

QUÆSTIO IV.

Expenditur septima, octava, & nona censura contra deferentes arma ad infideles, impedientes victualia Romam, & eos qui offendunt accedentes, & recedentes a Romana Sede?

Arma & auxilium contra Christianos.

Septima excommunicatio fertur generaliter contra omnes cujuscunque status & conditionis personas, quæ auxiliantur catholicorum hostibus, quales sunt *Saraceni & Turcæ & Hæretici per Romanam Sedem expressé declarati: & generatim omnes Christiani nominis hostes & inimici.* Ad quos prohibentur mitti conceptis verbis; *Equi arma, ferrum, filum ferri, stannum chalybs, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta lignamina, cannapen. funes tam ex ipso cannape, quam ex alia quacunque materia, & ipsa materia aliaque hujusmodi.* Hac censura Pontifex consulere intēdit catholicæ fidei ac religioni impediendo ne hostes Christiani nominis, & catholicorum inimici fiant potentiores ad bellum contra fideles. Nomine equorum veniunt jumēta, boves muli & alia currus & sarcinas portantia, & trahentia.

Nomine armorū veniunt tam offensiva quàm defensiva. Per ultimam particulam, (*aliaq; hujusmodi.*) venit navis, pecunia, vena ferri, victualia, & quidquid proximé vel remoté cōfert ad actiones bellicas, dūmodo sciēter eo tēpore mittatur quo auxiliū ad bellum reputetur. Nec requiritur quod infideles gerāt actuale bellum, sed sufficit esse hostes.

Turcis & hostes Christianorum juvantes.

1969 Cōprehendit hæc censura (addit *Suar. cit. d. 21. sec. 2. a n. 57.*) eos, *qui per se vel per alios de rebus statū Christianæ reipublicæ concernētibus, in Christianā perniciē & damnū ipsos Turcas, & Christianæ religionis inimicos, nec nō hæreticos in dammum catholicæ religionis certiores faciant: illisq; ad id consiliū, auxiliū, vel favorē præstāt.* Per vocē relativam (*illis*) intelliguntur infideles hostes.

Secretum hostibus revelare.

Sequitur 1. (addit a n. 58.) quòd revelātes hæc secreta infidelibus incurrāt hanc censurā: non tamen dātes consiliū, vel favorē alijs, ut cōmittant hujusmodi scelus revelādi secreta. Sequitur 2. nō solū mittentem nunciū, vel litteras revelātes, sed etiam nunciū ipsū. & qui portat litteras incurrere. Sequitur 3. in hac secunda parte quatuor actiones prohiberi, nempe revelare infidelibus secreta nociva Christianis, dare illis consilium,

dare auxilium: ultimam his verbis, *In piraticis Saracenorum navibus pro cupiditate sua regimen & curã gubernatoris exercere.*

Quanvis doceat *Sanchez l. 1. Dec. c. 7. n.* 18. Christianos, qui coacti remigant in Turcarum triremibus contra Christianos non peccare mortaliter, & hoc probabile esse fateatur Suar. n. 60. tamen oppositum est probabilius loquendo regulariter: non incurrent autem (addit) illam censuram nisi illa remigatio esset graviter nociva populo Christiano. Illud addit 1. Palaus p. 8. n. 17 levitatẽ materiæ, qualis esset traditio unius ensis, præbere excusationem huic censuræ. Addit 2. n. 16. Non ligari hac censura qui deferunt arma ad schismaticos declaratos, qui formaliter hæretici nõ sunt: & a fortiori non ligari eos qui deferũt arma ad Christianos qui degunt in terris infidelium. Addit 3. n. 21. fine revocari hac clausula omnia privilegia in contrarium cõcessa Dominis, Principibus, & quibuscunque alijs.

Remigãtes contra Christianos.

Octava excommunicatio fertur sic *Cõtra omnes qui impediunt, seu invadunt eos qui victualia seu alia ad usum Romanæ curiæ necessaria adducunt: ac etiã eos qui, ne ad Romanam curiam adducantur, prohibent, impediunt seu perturbant: seu hæc facientes defendunt per se, vel alios, cujuscunque fuerint ordinis, præeminentiæ &c.* Hæc censura fertur in honorem, commodũ ac defensionem Romanæ curiæ, proindeq; transgressor illam incurrens præter injustitiam quã committit, sacrilegus est, utpotè Ecclesiastici tribunalis offensor.

Victualia Romam prohibentes.

Cõprehẽdit omnes personas censuræ capaces, & intelligitur de prædictis actionibus, si injustè fiant: secùs si quis utatur suo jure: v. g. si prospiciens suæ utilitati prohibeat ne triticum a suis finibus extrahatur: Debet tamẽ hoc jus esse certum saltẽ practicè: nam in dubio præsumitur pro lege superioris nempe Pontificis. Potest quis talem censuram incurrere non violando justitiam cõmutativam, sed solum communẽ charitatem, vel justitiam legalem. Hæc ex *Suar. cit. n. 63. & 64.*

1970 Dubium est 1. an contrahat excõmunicationem Princeps, si propter suorum necessitatẽ detineat victualia quæ ex alieno territorio per suum transeunt Romam? Affirmat *Bonac. disp. 1. q. 9. pun. 2. n. 20.* si Romana curia æqualem patiatur necessitatem: si quidẽ in pari necessitate melior est possidentis conditio: & tunc Romana curia saltem virtualiter illa victualia possidet.

Negandum tamen est cum *Hugol:no in exposit. bullæ cænæ. 8. ver. non dolo malo Duard. l. 2. in can. 8 q. 4. n. 2. & Palao de censd. 3. p. 9. n. 8.* Quia esto Roma sit in æquali & forte graviori necessitate nullo modo possidet illa victualia quia in eadem nullum acquisivit jus per intentionem, quam habuit portans illa deferendi Romam. Adde ex *Sayro l. 3. thesau. c. 12. & Bonac. d. 1. q. 9. p. 2. n. 14.* postulari quod impedimentum sit directum & formale. Unde evadet censuram impediens indirectè v. g. si animo vindictæ interficiat deferentem illa victualia, & sic impediat.

Impedire directè & formaliter.

Dubium est 2. an hujusmodi excommunicationem incurrat qui impedit deferentem victualia in proprium, vel alicujus particularis personæ usum? *Bonac. disp. 1. q. 9. pun. 2. n. 10. & 11.* respõdet cum distinctione, nempe incurrere, si impediat victualia quæ deferuntur in usum alicujus curialis: secus si in usum alicujus particularis. In neutro tamen casu incurrere dicendum est cum *Vivaldo in exposit. bullæ n. 74. Sayro cit. c. 12. n. 4. & Reginal. l. 9. praxis c. 19. n. 307.* Quia tunc dici nequeunt victualia deferri in usum Romanæ curiæ: ille enim curialis nec est, nec constituit Romanam curiam.

Observat benè *Filliucius tr. 16. c. 3. q. 3. n. 160. & Bonac. d. 1. q. 9. p. 3. n. 4.* ad incurrendam censuram requiri gravem quantitatem, quam prudens definiet attento fine præcepti, & qualitate rerum quæ devehuntur. Addunt comprehendere solũ impedientes, & eorum defensores, non veró cõsulẽtes, mãdantes, vel approbantes impeditionẽ.

Nona excommunicatio fertur contra *Omnes qui accedentes ad Romanam sedem, vel ab ea recedentes sua vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent.* Prohibẽtur (exponit Suar a n. 65) hæ quinque actiones quatenus sunt injuriosæ duobus generibus personarum, nempe euntibus Romam, & ab ea recedentibus, non veró commorantibus. Debent autem ire non ad negotia secularia, sed ad causas quæ ad Sedem Apostolicã spectent. Unde non dicitur *ad urbem* sed *ad Sedẽ.* Quidquid in oppositum dicant *Filliucius tr. 15. c. 6. q. 2. p. 139. & Bonac. d. 1. q. 10. pun. 1. n. 2.* Additur illi clausulæ secunda pars: *Nec non illos omnes qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam a nobis, vel nostris judicibus non habentes, eam sibi temerè vendicantes similia contra morantes in eadem curia audent perpetrare.* Curia (addit *Suar. n. 66.*) non intelligitur materialiter, sed formaliter, ut diximus de Sede Apostolica. Comprehẽduntur omnes (ac soli qui sub nomine & titulo jurisdictionis sive mandando, sive exequendo dicta operantur.

Romana curia accessus & recessus.

Curia Romana.

1971 Dubium est 1. an postuletur ad incurrendam hanc censuram animus impediendi accessum ad Sedem Apostolicam? Affirmant *Duard. can. 9. n. 2. Gambarupta in præsen. c. 9. n. 1. & Caietan. v. Excommunicatio c. 15.* Quia hæc censura fertur primarió ob favorem Sedis, & secundario ob favorem accedentium ad illam. Probabilius tamen docent oppositum *Reginald. l. 9. praxi c. 19. Alterius disp. 11. c. 1 & Bonac. t. 3. de censur. bullæ disp. 1. q. 10. pun. 2. n. 13.* Probatur, quia quocunque animo seu intentione fiat talis vexatio, semper cedit in Apostolicæ Sedis offensionem.

Offensio Romanæ Sedis.

Dubium est 2. an incidat in hanc censurã qui non offendit accedentes vel recedentes, sed eorũ filios, servos aut familiares? Rectè ex *Bonac. citato pun. 1. n. 22.* respondet *Palaus d. 3. pun. 10. n. 9.* cũ distinctione, si filij, servi & familiares necessarij sũt ut dominus expediat negotia in Romana Sede, incidere in censuram illorũ offensores, seu impeditores: secus, si necessarij nõ sũt, & absq; illis Dominus æquè benè sua negotia expediet.

Impedimentes accessum ad Romanam curiam.

Dubium est 3. an extendatur censura ad man-

[illegible], & consulentes, vel ratum habentes [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ver [illegible] consulentes, nec [illegible] bonum [illegible] [illegible], quia [illegible] [illegible] [illegible] ipsius vel aliorum opera [illegible] [illegible] [illegible]; mandans vero [illegible] tur opera mandatarij, & hic nomine illius operatur [illegible] consulente, vel ratum habente.

Dubium est 4. an dicta censura extendatur ad eos qui vexant fideles accedentes ad Sedem Apostolicam? Negant *Suarez* [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] de carcer. q. 28. n. 68. & Cavall. [illegible] cap. 20. n. 11. Quia [illegible] est [illegible] Ecclesiasticis decretis protegat fideles cō[illegible] [illegible]. Affirmant nihilominus, & [illegible] [illegible] *Hugol.* hoc loco [illegible] n. 4. *[illegible]* [illegible] c. 4. n. 20. & [illegible] cit. q. 10. p. 2. [illegible] [illegible] tunc protectio [illegible] ipsius Apostolicæ Sedis authoritatem & favorem cedit.

QUÆSTIO V

[illegible] [illegible] [illegible] contra [illegible] [illegible], vel [illegible], [illegible] ad Curiam Romanam.

DEcima excommunicatio fertur *In omnes [illegible] [illegible], vulnerantes, detinentes, [illegible] [illegible] Romipetas, seu peregrinos ad [illegible] [illegible], seu peregrinationis accedentes, [illegible] [illegible], vel ab ipsa recedentes.* Additur huic clausulæ ampliatio, quæ in superiori proxima [illegible] est, scilicet, *Illis dantes auxilium, consilium, & favorem.*

Auxilium ad sedem Apostolicam. 1072 [illegible] hujus censuræ fuit promotio cultus, & reverentiæ sacrorum locorum urbis. [illegible] in quos censura fertur, sunt omnes, & singuli [illegible] cujuscunque dignitatis & conditionis [illegible] qui [illegible] peregrinos Romipetas. Actiones prohibitæ sub tali censura sunt interfectio, mutilatio, vulneratio, detentio, captio, deprædatio [illegible].

Dubium est 1. an incurrat duplicem excommunicationem [illegible] qui talem Romipetam occidit, [illegible], alteram [illegible] ob vexationem [illegible] [illegible] [illegible] causa devotionis? Negat [illegible] [illegible] censur. in part. d. 1. q. [illegible] [illegible] quia in utroque canone, [illegible] [illegible] & [illegible] Pontifex [illegible] [illegible] [illegible] maioris [illegible] [illegible] [illegible] Romam causa negotiorum [illegible].

[illegible] Pontificis [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] causa [illegible] & [illegible] [illegible] [illegible], ut

[illegible] [illegible] peregrinationem.

[illegible] Curia [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] & sequitur [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] reditus domum est formaliter [illegible] [illegible] [illegible], cum fiat pro [illegible] [illegible] [illegible].

Nota 1. ex verbis clausulæ non solum protegi accedentes, sed etiam morantes in urbe, [illegible] [illegible] recedentes. Nota 2. censuram extendi ad dantes auxilium, consilium, vel favorem [illegible] [illegible] Romipetas: debet tamen [illegible] [illegible] [illegible] auxilium, consilium, vel favor [illegible] censuram illam.

Undecima excommunicatio [illegible] in [illegible] [illegible], *mutilantes, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] S. R. Ecclesiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Apostolicæ Sedis [illegible] [illegible].* Observat bene *Suar.* cit. [illegible] p. 21. [illegible] 2. n. 68. [illegible] incurrendam hujusmodi censuram postulari, ut dictæ actiones sint mortaliter injuriosæ dictis personis cognitis ut talibus. Unde excusatur vel qui lædit venialiter vel si mortaliter, non cognoscat personam. Nomine Episcopi [illegible] venit electus, nec confirmatus, sed consecratus.

1073 Adduntur verbis prædictis hæc: *[illegible] eos a suis dioecesibus, territoriis, terris [illegible] [illegible], [illegible] [illegible].* Unde (notat *Suar.* n. 70.) non satis est exilii comminari, donec opere [illegible] impleatur. Imo (addit *[illegible]* p. 12. n. 4.) si expellas prælatum ex uno loco diœcesis in alium ejusdem, non videris incurrisse, quia non ejicis ex diœcesi. Oportet enim ad talem effectum, ut ejiciatur a loco sibi subjecto in non subjectum.

Extenditur censura ad *Mandantes, rata habentes & præstantes eis auxilium, [illegible], & favorem.* [illegible] tur ratihabitio, debet [illegible] habere quod ipsius nomine gestū est saltem per mandatum virtuale, sive quoad factum primo sive quoad cōtinuationē facti. Ita *Suar.* n. 71. Nō incurrit (*idem* n. 72.) qui post commissum [illegible] [illegible], delinquentem receptat.

Dubium est 1. an incurrat hanc censuram qui ejicit prælatum a loco sui domicilij vel [illegible] quamvis [illegible] nullam habeat jurisdictionem? [illegible] firmant [illegible] [illegible] de censur. q. [illegible] [illegible] [illegible] & *[illegible]* lib. 5. disp. 12. cap. 4. [illegible] [illegible] [illegible]. Probant [illegible] [illegible] vulgarem [illegible] tionem [illegible] domicilij & [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] tamen est cum [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] 2 [illegible] n. 67. & *Suarez* [illegible] [illegible] [illegible] Quia [illegible] illa [illegible] est [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] les [illegible] originem, nec [illegible] [illegible].

Ddd 2 Do-

Marginalia: "Auxilium ad sedem Apostolicam." (left, beside the Quæstio V opening); "[illegible] Cardinalium [illegible]" (left); "[illegible] [illegible] [illegible]" (right, top); "Cardinalium persecutio." (right); "Episcoporum vexatio." (right); "Ratihabitio facti." (right)

Dubium est 2. an ligetur hac excommunicatione qui vulneraverat & percutit religiosum, vel clericum, qui est de familia Cardinalis, Episcopi aut legati? Affirmant Sayrus l. 3. c. 15. n. 3. & Armilla v. Excommunicatio n. 2. Quia praedictus morali aestimatione Cardinalem offendit. Negandum tamen est cum Duardo l. 2. can. 11. q. 10. n. 1. Mario Alterio l. 5. disp. 12. c. 3. dub. 7. & Bonacina disp. de cens. q. 12. p. 2. n. 11. Quia licet Cardinalis vel Episcopus per illam percussionem offendatur, tamē neque vulneratur, neque percutitur: quod a censura exigitur.

Duodecima censura fertur in eos qui occasione causarum vel negotiorum occultes, seu quoque modo percutiunt, aut bonis spoliant per se vel per alios, omnes Ecclesiasticos vel seculares ad Romanam curiam super eorum causis & negotiis recurrentes ac illa in eadem curia prosequentes aut procurantes negotiorumque gestores, advocatos, procuratores & agentes seu etiam auditores, vel judices super dictis causis, vel negotiis deputatos.

Vexatores Ecclesiasticorum in Romana curia.

Comprehendit (observat Suar. citatus n. 73.) cujuscunque conditionis personas, quae aliquam ex enumeratis actionibus egerint quacunque authoritate sive publica sive privata, dummodò id faciat occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi. Extenditur his verbis: Qui per se, vel per alios directe vel indirecte delicta hujusmodi committere ... vel procurare, aut eis auxilium, consilium, vel favorem praestare non verentur: cujuscunque dignitatis fuerint.

Circa hanc censuram Palaus pun. 13. notat 1. eam ex parte coincidere cum excommunicatione lata in clausula nona hujus bullae, esse tamen latiorem, prout actiones plures comprehendit. Notat 2. finem hujus censurae esse promovere negotia Romanae curiae remotis eorum impedimentis & offendiculis. Notat 3. concurrere per alios directe illum qui jubet, consulit, auxiliatur in his delictis: concurrere autem per alios indirecte qui jubet, consulit, auxiliatur eam actionē ex qua praedicta delicta sequuntur.

QUAESTIO VI.

Explicantur & ceteris reliquae excommunicationes bullae caenae?

157. DEcima tertia excommunicatio fertur in omnes, qui praetextu [illegible] litterarum Apostolicarum ... [illegible] ... Hęc habetur in c. quoniam, de [illegible] in 6. & his ampliatur verbis al[illegible] ... explicatae a Suario ... [illegible]

Appellantes a gravaminibus Ecclesiasticis.

Illud recte monet Palaus d. 1. pun. 14. n. 4. [illegible] ... [illegible]

neri. Secunda fertur contra eos qui executionem litterarum modo aliquo prohibent, vel impediunt. Tertia fertur in eos qui prohibent directe vel indirecte accedentes ad curiam Romanam pro negotiis prosequendis, literis, seu gratiis impetrandis. De quo late Palaus cit. n. 5.

Decima quarta censura non dissimilis praecedenti fertur in eos qui ad se advocant causas spirituales, praetextu litterarum Apostolicarum, & sic impediunt executionem aliarum litterarum quibus parendum esset. Additur etiam praetextu violentiae prohibendae. Clausula comprehendit non solum personas laicas, sed etiam Ecclesiasticas, & habetur prolixis verbis explicata apud Suar. cit. n. 75. 76. Palaum pun. 15. & Bonac. q. 15. pun. 1.

Trahentes ad forum [illegible] violentia [illegible]

Decima quinta censura refertur a Suario disp. 21. sect. 2. a n. 75. conceptis ipsius bullae verbis, & habet duas partes: prior afficit trahentes, vel procurantes trahi ad laicum tribunal personas Ecclesiasticas praeter juris ordinem. Non enim (inquit Suar. n. 78.) satis est quovis modo offendere, sed requiritur abusus judiciariae potestatis laicae praeter juris dispositionem.

Trahentes [illegible] laicum [illegible] Eccles.

Posterior afficit condentes statuta, ordinationes, & quaelibet alia decreta, quibus laeditur aut diminuitur libertas Ecclesiastica: comprehendit etiam utentes eis, & eorum titulo praejudicantes juribus Sedis Apostolicae, & quarumcumque aliarum Ecclesiarum. Addit Suar. n. 79. non solum ligare principales authores sed etiam probabiliter scriptores legum illis verbis qui ... publicaverint: item omnes qui servari fecerint, vel ordinatis usi fuerint. Si quis Princeps (ait n. 80.) haberet talia statuta, eis verò non uteretur, quamvis nollet abradere a suis libris, non incurreret. Satis probabile est (subjungit n. 85.) hac etiam illam censuram incurrere rectores civitatum, qui sciunt illa statuta observari, & non impediunt. Addit n. 86. esse probabile, & ... non ligari hac censura qui utitur, vel facit uti consuetudine contra libertatem ecclesiasticam. Quia consuetudo in rigore non est statutum aut lex. Vide ipsum disp. 80.

1575. Quando communitas vel condit, vel facit observari dicta statuta, etiam si sub nomine communitatis, utpote incapax excommunicationis, eam non incurrat, tamen incurrent omnes illius personae singulares, quae ad illa statuta concurrunt. Ita Suar. n. 89. qui n. 91. & 92 docet immunitatem Ecclesiasticam non laedi per statutum, quando hoc ex se non respicit res Ecclesiasticas, nec earum exemptionem minuit, quamvis legislator intendat illam diminutionem: è contra vero laedi quando statutum, vel opus ex natura sua respicit ... quamvis legislator nullo modo intendat. [illegible] ... n. 92. ... [illegible]

Communitas [illegible]

[illegible]

Decima sexta censura fertur in eos, ... [illegible]

[illegible] sua jurisdictione contra quoscunque utantur, seu [illegible], & sacras [illegible] tiones Ecclesiasti- cas, & [illegible] Conciliorum Generalium, & praesertim Tridentini [illegible].

Haec pars (ut notat *Suar. cit. n. 93.*) solum cō- tinet [illegible] qui in suo munere exequendo [illegible]. Altera hujus canonis pars com- [illegible] tem modum eludendi Eccle- siasticam jurisdictionem & extenditur ad lega- tos his verbis. Qui post Ordinariorum, vel de- legatorum quorumcunque sententias & decreta aut aliàs fori Ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias & alias curias seculares recurrūt, & ab illis prohibitiones & mandata etiam pœ- nalia Ordinarijs & delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant: eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant cō- silium, patrocinium & favorem in eisdem. Duo igitur comprehendit hæc censura alterum im- pedire ne ordinarij utantur sua jurisdictione: al- terum recurrere ad tribunal sæculare pro revo- catione usus talis jurisdictionis.

Dubium est 1. an pro hac censura incurren- da requiratur impedimētum illud apponere pu- blica authoritate? Negant *Hugolin.* in præsen. §. 1. n. 1. & *Alterius* lib. 5. disp. 17. cap. 1. Probant ex adverbio illo quomodolibet quod amplectitur omnem impediendi modum. Affirmandum ta- men est cum *Navarro* cap. 27. n. 69. *Suario* d. 21. sec. 2. n. 75 & *Fillincu* tr. 16. cap 10. q. 10. n. 277. Ratio est quia hoc impedimentum supponitur emanatarum ab aliqua jurisdictione: hæc autem publica potestas est.

Dubium est 2. an pro illa incurrenda non sa- tis sit recurrere sed oporteat impetrare inhibiti- onem & mandatum? Ad incurrendam sufficere recursum, tenent *Reginald.* lib. 9. pun. cap. 24. n. 269. & *Bonacina* d. 1. de cens. q. 17. p. 1. n. 28. Pro- bant quia Ecclesiastica libertas sufficienter lædi- tur solo recursu ad laicum tribunal, etiam si nul- la obtineatur inhibitio. Hæc opinio est valde probabilis sed probabilior opposita, quam cum Vivaldo, Hugol. & Duard. defendit *Palaus* d. 3. p. 17. n. 10. affirmans requiri utrunque. Ratio est quia Ecclesiastica jurisdictio & libertas non tur- batur per solum illum recursum, nisi sequatur inhibitio.

1976 Decima septima censura ad defenden- dam immunitatem Ecclesiasticam, fertur in eos *Qui jurisdictiones, seu fructus redditus & proventus ad Sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas per- sonas ratione Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum be- neficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant.* (Cō- [illegible] (inquit *Suar. cit. n. 95.*) etiam jurisdi- ctio temporalis v.g. Ducatus vel comitatus si ra- tione Ecclesiae competat. Debent sumi illi pro- ventus [illegible] quia Ecclesiastici itaut nō suf- [illegible] censuram rapere absolutè, sed [illegible] potestatem. Nec requiri- [illegible] determinatam [illegible] ad Ecclesiam, vel sedem va- cantem.

Extenditur præfata clausula his verbis: *Vel etiam [illegible], vel [illegible] Romani Pontificis, vel eorum [illegible] jure [illegible] expressa [illegible] sequestrant.* Sequestratio [illegible] jurisdictione, & non est usurpare, sed impedire, & separatim [illegible] ponere, ne hujusmodi fructus ad Ecclesiasticas personas veniant. *Sequestratio bonorum Ecclesiæ.*

Dubium est 1. an contineatur sub hac censura illegitima sequestratio, vel usurpatio bonorum beneficij vacantis? Negant *Caietan.* in sum. v. ex- communicatio cap. 27. & *Toletus* lib. 1. [illegible]. 29. n. 5. Quia bona illa ut sic non spectant ad ali- quam Ecclesiasticam personam. Affirmandū ta- men est cum *Sayro* lib. 3. cap. 21. n. 4. *Suar.* d. 21. sect. 2. n. 97. & *Bonacina* d. 1. q. 18. p. 2. n. 31. Quia bona illa dominium censentur habere, si non quoad actuale, saltem quoad futurum do- minium.

Dubium est 2. an contineatur sub hac censu- ra usurpatio alicujus beneficij, monasterij, vel Ec- clesiæ? Affirmant *Alterius* lib. 5. disp. 18. cap. 1. & *Bonacina* disp. 1. de cens. bullæ c. 18. p. 2. n. 28. Quia si continetur usurpatio fructuum, a forti- ori ipsa usurpatio Ecclesiæ seu beneficij in quo sunt omnes fructus radicaliter. Negant *Duard.* lib. 2. can. 17. q. 4. n. 18. & alij. quia pœnę non extenduntur ultra proprietatem verborum: & fructus beneficij non sunt in rigore beneficium. Placet utranque opinionem conciliare cum *Pa- lao* citato p. 18. n. 19. asserente posteriorem esse veriorem loquendo speculative, ob rationem assignatam: at loquendo practicé esse securiorem proindeque tenendam priorem. *Usurpatio fructuum bene- ficij.*

Dubium est 3. an incurrat hanc censuram qui usurpat pecuniam ob quam fructus bene- ficij venditi sunt? Affirmat *Fillinc.* tr. 16. c. p. 8. q. 9. n. 221. Quia cum illa pecunia sit loco fruc- tuum subrogata, æquipollet fructibus. Negandū tamen est cum *Bonacina* d. 1. q. 18. pun. 2. n. 9. Quia Pontifex solum intendit punire usurpa- torem bonorum provenientium ex beneficio: non provenit, sicut nec res alia, in quam benefi- ciatus permutaret fructus beneficij.

Dubium est 4. an eadem censura puniatur fructuum usurpatio quæ fieret non ipsi benefici- ato, sed conductori? Videtur affirmandum si cō- ductor sit persona Ecclesiastica, cum tali fruc- tus beneficij subtrahantur. Negandum tamen est cum *Duardo* in præs. can. 17. q. 9. n. 7. & *Bona- cina* disp. 1. q. 18. pun. 2. n. 26. Ratio est, quia licèt fructus illi sint beneficij, tamen conductori non ex beneficio, sed ex conductione proveniunt.

1977 Decima octava censura fertur in eos. *Qui collectas, decimas, vel similia onera Ecclesiasticis personis & Ecclesiarum monasteriorum, & aliorum be- neficiorum Ecclesiasticorum bonis, eorumque fructibus &c. absque Romani Pontificis speciali, & expressa licen- tia imponunt: & sic imposita, etiam a sponte [illegible] & concedentibus recipiunt.* Particula (etiam a sponte dantibus) intelligitur a *Suar.* disp. 21. sec. 2. [illegible] de sponte dantibus, hoc est sine speciali co[illegible]- one in exigendo præter [illegible] si *Collectæ & tributa imposita Ecclesiasticis.*

om[illegible] hoc prohibitum non est. Intelligitur etiam [illegible] in bonis Ecclesiasticis. Nam [illegible] bonis temporalibus pertinentibus Ecclesiasticæ, quæ in [illegible] tabula, non est prohibitum exigere. [illegible] Suar n. 106. extendit clausulam ad [illegible] auxilium, consilium &c. & omnes personas cujuscunque dignitatis vel ordinis existentes, quæ ibi laté referuntur.

Dubium est 1. an ad incurrendam hujusmodi censuram requiratur gravitas materiæ ex parte tributi exacti, itaut nō sufficiat exactio duorum vel trium maravidinorum? Affirmat *Bonacina disp. 1. de censur. bullæ q. 19. pun. 1. n. 12.* Quia cum excommunicatio sit gravissima pœna, non potest cadere nisi in culpam gravem, & hæc non datur in levi materia.

Negandum tamen est cum *Alterio l. 5.* ad hæret *Palao d. 3. pun. 19. n. 13.* Probatur, quia gravitas hujus exactionis non petitur ex quantitate tributi exacti, sed ex injuria facta libertati Ecclesiasticæ, quæ semper gravis est: sicut gravitas Simoniæ nō desumitur ex quātitate pretij quod pro re spirituali exhibetur, sed ex injuria facta rei spirituali, per adæquationem cum temporali pretio.

Cum verò in tertia parte hujus clausulæ innoventur decreta super his per sacros canones generalium conciliorum etiam quoad pœnas in eis contentas, dubium est 2. an ex vi hujus innovationis pœnæ in decretis innovatis contentæ obtineant reservationem bullæ? Negat *Bonac. disp. 1. de cens. bullæ q. 19 p. 4. n. 8.* Probat quia innovare canones non est reservare, sed in pristinū statum restituere: illi autem in pristino statu per bullam reservati non erant. Probabilius affirmant *Dur[illegible] l. 1. can. 3. q. 3. Alterius b. 5. disp. 19. c. 5. Toletus l. 1. c. 30. n. 5. & Fillius. tr. 16. c. 11. q. 5. n. 303.* Probant, quia innovare legem, & illius pœnam est de novo statuere ac si nunquam fuisset statuta: pœnæ autem per bullam statutæ reservationem habent.

1978 Decima nona censura fertur contra omnes *Magistratus & judices, notarios scribas, executores, [illegible] subexecutores, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas [illegible] illas processando bannendo, capiendo seu sententias contra illos proferendo, vel exequendo sine speciali [illegible] specifica & expressa hujus S. Sedis Apostolicæ licentia, etiamsi talia committentes fuerint consiliarij, Senatores, [illegible] quocunque nomine nuncupati.*

Ecclesiasticorum vexatio per judices laicos.

Hujus declaratio per se & ex dictis patet. Illud observat *Suar. citatus n. 103.* hic revocari omnia privilegia in contrarium, quæ non fuerint expressa specialia seu specifica: ad quæ sufficiet licentia specialis ad cognoscendum de tali [illegible] in specie, quamvis sit generalis quoad personas Ecclesiasticas, tempora, & loca.

Vigesima [illegible] censura pro tuendo dominio temporali S. Sedis Apostolicæ fertur in omnes [illegible]

Pro [illegible] temporali dominio

[illegible] Insulas [illegible] & [illegible] & alias [illegible] Romanæ Ecclesiæ [illegible] subjecta, vel [illegible] jurisdictionem [illegible] [illegible] Romanæ Ecclesiæ [illegible] [illegible] & defensores [illegible] quoquomodo præstantes.

Pro explicatione observandum est 1. cum *Suar d. 21. sec. 2. n. 104 & 105* quod si in civitatibus Papæ sunt factiones, & altera factio extra existens civitatem hostiliter invadit, censuram hanc incurrit: omnes tamen excusari, si bona fide & probabili titulo prædicta gerant. Quia hæc censura non incurritur, nisi adsit dolus, & malitia, ut manifesté indicat verbum (præsumere) quo textus utitur.

Observandum 2. cum *Palao* citato n. 6. actiones invadendi, destruēdi, occupandi, & detinendi, quas exponimus in nostro Elucidario, debere versari circa terras seu loca Pontificiæ Romanæque Ecclesiæ sive ipsi immediate, sive mediate subjecta, nempe sive Pontifex exerceat in illis temporalem jurisdictionē, sive tradiderit eam in alios feudo, vel emphyteusi, retento directo dominio.

Unde infertur 1. cum *Fillius. tr. 16. c. 3 q. 8. n. 65.* non incurrere hanc censuram qui invadunt, occupant & destruunt terras pertinentes ad cives privatos, esto patiatur damnum Romana Ecclesia: quia hoc per accidens est. Infertur 2. cū *Bonac.* disp. 1. q. 21. p. 3. fine. Non incurrere eandem qui terras ad Pontificem ut privatam personam spectantes destrueret.

1979 Dubium est 1. an incurrat hanc excōmunicationem, qui supremam Pontificis jurisdictionem offendit Sede Vacante? Videtur negandum. Quia cum tunc vacet Ecclesia, Pontifice, qui offendatur orbata est. Respondeo affirmative cum certa sententia, quam sequitur *Palao pun. 21. n. 9.* Quia (ut bené ratiocinatur [illegible]) esto illa jurisdictio non sit Pontificis mortui, neque futuri cum uterque incapax sit jurisdictionis actualis, utpote carentes Pontificia dignitate: at est jurisdictio Romanæ Ecclesiæ protecta hoc canone.

In Sede Vacante [illegible]

Dubium est 2. an contrahat hanc censuram offendens supremam jurisdictionem qui impedit & perturbat legatos vel commissarios [illegible] ve gubernatores a Sede Apostolica constitutos, ne utantur sua jurisdictione? Negant [illegible] 21. t. 1. & *Bonac. d. 1 de cens. bullæ q. 21. p. 1. n 2.* Probant quia [illegible] canone [illegible] suprema jurisdictio [illegible] legati [illegible] jurisdictio suprema non est.

Legati [illegible] impediti

Hæc [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible]

bata suprema jurisdictio Pontificia: siquidem illi nomine Pontificis suam jurisdictioné exercent.

SECTIO V.

De excommunicationibus quæ continentur in corpore juris canonici, sive sint reservatæ, sive non.

QUÆSTIO I.

An & qualiter excommunicetur percussor clerici?

Cum in toto decreto Gratiani unica reperiatur excommunicatio reservata, quæ imponitur percutienti clericum; & frequenter eveniat hujusmodi percussio, libet hanc exponere. Habetur in *c. si quis suadente* 17. *q.* 4. his verbis: *Si quis suadente diabolo manus violentas in clericum, vel monachum injecerit, anathematis vinculo subjaceat & nullum Episcoporum illum præsumat absolvere, donec Apostolico conspectui præsentetur & ejus mandata recipiat.* Quæstio hæc decidetur expedita duplici difficultate, altera circa personas quæ defenduntur a percussione: altera circa personas quæ prohibentur percutere, earumque actiones prohibitas.

Percussio clerici ad censurã.

1980 Quod attinet ad priorem incurrit hanc excommunicationem, qui manus violentas injicit in clericum vel monachum. Est igitur difficultas qui veniant nomine clerici, & qui veniant nomine monachi, ut obtineant hujus censuræ protectionem. Constat ex *c. cleri* 21. *dist.* & *c. cum conjugat. de ætate & qualit.* venire omnes constitutos tam in sacris quam in minoribus ordinibus, immó sola prima tonsura initiatos. Addũt *Sayrus* lib 3. thes. cap. 26. n. 8. *Bellanus* disp. 14. dub. 15. n. 157. & Doctores communiter illos hoc privilegio non destitui, quanvis sint excommunicati, suspensi irregulares aut verbaliter depositi: secus, si realiter degradati: tunc enim juxta *c. degradatio de pœnis in* 6. omni clericali privilegio spoliantur.

Clericus gaudens privilegiũ canonis.

Dubium est 1. an ut gaudeant hoc privilegio canonis initiati prima tonsura vel ordinibus minoribus, debeant gestare tonsuram & habitum clericalem: & insuper de licentia Episcopi alicui Ecclesiæ inservire, vel in aliqua publica academia litteris vacare? Affirmant *Banhes* 2. 2. q. 12. a. 1. diffi 3. dicto ult. *Suar.* de censf. d. 22. sec. 1. n. 1. & *Bellanus* disp. 14. de censur. dub. 15. n. 164. Probãt quia a *Triden.* sess. 23. cap. 6. de refor. Ut quis fruatur canonis privilegio illa omnia postulantur. Hoc satis probabile & omninó tutum est: oppositum tamen judico probabilius cum *Molina* tr. 3. de just. disp. 54. n. 9. *Avila* 2. p. c. 1. disp. 2. dub. 9. concl. 3. & *Gonzales* reg. 8. *Cancel.* glos. 5. §. 5. n. 7 asserentibus prædictum gaudere privilegio canonis quanvis nec sit addictus alicui Ecclesiæ, nec versetur in publica academia de licentia Episcopi. Suadetur quia Trident. reliquit privilegium canonis sub dispositione juris communis: solum enim restrinxit privilegium fori, ad quod talem deputationem exegit.

Habitus & tonsura ad privilegium.

Sequitur 1. excludi a privilegio canonis & fori clericos conjugatos dum nec habitum nec tonsuram deferunt, & insuper alicui Ecclesiæ ex deputatione Episcopi non vacant. Sequitur 2. excludi bigamos tam vera quam interpretativa bigamia, constitutos in minoribus. Illis enim interdicitur gestatio tonsuræ & habitus clericalis. At non excluduntur habentes solam bigamiam similitudinariam nec bigami in sacris cõstituti. Sequitur 3. a privilegio canonis excludi clericos, qui deserto habitu clericali se inverecũdé gravibus criminibus immiscẽt: & a fortiori si incidant in crimen assassinij.

Clerici conjugati & bigami ad privilegium canonis.

Sequitur 4. excludi bufones, joculatores, & goliardos, si vacaverint per annum huic ignominioso officio. Arg. *c. unici de vita & honest. cleric. in* 6. Sequitur 5. excludi clericos, qui exercent carnificum, macellariorum tabernariorum, modó conjugati sint vel clericalem habitum dimiserint, atque ter ab Episcopo moniti non destiterint vel si postquam destiterunt idem officium reassumant. Si conjugati non sint retineantque habitum clericalem, privantur fori & canonis privilegio non quoad personas, sed solum quoad ipsorum bona, itaut hæc instar secularium tributis solvendis obnoxia sint, eorumque negotium non a judice Ecclesiastico, sed sæculari defendatur. Sequitur 6. excludi clericos qui ab Episcopo ter admoniti vel nolunt desistere ab officio vili, vel nolunt reassumere clericalem habitum. Ita *Mol. d.* 34. *n.* 1. & *Suar. cit. sec.* 2. *n.* 14.

Clericorũ sordida officia.

1981 Dubium est 2. an prędicti clerici, si incorrigibiles sunt & in sacris constituti amittãt fori privilegium ipso jure? Negant *Lupus tit. de libert. Eccles.* 2. *p. quæst.* 5. *n.* 5. *Suar. l.* 4. *de defen. fidei cõtra Regem Angliæ c.* 17. *n.* 24. & *Layman l.* 1. *sum. tr.* 5. *par.* 2. *c.* 5. *n.* 4. Desumunt ex *c. cum non ab homine, de judic.* Affirmant *Julius Clarus l.* 5. *sent. §. fin. q.* 36. *n.* 23. & *Covarr. pract. quæst. c.* 31. *n.* 2. Quia videtur æquipollere sententiæ degradationis seu privationis illa trina monitio. Ego ita inclino ad negãtes ut existimem postulari authenticam declarationẽ incorrigibilitatis & regulariter sententiã degradationis seu privationis.

Nomine monachorum, ut ex *c. ex temore de monial. de sent. excom.* docent *Navarr. c.* 27. *n.* 79. & *Molina tr.* 3. *disp* 50. *n.* 4. veniunt religiosi utriusque sexus tam qui emittunt veram professionem quam alij appellati conversi qui viventes in religione veram professionem non emittunt etiam bigami, Item novitij utpote in via ad religionem, Deinde Fratres tertij ordinis S. Francisci & S. Dominici qui vivunt in communitate: secus si in proprijs domibus degant, etiam si bona sua religioni obtulerint, habitumque illius gestaverint. Ita *Rodrig. tom.* 2. *gegul. q.* 65. *art.* 5. *Miranda in manuali prælat. to.* 1. *quæst.* 29. & *Layman l.* 1. *sum. tr.* 5 *par.* 2. *c.* 5. *n.* 4. Vide *Suar. d.* 22. *sec.* 1. *n.* 20. & *Molinã tr.* 3. *de just. d.* 50. *n.* 4.

Monachi & religiosi ad privilegia.

Quid de Eremitis ad hujusmodi privilegium canonis? Si vivant in communi sub aliqua regula, edito

Eremita ad privilegiũ canonis.

edito paupertatis, vel obedientiæ voto, vel pacto inito, fruuntur hoc privilegio. Secus si non ita vivant, quamvis ex cōmissione Episcopi gestent habitum singularem, & inserviant alicui Ecclesiæ. Ita præter *Suar. & Molinam citatos, Bonacina t. 1. disp. 2. de excōmun. q. 4. pun. 3.*

Equites & cōmēdatarij ad privilegiū canonis. Quid de commendatarijs laicis ordinis S. Joannis, D. Iacobi, D. Benedicti: & idem est de cōmendatarijs & equitibus ordinis Christi in Lusitania, S. Stephani in Florentia, S. Lasari in Subaudia? Certissimum est equutes S. Ioannis utpote verè religiosos hoc privilegio gaudere. Ita *Sanch. l. 4. sum. c. 16. n. 11. & Molina tr. 3. disp. 50. n. 5.* De alijs commendatarijs & equitibus, qui non verè religiosi sunt, nec vivunt in communitate, canonis & fori privilegio gaudere tenent cū multis *Bonacina t. 3. disp. 2. q. 3 p. 6. sec. 3. n. 9.* & *Garcia de benef. 1 p. c. 4. n. 15.* Sed in his standum esse consuetudine, rectè monet *Palaus de cens. d. 3. pun. 23. §. 1. n. 16. & Molina tr. 3. d. 50 n. 5.* testatur se hanc rem examinasse per multos annos, & deprehendisse hos equites nullo canonis privilegio in Lusitania, & Castella gaudere.

1982 Quod attinet ad posteriorem difficultatem quęstionis, constat apud citatos authores ligari hac excommunicatione omnes & singulos utriusq; sexus fideles quavis authoritate fulgentes. *Pueri & mulieris ad excōmunicationem.* Addunt *Molina tr. 3. d. 51. n. 2. & Bonacina tom. 3. d. 2. q. 3. p. 6. sect. 2. n. 2.* nec excusari pueros, modo habeant perfectum usum rationis. Sumitur ex *c. mulieres & c. pueris, de senten. excom.* Actio ob quam contrahitur hujusmodi censura, est violenta manuum injectio in clericum, vel monachum: itaut cadat talis injectio in illius personam, vel res illi adhærentes.

Percussio clerici qualis. Præcipua igitur difficultas est exponere hanc injuriam, ejus qualitatem & gravitatem sufficiētem contrahendæ excommunicationi. Conveniunt 1. doctores apud *Sayrum c. 26. a n. 11. Molinam tr. 3 disp. 51 n. 1. Avilam 2. p. c. 5. disp. 3. dub. 12. & Bonacinam tom. 1. disp. 2. de excom. q. 4. pun. 1. §. 1.* illam contrahere qui clericum vel monachum interficit, mutilat, percutit, vulnerat ense, fuste, pede, aut venenum occultè propinet. Item si cōspuat, arundine cædat, jactet pulverem in illum, laceret vestimenta, quibus indutus est. Item si violenter quomodocunque detineat, si ita insequatur, ut causa sit se præcipitandi, vel damnum aliud subeundi. Secus si per metum verbis illatū fuit clerico occasio gravis damni.

Conveniunt 2. ut contrahatur talis excommunicatio, actionem illam debere esse ita gravē, & clericali statui injuriosam, ut seclusa censura, judicio prudentis sufficiat ad culpam mortalem. Conveniunt 3. non excusari offendentem, quamvis clericus offensioni consentiat. Quia consensus clerici privati in offensionem injuriosam clericali statui nullus est: & talem injuriam ipse cōdonare nequit.

Dubium est 1. an incurrat hanc censuram ipse clericus offensis, si consentiat tali offensioni? Videtur affirmandum, ex *c. contingit, de sent. excom.* ubi sic habetur: *si quis clericus post prohibitionem hujusmodi sponte se subjecerit, excommunicetur.* Negandum tamen est cum *Suario d. 22. sec. 1. n. 58. Molina tr. 3. d. 51 n. 3. & Filliucio tr. 15. c. 1 q. 7. n. 33.* Ratio est quia hanc pœnam statuit offendens opere vel mandato, vel consilio: qui autem permittit se offendi, nullo ex dictis modis offendit. Textus citatus pro parte opposita non continet excommunicationem latam, qualis est de qua loquimur, sed ferendam, ut apparet ex voce (*excōmunicetur.*)

Dubium est 2. an clericus vel monachus se ipsum malitiosè occidens aut vulnerans, vel injuriosam sui occisionem, aut vulnerationem consulens, aut præcipiens incidat in hanc censuram? Negāt aliqui, & quidem probabiliter juxta *Suar. & Bonac.* citandos. Quia Pontifex in *c. Suadente,* videtur loqui de tertia persona, quæ distinguatur ab offenso. Affirmandum tamen probabiliùs cū *Suario d. 22. sec. 1. n. 59. Bonacina tom. 1. disp. 2. de excom. q. 4. pun. 2. & tom. 3. de cens. in particulari d. 2. q. 3 p. 6. sec. 2. fine.* Quia de ipso verificatur injecisse in clericum manus violentas, cui offensori censura illa infligitur.

1983 Dubium est 3. an & qualiter hæc cēsura extendatur ad consentientes, & aliquo modo cooperantes occisioni, vel injuriosæ percussioni clericorum? *Mandans & consulens percussionē clerici.* Apud *Molinam d. 51. n. 4. Suar. disp. 22. sec. 1. n. 59. & Bellanum disp. 14. dub. 15. n. 172 per c. mulieres § illi & c quanta de sent. excomun.* cōstat extendi mandantes, consulētes, vel favorem dantes, dummodò percussio subsequatur: & ex vi mandati, consilij, vel favoris. In dubio autem præsumitur ex vi illorum fuisse subsecutam.

Revocatio mandati & consilij. Quid si mandans, vel consulens ante patratū delictum pænitentia ductus revocat mandatum vel consilium? Constat necessarium esse ut talis revocatio innotescat mandatario vel consiliario: deinde ut sit efficax, scilicet de facto tollat motionem dati consilij, vel mandati: aliter ex illorū censebitur scelus commissum. Si autem mandatum vel consilium quis revocet sufficienter arbitrio prudentis, illo tamen permotus mandatarius vel consiliarius delictū patret, vel quia credidit datam fuisse revocationem fictè, vel quia rationes pro illa allatæ non destruunt præcedentes, quamvis graves authores affirment illum mādantem vel consulentem excommunicari, rectiùs negant alij quos citat & sequitur *Palaus d. 3. pun. 23. §. 2. n. 9.* Quia prudenter censentur revocata, quando verbo, epistola, vel internuncio seriò revocationem intimavit.

Dubium est 4. an incurrat hanc censuram qui non impedit clerici percussionem, cum possit? *Sayrus l. 3. c. 26. n. 24 Filliucius tr. 15. c. 1. n. 31. & Suar d. 22. sec. 1. n. 56.* affirmant absolutè etiam si ex sola charitate detur obligatio impediendi. Quia textus in *c. quanta de sent. excom.* absolutè decernit incurri quando potest impediri percussio & nō impeditur. Rectiùs *Molina d. 52. n. 6. Avila 2. p. de censur. c. 3. d. 3. dub. 8. & Bonacina tom. 3 disp. 2. q. 3. p. 6. sect. 1. §. 2.* requirunt obligationem justitię in

non

non impediente. Probatur [illegible] excommunicationem [illegible] levem [illegible] statu [illegible] ex [illegible] censuræ [illegible] dire & non [illegible] injuriam.

Dubium est 5. an incurrat dictam censuram, qui percussionem suo nomine, vel in gratia factam ratam habuit? Certa est affirmativa resolutio, [illegible] definita in *cap. cum quis de sent. excom.* Monent tamen *Suar. disp. 22. sec. 1. n. 55. & Molina d. 51. n. 4.* ut dicta censura ab illo incurratur, debere illum tempore percussionis esse aptum ut eandem mandare posset. Quia non incurret, si tempore percussionis, erat incapax mandandi v.g. propter infantiam vel amentiam. Secus, si propter somnum vel ebrietatem. Quia nec somnus, nec ebrietas tollunt libertatem permanenter, sicut tollunt infantia & amentia.

Ratihabitio de percussione clerici.

Dubium est 6. an incurrat excommunicationem *c. si quis 17. q. 2.* qui percussit vel injuriosé tractavit cadaver clerici? Affirmat Toletus l. 1. c. 31. n. 11. & Barbosa ad c. si quis n. 47. Quia etiam mortuo injuria potest inferri. At Freyre l. 6. cons. 46. negat cum Henriq. l. 14. c. 3. n. 8. ad finem. Quia lex pœnalis ultra proprietatem verborum non est extendenda: illa autem loquitur de clerico: & cadaver clerici non est clericus.

QUÆSTIO II.

Quæ sint causæ excusantes percussorem clerici, vel monachi ab incurrenda hac excommunicatione?

1984 EX duplici capite proveniunt causæ excusantes ab hac censura talem percussorem: alterum caput est jus quasi naturale, alterum caput est privilegium juris positivi. Utrumque seorsim exponamus. Quod attinet ad prius, jus quasi naturale postulat ut qui excusatur a peccato mortali sacrilegii contra censuram, ab hac etiam excusetur. Quia [illegible] consonum est, ut pœna gravissima, qualis est excommunicatio, non nisi ob peccatum grave contrahatur.

Percussio clerici quando excusatur a censura.

Constat igitur 1. apud *Suar. d. 22 sec. 1. n. 50. Molinam tr. 3. d. 51. n. 7 & Bellanum disp. 14 dub. 15. n 190.* percutientem leviter, vel aliás graviter causa joci clericum, excusari. Quia modus ille percutiendi non attingit culpam lethalem. Quod a fortiori procedit quando datur per. [illegible] ex subita passione animo non plené advertente. Item quando clerici pueri rixantes [illegible] se percutiunt, etiam in templo, itemque sanguinem e naribus ejiciunt. Quia plerumque hæc injuria levis reputatur: secus, si ex circunstantijs judicetur gravis.

Constat 2. apud *Sayrum l. 3. thes. c. 27. & Bonacinam de [illegible] disp. 2 q. 3. p. 6. sect. 4. n. 9.* excusari percutientem [illegible] graviter clericum, qui privilegio canonis privatus est, qualis [illegible] gradatus. Quia licet hæc percussio ad peccatum lethale [illegible], tamen non [illegible] lethale in genere sacrilegii, cui puniendo censura imponitur.

Constat 3. ex *[illegible]* excusari ignorantem [illegible] clericum illum quem graviter [illegible] licet talis ignorantia non impediat [illegible] sacrilegium

Clericus [illegible] ignorantia [illegible]

proinde [illegible] censura ratione sacrilegii imposita. Vide *Suar. l. 9. [illegible] disp. 22. n. 41.* Procedit teste *Navarro c. 27 n. [illegible]* etsi percussus daret operam rei illicitæ. Adde *Molin. cit. d. 53. n. 3. Covar. c. Alma mater 1 p. §. 10 n. 1.* quavis haberet animum percutiendi clericum. Quia censura non imponitur ob pravum effectum, sed ob externam actionem sacrilegam.

Quid si percutiens Petrum clericum, falsò credat se percutere Paulum clericum? incurreret censuram. Quia (ut bené notat *Palaus d. 3. p. 23. §. 3. n. 4.*) hic non infligitur censura ob percussionem hujus vel illius clerici, sed absoluté ob voluntariam clerici percussionem. Secus esset, si Petrus percussus non se clericum repræsentaret, utpote habitu laicali indutus, quo Petrus clericus uti solebat. Quia ea exterior actio non est voluntarié sacrilega, neque clericali statui injuriosa. Ita *Molin. d. 53. a n. 2. Suar. d. 22. sec. 1. n. 54. & Bellan. disp. 14. dub. 15.*

Constat 4. excusari ab hac censura qui detinet aut percutit in defensionem sui, vel alieni corporis, honoris, famæ, & bonorum fortunæ clericum aggressorem. Ita *Lessius l. 2. c. 9 dub. 8. & Bonac. to. 1. de cens. disp. 2 q. 3. p. 6. sect. 4. n. 1.* Quia secundum naturale jus licet vim vi repellere tum a se, tum ab alio innocente. Unde excusabitur fæmina si in defensionem suæ pudicitiæ percutiat clericum: item qui clericum injusté suam domum occupantem vel sedem usurpantem violenter expellat: item si aliena bona furantem insequatur & violenter extorqueat, vel fugientem clericum debitorem insequatur, & violenter detineat. Quæ omnia intelliguntur, quando alia via, nec se, nec alios innocentes tueri possit.

Defensio naturalis excusatum censura.

1985 Quod attinet ad posterius caput quod est privilegium juris positivi, ob varios titulos potest quis absque metu incurrendi censuram percutere, aut violenter detinere clericum. Primus titulus est correctionis, ob quem potest quis offensus a clerico qui ob tale crimen esset conjiciendus in carcerem, & plectendus, eum vinculis detinere, ut intra 24. horas suo judici sistat, si id expediat pro examinandis testibus & satisfactione sumenda. Ita præter *Suar. & Molinam citatos Avila 2. p. de cens. c. 5. d. 7. dub. 13. casu 12. & Layman l. 1. sum tr. 5. par. 2. c. 5 n. 8.*

Punitio clerici.

Quare ex eodem titulo correctionis, prælato Ecclesiastico, & magistro licitum est vinculis detinere, & moderata castigatione afficere clericum subditum, vel discipulum etiam in sacris constitutum prout exegerit ratio culpæ, & qualitas personæ. Ita ex *c. 1. c. ex tenore c. cum voluntate de sent. excom.* tenent *Molina disp. 56. n. 4. & Bellanus disp. 14. dub. 15. n. 190. & Layman. l. 1. sum tr. 5. p. 2. c. 5. n. 8.* Nomine magistri etiam venit pædagogus, & quicunque assumitur ut clericos in officio contineat, vel aliquid honestum doceat. Adde concessum esse clericis lenioribus ut leviter puniant constitutos in minoribus, si divinum officium turbent.

Clerici discipuli vel subditi punitio per prælatum, & magistrum.

Dubium est 1. an pater & alij propinqui ac consanguinei possint filios & consanguineos Ecclesiasticos sibi subjectos punire? Constat ex *cap. cum voluntate de sent. excom.* posse moderaté in minoribus constitutos. Difficul-

Pater ad filij clerici punitionem.

tas est circa constitutos in sacris. Posse punire moderaté affirmant *Navarro c.27.n.82 Suar.d.22 sec.1.n.49. Fillucius tr.15.c.1.q.·.& Bonacina tom.3. d.2 de excom.extra bullam q.3.p.6 sec.4 n 4.* Probát, quia sacer ordo filium a patria potestate non eximit.

Hæc opinio probabilis est, sed opposita negativa, quam defendunt Molina tr. 2. de just. d. 228. vers. *Hic tamen effectus & tr.3.d.56.n.6. Layman l.1 sum tr.5.par.2.c.5.n.9. & Palaus d.3.p.23. §.3.n.8.* Probabilior videtur. Ratio est quia *in c. Suadente* generaliter prohibetur violenta injectio manuum in clericum: & nullibi conceditur patri filium in sacris constitutum punire: imó quando in *c. cum voluntate* conceditur punitio filij in minoribus constituti, per particulam (in minoribus) videtur tacité excludi punitio constituti in sacris.

Clericorũ punitio per quos facienda. Dubium est 2. an prælatis liceat suos subditos Ecclesiasticos punire per alium, qui sit clericus, vel laicus? In rigore juris, prout desumitur ex *c. Universitatis, de sent.excom. & c. non licet 86. distin.* negandum est: quia conceditur prælatis ut per se ipsos puniant, & non per alios, nisi urgente necessitate, & tunc non per laicum, sed per clericum. Episcopo autem ob altam ipsius dignitatem non permittitur punitio per se ipsũ: ideoque illius executionem clerico aut religioso, non autem layco, commitere debet.

Laicus verberãdum clericos. Dixi (in rigore juris) quia juxta *Molinam d. 51. n. 6. Suar. disp. 22. sec. 1. n. 44. Bellanum disp. 14. dub. 15. n. 191. & Bonacinam tom. 3. de censur. d. 2. q. 3. p. 6. sect. 4. n. 5* consuetudo jam obtinuit, ut prælati Ecclesiasticos subditos opera laicorum prehensos conjiciant in vincula, flagellent publicé: si opus fuerit, torqueant, & mittant in triremes. Accedit privilegium *Alexandri VI. & Leonis X.* quo prælatis regularibus concessum est, ut causa disciplinæ verberent religiosos clericos sibi subditos medijs alijs religiosis etiam laicis, seu conversis.

1986 *Magister puniens clericos.* Dubium est 3. an liceat magistris clericos discipulos punire per laicos? Videtur negandum: quia solis prælatis, & judicibus Ecclesiasticis permittitur fieri per laicos captura, tortura, & publica animadversio: non autem secreta punitio, quæ punitum non dedecorat: magistris veró solum conceditur secreta, atque adeo per ipsos, & non per alios laicos facienda.

Oppositum nihilominus satis probabiliter docent *Molina citat. d. 56. n. 8. Bellanus dub. 15. n. 192. Layman lib. 1. tr. 5. par. 2. cap. 5. n.9. & Palaus d. 3. p. 23. §. 3. n. 12.* Suadetur, quia hujusmodi correctio non prohibetur jure naturali: jure autem positivo (ut vidimus) solum interdicitur prælatis & Ecclesiasticis judicibus ne clericos, vel religiosos puniant medijs laicis. Non est igitur hæc prohibitio extendenda ad magistros.

Percussor clerici ex justo dolore. Secundus titulus ut percussor clericorum vel monachorum evitet censuram, est difficultas cohibendi dolorem, & vindictæ impetum, quo quis videt suam uxorem, matrem, sororem, aut filiam turpiter pollui ab aliquo Ecclesiastico. Habetur *c. si vero, de sent.ex com.* ex quo docent *Suar.d.22.sec.1.n.37 Molina tr. .d. 55 n 5. & Bonacina tom.3.d.2.q.3.pun 6 sec. 4. n. 8.* quanvis graviter peccent percussores tales Ecclesiastici, non incurrere cẽsuram. Ad alias personas non numeratas (inquit *Palaus cit.n.13*) nõ extenditur privilegium: quanvis Innocent. in c. dicto [illegible] extendat ad neptem & aviam.

Nomine uxoris venit conjux etiam non [illegible] cognita, ut præter citatos docet *Sãch. l.1. matr. disp. 1. n.6.* at nullo modo venit sponsa de futuro. Nomine matris, filiæ, & sororis venit quæ veré mater, soror & filia est, etiam illegitima: non veró quæ per adoptionem. Percussio quanvis omninó deliberata, & ita gravis sit ut mortem inferat, non inducit censuram: debet tamen fieri incontinenti. Nam si post delictum omninó commissum delinquentem quærat, & percutiat, cẽsuram incurret.

Dubium est an illam incurrat qui delictum commissurum de industria præstolatur, secretó observat, & venientem percutit? Affirmat *Layman lib. 1. tr. 5. par. 2. c. 5. n. 8.* Probat, quia indignus est Ecclesiæ benignitate, ut vitet censuram, qui sic percutit, cum posset facile, & deberet præsentis doloris occasionem removere. *Dolose percutiens clericum in[illegible]*

Negandum tamen est cum communi sententia, quam tenent *Molina cit. d. 55. ad finem Avila 2. p. de cens. cap. 5. disp. 3. dub. 13. casu 16. Bellanus disp. 14. dub. 15. n. 196. & Bonacina tom. 3. de censur. d. 2. q. 3. pun. 6. sec. 4. n. 6.* si absit dolus. Probatur, quia illa occulta expectatio, & secreta observatio non fuit occasio, ut veniens delictum committeret, sed ut non impedivit ut turpiter agens deprehenderetur. Dixi (si absit dolus) quia juxta citatos, incurreret censuram; si per fraudem adduceret delinquentem, ut deprehensum in delicto percuteret.

QUÆSTIO III.

Qua potestate absolvi possit clerici percussor.

1987 PRo quæstionis decisione notandum est 1. qualis sit, & qualiter proponatur reservatio hujus censuræ. Nam citato *cap. si quis.* habetur his verbis. *Et nullus Episcoporum illum præsumat absolvere nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.* *Reservatio [illegible]*

Notandum est 2. dari percussionem triplicem. aliam enormem, quæ etiam vocatur mediocris, & aliam levem, non quidem [illegible] vem in ratione culpæ, cum hæc debeat [illegible] lethalis, ut incurratur excommunicatio [illegible] respectivé, ad atrocem & gravem. [illegible] *[illegible] illorum, de sent. excom.* significatur e[illegible] ci capite posse dari percussionem [illegible]

Primum est quantitas nocumenti, clerici. Si id mutilatum reddatur, vel effusio sanguinis est copiosa. Nam loquitur de mutilatione, atque inutilitate membrorum.

Verùm (ut ibidem notat cit. *Suar. d. 22. sect. 1. n.* 85) dicitur quando vel membrum aliquod abscinditur, vel læsum inutile redditur. Ad effusionem sanguinis non sufficit fieri in magna quantitate, v.g. si effluat ex dispositione membri læsi, sive ex naribus ob earum flexibilitatem, sed requiritur quod proveniat ex gravitate læsionis: quod prudentis arbitrio relinquitur. Imò (ut benè notant cit. *Suar. n.* 85. *& Molina d.* 57. *n* 2.) esto parùm, vel nihil sanguinis effundatur, aut nullum membrum mutiletur reddaturve inutile, poterit percussio evadere non solum gravis, sed enormis v.g. si quis in obscuro & sordido loco per longum tẽpus detineretur, fustibus graviter tunderetur, aut pedibus conculcaretur.

Secundum caput est dignitas personæ percussæ. Ponitur exemplum in Episcopo consecrato vel electo respectu omnium, & in Abbate respectu subditorum: non tamen in illis semper quæcunque læsio est enormis: sed habenda est ratio personæ offendentis & circunstantiarum: & ab his personis ad alios in dignitate constitutas fieri debet argumentum, ita tamen ut læsio enormis sit minor ea aliarum. Dixi circunstantiarum) quia multum referet ex parte instrumentorum, si clericum palma extensa percutias in facie, si fuste tundas, si pede proculces. Ex parte loci, si percussio contingat in platea, foro vel publico conventu. Ex parte temporis, si quando sacerdos est in altari vel sacris indutus vestibus.

Gravis percussio est media inter enormem & levem. Levis est illa quæ cum sufficiat ad peccatum mortale, tamen non attingit gravitatem percussionis enormis vel gravis. Ex circunstantijs intelligetur. In dubio committitur judicium ecclesiastici, si absolutio præstanda est in utroque foro: si autem pro solo foro conscientiæ, committitur ei qui potestatem absolvendi habet.

1988 Dubium est 1. qui possint absolvere ab hac excommunicatione? Respondeo 1. cum citatis, quibus adhæret *Palaus d.* 3. *p.* 23. *§.* 4. *n.* 3. præter S. Pontificem posse in utroque foro absolvere a quacunque percussione Legatum a latere tam eos, qui sunt de provincia ad quam destinatur legatus, quam quosvis alios ad ipsum confluentes a die quo egreditur Romanam curiam usque ad diem quo regrediens ipsam ingreditur. Sumitur ex *c. excommunicato, de officio legati* ex quo etiam bene resolvitur legatum Nuncium, qui a latere non est, posse absolvere eos qui sunt de provincia suæ legationis & dum in ea existit & non alios: item legatum natum qualis est cui officium legati nascitur cũ dignitate alia v.g. archiepiscopali nihil posse nisi quæ ordinarij.

Respondeo 2 cum *Molina tr.* 3. *d.* 59. *n.* 2. ex *c. ... de sent. excom.* posse a censura incursam per percussionem levem Episcopum absolvere subditos in utroque foro. Difficultas est an extendatur hujusmodi potestas ad prælatos quasi habentes jurisdictionem quasi Episcopalem. Negant *Molina tr.* 3. *d.* 59. *n.* 2. *& Sa ... tr.* ... 4. *n.* 5. Probant: quia nullus Episcopo inferior a Pontifice appellatur frater, sed filius: Pontifex autem dictam potestatem cõmittit Episcopo ut fratri juxta verba textus, *Tua fraternitatis*.

Rectiùs affirmat *Palaus d.* 3. *p.* 23. *§.* 4. *n.* 4. extendi talẽ potestatẽ ad omnes qui habent jurisdictionẽ quasi Episcopalem. Quia si soli Episcopo quasi tali affixa foret, nec Episcopus eam posset delegare, nec ejus Vicarius generalis illam haberet, quod falsũ est. Respondeo 3. jure cõmuni attento nullũ præter Pontificẽ, ejus ve legatum posse absolvere ab excõmunicatione incursa ob percussionẽ clerici enormẽ, imò solũ gravẽ, exceptis casibus, quos expressè jus excipit. Est igitur.

Dubium 2. & non levis difficultas recẽsere & exponere hujusmodi exceptos casus. Verũ ante expositionem notandũ est 1. non esse impendẽdam absolutionẽ, quin prius excõmunicatus parti læsæ satisfaciat, quantũ cõmodè possit. Notãdũ est 2. quando quis ob temporale impedimẽtum adeundi Pontificẽ absolvitur, compellendũ esse prius, ut præstet juramentũ cõparẽdi postea coram Pontifice, vel ab eo potestatẽ absolvendi habente. Quod si postmodũ non cõpareat, in similẽ incidet censuram *c. eos qui de sent. excom. in* 6.

1989 Primus casus est impuberũ cujuscunque sexus. Hi enim juxta *c.* 1. *& c. quamvis, de sent. excom.* teste *Suar. d.* 22. *sect.* 1. *n.* 2. & *Bonac. t.* 3. *disp.* 2. *q.* 3. *p.* 6. *sect.* 5. *n.* 12. ob percussionem enormẽ absolvi possunt ab Episcopo, etiam si post pubertatẽ absolutionẽ petant. Nec indultum extenditur ad eos qui statim post pubertatem committunt talem percussionem. *Pueri clericum percutientes.*

Secundus casus est fæminarũ cujuscunque cõditionis & ætatis: hæ enim quanvis enormiter clericum percusserint, & Sedem Apostolicam adire potuerint, a suo prælato absolvi poterunt. Quia jus *c. mulieres, de sent. excom.* judicat periculosam mulierum peregrinationem. Quod procedit a fortiori in monialibus: & habetur *c. de monial. lib. de sent. excom.* *Fæminæ percutientes.*

Tertius casus est religiosorum ejusdem monasterij qui se percutiunt. Hi enim juxta *c. monachi, de sent. excom.* possunt absolvi a supremo prælato ejusdem conventus, nempe Rectore, Præposito Abbate, Priore, vel Guardiano, & a fortiori a Provinciali & Generali. Quod intelligitur si percussio sit levis aut gravis. Si enim sit enormis, ad Pontificem recurrendum est, ut ex *c. canonica, de sent. excom.* docent *Molina tr.* 3. *d.* 60. *n.* 1. *& Sayrus l.* 3. *c.* 28. *n.* 10. Quid si subditus percutiat Abbatem, vel Abbas subditum? Benè respondet *Suar. d.* 22. *sect.* 1. *n.* 7? Abbatem gaudere illo privilegio ut a suo prælato regulari absolvi possit, non verò subditum. Quia non semper percussio quasi subditus, sed sem- *Religiosi se percutientes.*

 per

per quā Abbas percutitur, enormis censetur. Idē dicendum est (inquit *Palau d.3 p.23.§.4 n.3.*) de commendatarijs ordinis S. Ioannis, cum per priorem ejusdem conventus possint absolvi instar aliorum religiosorum.

Cōmendatarij se percutientes.

Quid si regularis percutiat regularem sub alio prælato constitutum? Bene resolvunt citati authores ex *c. cum illorum*, esse absolvendum a suo prælato, præsente tamen offensi prælato, ut ex consensu utriusque satisfactio injungatur. Poterit etiam prælatus offensi committere suas vices prælato offendentis, ut ipse suo arbitrio condignam pænam injungat. Si autem prælatus offensi pænam exigat graviorē ea, quam designat prælatus offendentis, tertius arbiter eligendus est, qui cum ipsis judicium ferat. Semper autem absolutio, pænæ impositio & executio competet prælato offendentis utpote illius superiori.

Quid si regularis percutiat secularem clericū? Juxta *Molin d.60.n.4 ex c. religiosi de sent. excom. in 6.* juncto *c. cum illorum, eod. tit.* non a suo prælato præsente Episcopo, sed ab ipsomet Episcopo tātum poterit absolvi, modo fuerit levis percussio.

Regularis percutiēs secularē clericum.

Novitius sive ante ingressum, sive post, religiosum, vel secularem clericum percutiat, absolvi poterit ab eodem prælato, quo possunt absolvi religiosi ejusdem domus, ea differentia, quod si è monasterio ante professionem egrediatur, Sedi Apostolicæ se præsentare tenebitur: alioquin incidet in similem excommunicationem.

Novitius percutiēs.

Monet bené *Palau citatus n.10.* hactenus dicta de religiosis, debere intelligi spectato jure cōmuni. Si enim spectentur eorum privilegia specialia, omnes religiosi possunt ab omni excommunicatione, etiam contracta ob enormem læsionem a suis prælatis absolvi, ut habetur ex *Privilegio* Minorum v. absolutio ordinaria ad fratres §.13. & ex cōpendio Societatis verbo *Absolutio.*

Absolutio ex privilegio speciali.

1990 Quæritur obiter, an regulares exempti possint absolvi ab hac excommunicatione, sicut ab alio quolibet peccato per Episcopum, seu ejus vicarium sicut possunt regulares non exēpti? Constat posse absolvi ex consensu sui prælati habentis potestatem absolvendi Quia tunc censetur tacite delegare. Quid si impotens sit ad absolvendum, & nolit consentire ut Episcopus absolvat? Bené docet *Sāch. l.4. Dec. c.39.n. 35.* posse absolvi. Quia Pontifex censetur nolle destituere remedio exemptos quo non exempti fruuntur.

Regiosi exempti an possint absolvi ab Episcopo.

Major est difficultas, an religiosi exempti prælato potente absolvere: possit idem religiosus eo inconsulto, vel renuente subjici Episcopo pro absolutione impetranda? Videntur affirmare *Ligna[illegible]* & alij relati a *Sylvest. v. absolutio 5 n.2.* Quia exemptio data fuit in favorem, proindeque non debent exempti esse deterioris conditionis quam non exempti.

Negandum tamen est cum *Sanch. l.4. [illegible] c. 59.n.19. & Molin d.61 [illegible].* Quia illud exemptionis privilegium [illegible] concessum fuit in favorem singulorum, [illegible] totius religionis, proindeque singuli [illegible] cedere nequeunt. Quid si

regularis præ[illegible] per [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], si justé non valit, [illegible] [illegible] absolvi a [illegible] S[illegible], & [illegible] injustitia [illegible] se subjici [illegible] ut ab eo [illegible].

Quartus casus est clericorum [illegible] commorantium, sive vivant ex communibus redditibus, uti in collegijs academicorum, & Seminarijs Tridentini, sive conferat unusquisque ad suam sustentationem, uti in convictorijs scholasticorum. Hi enim juxta *c. quoniam [illegible] & [illegible] honest. cler.* ut tradit *Sayrus l.3.c.28.n.26.* cum facilius ratione vitæ communis irascantur, manentque obnoxij percussionibus, absolvi possunt ab Episcopo ob percussionem gravem, modó non sit enormis. Ita *Suar. de cens. disp. 22. sect.1.n.71.* Unde caute legenda est Summa Dianæ *V. Excommunicationes aliquot n.4.* loquens de reservatione harum percussionum, & præbens occasione erroris his verbis: *Si percussio* (inquit) *est gravis est reservata Episcopo, si enormis, Papæ.* Quæ distinguat & limitet ad clericos collegialiter viventes.

Clerici [illegible] [illegible] [illegible]

Quintus casus est janitorum, ostiariorum, meirinorum, & similium qui prætextu sui officij clericum etiam animo injuriandi percutiunt. Hi enim juxta *c. si vero de sent. excom.* ab Episcopo possunt absolvi, quamvis percussio sit gravis dū modó non attingat enormitatem. Ita *Palaus d.3 pun.23.§.4.n.16.* ubi addit idem esse dicendum de officiali, seu apparitore alicujus potestatis etiam laicæ, qui arcendo turbam ex aliqua negligentia, non tamen ex proposito clericum percutit. Secus esset, si quis arrogando sibi officium in defensionem ostij non sibi commissi Ecclesiasticum percuteret. Ita *Molina d.62.n.2.* Talis enim ab Episcopo absolvi non posset, esto percussio quoad læsionem corporis levis esset. Quia respectu Ecclesiastici status gravis injuria est.

Ostiarij [illegible] [illegible] percutientes.

1991 Sextus casus est mortis articulus, cujus nomine venit grave periculum, ex quacunque causa proveniat. Tunc enim potest Episcopus, & hoc deficiente quicunque sacerdos absolvere a quacunque percussione, ita tamen ut exigatur juramentum de comparendo, cum primum posset, coram Pontifice, vel habente ab eo potestatem absolvendi. Ita *Molin d.63 fine Coram c. Alma 1.p.§.11.n.8. & Sayrus l.3.[illegible].c.28.n.16.* qui addunt, si noluerit postmodum comparere, in similem excommunicationem incidere.

Articulus mortis ad absolutionem [illegible].

Septimus casus est non solum extrema, sed etiam quælibet necessitas gravis quæ reddat notabiliter difficilem recursum ad Pontificem, vel ejus legatum. Tunc enim potest Episcopus absolvere. Ad praxim solet assignari multiplex necessitas [illegible] 1. Si quis laboret tertiana vel quartana [illegible] alio simili morbo 2. si sit debilis, aut [illegible] membro aliquo ad iter necessario 3. si [illegible] delicatus, ut nequeat [illegible] laborem itineris 4. si sit [illegible] [illegible] [illegible] comparare

de[illegible] non solitus 5 [illegible] quæ occisserit ultra [illegible] annum [illegible] si [illegible] penitus [illegible] [illegible] pertinet [illegible] quales in servis, [illegible] Romam [illegible] gravi damno eorum [illegible] [illegible] necessitas vitandi grave [illegible] [illegible] si ob cujus discessum uxor & familia graviter laborabit. In parocho & [illegible] civitatis si subditis deleetant. Ita *Bonacina tom. 3. de censur. in part. disp. 2 q 3 pun. 6 sect.* 5 n. o [illegible] Sex *Navarro c. 27 n.* [illegible] *Molina* [illegible] 4 n. 6.

Observandum est 1. cum citatis, in prædictorum [illegible] absolutione oportere n[illegible] quibus ad solvendi [illegible] fuerint comperatores delicti, ut habetur in *c. mulieres, & c. relatum de sent. excom.* Observandum est 2. prædictos omnes, quanvis post [illegible] absolutione ad Sedem Apostolicam mittere adhuc posse ab Episcopo absolvi. Quia jus non imponit excommunicato obligationem mittendi, sed solum comparendi, si possit.

PROPONUNTUR DUPLICI SYLLABO EXCOMMUNICATIONES In particulari quæ Summo Pontifici sunt reservatæ, & quæ non sunt reservatæ, quarum lenta explicatio petenda est a Suarez de censur. disp. 22 a sect. 2. Bonacina tom. 3 disp. 2. Sayro lib. 3. cap. 29. Filliucio to. 1 tract. 15 sed præcipue a Castro Palao de censur. d. 3. a pun. 24.

SYLLABUS PRIOR
De excommunicationibus Summo Pontifici reservatis.

§. 1.

Numerantur contenta in quinque libris Decretalium.

1992 PRIMA habetur in *c. querenti, de offic. deleg.* ubi excommunicatus a delegato Pontificis, eo quod ejus sententiæ definitivæ parere noluerit, si per annum in excommunicatione perseveraverit, absolutio illius Pontifici reservatur. *Palaus p. 24 n. 1.*

Secunda habetur in *c. dura, de crimine falsi* in hæc verba: Statuimus ut generalem sententiam excommunicationis promulgatis, quam per singulas parochias faciatis frequentiùs innovari. Quòd si quis falsas litteras se habere cognoscit intra 20. dies litteras illas aut destruat, aut resignet, si pœnam excommunicationis voluerit evadere, quam nisi forsan in mortis articulo sine speciali mandato nostro a quo quam nolumus relaxari, nec etiam si præsumpta fuerit contra hoc absolutio quiquam habeat firmitatis. *Palaus pun. 24 n. 2*

Tertia fertur in *c. significavit de sent. excom.* adversus clericos qui cum excommunicatis a Pontifice participant in officijs divinis scienter & [illegible]. *Palaus, pun. 24. n. 3.*

Quarta lata est in *c. clerici de immun. Eccles.* adversus imponentes exigentesque tributum a personis Ecclesiasticis. *Palaus pun. 24 n. 4.*

[illegible] ex *c. tua nos, de* [illegible] consultus Pontifex, an illi tantum qui manus violentas in clericum injecerunt, sint ab ipso absolvendi, [illegible] [illegible] respondemus quod non solum qui in clericos [illegible] manus injiciunt, sed etiam licentiam [illegible] ex quo [illegible] per Ecclesiam [illegible] pro absolutione [illegible] ad Apostolicam Sedem [illegible] *Palaus p.* [illegible]

[illegible] sumitur ex [illegible] 2. de sent. excom. ubi canonici Reginen Ecclesiæ conquesti sunt Pontifici quod Malafrena ejusq; sequaces quasdam Ecclesias Reginensis Episcopatus violenter confregerunt, easque spoliare minime dubitaverunt. Cui querelæ respondet Pontifex: Mãdamus quatenus si est ita memoratos sacrilegos excommunicatos nuncietis, & faciatis sicut excommunicatos arctiùs evitari, donec passis injuriam congrue satisfaciant, & damna pro eis data resarciant, & cum litteris vestris rei veritatẽ continentibus Apostolico se conspectui præsentent. *Palaus d. 3. p. 24. n. 10.*

§. 2.

Numerantur contenta in sexto libro Decretalium.

1993 PRIMA habetur *c. fundamenta, de elect. in 6.* ubi præcipit Nicolaus 4. ne Imperator, Rex, Marchio, aliique quicũque notabilis præeminentiæ, dignitatis, seu excellentiæ, eorumque fratres, filij ac nepotes sine licentia Sedis Apostolicæ nominationi, electioni, vel assumptioni in Senatorem, Capitaneum, Patriciũ, aut Rectorem Urbis Romæ assentiant vel se intromittant per se vel per alios. A quo præcepto excipit eos, qui originem trahunt ex urbe, aut in ea continuam habent habitationẽ etiam si prædictorum fint, aut nepotes sint: quin imo etiam si comitatum, aut baroniam habeant extra urbem, dummodo inferioris conditionis, & excellentiæ sit supradictis Romanis dignitatibus, ut merito ex illius usu nullum dignitatibus Romanis præjudicium timeri possit.

Deinde statuit, ne ullus in prædictas dignitates eligatur ultra annum absque expressa Sedis Apostolicæ licentia in scriptis obtenta.

Qui ergo contra prædictam constitutionem nominant, eligunt, vel assumunt aliquos ad prædicta officia, vel nominationi, electioni, assumptioni [illegible] ultra annum consentiunt, ut [illegible] quomodolibet intromittunt, aut in[illegible] ve eis assumptis, vel eis auxilium, consilium, vel favorem publicè, vel occul-

 té

té præstant, ipso jure excommunicantur. *Palau cit. pun. 25. n. 1. & tract. 3. disp. 25. n. 29.*

Secunda [illegible] *Clem.* [illegible] *Eccles.* in 6. ubi tam imponentes tributa Ecclesiasticis personis, quam solventes excommunicantur. At Quoad personas solventes sublata est hæc excommunicatio in *Clem. quoniam* eodem tit. Pal. n. 2.

Tributa Ecclesiæ.

Tertia habetur in *c. Felicis. de pænis in 6.* contra eos qui Cardinalem S. Romanæ Ecclesiæ ausi fuerint hostiliter insequi, percutere, capere, associare hæc facientem, aut fieri mandantem, ratū ve habere hujusmodi delictum, consulere, favere, receptare, seu scienter defendere delinquentem. *Palaus n. 3.*

Quarta habetur in *c. quicunque de sent. excom. in 6.* adversus eos qui ob censuram excommunicationis, suspensionis, vel interdicti latam dederint alicui licentiam occidendi capiendi, seu aliâs in personis, aut bonis suis, vel suorum gravandi eos, qui dictas sententias protulerunt, sive quorum sint occasione prolatæ, vel easdem sententias observantes, seu taliter excommunicatis cōmunicare nolentes (nisi licentiam ipsam reintegra revocaverint;) vel si ad bonorum captionē occasione ipsius licentiæ sit processum, nisi bona ipsa fuerint infra octo dierum spatium restituta, aut satisfactio pro ipsis impensa.

Excōmunicatio contra impedientes censuras.

Eadem quoque sententia innodantur omnes qui ausi fuerint prædicta licentia data uti, vel aliquod præmissorum ad quæ committenda dari licentiam prohibitum est, aliâs committere suo motu. Qui autem in eadem sententia permanserint duorum mensium spatio ex tunc ab ea nequeant absolvi ab alio quam Romano Pōtifice Pal. n. 6.

§. 3.

Numerantur contentæ in libris Clementinarum.

1994 PRIMA habetur in *Clem. 1. §. verum, de hæreticis* adversus Inquisitores Episcopo inferiores, eorumque vices gerentes, si in officio suo ita deliquerint contra justitiam, & conscientiam, ut non procedant adversus hæreticum, vel de hæresi suspectum eo casu quo procedere tenebantur: vel alicui falso imposuerit hæresim, illius vel suspicionem, vel impedimentū officii Inquisitionis exequendo apposuisse: dūmodo ad has actiones præstandas moveantur odii, gratiæ vel amoris, lucri, aut commodi temporalis obtentu: non autem ex timore, metu, aliove fine. *Pal. pun. 25. n. 1.*

Inquisitores in suo officio delinquētes.

Secunda in *Clem.* [illegible] *de privil.* ubi Clemens V. in concilio Viennensi ita habet: Religiosi qui clericis, aut laicis Sacramentum Unctionis extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, matrimonia vel solemnizare non habita super his parochialis presbyteri licentia speciali, aut qui excommunicatos [illegible] a jure expressis, vel per privilegia Sedis Apostolicæ [illegible] concessis [illegible] provincialibus [illegible] & cul-

pa absolvere quenquam [illegible] Tertia ipso facto excommunicationis [illegible]

Tertia habetur in *Clem. 1. si quis* [illegible] pœnis contra eum qui Pontificem [illegible] temere percusserit, aut ceperit, [illegible] hæc mandaverit fieri, aut facta ab aliis rata habuerit (si nomine ipsius fuerint facta) [illegible] cat Glossa vel socius eorum fuerit, consilium, vel favorem dederit, aut scienter defensaverit. *Palaus n. 19.*

Quarta habetur in *Clemen. Cupientes. 1. tit. de* pœnis contra Religiosos, & clericos sæculares qui quenquam ad vovendum, jurandum, vel fide interposita seu alias promittendum inducunt, ut sepulturam apud eorum Ecclesiam eligant, vel jam electam ulterius non mutent. n. 21.

Quinta habetur in *Clemen. Gravis, de sent. excom.* ubi Clemens V. occasione quorundam qui in terris suis violate interdictum variis modis procurabant, in hæc verba statuit. Ne igitur excessus sic graves excedentium impunitione trahantur ab aliis in exemplum, præsumptores præfatos qui locis interdicto suppositis quenquam de cætero divina celebrare officia quomodolibet cogere: Aut qui modo prædicto ad officia eadē audienda aliquos excommunicationis præsertim, vel interdicti ligatos sententia evocare. Seu qui ne excommunicati publicé, aut interdicti de Ecclesiis, dum in ipsis aguntur solemnia a celebrantibus moniti, ut exeant, prohibere. Nec non excommunicatos publice & interdictos, qui in Ecclesiis nominatim a celebrantibus, ut exeant moniti remanere præsumpserint. *Palaus d. 3. pun. 26. a n. 24.*

Interdicti violatores.

§. 4.

Numerantur contentæ in libris Extravagantium.

1995 PRIMA habetur in Extrav. *Salvator, de prebendis* ubi Joannes XXII. fert excommunicationem, suspensionem & interdictum contra rebelles constitutionibus a se factis circa Ecclesiam & Episcopum Thelonensem.

Secunda in Extrav. *Detestandæ de Sepulturis*, ubi Bonifacius VIII. excommunicat omnes fideles qui corpus defuncti cujuscunque conditionis sit, truculenter exenterant, ac illud membratim, vel in frusta immaniter concidentes candidequeter aquis immersa exponunt ignibus decoquenda: & tandem ab omnibus tegumento carnis excusso eadem ad partes alias mittunt, seu deferunt tumulanda. *Pal. p. 27. n. 2.*

Cadaverum sectio.

Tertia habetur in Extrav. *Sacer regum.* quæ incipit *Inter cunctas sollicitudines*: ubi Martinus V. conservationi ordinum mendicantium providere, excommunicat ipso facto quoslibet religiosos ordinum mendicantium, qui sine licentia speciali Sedis Apostolicæ virtute aliquorum indultorum vel indulti ad religionem S. Benedicti, Cisterciensium, Camaldulensium, Vallisumbrosæ, Canonicorum regularium S. Augustini [illegible] exi-

excipientes eidem excommunicationi subjicit. *Pal.p.17.n.6.*

Quarta in Extrav. *ad nostram, de regul.* fertur a Joanne tum adversus religiosos cujuscunque ordinis, qui ad partes ultramarinas, ubi pauci fideles versantur, se conferunt absque expressa suorum superiorum licentia, sibi per ipsius litteras patentes concessa. Tum adversus superiores licentiam hujusmodi cõcedentes alijs sui ordinis fratribus, quam viris litteratis, providis & expertis. Intendit enim S. Pontifex periculum perversionis tum euntium, tum fidelium in illis terris commorantium præcavere.

Religiosi vagantes.

Quinta fertur in Extrav. *Grave nimis, de reliquijs & venerat. Sanct.* ubi Sixtus IV. ipso facto excommunicat primò eos qui damnatas a se assertiones veras esse affirmarent, scilicet hæresim vel peccatum mortale committere qui credit, aut tenet Beatissimam Virginem fuisse ab originali peccato præservatam.

Conceptio B. Virginis.

Sexta habetur in Extrav. *Sané*, quæ est prima *de Simonia*, contra eos qui ob ingressum religionis ex pacto aliquo, & conventione tacita vel expressa, ad sui aliorumve sustentationem, aut ad aliquum pium usum aliquid dant, vel recipiunt *Palaus d.3 p.27.n.13.*

Simonia in ingressu religionis.

Septima datur in *Extrav. 2. cum de testabile de Simonia*, in qua innovantur omnes pœnæ adversus Simoniacos in antiquioribus canonicis latæ, adversus eos qui Simoniam realem committunt: de ijs enim textus loquitur, non de Simoniaca mentali, vel conventionali, ideoque necessarium est, ut datio, & receptio rei spiritualis intercedat. *Palaus cit.n.15.*

Octava in Extrav. *& si dominici gregis 2. de pænit. & remiss. in 6.5.* fertur contra eos qui prætextu facultatum ab ipsomet Pontifice concessarum, vel concedendarum sive litteris, sive verbo, etiam si Generales sint, tentaverint a casibus reservatis ibi expressis, & in Bulla cænæ absolvere & commutare vota peregrinationis ultramarinę, & visitationis liminum Apostolorum Petri & Pauli, & S. Iacobi in Compostella, & castitatis ac religionis. *Pal.n.16.*

Absolutio a reservatis punitur.

Nona in Extrav. *Excommunicamus 1. de sent. excom.* ubi Bonifacius VIII. ipso jure excommunicat omnes utriusque sexus, sive clericos, sive laicos, sive religiosos qui aliquid dant, vel recipiunt: vel promissionem aliquam tacitam vel expressam etiam sub verbis generalibus dandi, vel recipiendi pro obtinenda aliqua gratia vel justitia sibi aut alijs in causis vel judicijs, seu alias per litteras Apostolicas, & quibuscunque modis apud Sedem Apostolicam obtinenda præstant. Insuperque illos qui aliquid scienter culpabile in prædictis, & Pontifici intra dierum trium spatium per se vel per nuncium non retulerint, ac tandem ipsa gratia vel justitia scienter utentes eadem excommunicatione innodantur. *Pal.d.3. p.[illegible] n.17*

Simonia confiata.

Decima in Extrav. Ioann. 22. *cum cres[illegible]ente ma[illegible] p[illegible]u*, fertur adversus commorantes in provincia Marchiæ Anconæ, qui ejus rectores, seu officiales, judices, thesaurarios, seu locum eorum tenentes occiderint, vulneraverint, captivaverint, ceperint, detinuerint, insecutive fuerint, vel intuitum fecerint contra aliquem eorum, vel in locum ubi moram trahunt & adversus eos qui in prædictis auxilium, consilium, vel favorem præstiterint, Pal. cit. n. 32.

Undecima addi potest ex Extrav. *Divina de privil.* ubi Eugenius IV. excommunicationi, suspensioni, & interdicto subjicit Episcopos, aliosque prælatos qui venientes ad Romanam curiam causa negotiorum, beneficijs privant & alijs cõferunt, & eisdem pænis afficit recipientes.

§. 5.

Quæ sunt extra corpus juris contra Episcopos, Cardinales, prælatos, & officiales Ecclesiasticos.

1996 PRIMA fertur a Iulio 2. in Bulla quæ incipit, *Cum tam divino*, adversus S. R. Ecclesiæ Cardinales, qui Sede vacante in electione Summi Pontificis Simoniam commiserint promittendo, vel recipiendo. Vide reliqua apud Palaum pun. 28. a n. 1.

Secunda habetur in Bulla Pauli IV. quæ incipit *Cum secundum Apostolum*, ubi Pontifex ob cavendum periculum captandæ mortis Pontificis statuit sub excommunione sibi reservata, alijsque pænis, ne quis vivente Pontifice procuret media Simonia in Pontificem eligi, subornando vota, & fidem a Cardinalibus exigendo &c. apud *Palaum pun. 28. n. 2.*

Cardinales.

Tertia continetur in Extrav. Gregor. X V. quã confirmavit Urbanus in Bulla quæ incipit: *Æterni Patris*, ubi Cardinalibus sub pæna excommunicationis reservatę præscribitur forma eligendi S. Pontificem Sede vacante, & aliter facta electio irrita decernitur, complicesque & fautores hujus irritę electionis, tametsi Cardinales non sint, eidẽ excommunicationi subjiciuntur *Palaus n. 3.*

Quarta fertur a Leone X. in Bulla 7. edita anno 1514. quæ incipit *Superne dispositionis arbitrio.* & refertur in Concilio Lateranensi, ubi statuitur ne quis Cardinalium vota in consistorio data, & quęcunque ibi gesta aut dicta, quæ in odium, aut in præjudicium, aut scandalum alicujus redundare possint, scripto aut verbo, aut quovis alio modo revelet, sub pæna perjurij &c. *Pal. n. 4.*

Conclavi Cardinales.

Quinta lata a Greg. XIV. in Bulla quæ incipit: *Cogit nos* & est confirmatoria Bullæ Pij IV. incipientis *In eligendis*, ubi Pontifex prohibet omnibus cujuscunque gradus, & dignitatis, etiam Imperialis, & Cardinalitiæ sub excommunicatione reservata ne promissiones, stipulationes, cõventiones, aut pacta, aut contractum aliquem sive nominatum, sive innominatum faciant super vita aut morte, aut super futura creatione Summi Pontificis vivente ipsomet Pontifice, aut vacante Sede Apostolica, aut super promotione Cardinalium. *Pal. n. 5.*

Cõclavis.

Sexta fertur in Bulla Pij IV. quę incipit *In eligendis*,

genda, ubi Pontifex sub excommunicatione ipsi reservata prohibet litteras aut cujuvis generis scripta ad eos qui in Conclavi erunt, seu nunciũ vel notam, aut signum mittere, aut recipere, aut e contra é conclavi ad eos qui foris erunt. *Palao n. 6.*

Septima fertur a Pio V. in Bulla quæ incipit: *Quanta*, ubi Episcopos, & quoscunque alios qui contra formam ibi præscriptam beneficia conferunt, suspendit. Quod si suspensionem ipsam violaverint, excommunicationi sibi reservatæ subjicit. *Pal n. 7.*

Beneficiorum collatio.

Octava fertur in Bulla Pij V. quę incipit *In omnibus rebus* ubi Pontifex ut rectæ, & puræ expeditioni sacrę pænitentiariæ consuleret, statuit ut illius officiales officia sua per se ipsos tum diligẽter, tum etiam fideliter exerceant solique præsentes, & actu exercentes nisi legitimè impediti fructus & emolumenta percipiant *Pal n. 8.*

Pænitentiariæ officiales.

Nona habetur Extrav. Pauli 3. quæ incipit *Cũ sicut accepimus*, & fertur contra thesaurarios, mercatores, aliosque ministros Cameræ Apostolicæ, computa administrationum, locationum, affectuum, partitorum, & exactionum reddere debentes, si hujusmodi computa videlicet integrũ debitum, & integrum creditum non descripserint, vel si aliquid penes se, aut eorum ministros, aut ab eis dependentes retineri facere directè, vel indirectè quovis quæsito colore visi fuerint, vel si coacti per Cameram Apostolicam ad reddendam rationem de exactis, vel administratis ante tempus finitum, vel durante exactione; integrè non descripserint totum id quod tempore dationis rationis, seu computorum ad eorum, vel ministrorum, vel agentium suorum manus pervenit. *Palaus p. 28. n. 9.*

Computorum ministri.

Decima habetur in Extrav. Pauli II. incipit *Munera* confirmata a Sixto IV. in Bulla quæ incipit *Etsi*, prohibet ne Rectores, & gubernatores, aliique officiales Romanæ Ecclesiæ, vel etiam Legati a latere ad regimen, & gubernationem provinciarum, civitatum, ac terrarum Romanæ Ecclesiæ deputati, vel deputandi a provincijs, civitatibus, vel terris quibus præsunt, vel officia exercent, aut a singularibus suę legationis regimini, vel gubernationi suppositis aliquod genus muneris, aurum, argentum, vestem aut equum, vel alterius cujuslibet speciei accipiant præter esculenta quæ intra biduũ consumi possunt: alioqui tam dantes quam recipientes etiam si Pontificali fulgeant dignitate (dummodo nõ sint S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui in sacro collegio coram Pontifice sponte sua obtulerint, & promiserunt non recepturos hujusmodi munera) ipso facto sint excommunicati. *Pal. n. 10.*

Munera recipere.

§. 6.

Quæ sunt extra corpus juris contra clericos & religiosos?

Immunitas ecclesiastica.

1997 PRIMA habetur in Bulla Martini V. quæ incipit *Ad reprimendos*, contra personas Ecclesiasticas cujuscunque dignitatis quæ aliam personam Ecclesiasticam, ea regione vel conventum in actione reali, mixta, vel personali civili, vel criminali, etiam occasione cujuscunque summissionis etiam juramento vallatæ, vel aliàs ad forum seu judicium laicale directè, vel indirectè trahere præsumpserint. Deinde excommunicantur ipsi judices seculares jurisdictionem in Ecclesiasticos exercentes, & omnes alij qui prædictæ actioni cooperati fuerint mãdato auxilio, consilio vel favore, aut eam ratam habuerint suo nomine & mandato factam. *Palaus p. 29 n. 1.*

Secunda fertur a Pio IV. & confirmatur a Pio V. in Bulla *Intolerabilis* contra eos qui beneficia conferunt, eligunt, vel præsentant, seu resignant animo declarato, ut beneficium sibi vel alteri resignetur, vel fructus in totum, vel in parte solvantur. Quæ dicitur *Simonia confidentialis Pal. n. 2.*

Simonia confidentialis.

Tertia a Pio IV. in Bulla *Inter multiplices* fertur adversus clericos Episcopo inferiores, qui obtinentes a Pontifice Ecclesias parochiales cum juramento illis intra certum tempus personaliter inserviendi juramentum non ad implent.

Item adversus eos qui prædicta beneficia resignant, permutant, vel cedunt quavis causa, & occasione, & adversus eos qui ea beneficia resignata, permutata, vel cessa acceptant, & recipiunt. Quin imo adversus omnes illos, sive clerici, sive laici sint, qui in prædictis auxilium, consilium, vel favorem scienter præstiterint. *Pal p. 29 n. 3.*

Beneficiorum resignatio.

Quarta fertur a Leone X. in Bulla quæ incipit *Superna majestatis*, contra omnes tam sæculares, quam regulares, qui sacram scripturam contra proprium sensum ab Ecclesia approbatum explanare & prædicare præsumpserint. Palaus p. 29. n. 4. apud quem n. 6. Vide alias excommunicationes Pontifici reservatas quas tulit Summus Pontifex in favorem privilegiorum regularium *Suar. d. 22. sect. 5.*

S. scriptura interpretatio.

§. 7.

Quæ sunt extra corpus juris communes omnibus personis.

PRIMA fertur a Leone X. in Bulla quæ incipit, *Inhærentes* & est confirmatoria Bullæ Innocentij Octavi incipientis, *Cum sicut*, contra eos qui ut litteras Apostolicas gratis impetrent, ex toto vel ex parte se fingunt nepotes fratres familiares aut continuos commensales Vicecancellarij aut aliorum Cardinalium vel Abbreviatorum seu scriptorum eorundem aut aliarum personarum quarumcunque ex quibus . . . . . atibus & privilegijs sive ex antiqua consuetudine hujusmodi litteras ipsas in toto vel in parte gratis expedire solent. Eidem excommunicationi . . . . officiales præmissa fieri procurantes, seu permittentes.

Secunda referri potest a Sixto II. in bulla quæ incipit *Cum primum* ubi Pontifex excommunicat omnes cujuscunque conditionis & dignitatis sint qui ex Ecclesijs almæ urbis lapides vel ornamenta

[illegible] ablata habuerint. Item qui fur- [illegible] servando auxilium, consilium, vel favorem [illegible] Palaus [illegible] 30. n. 2.

[illegible] in libro Pœnitentiarij summi, & fer- tur a Pontifice contra eos qui ad sepulchrũ Domini causa devotionis sine licentia Papæ accesserint. At non videtur esse in usu ut Palaus cit. n. 3 tradit ex *Bonacina tom. 3. censur. disp. 2 q. 3. p. 13. num. 4.*

Quarta fertur a Julio 2. in Bulla quæ incipit *Et si ad [illegible]* contra omnes qui personas de jure communi religionem ingredi non prohibitas Congregationem B. Mariæ montis Oliveti ingredi volentes prohibuerint, & verberibus, alijs ve molestijs affecerint. Palaus cit. n. 4.

Quinta a Bonifacio 9. Eugenio 4. & Paulo 4. in favorem ordinis prædicatorum, & Franciscanorum fertur contra omnes qui dicunt hos ordines non esse in statu perfectionis, & eorum fratribus non licere eleemosynis vitam sustentare, aut concionari, aut confessiones audire de licentia Pontificis. Item qui præfatos religiosos ejiciũt ab Universitate Parisiensi. Item qui violentiam inferunt locis prædictorum, eosque impediunt ne possint in suis Ecclesijs celebrare, prædicare, aut eleemosynam recipere. Item qui Apostatas prædictorum ordinum recipiunt, nutriunt, aut auxilium consilium vel laborem præstant. Tandem qui libellos famosos seu cantilenas adversus prædictos ordines edunt, retinent, vel evulgant. Pal. num. 5.

Sexta refertur ex Pio IV. in Bulla quæ incipit *Apostolicæ* contra deferentes alumina e terris infidelium ad terras fidelium catholicorum. Videtur usu abrogata. Palaus p. 30. n. 6.

Septima habetur in Bulla Julij 3. quę incipit *Rationi congruit*: & fertur contra eos qui executionem litterarum S. Pęnitentiariæ injuste impediunt, aut prædicto impedimento auxilium, consilium, vel favorem præstant. Palaus cit. num. 7.

Octava Pauli IV. in Bulla quæ incipit *Inter cæteras curas*, ubi Pontifex excommunicat 1. simulantes alterius personam seque pro illo examini subjicientes causa beneficij consequendi 2. impetrantes beneficium pro alio etiam eo ignorante, sub spe recipiendi ab illo pensionem, aut aliquod commodum temporale pravitate Simoniæ interveniente 3. eos qui pro se ipsis beneficia impetrant animo tamen illa resignandi in favorem aliorum. *Palaus n. 8.*

N[illegible] a Pio V. quam Urbanus VIII. confirmavit in Bulla quæ incipit *Sacrosancti*, ubi Pontifex excommunicat omnes & singulos cujuscunque dignitatis & ordinis etiam Episcopalis & Cardinalis qui sub quocunque prætextu tractaverint, consiliati [illegible] aut alias verba fecerint de infeudandis & alienandis civitatibus, & locis [illegible] Apostolicam immediatè pertinentibus. Pal. n. [illegible]

[illegible] Pio V. in Bulla quæ incipit, *Cum [illegible]* [illegible] censuras [illegible] Pontifex ibi singulares personas excommunicationi Ecclesias, capitula, conventus, monasteria interdicto subjicit, eo quod scripturas Cameræ Apostolicæ retinuerint aut retentores non revelaverint. At juxta *Bonac. tom. 3. d. 2. q. 3. p. 11. n.* jam non extat. P.

Undecima est Pij V. in Bulla quæ incipit *Quam plenum*, in qua inferiores Episcoporum excommunicatione reservata ligantur: Episcopis vero, eorum superioribus & Cardinalibus suspensio ab ingressu Ecclesiæ, & a perceptione fructuum indicitur, si pecuniam solventibus indulgentiã publicent, facultatemque absolvendi a casibus reservatis concedant. Pal. n. 11.

Duodecima habetur in Bulla Pij V. quæ incipit, *Durum nimis* adversus eos qui occasione novæ provisionis, seu possessionis canonicatuum, seu beneficiorum in cathedralibus, seu collegiatis Ecclesijs consistentium, aliquid petunt, exigunt vel recipiunt sibi, vel alijs applicandum, fructusque beneficiato proventuros inter se dividunt. Palaus num. 12.

Decima tertia in Bulla Pij V. quæ incipit *Licet omnibus*, fertur contra sacri fœderis militem, sive quemcunque aliũ qui Christianos in locis Turcarum inventos ceperit, aut in servitutem redegerit, ipsosve invitos ad remigandum coegerit, etiam mercede soluta, vel illorum bona abstulerit. Pal. n. 13.

Decima quarta dicitur ferri a Gregorio XIII. adversus eos qui donationibus, vel promissionibus factis obtinent certiores fieri provisionum beneficiorum a Sede Apostolica. Dubitatur tamẽ de hac censura. Pal. n. 14.

Decima quinta ejusdem Gregorij quæ incipit *Ascendente Domino*, in qua Pontifex excommunicat eos qui institutum Societatis, vel ejus constitutiones, aut illius Bullę dispositionem, vel aliquem hujus Bullæ vel constitutionis articulum impugnare, vel eis contradicere directè vel indirectè ausi fuerint quovis disputandi, vel etiam indagandæ veritatis quæsito colore. Palaus num. 15.

Decima sexta cum alijs censuris habetur in Bulla ejusdem Gregorij, quæ incipit *Inter Apostolicos*, ubi Pontifex eos qui in beneficiorum & officiorum tum Ecclesiasticorum tum secularium electione, confirmatione, provisione, receptione admissione exigunt a provisis juramenta impossibilia, illicita, damnosa, vel libertati Ecclesiasticæ, aut decretis Tridentini obviantia, etiam prætextu cujuscunque consuetudinis, aut jam præstita, reddita, vel exacta super eorum observatione quenquam in judicio, vel extra inquietare, vel turbare ausi fuerint: si Episcopi sint, a divinis suspendit, capitula verò & conventus, eorumque Ecclesias, & loca omnia interdicto Ecclesiastico supponit, singulares personas excommunicationi subjicit. Pal. n. 16.

Juramẽta in beneficijs.

Decima septima habetur in Trident. sess. 25. cap. 19. de reform. contra dominos temporales cõcedentes locum duello, item adversus discellentes

erunt que patronos. Vide plura in *Palao cit. n. 17.* & in Elucidar. r. 6 0.4. & 1382. Sed Ianus in priori parte a n. 47.

Decima octava fertur a Gregorio XIV. in Bulla incipiente *Cum alias*, in favorem immunitatis Ecclesiasticæ: de qua Palaus hic n. 18. & 2. p. tr. 11. pun. 12.

Absolutio in absentia.

Decima nona habetur in decreto Clementis VIII. damnante hanc propositionem: Licere per litteras, seu nuncium confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere. Palaus cit. n. 19.

Thalmut.

Vigesima fertur a Clemente VIII. in Bulla incipiente, *Cum Hebræorum*, contra habentes, legentes, imprimentes libros, seu codices impij Thalmuth. Palaus p. 30. num. 20. refert ad extensum.

Breviarij impressio.

Vigesima prima habetur in decreto Clementis VIII. die 10. Maij. edito anno 1602. & initio Breviarij posito, ubi Pontifex statuit ne ullus typographus aut bibliopola breviarium imprimere, aut vendere præsumat absque licentia in scriptis obtenta Inquisitorum hæreticæ pravitatis ubi ex stunt, aut illis deficientibus Ordinarij loci: alioqui typographi, & bibliopolæ extra urbem excommunicationi reservatæ subjiciuntur. Palaus num. 21.

Reliquiæ in cæmeterijs.

Vigesima secunda habetur in decreto Cardinalis Millem Romæ Vicarij, ubi de mandato Pauli V. excommunicationi subjiciuntur qui aliquas Sanctorum reliquias etiam in modica quantitate ex cæmeterijs, cryptis, vel catacumbis extraxerint, vel extractioni cooperati fuerint, auxilium vel favorem præstantes: vel qui illius loci, a quo extrahuntur, curam habentes permiserint, vel consenserint extractioni: ac tandem qui prędictas reliquias receperint scientes extractas fuisse absque Pontificis licentia. Palaus p30. n. 22.

Vigesima tertia habetur in Bulla Urbani VIII. quæ incipit *Superni* & fertur contra eos qui frumentum, blada, legumina, & oleum ex statu Ecclesiastico extrahunt, hoc est ex locis Ecclesiæ immediaté subjectis, & ad loca extra Ecclesiam, imó ad loca mediate Ecclesiæ subjecta deferunt, mercimonij causa De qua re multæ sunt Pontificum constitutiones. Pal. n. 23.

SYLLABUS POSTERIOR.

De excommunicationibus Pontificum non reservatis.

§. 1.

Numerantur contenta in Decretis a Gratiano collectis.

1999 PRIMA continetur in *c. Nulli fas est. 19. dist.* ubi Gregor IV. excomunicat eos qui Apostolicis decretis, & Romanæ Ecclesiæ præceptis contrarie pręsumunt. Non est ipso [illegible] sed solum ferendæ. Pal. p. 31. n. 1.

[illegible]

Secunda [illegible] ex [illegible] *consuetudinem* 10. q. 1 [illegible] anathematis vinculo pronunciat collegium laicum qui oblationes [illegible] Ecclesiam factas ab Ecclesia usurpare, seu [illegible] præsumit. Hæc solum videtur ferenda, & usu recepta non est. Pal. n. 2.

Tertia refertur ex *c. administratores* 23. q. 5. ubi Joannes VIII. administratores secularium dignitatum, si ter sint moniti a prælatis Ecclesiasticis, & non obedierint, communicatione privat. Hæc pena vel non est excommunicatio, vel si talis est, in usu non est. Pal. n. 3.

§. 2.

Numerantur contenta in quinque libris Decretalium.

PRIMA habetur in *c. quoniam, de officio ordinarij* ubi postquam Pontifex statuit quid sit agendum quando in diœcesibus & civitatibus sunt populi diversarum linguarum habentes sub una fide varios ritus & mores: & præcipit ut Pontifex loci catholicum prælulem nationibus illis conformem constituat, ipso facto excommunicat quemcunque se aliter ingerẽtem. Palaus pun. 32. num. 1.

Secunda habetur in *cap. ex rescripto, de locato & cond.* ubi Clemens 3. innovat & confirmat excommunicationem latam a duobus suis legatis contra Magistros & scholares Academiæ Bononiensis qui ante tempus conductionis finitum, & absque consensu aliorum Magistrorum, officium conducere audent in læsionem ac præjudicium habitantium. Palaus n. 2.

Tertia continetur in *c. ap. clericis. Ne clerici, vel monach.* ubi Alex. sub intimatione anathematis prohibet, ne quis Sacerdos officium habeat vicecomitis, aut præpositi sæcularis: & contra facientem excommunicat. Pal. n. 3.

Quarta habetur in *cap. non magnopere, & cap. super specula. Ne clerici vel monachi*, ubi Honorius 3. & Alexan. 3. excommunicat religiosos, qui é suis claustris exirent ad audiendas leges, & medicinam, & intra duos menses ad claustrum non redirent. Palaus p. 32. n. 4.

Quinta habetur eod. *cap. super specula* ubi Honorius 3. prædictam excommunicationem adversus religiosos latam extendit ad Sacerdotes, Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpositos Cantores, & alios Ecclesiasticos personatum habentes, qui duorum mensium spatio leges, vel physicam addiscunt. Palaus n. 5.

Sexta habetur in *cap. quod a prædecessore de schism.* ubi Alexander 3. in Concilio Later. statuit ut ordinationes factæ ab Octaviano, & Guidone hæresi ex his, & ab ordinatis ab eis irritę sint. Et qui dignitates Ecclesiasticas, seu beneficia per dictos schismaticos acceperint, careant impetratis &c. Si quis autem contrarie præsumpserit, excommunicationi se noverit subjacere Pal. n. 6.

§. 3.

Numerantur contenta in sexto libro Decretalium?

2000 PRIMA habetur in [illegible] o, ubi Gregor. X [illegible] obla-

obstacula, quæ sinceram Pontificis electioné impedire possint: Nulli fas sit ipsis Cardinalibus vel illorum alicui nuncium mittere, vel scripturam. Qui verò contra fecerit scripturam mittédo vel nuncium, aut cum aliquo illorum secreté loquendo, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. *Palaus pun.33.n.1.*

Secunda habetur eodem cap. ubi Gregor. excommunicat Gubernatores, & officiales mortuo Pontifice non observantes quæ ibi præscribuntur, dummodò per ipsos stat quominus ea non observentur. *Pal.n.2.*

Tertia est in *c. sciant cuncti de elect. in 6.* idē Gregor. ait: Sciant cuncti qui clericos, vel alias personas Ecclesiasticas (ad quos in aliquibus Ecclesijs aut alijs locis spectat electio) pro eo quod rogati, seu aliás inducti eum pro quo rogabantur, seu inducebantur, eligere noluerunt, vel consanguineos eorum, aut ipsas Ecclesias, monasteria, seu loca cetera beneficijs, sive alijs bonis suis per se, vel per alios spoliando, seu aliás injusté persequendo gravare præsumpserint, se ipso facto excommunicationis sententia innodatos. *Palaus num.3.*

Quarta continetur in *cap generali const. de elect. in 6.* contra eos qui Ecclesijs, monasterijs, aut quibusvis alijs pijs locis vacantibus regalia, hoc est tributum, quod aliás Regi erat debitum, & Ecclesiæ cessum, custodiam, seu guardiam, advocationis sive defensionis titulum usurpare conātes, bona Ecclesiarum, monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumūt. *Pal.p.33.n.4.*

Quinta in *c. indemnitatibus de elect. in 6.* adversus eos qui vocati ad dirigendas moniales in suis electionibus aliquid egerint, ex quo discordia in electionibus faciendis oriri, vel orta enutriri possit. Pal.n.3.

Sexta fertur in *cap. hac constitutione de offic. delegati in 6.* ubi Bonifacius 8. ait: Ut conservatores limites sibi traditæ potestatis (quos frequenter excedunt) metu pœnæ diligenter observent. Decernimus, ut si de alijs, quam de manifestis injurijs, & violentia scienter se intromiserint, seu ad alia quæ indaginem exigunt, suam extenderint potestatem, eo ipso per unum annum ab officio sint suspensi: Pars verò quæ hoc fieri procuraverit, sententiam excommunicationis incurrat. a qua non possit absolvi, nisi ei quem fatigavit indebitè, primo satisfaciat integraliter de expensis n.6.

Septima habetur *cap. absolutionis, de his quæ vi, metus ve causa in 6.* adversus extorquentes absolutionem, vel revocationem censuræ alicujus. Assert & exponit verba Gregor. X. Pal. cit. n.7.

Octava sumitur ex *cap. mulieres, de judicijs in 6.* ubi Bonifac. 8. excommunicat omnes illos qui fictione aliqua, vel fraude faciunt ut judex personaliter accedat ad domum mulieris pro petendo ejus testimonio. Palaus num. 8.

Nona fertur in *cap. hoc consultissimo, de rebus Ecclesiæ alien. in 6* contra laicos compellentes personas Ecclesiasticas ad submittenda bona Ecclesiarum laicis, & contra laicos ratione dictæ submissionis aliqua bona usurpantes. *Palaus p.33.n.9.* *Immun. Eccl. s.*

Decima habetur *cap. unico, de religiosis domibus in 6.* ubi Gregor. X. excommunicat religiosos paupertatem in communi profitentes, qui aliquem ad eorum professionem de novo admitterent, vel novam domum acquirerent, vel acquisitam alienarent absque Sedis Apostolicæ licentia. Videtur jam nullius effectus *Palao n.10.*

Undecima habetur in *cap. quanquam, de censibus in 6.* contra eos qui per se, vel per alios nomine proprio, vel alieno exigunt, seu extorquent ab Ecclesiasticis personis pedagium, vel simile tributum pro personis ipsis, aut rebus proprijs, quæ non transmittunt causa negotiationis, & ad illa persolvenda compellunt. *Palaus n.11.*

Duodecima habetur *cap. quoniam de immunit. Eccles. lib. 6.* contra impedientes jurisdictionem Ecclesiast. vel judices illa utentes. *Palaus num. 12.*

Decima tertia habetur *cap. ultim. de immunit. Eccl. in 6.* contra judices, seu dominos temporales, qui præcipiunt subditis suis, ne Prælatis, aut clericis seu personis Ecclesiasticis quid quam vendant, aut emant aliquid ab eisdem neque ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia communia obsequia exhibere præsumant. *Pal.n.13.*

Decima quarta habetur *cap. 2. ut periculosa Ne clerici vel monachi in 6.* contra religiosos habitum suæ religionis temeré dimittentes, ad studia sine debita licentia accedentes, & contra Doctores qui hujusmodi religiosos habitu dimisso docerent. Palaus num. 14. &c. *Religiosorum habitus dimissus.*

Decima quinta habetur *cap. quicunque de hæreticis in 6* contra eos qui scienter præsumunt sepelire hæreticos, credentes, receptatores, defensores, vel fautores eorum. Palaus p. 33. num. 15. *Hæreticorum defensores cynastæ.*

Decima sexta habetur *cap. ut inquisitionis, de hæret. in 6.* & fertur in gubernatores, potestates, ac dominos temporales 1. si de crimine aliquo hæresis cognoverint, aut judicium tulerint sive directe, sive indirectè. 2. si detentos in carcere ob crimen hæresis audeant absque Episcopi, vel Inquisitoris licentia liberare. 3. si sententiam latam ab Episcopo, vel Inquisitoribus non mandaverint executioni, sicut sunt obligati. 4. si directé vel indirecté sententiam Episcopi, vel Inquisitoris impedire præsumpserint. 5. si ausi fuerint se opponere prædicto diœcesano, vel Inquisitoribus in rebus ad fidem pertinentibus *Pal. p.33.n.16.*

Decima septima habetur in *Cap pro humani 1. de homi-*

homicidio in 6. contra eos qui per assassinum aliquem Christianum fecerint interfici vel mandaverint, esto mors non sequatur. *Palaus num. 17.*

Assassini.

Decima octava continetur in *cap. usurarum de usuris in 6.* adversus clericos usurarijs alienigenis domus locantes, aut alio titulo cocedentes I. Gregor. X. prohibet manifestis usurarijs alienigenis domus locare, aut alio titulo concedere ad fœnus exercendum 2. permittere in terris suis domus conductas habere, aut alias habitare 3. intra tres menses a terris suis expelli. Personis Ecclesiasticis, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis pœnam suspensionis indicit: horum inferioribus, si singulares personæ fuerint, excommunicationis sententiam imponit: collegium, seu aliam universitatem interdicto subjicit. Laici verò per suos Ordinarios sunt compescendi. *Pal. n. 18.*

Usurarij ejiciendi.

Decima nona habetur in *c. unico de injurijs in 6.* adversus concedentes repræsalias contra personas Ecclesiasticas, vel concessas in laicos ad Ecclesiasticos extendentes. *Pal. n. 19.*

Repræsaliarum prohibitio.

Vigesima fertur in *c. fœlicis de pæn. in 6.* adversus Principes, aliosque dominos temporales & judices non observantes ea quæ ibidem præscribuntur, contra hostiles invasores Cardinalium. *Palaus n. 20.*

§. 4.

Numerantur latæ ipso jure in libris Clementinarum.

2001 PRIMA habetur in *Clemen. unica de sequest. pos. & fruct.* adversus impedientes sequestrationem ab Ordinario factam de beneficio super quod lata est sententia definitiva a Sede Apostolica contra possessorem illius non triennalem. *Pal. pun. 34 n. 1.*

Sequestratio.

Secunda habetur in *Clemen. 1. de sepult.* adversus eos qui mortuos tepore interdicti sepeliunt, vel excommunicatos vel usurarios. *Pal pun. 34 n. 2.*

Sepultura in interdicto.

Tertia est in *Clemen. 1. Religiosi, de decimis* adversus religiosos usurpantes decimas, vel impedientes earum solutionem. *Pal n. 3.*

Decimæ.

Quarta habetur in Clemen. *Ne in agro §. quia verò de statu monach.* adversus monachos & canonicos regulares adeuntes curiis Principum animo nocendi suis prælatis, vel monasterijs. *Palaus n. 4.*

Quinta habetur in eadem Clemen. adversus monachos tenentes arma intra septa sui monasterij. *Pal. n. 5.*

Sexta habetur in Clement. *attendentes de statu monach.* adversus impedientes visitatores monialium in suo munere, nisi moniti resipiscant. *Pal n. 6.*

Septima continetur in *Clem. 1. de religiosis domibus* adversus fœminas statum Beghinarum assumêtes, & adversus religiosos, qui prædictas Beghinas fovent in earum statu, & suadent ut prædictum habitum sumant, & ad id auxilium consilium, vel favorem prestant. *Pal. p. 34. n. 7.*

Beguinorum status.

Octava habetur in *Clem.* unica de *consang. & affinit.* adversus contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis. *Pal. n 8.*

Gradus prohibiti.

Nona est in Clemen. *volentes 2 de hæret.* adversus eos qui prætextu officij Inquisitionis pecuniam illicitis modis extorquent, vel ob delictum clericorum bona Ecclesiarum confiscant. *Palaus n. 9.*

Decima fertur in Clement. *Ex gravi unica de usuris*, contra officiales communitatum usuris faventes. *Pal. p 34. n. 10.*

Undecima est in Clemen. *Cupientes, de pœnis* adversus religiosos mendicantes novas domos ad habitandum acquirentes, sine Sedis Apostolicæ facultate, vel acquisitas alienantes *Pal. n. 11.*

Duodecima est in eod. cap. adversus religiosos qui suis sermonibus, vel alibi a decimarum solutione auditores retrahere intendunt *Pal. n 12.* *Decimæ.*

Decima tertia fertur in Clement. *Cupientes de pœnis* circa finem, adversus eosdem religiosos, qui negligentes fuerint in decimarum solutione suadenda pœnitentibus, & moniri a suis superioribus ausi fuerint prædicare non purgata negligêtia. *Pal. n. 13.*

Decima quarta habetur in Clemen 1. ex *frequêtibus, de sent. excom.* adversus religiosos non servantes interdictum locale generale, vel cessationem a divinis positam authoritate Sedis Apostolicæ, vel ordinari illius loci. *Pal. n. 14.*

§. 5.

Numerantur contentæ in libro Extravagantium.

PRIMA habetur in Extrav. *super gentes unica consuet.* ubi ipso facto excommunicantur qui impediunt Legatos Sedis Apostolicæ, ne regna vel provincias, ad quę missi sunt, ingrediâtur neve ibi officium suum liberé exerceant. *Palaus pun. 35. n. 1.* *Legatorũ impeditio.*

Secunda in Extrav. *Sancta Romana* Joann. 22. *de religios. domib.* adversus eos qui fictam Fratricellorum, Birochorum, seu Beguinorum religionē profitentur eam de novo sumendo, vel in illa perseverando. *Pal. 2.* *Beguini.*

Tertia in Extrav. Ut prælatorum 2. & in Extrav. *Et si deceat 3. de maiorit. & obed.* adversus Episcopos Romam latenter venientes, & ab ea recedentes sine Pontificis licentia: & adversus eos qui prædictos Episcopos sic venientes receperint ante quam S. Pontificem ad moneant de prædictorum adventu. Pal. p. 35. n. 3. *Episcopi.*

Quarta in Extrav. *Ambitiosa, de rebus Eccles. alienan.* adversus prælatos alienantes bona Ecclesiæ seu locorum piorum sive immobilia, sive mobilia preriosa sine licentia Summi Pontificis extra casus a jure permissos. *Palaus p. 35. n. 4.* *Alienatio Ecclesiasticorum.*

Quinta est in Extrav. *Quia nonnulli* ult. de sent. excom. Adversus impugnatores litterarum Sũmi Pontificis legitimé electi, sed nondum coronati. *Pal. n 5.*

Sexta potest referri ex Extrav. 2. *de Treugua & pace* ubi Germani religiosi, & parochi illius provinciæ non servantes pacem, & concordiam inter se statutam, de qua in prædicta Extrav. fit men-

mentio; excommunicationi subjiciuntur, a qua neque ... absolvi nisi de consensu partis læsæ, & præstita satisfactione. *Pa .p.35.n.*

§. 6.

Numerantur sententiæ in concilio Tridentino.

2002 PRIMA habetur *seff.4. decreto reform.* adversus imprimentes libros, seu eos retinentes sine nomine authoris & debita approbatione. *Palaus pun.36.n* 1.

Secunda in Trident. sess. 13. can. 11. contra eos qui præsumpserint prædicare, vel pertinaciter asserere, vel publicè disputando defendere non esse necessariũ iis quos conscientia peccati mortalis gravat, habita confessoris copia, præmittere Sacramentalem cõmunioni recipiendæ. *Palaus cit. n.* 2. *Confessio ante Euchar.*

Tertia in Trid. *seff.24.c.6 de reform* adversus raptores fœminarum eisque auxilium vel favorem præstantes. *Pal.n.3.* *Raptus feminarũ.*

Quarta ex Triden. *seff.24.cap.1.de reform.* contra eos qui negarent matrimonia clandestina vera & rata esse quandiu Ecclesia ea irrita non fecit: & matrimonia a filijs familias contracta sine consensu parentum irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse. *Pal.n* 4.

Quinta fert. *seff.24.c. p. de reform.* adversus quoscunque cujusvis conditionis, & dignitatis existant, qui subditos suos, vel alios ad matrimonium contrahendum directè, vel indirectè cogunt. *Pal.n.5.* *Matrimonium.*

Sexta habetur *seff.25.cap.5.de regul.* contra seculares magistratus negantes auxilium, vel favorem prælatis Ecclesiasticis ad clausuram monialium cum fuerint ab eis moniti, & requisiti. *Pal. n.6. Septima* in *eod.c.5.* adversus quoscumque ingredientes monialium monasteria absque licentia prælati habita in scriptis, causa legitima intercedente. *Moniales.*

Octava seff.22.cap.18.de regul. adversus quoscũque cogẽtes fœminam ad religiosam vitam. *Pal. p.36.n.8.* *Coactio ad religionem.*

Nona eodem *cap.* 18. fertur contra impedientes fœminarum professionem. Palaus *n.9. Decima* habetur sess. 22. *cap.19. de reformati.* & fertur adversus varias personas causa duelli. n. 10. *Professio fœminarũ.*

§. 7

Numerantur latæ ipso jure, & tum extra corpus juris tum extra Tridentinum contenta.

PRIMA est Innocentij VIII ordine 13. & fertur contra ficte resignantes, vel permutantes beneficia. *Pal p.37.*

Secũda est in Bulla Leonis X. quæ incipit: *Dudũ per nos* cujus materia est prædicare, vel privatim docere indulgentias S. Mariæ ad populum obtineri a sæcularibus posse, visitãtibus Ecclesias privilegiatorum. Videtur jam cessasse. *Palaus p.37. numero.2.*

Tertia est Leonis X. *in privilegijs Minorum*, & fertur adversus Fratres, & Moniales S. Claræ, eo quòd Bulla Cruciatæ, alijsque confessionalibus utantur absque licentia suorum superiorum. Videtur cessasse. Palaus n.3.

Quarta est ejusdem Leonis X. contra Fratres reformatos Ordinis S. Francisci transeuntes ad nõ reformatos, & adversus ipsos recipientes Palaus num.4.

Quinta est in Bulla ejusdem Papæ, quæ incipit *Inter Multiplices*, adversus impugnãtes mõtem Pietatis constitutum juxta formam ab ipso præscriptam. *Palaus n.5.*

Sexta est Julij 2. in Bulla incipiente *Exponi* cõtra Fratres S. Francisci de Paula, recipientes religiosos Minores de observantia, absque licentia Pontificis. Pal.n.6.

Septima est in Bulla Pauli 2 & incipit, *Cum omnibus*, adversus delegatos Pontificis concedentes alienationem bonorum Ecclesiasticorum fieri in damnum Ecclesiæ: & adversus dolose procurantes fieri hujusmodi alienationem. *Pal. pun. 37. n. 7.*

Octava potest referri a Pio 4. in Bulla incipiente: *Decet Romanum*, & fertur contra ministros status Ecclesiastici, qui mulctas & confiscationes seu alias pœnas pro quibuscunque delictis solvendas, & luendas in civitatibus, terris, locis Põtifici immediatè subjectis alteri quam Cameræ Apostolicæ applicant, nisi forte ex Pontificis decreto, aut consuetudine applicatæ sint pro reparatione murorum, pontium, aut locorum piorum. Pal.n.8.

Nona est in Bulla Pij IV. quę incipit *In sacro sancta*, adversus Doctores, universitatem, & alios habentes facultatem doctorandi, permittentes aliquem gradu Doctoris insigniri, vel cathedram ascendere non præmissa fidei professione. *Palaus pun.37.n.9.* *Doctores ad professione fidei.*

Decima refertur in Bulla Pij IV. quæ incipit: *Superna providentia* adversus eos qui per se, vel per alios se intromittere in officijs notariatuum vẽditis, aut vendendis per Cameram Apostolicam, vel notarios ea ementes vexare præsumunt. Palaus n.10.

Undecima habetur in Bulla ejusdem Pij IV. quę incipit *In sublimi* adversus maiorem Pœnitentiarium, & officiales Pœnitentiariæ se intromittẽtes in expeditionibus prohibitis in dicta Bulla. Pal.n.11.

Duodecima habetur in Bulla ejusdem Pij IV. quę incipit *Universi gregis* contra procuratores officij correctoris Cancellariæ Apostolicæ, & litterarum minoris justitiæ, seu contradictarum, qui se intromittere præsumunt in causis sibi interdictis in dicta Bulla. Palaus p.37.n.12. *Officiales.*

Decima tertia est in Bulla ejusdem Pij IV. quæ incipit, *Et si Romanum Pontificem*, adversus Nuncios, aliosque missos a Pontifice ad Imperatorẽ, Reges, Duces, aliosque Principes; si ab eis impetrent litteras, aut favores ad dignitates a Romano Pontifice obtinendas. Pal.p.37.n.13. *Nuncij.*

Decima quarta habetur in Bulla Pij IV. quæ incipit, *Cum ex es*, adversus judices, & gubernatores status Ecclesiastici, qui licentiam concesserint quoquo modo tormenta ignea vulgo *arcabuzes* brevioris mensuræ duorum palmorum deferēdi, retinendi, vendendi, emendi, aut quovis alio titulo recipiēdi: & adversus eos qui prædicta arma prætextu dictarum facultatum deferunt, vel retinent *Palaus cit. n.* 14. — *Tiflolates.*

Decima quinta est in Bulla ejusdem Pij IV. quę incipit: *Benedictus Deus*, adversus Tridentini glossatores. Pontifex enim, ut decreta hujus Concilij sinceré observentur, inhibet omnibus tam Ecclesiasticis, quàm laicis prælatis sub interdicto ab ingressu Ecclesiæ: alijs veró sub excōmunicatione latæ sententiæ, ne glossas, annotationes, scholia, ullum ve omninó interpretationis genus super ipsius Concilij decretis quocunque modo edant, aut quiquam quocunque nomine, etiam sub prætextu maioris Decretorum corroborationis, aut executionis aliove quæsito colore statuant. *Pal. n.* 15. — *Tridentini glossatores.*

Decima sexta sumitur ex Bulla Pij V. quæ incipit *Sanctissimus*, & fertur contra magistratus, judices, & gubernatores jurisdictionem habentes in quavis parte mundi, qui Illust. Cardinaliū Supremæ Inquisitionis mandatis & præceptis S. Inquisitionis officium spectantibus, non obedierint. *Pal. n.* 15. — *Gubernatores. S. Inquisitio.*

Decima septima est in Bulla Pij V. quæ incipit, *Si de protegendis*, adversus eos qui Inquisitores, & Episcopos Officium Inquisitionis exercentes, aliosque S. officij ministros, denunciatores, accusatores vel testes in causa fidei occiderint, verberaverint, dejecerint, aut perterrefecerint: qui ve Ecclesias, ædes, aliasve res sive publicas, sive privatas officij, aut ministrorum expugnaverint, invaserint, incenderint, expilaverint, &c. apud *Palaum p.* 37. *a n.* 17. — *Ministri S. officij.*

Decima octava est in Bulla Pij V. quę incipit, *Exigit*, ubi excommunicatio & suspensio a divinis indicitur adversus omnes, & singulos quacūque authoritate, etiam Cardinalitia fulgentes, qui collegium, & deputatos fabricæ S. Petri occasione ipsius fabricæ ausi fuerint molestare: seu si ob aliam causam molestiam inferant. *Palaus num.* 18. — *Fabrica S. Petri.*

Decima nona, colligitur probabiliter ex Bulla Sixti V. quæ incipit *Cæli & terræ*, quæ est adversus incantatores, & judiciarios. *Palaus n.* 19. — *Incantatores.*

Vigesima desumitur ex ejusdem Sixti V. Bulla quæ incipit, *Effrenatam*, & fertur contra causantem abortum. Gregor. 14. in Bulla, *Sedes Apostolica* temperavit, ne esset reservata: item ne daretur, nisi fœtus animatus fuerit. Extenditur ad auxilium, consilium & favorem præstantes, dūmodo abortus sequatur. *Palaus n.* 20. — *Abortus.*

Vigesima prima est in Bulla Greg. XIII. incipiente: *Omnino certe studio* contra eos qui Agnos Dei benedictos depingunt, & sic depictos venales proponunt, vel retinent. *Palaus n.* 21. — *Agnus Dei.*

Vigesima secunda continetur in Bulla Pij V. quę incipit *De salute gregis*, adversus taurorum, aliarumque ferarum agitationem. Ubi Pōtifex sub excommunicatione ipso facto incurrenda prohibet omnibus & singulis Principibus, etiam si reguli vel Imperiali dignitate præfulgeant, ne in suis provincijs, civitatibus, terris & oppidis hæc spectacula fieri permittant &c. Hanc constitutionem temperavit Gregor. XIII ne procedat in laicis & equitibus ordinum militarium, dummodò in diebus festivis tauri non agitentur. Postea tam Sixtus V. quám Clemens VIII. huic prohibitioni nonnulla addiderunt. De quo laté *Palaus p.* 37. *n.* 22. *Bonacina tom.* 3. *de censur. disp.* 2. *q.* 4. *pun.* 7. & exactissimè *Baptista Fragosus de regimine parte* 1. *lib.* 1 *disp* 2. *§.* 10. *a n.* 83. Videatur Pellizar. tom. 2. tr. 6. — *Taurorum agitatio.*

Vigesima tertia habetur in Bulla cœnæ Domini adversus præsumentes absolvere delinquentes a censuris incursis ob delicta in Bulla cœnæ Domini contenta. Ait enim Pontifex: Quod si forte aliquis contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus. Hæc censura incurritur ipso facto, sed reservata nō est. *Pal p.* 37. *n.* 23 — *Bulla cœnæ. Absolutio a censuris cœnæ.*

Nulla ex his 23. excommunicationibus reservata est.

TRACTATVS XLVIIII.

De Suspensione, interdicto, & cessatione a divinis.

SECTIO I.
De essentia, & causis suspensionis.

QUÆSTIO I.
Quid & quotuplex sit suspensio: & qualiter differat a depositione & degradatione?

2003 PRO expedienda priori quæstionis parte de quidditate & multiplicitate suspensionis, notandum est 1. suspensionē derivari a verbo *Suspendo* quod apud Latinos significat sursum pendo, seu alté ligo, ut pendeat, & sumitur pro quadam incertitudine & perplexitate. Apud Legistas idem valet atque suspendium, certum supplicij genus, vulgo dicimus *pena de forca*. Unde suspensi qui suspensi sunt *l. liberorum ff. de his qui not an. infam.* — *Suspensio nomen.*

Apud Canonistas & Theologos eandem fere significationem retinet, diversæ tamen materiæ applicatam: nam *Suspendere* significat actum pendentem

dentem facere & suspensio refertur ad ipsum ex ... itaut beneficij, ordinis,& juris ... pendentem teneat.

Nihilominus ... suspensionem accipi tripliciter. 1. ... quatenus importat prohibitionem actus ... qualiscunque actus ille sit, ... late prout dicit prohibitionem ex ... vel spiritualibus annexis ex quacunque causa, & quomodocunque eveniat talis prohibitio, sive ex morbo inculpato, ut habetur ... sive ex vi alicujus censuræ ... q.1. sive ex peccato lethali, in ... susceptos ordines exercere prohibetur. ...

Suspensio accepta ... 5 Magis stricte & proprie pro censura Ecclesiastica: in qua acceptione definitur ab *Ægid. Bonacina disp. 15 dub. 1. n. 1.* in hunc modum: *Suspensio est censura Ecclesiastica, qua clericus privatus usu potestatis quæ ... officij clericalis aut beneficij ...* A Suario disp. 25. sect. 1. n. 2. sic definitur: *Est censura Ecclesiastica qua minister Ecclesiæ impeditur, ne functiones Ecclesiasticas exerceat, aliquâ ve Ecclesiasticâ potestate utatur.* Utraque bona est, & fere coincidit. Particula (censura Ecclesiastica) est loco generis, per quam suspensio convenit cum alijs censuris. Reliqua sunt loco differentiæ, per quam suspensio ab illis differt. Quanvis enim excommunicatio & interdictum privent Ecclesiasticis functionibus, at non privant eo modo, quo suspensio, hæc enim privat illis, quatenus sunt usus alicujus potestatis Ecclesiasticæ provenientis ab officio, vel beneficio.

Suspensio multiplex. Quod attinet ad multiplicitatem, dividitur 1. ex parte causæ efficientis in suspensionem a jure & suspensionem ab homine, quæ divisio patet ex divisione censuræ, quam exposuimus num. 1848. Dividitur 2. ex parte materiæ, & sic in ... totalem, qua quis suspenditur, vel solum ab officio, vel solum a beneficio. Ad has pertinet suspensio Maior & Minor, nam illa pluribus, hæc paucioribus privat: & quidem suspensio Maior, non nisi propter culpam lethalem, Minor etiam propter venialem ferri potest.

Dividitur 3. ex parte modi suspendendi in absolutam & conditionatam: absoluta est quæ secum defert executionem: conditionata non habet executionem nisi postquam ponitur conditio. Dividitur 4. ex parte durationis & est triplex: prima fertur simpliciter absque ulla mentione temporis. Secunda fertur cum determinatione temporis, v.g. usque ad annum, vel donec satisfecerit. Tertia fertur cum exclusione temporis, scilicet ... Dividitur 5. ex parte cessationis ... est duplex, altera quæ cessat absque ... per solum lapsum temporis: altera per ... alicujus actus.

... 2004 ... de ... inter suspensionem, depositionem, & degradationem, ... est 1. quomodo suspensio ... in convenientia & differentia ... Palao ... 4.

pœnalis convenire 1. quod utraque sit pœna Ecclesiastica 2. quod etiam depositio privet Ecclesiasticis functionibus 3. quod utraque sit propria pœna clericorum 4. quod sicut suspensio esse potest ab officio & beneficio, ita & depositio.

Differunt autem juxta citatos 1. quod suspensio non privet proprie ipso officio, aut beneficio, sed solum eorum usum impediat: & depositio utroque privet 2. quia suspensio ex natura sua non exigit, ut sit perpetua, sed potius ut sit temporalis, quanvis perpetuitas ei non repugnet: é contra depositio exigit, ut sit perpetua: ex quo sequitur tertium discrimen scilicet quod in suspensione longe facilius dispensetur, quam in depositione.

Dubium est 2. quomodo differant inter se depositio & degradatio? Nota ex citatis pro utriusque intelligentia, depositionem esse duplicem, alteram verbalem quæ fit verbis, quando sententia profertur, alteram realem, quæ fit re ipsa quando sententia executioni mandatur. Quanvis igitur *c. 1. de pœnis in 6.* tam depositio verbalis, quam realis appellari soleat degradatio, tamen in rigore sola depositio realis degradatio est. Comparantur enim inter se sicut sententia, & sententiæ executio: nam per verbalem depositionem profertur sententia: per degradationem executioni mandatur. *Depositio quid & quotuplex.* *Degradatio quid.*

Verbalis depositio & degradatio (inquit *Suar. de cens. disp. 30. sec. 2. a n. 2.*) conveniunt in eo quod utraque sit pœna Ecclesiastica, & propria clericorum, neutra privet charactere clericali, & neutra feratur a jure ipso facto incurrenda, sed pro hominis sententiam imponatur: & utraque reddet hominem infamem. Differunt 1. quod degradatio non requirat præsentiam aliorum Episcoporum, sicut verbalis depositio: nam prolata sententia coram alijs Episcopis, postea solus Episcopus potest publice degradationem complere 2. quod degradatio privat privilegio clericali, non autem depositio. Unde fit, ut percutiens degradatum non incurrat censuram canonis (*si quis* secus, si depositum percutiat. *Degradationis & depositionis convenientia.*

Deinde per degradationem privatur quis privilegio fori, ut possit judex secularis contra illum procedere: secus per depositionem. Ex dictis apud Suar. citatum n. 9. definitur depositio verbalis sic: *Est privatio perpetua clericalis muneris per canonicam sententiam cum debita solemnitate probata.* Degradatio autem, seu depositio realis sic: *Est perpetua privatio clericalis muneris, & privilegij effecta post similem sententiam ad uncta reali actione & ceremonia per canones instituta.* Quænam sit dicta solemnitas exponit *Suar. disp. 30. sect. 1.* *Privilegium fori in depositio & degradato.*

2005 Pro complemento hujus doctrinæ Palaus citatus n. 4. recte observat 1. depositionem in perpetuum juxta *canon ab bomine, de judic.* & Bonac. ... tom. 1 de censur. disp. 4. ... n. 6. infligi solere ob adulterium, stuprum, furtum, homicidium, & alia crimina ... Sed ... (...) olim quando disciplina Ecclesiastica ... vigebat, nunc erata crimina ... cetera, hodie tamen *Depositio quorum criminum pœna.*

tamen satis non sint, nisi ex objecto, & circunstantiis attento redduntur.

Degradatio ob quæ crimina.

Observat 2. crimina ob quæ venit degradandus actualiter clericus in sacris, esse hæresim, falsificationem litterarum Apostolicarum, Sodomiam non semel, sed aliquoties commissam, calumniam seu conspirationem in proprium Episcopum accedente incorrigibilitate. An sacerdos, vel religiosus, esto incorrigibilis non sit, degradari possit ob alia crimina? Negant *Bossius tr. cri. crimin. de foro comp. n. 135. & Scattia de judic. c. p. c. 11. n. 60.* Rectius *Molina tr. 3. disp. 49. n. 19. & Barbosa de pot. Episc. 3 p. alleg. 110. n. 13.* affirmant pro quolibet crimine enormi, & notabiliter scandaloso posse clericum in sacris actualiter degradari & tradi sæculari curiæ.

Degradati restitutio.

Observat 3. n. 14. regulariter solum Pontificem facta depositione vel degradatione depositum & degradatum restituere ad suum pristinũ statum. Dix (regulariter) quia si crimina, ob quæ depositus quis fuit, minora fuerint quàm adulterium, poterit dispensare Episcopus post pœnitẽtiam peractam, ut ex *c. At si clerici, de judiciis* recté tradit *Bonac. d. 4 p. un. n. 11.* Dubium est, an indigeat Episcopus consensu Capituli ad dispensãdum? Affirmat Panormit. ex citato cap. ubi sunt hæc verba potest Episcopus cũ *clericis*, quasi clerici cum Episcopo componant causam dispensãdi. Negandum tamen est cum *Romano conf. 325. & Bonacina citato, un. un. ad finem.* Quia consuetudo jam obtinuit ut solus Episcopus dispenset.

QUÆSTIO II.

Quæ sit causa effectiva, & subjectiva suspensionis?

Suspensionis author seu causa efficiens.

DUplex proposita causa respicit genus duplex personarum, alterum a quo egreditur suspensio, & alterum in quo recipitur. Quod attinet ad prius, seu causam effectivam suspensionis, conveniunt authores cum *Suarez disp. 28. sect. 1 Sayro lib. 4. thes. c. 2 n. 1. & Ugolino tab. 4. c. 1.* omnẽ & solum illum qui potest excommunicare, posse suspendere. Cum igitur suspensio emanet vel a jure, vel ab homine, emanans a jure, a solo juris conditore, emanans ab homine, a quocunque habente potestatem sive ordinariam, sive delegatam excommunicandi provenire potest. Cum enim omnes censuræ tendant ad eundem finem, seque mutuo juvent pro rebellium contumacia fere tanda regulariter communicatur potestas pro omnibus censuris ferendis.

Circa suspensionem a jure & ab homine, & conditiones ad utramque requisitas sufficiãt quæ diximus supra de censuris in communi tract. 47 sect. 1. [illegible] principio ne Episcopi sine [illegible] capituli presbyteros attentent suspendere vel Ecclesiam eorum interdicere [illegible] hoc decretum notat [illegible] illud non [illegible] presbyteros [illegible], quamvis [illegible] omnibus clericis, sed de solis presbyteris. [illegible]

Episcopus suspen-

de suspensione lata in vim [illegible] communi, & non de suspensione [illegible] medicinalis. [illegible] Palaus disp. 4. [illegible] solemnitatem [illegible] seu contemptus capituli [illegible] desuetudine abrogatam.

Abbatissa suspen-

Dubium est an Abbatissa possit ferre sententiam suspensionis? Affirmant *Henriq. l. 13. c. 8. com. & suspens. ap. 35. n. 1 & Sayrus l. Abbatissa, & v. Suspensio n. 1.* Probant ex *c. [illegible]* ubi dicitur posse Abbatissam clericos [illegible] sibi subditorum suspendere. Negandum tamen est cum *Ferraldo tt. de suspens. 35. n. 1 & Sayro l. 4. thes. c. 2 n.* Ratio est quia Abbatissa, [illegible] & qualibet fœmina non est capax juris [illegible] Ecclesiasticæ, quæ potestas requiritur ad ferendam censuram: illa autem suspensio, de qua loquitur textus citatus non est censura, sed solum quædam prohibitio.

Clerici & Episcopi [illegible]

2006 Quod attinet ad posterius, seu causam subjectivam, in qua recipitur suspensio, [illegible] personas quæ suspendi possunt: certum est 1. defunctum capacem non esse suspensionis, sicut nec excommunicationis: quamvis utriusque censuræ hujus effectus post mortem extendantur. Nam sicut mortuus ob antecedentem excõmunicationem privatur Ecclesiastica sepultura, ita ob antecedentem suspensionem fructibus beneficij privari potest.

Certum est 2. suspensionem quà censuram in solum clericum posse cadere. Patet, quia suspensio versari necessariò debet circa officium vel beneficium Ecclesiasticum, quorum laici incapaces sunt. Certum est 3. quẽlibet clericum quacunque dignitate emineat, excepto Sũmo Pontifice posse suspendi: at sub generali decreto suspensionis non comprehendi Episcopos, nisi de ipsis expressa mentio fiat. Habetur ex *c. [illegible] cul. [illegible] de sent. ex om. in 6.*

Episcopi ad suspensionem incurrẽdam.

Dubium est 1. utrum in hoc privilegio exceptionis contineantur soli Episcopi consecrati, an extendatur ad confirmatos, imo & solum electos? Videtur contineri solos consecratos. Quia alij propriè Episcopi non sunt: sicut enim non dicitur propriè sacerdos qui presbyter consecratus non est, ita non dicitur propriè Episcopus, qui talis consecratus non est.

Dicendum tamen est cum *Henriq. lib. 13. c. 34. n. 2. Suarez disp. 28. sect. 2. n. 7. Layman l. 1. sum. tr. 5. par. 3 cap. 2. & Gaspare Hurtado de suspen. diff. 9. n. 23.* extendi ad confirmatos, imo ad solos electos. Ratio est, quia alia privilegia, qualia eligendi confessorem, & altare [illegible] extenduntur: ergo idẽ dicendum de privilegio illo exceptionis.

Religiosi ad suspen-

Dubium est 2. an religiosi contineantur sub suspensione lata generaliter contra omnes clericos? Constat non comprehendi religiosos qui nec prima tonsura [illegible] sunt. Si autem fuere illa initiati, quamvis aliqui negent comprehendi, [illegible] rectius docet *Suar. disp. 28* [illegible] Quia hoc nomen [illegible] & [illegible] manifestum est [illegible] religiosos.

Du-

Dubium est 3. an & qualiter feratur suspensio in communitatem? Constat posse ferri, ex Cap. unico, ne Sede Vacante in 6. ubi communitas quà talis ab officio conferendi beneficia suspenditur. Qualiter autem possit ac soleat suspendi, explicat Palaus de censur. disp. 4. pun. 2. n. 7. nempe quod Capitulum Sede Vacante possit suspendi 1. ab officio & exercitio ordinis, ne scilicet Sede Vacante confessores creet, & Episcopos vocet ad ordines conferendos. 2. possit suspendi a beneficio, itaut privetur fructibus beneficij, & impediatur ne suos faciat. 3. possit suspendi, non quatenus communitas est, sed quoad singulares personas quæ inveniantur culpabiles. Vide Suar. d. 28. sect. 3.

Communitas ut suspendatur.

Dubium est 4. an semel suspensus iterum suspendi possit? Bene respondet Palaus citatus n. 8. affirmative dicens posse iterum suspendi, non solum quando suspensiones sunt diversæ, sed etiam quando sunt ejusdem rationis, dummodò causæ & tituli multiplicentur, sicut de excommunicatione multiplicata dictum est.

QUÆSTIO III.

Quæ sit causa finalis, & formalis suspensionis?

2007 UT expediamus priorem quæstionis partem de causa finali suspensionis, præcipua difficultas est, an suspensio ut feratur, semper prærequirat culpam, & quam culpam? Notabis suspensionem vel accipi laté pro omni prohibitione utendi aliqua potestate, vel strictè pro specie censuræ, vel saltem pœnæ Ecclesiasticæ. Sit igitur resolutio, quam tradit Suar. disp. 28. sect. 4. n. 3. & 4. Suspensio accepta primo modo non requirit culpam, sed solam causam, seu defectum in suspenso: accepta secundo modo culpam requirit. Hoc secundum patet ex ratione pœnæ culpam sequentis. Primum declaratur ex titulo, *de clerico ægrotante in 6.* ubi propter lepram, vel aliud simile impedimentum sacerdos removetur ab officio altaris. Unde qui hoc modo suspensus exercet actum ordinis, non fit irregularis: secus si suspensus secundo modo, nempe per censuram.

Suspensionis causa finalis.

Dubium est 1. an suspensio ferri possit ob culpam levem? Affirmant Navarr. c. 27. num 151. Henriq. lib. 13. c. 34. n. 1. & Avila 3. p. disp. 3. dub. 3. concl. 1. Probant, quia culpa levis sufficit ad incurrendam excõmunicationem minorem, quæ videtur pœna gravior suspensione utpote privans maioribus bonis scilicet Sacramentis recipiendis.

Culpa levis in suspensione.

Negant Vasq. 1. 2. disp. 158. num. 49. Sanch. lib. 9. matr. d. 32. n. 9. Bellanus disp. 15. dub. 3. concl. 2. num. 24. Layman. lib. 1. sum. tr. 5. p. 3. cap. 3. & Hurtado disp. 7. num. 19. Quia suspensio ex se gravis malum est. Utraque sententia probabilitaté habet: sed mihi arridet media, quam affert & sequitur Suar. disp. 28. sect. 4. num. 7. dicens inter suspensiones dari maiorem, quæ plus privat, & minorem quæ minus privat: hanc igitur & non illam, pro culpa levi seu veniali ferri posse.

Dubium est 2. an suspensio ferri possit ob culpam alienam? Videtur affirmandum: quia juxta resoluta proxime n. 1976. communitas suspendi potest, in quo casu multi ex tali communitate innocentes suspenduntur; ergo ob culpam alienam. Negandum tamen est cum Sanch. lib. 9. matr. disp. 32. n. 9. Avila 3. p. disp. 3. dub. 2. & Gaspar Hurtado diff. 9. posse aliquem immediatè suspendi ob alienam culpam. Quia pœna debet proportionari culpæ, & afficere solum delinquentem. Dixi (immediatè) quia quãdo communitas suspenditur, singuli illius, non immediaté quá singuli, & a suis peculiaribus operationibus suspenduntur, sed quá membra communitatis delinquentis suspenduntur ab operatione quæ communitati quà tali competit.

2008 Quod attinet ad posteriorem quæstionis partem de causa formali, seu forma, quæ in suspensione ferenda servari debet, optimé Suar. d. 25. sect. 5. distinguit inter suspensionem a jure, & ab homine latam. Ut enim suspensio a jure lata imponatur & incurratur, sufficiunt verba legis, quibus sufficienter talem incurri censuram, seu pœnam significetur. Circa latam ab homine tria considerari oportet.

Forma suspensionis.

Primum est quod præcedat monitio: Ecclesiæ enim constare nequit de inobedientia & contumacia alicujus, nisi priùs illum moneat. Ideo ex *cap. sacro, de senten. excomm.* rectè docent Henriq. lib. 13. cap. 39. num. 4. & Avila 3. p. disp. 3. dub. 1. concl. 3. censuram suspensionis ferentem absque monitione manere prohibitum ab ingressu Ecclesiæ per mensem, & suspensionem. Secundum est forma concomitans, quæ nulla certa præscribitur, sed sufficit quælibet satis determinans modum, speciem, & effectum suspensionis. Notat bené Palaus d. 4. pun. 4. n. 8. ut debito modo feratur suspensio, ferri debere in scriptis, & exprimi ibi causam ob quam imponitur.

Tertium est denunciatio subsequens, quæ licèt necessaria non sit ut in suspenso omnes suos effectus operetur, tamen requiritur quoad alios, ut hi eum vitare teneantur. Ita Suar. cit. num. 4. qui bené addit Num. 7. Extrav. *Ad vitanda* hoc commodum fidelibus attulisse, ut a suspenso non vitando obtinere possint actus officij & jurisdictionis validos, qui antea non valerent, si a suspenso fierent. Ex quibus rectè infertur grave peccatum committere hujus constitutionis transgressorem.

Suspensus non vitandus.

SECTIO II.

De effectibus suspensionis, & pœnis contra violatores illius.

QUÆSTIO I.

Quos effectus habeat suspensio ab officio?

Effectus suspensionis ab officio.

Certum est 1. suspensionem non privare hominem ipsomet officio sive ordinarij, sive delegati, a quo suspendit: neque tollere potestatem quasi radicalem, sed impedire tantum ejus usum. Constat ex natura & essentia suspensionis quam exposuimus num. 1973. Certum est 2. suspensionem ab officio, si absolutè & absque ulla restrictione feratur, suspendere ab omni officio tam ordinis quam jurisdictionis spiritualis. Nam hæc omnia veniunt appellatione officij, ut cum *Suario d. 26. sec. 1. num. 4.* tenent *Avila 3. p. de censur. d. 2. dub. 1 & Ægid. Bellan. disp. 15. dub. 2. n. 5.*

Ex quibus colligitur sic suspensum nec posse celebrare, nec Sacramenta conferre, nec indulgentias impendere, nec eligere: quia hæc omnia ad clericale officium spectant: posse tamen ingredi Ecclesiam, Sacramenta recipere, officijs divinis interesse, in choro canere more laicorum, & quancunque jurisdictionem temporalem, si illam habeat, exercere. Unde rursus infertur non incurrere irregularitatem ob violatam suspensionem, nisi solemniter exerceat aliquem actum ordini deputatum.

Beneficiū Eccles. collatum suspenso.

2009 Dubium est 1. an possit ad beneficium eligi qui absolutè ab officio suspensus est? *Gaspar Hurtado tr. de suspen. diff. 4. n. 8.* affirmat posse eligi non solum validè, sed etiam licitè. Probat a simili ex *cap. vel non est compos, de temp. ordin.* juxta quod validè & licitè providetur de beneficio Ecclesiastico ordinatus ante legitimam ætatem. Omnes tamen alij Doctores cum *Henriq. lib. 13. cap. 32. n. 3. & Bellano disp. 15. dub. 2. concl. 3.* meritò judicant tale beneficium suspenso etiam tolerato illicitè conferri.

Difficultas est an sit ipso facto irrita talis collatio? Negant *Suar. disp. 26. sect. 3. n. 8. Layman lib. 1. sum. tr. 5. pun. 3. cap. 1. num. 4. & Bellan. disp. 15. dub. 2. concl. 3.* asserentes solum venire irritandam. Quia nullus est textus ipso facto irritans. Hoc satis probabile est: sed probabilius oppositum, quod cum *Flaminio Lessio,* & alijs defendunt *Garcia de benef. 7. p. cap. 14. num. 1. & Palaus d. 4. pun. 5. §. 1. num. 13.* affirmantes esse irritam ipso facto. Sumitur ex *Cap. cum bonæ memoriæ, de ætat. & qualit.* ubi Pontifex respondet non licere retinere beneficia ijs, qui suspensionis tempore ea consecuti sunt.

Suspensus ab officio & non a beneficio.

Dubium est 2. an suspensus ab officio, maneat etiam suspensus a beneficio? Affirmant *Valent. tom. 4. disp. 7. q. 18. p. 1. Bernard. Dias pract. crimin. cap. 3? nu n. 2. & Navarr. lib. 1. consil. in 1. edit. de tempor. ordin. consil. 44.* Probant, quia beneficium est officio accessorium. *Cap. fin. de rescrip. in 6.* Ergo prohibito usu officij, prohibetur usus beneficij.

Suspensus ab officio potest lucrari fructus beneficij.

Negandum tamen est cum *Sanch. lib. 3. matr. disp. 51. num. 12. Suar. disp. 26. sect. 3. num. 4. Bellano disp. 15. dub. 2. concl. 3. & Bonacina tom 1. disp. 3. de suspen. pun. 2. num. 10.* Probatur, quia juxta *cap. inter, de purgat. canon.* & consuetudinem frequentem, aliquando fertur suspensio ab officio, aliquando a beneficio, aliquando ab utroque simul; est igitur signum manifestum suspensionem ab officio non continere suspensionem a beneficio. Ex quibus rectè infertur suspensum ab officio, si obligationibus beneficij satisfaciat per se, vel per substitutum, posse beneficij fructus percipere.

Dubium est 3. an si suspensus ab officio ministret Sacramenta, & in choro exerceat solemniter divina officia, quibus per suspensionem privatus est, lucretur fructus, & distributiones illis officijs iniquè exercitis correspondentes? Negant *Vivald. candelab. sacr. 2. p. in mater. de suspen. n. 171. Rebuff. praxi benefic. tit. de simon. in resig. n. 15. & Covarr. 4. decret. 2. p. cap. 6. §. 8. n. 7.* Probant, quia Ecclesia non concedit illos fructus & distributiones nisi ob ministerium sibi gratum, & Deo acceptum, quale non est illud iniquum.

Affirmandum tamen est cum *Petro Navarra lib. 2. de restit. cap. 2. in nova edit. par. 2. diff. 5. num. 243. Sanch. lib. 3. matr. disp. 51. num. 12. & Avila 3. part. de censur. disp. 2. dub. 1. concl. 6.* Ratio est, quia nullibi reperitur expressum, suspensum ab officio, si illud exerceat, ipso jure privari fructibus tali officio correspondentibus: pœnæ autem sine textu expresso non extenduntur.

Suspensus habet vocem in capitulo.

2010 Dubium est 4. an canonicus, vel similis clericus suspensus absolutè ab officio vocem in capitulo habeat? Negant *Felinus in cap. Apostolicæ, de except.* & Sayrus lib. 4. thes. cap. 5. n. 11. & Glossa in *cap. cum dilectus,* Verbo a *Suspensis.* Probant, quia habere vocem in capitulo est usus & exercitium Ecclesiastici officij, a quo datur illa suspensio. Rectius affirmat *Palaus disp. 4. de censur. pun. 5. §. 1. n. 9.* Ratio est quia habere vocem, & ferre suffragium in capitulo nec est actus ordinis nec exercitium jurisdictionis Ecclesiasticæ, cum laici, imo & fœminæ talem vocem habeant, & sint incapaces ad tale exercitium.

Suspensus partialiter quis.

Dubium est 5. an suspensus ab ordine inferiori, sit etiam suspensus a maiori? Affirmant communiter authores apud *Suarium disp. 26. sec. 4. n. 6. Sayrum lib. 4. cap. 3. regula 1. & Navarrum cap. 27. n. 163.* Unde deducunt Episcopum suspensum a collatione inferioris ordinis censeri suspensum a collatione superioris. Probant, quia ei cui res minoris momenti prohibitæ sunt, dedecet maiora concedi: juxta *reg. cui licet, de reg. juris in 6.*

Oppositum tamen rectius tenent *Suar. cit. n. 11. Fillluc. tr. 17. cap. 2. q. 4. num. 25. Bellano disp. 15. dub. 2. num. 10. Layman lib. 1. sum. tr. 5. part. 3. c. 1. n. 6. & Gaspar Hurtad. de suspen. diff. 4. num. 9.*

Suadetur

Suadetur ex communi axiomate, quòd in pœnis stricta interpretatio facienda est.

Ex hac resolutione, & axiomate in quo fundatur, rectè etiam authores deducunt 1. suspensionem ab ordine, si absoluta sit, non extendi extra officium ordinis, & suspensionem a jurisdictione extra Ecclesiasticam jurisdictionem non progredi. 2. suspensum ab ordine absolutè manere privatum usu cujuscunque ordinis: secùs si sit suspensus a sacris ordinibus: hic enim non impeditur ad usum minorum. 3. suspensum ab ordine posse eligere confessorem, & dare alijs potestatem eligendi: quia in ea electione & concessione non exercet ordinem. 4. suspensum ab aliquo ordine determinato manere privatum usu talis ordinis, & usu illius qui prædicto ordini annexus est. Unde suspensus ab officio sacerdotali, eo ipso prohibetur ab ordine diaconatus & subdiaconatus in Missa exercendo. 5. suspensum ab aliquo determinato actu jurisdictionis, v.g. a collatione beneficiorum, non manere prohibitum exercere alios jurisdictionis actus.

Interpretationis actio in suspensione.

QUÆSTIO II.

Quos effectus habeat suspensio a beneficio?

Apud *Palaum de censur. disp. 4. pun. 2. §. 2.* conveniunt 1. *Suar. disp. 27. sect. 1. n. 2. Ugolin. tab. 4. de censur. c. 8. § 1. Sayrus lib. 4. thes. cap. 6. n. 2. & Henriq. lib. 13. cap. 3. n. 4. & alij* suspensionem a beneficio absolutè latam, non tollere beneficium, sed tollere ejus fructus, scilicet impediendo jus illos percipiendi. Sumitur ex *Cap. cupientes §. cæterum, de elect. in 6.* ubi suspensus a beneficio, si nimium pertinax sit, vel nova crimina committat, solet beneficio privari. Conveniunt 2. suspensionem a beneficio præcisè, sive addatur particula exclusiva (tantum) sive solum taceatur officium, & omnis actus ejus, nec suspendere ab officio, nec impedire aliquem ejus actum: imò nec tollere obligationem exercendi officium. Taliter autem suspensus suo muneri satisfaciet, si authoritate superioris ex causa justa alius loco illius subrogetur, qui de fructibus beneficij alatur.

Suspensionis a beneficio effectus.

2011 Conveniunt 3. si suspensus a beneficio, ejus fructus usurpet, graviter peccare cum onere restituendi absque alia sententia: & nullam pœnam ipso facto incurrere. Conveniunt 4. suspensum a beneficio, qui simul ab officio suspensus est, non liberari ab omni onere: si quidem tenetur in particulari recitare canonicum officium: & si beneficium curatum sit, tenetur saltem per alium officio satisfacere, dum Episcopus non providerit, ignarus scilicet suspensionis.

Dubium est 1. an suspensus absolutè a beneficio absque determinatione hujus vel illius; censeatur suspensus ab omnibus quæ possidet? Respondeo 1. cum *Suario d. 27. sect. 1. n. 10.* quando suspensio a beneficio absolutè lata est, intelligitur quis suspensus ab omnibus quæ ea-

Suspensionis extensio, & interpretatio.

tu possidet. Patet a simili, nam suspensus absolutè ab ordine: item suspensus a jurisdictione, ratione indefinitæ propositionis, ab omni ordine: item ab omni jurisdictione suspensus manet. Quod benè limitatur, quando causa suspensionis ad specialem Ecclesiam spectat: tunc enim solum intelligitur facta suspensio a beneficio talis Ecclesiæ. Unde sequitur, si canonicus vel Episcopus, sub eo nomine suspendatur a beneficio, limitari suspensionem ad canonicatum, vel Episcopatum.

Respondeo 2. cum eodem *Suar. citato n. 15.* quando locutio suspendentis est formaliter aut æquivalenter universalis, comprehendere omne genus beneficij, sive simplex sit, sive dignitas, ut Episcopatus vel Rectoria, imò & pensionem datam ex titulo spirituali, non autem datam sine illo. Si verò suspensio feratur in universali contra hoc vel illud facientes, nec Episcopos, nec eorum superiores comprehendit. *Cap. quia periculosum, de sent. excom. in 6.*

Episcopatus ad suspensionem.

Respondeo 3. cum eodem a num. 17. suspensionem illam latam universaliter, sive a Papa, sive a particulari Episcopo, comprehendere omne beneficium ubicunque illud sit, & possideatur. Nam juxta *cap. postulasti de foro compet.* Episcopus potest deponere clericum sibi subditum ab omnibus beneficijs & officijs, etiam illis quæ in alia diœcesi habet: quanvis executio sit facienda per Episcopum loci. Circa hoc notant benè *Sayrus l. 4. thes. cap. 6. n. 28. & Palaus d. 4 pun. 3. §. 2. n. 2.* quanvis suspensio absolutè lata illa omnia comprehendat, satis probabile esse Episcopum sola beneficia in sua diœcesi sita comprehendere velle, nisi aliud exprimat.

Beneficia a quibus fit suspensio.

Addit *Palaus ibidem* hoc dictum de suspensione a beneficio absolutè lata, dicendum esse de suspensione a jurisdictione, scilicet comprehendere tantum jurisdictionis usum, qui in ea diœcesi exercendus est. Nec obstat suspensum absolutè ab officio ordinis, ubicunque manere suspensum, ut docent citati: quia ordinis exercitium ubique unicum est: at jurisdictio pro diversitate locorum variatur.

2012 Dubium est 2. quinam sint fructus, quibus privat suspensio a beneficio? Benè respondet *Suar. cit. n. 29.* esse omnes reditus temporales, qui ratione beneficij quocunque nomine conferuntur, sive sint pecuniæ, sive fructus terræ, sive animalia, quanvis dentur per modum decimarum, primitiarum, aut oblationum sive ut proventus vel pensiones ex fundis, & alijs bonis immobilibus beneficij. Item procedit de anniversarijs, & stipendijs Missarum, ac similibus quæ vel consuetudine, vel superioris voluntate sunt annexa beneficio.

Fructus beneficij qui perduntur per suspensionem.

Ex dictis infertur 1. quid dicendum sit de distributionibus quotidianis quæ interessentibus divinis officijs impenduntur. Nam *Palaus d. 4. p. 3. §. 2. n. 4. & Casp. Hurt. de suspen. diff. 4. num. 10.* rectè distinguunt: si enim fuere ex-

Distributiones ad suspensum.

tractæ ex fructibus beneficij, deperduntur per talem suspensionem, sicut & alij fructus: secùs si non fuere extractę ex dictis fructibus, sed ex peculiari fidelium fundatione applicantur, esto solis beneficiatis.

Infertur 2. inter beneficij fructus debere computari beneficij administrationem. Unde sic suspensus non potest locare beneficium, neque illius fructus vendere, aliamve præstare actionem quæ ad illius temporalē administrationem spectet. Deinde nequit beneficium permutare, aut in favorem alterius resignare.

Collatio beneficij per suspensum. Inferunt 3. *Henriq lib. 13. cap. 32. n. 4. & Sayrus l. 4. thes. c. 4. n. 7.* inter fructus beneficij computari collationem, & electionem ad beneficium titulo beneficij competentem. Hoc tamen rectiùs negant *Suar. d. 27. sec. 1. n. 14. Bellinus disp. 15. dub. 2. n. 11. & Bonacina de cens. disp. 3. pun. 2. n. 12.* constat ex *cap. cum in cunctis; ult. de elect.* ubi ultra suspensionem a beneficijs indicitur privatio potestatis eligendi.

Episcopus susp. sus. Infertur 4 cum *Suario d. 27. n. 31* omnes actus quos diximus computari inter fructus beneficij, esse invalidos, si a suspenso fiant. Quod de suspēso vitando, seu nominatim denunciato intelligitur. Addit Suar. n. 34. Episcopum suspensum a suo beneficio adhuc posse cōferre beneficia: quia hujusmodi collatio non est propriè fructus beneficij, sed est actus officij.

Suspensus a beneficio non habens congruā sustentationem. Dubium est 3. an suspensus a beneficio possit recipere illius fructus qui necessarij fuerint ad congruam sui & suorum sustentationem? Nota 1. suspensionem a beneficio inducere ipso facto fructuum privationem, ut rectè tradit *Gasp. Hurtado de susp. diff. 4 n. 10.* contra *Petrum Navarra lib. 2. de rest. c. 2. n. 237.* Nota 2. suspensionem posse ferri vel in meram pœnam delicti commissi, vel in contumaciam.

Dico 1. si suspensio feratur in meram pœnam delicti commissi, potest suspensus recipere fructus correspondentes labori, quem impendit serviens beneficio, quales darentur substituto, qui serviret pro eo. Ita *Avila 2. p. c. 6. disp. 6. dub. 1. & Hurtado citat. n.* Quod probabile est, sed probabilius & securius, quod docent *Suar. d. 27. sect. 2 n. 3. & Sayrus lib. 4. cap 6. n. 12.* scilicet posse suspensū eam partem fructuum sibi applicare, quæ fuerit necessaria, ne mendicare cogatur. Quia in voluntate taliter suspensi non est se a tali suspensione liberare.

Dico 2. si suspensio lata fuerit in contumaciam, potueritque suspensus ab ea se liberare pœnitendo, nequit eos fructus recipere. Ita *Ugolin. tab. 4. de cens. c. 8. §. 7. n. 2. & Bonac. disp. 3. de censur. pun. 2 n. 14.* Ratio est, quia cum voluntariè & in contumacia persistens eam privationem sustineat, sibi imputet fructuum sustentatione carere.

QUÆSTIO III.

Quem habeat effectum suspensio alternativa, determinata & conditionalis?

2013 Quæstio de triplici suspensione tres habet partes a nobis expediendas. *Alternativa suspensio.* Prima suspensio appellatur alternativa, & est illa quæ sub disjunctione profertur in hunc modum: *suspendo te ab officio vel beneficio*. Dubitatur, quemnam habeat effectū? Hostiens. & Panorm. in *c. latores n. 7. de clerico excom. ministr.* affirmant esse adequatam suspensionem, nempe comprehēsivam utriusque effectus ab officio & beneficio. Quia nulla est maior ratio, ob quam potius ad officium, quàm ad beneficium determinetur. *Gaspar Hurtad. de susp. diff. 4. n. 11.* & alij dicunt in electione suspensi positum esse illius effectum, ut nempe eligat manere suspēsum vel ab officio, vel a beneficio, sicut quando quis damnatur ad pecuniam, vel exilium, potest eligere: si autem nolit, ad utrunque tenebitur.

Neutri opinioni acquiesco: sed placet asserere cum *Palao d. 4 pun. 5. §. 3. n. 1.* suspensionem illam latam sub illa disjunctione, nullum effectū producere ipso jure. Suadetur ex *l. 3. Cod. de sent. quæ sine certa quant. prof.* ubi pro nulla declaratur sententia incerta, & indeterminata. Sic autem se habet suspensio disjūctivè lata. Nec est simile quod affertur de sententia damnante sub disjunctione ad pecuniam, vel exilium. Quia hæc fertur post delictum commissum, ideoque judex potest cogere reum ad eligendum: suspensio autem annectitur delicto commisso, itaut eo cōmisso statim incurratur.

Secunda suspensio appellatur determinata, & est illa quæ quando fertur tum ab officio, tum a beneficio, determinationem accipit tum ex materia, tum ex loco, tum ex tempore. Singula explicemus. *Suspensionis determinatio.* Determinationem accipit suspensio a materia, quando lata est ab officio tantum ordinis, vel a certo actu jurisdictionis, seu ordinis, & non ab alijs. Similiter ex materia determinabitur suspensio a beneficio, si fiat a beneficijs quæ sunt in uno loco, & non in alijs locis. Itē si fiat quoad partem fructuum, & non quoad omnes fructus.

Locus & tempus ad suspensionem. Determinationem accipit suspensio a loco, quando ita pro uno loco fertur, ut pro alijs locis liberam relinquat personam, ac si careret omni suspensione. Quia sententia suos limites nequit excedere. Determinationem accipit a tēpore, quando fit per mēsem, per annum, aut annum, aut annos, quo tempore elapso cessat omninó suspensio absque alia absolutione, ut docent *Suar. disp. 26. sec. 1. n. 14. & Vivald. tit. de suspen n. 180.*

Temporis computatio in suspensione. Dubium est, qualiter computari debeat annus vel mensis suspensionis, quando anno vel mense illo inchoato, suspensio incurritur? Certū est apud *Sayrum l. 4. thes. c. 8. n 2. & Bonac tom. 1. de cens. disp. 3. p. 3. n. 2.* computandum esse de momento ad momentum, scilicet a puncto quo sētentia executioni mandata est usque ad punctū quo annus, vel mensis finitur. Cui non obstat axioma,

xioma diem termini non esse computandum in termino. Quia interlege non debet in censuris ipso jure latis, quæ secum ferunt executionem.

Difficultas est si tempore suspensionis intervenat bissextus, an dies ille intercalaris habeatur tanquam contentus in illo mense vel anno, an habeatur tanquam distinctus, & extra numerū mensis & anni, in ordine ad computum suspensionis? Videtur habendum pro contento: quia licet physicé dies distinctus sit, tamen moraliter pro uno cum præcedenti computatur. Dicendū tamen est cum citatis habendum esse ut distinctum, & extra numerum mensis vel anni computandum ut ante illum desinat suspensio. Quia annus vel mensis in materia favorabili, qualis est pœnalis, juxta communem usum accipi debet.

2014 Tertiá suspensio appellatur conditionalis, & fertur sub aliqua conditione: quæ cōditio vel a voluntate suspensi, vel a voluntate suspendentis pendere, potest. Pendebit igitur a voluntate suspensi, si feratur suspensio in hunc modum: *Quousque delinquens satisfaciat: quousque delicti pœniteat.* Et tunc in ejus potestate est liberari a suspensione, v.g. per satisfactionem, vel pœnitentiam.

Conditionalis suspensio.

Pendebit a voluntate suspendentis, vel alterius quando ferens censuram dicat: *Qui hoc fecerit maneat suspensus juxta meum beneplacitum, vel juxta beneplacitum Francisci.* Tunc enim succedente morte, cessat suspensio: quia beneplacitū morte finitur. Secus esset, si ferens censuram dixerit: *Maneat suspensus quousq; aliud disposuero, vel quousque Franciscus aliud disposuerit.* Tunc enim suspēsio nō cessabit per mortem: quia per hanc non censetur aliud disponere.

QUÆSTIO IV.

Qualiter peccet ac puniatur qui suspensionem violat?

QUæstio circa violationem suspensionis habet duas partes, alteram de peccato, alteram de pœna violantis. Quod attinet ad priorem, certum est 1. solum suspensum propriè violare posse suspensionem: quia solum ipsi prohibitus est usus officij, vel beneficij. Unde reliqui solum pro ut fuerint occasio talis violationis, peccabunt. Certum est 2. suspensum ab officio, vel beneficio committere peccatum ex suo genere lethale, si suspensionem violet. Dixi (ex suo genere) quia ex parvitate materiæ veniale esse poterit: v.g. in suspenso a jurisdictione receptio unius testis, in suspenso ab ordine minorum ordinum usus.

Suspensionis violatio.

Difficultas est, an suspensus ab officio possit licitè illud exercere ad instantiam, seu petitionē aliorum fidelium? Ut decidatur, oportet distinguere inter suspensum non denunciatum. Dico igitur 1. Suspensus ab officio non denunciatus potest ad petitionem fidelium, licité ministrare officia, a quibus suspensus est. Ita *Suar. disp. 26. sec. 1. n. 2. Sayrus l. 4. thes. c. 11. n. 2. & Gasp. Hurt. de susp. diff. 5. n. 1.* Probatur, quia fidelium petitio suspendendo censuræ prohibitionem juxta *Extrav. ad evitanda scandala*, reddit actum licitum.

Suspensionis denunciatio.

Dico 2. Suspensus denunciatus, secluso scandalo, & extra casum urgentissimæ necessitatis, officia a quibus suspensus est licite exercere nequit etiam a fidelibus rogatus. Ita *Henriq. lib. 13. c. 33. n. 3. Suar. d. 26. sec. 2. n. 7. & Avila 3. p. ut. s. 2. dub 4.* Ratio est quia licet ex vi suspensionis non prohibeatur communicare cum fidelibus, ideoque hi possint licité Missæ, alijsque officijs divinis a suspenso peractis assistere, tamen post denunciationem omninó impeditur exercere suum officium etiam rogatus, itaut etiam rogans peccet ob cooperationem pravam.

2015 Quod attinet ad posteriorem partem de pœnis, quas incurrit violator suspensionis, duplex assignari solet, altera est irregularitas, altera annullatio actus a suspenso præstiti. Circa irregularitatem recté consentiunt *Valent. tom. 4. disp. 7. q. 18. pun. 1. Sayrus l. 4. c. 16. n. 3. Filliucius tr. 17. c. 11. q. 4. & Bonac. de cens. disp. 3. pun. 4. n. 5.* ob solam violationem suspēsionis ab ordine sacro, ejus officiū solemniter exercendo contrahi irregularitatem. Habetur in *Extrav. Pij II.* que incipit, *cum sacrorum*, & ex *c. 1. de senten. & re judic. & c. cum medicinalis eod. tit. in 6.*

Pœna violantis suspensionem.

Dixi (ab ordine sacro) quia non incurritur irregularitas a violatore suspensionis ab ordinibus minoribus: quam horum officia etiam solemniter a laicis præstari solēt. Adde nec incurri a violatore suspensionis ab ordine sacro, nisi quando officium ordinis sacri sic exercetur, ut non nisi ab initiatis eo ordine possit exerceri. Unde qui nec diaconi, nec subdiaconi sunt, canunt tamen absq; manipulo vel stola Epistolam vel Evangelium, irregulares non fiunt. Sic enim canere nō est actum ordinis formaliter exercere. Similiter suspensus ab ordine diaconatus, vel prędicandi munere irregularis non fiet, quanvis superpelliceo concionetur. Si quidem usus concionandi non ordinatis concedi potest ab Episcopo.

Irregularitas violantis suspensionem.

Dixi (ob solam violationem suspensionis ab ordine sacro) quia ob nullam aliam suspensionis violationem irregularitas incurritur: non ob violationem suspensionis a jurisdictione, non ob violationem suspensionis a beneficio: & sic de alijs, ut videre est apud citatos, & Palaum d. 4. pun. 6. n. 6.

Circa alteram pœnam, quæ est irritatio actus exerciti a suspenso, recté monent *Suar. d. 27. sec. 2. n. 2. Sayrus l. 4. c. 11. n. 15. & Bonac. tom. 1. disp. 3. p. 4. in fine.* Solum habere locum in ijs quæ pendent ab Ecclesia, qualia sunt Ecclesiastica jurisdictio, & beneficium. In his ergo suspensus qui operetur, invalidum actum faciet, si denunciatus sit: secùs ante denunciationem requisitus.

Irritatio actus in suspenso.

homicidio in 6. contra eos qui per assassinum ali- *Assassini.* quem Christianum fecerint interfici vel mandaverint, esto mors non sequatur. *Palaus num.17.*

Usurarij ejiciendi. *Decima octava* continetur in *cap. usurarum de usuris in 6.* adversus clericos usurarijs alienigenis domus locantes, aut alio titulo cōcedentes I. Gregor. X. prohibet manifestis usurarijs alienigenis domus locare, aut alio titulo concedere ad fœnus exercendum 2. permittere in terris suis domus conductas habere, aut alias habitare 3. intra tres menses a terris suis expelli. Personis Ecclesiasticis, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis pœnam suspensionis indicit: horum inferioribus, si singulares personæ fuerint, excommunicationis sententiam imponit: collegium, seu aliam universitatem interdicto subjicit. Laici verò per suos Ordinarios sunt compescendi. *Pal. n. 18.*

Represaliarum prohibitæ. *Decima nona* habetur in *c. unico de injurijs in 6.* adversus concedentes represalias contra personas Ecclesiasticas, vel concessas in laicos ad Ecclesiasticos extendentes. *Pal. n. 19.*

Vigesima fertur in *c. felicis de pæn. in 6.* adversus Principes, aliosque dominos temporales & judices non observantes ea quæ ibidem præscribuntur, contra hostiles invasores Cardinalium. *Palaus n. 20.*

§. 4.

Numerantur latæ ipso jure in libris Clementinarum.

1001 PRIMA habetur in *Clemen. unica de sequestrat. possess. & fruct.* adversus impedientes sequestrationem ab Ordinario factam *Sequestratio.* de beneficio super quod lata est sententia definitiva a Sede Apostolica contra possessorem illius non triennalem. *Pal. pun. 34 n. 1.*

Sepultura in interdicto. *Secunda* habetur in *Clemen. 1. de sepult.* adversus eos qui mortuos tēpore interdicti sepeliunt, vel excommunicatos vel usurarios. *Pal pun. 34 n. 2.*

Decimæ. *Tertia* est in *Clemen 1. Religiosi, de decimis* adversus religiosos usurpantes decimas, vel impedientes earum solutionem. *Pal n. 3.*

Quarta habetur in *Clemen. Ne in agro §. quia verò de statu monach.* adversus monachos & canonicos regulares adeuntes curias Principum animo nocendi suis prælatis, vel monasterijs. *Palaus n. 4.*

Quinta habetur in eadem Clemen. adversus monachos tenentes arma intra septa sui monasterij. *Pal. n. 5.*

Sexta habetur in Clement. *attendentes de statu monach.* adversus impedientes visitatores monialium in suo munere, nisi moniti resipiscant. *Pal n. 6.*

Begguinorum status. *Septima* continetur in *Clem. 1. de religiosis domibus* adversus fæminas statum Beghinarum assumētes, & adversus religiosos, qui prædictas Beghinas fovent in earum statu, & suadent ut prædictum habitum sumant, & ad id auxilium consilium, vel favorem prestant. *Pal. p. 34. n. 7.*

Gradus prohibiti. *Octava* habetur in *Clem.* unica de *consang. & affinit.* adversus contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis. *Pal. n. 8.*

Nona est in *Clemen. volentes 2. de hæret.* adversus eos qui prætextu officij Inquisitionis pecuniam illicitis modis extorquent, vel ob delictum clericorum bona Ecclesiarum confiscant. *Palaus n. 9.*

Decima fertur in Clement. *Ex gravi unica de usuris*, contra officiales communitatum usuris faventes. *Pal. p 34. n. 10.*

Undecima est in Clemen. *Cupientes, de pænis* adversus religiosos mendicantes novas domos ad habitandum acquirentes, sine Sedis Apostolicæ facultate, vel acquisitas alienantes *Pal. n. 11.*

Duodecima est in eod. cap. adversus religiosos qui suis sermonibus, vel alibi a decimarum solutione auditores retrahere intendunt *Pal. n 12.* *Decimæ.*

Decima tertia fertur in Clement. *Cupientes de pænis* circa finem, adversus eosdem religiosos, qui negligentes fuerint in decimarum solutione suadenda pœnitentibus, & moniti a suis superioribus ausi fuerint prædicare non purgata negligētia. *Pal. n. 13.*

Decima quarta habetur in Clemen 1. ex *frequētibus, de sent. excom.* adversus religiosos non servantes interdictum locale generale, vel cessationem a divinis positam authoritate Sedis Apostolicæ, vel ordinarij illius loci. *Pal. n. 14.*

§. 5.

Numerantur contentæ in libro Extravagantium.

PRIMA habetur in Extrav. *super gentes unica de consuet.* ubi ipso facto excommunicantur qui impediunt Legatos Sedis Apostolicæ, ne regna vel provincias, ad quę missi sunt, ingrediātur neve ibi officium suum liberè exerceant. *Palaus pun. 35. n. 1.* *Legatorū impeditio.*

Secunda in Extrav. *Sancta Romana* Joann. 22. *de religios. domib.* adversus eos qui fictam Fratricellorum, Birochorum, seu Beguinorum religionē profitentur eam de novo sumendo, vel in illa perseverando. *Pal. 2.* *Beguini.*

Tertia in Extrav. Ut prælatorum 2. & in Extrav. *Et si deceat 3. de maiorit. & obed.* adversus Episcopos Romam latenter venientes, & ab ea recedentes sine Pontificis licentia: & adversus eos qui prædictos Episcopos sic venientes receperint ante quam S. Pontificem ad moneant de prædictorum adventu. Pal. p. 35. n. 3. *Episcopi.*

Quarta in Extrav. *Ambitiosæ, de rebus Eccles. alienan.* adversus prælatos alienantes bona Ecclesiæ seu locorum piorum sive immobilia, sive mobilia pretiosa sine licentia Summi Pontificis extra casus a jure permissos. *Palaus p. 35. n. 4.* *Alienatio Ecclesiasticorum.*

Quinta est in Extrav. *Quia nonnulli* ult. de sent. excom. Adversus impugnatores litterarum Sūmi Pontificis legitimè electi, sed nondum coronati. *Pal. n. 5.*

Sexta potest referri ex Extrav. 2. *de Treugua & pace* ubi Germani religiosi, & parochi illius provinciæ non servantes pacem, & concordiam inter se statutam, de qua in prædicta Extrav. fit men-

mento excommunicationi subjiciuntur, a qua nequeunt absolvi nisi de consensu partis læsæ, & præstita satisfactione. *Pal. p.35.n.*

§. 6.

Numerantur sententiæ in concilio Tridentino.

2002 PRIMA habetur *sess.4 decreto reform.* adversus imprimentes libros, seu eos retinentes sine nomine authoris & debita approbatione. *Palaus pun.36.n 1.*

Secunda in Trident.sess. 13.can.11.contra eos qui præsumpserint prædicare, vel pertinaciter asserere, vel publicè disputando defendere non esse necessariũ ijs quos conscientia peccati mortalis gravat, habita confessoris copia, præmittere Sacramentalem cõmunioni recipiendæ. *Palaus cit. n. 2.*

Confessio ante Euchar.

Tertia in Trid.*sess.24.c.6 de reform* adversus raptores fœminarum eisque auxilium vel favorem præstantes. *Pal.n.3.*

Raptus fœminarũ.

Quarta ex Triden.*sess.24.cap.1.de reform.* contra eos qui negarent matrimonia clandestina vera & rata esse quandiu Ecclesia ea irrita non fecit: & matrimonia a filijs familias contracta sine consensu parentum irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse. *Pal.n 4.*

Quinta fertur *sess.24.c.9. de reform.* adversus quoscunque cujusvis conditionis, & dignitatis existant, qui subditos suos, vel alios ad matrimonium contrahendum directé, vel indirectè cogunt. *Pal.n.5.*

Matrimonium.

Sexta habetur *sess.25.cap.5.de regul.* contra seculares magistratus negantes auxilium, vel favorem prælatis Ecclesiasticis ad clausuram monialium cum fuerint ab eis moniti, & requisiti. *Pal. n.6.* *Septima* in *eod.c.5.* adversus quoscumque ingredientes monialium monasteria absque licentia prælati habita in scriptis, causa legitima intercedente.

Moniales.

Octava sess.22.cap.18.de regul. adversus quoscũque cogẽtes fœminam ad religiosam vitam. *Pal. p.36.n.8.*

Coactio ad religionem.

Nona eodem *cap.* 18. fertur contra impedientes fœminarum professionem. Palaus n.9. *Decima* habetur *sess.22.cap.19.de reformati.* & fertur adversus varias personas causa duelli.n.10.

Professio fœminarũ.

§. 7

Numerantur latæ ipso jure, & tum extra corpus juris tum extra Tridentinum contentæ.

PRIMA est Innocentij VIII ordine 13.& fertur contra ficté resignantes, vel permutantes beneficia. *Pal p.37.*

Secũda est in Bulla Leonis X.quæ incipit: *Dudũ per nos* cujus materia est prædicare, vel privatim docere indulgencias S.Mariæ ad populum obtineri a secularibus posse, visitãtibus Ecclesias privilegiatorum. Videtur jam cessasse. *Palaus p.37. numero.2.*

Tertia est Leonis X.*in privilegijs Minorum*, & fertur adversus Fratres, & Moniales S.Claræ, eo quòd Bulla Cruciatæ, alijsque confessionalibus utantur absque licentia suorum superiorum. Videtur cessasse. Palaus n.3.

Quarta est ejusdem Leonis X. contra Fratres reformatos Ordinis S.Francisci transeuntes ad nõ reformatos, & adversus ipsos recipientes Palaus num.4.

Quinta est in Bulla ejusdem Papæ, quæ incipit *Inter Multiplices*, adversus impugnãtes mõtem Pietatis constitutum juxta formam ab ipso præscriptam. *Palaus n.5.*

Sexta est Julij 2.in Bulla incipiente *Exponi* cõtra Fratres S.Francisci de Paula, recipientes religiosos Minores de observantia, absque licentia Pontificis. Pal.n.6.

Septima est in Bulla Pauli 2. & incipit, *Cum omnibus*, adversus delegatos Pontificis concedentes alienationem bonorum Ecclesiasticorum fieri in damnum Ecclesiæ: & adversus dolose procurantes fieri hujusmodi alienationem. *Pal. pun. 37. n. 7.*

Octava potest referri a Pio 4. in Bulla incipiente: *Decet Romanum*, & fertur contra ministros status Ecclesiastici, qui mulctas & confiscationes seu alias pœnas pro quibuscunque delictis solvendas, & luendas in civitatibus, terris, locis Põtifici immediatè subjectis alteri quam Cameræ Apostolicæ applicant, nisi forte ex Pontificis decreto, aut consuetudine applicatæ sint pro reparatione murorum, pontium, aut locorum piorum. Pal.n.8.

Nona est in Bulla Pij IV. quę incipit *In sacro sancta*, adversus Doctores, universitatem, & alios habentes facultatem doctorandi, permittentes aliquem gradu Doctoris insigniri, vel cathedram ascendere non præmissa fidei professione. *Palaus pun.37.n.9.*

Doctores ad professione fidei.

Decima refertur in Bulla Pij IV. quæ incipit: *Superna providentia* adversus eos qui per se, vel per alios se intromittere in officijs notariatuum vẽditis, aut vendendis per Cameram Apostolicam, vel notarios ea ementes vexare præsumunt. Palaus n.10.

Undecima habetur in Bulla ejusdem Pij IV. quę incipit *In sublimi* adversus maiorem Pœnitentiarium, & officiales Pœnitentiariæ se intromittẽtes in expeditionibus prohibitis in dicta Bulla. Pal.n.11.

Duodecima habetur in Bulla ejusdem Pij IV. quę incipit *Universi gregis* contra procuratores officij correctoris Cancellariæ Apostolicæ, & litterarum minoris justitiæ, seu contradictarum, qui se intromittere præsumunt in causis sibi interdictis in dicta Bulla. Palaus p.37.n.12.

Officiales.

Decima tertia est in Bulla ejusdem Pij IV. quæ incipit, *Et si Romanum Pontificem*, adversus Nuncios, aliosque missos a Pontifice ad Imperatorẽ, Reges, Duces, aliosque Principes; si ab eis impetrent litteras, aut favores ad dignitates a Romano Pontifice obtinendas. Pal.p.37.n.13.

Nuncij.

Decima quarta habetur in Bulla Pij IV. quæ incipit, *Cum cives*, adversus judices, & gubernatores status Ecclesiastici, qui licentiam concesserint quoquo modo tormenta ignea vulgo *arcabuzes* brevioris mensuræ duorum palmorum deferendi, retinendi, vendendi, emendi, aut quovis alio titulo recipiendi: & adversus eos qui prædicta arma prætextu dictarum facultatum deferunt, vel retinent *Palaus cit. n.* 14.

Tistolates.

Decima quinta est in Bulla ejusdem Pij IV. quę incipit: *Benedictus Deus*, adversus Tridentini glossatores. Pontifex enim, ut decreta hujus Concilij sinceré observentur, inhibet omnibus tam Ecclesiasticis, quàm laicis prælatis sub interdicto ab ingressu Ecclesiæ: alijs veró sub excommunicatione latæ sententiæ, ne glossas, annotationes, scholia, ullum ve omninó interpretationis genus super ipsius Concilij decretis quocunque modo edant, aut quiquam quocunque nomine, etiam sub prætextu maioris Decretorum corroborationis, aut executionis aliove quæsito colore statuant. *Pal. n.* 15.

Tridentini glossatores.

Decima sexta sumitur ex Bulla Pij V. quæ incipit *Sanctissimus*, & fertur contra magistratus, judices, & gubernatores jurisdictionem habentes in quavis parte mundi, qui Illust. Cardinaliũ Supremæ Inquisitionis mandatis & præceptis S. Inquisitionis officium spectantibus, non obedierint. *Pal. n.* 15.

Gubernatores. *S. Inquisitio.*

Decima septima est in Bulla Pij V. quæ incipit, *Si de protegendis*, adversus eos qui Inquisitores, & Episcopos Officium Inquisitionis exercentes, aliosque S. officij ministros, denunciatores, accusatores vel testes in causa fidei occiderint, verberaverint, dejecerint, aut perterrefecerint: qui ve Ecclesias, ædes, aliasve res sive publicas, sive privatas officij, aut ministrorum expugnaverint, invaserint, incenderint, expilaverint, &c. apud *Palaum p.* 37. *a n.* 17.

Ministri S. officij.

Decima octava est in Bulla Pij V. quę incipit, *Exigit*, ubi excommunicatio & suspensio a divinis indicitur adversus omnes, & singulos quacũque authoritate, etiam Cardinalitia fulgentes, qui collegium, & deputatos fabricæ S. Petri occasione ipsius fabricæ ausi fuerint molestare: seu si ob aliam causam molestiam inferant. *Palaus num.* 18.

Fabrica S. Petri.

Decima nona, colligitur probabiliter ex Bulla Sixti V. quæ incipit *Cæli & terræ*, quæ est adversus incantatores, & judiciarios. *Palaus n.* 19.

Judiciarij.

Vigesima desumitur ex ejusdem Sixti V. Bulla quæ incipit, *Effrenatam*, & fertur contra causantem abortum. Gregor. 14. in Bulla, *Sedes Apostolica* temperavit, ne esset reservata: item ne daretur, nisi fœtus animatus fuerit. Extenditur ad auxilium, consilium & favorem præstantes, dũmodo abortus sequatur. *Palaus n.* 20.

Abortum.

Vigesima prima est in Bulla Greg. XIII. incipiente: *Omni certe studio* contra eos qui Agnos Dei benedictos depingunt, & sic depictos venales proponunt, vel retinent. *Palaus n.* 21.

Agnus Dei.

Vigesima secunda continetur in Bulla Pij V. quę incipit *De salute gregis*, adversus taurorum, aliarumque ferarum agitationem. Ubi Põtifex sub excommunicatione ipso facto incurrenda prohibet omnibus & singulis Principibus, etiam si reguli vel Imperiali dignitate præfulgeant, ne in suis provincijs, civitatibus, terris & oppidis hæc spectacula fieri permittant &c. Hanc constitutionem temperavit Gregor. XIII ne procedat in laicis & equitibus ordinum militarium, dummodò in diebus festivis tauri non agitentur. Postea tam Sixtus V. quám Clemens VIII. huic prohibitioni nonnulla addiderunt. De quo laté *Palaus p.* 37. *n.* 22. *Bonacina tom.* 3. *de censur. disp.* 2. *q.* 4. *pun.* 7. & exactissimè *Baptista Fragosus de regimine parte* 1. *lib.* 1. *disp* 2. *s.* 10. *a n.* 83. Videatur Pelizar. tom. 2. tr. 6.

Taurorum agitatio.

Vigesima tertia habetur in Bulla cœnæ Domini adversus præsumentes absolvere delinquentes a censuris incursis ob delicta in Bulla cœnæ Domini contenta. Ait enim Pontifex: Quod si forte aliquis contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus. Hæc censura incurritur ipso facto, sed reservata nõ est. *Pal p.* 37. *n.* 23.

Bulla cœnæ. *Absolutio a censuris cœnæ.*

Nulla ex his 23. excommunicationibus reservata est.

TRACTATVS XLVIIII.

De Suspensione, interdicto, & cessatione a divinis.

SECTIO I.
De essentia, & causis suspensionis.

QUÆSTIO I.
Quid & quotuplex sit suspensio: & qualiter differat a depositione, & degradatione?

Suspensio nomen.

2003 PRO expedienda priori quæstionis parte de quidditate & multiplicitate suspensionis, notandum est 1. suspensionẽ derivari a verbo *Suspendo* quod apud Latinos significat sursum pendo, seu alté ligo, ut pendeat, & sumitur pro quadam incertitudine & perplexitate. Apud Legistas idem valet atque suspendium, certum supplicij genus, vulgo dicimus *pena de forca*. Unde suspendiosi qui suspensi sunt *l. Ulciorum ff. de his qui not. an. infam.*

Apud Canonistas & Theologos eandem fere significationem retinet, diversæ tamen materiæ applicatam: nam *Suspendere* significat actum pendentem

dentem facere & suspensio refertur ad ipsum ex ... beneficii, ordinis, & juris ... pendentis tenear.

N... suspensionem accipi tripliciter 1. ... importat prohibitionem ... qualiscunque actus ille sit, ... prout dicit prohibitionem ... vel spiritualibus annexi ex ... causa, & quomodocunque eveniat talis prohibitio, sive ex modo inculpato, ut ha... sive ex vi alicujus censuræ ... sive ex peccato lethali, in ... ordines exercere prohibetur.

Suspensio ... quotuplex.

5 Mag. stricté & proprié pro censura Ecclesiastica: in qua acceptione definitur ab *Ægid. Bon... disp. 15 dub. 1. n. 1.* in hunc modum: *Suspensio est censura Ecclesiastica, qua clericus privatus usu potestatis ... officii, clericalis aut beneficii ...* A Suario d... 25. sect. 1. n. 2. sic definitur: *Est censura Ecclesiastica qua minister Ecclesiæ impeditur, ne ... Ecclesiasticas exerceat, aliqua vel Ecclesiæ ... potestate utatur.* Utraque bona est, & ... particula (censura Ecclesiastica) est loco generis, per quam suspensio convenit cum aliis censuris. Reliqua sunt loco differentiæ, per quam suspensio ab aliis differt. Quanvis enim excommunicatio & interdictum privent Ecclesiasticis functionibus, at non privant eo modo, quo suspensio, hæc enim privat illis, quatenus sunt usus alicujus potestatis Ecclesiasticæ provenientis ab officio, vel beneficio.

Suspensio ... quotuplex.

Quod attinet ad multiplicitatem, dividitur 1. ex parte causæ ... in suspensionem a jure & suspensionem ab homine, quæ divisio patet ex divisione censuræ quam exposuimus num. 1848. Dividitur 2. ex parte materiæ, & fit in ... totalem, qua quis suspenditur, vel solū ab officio, vel solum a beneficio. Ad has pertinet suspensio Maior & Minor: nam illa pluribus, hæc paucioribus privat: & quidem suspensio Maior, non nisi propter culpam lethalē, Minor etiam propter venialem ferri potest.

Dividitur 3. ex parte modi suspēdendi in absolutam & conditionatam: absoluta est quæ secum defert executionem: conditionata non habet executionem nisi postquam ponitur conditio. Dividitur 4. ex parte durationis & est triplex: prima fertur simpliciter absque ulla mētione temporis. Secunda fertur cum determinatione temporis, v.g. usque ad annum, vel donec satisfecerit. Tertia fertur cum exclusione temporis, scilicet ... perpetuum. Dividitur 5. ex parte cessationis & est duplex altera quę cessat absque ... lapsum temporis: altera per ... alicujus actus.

1994 ... de discrimine inter suspensionem, depositionem, & degradationem ... suspensio ... convenientia & discrimine ...

... degradatio ...

pam. ult. convenire 1. quod utraque sit pæna Ecclesiastica 2. quod etiam depositio privet Ecclesiasticis functionibus 3. quod utraque sit propria pæna clericorum 4. quod sicut suspensio esse potest ab officio & beneficio, ita & depositio.

Differunt autem juxta citatos 1. quod suspēsio non privet proprie ipso officio, aut beneficio, sed solum eorum usum impediat; & depositio utroque privet 2. quia suspensio ex natura sua non exigit, ut sit perpetua, sed potius ut sit temporalis, quanvis perpetuitas ei non repugnet: é contra depositio exigit, ut sit perpetua: ex quo sequitur tertium discrimen scilicet quod in suspensione longé facilius dispensetur, quam in depositione.

Dubium est 2. quomodò differant inter se depositio & degradatio? Nota ex citatis pro utriusque intelligentia, depositionem esse duplicem, alteram verbalem quę fit verbis, quando sententia profertur, alteram realem, quæ fit re ipsa quādo sententia executioni mandatur. Quanvis igitur *c. 2. de pœnis in 6.* tam depositio verbalis, quā realis appellari soleat degradatio, tamen in rigore sola depositio realis degradatio est. Comparantur enim inter se sicut sentētia, & sententiæ executio: nam per verbalem depositionem profertur sententia: per degradationem executioni mandatur.

Depositio quid & quotuplex.

Degradatio quid.

Verbalis depositio & degradatio (inquit *Suar. de cens. disp. 30. sec. 2 a n. 2.*) conveniunt in eo quod utraque sit pæna Ecclesiastica, & propria clericorum, neutra privet charactere clericali, & neutra feratur a jure ipso facto incurrenda, sed pro hominis sententiam imponatur: & utraque reddet hominem infamem. Differunt 1. quod degradatio non requirat præsentiam aliorum Episcoporum, sicut verbalis depositio: nam prolata sentētia coram alijs Episcopis, postea solus Episcopus potest publice degradationem complere 2. quod degradatio privat privilegio clericali, non autem depositio. Unde fit, ut percutiens degradatum nō incurrat censuram canonis (*si quis*) secus, si depositum percutiat.

Degradationis & depositiones convenientia.

Deinde per degradationem privatur quis privilegio fori, ut possit judex secularis contra illū procedere: secus per depositionem. Ex dictis apud Suar. citatum n. 9. definitur depositio verbalis sic: *Est privatio perpetua clericalis muneris per canonicam sententiam cum debita solemnitate probata.* Degradatio autem, seu depositio realis sic: *Est perpetua privatio clericalis muneris, & privilegij effectu post finalem sententiam ad ... actione & ceremonia per canones instituta.* Quænam sit dicta solemnitas exponit *Suar. disp. 30. sect. 1.*

Privilegium fori in depositio & degradatio.

2015 Pro complemento hujus doctrinæ Palaus citatus ... recte observat 1. depositionem in perpetuum juxta ... *ablaum ... de judic.* & Bonac... tom. 1. de censur. disp. 4. ... n. 6. infligi solere ob adulterium, stuprum, furtum, homicid... & alia crimina ... Sed ... (...) ... quando disciplina Ecclesiastica vigebat, nunc etiam ... tandem

Depositio quorum ... pæna.

tamen talis non sint, nisi ex objecto, & circunstantijs extrinsecis reddantur.

Degradatio ob quæ crimina. Observat 2. crimina ob quæ venit degradandus actualiter clericus in sacris, esse hæresim, falsificationem litterarum Apostolicarum, Sodomiam non semel sed aliquoties commissam, calumniam seu conspirationem in proprium Episcopum accedente incorrigibilitate. An sacerdos, vel religiosus, esto incorrigibilis non sit, degradari possit ob alia crimina? Negant *Fosius tr. criminis. de falso comp. n. 135. & Scaccia de judic. p. c. 11. n. 60.* Recte vero *Molina tr. 3. disp. 49. n. 19. & Barbosa de pot. Episc. 3 p. alleg. 110. n. 13.* affirmant pro quolibet crimine enormi, & notabiliter scandaloso posse clericum in sacris actualiter degradari & tradi sæculari curiæ.

Degradati restitutio. Observat 3. n. 14. regulariter solum Pontificem tacita depositione vel degradatione depositum & degradatum restituere ad suum pristinū statum. Dixi (regulariter) quia si crimina, ob quæ depositus quis fuit, minora fuerint quàm adulterium, poterit dispensare Episcopus post pænitétiam peractam, ut ex *c. At si clerici, de judicijs* rectè tradit *Bonac. d. 4 p. un. n. 11.* Dubium est, an indigeat Episcopus consensu Capituli ad dispensádum.? Affirmat Panormit. ex citato cap. ubi sunt hæc verba potest Episcopus cũ *clericis*, quasi clerici cum Episcopo componant causam dispensádi. Negandum tamen est cum *Romano consil. 325. & Bonac. na citato, un. un. ad finem.* Quia consuetudo jam obtinuit ut solus Episcopus dispenset.

QUÆSTIO II.

Quæ sit causa effectiva, & subjectiva suspensionis?

Suspensionis author seu causa efficiens. Duplex proposita causa respicit genus duplex personarum, alterum a quo egreditur suspensio, & alterum in quo recipitur. Quod attinet ad prius, seu causam effectivam suspensionis, conveniunt authores cum *Suario disp. 28. sect. 1 Sayro lib. 4. thes. c. 2 n. 1. & Ugolino tab. 4. c. 1.* omnē & solum illum qui potest excommunicare, posse suspendere. Cum igitur suspensio emanet vel a jure, vel ab homine, emanans a jure, a solo juris conditore, emanans ab homine, a quocunque habente potestatem sive ordinariam, sive delegatam excommunicandi provenire potest. Cum enim omnes censuræ tendant ad eundem finem, seque mutuò juvent pro rebellium contumacia frænanda regulariter committitur potestas pro omnibus censuris ferendis.

Circa suspensionem a jure & ab homine, & conditiones ad utranque requisitas sufficiat quæ diximus supra de censuris in communi tract. 27 sect. 1. *Alex. in c. 3 inc. 1 de excess. pral.* præcipitur Episcopis sine juramento capituli presbyteros attentare suspendere vel Ecclesiam eorum interdicere. *Sua. n. 4. 2.* ad hoc decretum notat 1. si Episcopus illud non servat [illegible] presbyteros [illegible] [illegible], ciry [illegible] [illegible] clericis, sed de [illegible] [illegible]. Notat 3. [illegible] tantum

Episcopus suspensus.

de suspensione lata in vindictam delicti [illegible] commissi, & non de suspensione, quæ est [illegible] medicinalis. Addit Palaus disp. 4. pun. 3. n. 2. [illegible] solemnitatem judicij seu consensum capituli [illegible] desuetudine abrogatam.

Abbatissa suspensione. Dubium est an Abbatissa possit ferre sententiam suspensionis? Affirmant *Henriq. l. 13. et ex com. & suspen. cap 35. n. 1. & Sylvest. v. Abbatissa, & v. Suspensio n. 1.* Probatur ex [illegible] [illegible] ubi dicitur posse Abbatissam clericos Ecclesiæ sibi subditarum suspendere. Negandum tamen est cum *Suar. do et de suspen. c. 35. n. 1 & Sanch. l. 4. th. c. 2 n.* Ratio est quia Abbatissa [illegible] quæ habet fæmina non est capax jurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ potestas requiritur ad ferendam censuram: illa autem suspensio, de qua loquitur textus citatus non est censura, sed solum quædam prohibitio.

Clerici & Episcopi persone suspensionis. 2006 Quod attinet ad posterius, seu causam subjectivam, in qua recipitur suspensio, nempe personas quæ suspendi possunt: certum est 1. defunctum capacem non esse suspensionis, sicut nec excommunicationis: quamvis utriusque censuræ hujus effectus post mortem extendantur. Nam sicut mortuus ob antecedentem excōmunicationem privatur Ecclesiastica sepultura, ita ob antecedentem suspensionem fructibus beneficij privari potest.

Certum est 2. suspensionem quà censuram in solum clericum posse cadere. Patet, quia suspensio versari necessariò debet circa officium vel beneficium Ecclesiasticum, quorum laici incapaces sunt. Certum est 3. quēlibet clericum quacunque dignitate emineat, excepto Sūmo Pontifice posse suspendi: at sub generali decreto suspensionis non comprehendi Episcopos, nisi de ipsis expressa mentio fiat. Habetur ex *c. quia periculosum de sent. ex com. in 6.*

Episcopi ad suspensionem incurrendam. Dubium est 1. utrum in hoc privilegio exceptionis contineantur soli Episcopi consecrati, an extendatur ad confirmatos, imo & solum electos? Videtur contineri solos consecratos. Quia alij propriè Episcopi non sunt: sicut enim non dicitur propriè sacerdos qui presbyter consecratus non est, ita non dicitur propriè Episcopus, qui talis consecratus non est

Dicendum tamen est cum *Henriq. lib. 13. c. 34. n. 2. Suario disp. 28. sect. 2. n. 7. Layman l. 1. sum. tr. 5. par. 3 cap. 2. & Gonzale Hurtado de suspen. diff. 9. n. 23.* extendi ad confirmatos, imo ad solos electos. Ratio est, quia alia privilegia, qualia eligendi cōfessorem, & altare viaticum extenduntur: ergo idē dicendum de privilegio illo exceptionis.

Religiosi sub suspensione. Dubium est 2. an religiosi contineantur sub suspensione lata generaliter contra omnes clericos? Constat non comprehendi religiosos qui nec prima tonsura [illegible] [illegible] clerici non sunt. Si autem fuere illa initiati, quamvis aliqui negent comprehendi, [illegible] tamen [illegible] docet *Sua. disp. 28. sect. 2. n. 9.* Quia hoc nomen (clericus) in decretis ex [illegible] [illegible] & [illegible] clerici indifferens est ad [illegible] & religiosos.

Dubium est 3. an & qualiter feratur suspensio in communitatem? Constat posse ferri, ex *Cap. unico, ne Sede Vacante in 6.* ubi communitas quæ talis ab officio conferendi beneficia suspenditur. Qualiter autem possit ac soleat suspendi, explicat *Palaus de censur. disp. 4. pun. 2. n. 7.* nempe quod Capitulum Sede Vacante possit suspendi 1. ab officio & exercitio ordinis, ne scilicet Sede Vacante confessores creet, & Episcopos vocet ad ordines conferendos. 2. possit suspendi a beneficio, itaut privetur fructibus beneficij, & impediatur ne suos faciat. 3. possit suspendi, non quatenus communitas est, sed quoad singulares personas quæ inveniantur culpabiles. Vide Suar. d. 28. sect. 3.

Communitas ut suspenditur.

Dubium est 4. an semel suspensus iterum suspendi possit? Bene respondet *Palaus citatus n. 8.* affirmative dicens posse iterum suspendi, non solum quando suspensiones sunt diversæ, sed etiam quando sunt ejusdem rationis, dummodò causæ & tituli multiplicentur, sicut de excommunicatione multiplicata dictum est.

QUÆSTIO III.

Quæ sit causa finalis, & formalis suspensionis?

2007 UT expediamus priorem quæstionis partem de causa finali suspensionis, præcipua difficultas est, an suspensio ut feratur, semper prærequirat culpam, & quam culpam? Notabis suspensionem vel accipi laté pro omni prohibitione utendi aliqua potestate, vel strictè pro specie censuræ, vel saltem pœnæ Ecclesiasticæ. Sit igitur resolutio, quam tradit Suar. disp. 28. sect. 4. n. 3. & 4. Suspensio accepta primo modo non requirit culpam, sed solam causam, seu defectum in suspenso: accepta secundo modo culpam requirit. Hoc secundum patet ex ratione pœnæ culpam sequentis. Primum declaratur ex titulo, *de clerico ægrotan e in 6.* ubi propter lepram, vel aliud simile impedimentum sacerdos removetur ab officio altaris. Unde qui hoc modo suspensus exercet actum ordinis, non fit irregularis: secus si suspensus secundo modo, nempe per censuram.

Suspensionis causa finalis.

Dubium est 1. an suspensio ferri possit ob culpam levem? Affirmant *Navarr. c. 27. num 151. Henriq. lib. 13. c. 34. n. 1. & Avila 3. p. disp. 3. dub. 3. concl. 1.* Probant, quia culpa levis sufficit ad incurrendam excõmunicationem minorem, quæ videtur pœna gravior suspensione utpote privans maioribus bonis scilicet Sacramentis recipiendis.

Culpa levis in suspensione.

Negant *Vasq. 1. 2. disp. 158. num. 49. Sanch. lib. 9. matr. d. 32. n. 9. Bellarmus disp. 15. dub. 3. concl. 2. num. 24. Laymann. lib. 1. sum. tr. 5. p. 3. cap. 3. & Hurtado diff. 7. num. 19.* Quia suspensio ex se grave malum est. Utraque sententia probabilitatẽ habet: sed mihi arridet media, quam affert & sequitur *Suar. disp. 28. sect. 4. num. 7.* dicens inter suspensiones dari maiorem, quæ plus privat, & minorem, quæ minus privat: hanc igitur & non illam, pro culpa levi seu veniali ferri posse.

Dubium est 2. an suspensio ferri possit ob culpam alienam? Videtur affirmandum: quia juxta resoluta proxime n. 1976. communitas suspendi potest, in quo casu multi ex tali communitate innocentes suspenduntur; ergo ob culpam alienam. Negandum tamen est cum *Sanch. lib. 9. matr. disp. 32. n. 9. Avila 3. p. disp. 3. dub. 2. & Gaspar Hurtado diff. 9.* posse aliquem immediatè suspendi ob alienam culpam. Quia pœna debet proportionari culpæ, & afficere solum delinquentem. Dixi (immediatè) quia quando communitas suspenditur, singuli illius, non immediatè quá singuli, & a suis peculiaribus operationibus suspenduntur, sed quá membra communitatis delinquentis suspenduntur ab operatione quæ communitati qua tali competit.

2008 Quod attinet ad posteriorem quæstionis partem de causa formali, seu forma, quæ in suspensione ferenda servari debet, optimé *Suar. d. 25. sect. 5.* distinguit inter suspensionem a jure, & ab homine latam. Ut enim suspensio a jure lata imponatur & incurratur, sufficiunt verba legis, quibus sufficienter talem incurri censuram, seu pœnam significetur. Circa latam ab homine tria considerari oportet.

Forma suspensionis.

Primum est quod præcedat monitio: Ecclesiæ enim constare nequit de inobedientia & contumacia alicujus, nisi priùs illum moneat. Ideo ex *cap. sacro, de senten. excomm.* rectè docent *Henriq. lib. 13. cap. 59. num. 4. & Avila 3. p. disp. 3. dub. 1. concl. 3.* censuram suspensionis ferentem absque monitione manere prohibitum ab ingressu Ecclesiæ per mensem, & suspensionem. Secundum est forma concomitans, quæ nulla certa præscribitur, sed sufficit quælibet satis determinans modum, speciem, & effectum suspensionis. Notat bené Palaus d. 4. pun. 4. n. 8. ut debito modo feratur suspensio, ferri debere in scriptis, & exprimi ibi causam ob quam imponitur.

Tertium est denunciatio subsequens, quæ licèt necessaria non sit ut in suspenso omnes suos effectus operetur, tamen requiritur quoad alios, ut hi eum vitare teneantur. Ita *Suar. cit. num. 4.* qui bené addit *Num. 7. Extrav. Ad vitanda* hoc commodum fidelibus attulisse, ut a suspenso non vitando obtinere possint actus officij & jurisdictionis validos, qui antea non valerent, si a suspenso fierent. Ex quibus rectè infertur grave peccatum committere hujus constitutionis transgressorem.

Suspensus non vitandus.

SECTIO II.

De effectibus suspensionis, & pœnis contra violatores illius.

QUÆSTIO I.

Quos effectus habeat suspensio ab officio?

Effectus suspensionis ab officio. Certum est 1. suspensionem non privare hominem ipsomet officio sive ordinarij, sive delegati, a quo suspendit: neque tollere potestatem quasi radicalem, sed impedire tantum ejus usum. Constat ex natura & essentia suspensionis quam exposuimus num. 1973. Certum est 2. suspensionem ab officio, si absoluté & absque ulla restrictione feratur, suspendere ab omni officio tam ordinis quam jurisdictionis spiritualis. Nam hæc omnia veniunt appellatione officij, ut cum *Suario d. 26. sec. 1. num. 4.* tenent *Avila 3. p. de censur. d. 2. dub. 1 & Ægid. Bellan. disp. 15. dub. 2. n. 5.*

Ex quibus colligitur sic suspensum nec posse celebrare, nec Sacramenta conferre, nec indulgentias impendere, nec eligere: quia hæc omnia ad clericale officium spectant: posse tamen ingredi Ecclesiam, Sacramenta recipere, officijs divinis interesse, in choro canere more laicorum, & quancunque jurisdictionem temporalem, si illam habeat, exercere. Unde rursus infertur non incurrere irregularitatem ob violatam suspensionem, nisi solemniter exerceat aliquem actum ordini deputatum.

2009 *Beneficiū Eccles. collatum suspenso.* Dubium est 1. an possit ad beneficium eligi qui absoluté ab officio suspensus est? *Gaspar Hurtado tr. de suspen. diff. 4. n. 8.* affirmat posse eligi non solum validé, sed etiam licité. Probat a simili ex *cap. vel non est compos, de temp. ordin.* juxta quod validé & licitè providetur de beneficio Ecclesiastico ordinatus ante legitimam ætatem. Omnes tamen alij Doctores cum *Henriq. lib. 13. cap. 32. n. 3. & Bellano disp. 15. dub. 2. concl. 3.* meritò judicant tale beneficium suspenso etiam tolerato illicité conferri.

Difficultas est an sit ipso facto irrita talis collatio? Negant *Suar. disp. 26. sect. 3. n. 8. Layman lib. 1. sum. tr. 5. pun. 3. cap. 1. num. 4. & Bellan. disp. 15. dub. 2. concl. 3.* asserentes solum venire irritandam. Quia nullus est textus ipso facto irritans. Hoc satis probabile est: sed probabilius oppositum, quod cum *Flammio Lessio*, & alijs defendunt *Garcia de benef. 7. p. cap. 14. num. 1. & Palaus d. 4. pun. 5. §. 1. num. 13.* affirmantes esse irritam ipso facto. Sumitur ex *Cap. cum bonæ memoriæ, de ætat. & qualit.* ubi Pontifex respondet non licere retinere beneficia ijs, qui suspensionis tempore ea consecuti sunt.

Suspensus ab officio & non a beneficio. Dubium est 2. an suspensus ab officio, maneat etiam suspensus a beneficio? Affirmant *Valent. tom. 4. disp. 7. q. 18. p. 1. Bernard. Diaz pract. crimin. cap. 37. num. 2. & Navarr. lib. 1. consil. in 1. edit. de tempor. ordin. consil. 44.* Probant, quia beneficium est officio accessorium. Cap. fin. de rescrip. in 6. Ergo prohibito usu officij, prohibetur usus beneficij.

Suspensus ab officio potest lucrari fructus beneficij. Negandum tamen est cum *Sanch. lib. 3. matr. disp. 51. num. 12. Suar. disp. 26. sect. 3. num. 4. Bellano disp. 15. dub. 2. concl. 3. & Bonacina tom 1. disp. 3. de suspen. pun. 2. num. 10.* Probatur, quia juxta *cap. inter, de purgat. canon.* & consuetudinem frequentem, aliquando fertur suspensio ab officio, aliquando a beneficio, aliquando ab utroque simul; est igitur signum manifestum suspensionem ab officio non continere suspensionem a beneficio. Ex quibus recté infertur suspensum ab officio, si obligationibus beneficij satisfaciat per se, vel per substitutum, posse beneficij fructus percipere.

Dubium est 3. an si suspensus ab officio ministret Sacramenta, & in choro exerceat solemniter divina officia, quibus per suspensionem privatus est, lucretur fructus, & distributiones illis officijs iniqué exercitis correspondentes? Negant *Vivald. candelab. sacr. 2. p. in mater. de suspen. n. 171. Rebuff. praxi benefic. tit. de simon. in resig. n. 15. & Covarr. 4. decret. 2. p. cap. 6. §. 8. n. 7.* Probant, quia Ecclesia non concedit illos fructus & distributiones nisi ob ministerium sibi gratum, & Deo acceptum, quale non est illud iniquum.

Affirmandum tamen est cum *Petro Navarra lib. 2. de restit. cap. 2. in nova edit. par. 2. diff. 5. num. 243. Sanch. lib. 3. matr. disp. 51. num. 12. & Avila 3. part. de censur. disp. 2. dub. 1. concl. 6.* Ratio est, quia nullibi reperitur expressum, suspensum ab officio, si illud exerceat, ipso jure privari fructibus tali officio correspondentibus: pœnæ autem sine textu expresso non extēduntur.

2010 Dubium est 4. an canonicus, vel similis clericus suspensus absolute ab officio vocem in capitulo habeat? *Suspensus habet vocem in capitulo.* Negant *Felinus in cap. Apostolicæ, de except.* & Sayrus lib. 4. thes. cap. 5. n. 12. & Glossa in *cap. cum dilectus*, Verbo a *Suspensis*. Probant, quia habere vocem in capitulo est usus & exercitium Ecclesiastici officij, a quo datur illa suspensio. Rectius affirmat *Palaus disp. 4. de censur. pun. 5. §. 1. n. 9.* Ratio est quia habere vocem, & ferre suffragium in capitulo nec est actus ordinis nec exercitium jurisdictionis Ecclesiasticæ, cum laici, imo & fœminæ talem vocem habeant, & sint incapaces ad tale exercitium.

Suspensus partialiter qui. Dubium est 5. an suspensus ab ordine inferiori, sit etiam suspensus a maiori? Affirmant communiter authores apud *Suarium disp. 26. sec. 4. n. 6. Sayrum lib. 4. cap. 3. regula 1. & Navarrum in cap. 27. n. 163.* Unde deducunt Episcopum suspensum a collatione inferioris ordinis censeri suspensum a collatione superioris. Probant, quia ei cui res minoris momenti prohibitæ sunt, dedecet maiora concedi: juxta *reg. cui licet, de reg. juris in 6.*

Oppositum tamen rectius tenent *Suar. cit. n. 11. Fillinc. tr. 17. cap. 2. q. 4. num. 25. Bellanus disp. 15. dub. 2. num. 10. Layman lib. 1. sum. tr. 5. part. 3. c. 1. n. 6. & Gaspar Hurtad. de suspen. diff. 4. num. 9.*

Suadetur

Suadetur ex communi axiomate, quòd in pœnis stricta interpretatio facienda est.

Jurisdictionis actu in suspenso. Ex hac resolutione, & axiomate in quo fundatur, rectè graui authores deducunt 1. suspensionem ab ordine, si absoluta sit, non extendi extra officium ordinis, & suspensionem a jurisdictione extra Ecclesiasticam jurisdictionem non progredi. 2. suspensum ab ordine absoluté manere privatum usu cujuscunque ordinis: secùs si sit suspensus a sacris ordinibus: hic enim non impeditur ad usum minorum. 3. suspensum ab ordine posse eligere confessorem, & dare alijs potestatem eligendi: quia in ea electione & concessione non exercet ordinem. 4. suspensum ab aliquo ordine determinato manere privatum usu talis ordinis, & usu illius qui prædicto ordini annexus est. Unde suspensus ab officio sacerdotali, eo ipso prohibetur ab ordine diaconatus & subdiaconatus in Missa exercendo. 5. suspensum ab aliquo determinato actu jurisdictionis, v.g. a collatione beneficiorum, non manere prohibitum exercere alios jurisdictionis actus.

QUÆSTIO II.

Quos effectus habeat suspensio a beneficio?

Suspensionis a beneficio effectus. APud *Palaum de censur. disp. 4. pun. 2. §. 2.* conveniunt 1. *Suar. disp. 27. sect. 1. n. 2. Ugolin. tab. 4. de censur. c. 8. § 1. Sayrus lib. 4. thes. cap. 6. n. 2. & Henriq. lib. 13. cap. 32. n. 4. & alij* suspensionem a beneficio absoluté latam, non tollere beneficium, sed tollere ejus fructus, scilicet impediendo jus illos percipiendi. Sumitur ex *Cap. cupientes §. cæterum, de elect. in 6.* ubi suspensus a beneficio, si nimium pertinax sit, vel nova crimina committat, solet beneficio privari. Conveniunt 2. suspensionem a beneficio præcisè, sive addatur particula exclusiva (tantum) sive solum taceatur officium, & omnis actus ejus, nec suspendere ab officio, nec impedire aliquem ejus actum: imò nec tollere obligationem exercendi officium. Taliter autem suspensus suo muneri satisfaciet, si authoritate superioris ex causa justa alius loco illius subrogetur, qui de fructibus beneficij alatur.

2011 Conveniunt 3. si suspensus a beneficio, ejus fructus usurpet, graviter peccare cum onere restituendi absque alia sententia: & nullam pœnam ipso facto incurrere. Conveniunt 4. suspensum a beneficio, qui simul ab officio suspensus est, non liberari ab omni onere: si quidem tenetur in particulari recitare canonicum officium: & si beneficium curatum sit, tenetur saltem per alium officio satisfacere, dum Episcopus non providerit, ignarus scilicet suspensionis.

Suspensionis extensio, & interpretatio. Dubium est 1. an suspensus absoluté a beneficio absque determinatione hujus vel illius; censeatur suspensus ab omnibus quæ possidet? Respondeo 1. cum *Suario d. 27. sect. 1. n. 10.* quando suspensio a beneficio absoluté lata est, intelligitur quis suspensus ab omnibus quæ actu possidet. Patet a simili, nam suspensus absoluté ab ordine: item suspensus a jurisdictione, ratione indefinitæ propositionis, ab omni ordine: item ab omni jurisdictione suspensus manet. Quod bené limitatur, quando causa suspensionis ad specialem Ecclesiam spectat: tunc enim solum intelligitur facta suspensio a beneficio talis Ecclesiæ. Unde sequitur, si canonicus vel Episcopus, sub eo nomine suspendatur a beneficio, limitari suspensionem ad canonicatum, vel Episcopatum.

Episcopatus ad suspensionem. Respondeo 2. cum eodem *Suar. citato an. 15.* quando locutio suspendentis est formaliter aut æquivalenter universalis, comprehendere omne genus beneficij, sive simplex sit, sive dignitas, ut Episcopatus vel Rectoria, imó & pensionem datam ex titulo spirituali, non autem datam sine illo. Si veró suspensio feratur in universali contra hoc vel illud facientes, nec Episcopos, nec eorum superiores comprehendit. *Cap. quia periculosum, de sent. excom. in 6.*

Beneficia a quibus fit suspēsio. Respondeo 3. cum eodem a num. 17. suspensionem illam latam universaliter, sive a Papa, sive a particulari Episcopo, comprehendere omne beneficium ubicunque illud sit, & possideatur. Nam juxta *cap. postulasti, de foro compet.* Episcopus potest deponere clericum sibi subditum ab omnibus beneficijs & officijs, etiam illis quæ in alia diœcesi habet: quamvis executio sit facienda per Episcopum loci. Circa hoc notant bené *Sayrus l. 4. thes. cap. 6. n. 28. & Palaus d. 4. pun. 3. §. 2. n. 2.* quamvis suspensio absoluté lata illa omnia comprehendat, satis probabile esse Episcopum sola beneficia in sua diœcesi sita cōprehendere velle, nisi aliud exprimat.

Addit *Palaus ibidem* hoc dictum de suspensione a beneficio absoluté lata, dicēdum esse de suspensione a jurisdictione, scilicet comprehendere tantum jurisdictionis usum, qui in ea diœcesi exercendus est. Nec obstat suspensum absoluté ab officio ordinis, ubicunque manere suspensum, ut docent citati: quia ordinis exercitium ubique unicum est: at jurisdictio pro diversitate locorum variatur.

Fructus beneficij qui perduntur per suspensionē. 2012. Dubium est 2. quinam sint fructus, quibus privat suspensio a beneficio? Bené respondet *Suar. cit. n. 29.* esse omnes reditus temporales, qui ratione beneficij quocunque nomine conferuntur, sive sint pecuniæ, sive fructus terræ, sive animalia, quanvis dentur per modum decimarum, primitiarum, aut oblationum sive ut proventus vel pensiones ex fundis, & alijs bonis immobilibus beneficij. Item procedit de anniversarijs, & stipendijs Missarum, ac similibus quæ vel consuetudine, vel superioris voluntate sunt annexa beneficio.

Distributiones ad suspensū. Ex dictis infertur 1. quid dicendum sit de distributionibus quotidianis quæ interessentibus divinis officijs impenduntur. Nam *Palaus d. 4. p. 3. §. 2. n. 4. & Casp. Hurt. de suspen. diff. 4. num. 10.* rectè distinguunt: si enim fuere ex-

tractæ ex fructibus beneficij, deperduntur per talem suspensionem, sicut & alij fructus: secùs si non fuere extractę ex dictis fructibus, sed ex peculiari fidelium fundatione applicantur, esto solis beneficiatis.

Infertur 2. inter beneficij fructus debere computari beneficij administrationem. Unde sic suspensus non potest locare beneficium, neque illius fructus vendere, aliamve præstare actionem quæ ad illius temporalem administrationem spectet. Deinde nequit beneficium permutare, aut in favorem alterius resignare.

Inferunt 3. *Henriq lib.13.cap.32.n.4.& Sayrus l.4.thes.c.4.n.7.* inter fructus beneficij computari collationem, & electionem ad beneficium titulo benefic. j competentem. Hoc tamen rectiùs negant *Suar.d 27.sec 1.n 14. Bellinus disp.15.dub.2.n. 11.& Bonacina de cens disp 3.pun.2.n 12.* constat ex *cap.cum in cunctis 3. ult de elect.* ubi ultra suspensionem a beneficijs indicitur privatio potestatis eligendi. *Collatio beneficij per suspensum.*

Infertur 4 cum *Suario d.27 n.31* omnes actus quos diximus computari inter fructus beneficij, esse invalidos, si a suspenso fiant. Quod de suspenso vitando, seu nominatim denunciato intelligitur. Addit Suar.n. 34. Episcopum suspensum a suo beneficio adhuc posse cōferre beneficia: quia hujusmodi collatio non est proprié fructus beneficij, sed est actus officij. *Episcopus suspensus.*

Dubium est 3. an suspensus a beneficio possit recipere illius fructus qui necessarij fuerint ad congruam sui & suorum sustentationem? Nota 1. suspensionem a beneficio in lucere ipso facto fructuum privationem, ut rectè tradit *Gasp. Hurtado de susp.diff.4 n.10.* contra *Petrum Navarra lib. 2.de rest.c.2.n° 237.* Nota 2. suspensionem posse ferri vel in meram pœnam delicti commissi, vel in contumaciam. *Suspensus a beneficio non habens congruā sustentationem.*

Dico 1. si suspensio feratur in meram pœnam delicti commissi, potest suspensus recipere fructus correspondentes labori, quem impendit serviens beneficio, quales darentur substituto, qui serviret pro eo. Ita *Avila 2.p.c.6.disp.6.dub.1.& Hurtado citat n.* Quod probabile est, sed probabilius & securius, quod docent *Suar.d.27. sect.2 n.3. & Sayrus lib.4.cap 6.n.12.* scilicet posse suspensū eam partem fructuum sibi applicare, quæ fuerit necessaria, ne mendicare cogatur. Quia in voluntate taliter suspensi non est se à tali suspensione liberare.

Dico 2. si suspensio lata fuerit in contumaciam, potueritque suspensus ab ea se liberare pænitendo, nequit eos fructus recipere. Ita *Ugolin. tab.4.de cens.c.8.§.7.n.2.& Bonac.disp.3.de censur. pun.2 n.14.* Ratio est, quia cum voluntarié & in contumacia persistens eam privationem sustineat, sibi imputet fructuum sustentatione carere.

QUÆSTIO III.

Quem habeat effectum suspensio alternativa, determinata & conditionalis?

2013 Quæstio de triplici suspensione tres habet partes a nobis expediendas. Prima suspensio appellatur alternativa, & est illa quæ sub disjunctione profertur in hunc modum: *Suspendo te ab officio vel beneficio.* Dubitatur, quemnam habeat effectū? Hostiens. & Panorm. in *c.latores n.7.de clerico excom.ministr.* affirmant esse adęquatam suspensionem, nempe comprehēsivam utriusque effectus ab officio & beneficio. Quia nulla est maior ratio, ob quam potiùs ad officium, quàm ad beneficium determinetur. *Gaspar Hurtad.de susp.diff.4.n.11.*& alij dicunt in electione suspensi positum esse illius effectum, ut nempe eligat manere suspēsum vel ab officio, vel a beneficio, sicut quando quis damnatur ad pecuniam, vel exilium, potest eligere: si autem nolit, ad utrunque tenebitur. *Alternativa suspensio.*

Neutri opinioni acquiesco: sed placet asserere cum *Palao d.4 pun.5.§.3 n.1.* suspensionem illam latam sub illa disjunctione, nullum effectū producere ipso jure. Suadetur ex *l 3.Cod.de sent. quæ sine certa quant prof.* ubi pro nulla declaratur sententia incerta, & indeterminata. Sic autem se habet suspensio disjūctivé lata. Neç est simile quod affertur de sententia damnante sub disjunctione ad pecuniam, vel exilium. Quia hæc fertur post delictum commissum, ideoque judex potest cogere reum ad eligendum: suspensio autem annectitur delicto commisso, itaut eo cōmisso statim incurratur.

Secunda suspensio appellatur determinata, & est illa quæ quando fertur tum ab officio, tum a beneficio, determinationem accipit tum ex materia, tum ex loco, tum ex tempore. Singula explicemus. Determinationem accipit suspensio a materia, quando lata est ab officio tantum ordinis, vel a certo actu jurisdictionis, seu ordinis, & non ab alijs. Similiter ex materia determinabitur suspensio a beneficio, si fiat a beneficijs quæ sunt in uno loco, & non in alijs locis. Itē si fiat quoad partem fructuum, & non quoad omnes fructus. *Suspensionis determinatio.*

Determinationem accipit suspensio a loco, quando ita pro uno loco fertur, ut pro alijs locis liberam relinquat personam, ac si careret omni suspensione. Quia sententia suos limites nequit excedere. Determinationem accipit a tēpore, quando fit per mēsem, per annum, aut annum, aut annos, quo tempore elapso cessat omninó suspensio absque alia absolutione, ut docent *Suar. disp. 26. sec. 1.n. 14. & Vivald. tit. de suspen n.180.* *Locus & tempus ad suspensionem.*

Dubium est, qualiter computari debeat annus vel mensis suspensionis, quando anno vel mense illo inchoato, suspensio incurritur; Certū est apud *Sayrum l.4.thes.c.8.n 2. & Bonac tom.1. de cens.disp.3.p.3 n.2.* computandum esse de momento ad momentum, scilicet a puncto quo sētentia executioni mandata est usque ad punctū quo annus, vel mensis finitur. Cui non obstat axioma, *Temporis computatio in suspensione.*

xioma, diem termini non esse computandum in termino. Quia intelligi non debet in censuris ipso jure latis, quæ secum ferunt executionem.

Difficultas est si tempore suspensionis interveniat bissextum, ut dies ille intercalaris habeatur tanquam contentus in illo mense vel anno, an habeatur tanquam distinctus, & extra numerũ mensis & anni, in ordine ad computum suspensionis? Videtur habendum pro contento: quia licet physicè dies distinctus sit, tamen moraliter pro uno cum præcedenti computatur. Dicendũ tamen est cum citatis habendum esse ut distinctum, & extra numerum mensis vel anni computandum ut ante illum definat suspensio. Quia annus vel mensis in materia favorabili, qualis est pænalis, juxta communem usum accipi debet.

Conditionalis suspensio.

2014 Tertia suspensio appellatur conditionalis, & fertur sub aliqua conditione: quæ cõditio vel a voluntate suspensi, vel a voluntate suspendentis pendere, potest. Pendebit igitur a voluntate suspensi, si feratur suspensio in hunc modum: *Quousque delinquens satisfaciat: quousque delicti peniteat.* Et tunc in ejus potestate est liberari a suspensione, v.g. per satisfactionem, vel pænitentiam.

Pendebit a voluntate suspendentis, vel alterius quando ferens censuram dicat: *Qui hoc fecerit maneat suspensus juxta meum beneplacitum, vel juxta beneplacitum Francisci.* Tunc enim succedente morte, cessat suspensio: quia beneplacitũ morte finitur. Secus esset, si ferens censuram dixerit: *Maneat suspensus quousq; aliud disposuero, vel quousque Franciscus aliud disposuerit.* Tunc enim suspẽsio nõ cessabit per mortem: quia per hanc non censetur aliud disponere.

QUÆSTIO IV.

Qualiter peccet ac puniatur qui suspensionem violat?

Suspensionis violatio.

QUæstio circa violationem suspensionis habet duas partes, alteram de peccato, alteram de pæna violantis. Quod attinet ad priorem, certum est 1. solum suspensum propriè violare posse suspensionem: quia solum ipsi prohibitus est usus officij, vel beneficij. Unde reliqui solum pro ut fuerint occasio talis violationis, peccabunt. Certum est 2. suspensum ab officio, vel beneficio committere peccatum ex suo genere lethale, si suspensionem violet. Dixi (ex suo genere) quia ex parvitate materiæ veniale esse poterit: v.g. in suspenso a jurisdictione receptio unius testis, in suspenso ab ordine minorum ordinum usus.

Suspensionis denunciatio.

Difficultas est, an suspensus ab officio possit licitè illud exercere ad instantiam, seu petitionẽ aliorum fidelium? Ut decidatur, oportet distinguere inter suspensum non denunciatum. Dico igitur 1. Suspensus ab officio non denunciatus potest ad petitionem fidelium, licité ministrare officia, a quibus suspensus est. Ita *Suar. disp. 26. sec. 1. n. 2. Sayrus l. 4. thes. c. 11. n. 2 & Gasp. Hurt. de susp. diff. 5. n. 1.* Probatur, quia fidelium petitio suspendendo censuræ prohibitionem juxta *Extrav. ad evitanda scandala*, reddit actum licitum.

Dico 2. suspensus denunciatus, secluso scandalo, & extra casum urgentissimæ necessitatis, officia a quibus suspensus est licite exercere nequit etiam a fidelibus rogatus. Ita *Henriq. lib. 13. c. 33. n. 3. Suar. d. 26. sec. 2 n. 7. & Avila 3. p. a. 1. 2. dub. 4.* Ratio est quia licet ex vi suspensionis non prohibeatur communicare cum fidelibus, ideoque hi possint licite Missæ, alijsque officijs divinis a suspenso peractis assistere, tamen post denunciationem omninó impeditur exercere suum officium etiam rogatus, itaut etiam rogans peccet ob cooperationem pravam.

Pæna violantis suspensionem.

2015 Quod attinet ad posteriorem partem de pænis, quas incurrit violator suspensionis, duplex assignari solet, altera est irregularitas, altera annullatio actus a suspenso præstiti. Circa irregularitatem recté consentiunt *Valent. tom. 4. disp. 7 q. 18. pun. 1. Sayrus l. 4. c. 16. n. 3. Filliucius tr. 17. c. 11. q. 4. & Bonac. de censur. disp. 3. pun. 4. n. 5.* ob solam violationem suspẽsionis ab ordine sacro, ejus officiũ solemniter exercendo contrahi irregularitatem. Habetur in *Extrav. Pij II.* que incipit, *Cum sacrorum*, & ex *c. 1. de senten. & re judic. & c. cum medicinalis eod. tit. in 6.*

Irregularitas violantis suspensionem.

Dixi (ab ordine sacro) quia non incurritur irregularitas a violatore suspensionis ab ordinibus minoribus: quam horum officia etiam solemniter a laicis præstari solẽt. Adde nec incurri a violatore suspensionis ab ordine sacro, nisi quando officium ordinis sacri sic exercetũr, ut non nisi ab initiatis eo ordine possit exerceri. Unde qui nec diaconi, nec subdiaconi sunt, canunt tamen absq; manipulo vel stola Epistolam vel Evangelium, irregulares non fiunt. Sic enim canere nõ est actum ordinis formaliter exercere. Similiter suspensus ab ordine diaconatus, vel prędicandi munere irregularis non fiet, quanvis superpelliceo concionetur. Si quidem usus concionandi non ordinatis concedi potest ab Episcopo.

Dixi (ob solam violationem suspensionis ab ordine sacro) quia ob nullam aliam suspensionis violationem irregularitas incurritur: non ob violationem suspensionis a jurisdictione, non ob violationem suspensionis a beneficio: & sic de alijs, ut videre est apud citatos, & Palaum d. 4. pun. 6. n. 6.

Irritatio actus in suspenso.

Circa alteram pænam, quæ est irritatio actus exerciti a suspenso, recté monent *Suar. d. 27. sec. 2. n. 2. Sayrus l. 4. c. 11. n. 15. & Bonac. tom. 1. disp. 3. p. 4. in fine.* Solum habere locum in ijs quæ pendent ab Ecclesia, qualia sunt Ecclesiastica jurisdictio, & beneficium. In his ergo suspensus qui operetur, invalidum actum faciet, si denunciatus sit: secùs ante denunciationem requisitus.

SECTIO III.

De suspensione ablatione, absolutione, vel dispensatione suspensionis.

QUÆSTIO I.

An & qualiter suspensio possit per appellationem suspendi?

RESolvetur quæstio per seperationem certorum a dubijs, & dubiorum expeditioné.

Appellatio in censura suspensionis.

Certum est 1. ex *cap solet, & c. venerabilibus de sent. excom. in 6.* appellationem habere vim suspendendi effectum censuræ antequam hæc incurratur. Quia natura legitimæ appellationis est potestatem judicis (a quo) ligare, ne possit procedere in tali causa, appellatione pendente, juxta *c. si a judice, de appellat. in 6.*

Certum est 2. ex *c. cum appellat de appellat. in 6.* dicta non procedere quando appellatio futilis ac frivola est, sed quando legitima & rationabilis. Quia appellatio frivola vim suspendendi non habet, ut sumitur ex *c. pastoralis, § verum, de appel.* Certum est 3. appellationem carere vi suspendendi suspensionem, quando hæc fertur ab habente potestatem procedendi in causa appellatione remota, qualis est Summus Pontifex, & cui ipse talem potestatem commiserit.

2016 Dubium est 1. an appellatio habeat vim suspendendi effectum suspensionis, postquã hæc incursa est? Negativa resolutio certissima est in suspensione ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ. Ita expressè deciditur in c 15. *cu: de sent. excom. in 6.* & hanc resolutionem extendit *Sayrus l. 4. thes. c. 9. n. 8.* ad omnem suspensionem a rebus merè spiritualibus. Nihilominus hanc extẽsionem non admittit (& certè probabiliter) *Gasp. Hurt. de susp. diff. 10. n. 27.* Quia jus solum excipit a vi suspensiva appellationis incursam suspensionem ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ.

Suspensivus effectus appellationis in suspensione.

Sequitur 1. suspensionem a beneficio incursam suspendi per appellationem. Quia non continetur sub suspensione ab officio, & ingressu Ecclesiæ, quæ fuere exceptæ citato *c. Is cui.* Sequitur 2. apud Navarr. lib. 1. consil. tit. de elect. cons. 8. suspensionem ab administratione beneficij, a voce activa & passiva incursam suspendi per subsequentem appellationem. Quia non sunt suspensiones ab officio & ingressu Ecclesiæ. Hoc *Palaus d. 4. pun. 7. n. 4.* rectè admittit in administratione beneficij, & electione passiva: negat tamen in electione activa: cum enim sit actus jurisdictionis & officij, juxta cit. *c. Is cui*, per subsequentem appellationem suspendi nequit.

Dubium est 2. an suspensio ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ absolutè lata & incursa, si per aliquod tempus a judice suspendatur, possit, data appellatione intra illud medium tempus, impediri ejus effectus? Negant Bald. in *l. cum alijs C. si curat. furios.* & *Ugolin de censur. tab. 1. c. 9. §. 11. n. 18.* Probãt, quia licet ex benignitate judicis differatur effectus illius suspensionis, tamen illa semel incursa secum traxit executionem. Rectius tamen affirmat *Palaus cit. n. 6. cum Sayro l. 4. thes. c. 9 n. 14 & Bonacina tom. 1. de cens. disp 3. pun. 1.* Ratio est quia semper appellatio habet vim suspendendi effectum, quando sententia censuræ non trahit secum executionem: judex autem suspendens ad tempus suam sententiam suspensionis, facit quod pro illo tempore secum non afferat executionem.

Suspensio pura pœna.

Dubium est 3. an per subsequentem appellationem impediatur effectus suspensionis ab officio & ingressu Ecclesiæ, quando suspensio non est censura, sed pura pœna? Videtur negandum, quia in *c. is cui, de sent. excom. in 6.* absolutè decernitur per subsequentem appellationem non suspendi suspensionem ab officio & ingressu Ecclesiæ; ergo procedit de omni suspẽsione, etiam quæ pura pena est.

Affirmandum tamen est cum Abbate in *c. sæpe n. 16. de appel. & Palao d. 4. p. 7. n. 7.* Quia textus impediens vim suspendendi in appellatione, debet intelligi de illa suspensione quæ est similis excommunicationi, ac proinde vera censura, qualis non est pura pena. Accedit quia denegare appellationi vim suspendendi, odiosum est.

Dubium est 4. an manente suspensione possit eam ferens illius effectum, & obligationem tollere, seu ita de facto impedire, ac si ipsa censura sublata foret? Constat id posse Summum Põtificem, cum sit supremus lator & conditor censurarum. De alijs extra Pontificem videntur affirmare *Sayrus l. 4. thes. c. 10. n. 3.* & Innocen. in *c. cum inter, de consuet.* Quia ex delegatione Pontificis alter id potest, sicut in *c. Alma mater, de sent. excom. in 6.* suspenditur interdictum pro certis festivitatibus: & videtur delegatum ex *c. dilectus, de appellat.*

Negandum tamen est cum *Palao citato pun. 8. n. 3.* idque jam generaliter tradiderat de censuris disp. 1. pun. 9. Probatur, quia inferior nequit decretum & institutionem superioris variare juxta *c. cum Inferior, de maioritate.* ex institutione autem Pontificis, omnis cẽsura dum de facto est, suum effectum habet, & obligationem inducit. Nec obstat *cap. dilectus, de appellat.* quia ibi non effectus interdicti interdicto manente, sed ipsummet interdictum iterum apponendum, pro designato tempore suspenditur.

QUÆSTIO II.

Qualiter suspensio absolutione vel dispensatione tolli possit?

Dispensatio & ablatio suspensionis.

2017 PRo expeditione quæstionis supponendum est 1. suspensionem de qua loquimur, aliam esse censuram, quę proinde in contumaciam & inobedientiam delinquentis medicinaliter fertur: aliam esse puram pœnam, quæ pro commisso delicto puniendo apponitur vel in perpetuum, vel indefinité absque ulla temporis determinatione, vel pro tempore determinato.

Supponendum est 2. utranque hanc explicatam

tam suspensionem vel emanare a jure itaut posito delicto incurratur ipso facto, aut incurratur postea lata per judicem, & dicitur suspensio juris: vel emanare ab homine potente suspendere, & dicitur suspensio hominis. Supponendum est 2. suspensionem quæ est pura pœna, tolli posse dupliciter, nempe per absolutionem quando est perpetua, vel si temporalis, nondum terminus elapsus est, vel absque ulla absolutione seu dispensatione, per solum lapsum termini.

Suspensionis quæ censura est absolutio.

1 Difficultas est quomodo, & a quo tollatur suspensio quæ tanquam censura ob contumaciam fertur? *Suar. disp. 29. sect. 2.* ut hanc difficultatem expediat, optime præmittit sermonē esse de suspensione ob contumaciam imposita cum tractu successivo in futurum, & posse suspensum considerari in duplici statu, primo antequam a contumacia recedat, secundo postquam a contumacia recessit satisfaciendo parti, & præcepto. Constat igitur 1. durante contumacia non debere absolutionem impendi, quanvis valida sit, si impendatur. Constat 2. si hæc suspensio lata sit ab homine, tantum a judice qui illam tulit, vel a superiore tolli posse: si sit a jure, solum ab authore canonis vel ejus superiore. Quidquid in contrarium asseratur de excommunicatione in *Cap. nuper de sent. excom. in 6.*

Absolutio a suspensione censura.

Maius dubium est de recedente a contumacia, & congruam satisfactionem exhibente, an debeat absolvi? Optimé affirmat *Suar. n. 6.* quia de ratione propriæ censuræ, qualis est dicta suspensio, est ut non nisi per absolutionem tolli possit. Roganti a quonam illa absolutio impendi valeat, optimé respondet num. 15. si sit ab homine, ab eo solum jure ordinario impendi posse, qui illam tulit, vel a superiore: si sit a jure, & reservata, ab authore juris, vel a superiore: si non sit reservata, ab ordinario juxta cōmunem sentētiam.

Forma absolvendi a suspensione.

Observant *Sayrus lib. 4. thes. c. 17. n. 34. Ugolinus tab. 4. de cens. c. 16. §. 1.* & alij formam seu modū absolvendi a suspensione nullum ex necessitate, seu præcepto determinatum esse, sed sufficere & requiri illum qui sufficienter absolutionis effectum, & absolventis intentionem exprimat. Usitata forma (inquit *Suar. sect. 3. n. 1.*) esse solet: *Ego te absolvo a vinculo suspensionis in quam incurristi: & restituo te ad executionem tui muneris, vel ordinis, vel ad tuum beneficium.* Addit n. 3. nullam certam solemnitatem ad hujusmodi absolutionem ab Ecclesia institutam esse.

Ablatione suspensionis quæ est pura pœna.

2018 2. Difficultas est quomodò & a quo auferatur suspensio, quæ pura pœna est inflicta ob delictum commissum? Hanc totam difficultatem optimé, ut solet, resolvit *Suar. disp. 29. sec. 1.* in qua primò dicit 1. suspensionem ad certum tempus latam, eo ipso tempore, ipso jure tolli. Ratio est quia illa suspensio solum habet vim a prohibitione: hæc autem elapso tempore cessat. Quomodo autem computetur tempus, sive sit mensis, sive annus, de momento id laté exponit usq; a num. 11. & nos supra exposuimus.

Dicit 2. n. 13. suspensionem ad certam tempus, vel in perpetuum latam explicité tolli posse per dispensationem superioris nondum elapso termino. Constat ex superioris potestate. Dicit 3. n. 14. suspensionem simpliciter latam propter delictum commissum, absque ulla adjecta conditione, vel temporis designatione, posse per absolutionem tolli. Est enim pœna remissibilis. Ille igitur (addit eod. num.) solum tollere potest suspensionem latam ab homine in puram pœnā, qui illam tulit, vel superior.

Dispensatio in suspensione, quæ est pura pœna.

Dicit 4. n. 15. suspensionem a jure latam, sive perpetuam, sive ad certum tempus, tantum ab authore canonis ante tempus elapsum dimitti posse. Ratio est, quia tunc suspensio accipitur ut pura pœna ad vindictam delicti, & ut sic tacitè reservatur. Idem procedit (addit n. 19.) si suspensio ut pura pœna pro delicto commisso indefinite feratur: quod raró evenit. Procedit item de suspensionibus non solum latis ipso jure, sed etiā ferendis secundùm jus. Unde si jus præcipiat imponi suspensionem triennalem, nec poterit Episcopus illam imponēdo minuere, nec in illa imposita dispensare, utpote in lege superioris n. 20.

Hæc ex Suario fideliter citato, qui accipiens suspensionem non pro censura, sed pro pura pœna defendit a solo authore canonis scilicet Pontifice dispensari. Quæ sententia defenditur a recentioribus *Bonac. tom. 1. de cens. d. 3 p. ult. in fine & Gasp. Hurt. de susp. disp. 12 n. 32.* quos impugnat *Palaus d. 4. p. 9. n. 6.* Affirmans posse Episcopum in hac pœna dispēsare, malè citans pro se *Suar. c. 29. sect. 1. n. 19.*

Pœnarum dispensatio & absolutio per Religiosos Societatis.

Circa prædicta observandum est 1. cum Palao citato n. 7. ex decreto *Triden. sess. 24. c. 6. de reform.* posse Episcopum per se vel per suos vicarios absolvere, seu dispensare in qualibet suspensione a jure vel ab homine generaliter lata, dummodò proveniat ex delicto occulto, nec ad forū contentiosum deducto. Addit ex privilegio Societatis Jesu concesso absolvendi a quibuscunq; censuris, sententijs & pœnis ex delicto provenientibus posse confessarios a superioribus deputatos has suspensiones relaxare. Quia licet hæ pœnæ non absolutione proprié, sed dispensatione tollantur, tamen ipsarum relaxatio vocatur absolutio juxta loquendi modum satis frequentē apud *Navarr. c. 27. & Suar. d. 29. sec. 3.*

Absolutio suspensionis.

Observandum 2. cum eodem Palao n. 8. tanquam certum, jure communi attento, nullum Sacerdotem qui in foro externo careat jurisdictione posse absolvere a suspēsione etiam lata per modum censuræ. Quia hujus absolutio non est necessariò præmittenda absolutioni peccatorum, sicut absolutio excōmunicationis: ob quam causam proprio sacerdoti datur potestas absolvendi ab excommunicatione non reservata.

Suspensio ab homine specialiter.

Observandum 3. cum eod. n. 9. dicta hujusque procedere de suspensione a jure, vel ab homine generaliter lata. Nam suspensio ab homine lata specialiter solum potest regulariter tolli ab eo qui ipsam tulit, vel successore in ejus dignitate. Quod adeo verum est, ut quanvis ejus superior

perior possit validé, non tamen potest licité dictam suspensionem relaxare, duplici tamen casu excepto 1. est quando inferior tulit sententiam absque solemnitate requisita. 2. est in causa appellationis. Per hanc enim jurisdictio superiori defertur.

SYLLABUS.

Particularium suspensionum, quæ tam in corpore juris, quàm extra continentur, & a Suario de cens. disp. 31. & Palao de cens. disp. 4. pun. 10. laté explicantur.

§. 1.

Numerantur suspensiones latæ ob iniquam susceptionem ordinum.

2019 PRIMA habetur *cap. 1 de ordin. ab Episc. qui renunciavit Epist.* ubi ordinem suscipiens ab Episcopo qui renunciavit dignitati Episcopali suspenditur ab executione ordinis sic suscepti: a qua suspensione solus Pontifex absolvere potest, nisi forte ignoranter fuerit ordo susceptus. Quia tunc Episcopus poterit dispensare. *Palaus disp. 4. pun 10. n. 1.*

Suspensiones contra malè ordinatos

Suspensio.

Secunda sumitur ex *Cap. Daibertum 1. q. 2.* & suspenditur ab executione ordinis suscepti qui illum accepit ab Episcopo excōmunicato, suspēso, vel interdicto, simoniaco, hæretico, vel schismatico, dummodò tales sint ab Ecclesia denunciati. *Palaus d. 4. p. 10. n. 2.*

Ordinatorum suspensiones.

Tertia habetur in *cap. illorum, de sent. excom.* ubi suspenditur qui excommunicatione maiore ligatus ordinem aliquem suscipit. Pal. n. 3.

Quarta habetur in Extrav. Pij V. quę incipit, *Cum ex sacrorum*, & est sexta illius in Bullario per quam suspenditur ab executione ordinis suscepti qui ordinem suscipit ab alieno Episcopo absque licentia proprij Ordinarij. *Palaus d. 4. p. X. §. 1. n. 4.*

Quinta colligitur ex *c. Episcopum 9. q. 2.* & expressa est in *Triden. sess 6 c. 5.* Fertur adversus eum qui ordinatur ab Episcopo proprio Pontificalia exercente in aliena diœcesi, sine licentia Episcopi illius loci, in quo ordines confert. *Palaus p. X. §. 1. num. 5.*

Sexta ex Extrav. Pij II. quæ incipit: *Cum sacrorum*, quam confirmavit Clemens VIII. per quam suspenditur Ordinatus ante legitimam ætatem. Palaus cit. n. 6.

Septima fertur in eum qui suscepit ordines extra tempora designata ab Ecclesia absque dispēsatione legitima. Olim non erat lata ipso jure, sed ferenda *c. sane, & c. consultationi, de tempor. ordin.* At in Extrav. Pij II. Cū *ex sacrorum* habetur expressé, & solum extenditur ad sacrorum ordinum susceptionem. Palaus cit. n. 7.

Interstitia ordinum.

Octava fertur adversus ordinatum non servatis temporum interstitijs: quod potest evenire 1. si eodem die quis suscipiat plures ordines sacros 2. si minores simul cum sacro; ubi non est consuetudo. 3. si non servet moram temporis inter unū & alium ordinem. Pal. n. 8.

Nona desumitur ex *cap solicitudo 52 dist & ex c. unico de clerico per saltum promoto.* Ferturque adversus eum qui per saltum promovetur, hoc est qui ad ordinem superiorem, prætermisso inferiori, ascendit. Palaus cit. n. 9.

Promotus per saltum.

Decima habetur in Extrav. Joann. XXII. *Antiquæ, de voto & voti redemp.* ubi suspenditur, & irregularitate innodatur qui post matrimonium cōtractum etiam non consummatum aliquem ex sacris ordinibus suscipit extra casus a jure permissos. Pal d. 4. p. 10. § 1. n. 10.

Contrac-tus ad ordines.

Undecima ex Trident. sess. 7. cap. 10. de form. fertur adversus eum qui Sede Episcopali vacante nec arctatus occasione alicujus beneficij recepti, vel recipiendi ordinatur in sacris intra annum cum litteris dimissoriis a Capitulo acceptis. Pal. cit. n. 11.

Ordinatus Sede Vacante.

Duodecima ipso jure lata, & reservata Pontifici in *cap. per tuas & cap. penult. de Si non.* fertur adversus ordinatum carentem titulo patrimonij, vel beneficij ad sacros ordines requisiti, & paciscentem cum ordinante, seu præsentatore non petiturum ab eo alimenta. Pal. n. 12.

Ordinatus sine patrimonio.

§. 2.

Numerantur suspensiones ipso jure lata contra clericos, ob pravum usum ordinis suscepti.

2020 PRIMA habetur ex *c. quia in omnibus, de usuris* adversus clericum qui a manifesto usurario oblationes receperit, vel ejus corpus defunctum tradiderit Ecclesiasticæ sepulturæ. Pal d. 4. pun. 10. §. n. 1.

Secunda sumitur ex Trident. *sess. 24. c. 1. de refor.* adversus parochum, vel alium Sacerdotem sive regularem, qui alterius parochi sponsos sine illius licentia (etiam si sibi licere contendat ex privilegio, vel immemorabili consuetudine) matrimonio jungere, vel benedicere ausus fuerit. Palaus num. 2.

Matrimonio jungens sine licētia parochi.

Tertia ex *c. cùm inhibitio de cland. spons. impub.* fertur ab officio per triennium contra Sacerdotem sæcularem vel regularem matrimonia clandestina non prohibentem, seu illis interessentem. Hęc non est ipso jure lata, sed ferenda. Pal. n. 3.

Quarta referri solet ex *c. Capellanum de secundis nupt.* adversus clericum secundas nuptias benedicentem. Non tamen fertur ipso jure. Pal. n. 4.

Benedictio nuptiarum.

Quinta ex *c. nullus Episcopus, de consecr. dist. 1.* ubi Episcopatus, vel Presbyter ingressus ad Missarū solemnia celebranda, si præsumat recedere, ut ab alio Episcopo vel Presbytero Missarum solemnia suppleantur, nisi aliqua passione urgente, a Scorpore & sanguine Domini suspenditur, Palaus num. 5.

Sexta habetur ex *c. relatum de consec. dist. 2.* ubi sacerdos sacrificans, & se a communione culpabiliter suspendens, a gratia communionis qua se indecenter privavit, per annū repellitur. Pal. n. 6.

Sep-

Septima statuitur a nonnullis ex *cap. tanta de excess. præl.* contra eos qui ordine utuntur in loco prohibito. Sed non probatur. Pal. cit. n.7.

Octava refertur ex decreto S. Congregationis Romanæ Visitationis edito die 10. Iulij anno 1615. quo suspenduntur a munere audiendi cō-fessiones Sacerdotes tam sæculares quám regulares, non servantes ea quæ in prædicto decreto statuuntur. *Palaus d.4.p.10.§.2.n.8.*

§. 3.

Suspensiones ipso jure latæ contra clericos, ob violationem obligationum quæ ipsorum sunt propriæ.

2021 PRIMA habetur in *cap cum in cunctis §. clerici, de elect.* adversus clericos qui scienter aliquem ad Episcopatum, Rectoriam, seu beneficium, cui animarum cura annexa est, eligunt, cōtra formam in dicto cap. præscriptam. Palaus d.4.p.10.§.3.n.1.

Electores ad beneficium. *Secunda* in *cap quisquis, de elect.* adversus electores qui per abusum sæcularis potestatis aliquem ad beneficium Ecclesiasticum eligunt. Est solum ferenda. *Palaus n.2.*

Electus indignè. *Tertia* ex glos. in *cap. nihil est, de elect.* adversus confirmatum seu approbantem electionem indigni ætate, scientia, & moribus ad curam animarum. Est solum ferenda. Pal. n.3:

Ecclesiæ gravatio per debita. *Quarta* habetur in *c. si quorumdam 2. de solution.* adversus clericos beneficium habētes, seu curam alicujus Ecclesiæ, qui Ecclesiam alienis debitis gravant, seu litteras, vel sigilla alicui concedunt, quibus Ecclesia pellit obligari: ab administratione spiritualium & temporalium ipso jure suspenduntur. Pal. n.4.

Electus ad dignitatem. *Quinta* in *c. statuimus §. adjicientes de elect. in 6.* adversus clericum beneficiatum qui aliquid malitiosé opponit in personam electi ad dignitates, personatus, vel canonias, & in probatione deficit. *Palaus cit. p.10.§.3.n.5.*

Electionis præsentatio. *Sexta* est in *c. cupientes §. cæterum de elect. lib.6.* contra Rectores Episcoporum qui electionem factam sive in concordia, sive in discordia culpabiliter omiserint præsentare electo infra octo dies, enumerandos non a puncto electionis, sed ab eo puncto quo electione facta, possint commode electo eam præsentare. Pal. n.6.

Eligens indignū. *Septima* in *cap. si compromissarius de elect. in 6.* adversus compromissarium qui scienter, seu ut alijs placet, ex ignorantia crassa & culpabili eligit indignum ad Episcopatum, vel superiorem dignitatem, non veró ad dignitatem inferiorem: & suspenditur triennio a beneficijs Ecclesiasticis, si quæ habet in Ecclesia in quam deliquit. Pal. n.7.

Ecclesiasticorum bonorum dissipatio. *Octava* refertur in *cap. quia sæpe de elec. in 6.* adversus capitula, collegia, conventus, & singulares personas, quæ Sede Vacante bona Ecclesiæ cathedralis, regularis vel collegiatæ a prælatis ipsarum dum in, vel vacationis tempore aliquo modo obvenientia, quæque in utilitatem dictarum Ecclesiarum expendi deberent, vel futuris successoribus reservari, occupant, inter se dividunt, surripiunt, dilapidant, dissipant, & cō-sumunt, in earum grave dispendium & jacturam Pal. n.8.

Conservator suspenditur. *Nona* ex *cap. hac constitutione de officio & potest. judicis deleg.* suspenduntur qui munus conservatoris exercentes de alijs quam de manifestis injurijs & violentiis scienter se intromiserint judicaturi, seu ad alia quę judicialem indaginem exigunt, suam extenderint potestatem. Palaus num. 9.

Judices suspenduntur. *Decima* ab Innocentio IV. in *cap. cum æterni 1. de sent. & re jud. in 6.* fertur adversus judices Ecclesiasticos ordinarios & delegatos qui in judicio contra conscientiam & contra justitiam in gravamen partis alterius quidquam fecerint per gratiam, vel per sordes. Suspenduntur per annū. Pal. n.10.

Visitatio Ecclesiarum. *Undecima* in *cap. exigit de censibus in 6.* fertur adversus clericos inferiores Episcopo, eorumque familiares, qui occasione visitationis Ecclesiarum sibi subjectarum aliquam pecuniam, seu munus etiam sponte oblatum moderatum victum sui & suorum pro tempore visitationis insumendum acceperint, nisi infra mē-sem duplum Ecclesiæ gravatæ restituerint: vel (ut meliús dicam) nisi infra duos menses prædictam restitutionem præstent. *Palaus cit. n. 11* ubi laté.

Beneficiati clerici ad suspēsionem. *Duodecima* habetur in *Clemen. 2. quoniam, de vita & honest. cler.* & fertur adversus clericos beneficiatos qui veste seculari absque rationabili causa utuntur. Estque suspensio a perceptione beneficiorum obtentorum per sex menses, a commisso delicto, vel per annum juxta qualitatem delicti & personæ. Clericus veró in sacris constitutis beneficio carentibus indicitur inhabilitas per id tempus. Palaus d.4.p.10.§.3. num.12.

Cancellarius ad suspensionem. *Decima tertia* est in *Clement. 2. de Magistris* ubi Cancellarius Universitatis gradum Doctoris & Magistris conferens in qualibet scientia, non exacto priús juramento a Doctorando vel Magistrando quód in ea solemnitate non insumat ultra tria millia Turonensium argenteorum, suspenditur a collatione Magisterij, seu Doctoratus cujuslibet per sex menses. Palaus cit. num. 13.

Decima quarta est in Extrāv. unica inter communes, *de excess. prælat.* fertur contra postulantes ad cathedralem Ecclesiam eum qui 27. annum nondum attingit, vel postulantes religiosos mendicantes ad inferiores Ecclesias cathedrali, ea vice potestate postulandi, & eligendi privantur, & a beneficijs, si quæ in illa Ecclesia obtinent, per triennium suspenduntur. Pal. num.14.

Decima quinta juncta cum indicto est in *Extrav. divina 3. de privil.* & fertur ab Eugenio IV. adversus ordinarios quoscūque, eorūque cōmissarios, & delegatos, qui in Romana curia pro suis negotijs cōmorantes beneficijs privant, abs-

alisque conferunt, quorum collatarij eisdē pœnis subjiciuntur, & tam collatio quam receptio irrita est. Pal. n. 15.

Decima sexta habetur ex Bulla Pij V. quæ incipit *Quanta Ecclesiæ Dei* edita Kaler. Aprilis anno 1568. adversus Episcopos, aliosque prælatos, & Ecclesiarum capitula, facultatem habentes admittendi resignationes, beneficiorum, si eas admittāt contra formam ibidem præscriptam. Pal. n. 16.

§. 4.

Suspensiones ipso jure latæ adversus clericos ob peccata communica laicis.

2022 PRIMA habetur ex Extrav. 1. & 2. de Simon. ubi capitula & conventus recipientes simoniacé aliquem in religionem manēt suspensi ab officio capitulari quoad administrationem, & jurisdictionem Ecclesiasticam. Deinde ordinantes aliquem Simoniacé, suspenduntur a collatione quorumcunque ordinum & primæ tonsuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium. Palaus d. 4. p. 10. §. 4. n. 1. *Simonia ad suspēsionem.*

Secunda habetur in *Cap. 1. de schismaticis*, adversus eos qui sponte juramentum emittunt de tenendo schismate: & hi suspenduntur ab ordinibus, & dignitatibus. Pal. n. 2. *Schisma ad suspēsionem.*

Tertia sumitur ex Bulla Sixti IV. Pij V. Pauli V. & Urbani VIII. statuentium ne in publicis, vel privatis sermonibus defendatur, aut aliquo modo tractetur B. Virginem in peccato originali conceptam fuisse, alioquin delinquens ultra pœnam excommunicationis, suspenditur a divinis si est in sacris, & privatur ipso jure omni gradu & dignitate, & ad similem redditur inhabilis Palaus num. 3. *B. Virgo sine peccato originali.*

ALEXANDER VII.

In Bulla expedita pro immaculata conceptione B. Virginis anno 1661. Sic habet.

SAné vetus est Christi fideliū erga ejus B. Virginem matrem pietas, sentientium, ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus, fuisse speciali Dei gratia & privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi, ejus filij, humani generis redemptoris a macula peccati originalis præservatam immunem: atque in hoc sēsu ejus Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium, & celebrantium.

Scire vellem, post hujusmodi decretum, quam censuram meretur hæc propositio (*B. Virgo Maria fuit concepta in peccato originali*) Mihi videtur mereri censuram illius, quæ dicitur offensiva piarū aurium, quam ex Suario de fide disp. 19. sect. 2. exposui in Elucid. n. 556. Quia ibi per pietatem, maximé intelligitur fidei doctrina. Quia veró pietas ad religionem pertinet, illa propositio offendit pias aures, qua aliquid indignum in materia religionis profertur. Adde Pōtificem ibi expressé declarare esse fidelium pietatem veterem sentire B. Virginem fuisse immunem a peccato originali, atque in hoc sensu Conceptionis festū colere & celebrare.

Videatur Eminētissimus ac doctissimus Cardin. Ioannes Everardus Societatis Iesu in tract. exact. II. de hac materia, ubi hanc nostram censuram probat, & alias severiores affert.

Quarta sumitur a nonnullis ex *c. fin. de temp. ordinan.* ubi de crimine adulterij, perjurij, falsi testimonij infamatus non repellitur a ministerio susceptorum ordinum, neque a susceptione aliorū pœnitentia peracta, nisi forte talia crimina notoria fuerint. Pal. n. 4.

Quinta ex *c. Nullus, Cap præter 32. dist.* fertur adversus clericum publicum concubinarium. Palaus num. 5. *Concubinarius clericus.*

Sexta juxta aliquos desumitur a Bulla Pij V. quæ in Bullario est 70. adversus clericum Sodomitam sive occultum sive publicum. Pal. n. 6. *Sodomita clericus.*

Septima juxta Bernardum Dias in praxi cap. 78. sumitur ex Trident. sess. 24. cap. 6. de reform. adversus clericos raptores mulierum, quasi ipso jure maneant suspensi ab officio Pal. n. 7.

§. 5.

Suspensiones specialiter impositæ Episcopis, & Capitulis Ecclesiarum.

2023 PRIMA habetur ex constitutione Pij V. & Extrav. 1. & 2. de Simon. adversus Episcopum qui ordinem Simoniacé conferat Pal. §. 5. n. 1. *Ordinum mala collatio.*

Secunda in Cap. Nullus Episcopus, de temp. ordin. Si enim conferat primam tonsuram infāti, illiterato, conjugato, & non subdito a collatione primæ tonsuræ per annum suspenditur. Pal. cit. n. 1.

Tertia sumitur ex *Cap. hoc consultissimo de rebus Eccles. non alien. in 6.* adversus quoscunque prælatos qui bona immobilia, & jura suarum Ecclesiarum laicis non ad modicum tempus subjiciunt absque consensu Capituli, & speciali licentia Sedis Apostolicæ, nisi modo & casibus a jure expressis. Pal. n. 4. *Alienatio rei Ecclesiæ.*

Quarta est in cap. 1. de usuris in 6. adversus Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, qui domus suas locant alienigenis, vel alijs non mundis de terris ipsorum publicé usuras exercentibus, vel exercere volentibus voluntate publicé conjectata, aut si illos permittant in suis terris habitare, Pal. d. 4. p. 10. §. V. n. 5. *Usurariū fautores.*

Quinta est in *Clemen. 1. §. verum de hæres.* ubi Episcopi qui ex odio, vel amore contra justitiam, & conscientiam propriam in crimine hæresis procedunt, vel procedere omittunt triennio ab officio suspenduntur. Pal. n. 4.

Sexta fertur in *Clem. 2. de pœnis* adversus prælatos Ecclesiæ, qui procurant ut clerici capiantur a potestate temporali ea intentione, ut beneficia habita resignent, aut citati a jure, vel ab homine ad comparendum in Romana curia non possint ire. Pal. n. 7.

Septima fertur in *Extrav. 2. de elect.* ubi prælati religionum, & Episcopi confirmationem recipientes a Sede Apostolica, aut ab ea promoti, si absq;

absque litteris authenticis ejusdem Sedis administrationem suarum Ecclesiarum recipiant, ab administratione fructuum suarum Ecclesiarum suspenduntur. Pal. n. 8.

Octava est in *Extrav. suscepti regiminis* quæ est Joann. XXII. sub tit. *Ne Sede Vacante* adversus eos qui non servant ea quæ in prædicta constitutione habentur circa perceptionem fructuum primi & secundi anni. *Pal. d. 4 p. 10. §. V. n 9.*

Episcopus concubinarius. *Nona* est in *Trident. sess. 25. cap. 14. de reform.* adversus Episcopum si (quod absit) concubinarius sit, & a Synodo provinciali monitus non se emendaverit. Pal. n. 10.

Decima est in *cap. pessimam* 23. q. 8. ubi suspenditur ab officio Episcopali per annum Episcopus relaxans incendiariis pœnam contentam in dicto cap. Pal n. 11.

Simoniaci. *Undecima* videtur ferri in *cap. quid quid* 1. q. 1. ubi per duos menses suspenditur Episcopus necessariam correctionem omittens contra Simoniacos in Sacramentis vel ordinibus. Pal. n. 12.

Duodecima est in Bulla 99. Pii V. quæ incipit *Quam plenum* adversus Episcopum, qui ob quæstum, seu pecuniam acceptam publicat seu concedit indulgentias seu facultatem absolvendi a casibus reservatis. Pal. n. 13.

Thalmut. *Decima tertia* fertur in Bulla Julii 3 quæ incipit *Cum sicut* est que suspensio, seu potius interdictũ ab ingressu Ecclesiæ, si impii Thalmud libros nõ cõburãt, sed potius permittant. *Pal. n. 14.*

Limina Apostolorum. *Decima quarta* lata est a Sixto V. in Bulla quæ incipit *Romanus Pontifex* & est 15. adversus Episcopos & his superiores qui ad limina Apostolorum temporibus in prædicta Bulla statutis non accesserint per se, vel per alios, si impediti sint, nec sug diœcesis statum referant. Pal. n. 15.

Monasteria monialiũ. *Decima quinta* in Bulla Gregorii XIII. qua cavetur ne Episcopi aliive prælati in monialium monasteria sibi subjectarum ingrediantur absque necessitate; alias prima vice ab ingressu Ecclesiæ interdicuntur; secunda vice suspenduntur a divinis. Tertia excommunicantur. Pal. n. 16.

§. 6

Suspensiones latæ specialiter contra religiosos.

2024 *Religiosorum suspensiones.* PRIMA habetur in *cap. consultationi ult. de Apostat.* ubi apostatæ Ordinem sacrum in apostasia suscipientes ab illius executione suspenduntur quousque a Romano Pontifice dispensentur. Pal. §. 6. n. 1.

Noviciatus. *Secunda* est in *cap. non solum cap. constitutionem de regal. in 6.* adversus religiosos Mendicantes admittentes aliquem ad professionem suæ religionis non completo novitiatus anno Pal. 2.

Locatio ad coagũ tempus. *Tertia* ab officio fertur in *Clemen. 1. de rebus Eccles. non alien.* adversus religiosos, prælatos, præsidentes monasteriis, prioratibus, Ecclesiis, vel administrationibus, si jura, reditus, aut possessionis dictorum monasteriorum, prioratuum, Ecclesiarum, seu locorum, quorum administrationẽ habent, ad longum tempus alicui concedant absq; sufficienti necessitate, & Ecclesiæ, seu monasterii utilitate, & conventus assensu, vel superioris licentia, si conventum non habeat.

Decimarum denegatio. *Quarta* est in *Clemen. 1. de decimis* adversus quoscunque religiosos qui absque justo titulo, & privilegio decimas rectoribus Ecclesiarum debitas usurpare, retinere, appropriare seu suis familiaribus, vel pastoribus prohibere, vel impedire ne eas solvant, præsumpserint. Pal. n. 4.

Quinta est in *Clemen. Cupientes, de pœnis* contra Religiosos qui cum sint requisiti a Rectoribus Ecclesiarum, ut suis pœnitentibus conscientiam faciant de decimarũ solutione, scienter id omittunt. Pal. 5.

Sexta est in *Clem. 1. §. quibus de privil.* adversus prælatos religiosorum qui accepta ex aliquibus excessibus ibi enumeratis infra mẽsem postquã fuerint requisiti, non restituerint parti læsæ. Palaus n. 6.

Septima est in *Clem. 1. § si quis autem, de statu monach.* adversus religiosos nigros, id est ordinis S. Benedicti (alii non comprehenduntur) non utẽtes forma vestium ibidem præscripta. Pal. n. 7.

Octava in ead. *Clemen. & eod. §.* adversus eosdem Religiosos nigros, qui venationi, aut aucupationi clamorosæ, i d est venationi cum canibus, aut aucupationi cum avibus ex proposito adstiterint: secus si casu. Pal. n. 8.

Mulieres ad monasteria virorum. *Nona* refertur in Bulla Pii V. quæ incipit *Regularium*, adversus religiosos præsumentes introducere mulieres in monasteria virorum. Suspenduntur a divinis, privantur beneficiis, & ad illa & reliqua omnia redduntur inhabiles. Pal. n. 9.

Decima refertur ex quodam privilegio Clementis IV. incipiente, *Paupertatis altissimæ* ubi fratres ordinis Prædicatorum perturbantes officium Inquisitoris exercitum a Fratribus Minoribus, vel ẽ contra Minores idem officium a Prædicatoribus exercitum perturbantes, suspenduntur ab exercitio sacrorum ordinum, donec absolutionem a Sede Apostolica, vel ab illo cujus officium perturbarunt, obtineant. *Pal. d. 4 p. 10. §. 6. n. 10.*

SECTIO IV.

De interdicti essentia, multiplicitate, & causis.

QUÆSTIO I.

Quid sit interdictum, & quotuplex?

2025 *Interdictũ quid.* UT priorẽ quæstionis partẽ de quidditate interdicti expediamus, missa illius acceptione, qua a legistis *ff. de interdicto, & Instit. eod. tit.* usurpatur amplissimẽ pro solẽni dicto prætoris aliquid prohibentis vel præcipientis inter duos, Reum nẽpe & actorẽ, & est interdictũ quasi inter duos dictum: apud Canonistas & Theologos cũ quibus modò nobis sermo est, sumitur pro sentẽtia juris, vel prælati Ecclesiastici prohibẽtis alicui divina officia, Sacramẽta, vel sepulturã Ecclesiasticã in pœnã delicti, vel contumaciæ, sive illius qui interdicitur sive alicujus alterius.

Interdictũ quid. In hac acceptione rectẽ definitur a Suar. de

de censf.disp.32.sect.1.n.4.in hunc modum: *Est censura Ecclesiastica prohibens usum quarundam rerum divinarum ut fidelibus communem quatenus talis est.* Ubi intelligitur recté definiri interdictum acceptum in genere, utpote abstrahens a loco & personis, interdicto locali & personali: item ab usu activo & passivo: si quidé in particulari, vel utroque, vel altero ex his modis fertur.

Particula (*ut fidelibus communem*) distinguit interdictum a suspensione quę privat determinato usu potestatis Ecclesiasticę, ideoque in solos clericos ferri potest. Particula (*Quatenus talis est*) distinguit interdictum ab excommunicatione: nā hæc privat quidem usu rei sacræ, non tamen, ut est usus rei sacrę, sed ut est communicatio cum fidelibus. Ponitur (*Quarundam rerum divinarum*) quia non semper privat omnibus, sed illis quæ in jure exprimuntur.

Interdicti multiplicitas. Quod attinet ad posteriorem quæstionis partem de multiplicitate: Interdictum communissimé acceptum, sub quo omnia membra continētur, vel est locale vel personale prout habetur ex *c Præsenti, c. si civitas, & c. si sentent. de sent. excom. in 6.* Locale quanvis redundet in personas, tamen immediate afficit locum: seu directé fertur in locum prohibendo ne in eo fiant divina officia secundùm modum a sacris canonibus prescriptū.

Locale interdictum. Quare datur (inquit *Sayrus tr. 4. de cens l. 5. c. 1. n. 11*) quando solus locus v. g. civitas interdicitur ne ibi officia audiantur, aut celebrentur: per hoc autem non interdicitur persona, quia extra talem locum unusquisque, exceptis illis qui causam interdicto dederunt, officia celebrare, & Sacramenta sumere possunt.

Personale & mixtū interdictum. *Personale* est quod personas immediaté afficit, interdicendo eis participatione dictorum ubivis locorum. Nam directé fertur in personam, eique interdicit ubique vel alicubi certum quendam usum divinarum rerum. Addunt aliqui prædictis duobus *Mixtum* Interdictum, quod utrunque contineat: ut si æqué directé & immediaté populus alicujus civitatis, & ipsa civitas interdicatur. At satis probabile est hoc nec esse tertium membrum, nec unicum interdictum, sed duo distincta.

Generale locale. Sub utroque divisionis membro continetur interdictum generale & speciale, quod seorsim exponimus. *Generale locale* dicitur quod in aliquē locum quasi generalem, & plura particularia loca complectentem dirigitur, sive locus ille sit provincia, sive diœcesis, sive civitas, sive parochia sub qua sunt varia templa. Ita Suar. de cens. d. 32 sect. 2. Sed satis probabile est quod cum varijs tradit *Bonacina de cens. d. 5 pun. 1. n. 7. interdictum* quo interdicitur aliqua parochia unius civitatis in qua sunt variæ parochiæ esse speciale. Quia generale solum cadit super integrum locum universalem, v. g. regnum, diœcesim, civitatem, oppidum, castrum.

Speciale locale. *Speciale locale* datur, quādo specialis locus. v. g. hoc templum interdicitur. Notabis ex *Suar. de cens. d 32. se. 2. n. 9.* interdictum contra hanc civitatem servare rationem generalis, quanvis ab illo unum vel alterum templum excipiatur: sic cōtra interdictum templorum servare rationem specialis, si in sola templa hujus civitatis, & nō in alia loca feratur.

Generale personale. *Generale personale* respicit aliquod corpus politicum collectivum plurium personarum, & personas singulas, solum ut sunt partes talis communitatis. *Speciale personale* in determinatam vel determinatas personas fertur, itaut ad singulas per se, & omnes (ut aiunt) per modum plurium tendat. Interdictum quod fertur in collegium vel academiam alicujus populi generale est.

QUÆSTIO II.

Qualiter se habeat interdictum locale & personale?

2026 Cum dixerimus hoc duplex interdictum scilicet locale & personale inter se perfecté contradistinctum continere sub se reliqua interdicta, hac quæstione divisa in duas partes, qualiter se habeat utrunque, exponemus. *Locale interdictum qualiter se habeat.* Quod attinet ad priorem de locali conveniunt 1. *Suar. disp 32. sec. 2. n. 32. sec. 2. n. 32 Sayrus lib. 5. c. 2. n. 4. Ægid. Bellan. disp. 17. dub. 1. n. 5. Bonacina to. 1. de cens. disp. 5. pun. 1. n. 2.* & alij interdictum locale semper secum deferre personale, illarum nempe personarum quæ locali interdicto causam dederūt. Quia juxta *c. sicut de sent. excom. in 6.* tales personæ specialiter sunt interdictæ itaut neque in illo loco interdicto, nec alibi divina participare possint.

Localis interdicti obligatio. Conveniunt 2. ad observantiam localis interdicti teneri omnes tam regulares quám seculares, tam exemptos quàm non exemptos, tam incolas quám exteros. Quia hęc non tam est prohibitio facta personis, quám imposita loco inhabilitas & privatio divinorum. Quod sic verum est ut etiam teneatur observare interdictum qui illud tulit: nam talis obligatio est juris communis, cui ipse subjicitur.

Civitatis interdictum. Conveniunt 3. ex *cap si civitas, de sent. excom. in 6.* sub interdicto civitatis locali generali comprehendi non tantum locum directé interdictum, sed illius suburbia, & ædificia continentia. Ratio est, quia si interdictum hoc non sic intelligeretur, parvi fieret: cum homines possent facile ad suburbia confugere pro divinis celebrandis. Adde ex Trident. sess. 25. cap. 12. faciendam esse hujusmodi extensionem, quanvis suburbia sint alterius potestatis & dominij, sicut esse solent Equitum S. Ioannis & similium Ecclesiæ.

Procedit de locali generali civitatis: si enim sit interdictum regni vel provinciæ, probabile est (ut monet *Sayrus l. 5. thes. c. 3. n. 5.*) ad suburbia & continentia non extendi. Quæ autem sint suburbia & continentia, vide in *Elucidario n. 1994. & num. 301.*

Cathedralis Ecclesia adversa gratiæ dubium. Dubium est 1. an civitate, vel diœcesi interdicta, censeatur interdicta Ecclesia cathedralis? Negant Henriq. l. 13. cap. 42. n. 1. Covarr. c. Alma mater 2. p. § 1. n. 4. & Itapluleus de litteris gratiæ

gratię fol. 156.) Probant, quia nomine Ecclesiarum in civitate solo non venit cathedralis, ut sumitur ex c. *quamvis de preb. n. in 6.*

Affirmandum tamen omninó est cum *Sayro l. 5 thes. c. 3. n. 10. Suario de cens. disp. 32. sect. 2 n. 21. & Bonac. sua tom. 1. de cens. disp. 5 p. 1 n. 7.* sub interdicto civitatis vel diœcesis contineri cathedralem. Quia aliter vis interdicti generalis enervaretur contra *cap. si civitas de sent. excom. in 6.* Si verò interdictum esset omnium Ecclesiarum illius diœcesis, vel civitatis, probabile est (ut tenent *Henriq. lib. 13. c. 42. n. 3. & Sayrus cit. c. 3. n. 10.*) non venire cathedralem, ob illius reverentiam quæ postulat expressionem.

Civitas & diœcesis interdicta.

Dubium est 2. an diœcesi interdicta censeatur interdicta civitas? Negat *Bonac. tom. 1. de cens. disp. 5 p. 1. n. 11.* Probat, quia diœcesis sumi debet juxta suam proprietatem in rigore sermonis, secundùm quam a civitate longè differt: & hoc manifesté constabit quærenti utrunque vocabulum in nostro Elucidario. Rectiùs tamen affirmandum cum *Palao disp. 5. p. 2. §. 1. n. 4.* Probatur quia interdicta diœcesi omnes illius partes censentur interdictæ: partes autem diœcesis ex quibus coalescit sunt civitates, oppida, pagi.

Ecclesia & cœmeterium interdictum.

2017 Dubium est 3. quæ censeantur interdicta, quando aliqua Ecclesia interdicitur? Certum est ac definitum in *cap. si civitas de sent excom. in 6.* interdicta aliqua Ecclesia, illius capellas, & cœmeterium contiguum manere interdicta. Quia reputantur illi accedere ut partes ipsius. Secus (notant *Sayrus lib. 5. c. 2. n. 15. & Suar. d. 32. sec. 2. n. 27.*) sicendum de alia Ecclesia quæ contigua esset interdictæ, dummodò illi accessoria non foret.

Cœmeteria pariete divisa.

Quid si alicujus Ecclesiæ duo cœmeteria medio quodam pariete sint divisa? *Tabiena v. Interdictum n. 5. 8.* absolute affirmat, & *Sayrus citatus c. 2. in fine.* probabile credit cœmeterium illud pariete intermedio divisum non subjici interdicto Ecclesię, quia non videtur illius pars, nec illi accessorium, divisione parietis id impediente. Hoc bene *Palaus de cens. d. 5. p. 2 §. 1 n. 5.* reputat certissimum, si cœmeterium disjunctum spectaret ad alteram Ecclesiam non interdictam. Addit bené interdicto cœmeterio vel capella per speciale interdictum non censeri Ecclesiam interdictam.

Terræ alicujus domini ad interdictum.

Dubium est 4. quando interdicto locali generali supponuntur terræ alicujus Principis, seu domini, quæ veniant intelligenda? Constat omnes terras in quas ille absolutum & plenum habet dominium, comprehendi. Dubitatur an cōprehendantur illæ in quas vel solum habet partiale dominium, vel imperfectum tanquam depositarius, feudatarius, usufructuarius? Dico 1. quando terra est pro indiviso duorum quorum alter nocēs, alter innocens est, nequit interdicto subesse. Ita *Sylvest. v. interdictum 2. & Sayrus lib. 5. thes. c. 3. n. 23.* Quia aliter innocens ob culpam alterius puniretur.

Interdicti interpretatio.

Dico 2. quando terra divisim spectat ad illos duos, interdictum solum afficit partem nocentis & non partem innocentis. Quia tunc prædictū inconveniens non sequitur. Notat bene *Palaus n. 6.* hoc procedere de interdicto directo & immediato. Si enim loquamur de indirecto & accessorio verius est ad partem innocentis extendi, ne frustratorium reddatur.

Dico 3. si feratur interdictum sub hac forma: Interdicimus omnes terras illius domini in quas ipse dominium habet, omnes sub dominio illius existentes manent interdictæ, non verò illæ in quas habet solum jurisdictionem administrationem, vel solumfructum: neque illæ quæ fuerunt datæ in pignus, vel hypothecam, vel feudum. Quia pænę nequeunt exedere proprietatem verborum.

Dico 4. si feratur sub hac forma: interdicimus omnes terras quas dominus habet vel possidet, & si videatur probabile solum comprehendi eas quas pleno jure possidet, est probabilius extēdi ad eas, in quas habet usumfructum, quales acceptæ in feudum vel pignus. Ita *Henriq. l. 13. cap. 42. n. 1. Bellanus disp. 17. dub. 1. n 21. & Avila 5. p. disp. 1. dub. 3.* Ratio est quia feudatariæ & pignoratitiæ vere ab illo habentur, & possidentur.

Interdicti localis extensio.

2018 Observabis 1. interdictum illud non extendi ad terras ab eodem domino postmodū acquisitas nisi id in interdicto expressum fuerit. Observabis 2. quanvis *Bellanus disp. 17. dub. 1. n. 22. & Gasp. Hurt. disp. 5.* in fine dicant si dominus alienet terras suppositas interdicto, illud cessare, quando ob culpam solius domini, & non incolarum latum fuit, verius esse oppositum apud *Suar. d. 32. sec. 2. & Bonac. d. 5. p. 1. n. 27.* Observabis 3. cum *Bellano & Sayro cit.* interdicta templa & oratoria ibidem existentia tempore, quo latum fuit interdictum, sed etiam postmodum erecta: non quia sententia respexerit locum cui templa denuò constructa inhærent. Et idem est de parte quæ templo interdicto adjiciatur.

Speciale personale interdictum.

Quod attinet ad posteriorem quæstionis partem de interdicto personali, illo nempe qui immediaté afficit personas, ut diximus q. 1. est speciale vel generale. Si loquamur de speciali, afficit 1. illos omnes qui specialiter & in propria persona interdicti fuerunt. 2. illos omnes qui causam dederunt locali interdicto, & a fortiori generali personali. *c. si sententia, de sent. excom. in 6.* Nominatim interdicti dicuntur qui post interdicti; dicuntur qui post interdicti incursionem fuerint nomine proprio declarati, vel ex circūstantijs demonstrati.

Absentes Innocentes ad interdictum.

Si loquamur de personali generali, & est illud quod afficit personas collectim acceptas prout sunt alicujus collegij universitatis & populi membra, sciendum est 1. interdicto populo, vel collegio censeri interdictos omnes de tali populo vel collegio, etiam si absentes sint quando fertur interdictum. Quia absentia non impedit eos de communitate interdicta esse. Adde etiam si innocentes sint: quia interdicūtur quatenus partes communitatis nocentis. Adde etiam si post latum interdictum partes illius fiant.

Sciendum est 2. cum *Avila 5.p.de censur.disp.1. dub.4.concl.3 & Bonacina tom.1.disp.5 p.1 n.18.* dicti extendi ad concives habitantes in suburbijs, & locis continentibus. Illi enim (sicut diximus de locali interdicto) reputantur concives interdicti populi, dummodo hujus subeant onera & honores: secus, si juris sui sint absque talium onerum & honorum participatione. Sciendum est 3 cum Sayro lib.5 cap.4.n.14. extendi ad Duces, Marchiones, & similes magnates, nisi per aliquod privilegium a tali incurrenda censura eximantur. Si autem (ut bene notant *Henriq.lib.13 c.42.n.2.& Ugolin.tab.5.c.20.§.2.*) ad populum ita se habeant, ut nihil de illo participent, non subjacebunt interdicto, quia de populo non sunt.

Exempti ab interdicto personali. Superest exponendum, quinam excipiantur ab hoc interdicto personali generali, de quo loquimur. Constat 1. ex *c.quia periculosum de sent.excom.in 6.* excipi Episcopos, nisi de ipsis fiat mentio expressa. Constat 2. apud *Gasp.Hurtad.de inter. disp.4.n.9.& Benac tom.1.d.5.p.1.n.22.* excipi pueros nondum doli capaces, & amentes. Quia ob defectum usus rationis ligari nequeunt per censuram: prohibentur tamen tradi Ecclesiasticæ sepulturæ. Quia hæc prohibitio non tam ipsos, quam clericos sepultures afficit.

Pueri & amentes ad interdictum.

Exteri scholastici & mercatores ad interdictū. Constat 3. apud *Bellarm. disp 17.dub.1. n. 12. & Bonac cit.p 1.n.20.* si non certo saltem nimis probabiliter excipi exteros, quamvis diu morentur in populo; quales mercatores, milites, & scholastici. Quia licet plerunque teneantur legibus populi non tamen illis quæ afficiunt singulares personas, quatenus ejusdem populi partes sunt. Constat 4. apud *Suar.d.32.sec.2.n.34.* excipi illos qui recedunt a populo, ut alibi suscipiant domicilium. Nam eo ipso desinunt esse illius populi, ratione cujus interdicto erant obnoxij.

Domicilium ad interdictū. 2029 Dubium est 1. an sint interdicti qui duplex sortiuntur domicilium, aliud in loco interdicto, aliud in loco non interdicto? Affirmant *Tabiena v.Interdictū §.10.& Calderin. de interd.mem. 2.n.39.* Quia cum sint vere de populo interdicto sicut fruuntur illius honoribus, ita ejusdem onera sustinere debent. Negant *Henriq l 13.c.42.n.2 & Sayrus l 5.c.4.n.18.* Quia cum vere sint partes alicujus populi non interdicti, æquitas postulat ut hujus potius bona quàm alterius mala habeāt. Inter utrosque eligo media via incedere cum *Suario d 33.sec.2.n.16 & Bonac.to.3.disp.5.de cens.pun. 1.n.20.* asserentibus prædictos interdicto subesse cum in loco interdicto degunt: secus, si in loco non interdicto.

Clerus interdictus. Dubium est 2. qualiter se habeat clerus ad interdictum populi, & è contra populus ad interdictum cleri. Ex *c.si senten.de sent.excom.in 6.* recté docent *Suar.d.32.sec 2.n.14. Bellarmus disp.17.dub. 1 n 8. & Avila disp 1.dub.4 concl.6.* interdicto populo clerum non censeri interdictum, neque è contra interdicto clero populum. Quia nomine populi veniunt solum seculares laici, & nomine cleri solum Ecclesiastici. Illud recté monent citati sub interdicto, cleri comprehēdi solum omnes illos qui gaudent privilegio canonis & fori: non autem illos quibus solum canonis privilegium competit. Quia hi subduntur sæculari jurisdictioni.

Populus interdictus.

Religiosi ad interdictum. Dubium est 3. an quando interdictum fertur a Sum.Pontifice, aut ab habente jurisdictionem in sæculares & regulares, sub interdicto clero contineantur religiosi? Affirmant *Suar.d. 32.sec. 2.n.13.Covarr.c. Alma 2 p.§.1.n.8.Toiet.lib.1. sum.c. 18.& Zerola praxi Episc. 2 p. v. Interdictum in fine.* Probant, quia communitas dividitur in populū & clerum: sed religiosi non continentur sub populo; ergo sub clero.

Hoc probabile est, sed probabilius negāt *Sayrus l.5.c.4.n.29.Bellarmus disp.17. dub.1. n. 8. Filliuc. tr.18.c.1.n.14.Gasp.Hurt.de interd.disp. 4. & Bonac. disp.5.p.1.n.14.* Ratio est, quia esto religiosi nomine cleri veniant in favorabilibus, non tamen in odiosis & pœnalibus. Excipe tamen illos religiosos qui beneficium sæculare possident quia tūc unum cum sæcularibus clericis corpus efficiunt. Adde ex *Sayro cit.c.4.n.29.& Palao d.5 p.2.§.2.n. 9.* si interdictum feratur sub nomine personarū Ecclesiasticarum, comprehendi religiosos.

Doctores interdicti. Dubium est 4. an interdictis Doctoribus alicujus Universitatis, maneant interdicti Doctores clerici? Negant *Sylv.v.interdictum 2.n. 18. Sayrus l.5.thes.c.4.n.30.& Vgolin.tab.5.§.5.n.3.* Quia videtur solis laicis competere universitatem cōstituere. Affirmandum tamen est cum *Henriq. lib. 13.c.42.n.1.Avila 5.p.disp.1.dub.4.concl.9. & Bonac. disp.9.pun.1.n.17.* Ratio est, quia nomen Doctoris æqué competit laicis & clericis, ex quibus universitas coalescit.

Templa in interdicto personali. Dubium est 5. an interdicto populo maneāt interdicta loca in quibus peragi solent divina, scilicet templa? Affirmant *Henr.l.13.c 42. & Covar.c.Alma 2.p §.1.n.7.* Quia aliter esset interdictū frustraneum, si templa paterent, & in eis divina patenter fierent. Negandum tamen est cum *Sayro l.5.c.4.n.16.Bellarmo disp.17. n. 20. & Hurtado de Inter.disp.3.* Quia interdictum personale ita a locali differt, ut illud necessarió non inferat. Populo igitur personaliter interdicto, atque obligato abstinere a divinis, clerici poterunt in templis divina peragere, ita tamen ut si populus assistere velit, nec expelli possit, teneantur a celebratione cessare, non ex lege interdicti, sed ob scandalum.

QUÆSTIO III.

Quæ sit causa effectiva, & subjectiva interdicti?

Interdicere qui possint. 2030 INterdicti ministrum & subjectum investigabimus hac bipartita (ut solemus) quæstione. Quod attinet ad ministrum, ex *cap. cum ab Ecclesiarum de officio de leg. & cap. cum inter, de consuet. Navarrus c. 27.n. 164. Suarius de cen, ur disp. 36.sec.1 & Sayrus lib 5.c.1.n.13.* tradūt pro generali regula interdicti causa efficientem, seu ministrum esse illum qui in foro contentioso Ecclesiasticam jurisdictionē habet, & regulariter posse interdicere qui excommunicationis

nicationis, & suspensionis sententiam ferre potest; quales sunt Pontifex, Legatus Nuncius, delegatus, subdelegatus, Episcopus etiam non consecratus, Capitulum Sede Vacante, & quicunq; alij qui in subditos & loca prædictam exercent jurisdictionem.

Episcopus ad interdictum.

Cum verò præcipua difficultas circa modum & qualitatem interdicendi versetur, dubium est 1. an Episcopus, & similis prælatus habens sub se capitulum, absque ejus consensu possit interdictum ferre? Videtur negandum juxta *Cap. 5. de excess. præl.* ubi Pontifex præcipit ne Episcopus absque capituli judicio clericos suspēdat, aut eorum Ecclesias interdicto supponat.

Dicendum tamen est cum *Sayro* l. 5. cap. 10. n. 20. & *Suar.* disp. 36. sec. 1. n. 6. quanvis juris rigore spectato, neque Episcopus, neque similis prælatus, vel quicunque habens potestatem interdicendi possit absque consensu capituli interdicere clericos, benè tamen laicos: at spectata cōsuetudine jam legitimé præscripta, posse utrosque interdicere.

Capitulū ad interdicendum.

Dubium est 2. qualiter Capitulum Sede Vacante possit interdicere? Ex *Trident. sess. 24. cap. 16. de reform.* conveniunt *Henr. l. 13. c. 51. n. 2. Covarr. c. Alma mater 2 p. §. 2. n. 6. & Avila 5. p. disp. 2. dub. 1. concl. 1.* posse interdicere medio vicario a se electo. At Sede non Vacante quanvis (ut notavit *Sayrus l. 5. thes. c. 10. n. 23.*) ex indulto Pontificis aliquando independenter ab Episcopo interdictum tulerit, tandem modo ex præscriptione legitima aliquando ferre interdictum potest.

Prælati regulares ad ferendum interdictū.

Dubium est 3. an Prælati regulares possint ferre sententiam interdicti tum in religiosos sibi subditos, tum in loca suæ jurisdictioni subjacentia? Præter citatos resolvunt *Filliuc. tr. 18 c. 1. q. 7. Bonacina disp. 5 p. 1. n. 2. Gasp. Hurt. de inter. diff. 14. mer.* & si juris rigore attento dicēdum foret posse interdictum ferre tum in personas, tum in loca sibi subjecta, tamen consuetudinem legitimé obtinuisse, ut hac potestate careant saltem quoad locale interdictum, nisi forte in plebem habeant jurisdictionem.

Addunt *Sayrus & Henriq.* citati hos prælatos qui in religiosos tantum jurisdictionem habēt, quāvis possint interdicto partiali ligare sibi subditos v.g. prohibendo ab audiendis divinis, vel excipiendis confessionibus, tamen non posse eos ligare interdicto absoluto. Hoc autem non approbat *Palaus d. 5. p. 3. §. 1. n. 4.* neque Doctores illi qui negata potestate imponendi locale interdictum, personale concedunt.

Censurati ad ferendum interdictum.

Dubium est 4. an possint ferre interdicti sententiam qui fuerint excōmunicati, suspensi vel interdicti? Hoc dubium ab *Avila 5. p. disp. 2. dub. 3. concl. 1. & Gasp. Hurtado diff. 14. n. 43.* rectè deciditur in hunc modum; si prædicti (inquiunt) sint excommunicati, & suspensi denunciati, nec licité, nec validé sententiam interdicti ferre possunt, utpote privati jurisdictione ad illud munus: at si denunciati nō sint, & si aliqui opinentur satis probabiliter invalidé exercere jurisdictionem coactivam, tamen oppositum probabilius est. Interdicti verò etiam denunciati nō impediuntur a ferenda sententia interdicti: quia interdictum non privat jurisdictione, sed participatione divinorum.

Interdicti subjectū.

Quod attinet ad causam subjectivam, seu materialem in ordine scilicet ad personas quæ interdici possunt, si loquamur de interdicto personali, hoc non solum in singulares personas quà tales sunt, sed in ipsas quatenus constituunt communitatem aliquam, ferri potest. Ex quo rectê observant *Henriq. l. 13 c. 25. n. 4. & Sayrus l. 5. thes. c. 10. n. 7.* discrimen inter excommunicationem & interdictum, quod hoc possit, illa autē non possit ferri in communitatem quâ talem. Observant deinde personam interdicēdam subesse debere interdicenti, ut ejus præceptis ac sententijs obstringi possit. Ad quod refert omninò quòd sit rationis capax: quia aliter præcepti, & pœnæ transgredientibus impositæ incapax erit.

Si loquamur de interdicto locali, & directé feratur, semper locus interdicenti subjacere debet, itaut in illum jurisdictionem habeat. Secus si indirectè feratur. Sæpe enim contingit locum exemptum a jurisdictione interdicentis manere indirectè interdictum juxta *cap. si civitas & c. si senten. de sent. excom. in 6.* ne enervetur interdictum a judice positum, quod de generali locali procedit.

QUÆSTIO IV.

Quæ sit causa formalis & finalis interdicti?

Forma interdicti ferēdi.

2031 Circa formam, seu causam formalē interdicti sive localis sive personalis rectè conveniunt *Sayrus l. 5. thes. c. 1. a n. 23. & Suar. disp. 36. sect. 4.* nullam in jure esse determinatè præscriptam, sed eam requiri ac sufficere, quæ per verba aut signa æquivalentia voluntatē interdicentis manifestet, itaut talis censura cum specificatione & determinatione feratur.

Solemnitas interdicti ferendi.

Unde sicut nec ad ferendam excommunicationem Verbum *Excommunico*, nec ad suspensionem, *Suspendo*, ita nec ad interdictum; *Interdico* postulatur. Quoad solemnitatem accidentalem, requiritur antecedens monitio, subsequens denunciatio & quidquid sententiam ex communi usu & jure comitari solet. Ut verò licitè feratur (inquit *Palaus d. 5. pun. 3. §. 2. n. 10.*) debet in scriptis, & ibi exprimi causa ob quam fertur & exemplar tradi parti intra mensem si petierit aliter interdicens suspensus manet ipso facto ab ingressu Ecclesiæ per mensem. Quæ autem requiratur monitio, & quando appellatio suspendat interdicti executionem, dictum est supra *tr. 47. sec. 2.*

Interdicti causa finalis.

Circa causam finalem, seu propter quam interdictum fertur, ut eam in genere proferamus, conveniunt omnes esse culpæ commissæ emendationem, seu punitionem, quam intendit hujus censuræ lator. Cum verò interdictum ferri soleat tum ad delictum emendandum, tum ad il-

lud

sed puniendum, ex cap. de viro nefando 1.2.q.2. & alijs benè monent citati authores interdictū generale sive locale, sive personale sit, ferri non posse ad punitionem delicti præteriti, imò nec interdictum locale speciale, ne cum nocentibus innocentes involvat, eosque privet divinis. Solū igitur (ut ex *Suario d.36.sect.3.n.13.* tradit *Palaus d.5 p.3.§.2.n.1.*) interdictum personale speciale potest aliquando ferri non solum ad delictum emendandum, sed etiam ad illud puniendum tanquam pura pœna, ut tollat scandalum populi, & reddat delinquentem cautiorem in posterum.

2032 Tota difficultas est explicare culpam ob quam interdictum sive locale, sive personale ferri potest, ac debet. Conveniunt 1. cum citatis *Henr. l.13.c.50.n.1.& Layman l.1.sum. tr. 5.p. 4.c. 4.n.3.* requiri omninò culpam lethalem ut generale interdictum ferri possit, sive locale sive personale sit. Est enim pœna gravissima. Conveniunt 2. interdictum generale personale, & locale etiam speciale non inveniri in jure latum, nec posse ferri ab alio quàm a Pontifice, ob culpam quantumvis gravem alicujus privatæ personæ, nisi ea culpa sit culpa capitis vel communitatis. Oportet enim pœnam communem non infligi nisi ob culpam communem.

Culpa ob quam fertur interdictū.

Dubium est 1. an ultra capitis vel communitatis culpam ad ferendum prædictum interdictum, postuletur ut delinquens habeat jurisdictionem temporalem in locum, vel communitatem interdictam? Affirmant *Panormit. in c. sanè d. 2. de officio delegati*, Cardinalis ibid. & *Henr. l.13.c. 50.n.1.* Quia consonum videtur rationi cōtumaciam spiritualis pastoris cum tam gravi populi jactura reprimere.

Negandum tamen est cum *Sayro l.5. thes. cap. 11.n.9. Ugolino tab.5.c.20.§.1.n.2. & Suario d. 36. sect.3.n.7* Sumitur ex *c. sane* cit. ubi statuitur absque distinctione inter jurisdictionem temporalem & spiritualem posse delegatum Pontificis subjicere interdicto terram Episcopali jurisdictioni subjectam. Accedit graviorem esse, & detestabiliorem contumaciam spiritualis quàm temporalis pastoris.

Dubium est 2. an possit ferri interdictū propter delictum commissum a capite vel communitate in alieno ære retinendo? Constat ex Extrav. Bonifacij VIII. in *Extrav Provide attendentes, de excom.* interdictū locale generale nequaquam ferri posse absque speciali Summi Pontificis facultate. Hanc verò facultatem concessam esse collectori subsidij, & commissario Cruciatæ in Hispania testatur *Sairus cit. n.18.* Dubitatur, an licitè & validè possit imponi interdictum locale speciale v.g. unius vel alterius Ecclesiæ pro debito pecuniario? Affirmant *Navarrus c.27.n.161. Suar. d.36.sect.3.n.8. Sayrus l.5.c.11.n.19.* Quia in citata Extrav. solum prohibetur interdictum locale generale, & prohibitiones potius restringendæ quàm extendendæ sunt.

Æris alieni retētio.

Hæc opinio satis probabilis est, sed opposita negativa æquali vel maiori probabilitate defenditur a Covarr. *Alma 2.p.§.1.n.5. Avila 5.p.6.sp. 3 dub.3.concl.2 Layman l.1.sum.tr.5 p.4.c.4.& Palao d.5.p.3.§.2.n.5.* Suadetur quia canon iste prohibitionis militat in interdicto generali, & locali speciali, scilicet ne justus pro injusto pœnam luat. Deinde in Extrav. citata ne interdicto supponātur provincia, civitas, castrum, locus, territorium prohibetur: locus autem intelligitur tam de interdicto locali generali quam speciali.

Dubium est 3. an ob æris alieni retentionem factam a capite communitatis possit ferri interdictum personale generale? Constat posse imponi interdictum personale speciale, quia nullibi prohibetur. Dubitatur de solo personali generali, & posse imponi affirmant *Henriq. l 13. c.50. n. 2. & Avila 5.p.disp.3.dub. 2.* quia non est inconveniens quod ob culpam capitis redundet pœna in innocentes. Negat tamen communis sententia cum *Suar. d.36.sec.3.a n.2. & Gasp. Hurtado de interd. diff. 13.n.19.* Ratio est quia interdictū personale speciale cū afficiat ubique personam propriam, omninò in ea culpam supponit.

Culpa propria ad interdictum.

2033 Dubium est 4. an interdictum personale speciale ferri possit ob culpam propriam venialem? Affirmant *Sa v. Interdictum n.7. Gasp Hurt. de inter. diff. 13. Henr. & Avila citati.* Probant, quia sufficit culpa venialis ut incurratur excommunicatio minor; ergo etiam ut incurratur interdictum, cum hoc non privet bonis maioribus quàm illa.

Dicendum tamen est cum *Sayro l.5.c.11.n.1. Vasq.tom.2.d.58.n.5. Suario disp.36. sec. 3.n.2. & Ægid. Bellano disp.17 dub.1.* sine interdictum particulare personale absolutum, integrum, etiam latum a jure vel generaliter ab homine non posse contrahi absque gravi culpa. Ratio est, quia tale interdictum privat bonis gravissimis, passim contingentibus, & longè pluribus quàm excōmunicatio minor, qualia sunt administratio Sacramentorum, receptio plurium, assistentia divinorum officiorum, & sepultura Ecclesiastica. Dixi (absolutum integrum) quia partiale, & ad breve tempus ob culpam levem injungi potest.

Culpa gravis ad interdictum.

SECTIO V.
De interdicti effectibus.

QUÆSTIO I.
Qualiter se habeat primus interdicti effectus qui est Sacramentorum activa & passiva privatio?

Ex *cap. si sententia. & c. responso de sent. excom. in 6.* constat in interdicto prohibitam esse Sacramentorum administrationem & receptionem. Restat percurrere singula Sacramenta, & in singulis exponere qualiter prohibeatur quādo & in quibus casibus prohibitio habeat locū. Venit obviam Baptismus, qui juxta *Cap. non est v bis, de sponsal.* ob ejus necessitatem conceditur parvulis tempore cujuscunque interdicti. Fuit postea in *cap. quoniam, de sent. excom. in 6.* extensa hu-

Sacramentorum privatio in interdicto.

hujusmodi concessio ad baptismum cujuscunque adulti sive sani, sive ægroti.

Solemnitas baptismi in interdicto.

Notant 1. benè *Suar.disp.33.sec.1.a num. 2. & Bonacina tom.1. disp. 5. pun. 3. num. 2.* hujus baptismi administrationem debere esse solemnem interveniente in Ecclesia cathecismo, patrinis, aliisque ritibus consuetis. Nam baptismo permisso accessoria adhiberi debent. Addunt si fons benedictus non sit, posse benedici, ut cum debita solemnitate peragatur baptismus.

Benedicti fontis.

Notant 2. dicta procedere de quocunque interdicto locali sive generale sive speciale sit. Quia juxta *c.responso de sent.excom in 6.* baptismus quocunque existente interdicto apertis januis, & ita solēniter est administrandus ac si Ecclesia interdicta nō esset.

Baptismus in tempore interdicti.

Difficultas est an persona interdicta possit solemniter ministrare baptismum? Constat 1. personam generaliter interdictam posse. Constat 2. personam specialiter interdictam in casu necessitatis privatim baptizare posse. Dubitatur an id possit solemniter, seclusa necessitate? Videtur affirmandum, quia hęc concessio non ob ministrū, sed ob baptizandum facta fuit. Negandum tamen est cum *Suario d.33.sec.1.n.8.& Fillucio trac. 18.c.2.n 33.* Quia sicut excommunicatis, ita specialiter interdictis nullus favor a jure impenditur; seclusa igitur baptizandi necessitate id nequeunt.

Confirmationis Sacramentum in interdicto.

Post baptismum sequitur confirmatio & quia hoc Sacramētum est accessorium baptismo, quæ de hoc diximus, etiam dicenda sunt de confirmatione, esto non sit necessitatis Sacramentum, ut docent citati. Additur ex *c.quoniam de sent. excom.in 6.* posse confici chrisma in loco etiam specialiter interdicto: confirmationi enim necessariū est. An verò in illo conficiendo servari debeat moderatio *c. Alma mater?* Affirmatur communiter cum *Covarr.2.p.§ 2.n.7.& Henriq.l. 13.c. 45.*

Chrisma in interdicto.

Verum *Layman lib.1.sum.tr.5.p.4.c.2. n. 1. & August Barb.2 p.de pot. Episc.* non improbabiliter judicant id necessarium non esse, quanvis expediens sit.

Quid de persona interdicta in ordine ad cōfirmationem? Respondeo ex doctrina *Suarij d.33 sec.1.n.9. Bonacinæ tom.1.disp.5.pun.3.§.1.n.4.* & aliorum quos refert ac sequitur *Palaus de cens.d.5. p.4.§.1.sec.7.* si persona sit interdicta generaliter, recipere vel ministrare potest hoc Sacramentum: quia in culpa non est. At si interdicta specialiter sit, qualis illa quæ interdicto causam dedit, licitè recipere vel administrare nequit, nisi exhibita satisfactione, & si hanc præstare non possit, data cautione pignoratitia, fidejussoria, vel juratoria.

Pœnitentiæ Sacramentum in interdicto.

2034 Quod attinet ad Sacramentum pœnitentiæ, olim juxta *c quod in te, de pænit.& remiss.* solis peregrinis & moribundis concedebatur, modò juxta *c. Alma mater, de sent.excom.in 6.* conceditur omnibus sub duplici conditione, prima ne absolvendus sit excommunicatus excommunicatione incursa eo quòd pertinaciter dederit causam interdicto. Secunda ne absolvēdus causam culpabilem interdicto dederit: in quo eventu condignam satisfactionem debet exhibere, vel præstare cautionē pignorantiam vel fidejussoriā, aut si neutram possit, debet jurare, se quam primum possit, satisfacturum.

Nota cum *Suar.disp.33.sec.1.n.15.& Avila 5.p. disp.4.sec.1.dub.3 concl.4.* quod de receptione hujus Sacramenti diximus, dicēdum esse de ejus administratione, scilicet posse administrari in loco interdicto, & a persona generaliter interdicta. Si autem persona sit specialiter interdicta, prohibetur administrare Sacramenta extra casum necessitatis. An verò sit valida administratio pœnitentiæ in interdicto extra casum necessitatis? dubitat *Suar.d.33.sect.1.n.15.* Quia interdictum solum privat usu divinorum, & non privat jurisdictione. Ex qua ratione meritò resolvūt *Fillinc. tr.18.c.2.n.38.& Bonacina tom.1.disp 5 pun.3.§.3.n. 2.* non reddi invalidam talem administrationem ex vi censuræ.

Eucharistia in interdicto.

Quoad confectionem & usum Sanctissimæ Eucharistiæ *Suar.disp.33.sect.1.n. 24. Bellarm. disp. 7.dub.2.n.41.ex c. quod in te de pænit. & remiss.* rectè docent tempore interdicti localis, & personalis generalis posse, & debere administrari his qui versantur in probabili, seu morali periculo mortis quale censetur prælatio, navigatio diuturna, partus difficilis, & condemnatio ad mortē, dūmodò non fuerint aliunde specialiter interdicti, nec interdicto causam dederint. Quid de specialiter interdictis in tali discrimine? Poterit illis ministrari, si priùs exhibuerint condignā satisfactionē, aut de satisfaciendo pignoratitiam, aut fidejussoriam cautionē præstiterint: quòd si neutrū possint, jurent se cū primùm possint, satisfacturos.

Solemnitas in deferenda Eucharistia.

Rogabis, qua solēnitate hoc viaticū prædictis debeat deferri? Benè respōdet *Sayrus l.5.c.7.n.26. & Bonacina disp.5.p.3.§.2.* debere deferri honesto clericorū ac laicorū comitatu, accēsis cādelis, pulsatisq; cāpanis. Sacerdos tamen Eucharistiā deferēs nequit recitare horas canonicas aliud ve divinū officium, benè tamen in laudem tanti Sacramenti, & devotionē comitantium aliquas orationes & psalmos, & cōcedere solitas indulgentias, postquam delatū Sacramentū populo adorandū ostenderit, illiq; cum ipso benedixerit, etiā coram interdictis. Vide *Palaū d.5.p.4.§.1.n.10.*

Eucharistiæ receptio in interdicto.

Dubiū est 1. an illi omnes quibus per *c. Alma* concessum est divina participare quatuor festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assūptionis B.Virginis, & causam interdicto nō dederūt, nec sunt specialiter interdicti, possint sumere Eucharistiam? Negant *Sayrus lib.5.c.7.n.25. Avila 5.p.disp.4.sec.1.dub.5.concl.3.& Bonacina disp. 5.pun.3.§.2.n.12.* Probant, quia receptio & administratio Sacramentorū diversa est ab officiorum divinorum celebratione: in prædictis autē solemnitatibus solum permittitur divina officia celebrari, & a fidelibus participari.

2035 Hæc opinio valde probabilis est, sed probabilior affirmativa in quam propendent *Suar. disp. 33. sec. 1. num. 37. Ægid. Bellan.disp.17.*

dub. 2. num. 36. Filliucius tr. 18. cap. 2. num. 32. & Palaus cit. num. 13. Probatur, quia in illis festivitatibus non solum permittitur divinis officijs, & sacrificio Missæ assistere, sed etiam participare: fit autem participatio per S. Eucharistię receptionem.

Dubium est 2. an Sacerdotes & alij clerici, quibus concessum est celebrare divina officia, & Missam: item omnes alij qui ex privilegio divinis assistunt, possint more laicorum Eucharistiam recipere? Negant *Navarr. cap. 27. num 178. Ugolin. tab. 5. cap. 7. §. 6. num. 5. Sayrus lib. 5. cap. 7. num. 21. Bonac. tom. 1. disp. 5. pun. 3. §. 2. num. 8 & Gasp. Hurtado* tom. de inter. diff. 8. num. 28. Probant quia in *Cap. Alma mater* solum permittitur Sacerdotibus Eucharistiæ receptio ob sacrificij perfectionem.

Dicendum tamen est cum valde probabili sententia, quam defendunt *Sylvest. v. interdictũ 5. q. 7. Suar. disp. 33. sec. 2. n. 35. & 36. & Filliucius tr. 18. cap. 2. n. 42.* omnes illos, quibus ex privilegio competit Missæ assistere tẽpore interdicti, quales religiosi, & qui Bullam habent, posse communicare. Quia ab exordio Ecclesiæ servatum semper fuit, ut qui Missæ assisterent, Sacramenta Eucharistię possent recipere.

Quoad Extremam unctionem, constat ex *c. non est vobis, de sponsal.* in nullo interdicto sive locali sive personali posse laicis ministrari. Quia esto Sacramentum hoc morientibus sit proficuũ tamen necessarium non est: item non est de pręcepto divino, sicut est Eucharistia, utpote Sacramentorũ præstantissimũ, æternæ gloriæ pignus. *Extrema unctio in interdicto.*

Dubium est 1. an hoc Sacramentum tempore interdicti concedatur clericis, quibus conceditur Missam & divina officia celebrare? Videtur affirmandum ex illo axiomate, cui conceduntur maiora, intelligi debent minora concessa. Negãdum tamen omninò est cum *Covarr. cap. Alma 2. p. §. 5. n. 6. Sayro l. 5. c. 7. n. 30. & Bonac. disp. 5. p. 3. §. 3. n. 4.* Sumitur ex *cap. quod in te de panit. & remiss.* ubi innuitur extremæ unctionis denegatio.

Dubium est 2. an censeatur fidelibus concessa extrema unctio, in festivitatibus, in quibus juxta *c. Alma mater* conceditur divinorum participatio? Affirmant *Sylv. in interdictum 5. n. 3. & Federic. de Senis consil. 111.* Probant, quia in cap. citato divina conceduntur, & Extrema unctio inter divina reputatur. Negandum tamen est cum *Covarr. dicto cap. Alma 2. p. §. 5. mem. 6. Sayro l. 5. c. 7. n. 33 & Bonacina tom. 1. de cens. disp. 5 pun. 3. §. 3. n. 4.* Patet, quia Extrema unctio absolutè prohibita est tempore interdicti, ut constat: at in *c. Alma* non intelligitur concessa: ibi enim solum conceditur participatio Sacrificij, & officiorum divinorum, sub quibus non continetur Extrema unctio.

Notandum est 1. religiosos mendicantes, & eos qui eorum privilegijs communicant, posse ministrare & recipere hoc Sacramẽtum tempore interdicti. Notandum est 2. si infirmus nullũ possit aliud Sacramentum recipere, extremam unctionem esse illi administrandam præsumpta Pontificis voluntate. Ita *Layman lib. 1. sum. tr. 5. par. 4. c. 2. n. 1 & Capiavilla de modo administrãdi Sacramenta tempore pestis.* Addit *Sayrus lib. 5. c. 7. n. 3.* æquum esse, ut S. Pontifex omni moribundo illud concederet.

2036 Quoad Sacramentum ordinis, constat apud *Suar. d. 33. sec. 1. n. 45. Filliucium tract. 18. cap. 2. n 47.* & *Bonacinam disp. 5. pun. 3. §. 3. n. 3.* nullo modo conferri posse in loco interdicto, vel personis specialiter interdictis: secùs verò his qui generaliter solum interdicti sunt in loco nõ interdicto. *Ordinis Sacramentum in interdicto.*

Dubium est 1. an si detur casus necessitatis ob penuriam Sacerdotum, ex qua nequeat commodé ministrari Sacramentum pænitentiæ & Eucharistiæ, possit cõferri ordo in loco interdicto? Negant *Ugol. tab. 5. c. 7. §. 2. c. 2. Sylvest. v. Interdictũ 5. q. 7. & Covarr. c. Alma 2 p. §. 3. n. 4.* Probãt, quia ob talem necessitatem nullibi reperitur concessa ministratio prædicti Sacramenti.

Rectiùs tamen affirmandum est cum *Henriq. l. 13. c 45. n. 4. Sayro lib. 5. thes c. 7. n. 38. Layman lib. 1. sum. tr. 5. par. 4. c. 2. n. 1. & Bonacina disp. 5. pun. 3. §. 3. n. 3.* Probatur a simili: nam juxta *c. quoniam de senten. excom. in 6.* ex eo quòd interdicti tempore permittatur receptio & administratio tũ Baptismi tum confirmationis, intelligitur concessa confectio chrismatis, sine quo administrari nequeunt. Cum igitur absq; ordinatis ministris Sacramenta confici non possint, fit ex Sacramẽtorum concessione concessam esse ministrorum ordinationem.

Dubium est 2. an in loco interdicto conferri possint ordines sabbato sancto? Videtur affirmãdum, quia ordinũ collatio ex præscripto Ecclesię est accessoria Missæ, divinisq; officijs eo die: festum autem Paschatis a Missa incipit. Negandũ tamen omninó est cum *Paludano in 4. dist. 18. q. 8. a 2. concl. 6. Sayro cit. c. 7. n. 39. & Bonac. cit. pun. 3. n. 3.* Patet, quia ordinũ collatio non est necessarió sed volũtarié accessoria divinis officijs in sabbatho Sancto, cũ hæc absq; illa peragi possint. Non igitur ex cõcessione celebrationis divinorum intelligitur concessio ordinationis. *Ordinatio in Sabbato Sancto.*

Tandem quoad matrimoniũ capitalis difficultas est, an ministrari aut recipi possit in loco interdicto, vel a personis generaliter interdictis? Negãt cũ *Sayro l. 5. thes. c. 7. n 43. & Suario disp. 33. sec. 1. n. 51. Bonacin. disp. 5. pun. 3. §. 3 n 8. & Filliuc. tr. 18. c. 2. n. 51.* Probãt, quia juxta textũ in *Clem. 1. §. porro, de verb. signific.* generaliter prohibitũ si non inveniatur exceptũ, cẽsetur esse prohibitũ: at receptio & administratio Sacramẽtorũ tẽpore interdicti prohibita est, & matrimonium quod est Sacramentum, nullibi reperitur exceptum. *Matrimonium in interdicto.*

Affirmandum tamen est cum probabiliori sẽtentia, quam tenent cũ *Sãch l. 7. matr. d. 8 n. 2. Avila 5. p. de cens. d. 4. sect. 1. dub 6. Ægid. Vellan disp. 17 dub. 2. n. 48. Gasp Hurt. de interd. diff. 8. & Layman lib. 1. sum. tr. 5. par 4 cap. 2 num. 1.* Probatur, quia accessorium sequitur naturam principalis: sed

sed in matrimonio principalis est cõtractus humanus, cui ex Christi institutione Sacramentum annexum est, & omnis humanus contractus tempore interdicti celebrari potest.

Dixi (a personis generaliter interdictis) quia interdictæ specialiter, removentur a matrimonio contrahendo, si contumaces sint; quia ponunt obicem gratiæ recipiendæ per hujusmodi Sacramentum: si autem existant contriti & pœnitentes, non excluduntur.

Benedictiones nuptiales in interdicto.

2037 Dubium est 3. an in loco interdicto, & personis interdictis liceat suscipere benedictiones nuptiales? Affirmant *Præpos. cap. non est n. 7. de sponsal. Abbas. ibid. n. 8. Rosella v. Interdictum 2, num. 7. & Angel. Interdictum 6. num. 3.* Quia benedictiones sunt matrimonio accessoriæ: & illud dicto loco a dictis personis celebrari potest.

Negandum tamen omninò est cum *Navarro cap. 27. n. 17. Henriq. lib. 13. cap. 44. num. 1. Sayro lib. 5. cap. 7. num. 41. Sanch. lib. 7. matr. disp. 8. num. 10. & Bonacina disp. 5. p. 3. num. 9.* Probatur facilè, quia tempore interdicti officium divinum non licet: benedictiones autem conceduntur a Sacerdote tempore Missæ, proindeque quando fit officium divinum. Si autem conjugati haberent privilegium assistendi divinis officiis tempore interdicti possent benedici servata moderatione *c. Alma mater.*

Dubium est 4. an in loco non interdicto possint benedici conjuges interdicti? Respondeo cum *Sanch. lib. 7. matr. d. 8. num. 19. & Bonacina tom. 1. disp. 5. de censur. p. 3. §. 3.* distinguendo, si conjux uterque, vel alter sit specialiter interdictus, benedictio impendi nequit quin priùs absolvatur: censura enim illa quocunque loco personam afficiens eam removet ab assistentia divinorum. Quid si uterque, vel saltem vir generaliter fuerit interdictus: neque per domicilij mutationem, vel alia via ab interdicto liberetur? Idem dicendum est. Quia eo durante, privatur quolibet divino officio. At si mulier generaliter sit interdicta; non autem vir, poterunt contracto matrimonio benedici. Quia juxta *l. fœmina ff. de senat.* per virum fœmina sortitur forum munera & honores.

Festa solemnia ad interdictum.

Observabis tandem in quatuor solemnitatibus Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, & Assumptionis B. Mariæ, quibus adjectum est festum Eucharistiæ per totam octavam, ex vi localis interdicti generalis licere publicam ac solemnem benedictionem. Nam illis temporibus suspensa est obligatio interdicti quoad celebrationem divinorum officiorum.

QUÆSTIO II.

Qualiter se habeat secundus interdicti effectus qui est officiorum divinorum privatio?

Officia divina in interdicto.

Constat 1. ex *cap. permittimus, de sent. excom.* apud *Suar. disp. 34. sec. 3. & Palaum disp. 5. pun. 4. §. 2. n. 1.* in loco interdicto, & a personis interdictis sive generaliter, sive specialiter officia divina prohibita esse, ea nempe quæ primò ac per se alicui ordini sacro annexa sunt, quæque a solis clericis ex Christi vel Ecclesiæ institutione fieri permittuntur, qualis Missæ celebratio, chrismatis confectio, olei benedictio, sicut & fontis, templi vestium, altaris.

Adde ad hujusmodi officia pertinere horas canonicas & officium B. Virginis cum psalmis & litanijs, si in publico & in loco ad id specialiter deputato in communi dicantur: secus si recitatio fiat in domo privata: cum hæc æquè a clericis & laicis fieri potest. Solum igitur censeri debet officium divinum prohibitum tempore interdicti, quod exigit de se sacrum ordinem.

Constat 2. sub nomine hujusmodi officij divini prohibiti non còtineri concionem, quia hæc non habetur ad Deum, sed ad populum: item non contineri benedictionem mensæ, neque recitationem orationum Ecclesiæ, ordinatam pro itinerantibus, neque litanias B. Virginis aut Sanctorum, neque quæcũque alia recitata absque ordine offici.

Missæ sacrificiũ in interdicto.

2038 Dubium est 1. an & quomodò Missæ sacrificium per interdictũ generale loci prohibeatur? Esse prohibitum hujusmodi sacrificiũ ex *cap. civitas cap. si sententia, & cap. Alma de sent. excom. in 6.* rectè docent authores cum *Suar. disp. 34. sec. 1. num. 3.* Cum verò ad conservandam Eucharistiam pro infirmorum viatico necessarium sit illam conficere & conservare, Gregorius IX. in *cap. permittimus, de sent. excom.* statuit, ut semel in hebdomada possit Missa dici causa conservandi corpus Christi.

Item *cap. Alma, de sent. excom. in 6.* Ecclesia permisit, *ut singulis diebus in Ecclesijs & monasterijs Missæ celebrentur, & alia dicantur divina officia sicut prius: submissa tamen voce, januis clausis, excommunicatis, ac interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis.* Ad quem textum *Suar. cit. d. 34. sect. 1.* rectè notat 1. ad hunc effectum Ecclesiarum nomine venire præcipuè templa clericorum secularium: deinde oratoria privata, monasteria, hospitalia, ac denique quæcunque loca approbata ad Missæ sacrificium perficiendum. Notat 2. licere quibuscunque Missas, sicut priùs, servatis dictis conditionibus, quas cũ eodem libet seorsim exponere.

Missæ celebratio qualiter in generali interdicto.

Prima conditio est ut Missa dicatur (*submissa voce*) hoc est sine cantu, & sine ea cõtentione vocis, quæ extra Ecclesiam audiri possit. Secunda conditio est, ut dicatur *Ianuis clausis*, scilicet ita junctis, ut cæremoniæ sacræ ab existẽtibus extra Ecclesiam videri non possint. At non requiritur ea obseratio quæ ingredi volẽtibus resistat. Laudabile, sed non in præcepto est, adesse ostiarium qui ingredientes admoneat, & prohibitos repellat. Si templũ habeat plures januas, omnes claudi debent, & illa etiã quæ patet ad interius claustrum, quod per alias januas intrari possit: secus, si ad claustrũ nullus pateat aditus nisi per Ecclesiam. Si Capella in templo ita claudatur (ut extra nec audiri, nec videri Missa possit, necesse

Clausæ januæ in templo interdicto.

non est claudere templi januas. Quanvis capella sit ita remota ut non detur morale periculū audiendi, & videndi a foris, adhuc claudi debet.

Tertia conditio est, ut dicatur (*Non pulsatis campanis*) quarum nomine venit quodcunque signum publicé datum, ut convocetur populus ad Missam: non verò datum v.g. ut vocentur canonici, & alij clerici qui interesse debent: nec datum etiam per campanas, ut veniat populus ad concionem, & alia non prohibita. Ita cit. *Suar. a. n. 12. usque ad 17.* Quando datur signum vacuum v.g. ad Missam, quæ dicenda non est, peccari potest ratione scandali, non autem interdicti. num. 18. Usus etiam campanulę inter Missam pulsari solitæ prohibetur n. 19.

Campanæ in interdicto.

Quarta conditio est, ut dicatur (excommunicatis ac interdictis exclusis.) De excommunicatis constat. Altera pars intelligitur de omnibus personaliter interdictis, & de illis qui interdicto generali causam dederunt, vel delicto consilium, auxilium, aut favorem. Quæritur an debeant excludi omnes laici? Rectè affirmat *Suar. disp. 34 sect. 1. n. 27.* ex Clem. 3. de sent. excom. Unde admitti possunt soli laici habentes privilegium, vel etiam aliquis per accidens, ut si non adsit alius qui Sacerdoti sacrificanti ministret.

Interdictorum exclusio.

Excludendi a Missa in interdicto.

Observat 1. a n. 28. solum prohiberi humanā præsentiam assistentiam humano modo, qualis est habentium usum rationis, non verò infantiū vel amentium. Observat 2. prohibitionem extēdi usque ad Missam Catechumenorum, & ad omnes, præsertim quoad substantialia. Observat 3. personis interdictis non prohiberi Ecclesiæ ingressum, quando in illa divina officia non fiūt, etiam si sacra Eucharistia sit exposita.

2039 Dubium est 2. quomodo sacrificium Missæ per alia interdicta prohibeatur? Cum jam exposuerimus prohibitionem Missę in interdicto generali loci, superest exponenda in interdicto loci speciali, & in interdicto personali. Circa priùs, seu locale speciale rectè docet *Suar. d. 34. sect. 2. n. 1.* si in eo Eucharistia servetur, non prohiberi Missam privatam cum debitis circunstantijs ad illam renovandam, juxta *Cap.* Permittimus, de sent. excom. Reliqua quæ in *cap. Alma mater* conceduntur, a nobis hactenus explicata, in hoc interdicto locum non habent. Imo (addit Suar.) quando conceditur Episcopis in *c. Quod nonnullis, de privil.* ut possint tempore interdicti celebrare juxta formam *c. Alma mater*, non extēditur ad locum specialiter interdictum.

Missa in interdicto speciali loci.

Episcopi ad interdictum speciale.

Circa interdictum personale, certum est ex *c. si civitas de sent. excom. in 6.* personis tam generaliter quàm specialiter interdictis prohibitum esse & celebrare, & ministrare, & assistere Missæ in quocunque loco. Possunt tamen assistere in quatuor supra positis festivitatibus, modo ibi explicato.

Personale interdictum.

Sicut quis (notat Suar. cit. n. 3.) nec prohibetur audire Missam personæ suspensæ, ita nec personę interdictæ, etiam nominatim denunciatæ. E contra veró persona non interdicta tacere nequit divina coram nominatim interdictis. Unde hæ expelli debent, etiam per vim, si nolint. Quod si ea vis non sufficiat, aut adhiberi nequeat, si locus interdictus sit, cessandū est a Missa ac si adesset excommunicatus denunciatus: si non sit interdictus, probabile videtur cessandum non esse.

Interdictæ personæ vitatio.

Dubium est 3. quænam divinorum officiorū celebratio jure concedatur tēpore generalis interdicti loci? Semper licuit (inquit *Suar. cit. sect. 4 n. 10.*) præcipué post declarationem *cap. quod in loco no-te, de pænit. & remiss.* ut voce dimissa bini & bini, aut simul tres horas canonicas recitarent in loco interdicto. At jure novo *c. Alma* concessum est ut in Ecclesijs & monasterijs possint singulis diebus divina officia dici sicut priùs servatis quatuor conditionibus supra declaratis. Unde Canonici privandi sunt quotidianis distributionibus, si tempore interdicti horis canonicis non interfuerint: & sic de alijs.

Horæ canonicæ in interdicto.

Notabis 1. hic accipi divina officia prout administrationem & receptionem Sacramentorū excludunt: in illis tamen contineri collationem primæ tonsuræ, & consecrationem Virginis, nō autem benedictiones nuptiarum. Notabis 2. hæc divina officia posse celebrari solemniter, absque positis restrictionibus in quatuor festivitatibus anni supra numeratis, & in Corporis Christi festivitate atque octava.

2040 Dubium est 4. qualiter se habeant prędictæ festivitates quoad durationem, & quoad divina officia in illis permissa? *Suar. cit. sect. 3. a n. 21.* benè resolvit 1. illas incipere a tempore vesperarum uniuscujusque festivitatis, & extendi ad Completorium, itaut hoc etiam cum solemnitate dici possit. Sumitur ex *c. 2. de ferijs, & Clem. unica de reliquijs.* Unde finito Completorio in Matrice dandum est signum, ne de inceps interdictum servetur. Si autem post illud signum cōsuetudo sit, ut tardiùs dicatur, adhuc post illud signum solemniter dici poterit.

Festivitates in quibus suspenditur interdictū.

Resolvit 2. omnia illa officia, quæ singulis diebus fieri permittuntur cum quatuor circunstantijs supra declaratis, his diebus permitti absque illis, & cum solemnitate publica, sive sint horæ canonicæ, sive benedictiones, & consecrationes etiam nuptiarum, & fontis baptismatis. Resolvit 3. in illis diebus non licere Sacramenta recipere; & ministrare non habentibus circa hoc privilegium. Sumitur ex generali regula dictante, quoties suspenditur interdictum, tantum quoad illū effectum suspendi, qui in concessione declaratur. Ab hac regula (addit n. 29.) excipitur probabiliter Eucharistia. ut assistētibus Missæ, etiam laicis distribui possit. Addit n. 31. tempore interdicti probibitum esse fidelibus assistere hujus Sacramenti administrationi: quod procedit de omnibus alijs excepto ordine: hic enim, cum inter sacrificandum conferatur, solum potest assistere ordinationi, qui sacrificio.

Eucharistia in interdicto.

Ordo in interdicto.

Quid de alijs interdictis? Constat (inquit Suar. cit. d. 34. sec. 3. n. 33.) interdicto locali speciali,

ciali, jure antiquo esse prohibitum facere & audire in tali loco omnia divina officia, quæ prohibentur in tota aliqua terra per interdictū generale Circa hoc jus nihil immutatum est per *Cap. Alma* Quod attinet ad personale, solum adhibita est moderatio, ut interdicti quatuor festivitatibus permittantur interesse divinis, cum limitatione supra explicata.

QUÆSTIO III.
Quinam & quales sint reliqui effectus interdicti?

Sepultura Ecclesiastica privatio in interdicto. Constat ultra duos explicatos interdicti effectus, dari alios duos, scilicet privationem Ecclesiasticæ sepulturæ, & exclusionem ab ingressu Ecclesiæ: nonnulli alij versantur in dubio. Quod attinet ad priorem; consentiunt authores tam locale quàm personale interdictum privare Ecclesiastica sepultura. Nam locale prohibet ne illo loco sepultura concedatur: personale, ne persona talis sepulturæ mandetur. Vocamus sepulturam Ecclesiasticam omnem locum sacrū quem benedixit Episcopus, ac in sepulturam fidelium deputavit.

Ut discurramus per duplicem interdicti localis & personalis speciem, si interdictum sit generale loci, prohibitos esse fideles in tali loco sacro sepeliri, habetur ex *cap. in te de pœnitentia & remiss.* & procedit non solum in adultis, sed etiam in infantibus, ut tenent *Layman l.1. sum.t.5 p 4.c.2.n. 3. & Bonac.tom.1.de cens.disp.1.pun.5.n 9.* Dixi (loco sacro) quia extra locum sacrum (ut ait *Palaus d.5.pun.4.§.3.n.1.*) etiam si interdictus sit, vel in loco sacro non interdicto corpora fidelium sepeliri non prohibentur. *Ex humatio fidelis.* Qui autem extra locum sacrum fuit sepultus, cessante interdicto exhumari debet, ac sepeliri in loco sacro.

Clerici interdicti tempore ad sepulturā. Juxta citatum *c. quod in te*, a dicta prohibitione eximuntur clerici, dummodò nec ligati sint interdicto personali, nec causam culpabilem interdicto dederint. Nomine clericorum veniunt omnes personæ Ecclesiasticæ utriusque sexus, etiam in novitiatu religionum. Ad usum hujus privilegij quatuor requiruntur conditiones. Prima ut detur clericis sepultura in cæmeterio, proindeque non in Ecclesia: usus tamen obtinuit, ut nomine cæmeterij veniret quilibet sacer locus destinatus fidelibus sepeliendis.

2041 Secunda conditio est, ut fiat sine pulsatione campanarum juxta ea quæ supra exposuimus. *Solemnitas sepeliendi in interdicto.* Tertia, ne fiat sepultura cum Ecclesiastica solemnitate, esto fiat omni cultu & honore humano. Quarta ut fiat silentio, nempe absque divinis officijs more Ecclesiastico celebratis. At juxta *cap. Alma* potest celebrari Missa & divinum officium servata moderatione ibi præscripta. Unde si corpus extra Ecclesiam est sepeliendum, nequit ibi celebrari ullum officium divinum.

Sepulturam festivitatibus quando datur interdictū. Difficultas est an in festivitatibus quæ conceduntur per *cap. Alma*, & alias constitutiones, liceat fidelium cadavera sepelire publicé ac solemniter? Constat corpora clericorum sepeliri solēniter posse. Dubitatur de alijs fidelibus, an tunc concedatur illis sepultura Ecclesiastica? Affirmat opinio valde probabilis, quam defendunt *Henriq.l.13.c.44.n.5. Navarr.c.27.n.181. Sayrus l.5.thes. c.8.n.11. & Bonacina tom.1.disp.5.de interd pun.5.n.7* Probant, quia clerici in dictis festivitatibus cōmunicant cum omnibus fidelibus vivis: at juxta *cap. sané 1.24.q.12.* quibus communicamus vivis communicare possumus defunctis.

Nihilominus probabilior est negativa opinio, quam tenent *Suar.disp.35.sec.1. n.13. Ægid. Bellan.disp.17.dub.2.n.55. Avila disp.4.sect.3.dub.3. & Gasp.Hurt.de inter.diff.9.* Probatur, quia in *cap. Alma* non revocatur negatio Ecclesiasticæ sepulturæ, quæ est unus ex effectibus interdicti prohibentis sepeliri corpora fidelium laicorum in sepultura Ecclesiastica, ergo etiam in dictis festivitatibus deneganda est. Ex quo colligitur laicū habentem privilegium assistendi officijs divinis tempore interdicti, non ex hoc posse tradi Ecclesiasticæ sepulturæ: secus si haberet privilegiū sub hac generalitate ut ad divina admitteretur.

Ut ad alia interdicta vertamus calamum, si loquamur de locali speciali certum est per hoc prohiberi Ecclesiasticam sepulturam. Dubitatur an privilegium sepulturæ concessum in generali, locum habeat in speciali? Negant *Astens. in sum.2.p.l.7.tit.16. & Joan. Andreas cap. quod in te de pœn.& remiss.* Affirmandum tamen est cum sententia communiori, quam sequuntur *Covarr. c. Alma 2 p.§. 2. n 7. & Sayrus l. 5 cap. 8. a n. 12.* procedit autem de clericis habentibus domiciliū in tali loco. *Clerici ad sepulturam in interdicto locali speciali.*

Maior est difficultas de clericis alienis, seu exteris, an possint sepeliri in loco specialiter interdicto? Negant *Sylvester v. interdictum 5.n. 10. Henriq Covar. & alij.* Affirmandum tamen est cum *Suar. d.35.sec.2.n.4. Sayro l.5.c.8.n.13. & Avila 5. p.de cens.disp.4.sec.3.dub.2.* Ratio est, quia nullus apparet textus qui concessam clericis sepulturam tempore localis interdicti restringat ad propriā Ecclesiam. Illud constat clericos in loco specialiter interdicto debere sepeliri sine Missa, sine cātu, & sine pulsatione campanarum. *Clerici exteri ad sepulturā in interdicto.*

2042 Si loquamur de personali interdicto, & hoc speciale sit, consentiunt *Suar.disp.33.sec.3 a n.2. Layman l.1.sum tr.5.p.4.c.2 & Bell..n.disp.17. dub.2.n.62.* personam interdictam privari Ecclesiastica sepultura, & illam qui causam culpabilē interdicto dedit: modó censura fuerit denunciata. Si autem interdictum personale generale sit, etiam causat privationem Ecclesiasticæ sepulturæ: ad quod satis est ipsam communitatem denunciari, quanvis singuli de illa in particulari non denuncientur: quidquid in oppositum dicant *Navarr. cap. 27. n. 187. & Sà v. interdictum n.3.*

Observandum est 1. cum citatis, si interdictus nominatim denunciatus absque absolutione & signis contritionis decedat, & hoc constet, extra locum sacrum esse sepeliendum. Secus si cōtritionis signa exhibuit; vel saltem attenta con-

ditione personæ suspicetur probabiliter non esse decessuram absque pœnitentia. Observandum est 2. cum *Palao disp. 5. pun. 4. §. 3. n. 12.* interdictū solum ab ingressu Ecclesiæ si pœnituerit ante mortem, etiam si nullam obtinuerit absolutionem, tradendum esse Ecclesiasticæ sepulturæ. Quia hoc interdictum videtur appositum quousque exhibeatur pœnitentia.

Circa posteriorem effectum, qui est exclusio ab ingressu Ecclesiæ, constat dari ex *c. p. sacro de sent. ex com. & c. is cui eod. tit. in 6.* Notat veró *Palaus d. 5. pun. 4. § 4 n. 1.* ut detur, requiri specialem sententiam: quia non est interdicto absoluté annexus, sed quasi novum interdictum. Effectus hujusmodi privat exercitio ordinis sacri in Ecclesia, & sepultura in ipsa, ejusque cæmeteric. Item privat auditione divinorum in eaden. Ecclesiæ nomine venit quodlibet templum Episcopi authoritate ad sacra peragenda deputatum. Igitur ab ingressu Ecclesiæ exclusus neque ordinem sacrum in Ecclesia exercere, neque ibi divina officia audire potest: tamen extra Ecclesiam in oratorio privato, aut in agro bené potest.

Ingressus Ecclesiæ privatio in interdicto.

Dubium est 1. an hujusmodi exclusus, seu interdictus possit in cæmeterio divina celebrare & audire? Ad negandum inclinat *Glossa ad c. Is cui de sent. excom. in 6.* & absoluté negat *Paludan. in 4. d. 18. q. 7. a 3.* quia taliter interdicto prohibetur sepultura in cæmeterio. Affirmandum tamen est cum *Suar. disp. 35 sec. 4. a n. 12. Filliuc. tr. 18. n. 103. & Bonacina tom. 1. disp. 5. pun. 5. n. 11.* posse in cæmeterio divina celebrare & audire, non tamē sepeliri. Quia in odiosis non venit cæmeterium nomine Ecclesiæ.

Cæmeterium ad sepulturā in. erdicti.

Dubium est 2. an celebrante sacerdote in Ecclesia, diaconus ab illius ingressu interdictus possit extra Ecclesiam canere Evangelium, & audire Missam? Affirmant *Avila disp. 4. dub. 5. concl. 5 & Henr. l. 13. c. 43. n. 4.* Quia talis non in Ecclesia, sed extra divina ministrat & audit. Negandum tamen est cum *Sayro l. 5. c. 9. n. 20. Suar. d. 35. sec. 4 n. 7. & Bonac. disp. 5. pun. 5. n. 11.* Quia hic non attēditur ingressus Ecclesiæ materialis, sed formalis, nempe ne interdictus devinorum quæ in Ecclesia fiunt, particeps fiat. Adde cantum Evangelij unicam cum sacrificante actionem constituere.

Interdictus ab ingressu Ecclesiæ.

2043 Dubiū est 3. an talis interdictus possit Ecclesiam ingredi, ibique preces fundere tēpore quo divina non peraguntur? Videntur negare *Ugolinus tab. 5. c. 16 §. 1. Suar. d. 35. sec. 4. n. 23. & Filliuc. tr. 18 n. 105.* Desumunt ex cap. latorē 33. q. 2 juxta quod asserunt simplicem ingressū Ecclesiæ prohiberi directé ex vi hujus interdicti, at celebrationem & auditionem divinorum in consequentiam.

Hęc opinio valde probabilis est, sed videtur probabilior quam defendunt *Covarr. c. Alma 2. p. §. 1. n. 3. Sayrus l. 4. c. 7. n. 15. Layman l. 1. tr. 5 par. 4. c. 1. & Bonac. disp. 5. de inter. p. 5 n. 11.* asserentes attenta Ecclesiæ intentione ab ingressu Ecclesiæ non prohiberi talem interdictum cū divina nō celebrantur, Quia prohibens ingressum Ecclesiæ id præcipué intendit ne interdictus celebret divina, vel eis assistat.

Dubium est 4. an talis interdictus ab ingressu Ecclesiæ prohibeatur in ea recipere Sacramēta? Affirmat *Gloss. in cap. præsenti 5. q. 2. & cap. latorem 33. q. 2.* ubi prohibito Ecclesiæ ingressu Ecclesiæ prohibetur communio. Negandum tamen est probabilius cum *Avila 5. p. de cent. disp. 4 dub. 5. concl. 6. & Bonac. disp. 5. de inter. p. 5. n. 12.* Ratio est quia nō apparet manifestus textus ex quo taliter interdicto prohibeatur Sacramētorum receptio, & pœnæ absque eo textu, vel ratione extendi nequeunt.

Quod attinet ad alios effectus, occurrunt tres quos cum *Palao d. 5. pun. 4. §. 5.* & multis quos allegat, paucis expendo. Primus est privatio jurisdictionis. Si igitur de interdicto absoluté lato nobis sermo sit, nulla jurisdictione temporali vel spirituali privat, sive interni sive externi fori, excepta jurisdictione quæ exercetur vel in administratione aliquorum Sacramētorum, vel in divinis officijs. Unde interdictus absoluté potest excommunicare, suspendere, & ab his censuris absolvere. Item potest concedere indulgentias, conferre beneficia, ferre sententias, condere testamentum, & similia. Hæc etiam procedunt de interdicto ab ingressu Ecclesiæ, hoc tamen discrimine, quod hic interdictus removetur ab exercendo in Ecclesia omni jurisdictionis usu qui spectat ad Sacramentorum, & officiorum divinorum administrationē. Adde absoluté interdictum posse ibi aliqua Sacramenta ministrare, v.g. in foro interiori pœnitentes absolvere, quod tamen non potest interdictus ab ingressu Ecclesię.

Jurisdictio in interdicto.

Secundus effectus est consecutio indulgentiarum: harum tamen consecutione nullum interdictum privat, nisi forte per accidens, si a peccato mortali impediatur. Tertius a nonnullis excogitatus est privatio suffragiorum, & bonorum Ecclesię. At hujusmodi privatio nulli interdicto annectitur, quia ex nullo textu desumitur. Quare si aliunde non obstet peccatum, participatio talium bonorum dari poterit.

Indulgētiæ respectu personæ interdictæ.

SECTIO VI.

De violatione, relaxatione, & ablatione interdicti.

QUÆSTIO I.

Quale peccatum sit interdicti violatio: & quibus pœnis obnoxia?

2044 PRo resolutione quæstionis quoad priorem partem, observandum est 1. ut interdictum obliget, duplicem requiri cōditionem: prima est ut interdictum sit denunciatum. Quia juxta *Extr. ad evitanda* non tenemur interdictum locale servare, neque personaliter interdictum vitare ante denunciationem, esto personaliter interdictus a divinis abstinere debeat.

Interdicti obligatio.

beat. Secunda est, ut interdictum locale passim observetur, debere observari ab ijs in quorum gratiam appositum est: secùs illud remittere Ecclesia censetur. Observandum est 2. hanc partem de peccato violantis interdictum procedere de clericis, & laicis.

Interdicti obligatio.

Quod attinet ad clericos, conveniunt cum *Suario disp. 34 sec. 4. a n. 10. Bellanus d. 17. dub. 3. a n. 64. Bonacina de interd. disp 5. pun. 7 num. 3. & Gasp. Hurt. de inter. diff. 10. n. 32.* clericum violantem interdictum sive locale, sive personale ministrando Sacramentum, peccare lethaliter, & idem procedere, si interdictus divinis assistat, vel in loco interdicto divina celebret, nisi ex ignorantia, vel parvitate materiæ excusetur.

Parvitatem materiæ prudentis arbitrium taxabit: dabitur autem si recitet in loco interdicto absque moderatione quæ præscribitur in *c. Alma mater* v.g. si permittat esse ostium apertum dum Evangelium cantatur. Si contingat relinqui apertum ostium ab ingredientibus, sacerdos celebrans non tenetur statim sistere donec claudatur, etiam si interim dicatur Epistola, vel Evangelium. Satis erit cavere ne fiat longa dilatio. Ex minorum ordinum exercitio (inquiunt citati) vix poterit evenire lethale: quia illorum ministeria non exercentur a clericis tanquam propria ordinis, sed qualiter a laicis exerceri possunt.

Laicus violans interdictum.

Quod attinet ad laicos, si loquamur de receptione Sacramentorum, certum est interdictos peccare graviter, si aliquod sibi prohibitum Sacramentum recipiant, vel in loco interdicto illud recipiant. Est enim materia gravis, in qua eo ipso quo Sacerdotibus prohibetur Sacramenti ministratio, laicis prohibetur ejus receptio, utpote ad lethale cooperatio.

Si loquamur de assistentia divinis, constat laicum peccare mortaliter, 1. si compellat clericum in loco interdicto publicè ac solemniter celebrare 2 si præsumat in loco interdicto pulsatis cāpanis convocare populum ad audienda divina. 3. Si præsumat impedire, ne excommunicati, vel interdicti nominatim è loco exeant quādo admonentur a clero. 4. si ipsimet moniti a clero exire recusent. Additur 5. si violenter se ingerant divinis 6. si fingant se esse clericos & quasi privilegium habentes divinis assistant. 7. Si more Ecclesiasticorum divina solemniter peragant.

2045 Dubium est, an & quale peccatum sit laicum assistere divinis officijs in loco interdicto, secluso contemptu, violentia, fraude? *Navarus cap. 27. & Caiet. v. interdicti violatio. §. penul.* nullum peccatum agnoscunt, quasi nulla adsit lex prohibens. *Valent. to. 4. disp. 7. q. 18 pun. 2. Henriq. lib. 13. cap. 46. n 3.* & alij solam venialem culpam agnoscunt. Quia hæc materia non videtur gravis comparatione laicorum. Rectius tamen docent *Suar. d. 34. sec. 5 a. 4. Bellan. disp. 17. dub. 3. n. 64. Filliuc. tr. 18. n. 54 & Bonac. de inter. d. 5 pun. 7. numero. 1.* esse aliquod peccatum, probabiliter quidem veniale, sed probabilius lethale, quia assistentia divinis officijs ex se gravis materia est, & sufficiens ad obligationem voti: prohibetur autem laicis id loco interdicto, ut constat.

Pæna violantium interdictum.

Ut decidatur quæstio quoad posteriorē partem de pænis violātium interdictum, constat ex *cap. 1. de sent. & re quidem 6.* clericos personaliter, vel generaliter interdictos vel in loco interdicto celebrantes, alium ve actum sacro ordini annexum exercentes, contrahere in irregularitatem ipso facto. Ita *Sayrus lib. 5. thes. c. 14. a n. 30. & Bonac. d. 5. p. 7. n. 4.* qui addunt clericum in loco generaliter interdicto celebrantem nō servata moderatione *c. Alma mater*, irregularem fieri.

Irregularitas violantis interdictum.

Si clericus non interdictus in loco non interdicto admittat interdictos ad celebrandum, aut illis ministret Sacramenta, concedat ve Ecclesiasticam sepulturam, & si non fiat irregularis, manet tamen interdictus ab ingressu Ecclesiæ usq; ad arbitrium ejus cujus sententiam contempsit. Ita *Suar. d. 33. sect. 3. n. 8. & Bonac. de interd. disp 5. pun. 7. n. 18.* qui judicant opus esse, ut clerici ab ordinaria Episcoporum jurisdictione sint exempti, quanvis repugnet *Sayrus lib. 5. thes. c. 14 n. 8.*

Regulares ad interdictū.

Addunt citati ex *c. is qui §. is verò de sent excom. in 6.* clericum vel regularem, etiam fæminam, a quibus violatur interdictum locale, reddi inhabilem ad electionem activam & passivam. Quā pænam multi extendunt ad violatorem interdicti personalis. Addit *Suar. d. 34. sec. 4. n. 16.* violatores interdicti localis suspensos esse ab officio & beneficio: illi tamen contradicunt *Sayrus c. 14. n. 12. & Bellan. disp. 17. dub. 4. n. 16.*

Illud fere omnes admittunt religiosos, qui interdictum generale loci ab Ecclesia matrice observatum in suis Ecclesijs non observant, vel celebrando, vel admittendo alios ad divina, ultra prædictas pænas incurrere excommunicationē. Laicis violantibus interdictum nulla reperitur pæna ipso jure imposita præter quatuor casus, qui habentur in *Clem. gravis 2. de sent. excom.*

2046 Hactenus de pænis ipso jure latis. Quid de ferendis? Judicis arbitrio relinquuntur *c. authoritate de privil. in 6.* Clerici violantes locale interdictum beneficijs privandi sunt. Non debet tamen mandari executioni nisi ipsi violatores interdicti post monitionem sub excommunicatione rebelles extiterint. Regulares verò etiam fæminæ ob hoc delictum in arctiora monasteria detrudi debent. Tandem violantibus interdictum quoad Ecclesiasticam sepulturam excommunicatio maior imponitur in *Clem. 1. de sepulturis.* requiritur tamen esse interdictum denunciatum. Ex dictis sequitur cum interdictis denunciatis solum prohiberi communicationem in sepultura Ecclesiastica: & a nulla alia communione in divinis cum interdictis laicos prohiberi. Clerici veró prohibentur ne coram interdictis divina celebrent, ne coram non interdictis in loco interdicto.

Communicatio cum interdictis.

QUÆSTIO II.

Qualiter interdictum suspendatur?

Suspensio interdicti.

SUspensionem interdicti neque esse illius ablationem, neque absolutionem sed quandam

cel-

cessationem ad tempus, planum est. Esse veró duplicem, alteram quoad omnes effectus, alteram quoad aliquos, sumitur ex authoribus citandis. Roganti a quonam interdictum suspendi possit? Optimé respondent *Ægid. Fellan. d. 17. dub. 6. n. 78 Avila 5. p. disp. 6 dub. 1. Layman lib. 1. sum. tr. 5. par. 4. c. 5. n. 3. & Gaspar Hurt. disp. 17. dub. 6. n. 78.* posse suspendi ab eo qui interdictum tulit. Si enim hic potestatem habet ponendi & tollendi absoluté interdictum, a fortiori poterit tollere ad tempus, quod est suspendere.

Maior difficultas est, an qui tulit interdictũ, si inferior Pontifice sit, possit manente interdicto, illud suspendere quoad aliquos effectus? Affirmant *Navarr. c. 27. n. 165. Covarr. in c. Alma 2. p. §. 2. n. 4. Henr. lib. 13 c. 51. n 4. Suar. d. 38. sec. 3. n. 5. Bellan. Layman.* & alij. Probant, quia in *c. dilectu filijs, de appel.* quidam Decanus tulit interdicti sẽtentiam, & ejus effectum ad tempus suspendit. Ergo non est Solius Pontificis effectus illius suspendere illo manente.

Hæc opinio probabilis & communis est, videtur tamen probabilior opposita, quam cum *Panormit. in c. ad hæc, de appellat.* defendunt *Avila cit. dub. 4. concl. 4. & Gasp. Hurt. de interd diff. 16. n. 50.* affirmantes neminem, excepto Pontifice, posse suspendere effectus interdicti ipso manente. Probatur quia solus Pontifex dispositionem quam ipsemet tulit, mutare potest: at effectus interdicti sunt ex juris Pontificij dispositione interdicto annexi: imó in privatione, quam ipsi afferunt, essentia interdicti constituta est.

QUÆSTIO III.

Qualiter interdictum cesset?

2047 IN considerationẽ venire potest interdicti cessatio per absolutionẽ, per lapsum temporis ad quod impositum fuit, per defectum conditionis sub qua latum fuit, vel per destructionem loci, quem ab initio affecit. *Cessatio interdicti.*

Constat igitur 1. apud *Ugolinum tab. 5. c. 4. n. 3. Suar. d 38. sec. 1 n. 3. Bellanum d. 17. dub. 6. concl. 1 & Bonacinam de interd disp. 5. pun. ult. n. 1.* interdictum appositum pro determinato tempore, vel latum sub aliqua conditione, seu usque ad alicujus cõditionis eventum, cessare absque alia absolutione tum per lapsum temporis, tum per eventum conditionis.

Constat 2. apud eosdem, ut tale interdictum ante tempus elapsum, vel conditionem positam tollatur, egere dispensatione, vel absolutione, quam impendere nequit alius prꝑter illum qui interdictum tulit, seu ejus superior. Sumitur ex *c. si civit. u, & c. si sent. de sent. excom. in 6.* Idem procedit de interdicto lato in puram pænam, etiam absque ulla limitatione. Est enim judicis sententia, quam inferior mutare non potest. Constat 3. apud *Henr. l. 13. c. 35 n. 2. & Avilam 5. p. de cens. 5. parte disp. 6. dub. 6. concl. 1.* posse Episcopum ex vi Triden. sess. 24. cap. 6. de reform. absolvere ab interdicto personali, si occultum fuerit delictum ob cujus causam latum fuit. Constat 4. absque *Dispensatio in interdicto.* *Absolutio interdicti.*

ulla absolutione cessare interdictum destructo ipsius subjecto. Unde cessabit interdictum latũ in aliquam Ecclesiam, si ea omninó destruatur, secus si latum fuerit in locum Ecclesiæ: quia tũc manet Ecclesiæ pavimentum, cui interdictum inest. Ita *Suar. d. 38. sec. 1. n. 13. & Bonac. p. ult. n. 2.* Idem procedit de interdicto lato in aliquam cõmunitatem, si ea penitùs extinguatur.

Dubium est 1. an cesset omninò interdictum personale, quo aliqua communitas ligata fuit, si talis communitas ita pereat, ut unica tantũ persona illius remaneat? Negant *Alternus de interd. d. 11 c. 3. & Bonac. disp. 5. pun. ult. n. 3.* prout asserunt personam illam superstitem manere interdicto ligatam: siquidem juxta *l. sicut mancipij in fine ff. quod cujusque univers.* jura communitatis in illa persona perseverant. *Communitas destructa ad interdictum.*

Affirmandum tamen est cum reliquis authoribus proximé citatis, docentibus in tali persona cessare etiam interdictum. Ratio est, quia interdictum communitatis non ligat personas singulas, nisi prout sunt partes communitatis: destructa autem communitate quælibet persona pars illius esse desinit. Illud cum *Suar. disp. 38. sec. 1 n. 3. & Filliucio tr. 18. n. 118.* observandum est cõmunitate destructa manere interdictam illam personam, quę interdicto causam dedit: ejus enim interdictum non commune, sed speciale personale est.

Dubium est 2. an cesset interdictum personale speciale recedente contumacia a persona interdicta? Videtur affirmãdum, quia cessante causa cessat effectus: causa autem illius interdicti cõtumacia est. Negandum tamen omninò est cum *Suario disp. 38. sec. 1. Layman lib. 1. sum. tr. 5. par. 4. c. 5. n. 1. & Gasp. Hurt. diff. 16. n. 48.* Ratio est quia recessus a contumacia non est conditio interdicti, sed finis qui per hujusmodi censuram intenditur. Accedit textus in *c. quanquam de censibus in 6.* ubi Pontifex claré supponit interdictum latum ad contumaciam reprimendam, egere absolutione, etiam si contumacia recedat.

2048 Dubium est 3. quisnam per absolutionem tollere vel relaxare possit interdictum? Dico 1. si interdictum sit locale sive generale sive speciale non reservatum, nullus alius præter habentem Episcopalem jurisdictionem in illũ locum, relaxare poterit. Ita *Suar. d. 38. sec. 2. n. 5. & Bonac. de interd disp. 5. pun. ult. n. 5.* Sumitur ex *c. Nuper, de sent excom.* Ubi hæc: Quod legislator non servavit, alijs ordinarijs judicibus concessisse videtur. *Interdicti relaxatio seu ablatio.*

Dico 2. eadem resolutio interdicto generali personali adhibenda est. Ita præter proximé citatos *Filliuc. tr. 18. n. 125. Bellan. d. 17. dub. 6. n. 76. & Layman lib 1. sum. tr. 5. par. 4. cap. 5. n. 1.* ubi monet privilegio concesso religiosis absolvendi a censuris tolli non posse interdictum locale, aut personale generale. Quia Sacramento pœnitentiæ, ob quam causam religiosis illud privilegiũ concessum est, nec locus, nec cõmunitas subjicitur. *Regulares ad tollendum interdictũ.*

Dico 3. Interdictum personale speciale non reser-

reservatum relaxari potest tum ab Episcopo, tum a regularibus habentibus privilegium absolvendi a censuris. Est certum apud *Layman cap. 5. num. 2. & Avilam disp. 6. dub. 2.* Dubitatur an parochus seu proprius sacerdos illud possint relaxare in foro conscientiæ? Negant *Avila d. 6. dub. 1. concl. 2. & Sayrus lib. 5. thes. cap. 15. num. 22.* Affirmandum tamen est cum *Suar. disp. 38. sect. 8. num. 9. Filliuc. & Layman.* citatis. Quia Gloss. ad *cap. Nuper, de sent. in 6.* æquipatat censuras excommunicationis & interdicti personalis quoad absolutionem.

Relaxatio interdicti. Pro complemento prædictorum, & maiori intelligentia observandum est 1. ab interdicto personali speciali reservato nullum alium præter illum, cui facta est reservatio, vel ejus superiorem posse absolvere. Observandum est 2. absolutionem ad cautelam, quanvis impendi possit in interdictis tum locali speciali, tum personali speciali vel generali, tamen non habere locum in interdicto generali locali. Sic ex *cap. præsenti de sent. excomum. in 6.* tradit *Palaus d. 5. pun. 7. §. 2. num. 9.*

Observandum est 3. nullum interdictum esse relaxandum quin priùs delinquens principalis offerat satisfactionem: hac verò oblata statim relaxari debet. Quod si fautores aut consiliarij offerant satisfactionem, admittenda est, & pænitentia eis injungenda: interdictum verò nunquã relaxandum est delinquẽte principali in sua cõtumacia durante. *Forma relaxandi interdictum.* Observandum est 4. formam relaxandi interdictum, sicut tollendi suspensionem, nullam esse determinatam, sed illam sufficere quæ absolventis voluntatem exprimat. Exigi tamen debet a delinquente juramentum de emendatione in posterum.

SYLLABUS.

Particularium interdictorum quæ sunt in jure.

§. 1.
De interdictis localibus.

2049 PRimum locale generale habetur in *cap. ubi periculum, de elect. in 6.* ibi enim supponitur generali civitas in qua Summus Pontifex moritur, vel ejus electio facienda est, si illius Rector & officiales non observent quę in cit. cap. pro electione Summi Pontificis præscribuntur.

Secundum refertur in *cap. quamquam de censibus in 6.* ubi interdicitur civitas, Universitas, collegium, castrum, vel locus qui pedagia, guidagia aliave tributa exegerit per se vel per aliam ab Ecclesijs vel Ecclesiasticis personis de rebus suis asportandis vel ex portandis extra casum negotiationis.

Tertium habetur in *cap. felicis, de pœnis in 6.* ubi quævis civitas præter Urbem, quæ dederit consilium, auxilium aut favorem occidentibus, percutientibus, vel hostiliter insequentibus Cardinales S. Romanæ Ecclesiæ: vel quæ intra mensem a die delicti cogniti computandum delinquentes hujusmodi, prout exigit delicti qualitas, non duxerit puniendos, cum commode possit, interdicto supponitur, & Episcopali dignitate privatur.

Quartum est in *cap. 1. de usuris in 6.* ubi decernitur, si Episcopus vel alij superiores, aut inferiores animo indurato sustinuerint per mensem sententiam excommunicationis; eo quod usuratijs manifestis alienigenis concesserint loca ad habitandum & fænerandum in terris suis, ipsorum terræ ubi tales usurarij commorantur, interdicto subjiciuntur quousque tales usurarij a terris illis recedant.

Quintum refertur in *Clemen. 1. de pœnis*, ubi domino temporali afficiente quemlibet Episcopum corporali injuria per se vel per aliurn, aut eam ratam habente, vel consilium ad eam inferendam dante, vel scienter talem delinquentem defendente, terra illius, dummodo ultra unam diœcesim non contineat, generali interdicto supponitur, usque ad condignam satisfactionem.

Sextum habetur in *Extrav. super gentes de consuet. inter communes* ubi temporales Domini regni, castri, civitatis, oppidi, vel alterius loci impedientes ne legatus, vel nuncius Apostolicus in suas terras ingrediatur, neve officium suum exequatur, excommunicationi subjiciuntur, & eorum regna, civitates, castra, & loca interdicto supponuntur, quousque perstiterint in ea contumacia. Vide *Suar. disp. 37. sec. 1. & Palaum cit. p. 8. §. 1. n. 6.*

Si loquamur de interdicto locali speciali duplex reperitur, alterum in *c. 1. de sepult. in 6.* ubi clericis tam sæcularibus quàm regularibus inducentibus aliquem ad vovendum, jurandum, vel fide interposita promittendum eligere sepulturam in suis Ecclesijs, vel electam non mutaturum, latum est præceptum ne sepeliant hujusmodi electores, & si forte sepelierint, restituant corpora Sepulta, si petantur, & in super intra decem dies a die Sepulturæ omnia emolumenta accepta occasione Sepulturæ. Quod si noluerint præstare, Ecclesiæ ipsæ apud quas sepulta fuerint illa corpora, nec non & earum cæmeteria subjacent interdicto, donec ab illis plena restitutio omnium fiat.

Alterum habetur in *cap. quicunque de hæret. in 6.* ubi si Ecclesiasticæ sepulturæ tradatur scienter hæreticus, locus ille in quo sepultus fuerit, privatur in perpetuum ne alios recipiat. Hoc tamen vetum interdictum non est docet *Suar. d. 37. sec. 1. ad finem contra Sayrum lib. 5. c. 12. n. 10.*

Advertte cum citatis nullum ex numeratis interdictis cadere in obligationem observationis donec ritè denuncietur.

§. 2.
De interdictis personalibus generalibus, quæ sunt lata ipso jure.

2050 PRimum habetur in *c. 1. de reform. in 6.* ubi universitates, collegia, aliæve communitates Ecclesiasticæ manifestis usurarijs allenigenis habitationem in suis terris concedētia interdicto absoluto supponuntur. Ubi nota hoc solum procedere de cõmunitatibus Ecclesiasticis: laicę enim alijs pœnis pro Episcoporum arbitrio compelli debent.

Secundum refertur *c. unico de injurijs in 6.* adversus communitates concedentes vel extendētes repræsalia in clericos, ipsorumque bona, nisi intra mensem revocaverint.

Tertium habetur in Extrav. *Salvator de præbendis inter communes* contra universitates, quæ ex certa scientia præsumpserint resistere statutis a Summo Pontifice circa divisionem Episcopatus Toletani.

Quartum fertur in Extrav. unica: *Ne Sede Vacante*, ubi absolutè interdicitur Capitulum, collegium vel universitas non observans constitutionem Joannis XXII. circa fructus vacantium beneficiorum.

Quintum est in *Bulla cœnæ Domini clausula secunda*, ubi absoluté interdicuntur universitates, collegia, & capitula seu conventus appellantes a mandatis seu ordinationibus Summi Pontificis in Generale Concilium futurum.

Sextum est in Trident. sess. 7. *cap.* 10. *de reform.* contra Ecclesiarum capitula quæ intra annum Sedis Vacantis dimissorias ad ordines concedunt alicui, qui nō fuerit beneficij Ecclesiastici recepti, vel recipiendi arctatus.

Ultimum solet referri latum in *c. clericis de immun. Eccl. in 6.* adversus universitates imponentes vel exigentes taleas, decimas, alia ve tributa ab Ecclesiasticis personis. Revocata tamen est hæc constitutio a *Clem. V. in Clement. unica de immun.* Vide Suar. d. 37. sec. 1. n. 16.

Ex quo citato sec. 2. n. 5. adverte eo ipso quod communitati constiterit debitum esse commissum, cui interdictum annexum est, absque ulla alia sententia, se reputare debere interdicto ligatam: quia in *Extrav. ad Evitanda*, nullus favor factus est personis interdictis, sicut nec excommunicatis, nec suspensis.

§. 3.
De interdictis personalibus specialibus.

2051 PRimū colligit rectè Suar. disp. 37. sec. 1. n. 15. cum communi sententia ex *c. si senten. de sent. excom. in 6.* ubi deciditur eum qui causam dedit interdicto locali vel generali personali, manere specialiter interdictum, neque posse ullibi divina participare.

Secundum in cap. cū medicinalis, de sent. excom. in *6.* fertur contra judices quoscunque qui in ferendis sententijs excommunicationis, suspēsionis & interdicti non servant formam ibi præscriptam. Vide *Pal. d. 5. p. 8. §. 3. n. 2.*

Tertium in *cap. si quis deinceps 16. q. 7.* ab ingressu Ecclesiæ fertur contra quemcunque etiā laicum qui Episcopatum, Abbatiam, aliam ve dignitatem Ecclesiasticam de manu laici receperint. Requiritur tamen ut receptio sit completa & perfecta, nempe per captam possessionem.

Quartum in *cap. præsenti de offic. ordin. in 6.* ab ingressu Ecclesiæ fertur adversus Episcopos, & eorum superiores, qui usurpant bona Ecclesiarum, vel beneficiorum vacantium; aut fructus eorum qui spectant ad ipsa beneficia, vel ad successores. Et perseverat hoc interdictum donec fiat de prædictis restitutio.

Quintum est in *cap. Episcoporum de privil. in 6.* ubi ingressu Ecclesiæ interdicuntur omnes quātumcunque exempti cujuscunque ordinis status vel conditionis existant, qui scienter celebrent vel faciant celebrari divina in civitatibus, castris, villis (nisi quatenus eis de jure conceditur) seu locis alijs interdictis ab Ordinarijs, vel delegatis judicibus, vel a jure Qui ve excōmunicatos publicé, vel interdictos ad divina officia, seu Ecclesiastica Sacramenta vel Ecclesiasticam sepulturam admittere præsumpserint. Hos tandiu tenet interdictum, donec de transgressione ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfaciant. Vide *Palaum citatum pun. 8. §. 3. a n. 5.*

Sextum est simile ab ingressu Ecclesiæ in Extrav. Unica de *censibus inter communes* adversus Episcopos, & superiores prælatos recipientes ab Ecclesia, quam visitant, munera & alia quæ sibi non debentur, intra duos menses non restituerint Ecclesiæ ab ea accepta. Hoc interdictum solum durat quandiu dictæ Ecclesiæ duplum nō restituerint.

Septimum fertur absolutê interdictum in Extrav. 3. *de privilegijs* contra ordinarios, & reliquos omnes qui conferunt beneficia eorum qui pro suis negotijs ad Romanam curiam profecti sunt, qui ve in illa exercent aliqua officia: & pœna extenditur ad recipientes, ac talis acceptio & donatio irrita declaratur.

Octavum fertur in Extrav. Unica, *Ne Sede Vacante* adversus Episcopos & superiores qui contra præscriptum illius decreti aliqua bona beneficiorum Vacantium usurpant, si intra mēsem non restituant ijs ad quos pertinent.

Nonum fertur interdictum absolutê contrà Abbatem & Episcopum, qui Romano Pōtifice inconsulto, aut non servata forma Extrav. *Ambitiosæ* bona Ecclesiæ alienaverint.

Decimum ab ingressu Ecclesiæ fertur in Bulla Pij V. ad Tridentin. contra prælatos edentes Glossas, seu commentaria in Tridentinum, eaq; publicantes.

Undecimū ab ingressu Ecclesiæ fertur in Trident. sess. 6. c. 1. de refor. contra Metropolitanum

qui

qui intra tres menses suffraganeos Episcopos absque rationabili causa absentes a suis Ecclesijs per annum, & adversus suffraganeum Episcopum antiquiorem residentem, qui Metropolitanum per annum absentem absque causa denunciare intra tres menses per nuncium, aut litteras Pontifici omiserit.

Duodecimum ab ingressu Ecclesię Pontifici reservatum est in Bulla Sixti V. quæ incipit *Sanctam* contra Simoniacos ordinantes.

Decimum tertium absolutum & Pontifici reservatum in Bulla Pij IV. quæ incipit: *Romanū Pontificem* fertur contra Cardinales S.R.Eccl. aliosque prælatos recipientes beneficia vel pensiones in confidentiam.

Decimum quartum est ab ingressu Ecclesiæ, & fertur in Cap. si qui sunt 81. dist. contra presbyteros, diaconos, & subdiaconos, qui in crimine fornicationis perseverant. Usu tamen receptum non esse, tenet *Bonac. d. 4. q. 2. p. 10.*

Omitto plura alia interdicta quæ lata a sacra Cardinalium congregatione refert Bonacina cit. *disp. 4. q. 2. pun. 11.* apud *Palaum disp. 5. pun. 8. §. 3. a num. 15.*

SECTIO VII.

De cessatione a divinis.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit cessatio a divinis: & quos effectus habeat?

2052 Circa priorem partem de essentia & multiplicitate cessationis a divinis, lucem, ut solemus, a nostro Elucidario n. 1948. petamus. Igitur *cessatio a divinis*, quam alij *suspensionem organorum* vocant per allusionem *ad Psal. 136. Suspendimus organa nostra*: sic definitur a *Navarro c. 27. n. 188. Cessatio a divinis est quadam desistentia a divinis officijs, & administratione Sacramentorum, sub pracepto obligans.* Est enim (inquit *Suar. de cens. disp. 39. sect. 1.*) morale vinculum, seu præceptum, quo obligantur ministri Ecclesiæ ad cessandū a divinis: & illud imponitur tam nocentibus, quám innocentibus in signum doloris, seu afflictionis Ecclesiæ: quavis inde resultet aliqua pœna in nocentes.

Cessatio a divinis quid.

Nomen habet ab effectu, scilicet cessandi a divinis. Divinorum nomine (ut docet *Suar. cit. sect. 2. n. 1. & 2.*) veniunt divina officia, sub quibus comprehenduntur Missæ celebratio, horarū canonicarum publica recitatio, omnes solemnes benedictiones, & cæremoniæ, quæ in Ecclesia fiunt. Item Sacramenta, & Ecclesiastica sepultura, quibus omnibus privat cessatio a divinis. Privatæ orationes etiam in templis, & privata recitatio horarum canonicarum etiam si recitēt bini, vel terni, non prohibentur. Hæc prohibitio directé cadit in Ecclesiasticos ministros, & consequenter in laicos ne audiendo participent.

Officia divina quæ.

Pro maiori intelligentia observabis cum *Ægid. Bellano disp. 17. dub. 7. n. 80.* hujusmodi cessationem esse valde affinem interdicto locali: quia in utroque fere similia prohibentur: differte tamē 1. quia non est censura, imò non habet propriē rationem pœnæ: cum non tendat directé in aliquod crimen puniendum, sed solum assumatur in signum gravissimi doloris, quem Ecclesia cōcepit ob enormem injuriam honori divino illatā quam significationem exhibet per modum justæ defensionis, ut cogat lædentem ab injuria desistere. At interdictum locale censura est, & fertur per modum pœnæ.

Interdictum & cessatio a divinis.

2 Quia cessatio a divinis nullas unquam personas secundùm se afficit, sed solū prohibet certo loco divina celebrari: unde per illam præcisé nullus prohibetur celebrare divina in alijs locis. At interdictum locale secundum se afficit personas, illas nempe quæ interdicto causam dederunt 3. quia per violationem cessationis nulla irregularitas incurritur: secus per violationē interdicti.

Multiplicitas hujusmodi cessationis desumitur ab extensione pręcepti: unde cessatio est duplex altera generalis, altera specialis: generalis datur quando præceptum cessandi afficit universā provinciam, civitatem, castrum, villam. Specialis, quando afficit determinatum templum, cæmeterium, oratorium.

Circa posteriorem quæstionis partem de effectibus cessationis, tres numerant authores cōmuniter, triplicē privationē scilicet divinorū officiorū, Sacramentorum, & Ecclesiasticæ sepulturę. Libet singulos paucis exponere cum *Suario disp. 39. sec. 2. & Palao disp. 5 pun. 9. §. 2.* Primus effectus qui est privatio officiorum divinorum satis patet ex proximē dictis. Secundus effectus, qui est privatio Sacramētorum recté procedet juxta *c. nō est vobis. de spons. & c. quod in te, de pan. & remis.* si excipiatur baptismus parvulorū, pænitentia morientium, & Eucharistia per modū viatici. Adde juxta *c. Permittimus, de sent. excom.* ut pro Eucharistia cōservanda & removenda octavo quoquo die, Missa celebrari possit. Imo si opus sit viatico, quovis die celebrandum est.

Effectus cessationis a divinis

Sacramenta in cessatione a divinis.

Sēper tamen id fieri oportet cum ea moderatione, ut cessatio servetur in omnibus, quæ ad illū finē v.g. conservādæ & renovandæ Eucharistiæ aut similē necessaria non sint. Unde Baptismus etiam extra periculū mortis cōferendus est adultis cū tota sua solēnitate. Est enim valde necessarius ad vincendas tentationes, & exercenda merita. Ex quo infertur cōfirmationē tēpore cessationis dandā esse. De matrimonio idē dicendū est tēpore cessationis, quæ diximus tēpore interdicti n. 2006. Nec pænitētia, nec ordo, nec unctio, nec Eucharistia extra viaticum conferri possunt tempore cessationis.

Baptismus in cessatione a divinis.

Confirmatio.

Tertius effectus est privatio Ecclesiasticę sepulturæ, pro cujus explicatione certū est cessationē privare officio illo Ecclesiastico. quod fieri solet, quādo corpus sepulturæ mandatur. Quærit *Suar. d. 39. sec. 2. n. 31.* an privet etiam sepultura in loco sacro? Communis sentētia (inquit) affirmat de omnibus tam laicis quám clericis, etiam

Sepultura tempore cessationis.

 sacer-

sacerdotibus. Nobis tamen (concludit benè) absolutè videtur negandum: quia nec jure aliquo probatur hujusmodi privatio, nec ab interdicto ad cessationem bonum sit argumentum. Consentiunt *Bellam. disp. 17. dub. 7. n. 84. Bonacina tom. 1. disp. 6. pun. 3. n. 8. & Palaus d. 5. pun 9. §. 2. n.* 12. asserentes spectato juris rigore posse tam clericos quàm laicos tempore cessationis sepeliri in cæmeterio vel Ecclesia absque solemnitate officiorum divinorum.

2053 Dubium est 1. utrum numerati effectus ita sint connexi, ut solus Summus Pontifex possit eos dividere ferens partialem cessationem quoad aliquem, & non quoad omnes? negant *Suar. disp. 39 sec. 2. num. 15. & sect. 4. n. 4. & Filliucius tr. 18. c. 9. n. 172.* asserentes etiam judices inferiores Summo Pontifice posse imponere cessationem partialem, quoad unum, & non alios effectus, v. g. quoad privationem officiorum divinorum, & non Sacramentorum. Affirmandum tamen est cum *Henriq. lib. 13. c. 32. n. 1. Sayro lib. 5. thes. cap 18 n. 7. Avila 6. p. disp. 3. dub. 4. & Bonac. tom. 1. disp. 6. pun. 3. n* 8. Probatur, quia numerati effectus cessationi a divinis annexi sunt jure communi *in c. non est 11. de sponsal.* hoc autem jus nemo nisi solus Pontifex mutare potest.

Cessatio partialis.

Dubium est 2. utrum extendatur ad cessationem a divinis privilegium concessum in *cap. Alma mater*, ut in loco interdicto possint clerici celebrare divina officia januis clausis, voce submissa, & campanis non pulsatis? Affirmant *Navarr. c. 27. n. 189. Ioan. de Friburgo sum. confess. lib. 3. tit. 33 q. 221. & Villadiego c. 5. de interdicto n. 15.* Probant quia cessatio a divinis sub interdicto continebatur spectato jure antiquo; ergo privilegiũ interdicti ad cessationem extenditur.

Negandum tamen est cum *Suar. disp 39 sec. 2. num. 7. Sãch. lib. 7. matr. disp. 8. n 14. Sayro lib. 5. thes. c. 19 n. 2. Bonacina tom. 1. disp. 6. pun. 1. & Gasp. Hurtad. de cessat. diff. 2. n.* 58. ex fundamento opposito, quia cessatio a divinis sub interdicto nõ continetur, sed ab ipso distinguitur, ut desumitur ex *c. quamvis de officio ordin. in 6.* ergo privilegiũ unius ad aliud non extenditur.

Observabis 1 quamvis juris rigore attento privilegium contentum in *cap. Alma mater* pro illis festivitatibus Natalis, Paschæ, Pentecostes, & Ascensionis B. Virginis non extendatur ad cessationem, tamen spectata æquitate & consuetudine extendi, satis probabiliter docent *Sanch. lib. 7. d. 8. n. 18. Sayrus lib. 5. c. 19. n. 6. Layman. lib. sum. tr. 5. part. 4. &* inclinat *Suar. cit. d. 39. sec. 2. n. 23.*

Cessatio divinis ad privilegia.

Observabis 2, cum *Suar. cit. n. 11. Sayro lib. 5. c. 19. n. 15. & Bonacina tom. 1. d. 6. pun. 1. fine* ex vi privilegij alicujus divina audiendi vel celebrandi tempore interdicti non posse privilegiatum ea audire & celebrare tempore cessationis. Quæ observatio præcipuè locum habet in privilegio concesso singularibus personis. At si loquamur de privilegio concesso communitati, vel personis ratione dignitatis, quale est concessum Episcopis, nõ videtur improbabile (inquit *Palaus disp. 5. pun. 9. §. 2. n. 8.*) extendi ad cessationem.

QUÆSTIO II.

Quænam sint causa cessationis a divinis?

2054 Sicut in physicis, ita in moralibus solet in ordine ad morales effectus intervenire quadruplex genus causarum, scilicet efficientis, finalis, materialis, formalis. Causam efficientem cessationis fatentur omnes esse illum qui cessationem indicit, illam potens indicere ex jurisdictione quam habet in foro externo, qualis omnis, cui potestas censuras ferendi competit. Igitur ex proprio munere competit Episcopo & Capitulo Sede Vacante, ut habetur ex *cap. si canonici de offic. ordin. in 6.* si autem loquamur de Capitulo Sede non Vacante, rectè docent *Henriq. lib. 13. cap. 54. n. 1. Sayrus lib. 5. cap. 18. n. 5.* cessationem non posse indicere, nisi ex privilegio, aut recepta consuetudine, & tunc non nisi ex consensu Episcopi; & convocatis omnibus capitularibus etiam absentibus.

Cessationis a divinis causa efficiens.

Finalis causa est id quod intenditur comparari per cessationem, qualis est coercere rebelles & a commisso delicto removere. Causa formalis est modus, quo declaratur & indicitur cessatio. Causa materialis proxima (impertinens enim videtur loqui de remota, in qua subjectatur cessatio) est delictum illud, ad cujus correctionem cessatio dirigitur. Unde esse debet gravissimum, & ejus qualitatis, ut damnis ex cessatione provenientibus adæquetur.

Finalis & materialis causa cessationis

Cum veró cessatio indici nequeat nisi pro contumacia, ut habetur ex *cap. quamvis de offic. ord. in 6.* postulantur hujusmodi conditiones, scilicet, ut delictum sit notorium, & manifestum notorietate facti, ut ejus scandalo cessatione ipsa occuri possit: deinde ut causa propter quam imponitur, instrumento publico debeat exprimi per tabellionem, seu alijs patentibus litteris per authenticum sigillum munitis, quæ tradantur ei contra quem indicitur cessatio: debet tandem delinquens moneri, an velit præstare satisfactionẽ, & emendationem.

Conditionis ad cessationem.

Difficultas est, an omnes proximé assignatæ conditiones ita postulentur, ut aliqua ex illis deficiente, cessatio evadat nulla? Negat *Suar. d.* 38. *sect. 3 n. 8. &* 11. quatenus docet ex defectu cujuslibet conditionis evadere injustam cessationem, & solum irritam ex defectu illius monitionis, quæ postulatur omninó ad valorem censuræ.

Hoc probabile est, sed probabilius oppositum quod defendunt *Avila p. 6. de cens. disp. 2. dub. 2. & Sayrus lib. 5. thes. c. 18. n. 16.* asserentes ex defectu cujuscunque illius conditionis manere invalidam cessationem. Sumitur ex *c. quamvis de offic. ord. in 6.* & alijs in quibus dicitur non servatis conditionibus, non esse servandam cessationem.

Adde ex *cap.* proximé citato, si intra mensem non detur compositio inter partes, tam illũ qui imposuit cessationem, quàm eum ob cujus culpam imponitur, debere Romam ire per se vel per

Romam profectio in cessatione a divinis.

per procuratorem cum actis ad negotium pertinentibus, ut Pontifex definiat. Quod si interim pars contumax resipiscat, cessationem indicens debet eam tollere, & interim expectare responsum Pontificis, ut intelligatur quid agendum sit casu quo partes non se composuerint: facta tamen compositione, finitur cum cessatione responsi illius expectatio. Quid si post mensem, qui tulit cessationem, nolit Romam mittere, ita ut sit in mora mittendi? Bené cum *Suario d. 39. sec. 3. n. 14.* respondet *Palaus cit. §. 3. n. 4.*

2055 Præter explicatas conditiones sunt aliæ observandæ quando a Capitulo imponitur cessatio, nempe ut pro illa imponenda convocentur omnes qui pro quavis facienda electione debuerant convocari, & illi consulerent inter se an expediat imponere cessationem, factaque consultatione ferantur suffragia, & stetur maiore suffragiorum parte. Invalida igitur (ut notavit *Sayrus lib. 5. thes. c. 18. n. 14.*) erit cessationis impositio, deficiente convocatione hujusmodi, cōsultatione, vel determinatione.

Capitulū ferēs cessationem a divinis.

Difficultas est an Capitulum Sede Vacante has debeat servare conditiones in imponenda cessatione? Affirmativam partem sequitur Avila 6. p. disp. 2. dub. 2. nixus *c. quamvis, de offic ordin. in 6.* has omnes conditiones præscribente. Hoc tamē ex *Suario d. 39. sec. 3. n. 10.* recté intelligit *Palaus disp. 5. pun. 9. §. 3. n. 6.* casu quo Capitulum per se ipsum imponeret cessationem: cum veró Sede Vacante juxta *Trid. sess. 24. c. 16. de reform.* non per se, sed per Vicarium electum exerceat jurisdictionem, ideo non eget dictis conditionibus.

Observandum est 1. cum citatis, si Capitulum non servatis conditionibus cessationem tulerit, non posse recipere proventus & distributiones quæ conceduntur interessentibus divinis officijs: imò teneri omnia emolumenta eo tempore percepta restituere, & insuper parti contra quam cessaverit, damna resarcire, etiam si causa legitima imponendi cessationem adfuerit. Et hoc procedit de quocunque prælato sic nulliter imponente.

Damnorum reparatio cessatione a divinis.

Observandum est 2. quando cessatio justa & valida fuit, teneri eum, qui causam dedit, ad reparanda innocentibus personis omnia damna, quæ illis ex cessatione evenere, & in super condemnandum esse in aliqua quātitate in augmētum divini cultus convertenda.

QUÆSTIO III.

Qualis sit cessationis observandæ obligatio, & illius relaxatio?

Circa priorem partem de obligatione observandi cessationem, pænisque latis contra non observantes, constat lethaliter delinquere qui cessationem violat celebrando divina, administrando vel recipiendo Sacramenta. Frangit enim legem in materia gravissima.

Cessationis observandæ obligatio.

Difficultas est, an regulares exempti teneantur in suis domibus observare & publicare cessationem legitimē impositam, & ab Ecclesia matrice observatam? Negativam partem sequitur *Altercus de interd. disp. 2. c. 8. col. 4.* Probat, quia obligatio, siqua daretur, proveniret a *Trident. sess. 25. cap. 12. de regul.* at Trident. solum præcipit observari censuras, & interdicta quorum nomine cessatio non venit.

Regulares ad cessationem a divinis.

Affirmandum tamen est cum *Bonacina tom. 1. disp. 6. pun. 3. n. 10. & Palao d. 5. pun. 9. § 4. n. 2.* Probatur, quia Decretum Tridentini fuit ordinatū ad confirmandam Clement. 1. *de sent. ex com.* in qua omnes regulares etiam exempti obligantur observare tum interdicta tum cessationes, quæ Ecclesia Matrix observat. Et certé fortior urget ratio ut cessationes quàm interdicta serventur.

2056 Circa pænas, quibus afficiuntur violatores cessationis, constat nullam laicis esse impositam ipso jure, sed eos judicis arbitrio puniendos esse. At regularibus clericis tam exemptis, quàm non exemptis infligitur ipso facto excōmunicatio per *Clemen. 1. de sent. excom.* Debet tamen cessatio illa esse generalis & in Ecclesia matrice observari. Quia neque de speciali, neque de non observata a Matrice Clementina loquitur.

Pæna cōtra violatores cessationis.

Procedit autem pæna illa excommunicationis juxta *Suar. disp. 39. sect. 3 n. 36. & Bonac. d. 6. p. 3. n. 9.* de quacunque cessatione generali a quolibet legitimè imposita: quidquid dicat *Paludanus in 4. dist. 18. q. 8. n. 38.* credens illam pœnam solum habere locum in cessatione imposita a Capitulo conventu vel Concilio provinciali, non autem ab Ordinarijs. Notant *Sayrus lib. 5. c. 18. n. 11. & Avila 6. p. d. 3. dub. 2. concl. 2.* regulares Mendicantes ab illa pæna eximi ex peculiari privilegio: Palao tamen citato id non constat.

Irregularitatem contrahi a violantibus cessationem per exercitium ordinis, tradiderunt nonnulli: rectiùs tamen oppositum docent *Navarr. cap. 27. n. 189. & Suar. d. 39. sect. 1. a n. 8.* quia in nullo jure reperitur talis irregularitas, & hæc sive sit pæna, sive non, nunquam contrahitur, nisi sit expressa in jure *Cap. is cui, de sent. excomun.*

Quoad posteriorem quæstionis partem de relaxatione cessationis, recté consentiunt *Henriq. lib. 13. cap. 52. n. 3. Sayrus lib. 5. cap. 18. n. 7. Filliuc tr. 18. n. 188. & Bonac. tom. 1. disp. 6. de cess. a: p. 3 fine.* posse cessationem relaxare tum qui illam imposuit, & ab eo delegatum, tum pollentem æquali, aut maiore potestate: itaut forma relaxandi, cum nulla in jure determinetur, illa sufficiat, quæ relaxantis voluntatem expressé significet.

Relaxatio cessationis.

Difficultas est, an cessatio possit suspendi per appellationem? Negant *Panorm. in cap. dilectis filijs Sayrus lib. 5. thes cap. 17. n. 7. & Villadiego citatus a Covarr. cap. Alma 2. p. §. 2. n. 1.* Probant, quia cessatio spectat ad factum; cum non decernatur a jure, sed a judice; igitur nō videtur posse suspendi appellatione.

Nihilominùs *Henriq. cap. 52. n. 1. in Gloss. lit. b. Suar disp. 39. sect ult. n. 3. & Avila. 6. p. disp. 3. dubi 1. concl. 1.* recté distingunt asserentes, si cessationis sententia mandata sit executioni, non posse suspendi

Appellatio in cessatione a divinis.

 pendi

pendi appellatione: quia tunc secum traxit executionem: proindeque relaxatione opus est: at nondum executioni mandatam posse appellatione suspendi, instar excommunicationis: quia appellatio impedit jurisdictionem, ex cujus defectu evadet irrita cessatio.

TRACTATUS XXXXX.

De Irregularitate.

SECTIO I.
De irregularitate in communi, seu generaliter accepta.

QUÆSTIO I.
Quid, & quotuplex sit irregularitas: & causa ob quam imponitur?

2057 QUOD attinet ad irregularitatis nomen & quiditatem, pro universi tractatus scopo, ante quam multiplicitas, & finis, explicetur, hæc vox *Irregularitas*, quæ Græcè vertitur *Acanonia* apud Latinos primæ notæ non reperitur: est tamen in usu frequentissimo apud Theologos & Canonistas. Componitur ex *In* & *Regula*: diciturque quasi sine regula. Nam præpositio (*In*) vim habet significandi privationem. Sicut enim vox (*Irregulare*, significat quidquid intra regulam non continetur: ita vox abstracta *Irregularitas* ponitur ad significandum impedimentum ratione cujus homo fit incapax illius gradus & actionis quæ alijs communis est, atque adeo extra communem & generalem regulam collocatur.

Irregularitas unde dicta.

Regulare appellatur id quod est secundùm regulam *L. regulariter ff. de petit. hered.* & idem valet Latinè quod Græcè *Canonicum*. Hinc *Ludovicus Vives super D. August. lib. 3. civit. cap. 15.* Canonicos regulares lapide appellat ambitiosos, quod bis uno nomine vocem turne semel regulares credantur. At non advertit Canonicos olim sic dictos fuisse, quod in communi prope Ecclesiam viverent: postquam veró hanc regularem vitam omiserunt *Regulares canonicos* fuisse appellatos illos qui S. Augustini regulam retinuerunt, & exactè observant ad differentiam eorum qui canonici simpliciter, vel canonici sæculares dicuntur.

Regulare quid.

Canonicus quòd Regularis.

His positis, *Sayrus lib. 6. cap. de cens. cap. 1. n. 16.* multas irregularitatis affert definitiones, sed inter omnes tanquam communem approbat hanc: *Irregularitas est canonicum impedimentum ex facto vel defectum proveniens quo quis ad Ecclesiasticos ordines promoveri & jam promotus in iisdem ministrare prohibetur.* Cum hac fere coincidit definitio quam affert *Suar. disp. 4. de cens. sect. 1. Est inhabilitas, seu impediens acceptionem ordinum Ecclesiasticorum, & consequente etiam usum eorum.*

Irregularitas quid sit.

Hanc definitionem explicatam per singulas particulas habes in *Elucidatio num. 1751.* Illud observa cum *Suarez disp. 40. sect. 2. n. 6. & Palao de cens. disp. 6. p. 1. n. 2.* irregularitatem non esse censuram quia absoluté & secundùm se pæna non est: & quanvis aliqua in particulari pæna sit, medicinalis pæna non est, quæ recedente contumacia tolli debeat. Adde acceptam ut pænam distingui a censuris, v.g. ab excommunicatione, quia directé & qua talis impedit ordinis susceptionem, excommunicatio veró solum indirecté prout est quædam cum fidelibus communicatio. A suspensione, quia hæc non privat per se ordinis susceptione, sed illius usu. Ab interdicto, quia esto interdictum quandoque impediat ordinis susceptionem, non tamen quatenus ordo est, sed quatenus est divinum ministerium, & Sacramentorũ.

Irregularitas non est censura.

2058 Quod attinet ad multiplicitatem, dividitur irregularitas communissimé accepta in eam quæ provenit ex delicto, & eam quæ ex alio defectu provenit. Utrumque hoc membrum plura sub se comprehendit, ut cõstabit ex sequẽtibus Dividitur etiam in perpetuam & temporalem: perpetua est quæ sola dispensatione aufertur: temporalis est quæ lapsu temporis cessat, qualis proveniens ex defectu ætatis. Dividitur tandem in totalem & partialem, totalis privat omnium ordinum susceptione, & illorum omnium usu: partialis privat ordinum susceptorũ usu in totum, vel ex parte. Non homicidium superveniens ordinato eum privat usu omnium ordinum, quos habebat: at defectus oculorum vel manuum illi superveniens solum privat illorum ordinum usu qui cum tali defectu compati non potest.

Irregularitatis multiplicitas.

Quod attinet ad causam ob quam imponitur irregularitas, quæ est tertia quæstionis pars valde conducens ad explicationem secundæ cõstat 1. talem causam esse defectorum aliquem, sive culpabilem, sive non culpabilem. Constat 2. ut contrahatur irregularitas ex defectu culpabili, seu delicto, debere culpam esse gravem, saltẽ ex objecto, vel materia.

Dubium est 1. an quando culpa ex objecto & materia gravis est, excusetur delinquens ab incurrenda irregularitate, si ob aliquam circunstantiam excusetur a culpa gravi? Negant *Armilla v. Irregularitas n. 14. & Caietan. 2. 2. q. 64. a. 8.* Probant quia talis culpabiliter committit delictũ, cui irregularitas annexa est. Affirmandum tamẽ est cum *Layq. 1. 2. disp. 158. c. 5. Suar. disp. 40. sec. 3. n. 17. Sanch. lib. 9. matr. d. 32 n. 29. & Bonacina tom. 1. disp. 7. q. 1. p. 1.* talem irregularitatem non contrahi, nisi a peccante graviter, seu lethaliter. Est enim

Culpa delictum sufficiens ad irregularitatem.

enim irregularitas pæna gravissima, ut patet ex bonis quibus privat; & ideo culpæ debet proportionari.

Dubium a irregularitatem. Dubium est 2. an causa dubia sufficiat ad irregularitatem inducendam, sive sit dubia dubio juris, sive dubio facti? Constat apud *Sanch. lib. 1. Decal. cap. 10. n. 37. Suar. de cens. d. 40. sec. 5. n. 12. & Salas 1. 2. q. 21. tr. 10. disp. un. sec. 18. n. 164.* existente quocunque dubio sive juris sive facti teneri dubitantem adhibere diligentiam pro veritate assequenda, & interim abstinere ab omni actu, qui irregulari prohibetur, ob periculum violandæ irregularitatis. Sufficienti autem diligentia præmissa, si judicet probabiliter vel nullam irregularitatem esse annexam tali facto, vel se non cōmisisse factum, cui annectitur irregularitas, poterit reputare nullam ibi adesse irregularitatem.

Irregularitas in dubio. Difficultas est, si post factam deligentiam ita dubius hæreat, ut non possit formare judicium probabile vel de irregularitate facto imposita, vel de illa a se incursa? In hac re distinguendum est inter dubium juris & facti: inter dubium in casu homicidij, & in alijs materijs. Et quidem si dubium juris sit, nempe si dubites an tali facto imposita sit irregularitas, recté docent *Molina tr. 3. de just. disp. 67. n 5. Suar. d. 40. sect. 5. n. 4. & Sanch. lib. 1. Dec. c. 10. n. 42.* te nullo modo irregularem esse reputandum: ut sumitur ex *cap. Is qui de sent. excom. in 6.* Quid dicendum de dubio in materia homicidij, & alijs materijs, vide quæ resolvimus in parte priori *tract. 2. sect. 5. quæst. 14. n. 98.*

Dubium est 3. an resolutiones quæ circa irregularitatem cōmuniter feruntur in dubio homicidij sic procedant in dubio aliorum delictorum? Affirmant *Vasq. 1. 2. q. 19. a 6. disp. 65. c. 3. Azor tom. 1. lib. 2. c 19 q. 10. Sayrus in clavi cap. 13. n. 24. & Gasp. Hurt. diff. 4.* Probant quia in omni materia versatur illud axioma Pontificis. In dubio tutior pars est eligenda.

Hæc opinio probabilis est, sed probabilior negativa, quam tenent *Salas 1. 2. tr. 8. disp. unica sect. 18. n. 168. Sanch. lib. 1. Decal. c. 10. n. 48. concl. 2. & Bonacina de irregul. disp. 7. pun. 5. n. 2.* asserentes extra dubium homicidij neminem irregularem esse censendum. Probatur, quia ut habetur in *cap. Is qui.* cit. irregularitas non incurritur nisi in casibus a jure expressis: at expressa non est in dubio facti ultra casum homicidij.

QUÆSTIO II.

Quæ sit causa efficiens, materialis, & formalis irregularitatis?

2059 Constat 1. causam efficientem irregularitatis, nempe illius vinculi, seu incapacitatis, quam proximè exposuimus, esse illam personam, quæ irregularitatem efficit, vel inducit. Constat 2. Summum Pontificem esse causam efficientem; siquidem potest illam instituere & inducere. *Irregularitatis causa efficiens.* Difficultas est, an alius præter Pontificem possit inducere irregularitatem ita ut causa illius efficiens dici possit? Affirmant *Gabriel sect. 9. in canon. lit. D. & Sotus in 4. disp. 25. q. 1.* Probant a simili, quia depositio & degradatio sunt pęnæ graviores irregularitate: & tamen alij præter Pontificem possunt depositionem & degradationem inducere.

. Negandum tamen est cum *Avila 7. par. disp. 1. in fine Suario de cens. disp. 40. sec. 4. a n. 7. & Bonac. tom 1. disp 7. q. 1. punct. 2. n. 1.* Suadetur, quia ex citato *cap. Is qui de sent. excom.* constat denegatam esse illam potestatem omnibus judicibus Pontifice inferioribus: cum ibi decidatur expressé irregularitatem contrahi non posse nisi in casibus a jure expressis. Cum enim irregularitas non inducatur per se ad punienda delicta, sed ad vitādam indecentiam, expediens fuit, ut solus Pontifex illam induceret. *Pontifex solus inducens irregularitatem.*

Causa materialis, nempe subjectum irregularitatis optimé a *Suario disp. 40. sect. 7.* explicatur duplici regula. Sit prior: Nullus est capax irregularitatis qui per se, & juxta Christi institutionem non sit capax Sacramēti ordinis. Patet, quia irregularitas est quædam privatio, & omnis privatio supponit capacitatem. Sequitur 1. tam fæminam quamcunque, quàm virum non baptizatum esse incapaces irregularitatis, utpote incapaces ordinum. Sequitur 2. esse incapacem irregularitatis omnem illum qui habet defectum corporis repugnantem substantiæ ordinum, ut sunt perpetuò amentes: secus, quando talis defectus substantiæ ordinum non repugnat. *Irregularitatis subjectum.*

Sit posterior regula: Omnis homo capax ordinis est etiam capax irregularitatis, si in terris habeat superiorem. Ratio est, quia privatio & habitus versantur circa idem. Sequitur 1. infantes esse capaces irregularitatis: quia sunt capaces ordinum. Sequitur 2. hominem jam irregularē esse capacem novæ irregularitatis supervenientis. Sicut enim in eodem subjecto multiplicatur excommunicatio, si multiplicetur illius causa specie, vel numero, ita irregularitas. *Irregularitatis multiplicatio.* Sequitur 3. Episcopos esse capaces irregularitatis, eo modo, quo possunt privari usu ordinum: imò per generalem legem ferentem irregularitatem comprehendi. Nam *caput. quia periculosum, de sent. excom* solum requirit expressam mentionem Episcoporum, quando fertur suspensio, & interdictum. *Episcopi ad irregularitatem.*

Sequitur 4. Episcopum ordinantem incapacem ordinis, v.g. fæminam non incurrere pænam impositam ordinanti irregularem. Quia fæmina non dici potest irregularis. In fine regulę particula (si in terris superiorem habeat) addita fuit propter S. Pontificem, qui irregularitatis incapax est. Ille enim potest obligari suis legibus quoad vim directivam, & non quoad vim coactivā. Si irregularitas (inquit *Suar. n. 7.*) etiam nota electoribus præcessit Pontificatum, electio quanvis illicita, valida fuit, & irregularitas evanuit. Vide Palaum p. 2. n. 4. *Pontifex ad incurrendam irregularitatem.*

2060 Causa formalis, seu forma verborum per quam inducitur irregularitas, explicatur duplici regula a *Suario citato sect. 8.* Esto prior: Quoties verba legis non significant pænam ipso facto, sed requirunt actionem hominis, ut *Forma irregularitatis.*

im-

imponatur, in tali lege non est sermo de irregularitate. Ratio est, quia irregularitas non fertur ab homine, sed solum fertur & contrahitur, quando in jure expressa est. Unde quando pœna in canone ponitur per hoc verbum (deponatur, degradetur) & similia, raró aut nunquam de irregularitate sermo est.

Esto posterior: quanvis privatio ordinum ex vi verborum canonis ipso jure feratur, non semper fertur irregularitas, nisi ex verbis expressis, vel ex indicijs sufficientibus colligatur. Patet, quia ordinum privatio indifferens est ad depositionem, perpetuam suspensionem, & irregularitatem.

Indicia irregularitatis. Gravis & molesta difficultas est explicare quæ sint indicia ex quibus sufficienter innotescat, & colligatur lata pæna irregularitatis. *Suar. cit. a n. 9.* varia subjicit, & exponit. Primum est, si dicatur illam pænam tolli per dispensationem. Non sufficit, quia etiam depositio & suspensio per dispensationem tolluntur. Secundum est, quando privatio ordinum fertur sine culpa, & non sine causa. Hoc optimum est, si pæna illa intelligi nequeat de suspẽsione, quæ est per præventionem, seu per non collationem usus ordinis ex defectu aliquo ordinantis. Tertium est, quando per legem ponitur impedimentum ordinibus, quod post peractam pœnitentiam, manet: hoc autem optimum erit, si perpetuum sit vel ad certum tempus, & commune laicis. Nam per illam perpetuitatem, vel determinationem temporis distinguitur a censuris, & per id quod convenit laicis, a pæna suspensionis: hæc enim propria clericorum est. Multæ sunt in jure formulę quæ sufficienter indicant irregularitatem, quales sunt omnes excludentes hominem ab ordinatione seu, seu clericatu, & per *Suarium* recensentur *a n. 14. ad 16.*

QUÆSTIO III.

Quinam sint effectus irregularitatis?

Tres effectus solent Doctores assignare irregularitati, scilicet privationem suscipiendi ordines, privationem suscipiendi beneficia, & privationem beneficiorum acquisitorum ante irregularitatem. Consentiunt in admittendis duobus prioribus: circa tertium discrepant: nos singulos examinabimus.

Irregularitatis effectus. Quod attinet ad primum effectum de privatione suscipiendi ordines, apud *Suar. disp. 40. sec. 1. Sayrum lib. 6. c. 1. & Palaum disp. 6. pun. 5. n. 1.* constat 1. irregularitatem privare licita susceptione cujuscunque ordinis tam maioris, quàm minoris. Est enim de jure Ecclesiastico, quod circa modum competentem suscipiendi Sacramenta disponere potest. Constat 2. non privare valida susceptione ordinum, quando adest apta materia & forma, ac legitimus minister. Quia ordinis institutio est de jure divino, irregularitas de humano.

Prima tonsura in irregulari. 2061 Dubium est 1. an & qualiter irregularitas reddat irritam, & illicitam susceptionem primæ tonsuræ? Sunt qui affirment irregularem posse licité suscipere primam tonsuram. Quia irregulari solũ prohibetur susceptio ordinum: tõsura autem ordo non est. Hoc tamen rectè improbant *Arila 7. p. disp. 1. dub. 6. Filliuc. tr. 18 c. 3. n. 39. & Bonacina de irreg. disp. 7. pun. 1. n. 4. fine.* Quia prima tonsura continetur nomine ordinis laté sumpto, & est in rigore dispositio ad ordines. Circa illius irritam susceptionem, rectè docent *Suar. disp. 40. sec. 1. n. 1. & Bonacin. cit. pun. 4. n. 1.* potuisse Ecclesiam reddere irritam, cum pendeat ex illius institutione, sed nullibi de tali irritatione constare.

Irregularitas superveniens ordinato. Dubium est 2. qualiter irregularitas reddat illicitum usum ordinum, quando ordinato supervenit? Pro decisione attendenda est distinctio inter irregularitatem totalem & partialem, provenientem ex delicto, vel defectu. Respondeo cum Covarr. *Clemen. si furiosus de homic. 1. p. §. 1. n. 3. & Suar. d. 40. sect. 1. n. 4.* si irregularitas proveniat ex delicto putà ex homicidio, ex iniqua ordinum susceptione vel administratione privare ordinatum quolibet usu suscepti ordinis, & reddere inhabilem ad alium suscipiendum. Verùm si superveniat ex solo defectu, v.g. qualis refertur in *c. 2. de clerico agrot.* cui abscissi fuere duo digiti cum medietate palmę, talis irregularitas partialis quanvis reddat sacerdotem inhabilem ad celebrandum, non inhabitat ad alios sacerdotales usus v.g. absolvendi a peccatis, assistẽdi matrimonio, & similes.

Infertur 1. posse evenire defectum qui in laico induceret absolutam irregularitatem, in clerico tamen causaret partialem, v.g. inhabilitarem ad ordines qui suscipiẽdi restant. Infertur 2. nullam irregularitatem privare actionibus, quæ sũt communes clericis & laicis, quales sepelitio in loco sacro, auditio divinorum officiorum, baptizatio absque solemnitate, & susceptio Sacramentorum excepto ordinis.

Beneficiorum insecutio per irregularitatẽ. Quod attinet ad secundum effectum, qui est inhabilitatio ad consequenda beneficia, constat apud *Valent. tom. 4. disp. 7. q. 19. p. 2. Garcia de benef. 7. p. cap. 12. n. 19 & Bonac. tom. 1. disp. 7. de irreg. p. 4 n. 3.* irregularitatem, si absoluta sit, privare consecutione beneficiorum saltem licita. Cũ enim depellat irregularem ab statu, & ordine clericali, consequenter depellit ab ijs quæ ordinem clericalem postulant.

Dixi (si absoluta sit) quia si partialis ordinato superveniat non ex delicto, sed ex defectu, validé & licité prædicto irregulari potest conferri beneficium, quod defectui illi usum repugnantẽ non postulet. Dixi (privare consecutione beneficij saltem licita) quia gravis difficultas est, an sit valida collatio facta irregulari absoluté tali, vel ita parrialiter tali, ut functiones beneficij licité exercere nequeat? Affirmãt, & quidem probabiliter *Felinus in cap. Inquisitionis n. 6. & Sylvest. Verbo Excommunicatio 4. n. 4. & Palaus d. 6. pun 5. n. 7.* asserentes talem collationem venire irritandam, de facto tamen validam esse. Probant a simili ex

cap.

cap. ult. de clerico excom. ministrãte ubi dicitur excommunicatum minori excommunicatione eligi non posse: ex quo sequitur talem electionẽ si fiat, venire irritandam, esse tamen validam.

2062 Nihilominus communis & probabilior sententia, quam defendunt *Suar. disp. 40. sec. 2. n. 3. Sayrus lib. 6. cap 2. n. 12. Avila 7. p. disp. 2. dub. 6. concl. 3. & Bonac. de irreg. d. 7. p. 4. n. 6.* tenet invalidam esse talem collationem. Suadetur, quia inhabilis ad unum censetur inhabilis ad omnia quæ illud necessariò prærequirunt: beneficium autem prærequirit ordines, quorum irregularis incapax est. Ex hac sententia (ut notat *Palaus n. 8*) sequitur irregularem esse incapacem Ecclesiasticæ jurisdictionis ordinariæ, quæ nititur beneficio: capacem veró delegatæ ad quęlibet alia munera præter usum ordinis. In sententia opposita cujuslibet capax est.

Quod attinet ad tertium effectum, juxta aliquos est privatio beneficiorum acquisitorũ ante irregularitatem. Quia cum irregularitas ponat incapacitatem ad officium propter quod beneficium confertur, sicut privat beneficijs acquirendis, ita videtur privare acquisitis, itaut irregularis teneatur beneficium relinquere, cũ eis obligationi satisfacere nequeat. Rectiùs tamen oppositum docent *Navarr. cap. 27. n. 349. dicto 5. Avila 7. p. disp. 2. dub. 6. concl. 4. Suar. d. 40. sec. 2. n. 15. & Ægid. Bellan.* asserentes postulari officium judicis ad illam beneficiorum privationem.

Irregularitas privans beneficijs.

Verùm cum citatis & *Palao disp. 6. pun. 5. an. 11.* observandum est 1. dictum irregularem, dum per sententiam beneficio non privatur, debere procurare dispensationem, & interim per aliũ satisfacere ijs actionibus, quę ipsi irregulari prohibentur. Observandum est 2. ex *Triden. sess. 14. c. 7.* homicidam voluntarium beneficijs obtentis venire privandum sicut ob hæresim, aut Simoniam: pensionibus veró arbitrio judicis privari, attenta delicti qualitate.

Observandum est 3. irregularitatem quæ clerico supervenit, eum non privare fructibus beneficij, nec esse privandum per sententiam, si ipse per se, vel per alium exercuit ea munera, quæ ratione beneficij tenebatur exercere. Observandum est 4. irregularitatem supervenientem beneficiato, seu judici, eum non privare jurisdictione spectante ad forum contentiosum. Unde potest eligere, beneficia conferre, excommunicare, & similia. Observandum est 5 irregularem ex delicto, si nolit, vel nequeat impetrare dispensationem, posse renunciare beneficium in favorẽ tertij, ac si nullam irregularitatem contraxisset etiam facta accusatione de irregularitate, & pendente lite.

Jurisdictio irregularis.

Quid si durante irregularitatis accusatione impetret aliquis beneficium prædicti irregularis, casu quo hic per sententiam illo privetur: poterit ne irregularis conscius impetrationis beneficium in favorem alterius, vel absolutè, antequam per sententiam condemnetur, renunciare? Negãt *Anid. de Butrio cons. 43. & Dominic. cons. 105.* Sed rectiùs affirmant *Cavarr. Clem. furiosus, de homicidio 2. p. §. 3. n. 7. Molina tr. 3. de just. d. 78. n. 2.* Vide *Palaum d. 6 p. 5. n. 16.*

Renunciatio per irregularem.

QUÆSTIO IV.

Quæ causa excusent ab incurrenda irregularitate?

2063 Venit in quæstionẽ duplex causa excusans, scilicet duplex ignorantia, altera culpæ, altera pænæ. Quod attinet ad priorem, constat evadere irregularitatem delinquenti impositam, qui excusatur a culpa lethali, etiam si venialiter peccet. Nam irregularitas, cum sit pæna gravissima, gravi delicto proportionari debet.

Irregularitatis excusatio.

Difficultas est, an incurrat irregularitatem delicto impositam qui agnoscit prohibitionem legis Ecclesiasticæ? Videtur affirmandum, quia licét irregularitas proveniat a sola lege Ecclesiastica, hęc nititur indecentia, quam cum statu Ecclesiastico habet tale delictum: hujusmodi autem indecentiam non tollit ignorantia legis Ecclesiasticæ.

Ignorantia ad irregularitatem.

Negativa tamen resolutio, quam tenent *Ægid. Bellan. disp. 18. de irreg. dub. 4. concl. 1. & Palaus de ead. disp. 6 pun. 6. n. 1.* probabilior est. Sumitur 1. ex *c. 2. de constit. in 6.* ubi statuitur ignorantes non teneri constitutionibus ordinariorum, nempe quoad pænam in illis decretam. Quia videtur iniquum ęquali pæna afficere transgressorem legis ex ignorantia ac ex malitia. Sumitur 2. ex *c. proposuisti 82 dist.* ubi clerici luxuriosi pænam depositionis evadunt, si illam ignorent, & tunc alia minori puniuntur.

Quod attinet ad posteriorem de ignorantia pænę, difficultas est, an excusetur ab incurrenda irregularitate, qui eam probabiliter ignorat esse annexam tali delicto, tametsi sciat prohibitionẽ legis Ecclesiasticæ? Affirmat sentẽtia, quam probabilem rectè judicant *Suar. disp. 4. de cens. sect. 9. n. 22. Sanch. lib. 9. disp. 32. n. 21. Ægid. Bellan. disp. 18. dub. 4. n. 31. & Bonac. tom 1. disp. 1. de cens. q. 2. pun. 1. n. 13.* Probat, quia committens delictum solũ manet obnoxius pænis ordinarijs, hoc est delicto valde proportionatis, non veró extraordinarijs, qualis reputatur irregularitas.

Ignorantia pænæ.

Negandũ tamen est cũ communi, & in praxi recepta sententia, quam præter citatos defendunt *Corduba in quæst. lib. 1. q. 25. Ludov. Lopez. 2. p. Instruc. cap. 13. Vasq. de excom. dub. 16. Avila 7. p. d. 2. dub. 7. concl. 2. & Gasp. Hurt. de Irreg. diff. 8. n. 29.* Probatur quia irregularitas non est censura, ac proinde non est pæna medicinalis quæ postulet in delinquente contumaciam: solum enim infligitur ob delicti punitionem, & aliquam indecẽtiam quã affert clericali statui. Aliter committens homicidium voluntarium ignorans irregularitatem, illam non incurreret: quod videtur absurdum.

QUÆSTIO V.

Qualiter tollatur irregularitas?

2064 DE tribus modis, quibus tollenda, seu abolenda venit irregularitas disputant auctores. Est primus modus Baptismus, secundus modus Religiosa professio, tertius modus legitima dispensatio. Quod attinet ad baptismum, certum est 1. ante baptismum neminem posse dici irregularem. Patet, quia irregularitas est de jure Ecclesiastico, quod ligare nequit eos qui extra Ecclesiam sunt.

Baptismus ad irregularitatem

Certum est 2. esse aliquos defectus post baptismum remanentes, quorum ratione baptizatus manet irregularis. Hujusmodi sunt, si quis ante baptismum erat bigamus, claudus, cæcus, notabiliter deformis, illegitimus, infamis tali infamia, quæ post baptismum perseveret: qualis infamia est juris post sententiam condemnatoriam. Hæc enim juxta *Suar. d. 48. sec. 2. & Hurt. de irregul. diff. 20.* ex se perpetua est, & non deletur baptismo. Secus de infamia facti ex delicto, hæc enim (ut notat *Palaus d. 6. pun. 7. n. 1.*) post baptismum nō manet: cum delictum baptismo aboleatur.

Infamis ad irregularitatem.

Quod attinet ad professionem religiosam, seu emissionem trium votorum substantialium in religione approbata, rectè docent *Sayrus lib. 7. cap. 13. n. 9. Suar. disp. 41. sec. 1. n. 3. & Bonacina tom. 1. disp. 7. q. 5. pun. 2. n. 3.* tali professione aboleri irregularitatem ortam ex defectu natalium, in ordine ad suscipiendos ordines, manente inhabilitate ad prælationes, & dignitates: hæc tamen inhabilitas tollitur per privilegium quod habent omnes feré religiones.

Professio religiosa ad tollendam irregularitatem.

Quid de alijs irregularitatibus? Non tolluntur spectato jure communi: secus ex privilegio. Nam Præpositus Generalis Societatis habet privilegium pro foro conscientiæ tollendi omnem irregularitatem sive bigamiæ, sive homicidij voluntarij. Item juxta *Rodrig. tom. 1. qq. regul. q. 24. a. 12.* ex privilegio Martini V. omnes Mendicantes possunt relaxare irregularitatem etiam homicidij voluntarij, dummodo notoria nō sit. Ingressus religionis & si non tollat irregularitaté, præbet tamen facilitatem, ut in ea dispensetur.

Quod attinet ad tertium modum tollendi irregularitatem, scilicet per dispēsationem, satis est exponere duplicem dispensationis causam nempe effectivam, & formalem. Ut exponamus effectivam ex *Suario disp. 41. sec. 2.* cum potestas dispensandi in irregularitate sit spiritualis ac supernaturalis a Christo Domino concessa, in aliquibus ordinaria, in alijs delegata, certum est 1. Papam jure divino, & immediaté a Christo habere universalem, ordinariam ac supremam potestatem dispensandi in irregularitate. Habetur ex *cap. significasti, de elect. & cap. sunt quidam 25. q. 1.* Unde talis dispensatio sine causa erit illicita, sed valida.

Dispensatio in irregularitatem.

Certum est 2. nullum Episcopum jure ordinario posse dispēsare in irregularitate generatim sumpta, sed tantū in ijs, quæ illi cōceduntur. Habetur ex *c. cum illorū, de sent. excom.* & ratione, quia inferior nequit dispensare in lege superioris, nisi ei concedatur. Quinam casus Episcopo concedantur, dicemus agendo de singulis irregularitatibus. Modò pro omnibus est illud decretū *Trid. sess. 24. c. 6. de reform.* ubi conceditur Episcopis, ut dispēsare possint in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ nascitur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum. Nota hanc cessationem solum vigere in locis, ubi Tridentinum receptum est.

Episcopus ad dispensandum in irregularitate.

2065 Casus occulti hic accipiuntur (inquit Suar. d. 41. sec. 2. n. 6.) prout a publicis distincti, quanvis probari possint. In irregularitate delicti ita occulti, ut probari nequeat, postquam ad forū contentiosum delatum est, Episcopus dispensare non potest. Si post delationem quis juridicé absolvatur a delicto, eo quod nullo modo probatū fuerit, manet per Episcopū dispensabile, quidquid dicat *Sāch. l. 8. matr. d. 34. n. 57.*

Occulti casus qui.

Nomine Episcoporū (addit Suar. n. 7.) ut possint dispensare, veniunt saltē confirmati, dūmodo propriam jurisdictionem in subditos habeant: at non veniūt inferiores prælati exēpti etiam si habeant ordinariam jurisdictionē quasi Episcopalē in sua quasi diœcesi: quidquid contradicat *Sanch. lib. 2. Dec. c. 11. n. 5.* Hanc facultatē possunt Episcopi alicui cōmittere, ut vel cū alijs vel cū ipsismet Episcopis in irregularitatem taliter incidentibus dispenset.

Episcopus quis dicatur ad dispensandum.

Potest Episcopus (addit *Eximius Doctor cit. n. 10.*) dispensare in tali irregularitate cum subdito absenti, & versanti in aliena diœcesi, vel per se ipsum, vel per aliquē confessorē, cui facultatem deleget. Ut tamen quis obtineat illam dispensationē debet habere domiciliū in illius Episcopi diœcesi: qui autem illud habeat, etiam aliunde exemptus potest se subjicere, ut ab Episcopo diœcesano dispensationem obtineat.

Domicilium ad dispensationem.

Nec Capitulū (subdit a n. 13. cōtra Sāch. lib. 2 Dec. c. 11. n. 5.) Ecclesiæ Cathedralis Sede Vacante, nec etiam Vacante Sede Apostolica collegiū Cardinaliū, habere illam facultatem dispensandi. Probabile est posse collegiū Cardinaliū tollere irregularitatē ab aliquo, ut licité in Pontificē eligi possit. Vide præter *Suariū, & Sanchez* locis citatis, *Palaū de cens. disp. 6. pun. 7. a n. 3.* Quibus cōveniat hæc potestas delegata, potiùs ad factū quám ad jus pertinet: constabit tamen, cum particulares irregularitates exposuero.

Capitulum ad dispensandum in irregularitate.

Cardinalium collegium.

Explicata causa effectiva hujus dispensationis ut explicemus formalē: cum de finali, seu motiva solū occurrat quod omnibus cōmune est, nimirū requiri proportionatam rationē ut licité detur, imó ut validé, si a prælatis Papæ inferioribus præstanda sit; circa causam formalem illud cū *Suar. cit. sec. 2. n. 2.* statuendū est, nec præfixa verba, nec aliquam solemnitatem requiri, sed tantum signum aliquod, quo voluntas dispēsantis sufficienter ostendatur. Unde qui plures irregularitates habet, si ab una dispensari vult, necesse est ut ejus speciē declaret; si ab aliquibus, earū nu-

Formalis causa dispensationes.

numeratum: si ab omnibus, omnes saltem confusè.

Requiritur insuper (docet num. 3.) ut explicetur qualitas & effectus irregularitatis, sive sit totalis, sive partialis. Quoties autem dispensatio absolutè, & sine additione profertur, totalis est; nam si cum limitatione, solum operabitur quantum verba explicitè, vel implicitè continuerint: quidquid sentire in oppositum videatur *Sanch. de matr. lib. 8. disp. 1. n. 27.* Pontifex censetur dispensare in irregularitatem ordinat, vel dimissorias litteras concedit. Idem procedit de Episcopo habente potestatem etiam quoad forum externum: quidquid soleat dici in oppositum de absolutione excommunicationis?

Pontifex dispensans in irregularitate.

SECTIO II.

De irregularitate contracta ex delicto.

QUÆSTIO I.

Qualiter irregularitas contrahatur ex crimine hæresis?

2066 Resolvetur quæstio divisa in duas partes, alteram de hæreticis, & apostatis, ipsorumque fautoribus: alteram de eorum filijs & nepotibus. Quod attinet ad priorem, consentiunt *Sanch. lib. 2. decal. cap. 25. num. 2. Suar. de cens. disp. 43. sect. 1. n. 3. Ægid. Bellanus disp. 18. dub. 7. a num. 50. Fillluc. tract. 20. cap 9. num. 117. & Bonac. disp. 7. de irregul q. 3. pun. 7.* in princ. eum qui semel in hæresim lapsus est, ita manere irregularem, ut neque post illius detestationem, pænitentiam & absolutionem, ordinari possit absque dispensatione. Sumitur ex *cap. Salubriter iam* 1. q 7. & procedit tam de clericis, quàm laicis: item de hæretico externo, non verò merè interno.

Irregularitas ex hæresi.

Si loquamur de dispensatione in hac irregularitate, constat (inquit Suar. cit. n. 6.) esse reservatam Papæ quoad promotionem ad ordines, quoad usum Sacerdotij & Episcopatus: at quoad usum inferiorum ordinum posse dispensari ab Episcopo.

Dispensatio irregularitatis ex hæresi.

Dubium est 1. an hæreticus per accidens occultus incurrat hujusmodi irregularitatem? Affirmant præter citatos *Sylvest. v. irregularitas q. 5. Tolet. lib. 1. cap 64. & Navarr. cap. 27. num. 205.* Probant ex *cap. si qui presbyteri, cap. convenientibus 1. q. 7. & cap. nos consuetudine dist. 12.* Hæc sententia communis, & tuta est.

Nihilominus oppositam negativam scilicet crimini hæresis occulto non annecti irregularitatem, tanquam valde probabilem rectè defendunt *Henriq. lib. 14. cap. 4. num. 16. Avila 7. p. de irregul. disp. 4. dub. 2. Layman de irreg. cap 4. num. 13. & Gaspar Hurtad. disp. 2. diff. 4. num. 14.* Probant, quia textus illam inducentes videntur exigere notorietatem, siquidem dirigunt sermonem ad Prælatos, ne illos ad ordines admittant.

Dubium est 2. an maneant irregulares qui interiùs fidem retinentes, exteriùs illam negant? Partem negativam defendunt *Navarrus lib. 5. consil. tit. de hæresi consil. 3. aliàs 9. & Azor tom. 1. lib. 8. cap. 11. q. ult. & c. 21. q. 8.* & probabilem rectè vocat *Palaus de cens. disp. 6. 19. §. 1. num. 4.* Probant quia nulla irregularitas est admittenda, nisi manifestè constet ex jure: & hæc in nullo apparet manifestè.

Irregularitas ob negationem.

Nihilominus affirmativa communior & probabilior est quam tenent *Sanch. lib 2. in decal. c. 25. num. 6. Suar. de cens. disp. 43 sec. 2 num. 2 Farinac. de hæresi q. 192. n. 192. n 75 & Bonac. disp 7. de irreg. q. 3. pun. 7. n. 2.* Sumitur ex *cap. presbyteros 50. dist.* ubi de presbytero qui ex timore fidem negaverat, dicitur non posse ministrare Sacerdotale officium: diaconis verò, & clericis alijs inferioribus impeditur ascensus ad gradum superiorem, & in suscepto ministrare.

Dubium est 3. an fautores hæreticorum quà talium, receptatores, & defensores puniantur ea irregularitate, qua hæretici puniuntur? Affirmant *Sanch Suar. & Bonacina* locis proximè citatis. Probant ex *cap. 2. §. hæretici, de hæret. in 6,* ubi tam fautores & defensores illi, quàm eorum filij usque ad secundam generationem prohibentur admitti ad beneficium Ecclesiasticum, & officium publicum: hæc autem prohibitio inducit manifestam irregularitatem.

Fateor hanc opinionem esse satis communem & probabilem. Mihi tamen videtur æquè probabilis opposita negativa, quam defendunt *Henriq. lib. 14. cap. 4. num. 6. & Emman. Sà V. Irregularitas ex defectu animæ num. 2.* quibus acquiescit *Palaus d. 6. pun. 19. §. 1. n. 5.* Quia in citato capite non apparet manifestè inducta irregularitas: ibi enim nomine officij publici, non officium ordinis, sed jurisdictionis intelligitur.

Hæreticorum defensores ad irregularitatem.

2067 Dubium est 4. an & qualiter contrahant irregularitatem suspecti de hæresi? Respondeo cum *Sanch. 2. decal. cap. 25. num. 10, Suar. disp. 43. sec. 2. num. 9. & Farinacio de hæres. q. 192. num. 81.* taliter suspectos manere irregulares secundum quid, scilicet quandiu suspicionem nō purgaverint. Nam ea purgata ordinibus poterunt initiari. Quare *Sanch. cit. n. 12. Farinac. n. 80.* & alij rectè docent eos qui abjurarunt de vehementi, manere habiles, ut promoveantur. Quia posita tali abjuratione omnem irregularitatem, & infamiam deposuerunt.

Suspecti de hæresi ad ordines.

Quod attinet ad posteriorem quæstionis partem de filijs & nepotibus hæreticorum, quamvis *Sayrus lib. 6. thes. cap. 10. n. 40. & Tolet. lib. 1. sum. c. 25. n. 8.* quibus non dissentit Palaus cit. §. 2. n. 2. immunes irregularitatis illos dicant, tamen cōmunis sententia est, quam tenent *Valent. disp. 7. q. 19. Sanch. lib. 2. decal cap. 28. n. 7. Suar. d. 43. sect. 3. num. 1. & Bonacin. disp. 7. de irreg. q. 3. pun. 7. n. 9.* docentes hæreticorum filios & nepotes, eorumque fautores & receptatores fieri irregulares, si masculina via descendant: si autem via

Hæreticorum filij & nepotes ad irregularitatem.

fæminea, solos filios, & non nepotes. Sumitur ex *cap statutum de hæret. in 6.* ubi excluduntur ab officio & beneficio: & per illud intelligitur officium ordinis.

Azor, Suar. & alij citati a *Sanch. l. 2. decal. cap. 27. n. 1.* rectè communem sententiam extendunt ad filios illegitimos & spurios. Duo tamen requiruntur, ut hæreticorum filij maneant irregulares, alterum, ut fuerint nati post parentum delictum: alterum ut tale delictum fuerit notorium, & constet in eo decessisse. Unde evadent irregularitatem filij illorum qui de hæresi suspecti sūt: hi enim non dicuntur hæretici.

Filij hæreticorū irregulares.

Dubium est 1. an sint irregulares filij illorum parentum qui ob repetitam hæresim cremantur, sed ante mortem signis veræ pænitentię exhibitis, fuere abso[l]uti? Negant, & quidem satis probabiliter *Ægid Bellan. disp. 18. dub. 7. n. 51. Gasp. Hurt. disp. 2. de irreg. diff. 3. n. 8.* & multi alij, quos citati referunt. Probant, quia textus in *c. statutum* exigit ad talem irregularitatem, quod parentes decedāt in hæresi nec emendati, nec Ecclesiæ reconciliati.

Affirmandum tamen est cum *Azorio to. 1. Instit. lib. 8 cap. 13. Molina tom. 3. disp. 658. n. 19. & Sanch. lib. 2. decal. c. 27. a n. 22.* Probatur, quia taliter conversi, in hæresi decedere præsumuntur: & fictè converti timore potiùs ne vivi crementur, quàm fidei amore ut æternam salutem consequantur. Secus esset, si daretur juridicè absolutio, itaut solemniter absolverentur.

Dubium est 2. an sint irregulares filij eorum, qui ob probatam juridicè hæresim comburuntur, ipsi tamen se illam commisisse semper negarunt? Rectè affirmant citati authores. Quia cum tales parentes de hæresi convicti eam usque ad mortem negaverint, in ea perseverasse, atq; adeo hæretici præsumuntur. Idem procedit de filijs eorum, qui condemnantur in absentia, eorumque statuæ cremantur: nisi ante mortem dedisse signa contritionis, & absolutionem postulasse constiterit. Sanch. cit. n. 19.

Observant 1. *Sanch lib. 2. dec. c. 27. n. 28. & Bonacin. disp. 7. de irreg. q. 3. p. 7. n. 9.* ad incurrendam hujusmodi irregularitatem, oportere ut parentes qui in hæresi decedunt, reputentur ob hæresim infames. Unde non fient irregulares filij hæreticorum in Anglia, Germania, & similibus regionibus, ubi hæresis, quia valde frequens, non parit infamiam. Observant 2. *Sanch. cit. n. 31. & Farinac. de hæresi q. 191. n. 37.* ex Pontificis privilegio evadere irregularitatem, aliasque pænas in jure statutas, eos filios qui suos parentes hæreticos denunciant Inquisitoribus.

Infamia hæreticorum ad irregularitatem.

QUÆSTIO II.

Qualiter contrahatur irregularitas ob iterationem baptismi?

Irregularitas ex indebita baptismi susceptione.

2068 Contrahi irregularitatem ex indebita baptismi administratione & susceptione, cōstat ex varijs juris capitibus apud *Suarium tom. 1. in 3. part. disp. 31. sect. 6. & to. 5. disp. 42. sect. 1.* quem sequuntur recentiores *Ægid. Bellan disp. 18. dub. 5. Layman lib. 2 sum tr. 5 p. 5. c. 2. Gasp. Hurtado de irreg. disp. 2. diff. 1. Bonacina de irreg. disp. 7. q. 3 pun. 3 & Palaus de cens. disp. 6 pun. 16.*

Qualiter veró contrahatur tum ab administrante, tum a suscipiente baptismum, exponemus divisa quæstione in duas partes. Quod attinet ad priorem, Dubium est 1. quodnam impedimentum afferat dicta irregularitas? Respondeo cum citatis impedire ascensum ad superiores ordines tum in acolyto cooperante presbytero qui rebaptizat, tum in ipso rebaptizante, at non impedire usum ordinum antea susceptorū: ex quo apparet non esse irregularitatem totalē, sed partialem. Constat ex *Concilio Lateran. sub Alex. 3. par. 26. cap. 1.* Adde pænas non esse extendendas, & *c. 2. de Apostatis* solum prohibet ascensū ad ordines superiores.

Dubium est 2. an talis irregularitas incurratur ipso facto a rebaptizante? Respondeo affirmativè cum *Suario citato disp. 31. sec. 6.* Probatur 1. ex verbis textus, quæ sic habent: *Ad superiores ordines promoveri non valebis.* Particula enim (*Non valebis*) denotat ipso facto manere inhabilem ad ordines. Probatur 2. ex usu communi qui juxta Suarium citatum sic interpretatur verba textus.

Dubium est 3. an solum incurratur irregularitas, quando delictum est publicum, itaut interveniat solemnis rebaptizatio? Negant *Sayrus lib. 7. thes. c. 8. n. 6. Henriq. lib. 14. c. 4 n. 5. Ægid. Bellan. disp. 18. dub. 5 n. 36.* & alij asserentes occultam rebaptizationem sufficere, maximè in rebaptizante. Probant ex *c. qui bis de consecrat. dist. 4. & c. qui in qualibet 1. q. 7.* nullatenus publicitatem criminis requirentibus. Affirmant *Layman lib. 1. sum. tr. 5. par. 5. c. 2. n. 1. Tolet. lib. 1. c. 70. §. quarto & Gasp. Hurt. de irreg. disp. 2.* Probant, quia textus in *cap ex litterarum*, nulla facta mentione dispensationis absolutè decidit, si crimen occultum sit, ordinari acolytum illum posse.

Rebaptizatio solemnis ad irregularitatem.

Utraque sententia probabilis est. Mihi absoluté placet cautela, & modus loquendi *Doctoris eximij tom. 3. in 3. p. disp. 31. sect. 6. n. 36.* ubi docet ab acolyto non incurri irregularitatem, quando crimen est occultum, nisi quando est publicum. Quod videtur (inquit) etiam procedere de rebaptizante ex vi textus. Cum autem (addit) cōmunis sentētia, a qua discedere nollē, sit rebaptizantem incurrere irregularitatem, etiam per crimen occultum, fortassis consuetudo sic legem declaravit.

2069 Dubium est 4. an fiat irregularis qui ex ignorantia rebaptizat, non cōditionaliter; sed absoluté? Respondeo cum *Suario citato* negativé, quando ignorantia facti nō est culpabilis mortaliter, etiam si sit culpabilis venialiter; affirmativé, si sit mortaliter culpabilis. Ignorātia juris Ecclesiastici minimé excusat: secus verò ignorantia invincibilis juris divini. Addo cum eodem citato, evadere irregularitatem 1. illum qui baptizandum sub conditione, absolutè baptizat. 2. illū qui rebaptizat per metum, si careat intentione

Ignorantia in rebaptizante.

faci-

faciendi Sacramentum.

Quid si quis temere, & absque ulla præmissa diligentia rebaptizat, adhibet tamen conditionē, *Si non est baptizatus*? Fieri irregularem tenent *Sayrus lib 7. cap. 8. n. 23. Sotus in 4. dist. 3. q. un. a 9.* & alij. Quia juxta *Pium V. in cathe.* conditio illa apposita habetur pro non adjecta. Negandum tamen est cum *Avila 7. p. disp. 7. dub. 3. Suar. disp. 31. sect. 6. dub. 5. & disp. Hurt. disp. 2. diff. 1.* Patet, quia cum ex vi illius conditionis appositæ suspendatur actus, fit ut illa exterior ablutio rebaptizatio non sit, & consequenter non detur irregularitas pœna illius.

Conditionalis rebaptizatio.

Dubium est 5. an fiat irregularis quicunque ministrans presbytero solemniter rebaptizanti? Benè respondet *Suar. affirmativè disp 31. sec. 6.* addit tamen pro incurrenda irregularitate non sufficere iterari baptismum quoad ritus accidentales: sed esse necessarium ut iteretur quoad aliquid substantiale.

Quod attinet ad posteriorem quæstionis partem de rebaptizato, conveniunt citati authores, eum qui culpabiliter permisit se rebaptizari, manere simpliciter & absolutè irregularem, ita ut impediatur non solum a susceptione ordinū, sed etiam a susceptorum usu. Si autem ignorantes sive in infantia, sive in adulta ætate rebaptizetur, adhuc irregularem fieri, placuit *S. Antonino 3. p. tit. 14 c. 13. §. 12. Maiolo lib. 3 de irreg c. 14. Sylvestro v. baptismus 5. q. 2. Paludano*, & alijs. Quia hæc irregularitas non in pœnam delicti, sed rebaptizationis detestationem imponitur.

Rebaptizati irregularitas.

Negandum tamen est cum *Valent tom. 4. d. 7. q. 19 p. 3. §. 5 Navarro c. 27. n. 246. Sayro lib. 7. thes. cap. 8 n. 8. Layman lib. 2. sum. tr. 5. p. 5. c. 2. n. 3. & Suar. de censur. d. 31. sec. 6.* ad finem. Sumitur manifestè ex *c. placuit. & cap. qui apud 1. q. 4.* quia ex nullo jure constat apertè esse impositam hujusmodi irregularitatem ob defectum alicujus significationis. Addit *Suar. cit.* resolutionem procedere, etiā si postea ille rebaptizatus sciat, & ratum habeat. Sicut si quis casu, & omninò sine culpa occideret hominem, non fieret irregularis, etiam si postea viso effectu gauderet.

Observandum est 1. cum *Suar. cit. ibid.* eum qui rebaptizatur per vim & metum manere irregularem, si habuit intentionem rebaptizationis: secus, si ea caruit. Observandum 2. eandē irregularitatem incurrere qui liberè & absque necessitate urgente baptismum ab hæreticis taliter declaratis suscipit. Habetur ex cap. *Afros. 98. dist.* Observandum 3. eos qui differunt baptismum quandiu morbo laborant, & periculum mortis non adest, fieri irregulares partialiter; scilicet in presbyteros ordinari non debere ob defectum fidei probatæ. Sumitur ex *c. unico 57. dist.*

Rogabis 1 an pro iteratione alterius Sacramenti non iterabilis, qualis confirmatio & ordo incurratur irregularitas? Affirmant *Navarrus cap. 27. n. 247. Viral d. de irreg. 44. Graffis lib. 4. c. 27. n. 15 Maiol. lib. 3. c. 15. & Philiar. lib. 4. c 14.* Probant, quia in *cap. dictum, de consecr. dist. 5.* eodem modo iteratio confirmationis prohibetur atque iteratio baptismi; ergo utraque eadem pœna afficitur.

Iteratio confirmationis & ordinis ad irregularitatem.

Negandum tamen est cum *Soto dist. 7. q. unica art. 5. Covart. Clem furiosus 1 p. n. 8. Valent. tom. 4. disp. 7. q. 19 p. 3. §. 5. Suar. de Sacram. disp. 38. sec. 1. & 2. Fillius tr. 19. c. 7. q. 1 & Bonac. de irreg. disp. 7. q. 3 n. 7.* Probatur, quia irregularitas non incurritur nisi exprimatur: & in citato cap. solum exprimitur cadens supra iterationem baptismi, & nō confirmationis.

2070 Rogabis 2. quisnam possit dispensare in irregularitate rebaptizationis? Benè respondet *Palaus de cens. disp 6 pun. 16. n. 14. ex Sayro lib 7. thes. cap. 8. Avila 7. p. disp 7. & Bonacina de irreg. d. 7. q. 3. p 3. n. 9.* jure communi spectatato, solum Pontificem dispensare posse: at si proveniat ex occulto delicto, posse Episcopum virtute *Trident. sess. 24 c. 6.* de reform. Censebitur autem delictum occultum, quoties publicè ignoretur rebaptizationem fieri.

Dispensatio in irregularitate rebaptizationis.

QUÆSTIO III.

Qualiter irregularitas contrahatur ex illicita ordinum susceptione & administratione?

Cum sit manifestum irregularitate puniri tā susceptionem, quàm administrationem ordinum illicitam, ut in priori parte irregularitatē ex illicita susceptione exponamus, notandum est tribus modis posse evenire illicitam illam susceptionem. 1. si quis extra casus a jure permissos post matrimonium contractum ordines sacros suscipiat: & tunc juxta omnes Doctores cōtrahit irregularitatem, quæ habetur in Extrav. *Antiquæ concertationis, de voto.*

Ordinum illicita susceptio ad irregularitatem.

Secundo, si quis recipiat sacrum ordinem nō præcedente receptione confirmationis. Tunc enim ob violatum præceptum Tridentini sess. 23. c 4. *de reform.* contrahitur irregularitas, juxta *Maiolum lib. 4. de irreg. c. 12. n. 9.* At nullam incurri irregularitatem, rectiùs docent *Sayrus lib. 7 c. 9. n. 42. Suar. in 3. p. tom. 3. disp. 38. sec. 1. & Bonacina de irregul disp. 7. q. 3. pun 4. n. 8.* quia nullibi repetitur expressa. Addunt ibidem *Sayrus & Suar.* susceptionem illam non esse lethaliter illicitam.

Confirmatio prævia ad ordines.

Tertiò, si quis ordinem furtivè suscipiat. Tūc enim contrahitur irregularitas ex *Cap. 1. de eo qui ordinem furtivè suscepit.* Cum verò sex modis evenire possit furtiva susceptio 1. si quis ordinem absque titulo suscipiat 2. si absque litteris dimissorijs. 3. si non servatis interstitijs 4. si per saltū 5. si absque legitima ætate. 6. si absque Episcopi approbatione, v. g. quando non vocatus se ingerit alijs ordinandis, vel occupat alienum locum usurpato nomine personę examinatæ & approbatæ: rectè docent *Suar. disp. 42 sec. 3. n. 5. Ægid. Bellam. disp. 18. dub. 5. n. 43. & Bonac. cit. d. 7 q. 3. p. 4. n 6.* furtivam ordinationem solum propriè evenire sexto illo modo, saltem ut inducat irregularitatē quoad superiores ordines suscipiendos. Quia aliæ furtivæ susceptiones potiùs inducunt suspensionem, quam irregularitatem.

Ordinum furtiva susceptio ad irregularitatem.

Rogabis, quisnam possit in hujusmodi irregularitatibus dispensare? Respondeo 1. cum *Palao de cens. d. 6 pun. 17. n. 4.* si loquamur de irregularitate contracta ab eo qui post matrimonium indebitè ordinatus est, solum Pontificem dispensare posse, nisi aut delictum sit occultum, aut postmodū emiserit professionem in religione approbata. Ita *Extrav. Antiquæ.*

Respondeo 2. si loquamur de irregularitate, quam induxit furtiva ordinis susceptio, posse dispensare Episcopum, nisi sub excommunicatione ipso facto incurrenda interdictum sit, ut ferè semper interdicitur ab omnibus Episcopis, habetur ex *c. 1. de eo qui ordines furtivè.* Hoc enim casu dispensatio reservatur Summo Pontifici, nisi reus fuerit ingressus religionem, ibique aliquandiu vixerit laudabiliter. Potest item Episcopus si casus occultus fuerit, juxta *Trident. sess. 24. c. 6. de reform.*

2071 Quod attinet ad posteriorem partem de illicita administratione: cū hæc haberi soleat, vel per usurpationem ordinis non habiti, vel per illicitum usum ordinis jam habiti, utramque difficultatem expediemus, breviter apposita, seu in compendium redacta doctrina *Suarij disp. 42. sec. 4.* Circa usurpationem, regula generalis est irregularitatem incurrere aliquem usurpando ordinem, idest ministrando in ordine quem non habet. Sic ex *c. 1. ac 2. de clerico non ordin. minist.* Hæc incurri potest tum a clerico, tum a laico: a clerico, quidem si ministret in superiori ordine, quem non habet: ita enim manebit irregularis, ut ad illum perpetuó promoveri non possit.

Irregularitas ex illicita administratione ordinis.

Quoad ordines veré susceptos, manet suspensus a postremo, seu præcipuo ex illis, donec intra biennium vel triennium arbitrio Episcopi dispensetur. Quidquid aliqui probabiliter extendant hanc suspensionem ad omnes ordines susceptos. Diaconus ministrans in subdiaconatu, quem prætermisit (& sic de similibus) manet irregularis tum ad suscipiendum prætermissum ordinem, tum ad ascendendum ad superiores: & perpetuó impeditus ab executione Diaconatus Ita n. 5.

Clericus ministrans illicitè.

Simplex Sacerdos (addit n. 7.) ministrans in Episcopali ordine, v.g. confirmando, ordinando manet irregularis, ne in Episcopum consecrari possit: a sacerdotio autem manet suspensus per biennium, vel triennium arbitrio Episcopi: non ita ab inferioribus ordinibus. Quanvis Diaconus (adjungit n. 8.) usurpet ministerium Episcopi nō Sacerdotis, & subdiaconus Sacerdotis, non diaconi, uterque manet irregularis ad quemcūque ordinem suscipiendum. Episcopus consecratus per saltum prætermisso diaconatu, vel inferiori alio ordine, si conferat ordinem, quem non habet, manet irregularis, præsertim in opinione cōmuni asserente talem ordinationem esse nullam: si conferat ordinem quem habet, manet etiam irregularis, quia ministrans suspensus.

Usurpatio ordinis.

Episcopus male ordinans.

Quid de laicis usurpantibus ministeria clericorum? Respondet *Suar. citatus n. 10.* laicū usurpantem quodcunque ministerium sacrorum ordinum, ita manere irregularem, ut nullum, vel minimum ordinem recipere possit. Nam in cap. 1. citato absolutè dicitur: *Non ordinetur.* Ad hanc irregularitatem (addit n. 11.) duo concurrere debent, alterum carere ordine, & alterum ministrare in tali ordine.

Laicus usurpans ministerium ordinum.

Circa primum (addit num. 11.) si ordo nec externùs sit receptus, ignorantia ab irregularitate non excusat: si externùs sit receptus, sed cum defectu substantiali, potest ignorantia excusare. Si ordo (ait num. 12.) validè sit receptus, & aliquid accidentale præter missum, hoc cautè supplendum est, ita ut sub mortali teneatur quis ante supplementum, in tali ordine non ministrare: si tamen ministret, irregularis non fiet. Quid si ordinatio substantialiter dividatur, ut si in sacerdotio recipiat quis potestatem consecrandi, & non absolvendi? Respondet num. 13. fieri irregularem si absolvat, non verò si in Missa consecret.

2072 Movet insuper hoc dubium, rogans propter quod ministerium ordinis incurratur hæc irregularitas? Optimé respondet 1. nullū ministerium quod per laicos exerceri potest, sufficere ad hanc contrahendam irregularitatē. Unde laicus baptizans sine solemnitate nunquam fit irregularis. Respondet 2. clericum exercentem actum ordinis, quem habet, non incurrere hanc irregularitatem, ex usurpata jurisdictione, v.g. si absolvat non subditum num. 14.

Ministeria ordinis qua afferunt irregularitatem.

Respondet 3. circa actus minorum ordinum: quoties (inquit num. 15.) quis exercet ordinem quemcunque tanquam ordinatus in eo, cum non sit, irregularitatem contrahit: secus quando exercet ministerium eo modo quo per laicos solet exerceri. Debet tamen grave peccatum intervenire, & requiritur quod actio illa serió, & non joco fiat. num. 16. Per assistentiam matrimonij non incurrit irregularitatem laicus, si v. g. se fingeret parochum: incurret tamen si sponsos solemniter benedicat. num. 19. Hęc irregularitas (inquit n. 19. & 20.) incurretur, etiam si quis non habeat intētionem ministerium illud exercendi tanquam ordinatus: dummodó irregularitatis capax sit, & id munus non exerceat ex dispensatione Pontificis.

Circa illicitum usum ordinis jam habiti, seu indignam ordinis veré suscepti administrationē, an & qualiter contrahatur irregularitas, *Suarius cit. sect. 5.* duplici regula id definit. Sit prior regula: Ille clericus fit irregularis qui exercendo ordinem quà talem, violat censuram, sive hæc sit excommunicatio maior, sive suspensio, sive interdictum personale: imo celebrans in loco interdicto aliter quàm illi concessum est, irregularis fit. Dixi (ordinem quà talem) quia non fiet irregularis, si exerceat ordinis actum alio modo, quo fieri potest. Item non fiet irregularis, si sacerdos ligatus excōmunicatione minori celebret: quia tunc solum violat censuram recipiendo Sacramentum, & non exer-

Ordinis illicita administratio ad irregularitatem.

exercendo ordinem formaliter. Ità n. r.

Posterior regula: per administrationem ordinis, quantumvis illicitam, quæ contra censuras non fit, nunquam incurritur irregularitas. Ratio est; quia nulla talis irregularitas reperitur expressa in jure. Excipiuntur a *Maiolo lib.* 3. *a cap.* 18. octo fere casus: sed omnes benè rejicit *Suar. sect.* 5. *a n* 2. *usque ad* 10.

Rogabis, quisnam possit dispensare in duplici irregularitate, quam hactenus exposui? Respondeo cum *Sayro lib* 7. *c.* 10. *n.* 11. *Suario de censf. disp.* 42. *sec.* 4. *n.* 3. *Avila* 7 *p disp* 9. *dub.* 15. & *Bonacina de irreg. d.* 7. *q.* 3. *p.* 6. *n.* 10. si loquamur de irregularitate proveniente ex illicita administratione ordinis non habiti, sed usurpati, solum Pontificem posse dispensare, ut talis ad superiores ordines ascendat, ex *c. dilectus, de tēporibus ordinat.*, ut veró possit in susceptis ordinibus ministrare, docent citati ex eodem textu posse Episcopum dispensare. Quia ibi remittitur arbitrio Episcopi hæc suspensio. His tamen non acquiescit *Palaus de cens. d.* 6 *p.* 18. *n.* 12. Quia si recté (inquit) advertatur, in eo textu solum cōmittitur Episcopo, ut talis sit biennio, vel triennio suspendendus: & hoc non est illi committere potestatem absoluté dispensandi.

QUÆSTIO IV.

Qualiter contrahatur irregularitas ex homicidio, vel mutilatione injusta, voluntaria?

2073 Bipartita hæc quæstio de homicidio & mutilatione voluntarijs, satis decidetur, si exposuerimus sufficienter quid sit homicidium, & mutilatio: & qualiter voluntarij denominatio cadat in utrunque. Quod attinet ad homicidium, constat ex varijs capitibus juris dist. 50. ex homicidio voluntario cōtrahi irregularitatem.

Homicidium voluntariū ad irregularitatem.

Difficultas est exponere quæ voluntas, seu intentio requiratur, ut homicidium appelletur voluntarium, prout contra ponitur casuali? *Suarius disp.* 44 *sect.* 1. distinguit triplicem voluntatem: prima est expressa occidendi; secūda definita non occidendi; sed directa vulnerandi; tertia indefinita percutiendi, vulnerandi, aut me vindicandi. Duplici igitur resolutione difficultatem optimé decidit. 1. resol. Absoluté illud solum dicitur in præsenti materia homicidium voluntarium, quod ex proposito occidendi fit. Constat ex *Trident sess.* 14. *c.* 7. & recté explicat *Palaus d.* 6. *pun* 15. §. 1. *n.* 1. nam illud censetur homicidium factum ex proposito, ut dicatur voluntarium, quod procedit ex intentione expressa occidendi, seu apponendi causam de se illativam mortis, & ut talem cognitam: v. g. si præberet alicui mortiferum venenū, aut detineret ut necaretur ab alio.

Voluntarium homicidiū quod.

Unde (addit Suar. n. 3.) in rixa casu oborta potest quis committere homicidium voluntarium, si injusté libera & directa voluntate alium occidat. Si enim directé intendat vulnerare, & non occidere, quamvis mors sequatur, homicidium voluntarium non est. In dubio voluntatis, stādum erit præsumptione fori externi, attentis conjecturis & circunstantijs.

2 Resol. Ad hanc irregularitatem ex homicidio voluntario contrahendam postulatur expressa, directa, & spontanea voluntas occidēdi in actu signato, vel exercito. Unde requiritur quod vel mors ipsa sic intendatur, vel saltem actio quæ sit causa proxima, per se, & inevitabilis mortis. *Suario* assentiuntur *Didacus Perez lib.* 8. *ordin. tit.* 13. *n.* 256. *in Rub. col.* 4. *Salzedo pract. crim. c.* 94. & *Avila* 7. *p. disp.* 6 *sec.* 2. *dub.* 1. Addit Doctor eximius *sect.* 2. *n.* 2. ut incurratur irregularitas sive ex homicidio, de quo hactenùs egimus, sive ex mutilatione, de qua statim agemus, necessariū esse effectū mortis vel mutilationis: & hoc procedere quocunque modo impediatur etiam miraculosè homicidium, præterquam in casibus a jure expressis. Ratio est, quia pœna ipso facto imposita non incurritur, nisi per delictum consūmatum.

Effectus homicidij ad irregularitatem.

2074 Quod attinet ad mutilationem ex qua nascitur irregularitas juxta *cap. in Archiepiscop. de raptor. Clem. un. de homic.* illa sicut homicidium aut voluntaria, aut casualis esse potest. Voluntaria datur, cum quis expressam voluntatem habet mutilandi, seu apponēdi causam, ex qua prævidet eventuram mutilationem: casualis datur, cū quis solum intendit vulnerare, & casu mutilat. Cum nobis in præsenti sola quæstio sit de irregularitate quæ provenit ex mutilatione voluntaria, decidetur explicato dubio multiplici.

Mutilatio voluntaria & casualis.

1 Dubium est, an hujusmodi irregularitas contrahatur per quamcunque mutilationē, qua corpus humanum reddatur imperfectum, seu non integrum? Affirmant *Sotus lib.* 5. *de just. q.* 2. *a* 1. *Caiet.* 2. 2. *q.* 65. *a* 1 *Suar. d.* 44 *sect.* 2. *n.* 7. & *Layman lib.* 3 *sum. sect.* 5. *tr.* 3. *par.* 3. *c.* 11. *n.* 2. & juxtà suam affirmationem dicunt insurgere irregularitatem ex abscissione digitorū, cartilaginis auris, nasi, & testiculorū. Quia ex illa corpus manet imperfectum.

Hæc opinio satis tuta & probabilis est: sed probabiliorem judico, quam defendunt *Navarr. c.* 27. *n.* 206. *Covarr. Clem. furiosus* §. 3. *n.* 8. *Valent. to.* 4. *d.* 7. *q.* 19. *pun.* 3. §. 4. *Sayrus lib.* 6. *thes. c.* 16. *n* 13. *Molina tr.* 3. *de just. d.* 69. *n.* 2. & *Bonacina disp.* 7. *q.* 4. *p.* 8. *n.* 3. asserentes eam postulari mutilationem ex qua aliquod membrum corporis abscindatur, seu omninò amputetur. Quia dū membrum aliquod amputatum non est, corpus humanum simpliciter manet integrum, proindeque truncatum & mutilatum dici nequit.

Mutilatio sufficiens ad irregularitatem.

Quare irregularitatem ponit ea solum mutilatio cujuslibet partis corporis, quæ est verum membrum, sumpto membro pro ea parte corporis, quę actionem aliquam habet ab alia distinctam: sicut est auris, nasus, pes, oculus, manus & similia, prout desumitur ex *cap.* 1. *de cleric. ægrot.* ubi clericus carens duobus digitis cum mediețate palmæ non dicitur mutilatus, sed deformatus.

Membrū corporis.

matus. Itē ex *l. Idem offilius ff. de ædilit. edicto* ubi ex defectu unius digiti nō dicitur membrū deficere.

Infertur non incurri irregularitatem ex mutilatione, seu abscissione unguium, capillorū, imò digitorum. Quia non habent distinctam aliquam actionem a membris quibus cohærent. Huic illationi repugnat *Suar. disp.* 44. *sect.* 2. *n.* 8. quoad digitos absolutè prolatæ: dicit enim inducere irregularitatem abscissionem alicujus digiti, qui non sit aliquis ex duobus minimis: nam alter ex his (inquit) videtur non sufficere. Hoc admittó, præcipué de pollice, & alijs immediaté capientibus hostiam sacram.

Digitorū abscissio ad irregularitatem.

2 Dubium est, an incurratur irregularitas per abscissionem aurium, testiculorū, & mamillarum? *Suar. cit. n.* 8. rectè affirmat de abscissione unius auriculæ: Quia est mutilatio cum deformitate: auris enim multum confert ad organum auditus. De abscissione testiculorum negant *Bonacina d. 7. q. 4. p. 8. n. 3. & Gaspar Hurt. diff 5. n. 19.* Rectiùs *Palaus cit. n. 4.* distinguit judicans sufficere ad irregularitatem abscissio utriusque testiculi, non verò alterius tantum: quia non per hanc, sed per illam impeditur generatio. De abscissione mamillarum in fœmina negant subdubitando *Covarr. in Clem. si furiosus 3. par. n. 8. & Henriq. lib. 14 c. 8. n. 3.* rectiùs affirmant *Suar. citatus sec. 2. n. 8. & Palaus citatus n. 4.*

Aurium testiculorum & mamillarum abscissio.

2075 Dubium est, an quis fiat irregularis mutilans se ipsum? Respondeo affirmativè cum *Suario citato n. 9.* Nam quæ mutilatio sufficit respectu alterius, etiam sufficiet respectu sui ipsius, & interdum minor.

4 Dubium est, an sufficiat ad irregularitatē sola debilitatio membri, per quam reddatur omninò inutile ad actiones humanas, etiam si nulla detur abscissio? *Suar. d. 44. sect. 2. & Ægid. Bellan. disp 18. dub. 8. concl. 2.* affirmant contrahi irregularitatem, si membrum ita debilitetur, ut omninó arescat. Nam hujusmodi debilitatio æquipollet abscissioni, seu mutilationi: cum per illam membrū desinat anima rationali informari. Hæc opinio satis probabilis est: sed probabilitate non caret opposita negativa, quam defendunt *Navarr. cap. 27. n. 217. Molina tr. 3. disp. 8. Bonacina disp. 7. de irreg. q. 4. p. 8. n. 11. Gasp. Hurtado diff. 5. n. 18. & Palaus disp. 6 p. 15. §. 2 n 5.* Sumitur ex *c. sicut* urgeri 1. q. q. 1. ibi: *Si cujus hominis manus esset arida vel non quidem esset membrum illius, quanvis sine sanguine inefficax & mortuum.*

Membri debilitatio ad irregularitatem.

5 Dubium est, an maneat irregularis qui membrum aridum, vel omninò impeditum alteri abscindit? Respondet affirmativè *Palaus citatus* cum *Molina, Bonacina & Hurtado* proximé citatis. Quia talis in rigore est hominis mutilator ac deformator. Hoc probabile est, sed non minùs probabiliter loquitur *Suar. citatus n. 10.* respōdens cum distinctione, negativé, si membrum sit ita aridum, ut non informetur anima rationali: tunc enim perinde se habet mutilans ac si truncaret cadaver: affirmativè, si non sit omninó aridum, sed tantum debilitatum. Qui aliquod membrum (addit) v. g. oculum ita lædit, ut ex vi læsionis omninó arescat, quanvis non abscindat, irregularis manet.

Mutilatio membri aridi.

6 Dubium est, an injusté deformans quin mutilet, irregularis fiat? Rectè negat *Suar. cit. d. 44. sect. 2. n. 11.* addens, etiam si deformatus maneret irregularis. Quia illa irregularitas nullo jure exprimitur.

Deformas an fiat irregularis.

QUÆSTIO V.

Quales personæ utranque proximè explicatam irregularitatem incurrant: & qualiter dispensatione tollantur?

2076 DUplex causa efficiens, altera homicidij vel mutilationis, altera dispensationis in utraque irregularitate quæstionem integrat ex duplici parte. Quoad priorem, consentiunt authores citandi ex *c. si quis viduam 50. dist. & cap. si quis post baptismum 51. dist.* irregularitatem a nobis explicatam contrahere omnem illum qui per se occidit, vel mutilat, aut causam ex se efficacem apponit, si inde sequatur occisio vel mutilatio, dummodó talis occisor, vel mutilator baptizatus sit. Quia ex occisione, vel mutilatione facta ante baptismum, nulla contrahitur irregularitas suscepto baptismo. Nam per baptismum omne delictum & indecentia exdelicto nata purgatur. Nota non requiri conditionem baptismi ex parte occisi: quia non baptizatū baptizatus occidens vel mutilans irregularis fit. *cap. clericus 50. dist.*

Irregularitatem qui incurrant ex occisione & mutilatione.

Difficultas est de cooperantibus ad homicidium vel mutilationem, quales sunt mandans, consulens, consentiens, ratum habens. Singulos exponamus: quod attinet ad mandantem, ex *cap. si quis viduam 50. dist. & cap. ult. de homic. in 6.* conveniunt *Suar. disp. 44. sect 3. n. 7. Azor 3. p. lib. 2. cap. 8. Avila de irreg. p. 7. d. 6. sect. 2 dub. 4. concl. 1. & Bonac. disp. 7. q. 4. p. 8 n 13.* mandantem homicidium vel mutilationem fieri irregularem, si mandatū executioni mandetur. Vitabit autem irregularitatem, si ante executionem mandatum serió revocavit, & revocationem mandatario intimavit. Addunt *Suar. Avila, & Bonac.* citati sufficere revocationem tacitam, qualis eveniet per veré reparatam amicitiam, vel contractam affinitatem inter mandantem & adversarium, dummodò id innotescat mandatario.

Mandans homicidium.

Quod attinet ad consulentem, bené docent citati fieri irregularem, dummodo consilium in effectum homicidij, vel mutilationis influat, sive ut absoluté fiant, sive ut faciliùs, citiùs, aut crudeliùs fiant. Quid in dubio an consilium influxerit? Rectè *Sanch. lib. 1 dec. c. 10. n. 44. & de matr. lib. 2. d. 41. n. 17.* statuit id esse colligendum ab ipsomet consulto, & ex alijs conjecturis. Nam si cōsultus serió affirmet se tali consilio nō fuisse motum ad nocendum, liber manebit consulens ab irregularitate: secus si testetur oppositum. Erit etiam sufficiens conjectura ad liberandum, si homicida ante consiliū erat capitalis hostis occisi, & parata habebat omnia ad occisionem.

Consules homicidium.

Quid

Quid si adhuc factis & pensatis his omnibus dubitetur an consilium influxerit. Tenetur consulens se gerere pro irregulari. Quia consilium de se causa efficax præsumitur operari, dum non probatur oppositum. Ita *Sanch par. cit. contra Henriq lib. 14. c. 14. n. 3.*

Irregularitas mandantem homicidiũ. Observa 1. cum *Suar d. 44. sect. 3. n. 12. & Bonacina d. 7. de irreg. q. 4. p. 8. n. 20.* ut consulens irregularitatem vitet, teneri revocare consilium facta persuatione apposita. Quod si nequeat dimovere a malo voluntatem consulti, tenebitur monere innocentem de damno sibi parato: secus si consultus dicat se non illius consilio, sed ob alias causas moveri ad occidendum. Observa 2. nõ incurrere irregularitatem homicidij voluntarij mandantem vel consulentem Francisco ut occideret Petrum, quando ex dato consilio evenit, ut Franciscus occideretur.

Difficultas est an talis mandans vel consulens incurrat irregularitatem homicidij casualis, si fuit suspicatus Franciscum esse occidendum? Negant *Henriq. lib. 14. cap. 16. Vasq. 1. 2. disp 100. num. 45. & Gaspar Hurt. disp. 2. diff. 6. num. 27.* Probant, quia tale mandatum, vel consilium nõ cadit in occisionẽ Francisci, sed in occisionem Petri, qui de facto illam evasit.

Affirmandum tamen est cum *Navarro c. p. 27 num. 233. Suario disp. 44. sect 3 num. 18. Avila 7. p. disp. 6. sect. 2. dub 5. concl. 4. & Ægid. Bellan. disp. 18. dub. 8, num. 47.* Ratio est, quia talis mandans vel consulens suo mandato vel consilio fuit causa volũtaria ut Franciscus poneretur in periculo necis, qua occisus fuit.

Consentiens in homicidiũ. 2077 Quod attinet ad consentientem, sumitur ex *cap. sicut dignum §. illi de homicidio*, manere irregularem illum qui suo consensu cooperatur homicidio sive occisum percutiat, sive impediat ne se defendat: item si defendat occisorem, illique sua præsentia animos addat. Ita *Suar. d. 44. sect. 3. num. 31. & d. 45. sect. 3. num. 1.* qui docet ut talis consentiens incurrat irregularitatem homicidij voluntarij, debere expressé intendere mortem occisi, vel præstare talem actionem ex qua directé mors sequatur: aliàs dabitur irregularitas homicidij casualis: & hoc a fortiori, si detur suspicio homicidium evenisse potiùs ex intentione adulterandi, vel furandi, quàm occidendi.

Addunt *Henriq. cap. 16. & Avila 7. p. disp. 6. sect. 3. dub 3.* nullam contrahi irregularitatem, si dictus consentiens sua præsentia nullum animum præbuit occisori, eo quod hic longè erat occiso superior armis & viribus. Idẽ affirmant, si quis associavit patrem, filium, consanguineum, vel amicissimum ea solum intentione, ne periclitetur. Quia talis associatio non videtur illicita ob talem finem.

Ratihabitio ad irregularitatem. Quod attinet ad ratum habentem, difficultas est, an contrahat irregularitatem qui ratum habuit homicidium factum in sui gratiam? Affirmant *Navarr. c. p. 27. num. 233. & Molina tr. 3. disp. 3. num. 3.* Probant ex communi effato asserente ratihabitionem mandato æquivalere: at mãdans homicidium, ut diximus, irregularitatem contrahit.

Negandum tamen est cum *Suario disp. 44. sect. 1. num. 24. Sayro lib. 7. cap. 4. num. 17. Ægid. Bellan. disp. 18 dub. 8. Avila 7. p. disp 6. sect. 2. dub. 6. & Bonacina disp. 7. q. 4. p. 8. num. 42.* Probatur, quia hujusmodi irregularitas in nullo jure expressa reperitur. Illud quod affertur ratihabitionẽ æquivalere mãdato intelligitur quoad culpam, & non quoad pœnas.

Quoad posteriorem quæstionis partem de dispensatione, certum est 1. Summum Pontificem posse dispensare in irregularitate, sive proveniat ex homicidio, sive ex mutilatione voluntarijs. Est enim utraque juris Ecclesiastici, cujus ille dominus est. Certum est 2. Episcopum non posse dispensare in irregularitate homicidij voluntarij, etiam occulti. Habetur ex *Trident. sess. 24. c. 6. de reform.* *Dispẽsatio irregularitatis ex homicidio voluntario.*

Dubium est, an Episcopus per potestatem sibi factam a Tridentino citato valeat dispensare in irregularitate mutilationis voluntariæ occultæ? Negant *Henriq. lib. 14 cap. 9. num. 3. Medina in sum. lib. 1. cap. 11. §. 12. & Sanch. lib. 1. decal. cap. 10. num. 49.* Probant, quia talis irregularitas non est ex solo delicto, sed etiam ex significatione: & Tridentinum concedit Episcopo eos tantum irregularitates quæ ex delicto occulto proveniunt. *Mutilatio occulta ad dispensationem.*

Affirmandum tamen est cum sententia cõmuniori, quam tenent *Suar. d. 44. sect. 4. num. 36. & sect. 2. num. 4. Molina tract. 3. d. 70. num. 19. Tolet. lib. 1. cap. 48. num. 6. Layman lib. 3. sum. sect. 5. tr. 3. p. 3. cap. 12. num. 2. Avila p. 7. d. 6. sect. 5. dub. 4. & Bonacina disp. 7. q. 4. pun. ult. ad finem.* & refertur hoc decisum a S. Cõgregatione. Probatur; quia *Trident.* a concessione facta Episcopis solum excipit irregularitatem homicidij voluntarij, mutilatio autem in rigore homicidium non est.

Quid de prælatis ordinum Mendicantiũ respectu suorum subditorum? *Palaus disp. 6. de irreg. pun. 15. §. 3. num. 4.* rectè asserit posse dispensare in foro cõscientiæ cum suis subditis in omnibus irregularitatibus, modò procedant ex delicto non notorio. Habetur ex compendio privil. Societ. Iesv, v. dispensatio §. 5. & 6; Hæc facultas in Societate reservatur Præposito Generali, & quibus ipse potestatem fecerit. *Mendicãtes prælati ad dispẽsandũ.*

QUÆSTIO VI.

Qualiter contrahatur irregularitas ex homicidio & mutilatione casuali?

2078 Homicidium casuale (ut in nostro *Elucidario num. 1897.* tradidimus ex *Azorio tom. 3. lib. 2. cap. 14.*) dicitur quod contingit præter intentionem agentis, aut omittentis opus aliquod, unde mors alterius consequitur, acproinde non est intentum in se, aut in aliqua causa, ex qua solitum est, accidere homicidium semper, aut fre- *Homicidium casuale.*

frequenter: quanvis ex ea rarò, & in paucioribus eveniat. Ex quo patet quid sit mutilatio casualis.

Ut exponamus irregularitatem quæ jure canonico hujusmodi homicidio & mutilationi infligitur; cum in pœnam delicti commissi infligatur, certum est prærequiri culpam aliquam, ex qua homicidium, vel mutilatio causetur. Tota igitur vis quæstionis & difficultatis erit in exponenda qualitate vel quantitate culpæ prærequisitæ: & hæc patebit ex decisione sequentium dubiorum.

Irregularitas ex homicidio casuali. Dubium est 1. an pro incurrenda hujusmodi irregularitate sufficiat culpa levis, seu venialis, an postuletur culpa gravis seu lethalis? Sufficere culpam venialem tradunt *Covarr. Clem. si furiosus 2. d. §. 4. n. 9. Glossa cap. significasti el. 1. de homic. Caietanus & Armilla v. Irregularitas n. 14.* Probant, quia hæc irregularitas non transfertur in pœnam criminis, sed etiam ob defectum significationis.

Affirmandum tamen est cum *Valent. tom. 4. disp. 7. q. 19. p. 3. §. 5. Sayro lib. 7. c. 5. n. 5. Suar. d. 45. sec. 5. n. 8. & Bonacina d. 7. q. 4. pun. 7.* postulari culpam gravem. Sumitur ex *cap. quæsitum de pan. & remis.* & ex *cap. lator, de homic.* Ratio patet, quia cum pœna nequeat excedere culpam, & irregularitas pœna gravissima sit, utpote privans bonis maximis, necessariò prærequirit culpam gravem.

Casuale homicidium & mutilatio ad irregularitatem. Dubium est 2. an homicidium vel mutilatio proveniens ex opere licito inducat irregularitatem? Bene resolvunt authores proximè citati irregularitatem vitare qui in præcavendo homicidio vel mutilatione culpam latam non commisit: secus si graviter negligens fuit in illis præcavendis. Sumitur ex *C. Ioannes, & cap. ult. de homic.* ubi censentur irregulares qui graviter excesserũt modum puniendo, ex quo mors secuta fuit. Lex enim respicit opus in quo videns excessum gravem, præsumit gravem culpam.

Dubium est 3. an homicidium vel mutilatio ex opere illicito proveniens inducat irregularitatem, quanvis in eis præcavendis sola levis culpa commissa fuerit? Canonistę communiter defendunt partem affirmativam, quibus cum *S. Thoma 2. 2. q. 64. a. 8.* assentiuntur *Vivaldus tr. de irreg. n. 48. & Layman lib. 3. sum. sect. 5. tr. 3. par. 3. c. 10. n. 4.* Probant, quia in *cap. clerico jaciente, & Cap. eos verò cum aliis dist. 50.* expressum est irregularitatem contrahi propter homicidium & mutilationem casualem: deinde in *Cap. Ioannes, & cap. ult. de homic.* solum excipiuntur dantes operam rei licitæ & adhibentes omnem diligentiam, ut vitetur homicidium.

Hæc opinio (ut benè notat *Palaus d. 6. p. 15. §. 4. n. 5.*) vera est, si juxta Suar. d. 45. sect. 6. n. 9. rectè explicetur: si enim actiones sint inductivæ mortis, idque prævideat eas exercens procul dubio irregularis fiet effectu sequuto: quia tunc homicidium fuit illi voluntarium saltem in causa. At si actiones mortis inductivæ ex se non sint, & fuit adhibita diligentia ad tollendũ periculum, irregularitas homicidii non contrahitur.

Clericus chirurgus ad irregularitatem. Ex quibus rectè infertur cum *Sayro lib. 7. cap. 5. n. 13. & Suar. disp. 45. sect. 6. n. 14.* clericum vacantem apro tum venationi, aut torneamentis, ex quibus homicidium ortum fuit, non fieri irregularem, si debitam adhibuit curam, ut præcaveretur homicidium. Secus de clerico in sacris constituto, quo exercente officium chirurgiæ, seu medicinæ evenit homicidium, vel mutilatio. Hic enim juxta *cap. sententiam, ne clerici vel monachi & cap. tua nos, de homicidio* fit irregularis, quanvis omnem diligentiam adhibuerit pro vitãda morte aut mutilatione. Quia ob periculum & indecentiam prohibetur a tali officio exercendo. Vitabit tamen irregularitatem, si aderat urgens necessitas infirmi, & deerat alius qui curaret: item si erat clericus in solis minoribus constitutus.

Ægroti mors accelerata ad irregularitatem. 2079 Super est pro maiori prædictorum intelligentia, decidere sequentes casus. Deciditur 1. cum *Navarro cap. 27. n. 128. & Avila 7. p. disp. 6. sec. 1. dub. 8.* irregularem fieri qui subministrat cibum aut potum ægroto, vel medicinam aliquã, maximè contra præscriptũ medici, ex qua mors acceleretur notabiliter, nisi forte ignorantia culpam excuset. At sine scrupulo potest quis mutare, aut revolvere ægrotum, ut commodiùs capiat cibum vel somnum: etiam si ex hoc mors aliqualiter acceleretur: Freyre lib. 3. consil. 84. §. Respondi 2. dicit esse probabile non resultare impedimentum dirimens inter adulteros, si maritus alterius occidatur. Quia Cap. super hoc, & Cap. significasti. De sola uxoris morte loquuntur: & pœnalia non sunt extendenda, juxta regul. *In pœnis*, & regul. *Odia de regul. juris in 6.* Vide Bonacin. de matr. q. 2. pun. 6. n. 7. in fine & Fragos. 1. 1. p. lib. 3. disp. 5. §. 7. n. 125.

Deciditur 2. cum *Suario d. 45. sect. 6. n. 19. Lessio de just lib. 2. cap. 9. n. 102. Ægid. Bellan. disp. 18. n. 70. & Gasp. Hurtad. de irreg diff. 8. n. 31.* non esse judicandum irregularem illum qui non lethaliter vulneravit Paulum, si hic moriatur ex negligentia medicorum, vel ex sua intemperantia, aut aliunde, quidquid probabiliter in oppositum dicant *Gutierr. lib. 2. canon. qq. cap. 6. n. 93. Molina tr. 3. d. 32. a num. 2. & Avila 7. p. disp. 6. sect. 1. dub. 5. concl. 2.*

Feram tendens occidere si occidat hominem. Deciditur 3. casus occidentis hominem ex ignorantia talis vel talis individui. Nam juxta *Suar. disp. 45. sect. 6. n. 14. & 18.* si projecit telum animo occidendi feram, præhabita sufficienti diligentia ne occideret hominem, irregularis non erit occidens hominem, utpote involuntarius. At si sciens adesse hominem, ex ignorãtia occidit Petrum credens esse Paulum irregularis sine dubio manet: & satis probabiliter ex homicidio voluntario.

Abortus procuratus. Deciditur 4. sequens casus. Procuravit sacerdos quidam prægnantis mulieris abortum: sed omninó dubium fuit, an fœtus esset animatus eo tempore, quo ejectus fuit. Videtur incurrisse irregularitatem juxta *Cap. ad audientiam, Cap. significasti 2. & cap. petitio tua, de homicidio,* ubi resolvitur in dubio facti de homicidio incurri irregularitatem

talem. Est communis sententia, quam tenent Sāch. lib. 1. Dec. c. 10. n. 43. & Barbos. in collect. ad cap. adpientium n. 5.

Oppositum est probabile apud Freyre lib. 3. conf. 38. Quia in cit. capitibus sermo erat de eo casu in quo certò constabat hominem fuisse occisum, & solum erat dubium, an sacerdos qui concurrerat, partem haberet in homicidio. Quare non est extendenda dispositio illa pœnalis ad casum ubi homicidium ipsum est dubium. Ita cum multis Diana tom. 2. p. 4. tr. 2. resol. 17.

Infert cit. Freyre, & probat cum multis semper esse & manere tutum, in conscientia quoad pœnam irregularitatis illum, qui procuravit abortum, & evenit ante diem octogesimum post conceptionem, nisi manifesta differentia sexus ostendat esse masculum. Quia masculus die 40. informatur anima rationali, fœmina 80. Vide Filiuc. tom. 1. tr. 20. cap. 1. q. 8. n. 21. & Barbos. de pot. Episc. q. 3. alleg. 51. n. 135.

Agens de irregularitate ex procuratione abortus Freyre lib. 4. conf. 23. citat Henriq. lib. 14. cap 14. n. 3. & alios apud Rebel. 2. p. lib. 1. q. 3. sect. 2. n. 13. & alios asserentes in æquali dubio facti de homicidio ex aborsu, non incurri irregularitatem, nisi quando verisimilius est exitisse delictum. Quod probabile judicat Suar. de cēs. disp. 4. sect. 2. n. 13.

Furiosi & ebrij occidentes. Deciditur 5. cum *Covarr. 2. p. Clemen. si furiosus 2. p. § 4. n. 3. Henriq. lib. 14. c. 15. n 7. & Avila cit. disp. 6. sect. 1. dub. 12.* ebrium, furiosum, vel dormiētem vitare irregularitatem homicidij, si hoc in statu sanæ mentis non præviderunt, aut prævidentes debitam adhibuerunt diligentiam, ne eveniret. Tunc enim eveniens fuit illis omninó involuntarium. Quid si in habentibus lucida intervalla dubitetur fuerit ne patratum homicidiū tempore furoris, vel sanæ mentis? Bené resolvūt *Covarr. & Avila cit.* si pensatis omnibus circunstantijs, adhuc manserit dubium, tempore furoris censeri patratum.

Fœtus occisio. Deciditur 6. apud *Suar. d. 45. sect. 6. n. 11. ex cap sicut & litteris de homicid.* contraxisse irregularitaté presbyterum, qui quasi ludés personam arripuit fœminam prægnantem, quam in honestè amabat, ex qua arreptione fœtus mortuus est. Talis enim ludus fuit noxius, & periculosus absque adhibita diligentia ut periculum vitaretur.

Adulter irregularis nece uxoris. Deciditur 7. casus de adultero, ubi quæritur an adulter fiat irregularis ob causam, quam dedit marito, ut uxorem occideret? Negant *Henriq. lib. 14. c. 10. Mercado de contr. c 4 pag. 11. & Avila 7. p. de cens. disp. 5 sect. 3. dub. 3. con.* 1. etiam si prævideat mortis periculum, cui se exponit, vel uxorem. Quia adulterium non est causa sufficiens talis occisionis. Rectiùs *Suar d. 45 sect. 5. n. 7. Sayrus lib. 7. c. 6. n. 26. & Layman lib. 3. sect. 5. tr. 3. par. 3. c. 10. n. 2.* docent irregularem fieri, si accessit temeré ad uxorem, non adhibita diligentia, ad vitandum occisionis periculum. Quia Navarr. c. 27. id refert decisum *a Pio V. post* factam controversiam in sacra Pœnitentiaria.

QUÆSTIO VII.

Qualiter contrahant irregularitatem cooperatores, & non impedientes homicidium?

2080 Absolvetur sectio hujus septimæ & ultimæ quæstionis, parte duplici expedita. Quod attinet ad priorem de cooperantibus ad homicidium vel mutilationem, cōstat posse excusari a peccato, & consequentèr ab irregularitate illum qui determinato ad occisionem, consulit vel mandat mutilationem. Quia tunc mutilatio respectu consulentis vel mandantis non fuit injuriosa mutilato, juxta ea quæ tradimus tract. 8. n. 574. *Cooperatores ad homicidium.*

Gravis dubitatio est, quando multi non præmeditato consilio, nec data opera, sed ex quadam subita occasione sociatim concurrerunt ad homicidium, an contrahant irregularitatem omnes etiam qui nullum vulnus intulerunt? Constat ex *Cap ad audientiam. de homicid.* & videre est apud *Covarr. Clem si furiosus 2. p. § 2. n. 5.* in prædicto eventu eum qui lethaliter percutit, fieri irregularem irregularitate orta ex homicidio voluntario, aut casuali juxta ipsius percutiētis intentionem: si veró nullus pateat author vulneris, reputare se debet irregularem is qui fuerit dubius. Unde judex nesciens determinaté vulneris authorem omnes tanquam homicidas debet punire non ordinaria, sed arbitraria pœna.

Quid si judex post factam inquisitionem nō cognoscat determinaté qui in rixa fuerint invēti? Recté *Henriq. lib. 4. cap. 14. n. 3. Maiol. lib. 5. c. 48. § 4. n. 9. & Palaus disp. 6. punt. 15. § 6. n. 2.* dicūt omnes esse absolvendos: quia datur periculum ut innocens puniatur, sicut daretur, si ex domo ubi quatuor viri habitant, projectus lapis aliquē occideret, & nullatenus constaret de projiciente: quia ratio dictat æquius esse tolerare nocentem, quám punire innocentem. *Homicidium in dubio.*

Quid quando multi concurrere, & constat de uno qui solus inflixit vulnus? *Covarr. multis relatis in Clem. si furiosus 2. p. § 2. n. 3.* putat solum infligentem fieri irregularem, & non alios: hoc existimat probabile *Palaus citat. n. 3.* Dicendum tamen est cum *Suar. d. 45. sect. 3. n. 9. Avila 7 p. disp. 6. sect. 3. dub. 3. concl. 4. & Bellano disp. 18. dub. 8. n. 70.* omnes manere irregulares, utpote cooperatores etiam si vulnus non inflixerint.

Quid si quis inflixit alteri vulnus lethale, a quo non fuit occisus, sed ab alijs, v. g. latronibus qui postea inopinaté irruentes occiderunt? Respondeo cum *Molina tr. 3. disp. 33. mem. 6. n. 4. & Layman lib. 3. sum. sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 10.* non manere irregularem: quia talis non fuit occisus a priori vulnere, sed a percussione latronum, quibus prior vulnerans nullo modo cooperatus est. Explicatur 1. si quis lethaliter percutiat aliquē qui postea occidatur a fulgure, evadit irregularitatem. Quia de facto non ille, sed fulgor occidit. Explicatur 2. quia juxta citatos parochus infligens vulnus lethale parochiano evadit irregularitatem, si ille vulneratus postea ab alijs *Vulnus lethale infligens ad irregularitatem.*

casu irruentibus occidatur. Vide Molina citatum.

Quod attinet ad posteriorem partem de non impedientibus homicidium, prænotandum est dari duplicem obligationem impediendi homicidium, alteram ortam ex charitate, alteram ortam ex justitia. Constat 1. apud *Suar.d.45.sec.4.n.3.& Bonac.de irreg.disp.7.q.4.p.8.n.37.* non fieri irregularem qui obligatus ex sola charitate nõ impedit. Quia talis omittens non peccat peccato homicidij, quod est contra justitiam. Constat 2. obligatum ex justitia, qui non impedit, cum possit, irregularem fieri. Quia juxta *cap.non inferenda & cap. qui potest 23. q. 3.* homicidij causa moralis est.

Irregularis non impediens homicidium.

Difficultas est, an in non impediente requiratur aliqualis concursus, seu influxus positivus? Affirmant *S. Antoninus 3.p.tit.28.c.2. Tabiena 1. §. 2.& Gasp.Hurt.de irreg.disp.2.diff.9.n.34.* Probant, quia ex solo concursu morali nemini alteri a mandante & cõsulente, irregularitas in jure imposita est.

Negandum tamen est cum *Suar.disp.45.sect.4.n.8.& Bonacina disp.7 q.4.pun.8.n.37.* Quia causa moralis etiam sine positivo influxu sufficiens est ad inducendam irregularitatem, ut constat ex textu multiplici qui habetur 23.q.3. observant tamen bené citati authores ex *cap.quæsitum, de pænit.* ut incurratur talis irregularitas, dictam omissionem esse debere directe voluntariam præviso mortis periculo, secus non incurri. Nam in citato *cap.quæsitum* parentes ex quorum culpa filij in cunis mortui fuere, decernuntur irregulares, si de facto suffocationẽ procuraverint, aut studiosé eam impedire neglexerint.

Ex dictis cum varijs, quos citat, recté Palaus d.6.p.15.§.7. infert 1. si te rixante cum Ioanne tui consanguinei superveniant, & occidant Ioannem, te fieri irregularem, si pro viribus non impedisti: secus si impedisti saltem affirmans tibi id gratum non fore. Infert 2. te non fieri irregularem, si sciens tuos consanguineos tractare de morte Joannis, & non impedias. Quia solum peccati contra charitatem. Infert 3. te non fieri irregularem, si volenti ex charitate defendere innocentem dissuadeas: secus si per vim aut fraudem impedias. Quia in primo casu offendisti charitatem, in secundo justitiam.

Impediẽs defensionẽ innocẽtis.

2081 Rogabis 1. incurrat ne irregularitatẽ ex homicidio voluntario, an ex casuali qui non impedit homicidium? Respondeo cum *Suar. d. 44.sect.3.ad fin.& Bonac.d.7.q.4.p.8 n.41.* quibus adhæret *Palaus cit. n. 6.* id desumendum esse ex intentione, qua quis movetur ad non impediendum: si enim ex odio personæ non impediat, contrahit irregularitatem ex homicidio voluntario: si ex timore, aut negligentia, contrahit ex homicidio casuali. Quia in primo casu vult homicidium directé, in secundo casu indirecté.

Rogabis 2. quisnam possit dispensare in irregularitate ex homicidio, vel mutilatione casuali? Respondeo cum communi sententia apud *Palaum cit.n.7.* posse dispensare Episcopum, si irregularitas sit occulta. Quia Trident.sess.24.cap.6 non excepit occultam nisi ex homicidio voluntario. Adde posse etiam dispensare cum homicida casuali notorio ad ordines minores, & beneficium simplex. Habetur *cap.1.& c.ad audientiam, de homic.* quia hunc textum non abrogavit, Tridẽt. cit. ut tenet Sayr.lib.7.cap.7.n.20.

Homicidium casuale ad dispẽsationem.

Rogabis 3. an homicidium factum in rixa subito exorta non per industriam, insidias, aut ex proposito sed casu contingens possit quoad irregularitatem dispensari per Episcopum aut per alios habentes potestatem quasi Episcopalem; ut sunt prælati regulares erga suos subditos: Negant Suar.de censur.disp.44.sect.1.n. . & Mol. tom.4.disp.79.n.7. Affirmant tamen ex vi Trident.sess.14.cap.7.de reform. Avila de censur. p. 7.disp.6.sect.2. d.1. Ægid. de Sacram. disp. 18. dub.14. Addit Perez in lib.8. ordinum tit. 13. in Rubr.fol.256.se ita sæpe consultum respondisse. Hæc ex Freyre consiliorum lib.3.consl. 76. Addit n.3. posse dispensari per sacerdotem approbatum virtute Cruciatæ, etiam pro foro externo. Vide eundem lib.1.consl.53. & lib.2.consl.22.

SECTIO III.

De irregularitate contracta ex hominis occisione inculpabili.

QUÆSTIO I.

Qualiter ex capitali vel mutilationis pæna contrahat irregularitatẽ judex, assessor, & accusator?

Constat ex jure Canonico fieri irregulares personas concurrentes ad sententiam capitis, vel mutilationis, etiam justam: & hanc irregularitatem dici provenientem ex defectu lenitatis. Cum veró triplex persona soleat concurrere nempe judex assessor, & accusator, de singulis breviter agemus.

Sententia mortis vel mutilationis ad irregularitatem.

Quod attinet ad judicem, manifesté irregularis fit ex *cap.aliquantos 51. dist.* innuitur etiam in *cap.ne clerici vel monachi 23.q.4.cap. litteris, de excess. prал.* & alijs, in quibus Ecclesiastici judices prohibentur ferre sententiam sanguinis. Ex quo praxis observat, ut quando judex Ecclesiasticus deprehendit clericum occisione dignum, illum degradet, & judici sæculari damnandum remittat: ne autem videatur cooperator ad mortem, juxta *c.novimus, de verb.signif.* intercedit apud sæcularem judicem petens ut misericorditer se gerat, & damnet citra sanguinis effusionem. Hoc tamen præstat non ut impediat mortis sententiam: sed ut significet illam non procurare, quantum est ex sua parte.

Iudex ad irregularitatem.

Hæc tradunt *Suar.d.47.sect.1.n.11.& Sayrus lib.6.thes.cap.16.* quibus consentit *Avila 7.p.de censur disp.5.sect.2.dub.2.& Pegna direct. inquis.2.par. com.20.* addentes non oportere ut judices Inquisitores hæreticæ pravitatis dictam intercessionem faciant: siquidem ex *Bulla Pauli IV. data Aprilis 29. anno*

Inquisitores ad sententiã sanguinis.

anno 1557. quam confirmavit Pius V. & extendit ad omnes inquisitores comissarios vicarios,& consultores possunt ferre sententiam mortis, & mutilationis, illam tamen exequi non possunt. Quare liberum illis est instare pro executione sententiæ, casu quo judices seculares in exequendo negligentes fuerint.

Assessor judicis ad irregularitatem. Quod attinet ad assessorem cum suppleat sẽtentiæ defectum complens judicis personam, involvi eadem irregularitate rectè tradit *Laym. lib 3. sect. 5. tr. 3. p. 3. cap. 7. n.* 1. Quid si prælatus Ecclesiasticus qui simul est temporalis dominus civitatis judices & ministros constituat, ut juxta leges ferant & exequantur sanguinis sententiam? Nulla irregularitate involvitur, etiam si constitueret pro aliquo casu particulari. Quia non proximé cooperatur morti secus esset, si mandaret judici a se designato ut pro tali casu ferret sanguinis sententiam. Sic ex *cap. ult. Ne clerici vel monachi in 6.* docent citati, & Palaus p. 14. §. 1. n. 3. *Ecclesiastici prælati qui sunt tẽporales domini.*

2082 Quod attinet ad accusatorem seu denunciatorem, rectè ex *cap sententiam, & cap. clericis Ne clerici vel monachi* resolvunt *Suar. disp. 47. sec. 3. n. 18. & Bonac. d. 7. q. 4. pun. 2. n. 7.* fieri irregularem si ex vi accusationis, vel denunciationis occidatur aut mutiletur reus: secus, si ex nequitia judicis: vel si accusatus de crimine levi, ex alio gravi superveniente justè damnetur. Tunc enim vitabit irregularitatem. *Accusator ad irregularitatem.*

Est etiam alius modus vitandi datus a jure in Cap. 2. de homic. in 6. ubi clerici vel religiosi accusantes in causa propria vitant irregularitatẽ, si expressé protestentur se non intendere pęnã sanguinis, sed satisfactionem. Adde procedere etiam si clericus accuset animo seu intentione ut pœna sanguinis infligatur, dummodò illam exterius non prodat. Nec opus est ut fiat protestatio statim post accusationis formationem, sed sufficit ut fiat in ipso judicio ante sententiæ prolationem. Dicta potestatio non solum clericis, sed etiam laicis necessaria est, & prodest: quia accusatio ex se ad defensionem non tendit, sed ad punitionem. *Clericus accusans ad irregularitatem. Protestatio ad vitandam irregularitatem.*

Sequitur ex dictis protestationi solum esse locum in actione civili, non criminali. Qui enim accusat criminaliter, eo ipso quærit punitionem, & facto contrario protestationem destruit. Quod procedit etiam si petat vindictam citra deformationem. Quid si intentet actionem civilẽ pro reparatione damni, & hoc reparetur punitione deformante? Rectè cum *Bonac. d. 7. q. 4. p. 2. num. 2.* distinguit *Palaus d. 6. p. 14. §. 2. n.* 5. si nulla alia via possit reparari damnum nisi deformatione, protestatio non impedit irregularitatem: secus si possit. Quia in primo casu idem est petere reparationem, ac petere deformationem: secus in secundo.

Observandum est 1. cum *Molina tr. 3. d. 8. n. 3. & Suar. d. 47. sect. 2.* dicta protestatione vitari irregularitatem, quando accusatio fit in causa propria, secus si fiat in aliena. Censetur causa propria, quæ instituitur in defensionem sui honoris vel bonorum temporal ũmsitem in reparationẽ bonorum parentum, & cognatuum intra quartum gradum.

Observandum 2. cum citatis, & *Bonacina d. 7 q. 4. pun. 2. n. 7.* vitari irregularitatẽ quando pro aliena causa instituitur accusatio ad damnũ reipublicæ præcavendum, imò alterius privatæ personæ, quod alia via averti non potest: in quo casu (inquit Palaus citatus n. 8.) non requiritur protestatio aliqua facienda. Quia credibile nõ est voluisse Ecclesiam afficere irregularitate actionem jure naturali debitam, & sic charitatis & pietatis opera impedire. *Detinens damnificatorem ut capiatur.*

Observandum 3. cum *Navarro c. 27. n. 220. Covarr. Clem. si furiosus § 5. n 4. Molina d. 74. n. 11. & Avila 7. p. d. 5. sect. 2. dub. 9. concl. 1.* quæ diximus de accusatore, procedere de clamante, detinente, & comprehendente damnificatorem. Nam qua ratione licet illum accusare, etiam licet actiones clamandi, detinendi & comprehendendi præstare. Adde quamvis detentus a supervenientibus occideretur. Vide Palaum n. 20.

QUÆSTIO II.

Qualiter a teste, advocato, & similibus contrahatur irregularitas?

2083 **C**Ertum est 1. irregularem fieri omnem testem qui testificatur sponte in causa criminali, vel civili, si ex testimonio mors aut mutilatio reo sequatur. Quia illis veré cooperatus est. Adde non prodesse sic testificanti protestationem, utpote in causa aliena. Ita ex *cap. prælatis de homicidio in 6.* tradunt *Molina tr. 3. d. 74. n. 10. & Suar. d 47. sect. 3.* *Testis in causa sanguinis irregularis.*

Certum est 2. clericum in causa sanguinis non posse testificari contra reum, proindeque nec a judice compelli ad testificandum. Sumitur ex *cap. bis a quibus 23. q. 8.* Addunt *Henriq lib. 14. c. 12. n. 9. & Avila 7. p. d. 5. sect. 2. dub. 13.* id procedere in laico aspirante ad clericatum: sed *Bern. Dias in pract. n. 99.* dicit id in praxi receptum non esse. *Clericus ad testificandũ.*

Dixi (contra reum) quia potest absque metu irregularitatis testificari pro reo, etiam si per accidens eveniat punitio capitalis actoris. Semper tamen ut non temeré, sed maturé & licité fiat, requiritur prælati licentia.

Dubium est 1. an evadat irregularitatem qui in causa sanguinis cogitur testificari metu cadẽte in virum constantem? Rectè affirmant *Bellan. dub. 10 n. 19. Maiol. l. 2. de irreg. c. 8. & Bonac. disp. 7. q. 4 p. 3. n. 8. vers. primus:* quos affert & sequitur *Pal. d. 6. p. 14. § 3. n. 4.* Non enim dignus est tam gravi impedimento ligari qui non sponte, sed coactus testimonium profert. *Irregularitas testium.*

Dubium est 2. utrum in causa civili ad instantiam partis potentis absque metu irregularitatis causam prosequi; v.g. clerici protestationem facientis, possit quis testificari absque ullo periculo irregularitatis? Rectè affirmant Suar cit. sect. 3. n. 8. & Bonac. d. 7. q. 4. p. 3. n. 8 Probatur quia

eo ipso quòd conceditur accusatori causam suā prosequi, censetur data facultas producendi testes, sine quibus causa decidi nequit.

Dubiū est 3. an evadat irregularitatē laicus, si cōpellatur per judicem testificari in causa criminali? Negāt Doctores nonnulli, quos tacitis nominibus citat Pal.d.6.p.14.§.3.n.3. Probant, quia judex proferens sententiam sanguinis fit irregularis, etiam si licitè operetur; ergo testes cooperantes ad talem sententiam. At satis probabiliter affirmant *Ægid.Ellan disp.18.dub.10.n. Bonacina p.3.n.8.& Palaus citatus*. Ratio resolutionis est discrimen inter judicem & testem: nam judex sponte & non coactus acceptat munus judicandi: testis autem ille (ut supponimus) testificari cōpulsus est.

Quoad partem quæstionis alteram de advocato & similibus, constat advocatum fieri irregularem, si occidatur vel mutiletur reus, contra quem advocat. Habetur ex *cap. aliquantos* 51. Dubium est si ita reum defendat, ut pœnam necis vel mutilationis subeat accusator: in quo dubio oportet distingui. Si enim defendens reum aliqua objecit contra accusatorem ex quibus accusator deformationē sustinuit, irregularis manet: secus si merum exercuit patrocinium, ut reus innocens judicaretur, præcipué facta protestatione.

Advocatus irregularis.

Idem procedit casu quo reus capite damnetur, sive justé sive injusté ab advocato defendatur, Quia mors illi non accidit ex patrocinio: & verùm habet etiam in clerico patrocinante. Quid si reus ex negligentia vel imperitia advocati deformetur? Fieri tunc advocatum irregularem, rectè docent *Suar.d.47.sect.4.n.6. & Bonac.d.7.q.4.p.3.n. 6.* non ex defectu lenitatis, sed ex delicto.

Quid de advocato injusté suscipiente partes accusatoris, qui de calumnia convictus pœna capitis vel mutilationis effectus est? Irregularem fieri docet *Suar.d.47.sect.4.n. 6.* ex illa injusta cooperatione. Oppositum tamen judico cum *Avila 7.p.disp.5.sect.2.dub.8.concl.2.& Palao d. 6.p.14.§.3.n.6.* Quia si processit bona fide, non habet delictum, ex quo subeat pœnam: si processit mala fide solum commisit injustitiam contra accusatum, & non contra accusatorem qui deformationem passus est.

2084 Quid de consultore præbente judici consilium, ex quo pœna sanguinis illata fuit? Affirmatur communiter irregularem fieri. Hoc tamen juxta *Gasp.Hurt.de irreg.diff.11.n.40.* intelligi debet quando consilium a judice petitur juridicé: secus si privatim petatur, & judex tanquā privata persona de justitia causę informetur.

Consultor judicis ad irregularitatem.

Quid de consultore delinquentis, cui consulit ut pareat, justæ sententiæ, & ab injusta appelatione desistat? Vitare irregularitatem constat. Si autem consuleret reo, ne interponeret legitimam appellationem, ex quo consilio mors acceleraretur, irregularem fieri, communis sententia est. Eam tamen rectè intelligit *Palaus cit. n.9.* quando consilium juridicé procedit ab advocato: secus si privatim detur. Quia in primo, & non in secundo casu procedit a ministro justitiæ.

Quid de confessario negante absolutionem judici, nisi proferat sanguinis sententiam, ad quā sub lethali tenetur? Non fieri irregularem rectè docent *Suar.d.47.sect.1.n.8.& Bonac d.7.q.4.p. 1. n.32.* Quod procedit, si cogeret pœnitentē manifestare delictum morte dignum: ad cujus manifestationem jure naturali tenetur. Quia credi nequit voluisse Pontificem innodare irregularitate ob actionem jure divino debitam.

Confessarius ad irregularitatem.

Quid de alijs ad causam sanguinis & sententiæ executionem concurrentibus? Respondeo cum *Palao citato §.4. n. 1. & 2.* fieri irregulares omnes qui ut personæ publicæ concurrunt ad mortem condemnati: secus si concurrant ut personæ privatæ. Unde constat irregularem fieri tabellionem depositiones testium recipientem, illasve legentem, quando publicantur: item dictātem sententiam, vel signantem a famulo scriptam, sigillo munientem, vel pronunciantem: itē scribentem tanquam officialem justitiæ. Secus dicendum de famulo, qui transcribit scripturam a tabellione factam. Quia reus condēnatur absque illo transumpto.

Deinde fit irregularis tortor, si ex tortura reus fateatur crimen ex quo occiditur; nisi hoc fiat in tribunali S.Inquisitionis. Fiunt irregulares præco, & omnes deferentes reum ad mortem, & comitantes judicem ad custodiam: non tamen populus, nec clerici qui ad videndum concurrunt. Esto enim clerici prohibeantur assistere sētentię sanguinis. *Cap. sententia sanguinis ne clerici vel monachi*: tamen juxta *Suar.d. 47. sect. 4. in fine.* illorum assistentia culpa gravis non est, quanvis fiat ex curiositate: addit *Palaus cit.§.4 n.2.* videri hoc præceptum consuetudine abrogatum.

Irregularitas concurrentium ad sententiam sanguinis.

Denique non fiunt irregulares, qui morti illi cooperantur tanquam privatæ personæ, qualis confessarius instigans equum, quo reus fertur ad supplicium, vel monens carnificem posse fūgi suo officio. Nec item fit irregularis qui monet reum ut caput stipiti admoveat, vel scalas ascendat: vel rogat judicem ne ducat reum per solitum iter, sed per brevius, ex quo illius mors acceleratur.

QUÆSTIO III.

Qualiter irregularitas contrahatur a pugnantibus in bello?

2085 Sequar in hac quęstione doctrinam quam communiter tradunt *Molina tr.2.d.110. Avila 7.p.disp.6.sect.3. Layman lib.3. sum.sect.5.tr.3 par.3. Bonacina tom.1.d. 7.q. 4 p. 4. Gasp.Hurt.de irreg.diff.12.& Palaus d.6.pun 14.§.5.* Sed quia omnes illam hauserunt a communi fonte, scilicet Doctore eximio *Suario disp. 47.sect. 5.& 6.* ab eo immediaté acceptam, sed mellam in compendium tradere animus est.

Irregularitas pugnantium in bello.

Quod

Bellum injustum ad irregularitatem. Quod attinet ad bellum injustum, Dico 1. omnes militantes in bello injusto, si in eo dentur homicidia, vel mutilationes, fiunt irregulares, etiam si proprijs manibus nec occidant, nec mutilent. Ratio est, quia omnes cooperantur. Erit tamen discrimen, quod si deformationes contingant in hostibus, dabitur irregularitas homicidij voluntarij, atque adeo solum dispensabilis per Papam: si contingant in socijs, erit homicidij casualis, atque adeo concessa alijs juxta superiùs dicta. Dico 2. pugnantes in bello injusto, quando nulla contingit deformatio, irregulares non fiunt. Ratio est, quia hujusmodi irregularitas in nullo jure exprimitur.

Bellum justum ac irregularitatem. Quod attinet ad bellum justum, Dico 1. in bello justo defensivo, sive fiat in defensionem propriæ personæ, sive in defensionem patriæ, & boni communis, etiam sequuto effectu homicidij per propriam actionem, nec laicus nec clericus contrahit irregularitatem. Constat ex dicendis quæst. sequenti de homicidio facto in propriam defensionem. Idem procedit de facto in defensionem innocentis, vel bonorum temporalium.

Dico 2. militantes in bello justo aggressivo si proprijs manibus sanguinem non fundant, etiam si alij mutilent & occidant, nō fiunt irregulares. Ratio est, quia dant operam rei licitæ, & nullam deformationem faciunt. Verum qui per *Hominē occidens.* se ipsos occidunt, vel mutilant in tali bello, manent irregulares ex defectu lenitatis, & instar illius qui authoritate regia justé concessa occidit bannitum, vel hostem reipublicæ.

Quid de parantibus & præbentibus arma ad justum bellum aggressivum? Respondeo eos fieri irregulares, si præbeant, & præparent arma in *Irregularitas ex bello aggressivo.* ipso actuali conflictu: secus, si antecedenter: quia non hæc, sed illa est actio determinata ad homicidium. Unde (ait n 7.) clericis in sacris, & inferioribus in statu clericali permanentibus prohibitum est militare in bello aggressivo, etiam justo, *Cap. clerici* 23. *q* 8. Possunt tamen ex legitima *Clerici prohibiti militare.* superioris licentia interesse bello aggressivo etiam injusto ad spirituale bonum fidelium militum.

Possunt clerici & religiosi (addit *num.* 8. *&* 9,) absque periculo irregularitatis dare consilium ad *Clerici & religiosi hortantes ad bellum.* bellum justum aggressivum, imó ante illud, & in illo hortari milites ad strenuè se gerendum: quanvis hoc faciant assistendo bello absque licētia superioris, & quanvis in eo dentur deformationes, dummodo per illos non fiant. Quod procedit, quanvis clericus vel prælatus Ecclesiæ det arma militibus, quibus de facto occidant.

Quid de dispensatione? Optimé resolvit *n.* 12. & 13. dispensationem hujus irregularitatis esse *Dispensatio in irregularitate ex bello.* reservatam Papæ, itaut nec Episcopus in ea dispensare valeat juxta *Trident. sess.* 24 *c.* 6. *de reform.* At mendicantes qui habent privilegium dispēsandi cum suis religiosis in omnibus irregularitatibus, exceptis bigamiæ, & homicidij voluntarij, in hac dispensare possunt. Quando Papa concedit expressé facultatem alicui clerico pugnandi proprijs manibus, eum liberat ab hac irregularitate: secus si concedat solum facultatem existendi in bello etiam cum armis offensivis & defensivis.

QUÆSTIO IV.

An, & qualiter contrahatur irregularitas ab occidente in suam, & suorum defensionem?

2086 Certum est 1. excusare ab irregularitate contrahenda defensionē *Homicidium in propriam defensionem ad irregularitate.* personæ propriæ. Habetur (*clem. si furiosus, de homicid.* Patet, quia ad irregularitatem ex homicidio facto per authoritatem propriam requiritur culpa: hæc autem non datur in occidente in propriam defensionem. Certum est 2. eo modo quo excusat ab irregularitate defensio propria, excusare defensionem patriæ, bonorum communium, propriæ Ecclesiæ, consanguineorum, imò extraneorum innocentium. Certum est 3. utramque resolutionem procedere quando occisio est necessaria ad defensionem. Si enim sufficiat ad illam vulneratio, & detur occisio, contrahetur irregularitas.

Certum est 4. irregularitatem quæ contrahitur ex excessu defensionis vitæ, vel temporaliū bonorum, dicendam esse non ex homicidio voluntario, sed ex casuali, quanvis excessus detur ex proposito & calore pugnæ: imo etiam si quis fugientem occidat. Hoc *Suar. d.* 46 *sect.* 1. *& Gasp. Hurt. de irreg. disp.* 2. *diff.* 20. *n.* 66. recté colligunt ex *Trident. sess.* 14. *c* 7. *de reform.* definiente homicidium voluntarium, quod fit ex proposito, & ex industria.

Dubium est 1. an excuset ab irregularitate propria defensio, quando occidens per injustitiam dedit occasionem aggressori, v. g. illum *Defensio excusans ab irregularitate.* percutiendo, vel contumelijs afficiendo, vel cum illius uxore dormiendo? Affirmat *Soto de just. lib.* 5. *q.* 1. *a* 9. *Medina lib.* 6. *de contr. c.* 4. *Avila* 7. *p. disp.* 5. *sect.* 3. *dub.* 1. *& Gasp. Hurt. de irreg. disp.* 2. *diff.* 10. *n.* 36. Probant, quia illa occisio fuit licita, utpote facta (ut supponimus) in propriam vitæ defensionem; ergo non infligit irregularitatem.

Hæc opinio probabilis est: sed non minùs probabilis, & forte probabilior opposita negativa, quam cum alijs defendit *Palaus disp.* 6. *pun.* 15. *§.* 5. & 8 *n.* 2. Probatur, quia esto illud homicidium in se & immediaté licitum sit, est tamen in causa illicitum & injustum: censetur autem reus homicidij, & consequenter irregularis qui concurrit ad homicidium in se justum apponendo ad illud causam injustam.

Dubium est 2. an fiat irregularis qui occidit invasorem, cum posset illius invasionem absque periculo fugiendo declinare? Affirmant *Navar. lib.* 5. *consil. tit. de homicidio cons.* 7. *n.* 4. *Henriq. c.* 10. *n.* *Fuga ne de te occisio.* 3. *Avila* 7. *p. d.* 5. *sect.* 3. *dub.* 2. *& Layman lib.* 3. *sum. sect* 5. *tr.* 3. *p* 3. *c.* 9. Probant, quia in *Clem. si furiosus* solum ab irregularitate liberatur qui occidit suum invasorem, cum aliter declinare nō posset invasionem.

Hæc

Hæc sententia est communis & valde probabilis. Nihilominus cum *Suario d.46.sect.1.n.6. Ægid. Bellano disp.18.dub.9.& Gasp. Hurt. de irregul. disp. 2. diff. 10.n.37.* sequor oppositam, scilicet non fieri illum occisorem irregularem, si fuga ad vitandam occisionem illi ignominiosa foret. Quia nō tenetur cum proprio dedecore conservare vitam aggressoris. Notant citati fugam militi vel nobili ignominiosam fore, non autem clerico, vel religioso.

Bonorum temporalium defensio. Dubium est 3. an occisio aggressoris ob defēsionem bonorum temporalium excuset ab irregularitate? Negant *S. Antonin. 3 p. tit. 4. cap. 3. & 2 Molina tr.3.d.72.n.3. Gutierr. can. qq. lib. 2. cap. 6. n. 61. Avila 7.p.d.5.sec.3.dub.4.& Layman lib. 3. sum. sec. 5. tr. 3. p. 3. c. 9 asser. 3.* Probant, quia in *Clemen. furiosus* solum ab irregularitate excusatur occidēs in defensionem vitæ propriæ, non autem occidens in defensionem externorum bonorum temporalium.

Affirmandum tamen est cum *Sayro lib. 6 cap. 17.a n.22. Lessio lib.2. just. cap. 9. dub. 11. n. 73. Suar. de cens. d. 46. sect. 2. a n. 4. Ægid. Bellan. disp. 18. dub. 9. n. 80. Fillius. tr. 20. c. 5. q. 6. n. 146. & Bonac. de irreg. d. 7. q. 4. p. 6. n. 10.* Sumitur ex *cap. quia te 50. dist.* & ratione, quia hæc irregularitas non imponitur ob defectum significationis, vel lenitatis, sed ob delictum: hoc autem non committitur ab occidente in defensionem bonorum temporalium externorum.

SECTIO IV.

De irregularitate contracta ex defectu.

QUÆSTIO I.

Qualis sit irregularitas orta ex defectu significationis per bigamiam?

2087 DE irregularitate orta ex bigamia agit latissimé *Sanch. lib. 7. Matr. a disp. 83. usque ad disp. 86.* nos qui universam theologiam moralem redigimus in compendium quinquaginta tractatuum, judicavimus aptius explicare irregularitatem bigamiæ in hoc ultimo tractatu de irregularitate, quám in tract. 46. de impedimentis matrimonij.

Bigamia quid, & quotuplex. Supponimus 1. quæ initio hujus tractatus diximus, alias irregularitates nasci ex delicto, alias ex defectu: & addimus modò præcipuam ortam ex defectu esse bigamiam. Hæc enim idem valet atque matrimonij duplicatio, proindeque importat defectum Sacramenti, quia deficit a repræsentatione unionis Christi cum Ecclesia, nēpe unius cum una: nam bigamus duplici conjūgitur. Supponimus 2. ex nostro Elucid. n. 1677. tres esse species bigamiæ, scilicet propriam, interpretativam, & similitudinariam. Has seorsim declaremus, & in singulis qualem, & qualiter pariant irregularitatem.

Bigamia propria ad irregularitatem. Prima bigamia dicitur propria, alio nomine vera & consurgit ex binis nuptijs validé contractis & consummatis: quod stare nequit nisi præmoriatur uxor prior. Ex *cap. nuper & cap. debitum de bigamis* & alijs rectè probant *Gasp. Hurt. diff. 13 n. 48. & Bonac. tom. 1. disp. 7. q. 2. pun. 5.* nullam insurgere irregularitatem, si alterum ex dictis matrimonijs vel non validum, vel consummatum non sit. Si autem utrunque sit validum & consummatum rectè in cap. 2. & 3. de bigamis. Lucius 3. & Cælestinus 3. irregularitatem decernūt ex Apostolica traditione.

Bigamia interpretativa ad irregularitatem. Bigamia interpretativa est cum duplex matrimonium initur, & consummatur utrunque, non tamen utrunque est validum, sed solum alterum, vel neutrum: atque adeo contrahitur ab eo, de quo præsumitur duas uxores habuisse, esto illas in re non habuerit. Hæc bigamia tripliciter solet evenire 1. si quis matrimonium validé ineat cum vidua, quę consummavit prius matrimonium: vel contrahat matrimonium cū corrupta ab alio. In his casibus contrahens fit irregularis. Dixi (corrupta ab alio) quia si a se corruptam ducit, censetur fictione juris ducere virginem.

Revocatur ad hanc irregularitatem interpretativam illa quæ contrahitur per matrimonium initum cum repudiata *Cap. 1. de bigamis.* Petes tamen rationem disparitatis, cur fiat irregularis qui ducit corruptam, & non qui ducit virginē corruptus? Respondeo *S. Thomam in 4. d. 27. q. 3. a 1. qq 3.* optimam assignasse congruentiam: dicit enim omnem actionem specificari a termino ad quem. Cum igitur vir non a se ipso, sed ab uxore capiat speciem, quando uxor suam carnem dividit in plures, censetur vir interpretatione juris in plures dividere. Accedit bona disparitas assignata per *Suar. d. 49. sect. 3. n. 9.* quia maior castitas requiritur ex parte sponsæ quam sponsi: nā ex parte illius maior datur indecentia: & quidem infamia est ducere corruptam ab alio.

Adulterium uxoris ad bigamiā & irregularitatem. Secundò evenit interpretativa bigamia juxta *Suar. disp. 49. sect. 3. n. 15. ex cap. si laici 34. dist.* per accessum ad propriam uxorem, postquam illa adulterium commisit, quanvis ab initio accepta fuerit virgo. Quia tunc maritus corruptæ appellatur. Rogabis, an hujusmodi irregularitas contrahatur a viro qui ignoranter duxit & cognovit uxorem, quam putabat virginem, vel cognovit suam uxorem cujus adulterium ignorabat? Negant *Sá v. irregularitas bigamia n. 3. & Petrus Ledesm. de matr. q. 66. a 3.* Favet *Bernard. Dias in sua pract. c. 16.* affirmans virum fore irregularem cognoscendo adulteram, quando adulteriū probare potest.

Affirmandum tamen est ex communi sententia, quam tenent *Sanch. lib. 7. matr. d. 84. n. 15. Suar. disp. 49. sect. 3. n. 15. Aug. Barb. a Reg. 49. n. 9. Garcia de benef. 7. p. c. 6. n. 16. & Layman lib. 1. tr. 5. p. 5. cap. 6. n. 3.* Ratio est quia hujusmodi irregularitas nō imponitur ob delictum, sed ob defectum significationis, quæ stare nequit, si maritus corruptæ fuerit, ut ostendimus.

Bigamia interpretativa tertius modus. 2088 Tertio hæc interpretativa bigamia con-

contingit; ut habetur in *cap. nuper de bigamis* si quis contracto & cõsummato matrimonio post mortem conjugis initietur sacris, & sic initiatus aliud matrimonium tentet contrahere & consummate. Imponitur non ob defectum significationis, sed ob pravum affectum opere subsecuto. Hanc decisionem extendunt 1 *Sanch lib.7. d.84.n.3.& Sanch.lib.7.disp.84. n. 3.* ad eum qui vivente propria uxore aliam scienter duxit. Quia quantum est ex sua parte ostendit affectum ineundi duplex matrimonium. Extendunt 2. ad eum qui mortua prima uxore duxit aliam cum qua ligatus erat impedimento dirimente, dummodo in utroque casu habeat animum contrahendi, quantum ex sua parte est. At spectato juris rigore non improbabiliter ab irregularitate liberant *Ægid. Bellan.disp.18.d.11.n.100.& Henriq. lib.12.matr.c.6.n.9.* Quia irregularitas non nisi in casibus a jure expressis contrahitur.

Extendunt alij 3. ad eum qui postquam inivit validé matrimonium, aliud invalidum inivit & consummavit ignarus impedimenti dirimentis. Rectiùs tamen *Sanch. d. 84. num.6.* negat hanc irregularitatem. Quia neque potest induci ob defectum Sacramenti, neque ob affectum matrimonij. Adde *Henriq. lib. 12.matr. cap. 6. num. 9. Avilam 7. p. disp. 8. dub. 1. & Ægid. Bellan. disp. 18. dub. 11. n. 101.* negare contrahi irregularitatem ab ineunte duplex matrimonium, si utrunque invalidum sit. Affirmandum tamen est cum *Sanch. lib. 7. d. 84. num. 3. & Suar. d. 49. sec. 2.*

Bigamia similitudinarias irregularitatem. Denique bigamia similitudinaria datur quando post votum castitatis factum in religione approbata matrimonium attentatum consummatur. Habetur apud *Sanch. lib. 7. matr. cap. 58. num. 5. & Garciam de benef. 7. p. cap. 6. n. 15. ex cap. quotquot 27. q. 1. & cap. monachos* ead. causa & q. Dicitur *similitudinaria*, quia hac bigamia similes fiunt contrahentibus duo matrimonia illi qui post solemne castitatis votum, quod spiritnale cum Christo matrimonium est, carnale matrimonium attentatum ineunt.

Clerici nubentes ad irregularitatem. Dubium est 1 an clerici in sacris constituti incurrant irregularitatem, si matrimonium contrahant? Negant *Albas ad cap. nuper n. 3. Gasp. Hurtad de irreg. diff. 13. n. 48.* & judicat probabile *Suar. d. 49. sect. 4. n. 6.* Probant ex *cap. Sanè el. 2. de bigamis* ubi committitur dispensatio Episcopo post longam illorum pænitentiam: constat autem irregularitatem bigamiæ non esse ab Episcopo dispensabilem.

Affirmandum tamen est cum sententia communi, quam tenent *Suar. citatus Sayrus lib. 6. c. 4. n. 22. Sanch. lib. 7. d. 85. n. 5. Aug. Barbosa 2. p. de pot. Ep. alleg. 49. n. 15. & Bonac. tom. 1. d. 7. q. 2. p. 5. num. 2.* Desumitur ex *cap. 1. & 2. qui clerici vel voventes.* Videtur tamen hæc irregularitas non tam nasci ex bigamia, quam ex delicto: & certé *Layman lib. 1. sum. tract. 5. p. 5. cap 6 conc. 2.* tradit hanc irregularitatem non ex bigamia ortam esse.

Privilegium clericale tollitur per irregularitatem. Dubium est 2. àn irregularitas bigamiæ privet bigamum non solum privilegio fori, sed etiam omni clericali? Alij affirmant, alij negant. Mihi videtur distinguendum, & hoc dubium decidendum cum *Suario disp 49 sect. 5. n. 5. & 7. Sayro lib. 6. cap. 5. a n. 2. & Avila 7. p disp. 8. dub. 3.* ita ut irregularitas tam propria quàm interpretativa privet omni privilegio clericali, at hujusmodi rigor non extendatur ad bigamiam similitudinariam, neque ad eam irregularitatem quæ contrahitur a religioso professo, vel clerico sacris initiato ob matrimonium irritum attentatum.

Dispensatio in bigamia propria. 2089 Superest inquirere triplicis explicare irregularitatis remedium, quod est dispensatio. Si igitur loquamur de prima, quæ nascitur ex bigamia propria, certum est posse S. Pontificem in illa dispensare tam ad suscipiendos ordines, quàm ad susceptorum usum. Est enim hoc vinculum jure humano Ecclesiastico inductum. Ex quo patet etiam posse dispensare in irregularitate cujuscunque bigamiæ.

Quod Episcopus nequeat dispensare cum bigamis proprijs & interpretativis ad suscipiendos ordines sacros, ex *cap. super eo. de bigamis* est fere omnium sententia. At posse Episcopum dispensare cum bigamo facto religioso, ne detur occasio vagandi, improbabile non reputat *Suar. d.49 sect. 6. n. 8.* nec improbat *S. Thom. in addit ad 3. p. q. 66. a 5.* quanvis *Sotus in 4. dist. 27. q. 3. a 3.* & alij dicant hanc potestatem neque jure probari posse, neque usu receptam esse.

Interpretativa bigamia ad dispensationem. Si loquamur de secunda irregularitate quæ oritur ex bigamia interpretativa, quanvis *Tabiena q. ult. Turrecrem. in cap. lector 34. dist. Paludan. dist. 27 q. 4. a 5. & Armilla n. 9* affirment posse Episcopum dispensare ad ordines sacros, in tali bigamia orta ex delicto, sive proprio, sive alieno, negandum tamen omninò est cum *Sayro lib. 6. thes. c. 7. n. 5. & Sanch. lib. 7. matr. d. 86. n. 12.* qui tamen *num. 13.* recté monet, satis probabile esse, si delictum fuerit proprium & occultum, posse Episcopum dispensare virtute *Tridentini sess. 24. cap. 6.* Addunt *Henriq. lib. 12. matr. cap. 6. & Barb. de potest. Ep. p. 2. alleg. 49. num. 25.* posse, etiam si delictum sit alienum, ut si quis ducat fœminam corruptam, vel propriam uxorem adulteram cognoscat. Quia Trident. non distinguit, oriatur ne ex delicto proprio, vel alieno, ut Episcopus possit dispensare.

Difficultas est an possit Episcopus dispensare cum bigamo etiam proprio & manifesto ad ordines minores, & beneficium simplex? Affirmant *S. Thomas in 4. dist. 27. q. 3. a 3. Azor 2 p. lib. 5. cap. 20. q. 2. Sayrus lib. 6. thes. c. 7. n. 11. Sanch. lib. 7. matr. d. 85. n. 11.* & alij Probant ex *cap. super eo, & alijs in rubr. de bigam.* & congruentia, quia ordinatus per susceptionem minorum ordinum non manet irrevocabiliter addictus, seu mancipatus cultui divino.

Hæc sententia valde probabilis est saltem ex authoritate suorum authorũ: mihi tamé videtur

SSss pro-

probabilior opposita, quæ negat, & defenditur a *Nicol. Garcia de benef.7.p.cap.6.n.5. Francisco Leone in thes. fori Eccl.2.p cap 8.n.36. Layman lib.1.sum. tract.5.p.5.cap.6. Barbos. alleg.49.n.25. Bonacina to.1.disp.7.q.2.p.5.n.15 & Palao d. 6.p.8.n.18.* Nam fertur decisa a sacra Congr. Cardin. & Sumitur ex *cap.unico de bigamis in 6.* & Trident. sess.23.cap.17. ubi expressè bigamis exercitium & usus minorum ordinum prohibetur: Episcopus autem in lege concilij generalis non potest dispensare.

2090 Si loquamur de tertia irregularitate, quæ nascitur ex bigamia similitudinaria, rejectis multorum opinionibus, dicendum absoluté est cum *Suar. de cens. d.49. sect. 6. n.18. Sanch. lib.7. de matr. disp.86 n.20. & Garcia de benef.7 p. cap.6.n.15.* posse Episcopum dispésare cum bigamis similitudinarijs etiam ad suscipiendos sacros ordines, illisque utendum. Probant & desumunt recté ex *cap sane el. 2 de clerico conjug. & cap. de diacono 1. qui clerici vel voventes.* Addunt citati, si hæc bigamiæ irregularitas proveniat ex delicto occulto posse Episcopum dispensare ex vi *Trident. sess. 24 c.6. de reform.*

Similitudinaria bigamia ad dispēsationē.

Quid de prælatis regularium? Recté docent *Henriq. lib.12. de matr. cap.6.n.11. Miranda de manu præl. tom.2. q.8. a 2. & Barbosa cit. alleg. 49.* quanvis non possint ex vi juris communis, posse tamen ex recepta cōsuetudine circa suos regulares subditos quidquid potest Episcopus circa suos dioecesanos. At ex privil. Sixti IV. quod habetur in compend. *Minor. v. absolutio extraor. §. 4.* possunt prælati mendicantes dispensare cum suis religiosis bigamis ad sacros ordines: ibi enim illis cōceditur facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario. Adde in privileg. Societ. *V. dispensatio §.5. & 6.* dari præposito Generali, & quibus ipse delegaverit, facultatem dispensandi cum suis subditis in omni irregularitate.

Irregularitas regularium ad dispēsationē.

Observa 1. cum *Avila 7.p.disp.8.dub.4.concl.6.* commissario Cruciatæ potestatem dispensandi in bigamia non esse concessam. Observa 2. cum *Sanch lib.7. matr. d.86.n.24.* a petente dispensationem necessarió esse declarandas species bigamiæ: quia difficiliùs dispensatur in bigamia propria quàm in interpretativa, & difficiliùs in hac, quám in similitudinaria. Adde ligatum duplici bigamia, utranque debere exponere. Vide 1435. 1865.

Cōmissarius cruciata ad dispēsandum.

QUÆSTIO II.

Qualis sit irregularitas contracta ex defectu natalium, & qualiter tolli possit?

CIrca priorem quæstionis partem certum est ex *cap. venerabilem, qui filij sint legitimi, & cap. 1 ac finali, de filijs presbyt.* dari irregularitatem ex defectu natalium, in illis nempe quorum nativitas a legitimo matrimonio, vel saltem probabiliter existimato deficit. Illam enim statuit Ecclesia tum in detestationem paternæ incontinētiæ, tum in honorem status clericalis, quem fædat vitiosa ministrorum origo.

Natalium defectus seu illegitimitas ad irregularitatem.

2091 Dubium est 1. an defectus ille natalium, si occultus sit, inducat irregularitatem? Negant *Vincentius relatus ab Angelo v. homicidium 5. q. 1 & Castro lib. 2. de lege pænali c. u t. concl. 3.* Probant a simili ex *c. ex teriore de temp. ordin.* ubi notorius criminosus repellitur ab ordinibus suscipiendis, admittitur tamen, si crimen occultum sit, pænitētia peracta; ergo a fortiori admittetur illegitimus occultus.

Affirmandum tamen omninó est cum *Gutier. lib.1. canon. qq. cap.13. num.20. Vgol. de irreg. c. 44 § 1. Sayro lib.6. c.10. n.36. Azorio 2.p lib 6. c. 3. q. 23. Ægid. Bellan. disp.18. dub.12. G. sp Hurt. de irreg. diff. 16. & Bonac. tom.1 disp.7. q.2. p. 3. n. 2.* Ratio est, quia textus in *c.1. & fin. de filijs presbyt.* & alijs excludunt absoluté illegitimum ab ordinibus, nulla de publico vel occulto, facta distinctione.

Ad irregularitatem illegitimitatis facit hic casus. In Lusitania conjuges nobiles post matrimonium consummatum diu carentes prole deliberaverunt ingredi religionem, & uterque solemniter professus est, ac in maioratum qui erat viri successit quidam ejus frater minor. Evenit hos conjuges habuisse copulam, ex qua natus filius masculus. Hic ut pervenit ad maturam ætatem petiit maioratum a suo patruo, patruus autem nolebat dare, eum dicens incapacem, utpote illegitimum: allegans *c. literas de filijs presbyt.* Ubi Henricus quidam à patre in sacerdotio genitus, sed de uxore legitima natus & conceptus decernitur irregularis. Unde colligunt multi AA. prolem ab altero, vel uttoque parente adstrictis voto solemni castitatis genitam esse illegitimam, seu potius irregularem ad beneficia & dignitates Ecclesiasticas: legitimam tamen esse, & habilem ad successionem, hæreditatem, & dignitates seculares. Quia genita est ex legitimo matrimonio *l. filium ff. de ijs qui sunt sui vel alieni juris.* Ita Sanch. lib.9. de matr. d.38. n.7. & Suar. d.50. de cens. sec.2. n.5.

Dubium est 2. an censendus sit illegitimus, & consequenter irregularis ille de cujus illegitimitate dubitatur, persistente tali dubio? Videtur affirmandum cum *Hurtado de irreg. disp.2. diff. 14 n.57.* & alijs asserentibus infantem expositū esse irregularē: quia dubitatur an sit illegitimus, cum fere semper expositi illegitimi sint.

Expositi habendi pro legitimis.

Negandum tamen est cum multis, quos citat ac sequitur *Palaus tom. 13 de benef. disp.4. p 1. § 1. & de cens. disp.6. pun.9 n.3. Sayro lib.6. thes. cap.1. n. 39. Ægid. Bellan. disp.18. dub.12. Layman lib. 1. sum. tr.5. par.5. c.5. n.2. & Turriano de cens. lib. 9. disp. 71. dub.1.* docentibus in dubio illegitimitatis neminem censendum esse illegitimum proindeque irregularem. Quia ex *reg. 56. ff. de regul juris* semper in dubijs benigniora preferenda sunt. Accedit text. in *Cap. is qui de sent excom. in 6.* irregularitatē non contrahi nisi in casibus a jure expressis. Ex quibus docent citati expositos habendos esse pro legitimis, & non irregularibus: & sic decrevisse Gregorium XIIII. in gratiam confraternitatis pro expositis apud *Cornejo in 3.p. tr.5. disp.15. dub. 1. n.*

1.n 4. Addit *Palaus cit.n.3.ex c.1.de infantib. & lãguidis*, expositas etiam si fuerint servi, effici liberos, & si fuerint liberti, effici ingenuos. Quia jus illis utpote omni subsidio humano destitutis, intendit favere, quoad fieri potest.

Circa posteriorem quæstionis partem de auferenda hujusmodi irregularitate, conveniunt authores posse auferri quatuor modis, quos breviter exponemus. Tollitur 1. per matrimoniũ subsequens, casu quo parentes tempore copulæ fuerint habiles ad nubendum. Habetur ex *cap.tãta, qui filij sint legitimi*. Nam tale matrimonium ad tempus conceptionis quasi retrotrahitur.

Irregularitatis ex defectu natalium ablatio.

Tollitur 2. per legitimationem absolutam Pontificis, qui solus (ut bené docet *Suar.disp 50. sect 5. n. 8*) ad effectus jure canonico inductos legitimare potest. Commissarius cruciatæ (inquit *Palaus cit.n.5.*) potestatem habens dispensandi in matrimonio irrito ob occultum impedimentum affinitatis ex illicita copula, quando in uno ex contrahentibus adfuit bona fides, potest in foro interno legitimare prolem quoad ordines & beneficia.

Legitimatio prolis.

Hoc tamen intelligitur de Commissario Cruciatę in Castella: non veró in Lusitania, ubi Cõmissarios in sua bulla non habet tale privilegiũ. Ut constat ex ipsa bulla, & testimonio Illust. DD. Antonij de Mendoça Archiepiscopi Ulyssiponensis, qui per multos annos egit munus Commissarij. De hoc verò dato testimonio me fecit certiorem P. Doctor Ioannes Gomez, qui Illustr. Archiepiscopi confessarius est.

2092 Tollitur 3. dispensatione, quæ differt a legitimatione, & unaquæque diverso modo interpretanda est, nempe legitimatio laté, & dispensatio strictè apud *Palaum cit. n. 6.* Difficultas est qui & qualiter dispensare possint? Constat posse Summum Pontificem. Circa Episcopos constat ex *cap.1.de filijs presb. in 6.* posse dispensare cum quocunque illegitimo ad ordines minores, & beneficium simplex, etiam si huic simplici sit annexum curatum, utpote accessorium ut docet *Vasq de benef.c.3.§.1.dub.3.n.7.* cõtra *Sayrum lib.6.thes.c.11.n.11.* Hanc tamen concessionem (ut notat *Avila 7.p.de cens.disp. 3. concl. 2.*) nequit Episcopus extendere ad suum familiarem triennalem illegitimum.

Dispensatio & legitimatio.

Dixi (ad ordines minores & beneficium simplex) quia juxta *Garciam de benef.7.p.c.2.n 53.* ex decisione expressa in *c.finali de filijs presbyt.* Episcopus cum illegitimo dispensare nequit ad ordines maiores, ad beneficium curatum, dignitatem & personatum: imó nec ad canonicatum Ecclesiæ cathedralis attenta dispositione *Trident. sess.24.c.12.de reform.* annectentis omnibus canonicatibus & integris portionibus Ecclesiæ cathedralis ordinem sacrum: secus ad canonicatum Ecclesiæ collegiatæ: cum illi sacer ordo non sit annexus.

Difficultas est, an ex vi *Trident.sess.24. cap.6.de reform.* valeat Episcopus dispensare cum illegitimo, cujus vitium, seu defectus occultus est? Affirmat *Avila de cens.disp.3.dub. 7.* & probabile judicant *Ægid.Bellam.disp.18.dub.ult & Layman lib. 1 sum.tr.5.par.5.c.5.n.2.* Probant, quia Trident. facultatem concessit Episcopis dispensandi in irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, nec distinxit inter delictum proprium, & alienum. Accedet quod talis facultas est beneficium Principis in jure communi in sertum, proindeque laté interpretandum.

Illegitimus occultus ad dispensationem.

Negandum tamen est cum *Navarr.c.27.num. 194. Ugolin. tr.de irreg.c.44.§.2.n.4. Suar. disp 50. sect.5.n.5. Gasp.Hurt.de irreg diff.20.n. 65. Bellano, Layman.* & alijs. Probatur quia hujusmodi irregularitas ex defectu natalium non fuit imposita ob delictum parentum, sed ob indecentiam quam habet filius extra legitimum matrimonium genitus: quam proinde semper haberet, etiam si in ipsius generatione nullum parentes delictum committerent, nẽpe si dormientes vel ebrij gignerent.

Tollitur 4. prædicta irregularitas professione religionis, seu votorum emissione, quæ constituat veros religiosos juxta *cap. 1.de filijs presbyt.* At bené observant *Navarr.cap.27.n.201. Greg. Lopez leg.12.tit.6.p.1. Avila 7.p.disp.3.* talem irregularitatem non tolli integré & perfecté quoad omnes effectus, sed tantum quoad ordines suscipiendos: persistit enim ad regularem prælaturam, dignitatem, & quælibet beneficia tam secularia quám regularia. Officia alia honorifica, v.g. lectoris, concionatoris, & similia possunt exercere illegitimi.

Professio religiosa ad tollendam illegitimitatem.

Illud denique monent *Navarr.cons.3.de ætate & qualit. Henr.lib.14.de irreg.cap.8.n.10. & Avila 7.p. disp.3.dub.11.* illegitimum qui absque dispensatione fuerit ordinatus, manere impeditum ad executionem ordinum, quos suscepit: si tamen ausus fuerit in susceptis ministrare, quanvis gravissimè peccet, nullam contrahere irregularitatem, utpote nullibi statutam.

QUÆSTIO III.

Qualis sit irregularitas orta ex defectu corporis?

2093 Defectus in corpore esse potest naturalis, vel casualis. Singulos examinabimus pro agnoscenda irregularitate, quam inducunt. Quod attinet ad naturalem, nullum video præter defectum ætatis postulatæ a jure pro ordinibus suscipiendis. Nam juxta *c. fin.de temp.ordin.* quandiu durat hujusmodi defectus irregularem facit. Unde si aliquis (ut videre est apud *Sayrum lib.6.c.12.n.12. & Suar.disp. 51. sec.2.n.4.*) ante legitimam ætatem sacris initietur, suspensionem incurrit, qua durante, si forte celebraverit, in novam incidet irregularitatem. Si tamen abstineat a celebratione, poterit post completam ętatem, a suspensione absolutus sine ulla dispensatione celebrare.

Ætatis defectus ad irregularitatem.

Defectus præternaturalis esse potest multiplex, ac primũm duplicitas sexus in hermaphrodito; in quo si prævaleat sexus fæmineus, ordinum

Hermaphroditus ad ordines.

num suscipiendorum incapax est. Addunt aliqui idem esse dicendum de eo, in quo fœmineus ac virilis sexus æquè valeat. Sed hoc non ita certum est.

Dubitatur de eo in quo sexus virilis prævalet, an sit irregularis? Negant *Martinus Fornarius de ordine cap. 3. n. 1. & Tolet. lib. 1. sum. c. 63. n. 6.* defectus notus sit. Addit *Gasp. Hurt. de irreg. disp. 14. num. 52.* etiam si sit notus talis defectus, sicut irregularis non est eunuchus a natura, & qui sex digitos in pede habet. Oppositum tamen dicendum est cum *Suar. cit. disp. 51. sect. 2. n. 4. & Sayro lib. 6. c. 8. n. 34.* nam talis indecentia continet monstruosum defectum, in quo solus Pontifex dispensare potest.

Corporis defectus ad irregularitatem.

Sunt alij præternaturales defectus in duplici genere: nam alij congruentem usum ordinis impediunt, alij notabilem horrorem, ac deformitatem pariunt. Ut expendamus defectus prioris generis, ille cui brachium, vel manus desit, aut manca sit, irregularis est, *cap. exposuisti, de corpore vitiat.* Item si deficiat pollex, aut sit ita debilis ut hostiam frangere, vel levare nequeat. Est etiã irregularis ex cap. ult. 55. dist. cui visus deficit absque membri privatione: secus si non deficiat in totum, itaut si absque deformitate canonem legere possit.

Cæcus irregularis.

Item irregularis est claudus, si absque baculo, vel pede ligneo se nequit movere. *Glos. c. si quis in infirmitate 55. dist.* Item surdus utraque aure, vel talis qui nequat percipere responsum ministri. Ita *Layman lib. 1. sum. tr. 5. par. 5. c. 7. n. 1. & Bonacina d. 7. q. 2. pun. 2. n. 7.* qui addunt, si surditas ordinato superveniat, posse permitti celebrare. Quia auditio responsionis in celebrante necessaria omninò non est.

Claudus & surdus irregulares.

Ut veniamus ad defectus posterioris generis, scilicet horroris & deformitatis, notant præter citatos *Ægid. Bellan. disp. 18. dub. 13. n. 108. & Avila 7. p. disp. 3. dub. 1.* irregularem esse carentem naribus: item si careat auribus, etiam inculpabiliter; nisi forte talis defectus capillis occultari possit. Item irregularis erit gibbosus, leprosus, paralyticus, laborans morbo Gallico, aliave ægritudine, ex qua fiat notabiliter deformis. Habere plures, vel pauciores digitos in manibus aliquando gravem, aliquando levem affert deformitatem: & quidem in dubio gravis deformitatis, etiam in rebus alijs, judicio Episcopi, & non confessoris stãdum erit. Est enim hoc arbitrium quędam quasi sententia ex jurisdictione procedens, juxta cap. 1. de corpore vitiato. Religiosi exempti sui pręlati judicio subduntur. Æthiopes, quãvis ex colore & tetro odore horridi sint tamen irregulares non esse, dicunt *Maiol. de irreg. lib. 1. cap. 21. & Gavan. v. irreg. n. 18.*

Deformitas ad irregularitatem.

Æthiopis non irregulares.

2094 Dubium est, an qui patitur defectũ arcentem a ministerio altaris, possit suscipere alios ordines, quorum usui aptus est? Affirmare videtur *Sayrus lib. 6. thes. c. 7. n. 8.* Quia talis solum est impeditus ad usum altaris, & non ad alios usus: irregularitas autem nascitur ex impedimento. Negandum tamen est cum *Navarr. c. 27. n. 200. Ugolino de irreg. c. 52. §. 1. n. 4. & Bonac. disp. 7. q. 2. pun. 2. n. 18.* Probatur, quia cum omnes ordines referantur ad sacerdotium, impeditus ad hoc, censetur exclusus ab alijs.

Dispensatio in impedito ad ordines.

Secus est quando jam ordinato vitium supervenit. Quia (ut docent *Suar. disp. 51. sect. 2. n. 13. & Molina tr. 3. disp. 70. n. 14.*) tunc solum impedit ministerium tali vitio, seu defectui repugnans. Unde sacerdos claudus & cæcus potest audire confessiones. Dispensatio in hujusmodi irregularitate solius Pontificis est. Excipiunt aliqui religiosum, quasi cum eo possit Episcopus dispensare. Sed hoc fundamento caret. Nam hodiè ex privilegio fere omnium religionum prælati regulares possunt cum suis subditis in hoc defectu dispensare.

Mutilatio aut debilitas membri ad irregularitatem.

Quid de mutilatione, quam quis sibi fecit vel ex culpa, vel sine culpa? Cõveniunt authores 1. cum *Suario de cens. d. 51. sect. 2. Bonacina tom. 1. disp. 7. q. 2. p. 2. & Palao de cens. d. 6. p. 12.* debilitatem mẽbri, aut ejus carentiam, vel abscissionem, quæ absque propria culpa evenit, si nec impediat celebrationem, nec afferat deformitatem, nullatenus irregularitatem inducere. Unde irregularis non est qui absque pudendis natus fuit, vel per vim a parentibus, aut medici consilio, aut in odium fidei castratus.

Conveniunt 2. cum citatis irregularem esse qui per indignationem, aut zelo indiscreto partem sui corporis, etiam usum ordinis non impedientem sibi abscindit, aut abscindi permittit. Exprimitur in *cap. qui partem 55. dist.* & subjungitur ratio, quia in ea irregularitate imponenda non tam attẽditur defectus, quàm judicatur voluntas. Unde irregularis manet qui fecit, aut permisit sibi amputari virilia ex indiscreto zelo castitatis.

Dubium est 1. an pro incurrenda hujusmodi irregularitate postuletur ut culpa, & abscissio sit notoria? Affirmant *Valent. tom. 4. disp. 7. dub. 1. Henriq. lib. 14. cap. 8. n. 4. Covarr. Clem. si furiosus n. 6. & Avila 7. p. de irregul. disp. 3. dub. 1.* Rectiùs negant *Molina tr. 3. de just. disp. 70. n. 16. Garcia de benef. 7. p. cap. 12. num. 5. & Sayrus lib. 6. thes. cap. 7. n. 12.* Quia dicta irregularitas non tam imponitur ob notoreitatem culpæ, quàm propter excessum ac sęvitiam, quam secum quis exercet.

Amputatio virilium ad irregularitatem.

Dubium est 2. an maneat irregularis qui dedit causam culpabilem, ut sibi amputaretur mẽbrum ab alio, v. g. a marito ob adulterium, vel a judice? Affirmant graves authores, *Molina tr. 3. disp. 70. n. 18. Suar. d. 51. sect. 2. n. 8. Avila 7. p. de irreg. disp. 3. dub. 1. & Layman lib. 1. sum. tr. 5. par. 5. c. 7.* Negant *Tolet. lib. 1. sum. c. 82. in edit. noviss. Ægid. Bellan. disp. 18. de irreg. dub. 13. n. 108. & Gasp. Hurt. de irreg. disp. 14. n. 52.* Utraque opinio probabilis est, sed magis probo secundam. Quia textus quo affirmativa pars nititur, solum imponit irregularitatem illi qui ex indignatione, vel indiscreto zelo castitatis membrum amputavit per se, vel per alium, & nõ illi qui tali amputationi causam dedit.

Castratus ad irregularitatem.

dit. Ex quo addit *Palaus cit. n.* 4. non videri improbabile irregularitaté evasurum qui sibi testiculos abscindi facit causa vocis retinendæ. Quia non fecit ex indignatione, nec ex zelo castitatis.

Dispensatio in mutilatione. Illud rectè observant *Henriq. lib.* 14. *cap* 8. *mem.* 4. *& Avila* 7. *p. disp.* 3. *dub* 3. *concl.* 2. dispensationé irregularitatis provenientis ex culpabili illa mutilatione sui ipsius, si occulta sit, posse impendi ab Episcopo virtute Trident. sess. 24. cap. 6. de reform.

QUÆSTIO IV.

Qualis sit irregularitas orta ex defectu animæ?

2095 IN quæstionem venit duplex animæ defectus, scilicet libertatis carétia, & ignorantia. Qualiter autem uterque irregularitatem inducat, examinandum est. Quod attinet ad carentiam libertatis quę datur per impedimentum stabile usus rationis, constat apud *Suar. disp.* 51. *sect.* 1. *ex cap. Maritum* 33. *dist.* furiosos, sub quibus comprehendimus omnes amentes & stolidos permanenter, ita esse irregulares, ut quamvis integram sanitatem recuperent, sine dispensatione promoveri non possint. At si clerico jam promoto talis defectus superveniat, solum privatur usu ordinum, quandiu talis defectus durat. *Furiosi, amentes stolidi irregulares.*

Dixi (per impedimentum stabile) quia oportet dari per modum habitus, v. g. fundatum in naturali complexione, & propria organorum læsione, & potest habere locum in lunaticis, arreptitijs, epilepticis, vulgo *Doentes de gota coral,* qui per temporum intervalla amittunt usum rationis. Nam si impedimentum sit temporale, quale datur in eo qui ex vehementi febri furit, ac delirat, non inducit irregularitatem. Quia passio transiens non denominat simpliciter.

Quisnam possit dispensare in hac irregularitate? Affirmat *Maiol. lib.* 2. *de irreg. c.* 14. & indicat *Sayrus lib.* 6 *thes. c.* 13. *n.* 3. posse dispensare Episcopum tum ad suscipiendos ordines, tum præcipuè ad utendum susceptis. Dicendum tamen est cum *Suario d.* 51. *sect.* 1. *n.* 5. *& Bonacina disp.* 7. *q.* 2. *p.* 2. *n.* 23. solius Pontificis esse facultatem dare ut ordinetur qui semel in amentiam habitualiter incidit. *Dispensatio in irregularitatis.*

Quod attinet ad ignorantiam, seu illitteraturam, quæ est imperitia litterarum quæ requiruntur ad exercendum ministerium ordinis, quanvis *Henriq. lib.* 10. *de ordine cap.* 16. *n.* 2. *& Garcia de benef.* 7. *p. c.* 7. *n.* 19. judicent defectum scientiæ nō facere irregularem, sed solum ordini suscipiendo impedimentum pręstare; tamen dicendum est cum *Navarro cap.* 27. *n.* 205. *Suar. d.* 51. *sect.* 1. *n.* 8. *Avila* 7 *p. disp.* 4. *dub.* 1. *& Bonacin. tom.* 1 *ad sp.* 7. *q.* 2. *p* 1. *n.* 2. ignorantiam seu imperitiam litterarum requisitarum ad omnes, vel aliquos ordines inducere irregularitatem respectu vel omnium, vel aliquorum ordinum ad quos datur, ita ut non solum impediat susceptionem sed etiam usū talis ordinis suscepti. Constat ex *c. illitteratos* 36. *dist.* ubi illiterati, & corpore vitiati eodem modo arceantur a susceptione ordinum: & sententia omnium est corpore vitiatos irregulares esse. *Ignorantia seu illitteratura ad irregularitatem.*

Notat bené *Sayrus lib.* 5. *thes. cap.* 13. *n.* 8. ignorantiam quę inducit hanc irregularitatem non esse defectum illius scientiæ, quæ a Tridentino pro singulis ordinibus postulatur, sed quæ usum ordinis suscepti omnino impedit. Quæ verò scientia requiratur, exponit *Trident. sess.* 23. *de reform.* *c.* 4. ad recipiendam primam tonsuram *c.* 11, ad minores ordines *c.* 13. ad subdiaconatum & diaconatum, *c.* 14. ad presbyteratum; & sess. 7. cap. 1. ad Episcopatum. Vide *Suar. d.* 51. *sect.* 1. *a n.* 5. *& Palaum d.* 6. *p.* 10. *n.* 3. *Scientia requisita ad ordines.*

Docet bene *Suar. cit. n.* 10. *&* 11. tolli omninó hanc irregularitatem cessante ignorantia, tanquā effectum cessante causa. Si autem ignorantia (inquit) persistat, solus Papa dispensare potest in tali defectu, quatenus irregularitas Ecclesiastica est, non verò qua impedimentum naturale divinum est. Nam contra jus naturale divinum est, quod quis utatur munere sine scientia necessaria ad debitum usum: non vero quod suscipiat ordines & illis non utatur pro tempore, quo addiscit necessaria.

QUÆSTIO V.

Qualiter se habeat neophytorum irregularitas?

2096 NEophytus (ut exposuimus in nostro *Elucidarion.* 555.) dicitur quasi novus in fide: a *neos* novum, & *Phytos* fides: est autem ad præsens institutum neophytus ille qui in adulta ætate baptizatus, adhuc in baptismate novus existit. Hunc quandiu durąt in baptismatis novitate irregularem esse pro indeque arceri a suscipiendis ordinibus, habetur ex *c.* 1. *&* 2. *dist.* 48. Imó in *c. constituit* 17 *q.* 4. redditur incapax ad officia publica. *Neophytus irregularis.*

Causa utriusque inhabilitatis redditur ab Apostolo ad *Thim.* 3. ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli, existimans Ecclesiam suo ministerio indigere. Miserum enim est (inquit *Innocent. relatus in c. miserum* 61. *dist.*) eum magistrum fieri qui nondum esse discipulum didicit.

Rogabis ad quemnam spectet determinare tēpus pro quo neophytus quis reputandus est. Bené ex *Suario d.* 43. *sect.* 3. *n.* 6. respondent *Ægid. Bellan. disp.* 18. *dub.* 7. *n.* 55. *& Bonacina disp* 7. *de irreg. q.* 2. *p.* 1. *n.* 6. spectare ad Episcopum, cujus arbitrio, attenta qualitate personæ, & debita illius instructione coarctabitur vel prorogabitur tempus, dummodò non excedat decennium: hoc enim post baptismum elapso, neophytus esse desinit. Unde teste *Ægidio cit. dub.* 7. *n.* 55. si ad Episcopi arbitrium intra biennium, vel triennium a suscepto baptismo exhibuerit signa probatæ fidel ac religionis, cessante irregularitate poterit absque ulla dispensatione ordinari. *Episcopus ad neophytos.*

Ex dictis rectè docent *Suar. d.* 43. *sect.* 3. *n.* 8. *& Sanch lib.* 2. *decal. c.* 28. *n.* 11. neque esse neophytū, neque irregularem, proindeque nec a beneficijs & dignitatibus Ecclesiasticis exclusum qui in infantia *Judæi & Sarraceni ad ordines & dignitates.*

fantia baptizatus fuit, etiam si ex patre Judæo, vel Sarraceno descendat.

Nec obstat 1. constitutio Pauli IV. relata a *Navarr. lib. 5. consil. tit. de Judæis & Sarrac. conf.* 1. in qua prohibentur sacris ordinibus initiari descendentes a Judæis & hæreticis usque ad quartam generationem. Quod decretum *Greg. XIII.* extēdit ad descendentes a Sarracenis. Non (inquam) obstat hæc constitutio: quia usu recepta non est, ut testatur *Gasp. Hurt. disp. 2. diff. 3. n. 9.* Nec obstat 2. *c. constituit 17. q. 4.* ibi Judæi aut ij qui ex Judæis sunt ab officijs publicis excludūtur. Quia (ut exponit *Sanch. cit. c. 28. n. 15.*) hoc procedit de ijs qui noviter conversi ex Judæis sunt, & non de ijs qui ab infantia cum baptismo fidem susceperunt.

Nota cum *Palao de cens. disp. 6. p. 19. §. 3. n. 4.* dicta procedere secundùm jus commune. Nam si spectentur particularia statuta, qualia v.g. Ecclesiæ Toletanæ ac Legionensis descendentes a Judæis Mauris & Sarracenis etiam usque millesimam generationem excluduntur ab aliquibus beneficijs.

QUÆSTIO VI.

Qualiter contrahatur irregularitas ex infamia, seu defectu famæ?

2097 Infamia (ut petamus lucem a nostro *Elucid. n. 916.*) ex diametro famæ opponitur, & idem valet, atque non fama, vel sine fama. Apud Legistas est idem atque notæ. *l. 1. ff. de his qui notan. infam.* Hinc *notabilis* pro infami *c. ex parte de testib.* Per contrapositionem ad famam definiri solet: *Læsa dignitatis qualitas vita & moribus reprobata.* Seu *Imminutio illius status qui vita & moribus comprobatus est.*

Infamia quid.

Dividitur in infamiam juris & infamiam facti: infamia juris, alio nomine legalis, est illa quæ ex alicujus legis humanæ habet aliquos morales effectus, ratione quorum specialis quædam moralis macula reputatur. Hæc subdividitur in civilem, quæ per jus civile, & canonicam quæ per jus canonicum inducitur. Infamia facti, alio nomine popularis, alio communis est sinistra opinio quæ obscurat personæ æstimationem, non ex vi alicujus legis, sed ex communi hominum judicio & ab ipso facto nascens.

Infamia juris & facti.

Ut expediamus irregularitatem ex utraque explicata infamia ortam, & imprimis ortam ex priori, seu ex infamia juris, nota infamiam juris esse triplicem, aliam ex delicto proprio, cui jus annectit infamiam, aliam ex delicto alieno, aliam ex officio. In quibus casibus jus canonicum & civile annectat infamiā delicto proprio, diligenter exponit *Palaus de cens. d. 6. p. 20. n. 2.* oporteat ne delictum esse notoriū, ut pariat infamiam & consequenter irregularitatem? Negant *S. Antonin. 3. p. tit. 28. c. 6. §. 7. & Suar. d. 48. sect. 1. n. 7.* quasi non ex delicti manifestatione, sed ex ipso delicto infamia pullulet. Affirmant *Covarr. 3. var. cap. 3. n. 2. & Sanch. lib. 2. decal. cap. 26. n. 1.* & quidem probabiliùs: quia infamia est famæ, & bonæ æstimationis diminutio hæc autem non datur quamdiu delictum occultum est, sed postquam innotescit.

Infamia per jus inducta quotuplex.

Irregularitas ex infamia.

Alia infamia juris ex delicto proprio non datur, proindeque nec irregularitatem parit, nisi post sententiam condemnatoriam delicti publici, nempe illius delicti, de quo cuilibet de populo permittitur accusare, ut crimen læsæ majestatis, & alia de quibus *Palaus cit. num. 4.* Illud constat infamiam incurri quoties quis ob criminis notorietatem damnatur alicui pœnæ publicæ, ut fustigationis, flagellationis ac similium.

Delicti infamantis.

Secunda juris infamia nascitur ex delicto alieno: & ob hanc rationem sunt infames jure civil. *l. quisquis §. filij C. ad leg. Iul. majest. c. felicis, de pœnis in 6.* sunt infames filij ac nepotes parentū, qui in S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem manus violentas injecerunt.

Infamia ex delicto alieno.

Tertia juris infamia oritur ex officio. Sunt enim in republica aliqua officia ita abjecta sordida & vilia ut videantur irrogare infamiam ipsa exercentibus. Unde meritò testantur *Henriq. lib. 14. c. 15. n. 4. Molina tr. 4. disp. 8. n. 10. & Avila 7. p. disp. 4. dub. 5. concl. 2. ex l. 1. & 2. §. ait prætor ff. de his qui notantur infam.* infames ob officium esse histriones, scilicet turpes scenicos qui olim pretio conducti ad spectaculum sui corporis exhibendum publicé obscœna repræsentabant. Addunt alij officia carnificum, macellariorum, lictorum & similium: & sine fundamento: quia licet vilia sint, tamen nullo jure irrogant infamiam.

Infamia ex officio.

Histriones infames.

2098 Quod attinet ad infamiam facti, cū nascatur ex ipso facto, (ut diximus) seclusa omni lege, fit ut generet infamiam omne factum quod legibus ac probis moribus adversum vel status integritatē minuit; vel famam labefactat. Ut oriatur hæc infamia spectato jure canonico, & possit quis a suscipiendis ordinibus repelli, sufficit peccatum mortale perseverans *c. constituimus 3. q. 5. & cap. testimonium, de testibus.* At secundùm jus civile plura sunt peccata quæ suos authores nec efficiunt viles & abjectæ conditionis, nec a muneribus excludunt.

Infamia facti.

Observandum 1. cum *Suar. disp. 48. sect. 2. Avila 7. p. disp. 4. dub. 5. Ægid. Bellano disp. 18. dub. 7. & Bonacina disp. 7. de irreg. q. 3. p. 1.* infames sive juris, sive facti irregulares esse, proindeque nec pro moveri ad ordines, nec in susceptis ministrare posse: tamen inter utrosque esse discrimen, quod infames infamia juris sint irregulares simpliciter siquidem illorum irregularitas perpetua est: at infames infamia facti sunt irregulares secundùm quidnam vitæ emendatione cessat talis irregularitas.

Irregularitas infamium.

Observandum 2. cum *Molina tr. 4. d. 11. n. 3. & Avila 7. p. disp. 4. dub. 7.* infames ita esse exclusos a dignitatibus & officijs tam civilibus quā Ecclesiasticis, ut eorum provisio irrita & nulla sit in utroque foro: quamvis probabiliter teneat *Garcia 7. p. de benef. c. 8. n. 47.* in foro conscientiæ valere, quousque a judice rescindatur. Observandum

Infames exclusi ab officijs & dignitatibus.

dum

dum 3 cum citatis, si possidenti officium, beneficium aut dignitatem infamia superveniat, quãvis ipso jure inducat privationem, non teneri infamem ea a se abdicare, quousque accedat judicis sententia saltem declaratoria criminis.

Rogabis qualiter tollatur infamia, & per quos auferri possit? Respondeo 1. cum *Molina tr. 4. disp. 10. Suar. d. 48. sect. 2. n. 6. & Garcia 7. p. de benef. c. 8. n. 64.* si loquamur de infamia facti, auferri emendatione vitę, saltē si ea emendatio per triennium duraverit. Respondeo 2. si loquamur de infamia juris, & quacunque quoad effectus jure canonico inductos, posse auferri a Pontifice ita ut qui infamis fuerat ad ordines & beneficia promoveatur. Verùm quia nō expedit talis promotio, nisi abolita priùs infamia, & persona ad statum pristinum restituta, Pontifex non solet talem promovere, nisi abolendo priùs infamiam.

Infamiæ ablatio.

Notat bené *Molina tr. 4 disp. 10. n. 3. ex cap. cum te de sent. & re judic.* Pontificem posse auferre infamiam juris a quolibet clerico, utpote sibi subdito, a laico autem non posse, nisi vel ipse, vel judex infamiam irrogans sub jurisdictione Pōtificis existant. Princeps sæcularis ut docet *Suar. d. 48. sect. 2. n. 4. & 10.*) infamiam juris civilis a suis subditis auferre potest, qua ablata, tollitur irregularitas in illa fundata. Episcopus non potest dispensare cum infamibus ut ordines suscipiant: ut veró in susceptis ministrent, post pœnitentiam peractam dispensare potest, si delicta ex quibus infamia contracta fuit, adulterio minora sint. Sumitur ex *c. at si clerici §. de adulter. tit. de judicijs.*

Episcopus dispẽsans in infamia.

QUÆSTIO VII.

Qualiter contrahatur irregularitas ex servitute, seu defectu libertatis?

2099 Quæstio versatur circa duplicem libertatis defectum: prior est defectus libertatis, prout libertas opponitur servituti: posterior est defectus libertatis proveniens ex obligatione ad exercendas actiones politicas. Quod attinet ad priorem, constat ex toto *tit. de servis non ordinem.* & multis capitibus 54. *dist.* inducere irregularitatem, quandiu durat, & dominus non consentit. Ratio est, quia statum clericalem dedecet servitutis vilitas. Ut verò hujusmodi irregularitatem explicemus, notandum est evenire posse servum ordinari sciente & non cōtradicente domino, vel domino ignorãte, aut cōtradicente.

Irregularitas ex servitute.

Sit 1. resolutio: si domino sciente & non cōtradicente ordinetur servus in clericum, etiam solius primæ tonsuræ eo ipso manet liber: nec amplius tenetur ex justitia suo domino deservire. Ita *Palaus de cens. d. 6 p. 13. n. 2. ex Suario disp. 51. sec. 2. n. 4 & 8. Laymano lib. 1. tr. 5. par. 5. c. 8.* Habetur expresse *c. si servus 44. dist.* qui juxta *c. Nulli, & cap. quicunq; 54. dist.* supponitur absolutè manumissus. Illud ex *c. Nullus, de servis non ordinan.* rectè deducitur posse dominum concedere manumissionē non absolutè, sed sub ea conditione ut postquam initiatus fuerit, deserviat domino in ministerio ordinibus non repugnante.

Servorũ initiatio.

Manumissio ut ordinetur servus.

Sit 2. resolutio. Si domino ignorante, & a fortiori sciente ac contradicente initietur, graviter peccat: deinde si solis minoribus ordinetur, manet servus ut antea. Ita citati. Constat ex toto *tit. de servis non ordin.* præcipué in *c. de servor.* Patet ex gravi injuria, & detrimento irrogatis: & ex *c. frequens 54. dist.* ubi pręcipit jus quod talis servus ordinatus deponatur, & ejus dominus eum recipiat.

Sit 3. resolutio. Si servus domino ignorante, & a fortiori sciente, & contradicente initietur maioribus ordinibus, Episcopus ordinans talis malitiæ conscius, vel eo inscio, qui perhibuerint testimonium, aut supplicaverint ordinari, tenentur satisfacere domino in duplum, scilicet reddendo duos servos loco servi ordinari, vel duplicatum pretium illius quod æstimatur. Quod si non exhibuerint hanc satisfactionem duplicem, servus non liberatur, & dominus illum dimittere non tenetur. Sic juxta citatos habetur *c. si servus absente domino 54. dist.*

Servus initiatus sacris.

Dubium est, an hujusmodi obligatio contrahatur ante sententiam judicis? Affirmat *Suar. disp. 51. sec. 3.* Probat, quia lex citata est dispositiva, acproinde ante ullam sententiam obligat dominum dimittere servum sic ordinatum. Mihi tamen videtur negandum cum *Palao d. 6. p. 13. n. 4. & Bonacina d. 7. q. 2. p. 4 n. 3.* Probatur quia lex illa est pœnalis, siquidem in pœnam injuriæ domino illatæ statuit duplicem satisfactionem, cũ jure naturæ pro resarciendo damno illato unica sufficeret. Quod si non exhibeatur dicta satisfactio duplex, nec servus liberatur, nec dominus illum dimittere tenetur.

2100 Sit 4. resolutio. Si neque Episcopus ordinans, neque alij sciverint conditionem servilem ordinandi, servus tenetur præstare duplicē satisfactionem vel saltem pro se reddere æqualē vicarium. Sic deciditur *c. ex antiquis 54. dist.* Quod si neutrùm reddere potuerit, & fuerit initiatus subdiaconatu vel diaconatu, redigitur in servitutem, ut obsequatur domino in omni ministerio, quod susceptum ordinem non dedeceat. Si dominus intra annum a die scientiæ ordinationis non repetierit suum servum, hic manebit liber: interim tamen ab usu susceptorum ordinũ prohibitus est. Reductus in servitutē omni clericali privilegio, & usu sacrorum ordinum privatus manet.

Ordinum usus in servo.

Sit 5. resolutio. Servus presbyteratu initiatus domino ignorante, vel contradicente, non revocatur in servitutem, etiam si domino integra satisfactio præstari nequeat: peculium tamen perdit, & reddit domino juxta *cap. ex antiquis 54. dist.* Quod si non habuerit peculium, tenebitur satisfacere in ministerijs sui officij: sic enim statuit jus in reverentiam sacerdotij, ut tenent *Suar. d. 51. sec. 3. a n. 3. & Hurtado diss. 17.*

Ratiocinia ad irregularitatem.

Quod attinet ad posteriorem defectum libertatis, provenientem ex obligatione reddendi rationem

tionem alicujus administrationis,a republica acceptæ,rectè authores docent ex *c.unico,de obligatis ad ratiocinia,& c.3. dist. 51*. omnes obligatos ad reddendam rationem alicujus administrationis temporalis in republica, quales sunt thesaurarij, actores,procuratores,executores,advocati, magistratus,& rerum temporalium judices, repelli ab ordinibus,quandiu sua munia exercuerint.Hujusmodi irregularitas extenditur ad procuratores,curatores,& tutores pupillorum, & omnes qui alicujus personæ privatæ non miserabilis administrationem suscipiunt. Itē ad feudatarios,qui tenentur suis dominis exhibere obsequium personale ratione possessionis habitæ. Item ad servos originarios & adscriptitios qui personaliter obsequi suis dominis obligantur. Nam prædicti omnes ad reddendam rationem suæ administrationis tenentur.

Dixi (rerum temporalium,& alicujus personæ non miserabilis) quia ab ordinibus nec repelluntur administratores rerum Ecclesię, vel personæ miserabilis,quales sunt tutores & curatores pupilli vel minoris indigentis, & procuratores viduarum. Quia opus pietatis & misericordiæ ab ordinibus non repellit.Notant *Suar.d. 51.sec.3. n.19.& Gasp.Hurt.de irreg diff.18*.nō repelli etiam ab ordinibus consiliarios regios ad decidendas civiles causas deputatos: idque ex consuetudine, & tacita voluntate Pontificis.

Ut tamen capitalem resolutionem meliùs declaremus,circa illam unum est dubium, quatuor certa.Dubium est,an possint ad ordines provoveri temporales illi administrationem, quanvis illius rationem non reddiderint? Videntur affirmare *Toletus lib.1.cap.60. Panorm.& Gloss.ad c.unic. de obligatis ad ratioc.* Negandum tamen est cum *Sayro lib.6.c.14 n.8. Suario d.51.sec.3.n.11. & Layman lib.1.sum.tr.5.par.5.c.8.n.3.* Probatur,quia in citato *c.unico* postulatur utrunque scilicet abstinere a dicta administratione, & illius rationem reddere.

Irregularitas ex rationijs.

Certum est 1.neminem deposita administratione, & illius ratione reddita repelli ab ordinibus,quanvis ex tali administratione contraxerit debita,& illa non solverit. Quia nullibi talis repulsio decreta est.Certum est 2.si quis administratione deposita fidejussorem idoneum adhibuerit,qui promittat talis administrationis rationem redditurus,& debita soluturus, posse ad ordines promoveri.Certum est 3. si finita administratione tibi moveatur lis de dolo. non posse te promoveri ad ordines ante litem finitam. Arg. *c.tātis 81.dist.* Debet tamen præfiniri tempus intra quod decidatur quæstio.Quòd si interim Episcopus promoverit, ipse tenebitur in promoti defectū satisfacere.Elapso tamen præfinito tēpore,& authore nihil probante,initiari poterit.

Certum est 4.illum qui obligatur ex emptione,venditione,promissione,deposito,mutuo cōducto,aliove reipublicæ, aut privatæ personæ contractu nullam continente administrationem de qua sit reddenda ratio,ab ordinibus non repelli.Quia hæc irregularitas solum obligatis ad ratiocinia indicitur. Vide *Palaum d. 6.p.13. a n. 9.* ubi plures.

Pro coronide inquires,an inducat irregularitatem defectus bonorum temporalium,seu paupertas? Respondeo affirmativé. Sed ut hanc resolutionem exponam & probem cum *Suario de cens.disp.51.sect.3.a n.24.* Notandum est paupertatem sumi dupliciter 1.privativè, quando non habet quis unde congruē sustentetur: & tunc hujusmodi paupertas inducit irregularitatem ob defectum patrimonij assignati per Tridentinum *sess.21.c.2.de reform.* ubi prohibentur ordinarij qui talem defectum patiuntur 2. contrariè, quando quis ære alieno nimium gravatur.Quāvis enim hic defectus prçcisé non inducat irregularitatem,tamen eam inducet, si vel secum deferat obligationem ad ratiocinia, vel tot litibus & contentionibus implicet debitorem ut cogat ad peragenda sæcularia negotia.

Paupertas irregularem facit.

Debitor æris alieni quando irregularis.

FINIS LAUS DEO.

INDEX RERUM

PARTIS POSTERIORIS: VBI NVMERVS Marginalis est.

Aqua

B.

Cas-

Tttt 3 Cle-

Cru-

D.

Du-

F.

Indul-

L.

L[illegible]

Mo[illegible]

Peccata

Pœnı-

Q.

R.

S.

Spon-

V.

Veni-

FINIS LAUS DEO.